

SANCTI GREGORII PAPÆ I. COGNOMENTO MAGNI, OPERA OMNIA.

AD MANUSCRIPTOS CODICES ROMANOS, Gallicanos, Anglicanos emendata, aucta, & illustrata notis.

Studio & Labore MONACHORUM Ordinis Sancti Benedicti, è Congregatione Sancti Mauri.

TOMUS QUARTUS.







VENETIIS, MDCCXLIV.

Typis, & Sumptibus { ANGELI GEREMIA, CAROLI PECORI, & AUGUSTINI SAVIOLI:

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

In prima parte Tomi quarti continentur,



DE
TRIPLICI VITA
SEU
HISTORIA S. GREGORII MAGNI
HIC EXHIBITA,
PRÆFATIO.

I. Triplex sancti Gregorii vita hic edita.

TRIPLICEM *hic repræsentamus Gregorii Magni vitam: primam compendiose descriptam, quam Paulo Diacono Casinensi Monacho debemus: secundam, sanctissimi Pontificis præclare gesta fusiori stilo complectentem, cujus auctor Johannes Diaconus, monasterii quoque Casinensis alumnus. Quasi enim pro acceptis tot beneficiis gratum se ostendere voluisset mons hic sacer, sancti Gregorii scriptis mire celebratus*, (Lib. 2. Dialog.) *ac laudes laudibus rependere: non satis habuit, ad ipsius historiam posteris consignandam, unum suppeditare scriptorem, sed alterum addidit & quidem diligentissimum historicum. Utrique vitæ post allata plurima veterum testimonia de sancto Gregorio, subjecimus tertiam, quam ex ipsius præsertim operibus eruimus & adornavimus. De priori vita contractiori, & de ipsius auctore prius est dicendum, & consequenter de aliis.*

II. Prior a Paulo Diacono elucubrata sæpius excusa.

Hanc breviorem vitam eodem anno scilicet 1668. *ediderunt Bollandus in secundo mensis Martii tomo, & noster Mabillonius in Act. Sanctorum Ord. S. Benedicti seculo* 1. *Eamdem postea sanctissimi Doctoris operibus præfixit Petrus Gussanvillæus anno* 1675. *Quo vero codice sit usus, indicare minime curavit. Certe plurimum discrepat a duabus prioribus hæc editio, sive id exemplaris manu descripti vitio contigerit, sive editor pro libito multa mutaverit, & ab obsoletis, quæ hoc in opusculo frequenter occurrunt, vocibus consulto abstinuerit.*

De hujus vitæ auctore Bollan[di] sententia.

De editione a Bollando ejusque sociis adornata audiendi sunt ipsi in Commentario prævio de sancto Gregorio §. 2. Primo loco vitam post ejus obitum scriptam damus ab auctore synchrono sed anonymo. Ita enim numero 26. (*nobis* 28.) afferit: *Post obitum ejus narratum didicimus a fideli & religioso viro, & huic nostro Patri familiarissimo* scilicet [a] Paulo Diacono, quem constat non diu post obitum sancti Gregorii in vita permansisse.... Extant hæc acta

a Erravit calamus *Paulum* pro *Petro* scribens. Omissum etiam incaute supra *nobis* ante *narratum*, conjicimus, quia loco assignato, scilicet num. 26. legitur, *nobis narratum*.

in quamplurimis codicibus mss. eisque pervetustis quorum aliqui ad nostram bibliothecam spectant: habemus eadem ex mss. Ecclesiæ Cathedralis sancti Audomari, & Ecclesiæ Trevirensis sancti Martini; contulimusque cum duplici codice Reginæ Sueciæ signato num. 81. & 566. Item cum præclaro codice monasterii Bonifontis in Gallia.

III. Refellitur & hoc opus Paulo asseritur. Ex variis mss. *Mirum sane tot in codicibus desiderari nomen Pauli Diaconi, germani scilicet hujus vitæ scriptoris, ut mox probaturi & demonstraturi sumus. Felicius nostro cessit Mabillonio, qui his in actis edendis tres codices adhibens, Sangermanensem, Moissacensem, & Conchensem seu monasterii sancti Petri de Conchis; in hoc ultimo observavit, quod & ipsi vidimus, nostro Paulo adscribi hoc opusculum. Deinde incidimus in plurima alia exemplaria ejusdem auctoris nomen præferentia, scilicet Casinense, Lbroicense majoris Ecclesiæ, Lyrense, Beccense, * Carthusiense, quibus accensendus codex quem legerat Garetius Canonicus Regularis, qui in tractatu de reali Corporis & Sanguinis Christi præsentia in Eucharistia, edito anno 1562. aliqua ex his actis, sub nomine Pauli Diaconi, ad propositum argumentum confirmandum adducit.*

* Majoris Carthusiæ.

Ex ipsius Pauli testimonio. *Verum etsi Pauli nomen in omnibus codicibus dissimularetur & subticeretur, nihilominus aliunde constaret certissime non alium fetus hujus parentem esse quam Paulum Diaconum. Sane meminit ipse in lib. iij. de gestis Longobardorum cap. 25. vitæ sancti Gregorii a se descriptæ, his verbis:* Ideo de beato Gregorio plura dicere omittimus, quia jam ante aliquot annos ejus vitam, Deo auxiliante, texuimus, *Porro hanc eamdem esse quam præ manibus habemus, dubitare non licebit ipsam conferenti cum alia, quæ nemine diffitente, Johannis est Diaconi. Hic cum esset monasterii Casinensis, in quo Paulus quoque militarat, alumnus & Monachus, ac ipso tantum octoginta circiter annis junior, non potuit ignorare quæ & qualia de sancto Gregorio a Paulo elucubrata fuerant. At lib. iv. cap. 99. laudat Pauli opus, commemorato prius honorificentissime ipsius nomine, allatisque ipsissimis ejus verbis quæ num. 30. leguntur.*

Et Johannis Diaconi. *En luculentum Johannis testimonium:* Cujus nimirum venerabile meritum quousque mundi hujus orbita volvitur, ut cum Paulo viro disertissimo fatear, semper accipiet incrementum: quia ipsius sine dubio gratiæ adscribitur, vel quod Anglorum Ecclesia nova semper sobole fecundatur, vel quod illius doctrinis per orbem universum multi per peccatum elongati ad Christi clementiam revertuntur: vel quod boni quique ipsius suasionibus inflammati, cælestem patriam desideranter inquirunt. *Hæc si attentius legissent doctissimi viri non præmisissent huic vitæ:* Auctore anonymo, sed synchrono.

IV. Explicatur locus unde errandi data occasio. *At, inquies, quicumque sit hujus vitæ scriptor, quædam de sancto Gregorio profert, quæ asseverat sibi narrata ab ejusdem sanctissimi Patris familiarissimo, haud dubie a Petro Diacono ipsius Notario:* Denique,

que, *inquit num* 28. a fideli & religioso viro, & huic nostro Patri.... valde familiarissimo, fideliter post obitum ejus nobis narratum didicimus, &c. *Proindeque vixit saltem ineunte seculo septimo, superatque ad minimum integro seculo cum dimidio Paulum hunc Diaconum. Non dissimulandum his in verbis explicandis nonnihil difficultatis occurrere. At cum plurima, eaque invictissima suppetant aliunde quæ contrarium probent argumenta; dicendum videtur Paulum Diaconum hic uti modo loquendi non insolenti, quando Scriptoris alicujus testimonium in medium adducimus; ut cum dicitur:* Ab Augustino didici, nobis narrat Chrysostomus, *aut quid simile. Præterea in cod. Belvacensi, & in vetustiori Gemeticensi non legitur:* nobis narratum, *sed simpliciter,* narratum; *cujus voculæ* nobis *rejectione, difficultas omnis tollitur. At de his consule Mabillonium tom.* 1. *Analect. pag.* 319. *ubi in hoc argumentum latius excurrit. Nunc de Paulo Diacono, quandoquidem ipsum hujus vitæ scriptorem esse constat operæ pretium est pauca hoc loco addere.*

Is gente Langobardus, [a] *patria Forojuliensis fuit, Aquileiensis Ecclesiæ Diaconus, & Desiderii ultimi Langobardorum Regis Notarius aut Cancellarius. Genus suum ipse describit lib. iv. de Gestis Langobardorum c.* 39. *Patrem habuit Warnefridum, a quo* Paulus Warnefridi *cognominatus est. Victo Rege Desiderio, Paulus inter nobiles captivos a Carolo magno Francorum Rege abductus fuit, apud quem (ut erat litteratorum omnium cultor Carolus) propter singularem prudentiam & eruditionem, magno aliquandiu in honore fuit. Verum cum arctioris amoris & fidei erga Desiderium suspectior esset, in Diomedeam insulam est deportatus, unde ad Arichim Beneventanum Principem Desiderii Regis generum profugit, quo mortuo, Monachum in Casinensi monasterio induit. Scripsit de Gestis Langobardorum libros vj. in quibus non raro S. Gregorii meminit, sed præsertim lib. iij. cap.* 25. *testatur ipsius vitam a se jam contextam & elucubratam. Edidit præterea historiæ Miscellæ libros* 24. ex quibus, *inquit Vossius lib.* 2. *de Hist. Lat. c.* 30. primi undecim libri iidem sunt ac decem Eutropii; aliqua subinde de suo addidit Paulus, ut Adalbergæ Desiderii filiæ & Arichisi Ducis uxori morem gereret. Exinde Eutropium continuat Paulus, cujus sunt quinque qui sequuntur libri; residui octo a Landulpho Sagace additi creduntur, ex Theophane præsertim, vel potius ex Anastasio Bibliothecario Theophanis interprete. *Cetera opera Pauli, sive quæ extant, sive deperdita commemorat Guillelmus Cave in scriptorum Eccles. historiæ litterariæ seculo* 8. *ubi tamen labitur vir doctus, assignans quatuor libros de vita sancti Gregorii Papæ, quos dicit in lucem editos a Johanne Mabillonio seculo* 1. *Bened.*

V. Quis fuerit hic Paulus, & quæ ipsius scripta.

Floruit Paulus octavo seculo labente. Quo presertim tempore vitæ sancti

[a] Vide monumenta veteris Antii, ubi agitur de Colonia Forojuliensi, auctore Philippo a Turre Romæ, 1700.

VI. Romæ vitam S. Gregorii elucubravit. *cti Gregorii scribendæ operam navarit vix assignari potest; ipsum Romæ habitasse, inde manifestum est, quod semper de Roma loquens præmittat pronomen demonstrativum* hæc, hanc. *Sic orditur suam historiam:* Gregorius hac urbe Romana. *Et paulo post num.* 2. Ut quamvis hic eo tempore potissimum florerent studia litterarum; nulli in urbe hac putaretur esse secundus. *num.* 4. septimum (*monasterium*) intra urbis hujus muros instituit. *Et sic deinceps constanter usque ad voluminis umbilicum loquitur. Has quidem particulas expunxit Gussanvillæus, sed vitiose, cum in omnibus mss. tum a Bollando & Mabillonio tum a nobis post ipsos perlectis, qui sane sunt plurimi, reperiantur.*

VII. Quid in hac vita edenda præstiterimus. *Quid a nobis hac in editione potissimum præstitum sit, paucis indicandum. Etsi de priorum editorum fide nobis constaret, ne tamen officio nostro, & promissæ diligentiæ ulla in re deessemus, hanc historiam denuo ad mss. codices præsertim ad Conchensem, Beccensem, Belvacensem sancti Petri, duosque Gemeticenses, atque ad superiores editiones contulimus, textumque scriptis in margine argumentis, & in calce quibusdam notis illustravimus, doctorum virorum a quibus paucas mutuati sumus non dissimulato nomine. Hæc sunt quæ de vita priori sancti Gregorii a nobis hic edita præmittenda duximus. Nunc de secunda cujus auctor Johannes Diaconus.*

VIII. Joh. Diaconus alterius vitæ S. Gregorii scriptor. *Johannes ex Monacho Casinensi Ecclesiæ Rom. Diaconus, post Paulum Warnefridi, de sancti Gregorii gestis quatuor libros elucubravit, jubente Johanne Papa VIII. qui anno 872. sedere cœperat. Qua de re legenda ejusdem Johannis Diaconi præfatio, ubi etiam de totius operis instituto & ordine præloquitur.*

IX. Ipsius auctoritas. *Quanta autem fuerit hujus vitæ sancti Gregorii auctoritas apud veteres, docet Guitmundus Aversanus Episcopus lib. 3. de Eucharistia.* Eam vitam, *inquit*, tot sanctissimi doctissimique Romani Pontifices, nullo hactenus dissonante, probaverunt, eorumque auctoritatem secutæ tot Ecclesiæ cuncto populo Christiano consonante nunc usque susceperunt.

X. Quæ in hac vita carpat Baronius. *Nonnulla tamen hoc in opere carpit Eminentissimus Cardinalis Baronius. 1. Quod Felicem Papam IV. S. Gregorii atavum dicat libri 1. cap. primo. Quod ejusdem libri c. 25. sanctissimum virum a Benedicto Papa Diaconum factum scripserit. Tertium est quod refert lib. 2. cap. 44. de Trajani Augusti anima ex inferni pœnis a sancto Gregorio liberata. Quartum quod sancti Doctoris libros ab ejus æmulis igni traditos narret. Præterea Johanni asserenti sanctum Gregorium factum Monachum sancti Benedicti Regulam observasse, & observandam in suo sancti Andreæ monasterio instituisse, non assentitur Baronius. De singulis dicemus in vita sanctissimi Pontificis a nobis adornata.*

XI. Alia Johannis opera. *Johanni nostro vitam S. Clementis Papæ, Velitrensis Episcopi nomine Gauderici hortatu scriptam, tribuit Guillelmus Cave in historia Litteraria*

ria Scriptorum Eccles. ex Sigeberto, quam ait periisse. Ejusdem esse dicitur Commentarius seu expositio brevis in heptateuchum, asservata in bibliotheca sancti Germani a pratis Parisiorum.

XII. Ad quos codd. mss. recensita hæc vita.

Quod spectat ad sancti Gregorii vitam de qua sola hic agendum, ipsam contulimus cum mss. codd. Bigontiano, Uticensi sancti Ebrulphi, & Andegavensi. Consuluimus etiam Parisiensem Ecclesiæ Metropolitanæ, alterum sancti Germani a Pratis, Turonensem sancti Martini, & Vaticanos. Cum autem hæc vita ex Gregorii scriptis potissimum collecta sit, & contexta præsertim ex Epistolis, quæ ex iis excerpta sunt a Johanne Diacono in probatioribus mss. investigare sategimus, & in omnibus consentire prorsus utrosque codices observavimus, Registri videlicet ac vitæ.

XIII. De alia vita S. Gregorii ms. quid sentiendum.

Præter Pauli & Johannis Diaconorum lucubrationes adjicienda duximus quædam selecta veterum testimonia de sancto Gregorio. Nullas autem alias vitas ex integro scriptas inter antiqua monumenta reperire potuimus: Inter opera Venerabilis Bedæ ἀνέκδοτα *recenset quidem Guillelmus Cave vitam sancti Gregorii quam ait manuscriptam extare in bibliotheca Collegii Mertonensis. Ejus porro visendæ desiderio accensi, rogavimus nostrum Mabillonium ut a viro Doctissimo Th. Gals amico suo in litteratos omnes benefico impetraret, consuli laudatum codicem, & cum Pauli opusculo de sancti Gregorii vita conferri. Non solum id præstitit vir officiosissimus; sed etiam ad nos misit excerpta quædam tum ex primis ms. periodis:* Gregorius hac urbe Romana Patre Gordiano, Matre vero Silvia, *&c. usque* nulli in hac urbe putaretur secundus; *tum ex fine totius operis ab his verbis:* hæc breviter de vita beati Gregorii dicta sunt, *&c. usque* sepultus vero est in Ecclesia beati Apostoli ante secretarium die iv. iduum Martiarum. Præstante Domino nostro Jesu Christo qui cum Patre, *&c. & ex his clare intelleximus, quod prius subodorabamur, hunc bibliothecæ Mertonensis codicem nihil aliud quam Pauli lucubrationem exhibere. Hoc loco integram optimi viri Thomæ Gals epistolam subjicere operæ pretium duximus, quæ benefici ejus in nos animi insigne est argumentum.*

Viro optimo pientissimoque D.D. Joanni Mabillonio Th. Gals S.P.

Tuas per Gannovium jucundissimas & expectatissimas accepi. Continuo ad Oxonienses de vita S. Gregorii scripsi. Longa interposita mora hæc de vita illa recepi. Moneo, quod tamen te monuisse non opus erit, hæc ad Pausum Diaconum videri referenda; is πατὴρ τῶ λόγω, uti ex Surio colligo. Totum opusculum in ms. Oxon. coll. Mertonensis decem explicatur foliis. Si tibi ejus aliquid desiderium subeat, curabo eo fruaris. Sane decet me memorem semper esse tuorum multorum in me meritorum: & libentissime pro viribus & facultatibus tibi tuisque inservirem. Quare rem mihi gratissimam feceris, si quem

e tuis

e tuis amicis huc aliquando tendentem, ad me destines, ut saltem de tua valetudine & vita prospera subinde audiam, qua quidem re nihil mihi lætius contingere potest. Vale.

Nobilis adolescens Spencerus Compton, qui jam cum Legato nostro apud vos agit, te brevi meo nomine salutabit.

Bloomesburi Londini.
Jan. 14. 1967.

XIV. De vita S. Doctoris a nobis adornata.

Superest ut de vita sanctissimi Doctoris a nobis ex ejus potissimum scriptis concinnata pauca dicamus. Ipsam prius Gallice publicavimus an. 1698 indeque cœpit omnis in Gregorium labor. Cum enim lucubrationem hanc qualemcumque, felicis recordationis Innocentio XII. acceptissimam fuisse nobis significasset Emin. Cardinalis Spada litteris datis 8. Apr. 1698. atque ad majora audenda, impertita nomine tanti Pontificis benedictione nobis animos addidisset, statim ad novam omnium sancti Gregorii operum editionem nos accinximus. Hanc autem vitam in Latinum versam hic exhibemus, at breviorem, nec servato semper prioris Gallicæ ordine.

Initio capitum fere semper duo annotantur anni, v. g. an. 590. & 591 quia nimirum annos Pontificatus sancti Gregorii per indictiones computamus: indictio vero quæ mense Septembri incipiebat, duobus respondebat annis.

Ceterum de utilitate elucubrati a nobis operis præfari superfluum foret; cum in vita maximi hujus Ecclesiæ doctoris omnia fere quæ ad historiam illorum temporum, sive sacram sive prophanam spectant, exponantur, summa Evangelicæ doctrinæ capita confirmentur, contineatur omnis Ecclesiastica disciplina, vitæ Christianæ præcepta, imo certissima sublimioris perfectionis regulæ tradantur: ex quibus profectum sumere possunt non solum oves gregis Christi, sed etiam Pastores. Hæc, studiose Christiane, lege in otio, sed non otiose; & tibi apponentibus improbi laboris fructus optimos bene precare.



SAN-



SANCTI GREGORII PAPÆ [a]VITA

a

Auctore [b] PAULO DIACONO Monacho Cassinensi.

b

I. Gregorii Patria, parentes & majores.

REGORIUS hac urbe Romana, A patre Gordiano, matre vero Silvia editus, non solum de spectabili senatorum prosapia, verum etiam religiosa, originem duxit. Nam [c] Falix, istius apostolicæ sedis Antistes, vir magnæ virtutis, & ecclesiæ in Christo gloria, ejus atavus fuit. Sed tamen hanc Gregorius tantæ nobilitatis lineam moribus extulit, probis actibus decoravit. Denique, ut post in propatulo claruit, non sine magno quodam præsagio tala sortitus ast nomen. Gregorius namque ex Græco eloquio in nostra lingua vigilator, seu vigilans sonat. Ra etenim vera vigilavit sibi, dum divinis inhærendo præceptis, laudabiliter vixit. Vigilavit & fidelibus populis, dum do- B ctrinæ affluentis ingenio, eis quo tramite cælestia scanderent patefecit.

c

Nomen Greg. quid signisicet.

II. Ejus studia.

Disciplinis vero liberalibus, hoc est grammatica, rethorica, dialectica, ita a puero est institutus, ut quamvis eo tempore florarent adhuc Romæ studia litterarum, tamen nulli in urbe ipsa secundus esse putaretur. Inerat ei in parva adhua ætate maturum jam studium: adhærere scilicet majorum dictis; & si quid dignum potuisset auditu percipere, non segniter oblivioni tradere, sed tenaci potius mamoriæ commendare: hauriebatque jam tunc sitibundo doctrinæ fluenta pectore, quæ post congruenta tempore mellito gutture eructaret. Hic in annis adolescentiæ (in quibus solet ea ætas vias sæculi ingredi) Deo cœpit devotus C existere: & ad supernæ vitæ patriam totis desideriis anhelare.

Prima pietatis rudimenta.

III. Consilium init de vitæ statu deligendo.

Sed dum diu longequa conversionis gratiam differret, & postquam cœlesti ast afflatus desiderio, seculari habitu contegi melius putaret, vellet que præsenti mundo quasi specietenus deservire, cœperunt multa contra eum ex ejusdem mundi cura succrescere; ut in eo non jam specie, sed (ut ipse de se asserit) retineretur & mente. Tandem cum [d] parentum jam dudum liberam disponendarum rerum suarum haberet facultatem, quod prius mente gestabat aperuit; quodque jam in divinis arat obtutibus, humanis etiam visibus ostendit. Mox etenim cuncta quæ habere potuit, ad pietatis opus distribuit, ut Christum pro nobis factum egenum, egens ipse sequeretur.

d

IV. F. cultates in pios usus impendit.

Sex denique in Sicilia monasteria construens, fratres illic Christo servituros aggregavit: septimum vero intra urbis hujus muros instituit, in quo & ipse postmodum regulari tramite, multis sibi sociatis fratribus, sub Abbatis imperio militavit: Quibus monasteriis tantum de redditibus prædiorum suorum delegavit, quantum posset illic commorantibus ad quotidianum victum sufficere; reliqua vero cum omni [e] domus præsidio vendidit, ac pauperibus erogavit: nobilitatemque illam, quam ad seculum videbatur habere, totam ad mancifcendam supernæ gloriam dignitatis, divina gratia largiente, convartit. Et qui ante serico contextu ac gemmis micantibus solitus erat [f] per urbem procedere trabeatus, post vili contectus tegmine, ministrabat pauper ipse pauperibus.

e

f

V. Ædificatis septem Monasteriis, fit Monachus.

Etenim mutato repente seculi habitu, monastarium petiit, & ex hujus mundi naufragio nudus evasit. In quo tanta perfectionis gratia cœpit conversari, ut jam tunc in ipsis initiis perfectorum posset numaro deputari. [g] Inerat denique ei tanta abstinentia in cibis, vigilantia in orationibus, strenuitas in jejuniis, ut infirmato

g

sto-

a Ex Venerabili Beda magna et parta desumta videtur, l. 2 hist. c. 1. licet fusius illo descripta.
b In cod Beccensi, *Incipit vita S. Greg Papa, edita a Paulo Monacho Cassinensi.*
c Nempe quartus.
d Immo solo patre; mater enim diu postea vixit, ex Johan. Diac. l. 1. c. 9.
e Gussanv. *cum omni domo prædio.* Bolland. *cum omni domus prælio*, reluctantibus mss.
f Guss. *per urbes.*
g Post hæc verba legitur in Guss. *Electus autem communi fratrum concordia in abbatem, præesse non renuit. Inerat, &c.* quæ absunt a mss. & huic loco incongrue sunt inserta.

Pia ejus exercitia, & infirmitates.

stomacho vix consistere posset. Sustinebat præterea assiduas corporis infirmitates: & maxime ea pulsabatur molestia, quam Græco eloquio medici [a] syncopin vocant: cujus incommodis ita dolore vitalium cruciabatur, ut crebris interceptus angustiis, per singula pene horarum momenta ad exitum propinquaret.

VI. Qualis in monasterio fuerit.

Qualis autem in monasterio fuerit, quamque laudabili studio vitam duxerit, ex ipsius possumus verbis colligere: quibus ipse in pontificatu jam positus, dum cum Petro suo Diacono colloqueretur, [b] flendo usus est, dicens: „ Infelix „ quippe animus meus occupationis suæ pulsatus „ vulnere, meminit qualis aliquando in monasterio fuit, quomodo ei labentia cuncta subter „ erant: quantum rebus quæ volvuntur eminebat: „ quod nulla nisi cœlestia cogitare consueverat: „ quod etiam retentus corpore, ipsa jam carnis „ claustra contemplatione transibat: quod mortem quoque quæ penę cunctis pœna est, videlicet ut ingressum vitæ, & laboris sui præmium „ amabat. At nunc ex occasione curæ pastoralis, „ secularium hominum negotia patitur: & post „ tam pulchram quietis suæ speciem, terreni actus „ pulvere fœdatur. Perpendo itaque quod tolero, „ perpendo quod amisi. Cumque intueor illud „ quod perdidi, fit hoc gravius quod porto. Ecce etenim nunc magni maris fluctibus quatior, atque „ in navi mentis tempestatis validæ procellis illidor, & cum prioris vitæ recolo, quasi post tergum reductis oculis, viso littore suspiro: quodque adhuc gravius est, dum immensis fluctibus „ turbatus feror, vix jam portum valeo videre „ quem reliqui. „ Hæc autem ipse de se, non profectum jactando virtutum, sed deflendo potius defectum, referre consueverat: quem semper se per pastoralem curam incurrisse metuebat. Sed quamvis talia de se ex magnæ humilitatis intentione dixerit, nos tamen credere decet nihil eum monasticæ perfectionis perdidisse occasione curæ pastoralis, immo potiorem tunc sumsisse profectum de labore conversionis multorum, quam de propriæ quondam quiete conversationis habuerit.

Præfat. in Dialog.

VII. Fit Diaconus & Legatus non intermisso Monachi proposito.

Sed qualiter hic sanctus vir ad diaconatus officium, & post ad pontificatus culmen ascenderit, subsequens sermo declarabit. Denique cernens Romanus Pontifex, qui tunc ecclesiæ præerat, virtutum gradibus Gregorium ad alta conscendere, eum a monasterio abstractum, ecclesiastici ordinis officio sublimavit, [c] Levitamque septimum ad suum adjutorium adscivit: nec multo post pro responsis ecclesiasticis ad urbem Constantinopolim [d] Apocrisiarium direxit. Nec tamen ille, quamvis in terreno conversaretur palatio, vitæ cœlestis intermisit propositum. Secuti sunt namque eum multi ex monasterio fratres sui, germana devincti caritate. Quod divina factum dispensatione conspicitur: ut eorum videlicet exemplo, ad orationis placidum littus, [e] quasi anchoræ fune restringeretur: & dum causarum secularium incessabili pulsu fluctuaret, ad illorum consortium velut tutissimi portus sinum, post terreni actus volumina fluctusque, refugeret. Et licet illud eum ministerium ex monasterio abstractum a pristinæ quietis vita, mucrone suæ occupationis extinxerit, [f] inter eos tamen per studiosę lectionis alloquium quotidianę aspiratio compunctionis animabat. Horum ergo consortio non solum a terrenis est munitus incursibus, verumetiam ad cœlestis vitę exercitia magis magisque succensus.

VIII. Rogatus exponit librum Job.

Tunc ab eisdem fratribus obnoxie rogatus, maximeque a [g] Leandro, venerabili viro, Hispalensi episcopo, qui pro causis VVisigothorum Legatus eo tempore Constantinopolim advenerat, compulsus est ut librum beati Job multis involutum mysteriis enodaret. Nec ille negare potuit opus, quod sibi caritate interveniente, amor fraternus multis utile imponebat futurum. Sed eumdem librum quomodo juxta litteram intelligendus, qualiter ad Christi ecclesięque sacramenta referendus, quo sensu unicuique fidelium sit aptandus, per triginta quinque librorum seriem miranda ratione perdocuit. In quibus libris ita de virtutibus vitiisque disseruit, ut non solis videatur eadem verbis exponere, sed formis aliquo modo visibilibus demonstrare. Unde non est dubium eum perfectionem ipsarum assecutum esse virtutum, quarum tam efficaciter intimare valuit effectum.

IX. Eutychii errorem de statu resurgentium extinguit.

Qui cum adhuc esset in eadem regia urbe positus, nascentem ibi novam hæresim de statu resurrectionis, in ipso quo exorta est initio, juvante gratia catholicæ veritatis, attrivit. Siquidem [h] Eutychius, ejusdem urbis episcopus, corpus nostrum dogmatizabat in illa resurrectionis gloria impalpabile, ventis aereque subtilius esse futurum. Quod ille audiens, & ratione veritatis & exemplo Dominicæ resurrectionis, probavit hoc dogma orthodoxæ fidei omnimodis esse contrarium. Catholica etenim fides habet quod ipsum corpus nostrum in illa immortalitatis gloria sublimatum, subtile quidem sit per effectum spiritualis potentiæ: sed palpabile per veritatem naturæ: juxta exemplum Dominici corporis, de quo a mortuis suscitato, dixit ipse discipulis: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. In cujus assertione fidei venerabilis pater Gregorius in tantum contra nascentem hæresim laborare contendit: tanta hanc instantia juvante etiam piissimo Imperatore Tiberio Constantino ita comminuit, ut nullus exinde sit inventus, qui ejus resuscitator existeret.

Luc. 24. 39.

X. Romam revertitur.

Tyberis inundatio.

Igitur postquam Romam venerandus Levita Gregorius regressus est, aliquanto interjecto tempore, tanta inundatione Tyberis fluvius alveum suum egressus est, [i] tantumque excrevit, ut eius unda [k] per muros urbis influeret: atque in ea maximam partem regionis occuparet, itaut plurima antiquarum ædium mœnia dejiceret. Qua etiam aquarum violentia, horrea ecclesiæ subversa sunt, in quibus nonnulla modiorum tritici millia perierunt. Tunc siquidem multitudo serpentium, cum magno dra-

a Σύγκοπις, Celso *animæ defectio* dicitur. *Bolland.*

b Guss. *flendo visus est*; manifesto errore.

c Diaconos septem solitos adesse Pontifici scripsit S. Cornelius Papa, contra Novatum, apud Euseb. l. 6. hist. Eccl. c. 35.

d De hac voce consule notam c ad Ep. libris Moral præmissam, col. 2. Ex Johanne Diac. l. 2. c. 25. Benedictus Papa Gregorium Diaconum creavit, Pelagius vero Apocrisiarium misit. De hac difficultate quid sentiamus, aperiemus in Vita S. Gregorii.

e Guss. vitiose, *quasi anchora*. Porro hæc desumta sunt ex Ep. ad Leandrum Moral. prævia.

f Mabil. *intus tamen eos*. Guss. & Bollando quos sequimur præit Becc.

g De Leandro vide quæ diximus in nota b, ad Ep. jam laudatam, quæ Moralium prologus est.

h Claruit multis miraculis S. Eutychius (in mss. Euticius) etiam ob fidem exilium passus. Colitur 6. Aprilis.

i Guss. *atque adeo invaluit*. Observat. Boll. id an. 509. contigisse mense Novembris, cui assentimur.

K Guss. cui favent Belvac. & Becc. *super*. Ibid. *maximas regiones occuparet*, ceteris dissentientibus; & *monumenta* pro *mœnia*. Quæ narrat hic Paulus, ex Greg. Tur. l. 10. c. 1. descripta sunt.

dracone in modum trabis valide per hujus fluminis alveum in mare descendit: sed suffocatæ bestiæ inter salsos maris turbidi fluctus in littore ejectæ sunt. Subsecuta est a vestigio clades, quam inguinariam vocant; nam medio mense undecimo adveniens primum omnium juxta illud quod in Ezechiele legitur: *a sanctuario meo incipite*, Pelagium Papam perculit, & [a] sine mora extinxit. Quo defuncto tanta strages populi facta est, ut passim subtractis habitatoribus, domus in urbe plurimæ vacuæ remanerent. Sed quia ecclesia Dei sine Rectore esse non poterat, beatum Gregorium licet totis viribus renitentem, plebs tamen omnis elegit. Quem ille apicem attentius fugere tentans, esse se omnino indignum tali honore clamitabat; videlicet metuens ne mundi gloria, quam prius abjecerat, ei sub ecclesiastici colore regiminis aliquo modo subrepere posset. Unde factum est ut epistolam ad Imperatorem Mauricium dirigeret, cujus filium ex lavacro sancto susceperat, adjurans & multa prece deposcens, ne umquam assensum populis præberet, ut se hujus honoris gloria sublimaret. Sed Præfectus urbis, [b] Germanus nomine, ejus nuntium anticipavit: comprehensoque eo ac disruptis epistolis, consensum quem populus fecerat, Imperatori direxit. At ille gratias Deo agens pro amicitia Diaconi, eo quod locum ei deferendi honoris ut cupierat reperisset, data illico præceptione, ipsum institui præcepit.

Pestis inguinaria, qua Pelagius Papa moritur.

Cui Gregor. reluctans subrogatur.

Ejus electio ab Imperatore confirmata.

XI.

Ejus concio ad populum, desæviente lue.

[c] Cumque in hoc restaret ut benediceretur, & lues populum devastaret, verbum ad plebem pro agenda pœnitentia hoc modo exorsus est: „Oportet, fratres dilectissimi, ut flagella Dei, quæ metuere ventura debuimus, saltem præsentia & experta timeamus. Conversionis nobis aditum dolor aperiat, & cordis nostri duritiam ipsa quam patimur pœna dissolvat. Ut enim Propheta teste prædictum est: *Pervenit gladius usque ad animam*. Ecce etenim cuncta plebs, cœlestis iræ mucrone percutitur, & repentina singuli cæde vastantur. Nec languor mortem prævenit, sed languoris moras, ut cernitis, mors ipsa præcurrit. Percussus quisque ante rapitur, quam ad lamenta pœnitentiæ convertatur. Pensate ergo, qualis ad conspectum districti judicis perveniat, cui non vacat flere quod fecit. Habitatores quippe non ex parte subtrahuntur, sed pariter corruunt; domus vacuæ relinquuntur; filiorum funera parentes aspiciunt, & sui eos ad interitum heredes præcedunt. Unusquisque ergo nostrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percussionem vacat. Revocemus ante oculos mentis, quidquid errando commisimus: & quod nequiter egimus, flendo puniamus. Præveniamus faciem ejus in confessione: & sicut Propheta admonet: *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum*. Ad Dominum quippe corda cum manibus levare, est orationis nostræ studium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profecto, dat tremori nostro fiduciam, qui per Prophetam clamat: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat*. Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate desperet.

Jerem. 4. 10.

Animæ lugenda status.

Thren. 3. 41.

Ezech. 33. 11.

Veternosas namque Ninivitarum culpas triduana pœnitentia abstersit: & conversus latro vitæ præmia, etiam in ipsa sententia suæ mortis, emeruit. Mutemus igitur corda, & præsumamus nos jam percepisse quod petimus: citius ad precem judex flectitur, si a pravitate sua animus corrigitur. Imminente ergo tantæ animadversionis gladio, nos importunis fletibus insistamus. Ea namque quæ ingrata esse hominibus importunitas solet, Judici veritatis placet, quia pius ac misericors Dominus vult a se precibus exigi: qui quantum meremur, non vult irasci. Hinc etenim per Psalmistam dixit: *Invoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & magnificabis me*. Ipse ergo sibi testis est, quia invocantibus misereri desiderat, qui admonet ut invocetur. Proinde, fratres carissimi, contrito corde, & correctis operibus, ab ipso feriæ quartæ diluculo [d] litania septiformi devota ad lacrymas interveniamus: ut districtus judex cum culpas nostras nos punire considerat, ipse a sententia propositæ damnationis parcat." Quam exhortationem beati Gregorii ideo huic opusculo inserendam putavimus, ut a quanta perfectione prædicationis initium sumserit, monstraremus.

Importunitas precum illi grata.

Psal. 49. 15.

d

Litania septiformis.

XII.

Pestis atrocitas.

Igitur dum magna multitudo Sacerdotum, Monachorum, diversique sexus & ætatis, juxta præceptionem beati Gregorii die constituta Dominum rogatura venisset, in tantum lues ipsa divino judicio desævit, ut intra unius horæ spatium, dum voces plebs ad Dominum supplicationis emitteret, octoginta homines ad terram corruentes spiritum exhalarent. Sed non destitit Sacerdos tantus populo prædicare, ne ab oratione cessarent, donec miseratione divina pestis ipsa quiesceret.

XIII.

Fugiens & latitans, columna lucis indice proditur.

e

Cumque adhuc futurus Antistes fugæ latibulum præpararet [e], Urbi sollicitudo & portis vigiliæ deputantur: donec opportune & gloriose, ut ordo sacer exposcit, in eo divina munia complerentur. Obtinet is a negotiatoribus, ut in cratera occultatus educeretur ab Urbe, atque ita latebris triduo se occultavit, donec illum jejuniis & orationibus, populus Romanus, columna lucis, tertia super eum nocte cælitus emissa, obtinuit: quæ non parvo noctis spatio a summo cæli usque ad eumdem ipsum linea recta effulgens, quærentibus votum optabile demonstravit. Sed & cuidam anachoritæ Urbi contiguo Angeli ascendentes & descendentes per præfatam columnam super illum sunt visi. Qui mox felix sacrumque sumens auspicium, de ea quam vidit in somnis sanctus Jacob scala, ibidemque domum Domini dixit fore, Rectorem domus Dei, quæ est ecclesia, imo ipsum Dei templum inibi esse absconditum exclamavit. Tandemque electus ac dilectus domini invenitur, capitur, trahitur, & ad beati Petri Apostoli basilicam ducitur: ibique ad pontificalis gratiæ officium consecratus, Papa urbis efficitur.

Pontifex consecratur.

XIV

Librum Reg. Past. scribit, qua occasione.

Quo in tempore cum a Johanne Ravennatis urbis episcopo reprehensus fuisset, cur a pastorali officio delitescendo se subducere vir tam idoneus voluisset: hac occasione compulsus volumen egregium,

a Januario anni 590. ac VI. Idus Febr. Pelagium mortuum esse tradit Anastasius. *Bolland.*

b Imo fortasse Germanus sanguine fraterque Gregorii, quem fratrem habuisse probavimus in ejus Vita l. 1. c. 1. n. 5. Locus Greg. Tur. unde hæc sumta, est ambiguus.

c Guss. *cumque tempus instaret*, & ad marg. al. *restaret*: ex mea conjectura.

d Al. *septemi mensis*. Guss. hic, *devota mente*; referens ad mentem quod Greg. dicit de Litania. Ibid. habet, *cum lacrymis*. Et infra: *ipsam sententiam damn. temperando parcat*, ceteris tam editis quam manu exaratis contradicentibus. Porro *septiformis Litania* ideo dicta est, inquit idem Paulus Diac. l. 3. de Gestis Longob. cap. 25. quia omnis urbis populus a B. Gregor. in septem partes deprecaturus Dominum est divisus. Lege Greg. Tur. loco laudato, & Johan. Diac. l. 1. c. 42.

e In cod. Mossacensi, multis prætermissis, *præpararet*, *trahitur*, *capitur*, &c. ut infra.

A

gium, [a] quod Pastoralis appellatur, composuit: in quo manifesta luce patefecit, qualis ad ecclesiæ regimen assumi, qualiter ipsi Rectores vivere, qua discretione singulas quasque audientium personas instruere, quanta consideratione propriam quotidie debeant fragilitatem pensare. Sed & homilias Evangeliorum numero quadraginta composuit: quas in duobus codicibus æqua sorte distinxit. Libros etiam Dialogorum quatuor edidit, in quibus rogatu Petri Diaconi sui, virtutes Sanctorum, quos in Italia clariores nosse vel audire potuerat, ad exemplum viventium posteris collegit: ut sicut in libris Expositionum suarum quibus sit virtutibus insudandum, edocuit, ita etiam descriptis Sanctorum miraculis quæ virtutum earumdem sit claritas, ostenderet. Primam quoque & ultimam Ezechielis Prophetæ partes, quæ videbantur obscuriores, per Homilias viginti duas, quantum lucis intus habeant, demonstravit. [b] Scripsit præterea & alia nonnulla, sed & epistolas complures, quæ singulatim cuncta edicere, brevitatis studio omisi.

Alia ejus scripta.

XV. Quam gravibus morbis & curis afflictus.

Quod eo magis mirum est, tot cum ac tanta condere volumina potuisse, qui omni fere juventutis suæ tempore, ut verbis ipsius loquar, crebris viscerum cruciabatur doloribus, horis, momentisque omnibus fracta stomachi virtute lassescebat, lentis quidem, sed tamen continuis febribus anhelabat: frequens etiam eum gressuum dolor vehementer affligebat. Verum inter hæc dum sollicitus pensaret quia, Scriptura teste, *omnibus filius qui recipitur, flagellatur*: quo malis præsentibus durius premebatur, eo de æterna certius præsumptione respirabat. Fatigabat eum præterea de ordinandis Urbis vigiliis, ne ab hostibus caperetur, sollicitudo continua. [c] Urebant quoque incessanter ejus animum filiorum hinc inde discrimina nuntiata. Sed tamen ille inter tot & talia deprehensus incommoda, numquam otio indulgebat, quin aut filiorum utilitatibus inserviret, aut aliquid dignum ecclesiæ scriberet, aut per contemplationis gratiam cœli secretis interesset.

Heb. 12. 6.

XVI. Indigentium omnium necessitatibus providet.

Denique cum de tota pene Italia Langobardorum gladios metuentes plurimi undique ad Romanam urbem confluerent, solertem pro omnibus curam gerebat, & universis cum verbi pabulo corporis subsidia ministrabat. In tantum namque ejus animum misericordiæ amor devicerat, ut non solum horum quos præsentes habebat necessitatibus occurreret, sed insuper longe positis opem suæ largitatis impenderet; adeo ut etiam in monte Sinai Dei famulis constitutis, quæque erant opportuna transmitteret. Nam alii quidem Pontifices construendis ornandisque auro vel argento ecclesiis operam dabant; hic autem & his insistebat, & quasi his omissis totus erga animarum lucra vacabat, & quidquid pecuniæ habere poterat, sedulus dispergere, & dare pau-

Psal. 111. 9.

peribus curabat, ut justitia ejus maneret in seculum seculi, & cornu ejus exaltaretur in gloria: itaut illud beati Job veraciter dicere posset: *Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Justitia indutus sum, & vestivi me sicut vestimento, & diademate judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & causam quam nesciebam, diligentissime investigabam.* Et paulo post: *Si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea, quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum.*

Job 29. v. 13. & seq.

Job 31. v. 17. & 18.

XVII. Anglorum conversionem procurat.

B

Ad cujus pietatis & justitiæ opus pertinet, quod Anglorum gentem per prædicatores quos illuc direxit, de dentibus antiqui hostis eripiens, æternæ libertatis fecit esse participes. Etenim quia qui Deo nostro fideliter adhæret, semper ex ejus largifluo munere ad altiora conscendit, dum iste sanctus ardenti studio pro colligendis particulatim fidelium animabus satageret, donavit illi pius dominus, ut totam pariter Anglorum gentem converteret. Cujus conversionis, ut putatur, facta divinitus hæc occasio fuit. Dum die quadam advenientibus nuper mercatoribus multa venalia in forum Romæ collata fuissent, multique ad emendum hinc inde confluerent [d] contigit & Gregorium ante scilicet quam pontificale decus haberet, per forum transitum facere, ac vidisse inter alia pueros venales positos, lactei corporis, ac venusti vultus, capillos quoque præcipui candoris habentes.

Qua occasione.

C

Quos cum aspiceret, interrogavit, ut ajunt, de qua regione vel terra essent allati. Dictumque est, quia de Britannia insula, cujus incolæ tali omnes decore niterent. Rursus interrogavit, [e] utrum iidem insulani Christiani essent, an paganorum erroribus implicati. Dictumque est quod essent pagani. At ille intimo ex corde longa trahens suspiria, *Heu! Proh dolor!* inquit, *quod tam lucidi vultus homines tenebrarum auctor possidet*, [f] *tantaque frontis species ægram mentem & ab internis gaudiis vacuam gestat!* Rursus ergo interrogavit, quod esset vocabulum gentis illius. Responsum est, quod Angli vocarentur. At ille: *Bene*, inquit, *nam & angelicam habent faciem: & tales Angelorum in cœlis decet esse coheredes. Quod habet*, inquit, *nomen illa provincia, de qua isti sunt allati?* Responsum est, quia Deiri vocarentur [g] iidem provinciales. At ille: *Bene*, inquit, *Deiri, de ira eruti, & ad misericordiam Christi vocati. Rex*, ait, *provinciæ illius quomodo vocatur?* Responsum est [h] quod Alle vocaretur. At ille alludens ad nomen ait: [i] *Laudem Dei Creatoris illis in partibus oportet cantari.*

D

XVIII. Accepta facultate in Angliam iter instituit.

Accedensque ad Pontificem hujus Romanæ & apostolicæ Sedis, rogavit ut genti Anglorum in Britanniam aliquos verbi ministros, per quos ad Christum converterentur, mitteret: asserens & seipsum in hoc opus domino cooperante perficiendum paratum esse, si tamen eidem apostolico Papæ hoc

E

a Becc. & alii mss. *qui Pastoralis ap.* Boll. *quod liber Pastoralis app.*

b Apud Guss. solum: *Scripsit præterea super Proverbia, super Cantica canticorum, de Prophetis, de libris Regum, de Heptatico, & alia nonnulla, Epistolas*, &c.

c Guss. suo more solus: *Urebatur quoque ejus animus propter filiorum, hinc inde*, &c. Utinam saltem aliquando quo ms. codice uteretur, indicasset.

d Guss. nemine consentiente, *contigit ut Gregorius, antequam pontificale decus unctus fuisset, cum ceteris advenisset, ac vidisset inter alia*, &c. ubi laborat sensus, imo penitus deficit.

e Guss. *utrum in eadem insula.*

f Guss. *tantaque frontispicii gratia mentem ab int.* Bolland. *tantaque fronti; speciei gratia.* Sequitur mss. Becc. Conch. Belvac. & alios. Hic tamen Belvac. parum deflectit a ceteris, habet enim, *tantaque frontis specie gepe grata, mentem ab internis gaudiis*, &c.

g Guss. *id est provinciales.* Miram sane vocis *Deiri* interpretationem. Eam tamen legere potuit in Belvac. Ad hanc vocem *Deiri* Mabil. hæc habet, *Modo Eboracenses, Anglis* YorK Shire *appellantur. Lege Bedam l. 3. hist. c. 1.* & Bolland. *Deira Anglis* Deitland, *est pars regni Northumbrorum, cujus altera pars Bernicia dicitur ..... Capitur* Deira *etiam pro regno Northumbria. Ita apud Monachum Engolism. in vit. Car. Mag.* Eardulphus rex Nordanimbrorum, id est de Irlanda insula (*imo* de Deirlanda provincia) Britanniæ pulsus, ad Imperatorem an. 808. venit.

h Al. *Hobel.* Bedæ *Elle*, quod habet Belvac.

i Bolland & Guss *ad laudem Dei erat*, alleluya *oporteret* ..... *decantari.* Et sane liquet Gregorium allusisse ad verbum *alleluya*, quod significat, *Laudate Deum.*

hoc ut fieret complaceret. [a] Quod cum ei primo Pontifex minime annuisset, victus tandem infatigabilibus ejus precibus assensit. Qui civibus profectionis suæ celans negotium, (quandoquidem si id novissent, nullatenus illi quoque pacto acquievissent) quanto celerius potuit, iter cum apostolica benedictione arripuit.

XIX
Ab itinere revocatur.

Hæc interea ad notitiam populi veniunt. Unanimi condicto omnes urbici ac suburbani, vel quique audientes occurrere potuerunt, se se in tres partes dividunt, & proficiscenti apostolico Pelagio ad Ecclesiam sancti Petri, terribili vocem conclamant: *Eia, Apostolice, quid egisti? Sanctum Petrum offendisti: Romam destruxisti: Gregorium non tam dimisisti quam expulisti.* His ergo vocibus horribiliter permotus Pontifex, populumque vehementissime metuens, post eum summa cum festinatione, & obligationis ut quantocius Romam rediret interdictione, direxit.

XX.
Roman, quod prædixerat, redire cogitur.

Sed antequam missi eum adissent, trium dierum jam confecto itinere, dum idem vir domini Gregorius, ut iter agentibus moris est, circa sextam horam in quodam prato sociis quibusdam quiescentibus, aliis autem assistentibus vel quibusque rebus necessariis occupatis sederet & legeret, venit ad eum locusta, & dans saltum paginæ quam percurrebat, insedit. Cernensque eam beatus Gregorius tam mansuete loco quo assederat permanere, cœpit [b] collætans sodalibus ipsius nomen reciprocans quasi interpretari: *Locusta*, inquam, [c] *eo dici potest, quasi loco sta*: & subjungens, *sciatis*, inquit, *non progressus nos iter cœptum licere protendere. Verumtamen surgite, & jumenta sternite, ut quantum licuerit quo tendimus properemus.* Dum autem hinc mutuo confabularentur, & secum quærerent, pervenerunt missi Apostolici equis sudantibus & admodum fatigatis, statimque illi cum magna celeritate, epistolam quam detulerant, porrexerunt, qua perlecta, *ita est*, inquit, *socii, ut prædixeram, Romam celerius remeabimus.*

XXI.
Tentatum opus per Augustinum exequitur.

Talique ordine interim dilato suæ devotionis effectu: mox ut ipse pontificatus officio functus est, opus diu desideratum perfecit, alios quidem prædicatores mittens, sed ipse prædicationem, ut fructificaret, suis exhortationibus ac precibus seu muneribus fulciens. Denique direxit ad eamdem insulam servos Dei [d] Mellitum, Augustinum, & Johannem, cum multis aliis Deum timentibus Monachis: qui intra breve temporis spatium, [e] regem illum, qui in capite insulæ morabatur, cum suo populo converterunt. Quibus Dominus tantam faciendorum miraculorum gratiam contulit, ut verbum fidei quod ore prædicabant, signorum efficacia confirmarent. Unde factum est ut paucis elabentibus annis, etiam [f] ceteri insulæ ipsius reges, cum his qui eis erant subjecti, ad Christi Domini fidem accederent. De cujus gentis conversione simul & miraculorum prodigiis, quæ ibidem fiebant, ita beatus Gregorius in libris Moralibus perhibet, dicens: *Ecce lingua Britanniæ, quæ nihil aliud noverat quam barbarum frendere, jam dudum in divinis laudibus Hebræa cœpit verba sonare. Ecce quondam tumidus, jam substratus Sanctorum pedibus servit Oceanus, ejusque barbaros motus, quos terreni principes edomare ferro nequiverant, hos per divinam formidinem Sacerdotum ora simplicibus verbis ligant: & qui catervas pugnantium infidelis nequaquam metuerat, jam nunc fidelis humilium linguas timet. Quia enim perceptis cœlestibus verbis, clarescentibus quoque miraculis virtus ei divinæ cognitionis infunditur, ejusdem divinitatis terrore refrenatur, ut prave agere metuat, ac totis desideriis ad æternitatis gratiam venire concupiscat.* Quod totum ut fieret, ita eidem beato Gregorio gratia divina concessit, ut merito ab Anglorum populis debeat Apostolus appellari: quia etsi aliis non est Apostolus, sed tamen illis est; Nam signaculum apostolatus ejus ipsi sunt in Domino.

Regum & populorum conversio.
Lib. 27. olim c. 6. nunc num. 21.
De qua Gregorius gratulatur.
Ideo Anglorum Apostolus appellandus.
1. Cor. 9. 2.

XXII.
Miraculis claret.

Jam vero utrum aliquibus vir iste tanti meriti miraculis claruerit, superfluo quæritur, quod luce clarius constat quod is qui virtutum signa suis meritis valuit, aliis quoque Christo largiente acquirere, si exegisset opportunitas, facilius poterat hæc etiam ipse promereri. Sed ne his qui cum Judæis signa visibilia ad ostendendam sanctitatem expetunt, satisfactio desit, & illis qui Sanctorum exemplis ad meliora accendi & provehi quærunt, ædificatio prosit; quædam autumo referenda, quæ per eum Dominus ad excitandum & corroborandum nostræ mentis teporem, & (ut sic dictum sit) forte infidelitatem potius quam ignorantiam, fieri & manifestari decrevit.

Cur hæc referantur.

XXIII.
Eucharistiæ fidem miraculo adstruit.

Mater familias quædam nobilis erat in hac civitate Romana, quæ religionis & devotionis studio [g] oblationes facere, & die Dominica ad ecclesiam deferre, summoque Pontifici ecclesiasticæ consuetudinis & familiaritatis ejusdem gratia offerre solebat. Quæ cum quadam die ex more ad communicandum de manu Apostolici ordine suo accederet, illique Pontifex offam Dominici corporis porrexisset, dicens: [h] *Corpus Domini nostri Jesu Christi prosit tibi in remissionem omnium peccatorum, & vitam æternam*: subrisit. Quod vir Domini cernens, illi communionem sacram retraxit, & separatim super altare posuit, eamque Diacono servandam usquedum cuncti fideles communicarent tradidit. Expleto vero sacro mysterio, interrogavit eam beatus Gregorius, dicens: *Dic, rogo, quid cordi tuo emerserit, cum communicatura risisti?* At illa: *Recognovi*, inquit, *portiunculam illam ex eadem oblatione fuisse, quam ego manibus meis feci, & tibi obtuli: & cum eam te intellexerim corpus Domini appellasse*, subrisi. Tunc sanctus Domini Pontifex sermonem exinde fecit ad populum, & hortatus est eum ut suppliciter Dominum exoraret, quatenus ad multorum fidem corroborandam, carnis oculis ostenderet, quid infidelitas hujus mulieris mentis oculis & fidei luminibus conspicere de-

a In cod. Moissac. & in al. Audomar. quo Bolland. usus est: *Quod dum perficere non posset, quia etsi Pontifex concederet, ille quod petierat vellet.* (Audomar. *illi quod petierat*) *Non tamen cives Romanos, ut tam longe ab urbe secederet, putaret permittere.* Moiss. Mox ut *ipse pontificatus officio functus est, opus diu desideratum perfecit*, ut infra.

b Ita Bolland. cum Belvac. & Gemet. Mabillon. legit collactans. Neutrum habet Oudenvill.

c Boll. *hac*.

d Prior nominari debuit Augustinus. Mellitus secundo loco fuit missus in subsidium Augustini & sociorum. De Johanne vero nihil legitur aut apud Johann. Diac. aut apud Bedam.

e Cantuariorum, Ethelbertum nomine.

f Ita mss. At Mombritius (quem sequitur Gussanv.) *ceterorum etiam Insulæ, & ipsorum reges.* Inter hos primus fuit S. Edvinus Northumbrorum Rex, ducta in uxorem S. Ethelburga, Ethelberti Regis filia.

g Nota ex veteri more laicos, etiam mulieres, offerre solitos panem (imo & vinum) ad communionem. Hinc Cyprianus l. de oper. & eleemosynis, exprobrat divitifeminæ, quod in *Dominicum sine sacrificio veniret*, quod *partem de sacrificio quod pauper obtulerat*, sumeret. Lege Greg. Turon. l. de Glor. confess. c. 65.

h Johan. Diac. lib. 2. c. 41. alia verba refert, scilicet, *Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam*; quæ magis accedunt ad hodiernam formulam dandæ communionis.

buisset. Quod cum fuisset oratum, ipse una cum A populo & eadem muliere ab oratione exurgens, ad altare cunctis cernentibus, & sese ad cernendum cœleste spectaculum comprimentibus, corporalem pallam [a] revelat, & universo populo ipsaque muliere contuente, partem digiti auricularis sanguine cruentatam invenit, & mulieri dixit: *Disce, inquam, veritati vel modo jam credere* (Joan. 6. 51.) *contestanti*: Panis quem ego do, caro mea est, & sanguis meus vere est potus. *Sed prascius Conditor noster infirmitatis nostra, ea potestate qua cuncta fecit ex nihilo, & corpus sibi ex carne semper Virginis, operante sancto Spiritu fabricavit:* [b] *panem & vinum aqua mixtum, manente propria specie in carnem & sanguinem suum ad catholicam precem ob reparationem nostram Spiritus sui sanctificatione convertit.* B Indeque universos jussit divinam precari potentiam, ut in formam pristinam sacrosanctum reformaret mysterium; quatenus mulieri ad sumendum fuisset possibile: quod & factum est. Unde sæpefata mulier plurimum in sacra religione ac fide proficiens, participatione Dominici Sacramenti consecrata est. Et omnes qui viderant, in divino amore, & orthodoxa credulitate ferventius excreverunt.

XXIV. Panni consecrati pro reliquiis missi.

Quidam quoque nobilissimus secundum carnis prosapiam, & potentissimus juxta regiam in suo modo magnificentiam, cum per internuntios familiaritatem apostolicæ Sedis adeptus esset, & frequenti admonitiona epistolarum, etiam a beato Gregorio transmissarum instructione, erga Dei & Sanctorum cultum sufficienter fuisset imbutus, misit per strenuos & devotos missos condigna [c] exenia ad Sedem pontificalem, petens reliquias beatorum Apostolorum ac Martyrum sibi transmitti. Cujus legatos sanctus Apostolicus honorabiliter & gratuiter suscipiens, aliquandiu secum morari fecit, atque indesinenter sanctorum Apostolorum memorias ac cœmeteria martyrum ex more prisco, pro hujusmodi negotio missas celebrando, & reliquias in eorum veneratione consecrando circumiens, præfatosque legatos sibi comites semper habens, cum explicuisset eorum celebrationes, quorum reliquiæ petebantur, particulatim eosdem pannos consecratos, super quibus sancta celebraverat, divisit, & singulis singillatim [d] D buxis imposuit; munitisque eis sigillo suæ sanctæ auctoritatis, petitoribus usu ecclesiastico tradidit. Qui debita cum veneratione, benedictione petita & accepta, suscipientes, profecti sunt viam suam gaudentes. Sed dum per aliquantos dies regressionis suæ iter carperent, ei qui primus ceteris habebatur, amica humanitati subripuit curiositas, dixitque sodalibus se stulte tanti itineris subiisse laborem, cum nescirent quid pretiosi domino suo referrent. (Insta hominis curiositas.) Pedetentim autem crescente collatione verborum, & virescente suggestione sociorum, confractis apostolicæ dignitatis sigillis, apertæ sunt buxtulæ, & in singulis singulæ panni repertæ E sunt portiunculæ. Moxque cum indignatione Romam regressi, Archidiaconum adeunt conquerentus: *Ut quid*, inquiunt, *dominus Apostolicus* [e] *tam vilipendit dominum nostrum, qui tantam gratiam se apud eum obtinuisse speraverat; quod sic voluerit illi illudere, & nos dehonorationi & offensioni sua addicere? Æstimavimus siquidem nos ossa Apostolorum vel Martyrum pretiosa hinc ferre, sicut decuerat tantum virum, uti dominus noster est, a tanta nihilominus Sede quæsita tam longo & difficillimo satis itinere: & data sunt nobis panni modica portiuncula: ac si hujusmodi panniculi genus apud nos nequivisset inveniri. Nisi enim cauta sollicitudo nobis subvenisset, ut quod gerebamus cognosceremus, & sic stolide ad dominum nostrum nobis contigisset venire, dubium non est periculum honoris & gratia sua nos debuisse incurrere.* Quos Archidiaconus modesta increpatione redarguit: cur in tantam præsumtionem eruperint, ut apostolica sigilla corrumperent, hortans eos ut redirent, & quæ acceperant domino suo cum honore deferrent. Sed hi nullatenus monitis ejus adquiescentes, usque ad domni Gregorii venere præsentiam: factoque comperto patientissime eorum tulit stultitiam, eosque sacrosanctis Missarum solemniis præcepit interesse. Unde cum ad locum sui sermonis est ventum, suadet populo Dei sanctorum gratiam exorare, quatenus in hac re dignetur apertissime sic suam potentiam patefacere, ut quid mereatur fides, evidentius minus C creduli & ignorantes possint cognoscere. Et data oratione accepit ab eo cultellum qui temeraverat signa: & super altare corporis sancti Petri acceptam unam panni portionem, per medium pungens secuit: ex qua statim sanguis decucurrit, & omnem eamdem [f] portiunculam cruentavit. Videntes autem suprascripti legatarii & omnes populi stupendum & arcanum fidei sacræ miraculum, ceciderunt proni in terram, adorantes Dominum, & dicentes: *Mirabilis Deus in Sanctis suis: Deus Israel, ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.* (Psal. 67. 36.) Et facto silentio inter alia fidei documenta dixit ad eos beatus Gregorius, qui ante has venerandas reliquias parvi duxerant: *Scitote, fratres, quia in consecratione corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi, cum ob sanctificationem reliquiarum in honore Apostolorum vel Martyrum ipsius quibus specialiter assignabantur, supe sacro sanctum altare libamina offerebantur, semper illorum sanguis hos pannos intravit, qui effusus est pro nomine Christi Domini nostri.* Et ædificatis in fide cunctis qui viderant, munitisque iterum buxtulis signo suo, tradidit eis incomparabilia munera voti sui, & cum gaudio reversi, hæc per ordinem domino suo nuntiarunt; & sui desiderii compotem reddiderunt. Qui pretiosa sanctorum patrocinia reverenter suscepit, & honorabiliter in loco venerabili condidit; quo Dominus frequentiora quam in sancti Petri Ecclesia miracula operari dignatur ad laudem & gloriam nominis

a Bolland. *relevat*. De corporali palla, qua scilicet Corpus Christi involvebatur & tegebatur, legitur in libro Sacram. in ordinatione Subdiaconi: *Palla qua sunt in substratoria in alio vaso debent lavari, in alio corporales palla. Ubi palla corporales lavata fuerant*, &c.

b Hic habes Transsubstantiationis dogma, longe ante Paschasium Radbertum, quem ipsius auctorem fingunt Calviniana sectæ ministri, claris verbis assertum.

c Gussf. *munera*, explicans fortasse quid significetur per *exenia*. Legendum videtur potius *xenia*, enim Xenium est munus ξένῳ, id est hospiti missum. Ita quoque legitur Ep. olim 65. l. 5. nunc 65. lib. 11. tam in mss. quam in editis Ep. ... cod. libri Pastoralis Eccles. Belv. sæculo 10. exarati legitur in Carmine de Hugone Episc. *Xenia constituens, Christe, cui est aperis*. Passim tamen J. Sirmondus, Mabillonius, & alii antiquitatis studiosi, in veteribus scriptoribus e se editis reliquerunt *exeniam*, *exenia*.

d Buxum seu buxtula significat *thecam* ex buxo confectam, Gallice *Boete*, Mabil. Tria mss. *buxtis*, at Mombritius *buxtis*. Aliud ms. *buxis*. Alia duo *bustis*. Sed mox in omnibus mss. dicuntur *buxtula* .... Reliquias S. Mauri fuisse in buxtula linea reconditas scripsit S. Odo Abb. in miraculis ejusdem editis 15. Januarii c. 4. *Bolland.* In Belv. leg. *buxtis*.

e Hic frequenter Rom. Pontifex *Apostolicus* appellatur. Hoc etiam nomine apud Græcos scriptores Papa designatur. Theodorus Studita lib. 1 Epist. 34. ad Leonem Papam: *Tibi primo omnium Apostolico capiti nostro nuntiare necessario oportuimus*, & lib. 2. Ep. 35. Epiphanio: *Misi Epistolas duas ad Apostolicum*. Ita passim.

f Belvac. *particulam*.

nis sui usque in hodiernum diem.

XXV. Divitem ob rejectam uxorem frustra monitum, anathemate ferit.

Pater nihilominus familias erat Romæ valde rebus ditissimus, sed religione nimis egenus, qui non vitiis minus plenus quam rebus; cum uxor sua ei displicuisset, fecit sibi ab ea contra præceptum Salvatoris nostri divortium. Res vero beatum Gregorium latere non potuit, quia & magnitudo mali, & magnatio [a] personarum se facile prodidit. Cui beatus Gregorius multis & suavissimis monitionibus, seu districti divini examinis terroribus, studiosissime & sæpissime, immo indesinenter persuadere contendit ut uxorem suam in gratiam [b] pactam reciperet; a qua quoquo modo divelli nisi morte, aut amborum consensu intercedente nequiret; sed is diabolica præventus irremediabiliter pertinacia, monita ejus sprevit. Quem beatus Gregorius apostolica auctoritate ab ecclesia sub anathemate, nisi resipisceret, sequestravit. Quam excommunicationem idem admodum ægre ferens, & peccata peccatis accumulans, duos magos pecuniis ex placito locat, ut in sanctum Apostolicum ad vindictam ejus [c] apodixem artis suæ exercerent. Qui eum facie ignorantes, dum quadam die ad processionem ex more pergit beatus Gregorius, illi eminus secus transitum stantes sibi eum rogant insinuari. Quibus responsum est, ipsum esse qui solus pontificali dignitate equitans, præcedentem & subsequentem cuneum ecclesiasticorum virorum haberet; & intuentes eum, repente equum illius maleficiis suis a dæmonibus vexari fecerunt. Statimque beatus Gregorius invocato nomine Domini nostri Jesu Christi, & edito signo crucis, ab equo perturbavit dæmonia: respiciensque in partem, mox ut magos est contemplatus, [d] illi cæcati, & ab eisdem dæmoniis pervasi ceciderunt retrorsum. Unde intellexit vir Domini eorum id perpetratum nequitia; & cum jussisset eos ad se duci, interrogati rei ordinem prodiderunt; quibus respondit beatissimus Pontifex: *Perpetuo cæci esse debetis, ne videntes, ad consuetam perversitatem redire tentetis. In nomine autem Domini nostri Jesu Christi, operante beato Petro, liberi a vexatione dæmonum sitis.* Qui confestim a dæmonibus emundati, & credentes, fonte salutari perfusi sunt; ac permanente cæcitate damnati, jubente beato Gregorio, de cetero stipe sunt ecclesiastica aliti.

Magos cæcitate percussit.

XXVI. Ecclesiæ hostem coercet, & in melius commutat.

Sed & tyrannus quidam multam oppressionem cum pena importabili importunitate quieti ingerebat sanctæ Romanæ ecclesiæ, possessionesque eidem & mancipia pertinentes crudelissime devastabat. Qua de re beati Pontificis per internuntios admonitione conceptus, majori exarsit insania; adeo ut urbem depopulandam adiret. Cui advenienti beatus Gregorius ut colloqueretur occurrit, tantamque vim nutu divino ejus verbis inesse expertus fuit, ut cum humillima indulgentia religioso Apostolico satisfaceret, & se deinceps sibi subditum, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ devotum famulum spopondisset. Is denique postea usque ad extum infirmatus, venerandi Papæ orationem poposcit, atque in responsum accepit quod ei Dominus adhuc spatium pœnitentiæ largiretur; & ut plenius convalesceret, illis quibus nutritus fuerat cibis indulgere studeret, qui jussis obtemperans convaluit, & in reliquum devotius vixit.

XXVII. De Trajano a pœnis inferni liberato fabula.

Idem vero perfectissimus & acceptabilis Deo Sacerdos, cum quadam die per forum Trajani, quod opere mirifico constat esse extructum, [e] procederet; & insignia misericordiæ ejus conspiceret, inter quæ memorabile illud comperiret; videlicet quod cum idem orbis Princeps in expeditionem, circumvallatus militum cuneis, pergeret, ibidem obviam habuerit vetustissimam viduam, senio simulque dolore ac paupertate confectam: cujus lacrymis atque vocibus sic compellatur: *Princeps piissime Trajane, ecce hic sunt homines, qui modo mihi unicum filium, senectutis scilicet meæ baculum, & omne solatium occiderunt; meque una cum eo volentes occidere, dedignantur etiam mihi pro eo rationem aliquam reddere.* Cui ille festinato, ut res exigebat, pertransiens: *Cum rediero*, inquit, *dicito mihi, & faciam tibi omnem justitiam.* Tum illa: *Domine*, inquit, *& si tu non redieris, ego quid faciam?* Ad quam vocem substitit, & reos coram se adduci fecit. Neque, cum suggereretur a cunctis accelerare negotium, gressum a loco movit, quousque & viduæ a fisco, quod juridicis sanctionibus decretum est, persolvi pro re fecit; [f] demumque supplicationum precibus & fletibus super factis suis pœnitentes viscerali clementia flexus, non tam potestate quam precatu & lenitate vinctos, prætorialibus catenis obsolvit. Hujus rei gratia compunctus venerabilis Pontifex, cœpit lacrymosis gemitibus secum inter verba precantia, hæc siquidem prophetica & Evangelica revolvere oracula: *Tu, Domine*, dixisti: *Judicate pupillo, defendite viduam: & venite, & arguite me.* Et alibi: *Dimittite, & dimittetur vobis: ne immemor sis, quæso, peccator ego indignissimus, propter nomen gloriæ tuæ, & fidelissima promissionis tuæ, in hujus devotissimi viri facto, pietati tuæ humiliter supplico.* Perveniensque ad sepulcrum beati Petri, ibi diutius oravit, & flevit, atque veluti somno correptus in extasim est raptus: quo se per revelationem exauditum discit; & ne ulterius jam talia de quoquam sine baptismate sacro defuncto, præsumeret petere, promeruit castigari. Qua in re, licet [g] a minus perfectæ fidei & curiosis quædam valeant quæri, & plura ab his qui credunt veritati fideliter dicenti, *quæ apud homines impossibilia sunt vel videntur, facilia sunt apud Dominum*, salubriter explanari; tutius tamen videtur in hoc actu divinæ pietatis & potestatis judicium venerari, & a nemine discuti.

Isa. 1. 17.

Marc. 6. 37.

XXVIII. Spiritus sanctus sub columbæ specie Gregorio scribenda suggerit.

Denique a fideli & religioso viro, ac huic nostro Patri sanctissimo pro suæ religionis & utilitatis merito valde [h] familiarissimo, fideliter post obitum ejus nobis narratum didicimus, quod cum idem

a Ita mss. Germ. Becc. Conch. Moissac. Bollandus, *agnitio personarum*. Guss. *quia & mali & personarum magnitudo*. Fortassis quod non probarant barbaram vocem vocem *Magnatio*. Deducta videtur a *Magnate*, quasi Magnatis status & conditio.

b Boll. *in gratiam pacatam*. Guss. omisit *pacatam & pactam*, quod legitur in mss. nostris, optimo quidem sensu, quasi pactis matrimonii promissam.

c Vox Græca ἀπόδειξις, demonstratio, probatio, specimen.

d Digna Magis pœna. Sic Paulus Elymam Magum cæcitate percussit, Act. 13. 10.

e Procedere in auctoribus sacris significare solet, ad Ecclesiam solemni ritu pergere: quo sensu potest hic intelligi; nam in illa processione Gregorius pervenit ad sepulcrum beati Petri, ut ex sequentibus liquet. Consule Notas doctissimi Menardi ad librum Sacrament. ad vi. Idus Septembris, ubi legitur *ad processionem*. Ceterum quæ hic dicuntur de Trajano liberato, licet Bollando nonnullisque aliis probentur, tamquam putida fabula explodantur a Baron. ad an. 604. n. 30. & seq. & a Bellarm. lib. 2. de Purgat. c. 8. Quæ etiam rejecimus, ex indubitatis S. Greg. testimoniis in ejus vita Gallice scripta, tum l. 2. c. 7. n. 24. tum l. 3. c. 5. n. 7. & in Commentario de ejusdem vita.

f Belv. *demumque supplicantium precibus & fletibus super factis sui pœnitentiam, viscerali clementia flexus, non tantum potestate.*

g Ita restituimus ex Belvac. & Gemet. too ann. cum prius legeretur in editis, *a viris perf. fid.* quod est etiam mss. Becc. & al.

h Hic Gregorii familiaris & exceptor est Petrus Diaconus, cum quo in Dialogis colloquitur. De eo consule Mabill. seculo 1. Bened. p. 497. Hic in Belv. & Gemet. legitur, simpliciter, *narratum*, omissa voce *nobis*.

idem vas electionis et habitaculum sancti Spiritus visionem ultimam Prophetæ Ezechielis interpretaretur, obpansum velum inter ipsum & eumdem exceptorem tractatus sui, illo per intervalla prolixius reticente, idem minister ejus stilo perforaverit, & eventu per foramen conspiciens, vidit columbam nive candidiorem super ejus caput sedentem, rostrumque ipsius ori diu tenere appositum: quæ cum se ab ore ejusdem amoveret, incipiebat sanctus Pontifex loqui, & a notario graphium ceris imprimi. Cum vero reticebat sancti Spiritus organum, minister ejus oculum foramini iterum applicabat, eumque ac si in oratione levatis ad cælum manibus simul & oculis, columbæ rostrum more solito conspicabatur ore suscipere. Quod tandem eodem spiritu revelante, Pontifex sanctus cognovit, & vehementissime tristis effectus, interminatus est auctoritate apostolica miraculi divini in se perpetrati conscio, ne in vita sua id alicui quoquo modo patefaceret. Quod is interim secretum custodiens, post defunctionem sanctissimi [a] Sacerdotis compulsus quorumdam invidia, qui obtrectabant virum beatissimum, præsumtionis tumore tanta ac talia de cœlestium arcanorum mysteriis fuisse locutum, hæc ita se per omnia vidisse fideliter enarravit.

* XXIX. Post successoris mortem quam obsecravit.

Migrato namque ad Dominum sæpe dicto reverendissimo Pontifice, cum fames validissima non modo in hac civitate Romana, verum & in omnibus circa regionibus satis superque grassaretur, & is qui ei in Sede Pontificali [b] successerat, horrea Ecclesiæ ementibus frumenta aperiret, & illis quos beatus Gregorius per monasteria & xenodochia seu diaconias vel hospitalia stipendiis alendos ecclesiasticis ordinaverat claudere, cœperunt omnes famis compellente inopia, Apostolici aures inquietare, dicentes: *Domine Apostolice, quos Pater noster decessor tuus sanctus Gregorius hactenus studuit pascere, tua* [c] *Sanctitas fame non sinat perire*. Quos vociferationum clamores idem moleste ferens, respondit: *Si Gregorius ad famam suæ laudis cunctos populos curavit suscipere, nos omnes non possumus pascere*: sicque vacuos sivit abire. Quæ verba responsionis cum sæpius ad se clamantibus iterans redderet, apparuit ei in visu sanctus Gregorius tertio, illumque tertio blande increpans super sua detractione & ipsius tenacia, seu miserorum indigentia, admonuit atque corripuit. Qui nec cor ad misericordiam flexit, nec ori ab obtrectatione adhibere custodiam voluit, nec manum ad largitatem extendit. Unde illi quarto apparens beatus Gregorius horribiliter eum redarguit, & comminans, eum in capite percussit, cujus dolore vexatus paulo post defunctus est.

Hæc breviter de vita vel actibus beati Gregorii dicta sint.

Ceterum quamdiu mundi hujus orbita volvitur, ejus laudabile meritum semper accipit incrementum, quia ipsius sine dubio gloriæ adscribitur, quod hæc Romana civitas una cum sanctis Apostolis ejus precibus constare videtur, vel quia Anglorum Ecclesia nova semper sobole fœcundatur, vel quod illius doctrinis per orbem universum multi a peccatis elongati, ad Christi clementiam convertuntur, vel quod boni quique ejus suasionibus inflammati, cælestem patriam desideranter inquirunt. Qui beatissimus Pontifex postquam Sedem Romanæ & apostolicæ Ecclesiæ annis tredecim, mensibus sex, & diebus decem gloriosissime rexit, ex hac luce subtractus, atque ad æternam regni cælestis Sedem translatus est. Sepultus vero est in Ecclesia beati Petri Apostoli ante secretarium, quarto iduum Martiarum, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto, vivit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Ex eodem Paulo Diacono.

In pestilentiæ calamitate beatissimus Gregorius, qui tunc Levita erat, a cunctis generaliter Papa electus est. Qui dum septiformem Litaniam ordinasset, intra unius horæ spatium, dum populi Deum precarentur, octoginta ex eis subito ad terram corruentes, spiritum exhalaverunt. Septiformis autem Litania ideo dicta est, quia totius Urbis populus a beato Gregorio in septem partes Deum deprecaturus, divisus est. In primo namque choro fuit omnis clerus: in secundo omnes Abbates cum Monachis suis: in tertio omnes Abbatissæ cum congregationibus suis: in quarto omnes infantes: in quinto omnes viri laici: in sexto omnes viduæ: & in septimo omnes mulieres conjugatæ. Ideo autem de beato Gregorio plura dicere omittimus, quia jam ante aliquot annos ejus vitam, Deo auxiliante, contexuimus, in qua, quæ dicenda fuerant, juxta tenuitatis nostræ vires, universa descripsimus. Lib. 3. c. 24. hist. Long.

Ex eodem.

Hoc eodem tempore idem beatus Gregorius Augustinum, & Mellitum, & Johannem cum aliis pluribus Monachis timentibus Deum, in Britanniam misit: eorumque prædicatione Anglos ad Christum convertit.

Ex eodem.

Iisdem diebus sapientissimus, ac beatissimus Papa Gregorius Romanæ urbis Episcopus, post alia multa, quæ ad utilitatem sanctæ Ecclesiæ scripserat, etiam libros quatuor de vitis Sanctorum composuit: quem codicem Dialogum, quia eum, colloquens cum suo diacono Petro, ediderat, appellavit. Hos autem libros præfatus Papa Theodelindæ Reginæ misit: utpote quam sciebat, & Christi fidei deditam, & in bonis actibus esse præcipuam. Per hanc quoque Reginam multum utilitatis Ecclesia Dei consecuta est; nam pene omnes Ecclesiarum sublimitates Langobardi, cum adhuc gentilitatis errore tenerentur, invaserunt: sed ejus salubri supplicatione Rex permotus, & catholicam fidem tenuit, & multas possessiones Ecclesiæ largitus est: atque Episcopos, qui in depressione & abjectione erant, ad dignitatem & honorem reduxit. Lib. 4. c. 5.

Ibidem.

a Sacerdotes dicti olim non quilibet Presbyteri, sed Episcopi, qui civitatibus præerant: qui vero in vicis & oppidis, sacris præficiebantur, hi appellabantur Presbyteri; eodem pene modo quo, ut observavit doctissimus J. Sirmondus ad Apollinarem Sidon. l. 5. Ep. 7. Romana Rep. idolis adhuc serviente, Flamines in municipiis erant, in provinciis autem Sacerdotes. Laudat hic Sirmondus Pacatum in Panegyrico, & Novel. Martiani IV. *ut Flamini municipali Sacerdoti provinciæ liceret habere uxorem ancillam.*

b Sabinianus is erat.

c Titulus hic honoris, nunc soli Papæ delatus, olim concedebatur non solum aliis Episcopis, sed etiam Presbyteris, immo & ipsis Diaconis. Ennodius l. 5. Ep. 13. Hormisdæ qui erat tantum Diaconus scribit: *novit opt imo Sanctitas vestra.*

Ibidem.

Rex autem Agilulfus, extincto Mauritione, Ticinum repedavit. Nec multo post suggerente maxime Theodelinda Regina conjuge ejus, sicut eam beatus Gregorius suis Epistolis sæpius admonuerat, cum eodem viro sanctissimo Papa Gregorio, atque Romanis pacem firmissimam pepigit.

Ibidem.

Tunc beatus Gregorius Papa migravit ad A Christum; cum jam Phocas per indictionem [a] octavam anno regnaret secundo. Cujus in locum ad Apostolatus officium Sabinianus est ordinatus. Fuit autem hyems frigida nimis; & mortuæ sunt vites pene in omnibus locis. Messes quoque percussæ uredine passim evanuere. Debuit etenim mundus famem sitimque pati: quando, decedente tanto doctore, animas hominum spiritalis alimoniæ penuria, sitisque ariditas invasit.

a Legendum, *septimam*. Phocas regnare cœpit Indict. VI. cujus proinde annus secundus respondet Indictioni VII. Deinde constat S. Gregorium cœpisse regere Ecclesiam Indict. IX. rexisseque per tredecim annos & sex menses, ac migrasse in cælum mense Martio, currente Indict. VII.





SANCTI GREGORII PAPÆ VITA

a JOHANNE DIACONO ſcripta Libris quatuor.

JOHANNIS DIACONI CARMEN
AD JOHANNEM PAPAM VIII.

SUſcipe Romuleos, Paſtor venerande, triumphos,
Gregorii ſancti ſuſcipe geſta tui.
Qui nituit factis, verbis, ſcriptiſque beatis,
Ut jubar auricomi ſolis in orbe cluit.
Forma, decus, ſpeculum tibi ſit, vis, vita per ævum,
Si cupis æternum ferre ſacerdotium.
Nam qui non hujus ſequitur veſtigia Præſul,
Ante Deum Præſul non erit, imo pecus.
Hinc Pſalmiſta canit hominem ſimilare caballis
Ignavum ſtultis, qui ſub honore perit.
Nocturnum dedimus Sancto cantumque diurnum,
Carminibus clarum concinimuſque virum.
Redde vicem, Scriptor, [a] ſervans cola, commata, puncta,
Ne tua mendoſum pagina ſervet opus.
[b] Ludere me libuit variabilis ordine campi,
Poſtquam Proſa fugit, Muſa jocoſa redit.
Hæc mihi tu tribuis, Doctor pretioſe GREGORI,
Qui bona das famulis, ſed mala nulla tuis.
Veſtitus cœpi, nudus tua munia dixi,
Indue me factis, velleribuſque tuis.
Et quia mortalis deſunt commercia carnis,
Da mihi ſub pedibus poſſe jacere tuis.

a Ita codd. Bigot. Turon. ſeu ſancti Mar. tini, & alii. In edit. Mabil. *reddens cola, commata, puncta*.

b Hi octo Verſus ultimi ommittuntur in mſ. ſancti Martini Turon. Deſunt omnia carmina in ed. Guſſanv. & aliis præter Mabil.

a [a] PRÆFATIO.

Beatiſſimo ac feliciſſimo Domno Johanni, ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ Præſuli, Johannes ultimus Levitarum.

b NUPER ad vigilias beati Gregorii, [b] Romani Pontificis, Anglorum gentis Apoſtoli, lectione de Paulino civitatis Nolanæ Præſule conſuetudinaliter perſonante, viſus es a venerabilibus Epiſcopis, divino quodam inſtinctu commotus, requirere cur tantus Pontifex, qui multorum Sanctorum vitas texuerat, geſtis propriis in propria dumtaxat Eccleſia caruiſſet; præſertim cum & apud Saxones, & apud Langobardorum ſibi prorſus infenſiſſimam gentem, geſtis propriis ubique polleret. Cumque venerabiles Epiſcopi has ab utriſque gentibus haberi quidem, ſed compendioſiſſime, reſponderent: meam quoque parvitatem conſciſcens, præceperas ut vitam ipſius de ſcrinio ſanctæ Sedis apoſtolicæ, tanto plenius, quanto & certius carpere ſtuduiſſem. Sed dum ego propriæ inertiæ conſcius, me meis prioribus, ac per hoc ſapientioribus, qui vitam eius, licet breviter, tamen pio conatu, pulcherrimoque ſtilo deſcripſerant, conferre penitus dubitarem; identidem iubendo vehementer hortatus es, ut Romanæ Sedis Pontificem, eiuſdem Sedis Præſulis auctoritate deſcriberem, cui Deus omnipotens probandorum, ſeu repellendorum ſcriptorum omnium ſpecialem dederit procul dubio poteſtatem. Itaque tam imperioſis auctoritatibus tandem compulſus, vix primum librum Gregorianæ vitæ compleveram, quando hunc in ejuſdem vigiliis annua vertigine revolutis, tua probavit pariter, ac publi- Sancti Pontificis in approbandis, aut reprobandis libris auctoritas.

a Bigot. *in nom. S. & ind. Trin. incipit Prologus, &c.*

b Abeſt *Romani* a Colb. Bigot. Gemet. et Andegav. ſancti Albini.

blicavit auctoritas. Ergo sollicitior factus ad cetera, pauca de multis, te incentore, te præceptore, te fautore, teque judice, colligens, in libris quatuor, auxiliante Domino, coarctavi: & secundum distributionem ejusdem Doctoris, qua librum Regulæ pastoralis quadripartita ratione distinxerat, ego quoque illum, qualiter ad culmen regiminis venerit, in primo hujus operis libro perhibui: & ad hoc rite perveniens, qualiter vixerit, in secundo disserui: & bene vivens, qualiter docuerit, in tertio designavi: & [a] recte docens, infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoverit, in quarto conclusi. Neque magnopere tempora temporibus contuli, sed rebus similibus [b] similia coaptavi: quoniam revera non tantum quando fecisset, sed quantum fecisset, sollicitus deflorare curavi. In quibus quamquam multa & varia memoratu digna [c] studio brevitatis omiserim, nihil memini me posuisse, quod scriptorum veterum nequeat auctoritate defendi, exceptis illis miraculis, quæ nostris temporibus facta [d], multis adhuc superstitibus, vivis vocibus celebrantur. Si cui tamen, ut assolet, visum fuerit aliter, ad plenitudinem scrinii vestri recurrens, tot charticios libros epistolarum ejusdem Patris, quot annos probatur vixisse, revolvat. Et quia quædam illarum, vario tempore destinatæ, varietatem sensuum retinent: eædemque nonnullis integræ, quibusdam vero parte aliqua diminutæ pro personarum, locorum, sive temporum dispensatione videntur, finetenus relegendo conspiciat: sicque demum lucidam veritatem cognoscens, me aut cum amasiis defendat, aut cum ausoribus arguat; quamquam in eo quod tuo judicio placeo, cunctis veritatem tuentibus me perpetuo placiturum fore præsumam. Peto igitur ut sicut tuis jussionibus humiliter parui, sic beati Gregorii precibus, & in hoc seculo ab æmulorum insidiis, & in futuro a peccatorum nexibus merear misericorditer liberari per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen. [e]

Operis distributio.

Temporis ratio neglecta.

Ex Gregor. epistolis contexta hæc vita.

a Gemetic. *perfecte docens*.
b In Gemet. & Bigot. deest *similia*.
c Andegav. *studia veritatis*.
d Edit. *multorum adhuc superstitum*. Sequimur mss. omnium consensum.

e Post Præfat. in Bigot. legitur:

Gregorii Papæ fiet hinc descriptio vitæ,

Nobilitas generis cujus promittitur istic.

CAPITULA LIBER PRIMI.

a Ita mss. omnes: cujus tituli loco pler. editi habent: *De nomine quod is habuit conveniens studiis*. Deest index in Bigot. & Utic.
b Gemet. *ubi Prætor urb.* Ita etiam in Regio, Colbertino, Andegavensi, & Turon. quæ vox, *ubi*, in quinque laudatis mss. inchoat omnes titulos.

c Editi *fugitivus*, melius mss. *fugiturus*; neque enim fugit Monachus, sed fugere proponebat.
d Gemet. *pro peculari* Andeg. & Turon. *pro peculiari*. Non legitur, re, in ullo ex mss. nostris, præterquam in Regio, ubi reperitur inter lineas.

SANCTI GREGORII PAPÆ VITA,

LIBER PRIMUS.

Quâ ratione, quibusve virtutibus ad Pontificatum ascenderit, cumulate differitur.

CAP. I. De genere beati Gregorii. *Beda lib. 2 cap. 1. histor. Angl.* *Greg. Tur. lib. 10. hist.* *Lib. 3. cap. 37. & lib. 4. Dial. c. 16. Hom. 38. in Evang.*

GREGORIUS, genere Romanus, arte Philosophus, [a] Gordiani, viri clarissimi, & beatæ Silviæ filius, præfuit [b] Romanæ Sedi annis tredecim, mensibus sex, diebus decem, [c] temporibus Tiberii Mauricii, & Phocæ Augustorum. Iste senatoria stirpe progenitus, tam nobilissimam, quam etiam religiosissimam genealogiam duxit, itaut [d] quartus Felix Sedis apostolicæ Pontifex, vir magnæ in Christi Ecclesia reverentiæ, qui basilicam sanctorum Cosmæ & Damiani martyrum via sacra juxta templum Romuli, sicut hactenus cernitur, venustissime fabricavit, ejus atavus fuerit, & beata virgo Tharsilla, quæ moritura [e] promissionis cælestis audivit harmoniam, & Jesum Christum ad se recipiendam videre meruit, amita nihilominus ejus extiterit.

II. De nomine quod is habuit conveniens vitæ studiis.

Quam Gregorius geminæ nobilitatis lineam piis moribus extulit, probis actibus exornavit, adeo ut præsagio quodam Græce Γρηγόριος, quod Latine vigilantius resonat, vocaretur. Nam recta, quæ docturus erat, dum vivis operibus adimplevit, sibimet ipsi utique se vigilasse perdocuit: dum vero recta, quæ faciebat, docendo quoque disseruit, vigilasse dignoscitur, non solum [f] sui sed etiam futuri temporis Christianis.

III. De institutione ejus.

Si quidem inerant ei, [g] cum acerba ætate, matura jam studia; & auditurus incognita, religiosis [h] senibus indagator solertissimus adhærebat: sumtaque doctrinæ semina, tenaci memoriæ ruminanda, quæ post in populos mellito declamaret gutture, congerebat. Denique [i] docilis adolescens, cum transmisso communiter stilo surgentis infantiæ, ad bivium Pythagoricæ litteræ pervenisset, incunctanter sinistrum ramum cum sæculi voluptate relinquere, & ad dextrum cœpit cum cælesti desiderio totis viribus anhelare.

IV. Prætor urbanus exprimitur.

Sed, dum conversionis suæ gratiam longius protrahens, tutius se Christo famulaturum putaret, si sub Prætoris urbani habitu mundo specietenus serviret, cœperunt [k] multa contra eum ex ejusdem sæculi cura succrescere; itaut non jam, sicut proposuerat, specie, sed in eo retineretur & mente.

V. Sex monasteria in Sicilia fecit.

Tandem patre orbatus, ubi liberam disponendarum rerum suarum nactus est facultatem, sex monasteria in Sicilia fabricans, sufficientibus fratribus cumulavit: quibus tantum prædiorum contulit, quantum posset ad victum quotidianum Deo illic militantium sine indigentia suffragari. *Gregor. Tur. lib. 10. histor. cap. 1.*

VI. Sub Abbatibus in suæ domus monasterio militans, post modum Abbas efficitur.

B Septimum, intra Romanæ urbis mœnia, sub honore sancti Andreæ Apostoli, juxta basilicam sanctorum Johannis & Pauli ad clivum Scauri, monasterium in proprio domate fabricavit. In quo, relictis sericis, auro gemmisque radiantibus togis, simulque supellectilibus reliquis in usum pauperum [l] prærogatis, ex hujus mundi naufragio nudus evasit: diuque desideratum monachicum capiens indumentum, primo [m] sub Hilarionis, deinde sub Maximiani, venerabilium patrum, regimine, multis sibi sociatis fratribus regulari tramite militavit. Post vero cum subesse mallet, fratrum votiva concordia imminente, præesse non renuit, sicut in consequentibus apparebit.

VII. Paschali Sabbato jejunare non valet. *Lib. 3. Dialog. cap. 33.*

C Erat ei abstinentia tanta ciborum, sedulitas orationum & jejuniorum, studiositas tam desiderata sacrorum [n] librorum, ut infirmato stomacho lacessitus vix subsistere proculdubio videretur. Nam cum quodam tempore incisionem vitalium, quam Græci συγκοπὴν, dicunt, pateretur, crebrisque angustiis per horarum [o] momenta ad exitum propinquaret, ac nisi eum fratres frequenter cibo reficerent, vitalis ei spiritus funditus intercipi videretur, paschalis supervenit dies. Et dum sacratissimo Sabbato, in quo omnes, etiam parvuli pueri jejunant, ipse jejunare non posset: cœpit plus mœrore, quam infirmitate deficere.

VIII. A Domino jejunandi fortitudinem impetrat.

Mox accersito viro sanctissimo Eleutherio, dudum penes Spoletum multis Præposito, tunc vero D ejusdem sui monasterii Monacho, a quo videlicet audierat mortuum fuisse suscitatum, oratorium petiit, sesque cum lacrymis, ut saltem die illo ad jejunandum sibi virtus daretur, in orationem dedit. Et post paululum, completa oratione, digressus, tantam virtutem suum stomachum percepisse cognovit, ut ei cibus, & morbus de memoria funditus tolleretur. Cœpit secum mirari, quis esset, quis fuerit; & cum ad animum redibat infirmitas, nihil in se ex his, quæ meminerat, recognoscere prævalebat. Cumque in dispositione monasterii occupata mens esset, obliviscebatur funditus ægritudinis suæ. Si vero rediret ægritudo ad memoriam, cum tam fortem se esse sentiret, mirabatur, si non co-

a Io Turon. semper *Gorgiani*.
b In eodem deest *Rom. Sedi*, necnon in Reg. Utic. & Gemet. In Bigot. est additum: In Andeg. & in Colb. legitur *Rom. Ecclesiæ*.
c In excusis *Tiberii, Mauricii*. Certe Tiberii Augusti tempus ad Gregorii Pontificatum non pertinet; quippe qui non incœperit nisi Mauricio imperante; at Tiberius etiam vocabatur.
d *Imo Tertius Felix, ut dictum supra*, (ad vitam a Paulo Diacono scriptam) *& ad ejus vitam 25. Februarii*. Bolland. qui sequitur Baron. in Martyrol. ad 25. Februar. & Tom. 7. annal. ad ann. 581. De his in Commentario de Vita sancti Gregorii disseruimus.
e In Bigot. superscribitur *processionis cal.* haud dubie quia Christus ei obviam processit.
f Editi *non solum sibi*. Præferenda nostra lectio quæ est mss. Reg. Turon. Gemet. Bigot.

E g Editi, *in tenera ætate*, reluctantibus mss. Hic *acerba*, idem est ac *immatura*, ut Jerem. 31. 29. 30. & Ezech. 18. 2. dicitur *uva acerba*.
h Turon. & Andeg. *sensibus*.
i Utic. Big. Andeg. Gemet. & Reg. *docibilis*.
k Ita mss. & Boll. Alii edit. *multa contra eum ejusdem secul. cura*.
l Hoc est, *prius erogatis*.
m Baron. ad an. 581. n. 8. contendit S. Gregorium habuisse institutorem solum Valentium seu Valentioum, cui, expuncto Hilarione, successerunt Maximianus, Pretiosus, & Probus. Hæc in ejusdem vita retellimus. Admonet Bollandus, hic legi *Laurionis*, in duobus mss. censetque legendum *Valentionis*.
n Ita in Reg. Colb. in omnibus editis.
o Vulgati cum Colb. invitis cet. mss. *momenta deficeret, & ad exitum*.

comedisset. Qui veniens ad vesperum, cognovit sibi tantam fortitudinem permanere, ut ad diem alterum jejunium transferre potuisset [a]. Verum, quamquam pene quotidiano languore tabesceret, nullam tamen corpori suo cupiebat commodare quietem, quo minus aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut dictaret.

IX. Mater Silvia ei consuetudinaliter legumina mandat.

In hujus sacri monasterii penetralibus idem vir omnipotentis Dei Gregorius, a matre Silvia tunc temporis juxta portam beati Pauli Apostoli, loco qui dicitur Cella nova, quo hactenus oratorium nomini ejus dedicatum est, & famosum sancti Sabæ confessoris Christi [b] monasterium, cujus laus in sexta & septima Synodo constitutum videtur, degente, crudis leguminibus pascebatur.

X. Duabus vicibus ab Angelo Dei tentatur, tertia vero liberalissimus comprobatur. Inf. lib. 2. c. 23.

Ubi hunc de more quædam scribentem, Angelus Dei reperiens, misereri sibi flebiliter sub habitu naufragi postulabat. Cui Gregorius ex intimo corde compatiens, bis ternis [c] numismatibus datis, abire præcepit. Nec multo post, eadem die idem naufragus rediit, seque multa perdidisse, pauca vero suscepisse perhibuit. A quo, pari modo senis numismatibus sumtis, lætabundus abscessit. Sed die tertia rediens, identidem adjutorium naufragus importunis vocibus requirebat. Cui liberalissimus pater, accersito Vestiario, alia sex numismata dari præcipiens, cognovit in vestiario nihil numismatum unde posset consolari naufragum, remansisse. Quid faceret nesciebat. Æstuabat Deo devoti pectoris pietas, non sufferens vacuam proximi reliquisse miseriam. Rursus Vestiarium suum, si forte vas quodlibet aut vestimentum haberet, interrogans, audivit nil penitus remansisse præter matris argenteam, quæ cum infusis leguminibus mitti solita erat, scutellam. Mox alacrior factus, Ergo, inquit, frater, hanc defer; ne tristis abeat, qui consolari quærit, pauper. Itaque delatam scutellam, Gregorio satis hilariter largiente, pauper, qui putabatur, lætus amplectitur, non jam ad expetenda, sed ad conferenda suffragia rediturus. A quo videlicet angelicæ visitationis tempore tantis miraculis, tantis est virtutibus publicatus, ut omnibus secum viventibus, & exemplo fuerit, & terrori: quippe qui non solus, sed socialiter cum beato Andrea Apostolo, suo monasterio, signis evidentibus, sit præfuisse putatus.

XI. Frater furtum faciens, a dæmonio vexatur, & a Gregorio liberatur.

Nam ut pauca de multis loquar, quadam die duos exinde fratres misit, qui aliquid emere pro ejusdem monasterii utilitate debuissent: unus junior, qui prudentior videbatur: alter senior, qui custos junioris esset. Perrexerunt utrique; & de pretio, quod acceperunt, ipse qui custos [d] missus fuerat, nesciente altero, furtum fecit. Qui mox ut in monasterium sunt reversi, atque ante oratorii limen venerunt, arreptus a dæmonio is qui furtum fecerat, cecidit. Dimissus autem a dæmonio is, concurrentibus Monachis, Abbatis jussu requisitus est [e] ne forte de eo, quod acceperat, furtum fecisset. Negavit, & iterum vexatus est. Dimissus, atque iterum requisitus, negavit, atque iterum vexatus est. Octo itaque vicibus negavit, octo vicibus vexatus est. Post octavam vero negationem, Gregorio interrogante, confessus est [f] quod nummos furto abstulerat: eique prostratus se peccasse testatus est, perceptaque pœnitentia, ulterius ad eum dæmonium non accessit.

XII. Fornicarius frater cæcatur, & a nigri canis morsibus liberatus.

Alio quoque tempore, dum in die natalitio ejusdem Apostoli jam meridianis horis fratres quiescerent, subito quidam frater apertis oculis cæcatus, cœpit tremere, voces ingentes emittere, quibus vocibus testabatur ferre se non posse quod patiebatur. Concurrerunt fratres, viderunt cæcum apertis oculis trementem & clamantem, & a præsentibus alienum, nihilque quod foris agi poterat, sentientem. Hunc in manibus levarunt, atque ante altare sancti Andreæ Apostoli, jussu Gregorii projecerunt, ipsique pro eo in orationem prostrati sunt. Qui statim ad se reversus, confessus est quia senex quidam ei apparuit, & canem nigrum ad eum dilacerandum dimisit, dicens: Quare fugere voluisti de monasterio isto? Cumque evadere de canis morsibus nullo modo potuissem: venerunt quidam Monachi, & eumdem senem pro me rogaverunt, qui statim jussit canem abscedere: & ipse ad me reversus sum. Hic etiam sæpe confessus est postea, dicens quod eo die, quo ista pertulerat, consilium habuerit de monasterio fugiendi.

XIII. Frater fugam molitus, a dæmone corripitur, & a Gregorio liberatur.

Alius quoque Monachus discedere ex eodem monasterio latenter voluit; cumque hoc mente tractasset oratorium ingredi voluit, sed dæmone corripiente nequivit. Relinquebatur a dæmone, quamdiu extra oratorium stabat; si ingredi conabatur, statim maligno spiritui traditus, vexabatur. Hoc dum sæpius fieret; tandem, Gregorio inquirente, se de monasterio fugere voluisse confessus est: ejusque per triduum simul cum fratrum precibus ita pietate divina curatus est, ut ad eum postmodum malignus spiritus numquam accedere tentavisset.

XIV. Fratrum latebræ immobilitate caballorum cognoscuntur.

Alio quoque tempore duo fratres ex ejusdem patris monasterio fugerunt: qui aliqua prius colloquendo fratribus signa dederant, quod [g] per Appiam descendentes, Jerosolymam tenderent. Hi exeuntes diverterunt de itinere, & ut a sequentibus inveniri minime possent, retrusas cryptas juxta Flaminiam portam invenientes, in eis se occultaverunt. Cum vero vespertinis horis jussu Gregorii requisiti, minime in congregatione inventi fuissent, ascensis caballis, eos quidam fratres secuti sunt, per [h] Metronii portam exeuntes, ut eos in Latinam vel Appiam viam sequerentur: subito eis consilium ortum est, ut eos in Salariam viam extra civitatem requirere debuissent. Igitur pergentes deflexerunt iter: & in Salaria eos veteri non invenientes, per portam Flaminiam decreverunt redire. Cumque reverterentur, mox ut equi ante cryptas illas venerunt in quibus se Monachi absconderant, fixerunt gradum: pulsati & compulsi, passum movere noluerunt. Consideraverunt equites rem talem sine mysterio esse non posse: attenderunt ad cryptas, viderunt earum aditus missa maceria prædamnatos: sed caballis suis nusquam ire volentibus, descenderunt, & lapides qui in ora cryptarum compositi fuerant, deponentes, ingressi sunt, eosque in eisdem tenebrosis latibulis consternatos terræ invenerunt. Qui ad monasterium reducti, tam stupore miraculi, quam exhortatione

 ve-

a Additur in edit. *si voluisset*, quod ab omnibus mss. nostris abest.
b In quatuor mss. non legitur, *Monasterium*.
c Mss. plerique hic & infra semper *nomismatibus*, *nomismata*.
d Bigot. Reg. Colb. & Gemet. *custos junioris*.
e Editi, *an forte*, reluctantibus omnibus mss. nostris.
f Utic. & nonnulli mss. *quot nummos*.
g Ita simpliciter mss. Addiderunt, *viam*, editores; quæ vox satis subintelligitur.
h Utic. & Bigot. *Metrovi*, Andeg. *Metroni*. Boll. cum Reg. & Colb. *Metrovis*.

venerabilis Patris Gregorii sic meliorati sunt, ut eis multum profuerit ad parvum temporis de monasterio recessisse.

XV. *Frater Justus pro re peculiari severiter in morte punitur. Lib. 4. Dialog. c. 55.*

Alió quoque tempore quidam Monachus, Justus nomine, medicinæ arte imbutus, beato Gregorio sedule obsequi, atque in assiduis ægritudinibus ejus excubare consueverat. Hic itaque corporis languore præventus, ad extrema deductus est: cui in ipsa molestia frater germanus, Copiosus nomine, serviebat. Sed prædictus Justus cum jam se ad extrema pervenisse cognosceret, eidem Copioso fratri suo, quia occultos tres aureos haberet, innotuit. Quod nimirum fratribus celari non potuit: qui subtiliter indagantes, atque illius medicamenta omnia perscrutantes, eosdem tres aureos invenerunt in medicamine absconditos. Quod mox ubi Gregorio nuntiatum est, tantum malum de fratre, qui secum communiter vixerat, æquanimiter ferre non valuit: quippe quia eidem monasterio jam dudum regulam constituerat, ut cuncti fratres ita communiter viverent, quatenus eis singulis nulla habere propria liceret. Tunc Gregorius nimio mœrore [a] percussus, cogitare cœpit, vel quid ad purgationem morientis faceret, vel quid ad exemplum viventibus provideret. Pretioso igitur ejusdem monasterii Præposito ad se accersito, dixit: „ Vide ut nullus ex fratribus se ad eum morientem jungat, nec sermonem consolationis ex cujuslibet eorum ore percipiat: sed cum in morte constitutus fratres exquisierit, ei suus frater carnalis dicat, quia [b] pro solidis quos occulte habuit, a cunctis fratribus abominatus sit: ut saltem in morte de culpa sua mentem illius amaritudo transverberet, atque a peccato quod perpetravit, purget. Cum vero mortuus fuerit, corpus illius cum fratrum corporibus non ponatur: sed quolibet in sterquilinio fossam facite, [c] & in ea corpus proiicite, ibique super eum tres aureos quos reliquit, jactate, simul omnes clamantes: Pecunia tua tecum sit in perditionem: & sic eum terra cooperite. In quibus utrisque rebus solertissimus Pater Gregorius unam morienti, alteram vero viventibus prodesse voluit: ut & illum amaritudo mortis a culpa solubilem faceret, & istos, avaritiæ tanta damnatio [d] misceri talibus prohiberet, atque a culpa prohiberet. Quod ita factum est. Nam cum idem Monachus pervenisset ad mortem, atque anxie se quæreret fratribus commendari, nullusque fratrum ei applicari, vel loqui tentaret: ei carnalis frater, cur ab omnibus esset abominatus, aperuit. Ille protinus ut audivit, de reatu suo vehementer ingemuit, atque in ipsa tristitia e corpore exivit. Qui ita est sepultus, ut Gregorius jusserat. Sed fratres omnes eadem ejus sententia conturbati, cœperunt singuli extrema quæque & vilia, & quæ eis regulariter semper habere licuerat, ad medium proferre: vehementerque formidare, ne quid apud se esset unde reprehendi potuissent.

XVI. *Ejus anima de inferni cruciatibus liberatur. Lib. 4. Dial. c. 55.*

Cum vero post mortem fratris triginta jam essent dies evoluti, cœpit animus Gregorii misericorditer ei compati, ejusque cum gravi mœrore supplicia pensare: & si quod esset ereptionis ejus remedium, quærere. Tunc evocato ad se eodem Pretioso, monasterii sui Præposito, tristis dixit: „ Diu est quod frater Justus, qui defunctus est, in igne cruciatur; debemus ei aliquid caritatis impendere, & ei, inquantum possumus, ut eripiatur, adjutorium commodare. Vade itaque, & ab hodierna die continuis triginta diebus offerre pro eo sacrificium stude: ut nullus omnino prætermittatur dies quo pro absolutione illius salutaris hostia [e] non mactetur. Qui protinus abscessit, & dictis paruit. Gregorio autem curante, atque evolutos dies minime numerante, idem frater qui defunctus fuerat, nocte quadam fratri suo [f] Copioso per visionem apparuit. Quem ille cum vidisset, inquisivit, dicens: Quid est frater? Quomodo es? Cui ipse respondit: Nunc usque male fui, sed jam modo bene sum: quia hodie communionem recepi. Quod idem Copiosus pergens protinus in monasterio fratribus indicavit. Fratres vero sollicite computaverunt dies, & ipsum diem fuisse invenerunt, quo pro eo trigesima oblatio fuerat completa: cum & Copiosus nesciret, quid pro eo fratres, auctore Gregorio, agerent, & fratres ignorarent quid de eo Copiosus vidisset: uno eodemque tempore dum agnoscit ille oblationem, illi audiunt somnium, trigesimumque diem cognoscunt: concordante simul visione & sacrificio, res aperte claruit, quia frater quem sub animadversione sententiæ Gregorius mori permiserat, per salutarem hostiam a supplicio liberarat.

XVII. *Dimissis peccatis Antonius mori jubetur. Lib. 4. Dial. cap. 47.*

Sed quia idem venerabilis Pater, quemadmodum fratribus terrori fuerit, ex parte jam tetigi, qualiter ejus exemplis iidem profecerint, breviter indicandum putavi. Frater quidam in eodem monasterio, nomine Antonius, beato Gregorio sedulus adhærebat: qui tanti Patris verbis, exemplisque commonitus, multis quotidianisque lacrymis ad gaudia patriæ cælestis anhelabat. Cumque studiosissime cum magno fervore desiderii, duce Gregorio, sacra eloquia scrutaretur, non in eis verba scientiæ, sed fletum compunctionis inquirebat, quatenus per hæc incitata mens ejus inardesceret, & ima deserens [g] ad contemplationem patriæ cælestis pervolaret. Huic per nocturnam visionem dictum est: Paratus esto: & quia [h] Dominus jussit, migra. Cumque ille non habere se sumtus ad migrandum diceret; responsum protinus audivit, dicens: si de peccatis tuis agitur, dimissa sunt. Quod cum semel audisset, & magno adhuc metu trepidaret: nocte quoque alia in eisdem est verbis admonitus. Post quinque vero dies febre correptus, cunctis fratribus orantibus, flentibusque defungitur.

XVIII. *Gerontius cum quibusdam fratribus se asserit moriturum. Dialog. lib. 4. cap. 26.*

In eodem monasterio frater quidam Gerontius dicebatur, qui dum gravi molestia corporis fuisset depressus, in visione nocturna albatos viros, & clari omnimodo habitus in hoc ipsum monasterium descendere de superioribus aspexit. Qui dum coram lecto jacentis assisterent, unus eorum dixit: Ad hoc venimus, ut de monasterio Gregorii quosdam fratres in militiam mittamus; atque alteri præcipiens, adjunxit: Scribe Marcellum, Valentinianum,

a Utic. Bigot. Gemet. Andeg. Colb *compulsus*.

b Excusi, *quia propter aureos quos occultatos habuit*.

c Bigot. Utic. Andegav. Reg. Colb. Gemet. *ibique super eum tres aureos, &c.* omissis, *& in ea corpus projicite*. Ceterum simile factum narrat Hieronymus laudatus in nota, c. ad Epist. 24. lib. 12

d Excusi plerique, *terreret, atque a culpa prohiberet*. Bollandus nostris mss. quos sequimur, concinit. In Reg. & Colb. omittitur *atque a culp. prohib.*

e Ita cum mss. omnibus Bolland. ubi alii editi habent non offeratur. Porro qui hic dicitur monasterii Præpositus, appellatur *οἰκονόμος*, in Dialogis a Zacharia Græce translatis. Observa hic originem 30. Missarum pro defunctis.

f In Turon. & Utic. qui hic dicitur *Copiosus*, appellatur *Speciosus*: prius tamen legitur *Copiosus*, in iisdem codd.

g Ita cum omnibus mss. nostris Boll. In al. edit. *ad regionem patriæ cælestis, per contemplationem pervol.*

h Editi, *quia Dominus jussit migrare te*.

num, Agnellum, atque alios, quorum [a] cognitionem ego non habeo. Quibus expletis addidit, dicens: Scribe & hunc ipsum qui nos aspicit. Ex qua visione Gerontius certus effectus, facto mane, innotuit fratribus, quot & qui essent ex eodem monasterio morituri, seque illos continuo secuturum. Cum die alio prædicti fratres mori cœperunt, atque sub eodem ordine se in mortem secuti sunt, quo fuerant in descriptione nominati, ad extremum vero & ipse obiit, qui eosdem fratres morituros prævidit.

XIX. Frater Merulus albis floribus, se somniat coronatum. *Dialog lib. 4. cap. 47*

Alius etiam frater in eodem monasterio Merulus dicebatur, vehementer lacrymis atque eleemosynis, ex Gregorii viri venerabilis doctrina, intentus: psalmodia vero ex ore illius pene nullo tempore cessare consueverat, excepto cum aut alimentum corpori, aut membra dedisset sopori. Huic nocturna visione apparuit quod ex albis floribus corona de cælo in caput illius descendebat, qui mox molestia corporis occupatus, cum magna securitate animi atque hilaritate defunctus est. Ad cujus sepulcrum, dum post annos quatuordecim, Petrus qui Pontificatus istius Gregorii tempore monasterio eidem præfuit, sibi sepulturam facere voluisset, tanta de eodem sepulcro fratris Meruli fragrantia suavitatis emanavit, ac si illic florum omnium fuissent odoramenta congesta. Ex qua re manifeste patuit, quia verum fuit quod per nocturnam visionem tanti Patris discipulus vidit.

XX. Johannes ab Apostolo sanatus a defuncto vocatur.

Alius quoque in eodem monasterio Johannes dictus est, magnæ indolis adolescens [b] qui ætatem suam intellectus & humilitatis dulcedine, & gravitate morum imminente Gregorio transcendebat. Huic ægrotanti, atque ad extremum deducto, per nocturnam visionem sub habitu senis beatus Apostolus Andreas apparuit, & hunc virga tetigit, eique dixit: Surge; ex hac enim molestia modo minime morieris, sed paratus esto: quia longum tempus hic facturus non eris. Qui dum jam esset a medicis desperatus, repente sanatus est atque convaluit. Rem quam viderat, narravit, seque per biennium in Dei servitio, sicut prædixi, ultra ætatis suæ annos exhibuit. Evolutis autem duobus annis, cum quidam frater fuisset mortuus, atque in monasterii ejusdem cœmeterio a Gregorio fratribusque sepultus, cunctis inde discedentibus, idem Johannes, sicut postmodum pallens & tremens Gregorio & fratribus indicavit, solus inventus, ab eodem fratre qui sepultus fuerat, de sepulcro vocatus est. Quod mox etiam subsequens finis ostendit. Nam post dies decem [c] correptus febribus, moriendo vocantem sequutus est. Verum quia longum est, & multa restant quæ de hujus viri sanctimonia certis possunt attestationibus prædicari, quæ etiam ex relatione majorum, scriptisve priorum comperérim, his inserenda decrevi.

XXI. De venalibus Anglorum pueris percontatur. *Bed. lib. 2. c. 1. Histor. Angl.*

Quadam die, cum advenientibus nuper negotiatoribus, multa venalia in foro Romanæ urbis fuissent proposita, multique ad emendum undique confluxissent, contigit & Gregorium virum Deo dignissimum præterire: qui cernens inter alia pueros corpore candidos, forma pulcherrimos, vultu venustos, capillorum quoque nitore perspicuos esse venales, interrogavit mercatorem, de qua patria illos attulisset. Ille respondit: De Britanniæ insula, cujus incolarum omnium facies simili candore fulgescit. Gregorius dixit: Christiani sunt iidem insulani, an adhuc Paganis tenentur erroribus implicati? Mercator respondit: Non sunt Christiani, sed Paganis tenentur laqueis irretiti. Tunc Gregorius acriter ingemiscens: Heu, proh dolor, inquit! quam splendidas facies princeps tenebrarum nunc possidet: tantaque [d] frontis species vacuam ab interna Dei gratia mentem gestat. Rursum interrogavit, quod esset vocabulum Gentis illius. Mercator respondit: Angli vocantur. At ille: Bene, inquit, Angli quasi Angeli: quia & angelicos vultus habent: & tales in cælis Angelorum decet esse concives. Iterum ergo interrogavit, quod nomen haberet ipsa provincia. Mercator respondit: Provinciales illi Deiri vocantur. Et Gregorius: bene, inquit, Deiri, quia de ira sunt eruendi, & ad Christi gratiam convocandi. Rex, ait, illius provinciæ quomodo nuncupatur? Mercator respondit: AElle vocatur. Et Gregorius alludens ad nomen, dixit: Bene, quia Rex dicitur [e] AElle. Alleluia etenim in laude Creatoris in partibus illis oportet decantari.

XXII. Pro convertendis Anglis Britanniam petiturus absolvatur.

Mox itaque accedens ad Benedictum, apostolicæ Sedis Pontificem, cœpit vehementer expetere ut in Britanniam aliquos verbi ministros mitteret. Quo cum neminem ire velle cognosceret, semetipsum quoque non dubitavit ingerere, dummodo sibi Pontifex licentiam commodaret. Qui licet cum magna cunctatione totius cleri ac populi, Gregorium sponte proficisci cupientem abire permisit, imprecatus ei divinitus prospera ministrari.

XXIII. A Præsule tribus sententiis consternato redire jubetur.

De cujus absentia Romani plurimum perturbati, deliberato consilio trifarie per loca viæ contigua, unde Pontifex ad beati Petri basilicam profecturus erat, partiuntur: cumque turmatim taliter [f] alloquuntur: Petrum offendisti, Romam destruxisti, quia Gregorium dimisisti. Quibus sententiis omnino Papa perterritus, misit continuo nuntios, qui virum Domini revocarent Gregorium. Quod ipse sibi commeantibus jam prædixerat fore futurum.

XXIV. Per locustam se cognoscit continuo reversurum.

Jamque trium dierum itinere [g] profligato, ad quemdam locum requieturi, forte diverterant: quo singulis quiescentibus, Gregorius lectitabat. Quem locusta superveniens coegit paululum a legendo quiescere, & ex consideratione sui nominis docuit eum in eodem loco se stare debere. ([h] Tunc fertur dixisse: Locusta, inquit, dici potest, quasi loco sta.) Statimque comites adhortatus, festinantius ire certabat: sed prævenientibus apostolicis nuntiis, licet magnopere tristaretur, redire tamen ad proprii compulsus est monasterii curam.

XXV. A monasterio tractus, Diaconus consecratus.

Denique cernens Benedictus, venerabilis Pontifex, virtutum gradibus Gregorium ad alta conscendere, violenter eum a quiete monasterii sui abstrahens, Ecclesiastici ordinis officio sublimavit, Levitamque septimum ad suum adjutorium conse-

a Plerique excusi, *nunc minime recordor*.

b Mabill. Gussanv. & alii, repugnantibus mss. *qui ætatem suam intellectu, & humilitate, & gravitate, docente Greg.* Bolland. ms. consentit, nisi quod pro *imminente*, habet, *docente*.

c Mabill. & Guss. *invasus, carne solutus est*. Uterque tamen in margine notat lectionem mss. quod etiam alibi supra & infra præstiterunt. Editio Guss non videtur a Mabill. discrepare.

d Andeg. *frontispicii gratia*. Gemet. ac Big. *frontis speciosi*. Utic. *frontis speciosa gratia*.

e Andeg. & Utic. *Alle; laus etenim Dei Creatoris oportet illis in partibus decantari*.

f Big. *Alloquuntur: Eia, Apostolice, quid fecisti? sanctum Petrum*.

g Bigot superscribitur: *id est expenso*.

h Quæ hac parenthesi clauduntur, leguntur in omnibus editis, apud Paulum Diaconum & in uno tantum ex mss. nostris Colb. sc.

ſecravit. In quo venerabilis Levita Gregorius A tanta humilitate viguit, tanta ſolertia miniſtravit: ut in Eccleſiaſticæ hierarchiæ miniſterio videretur divinis Angelis non ſolum nitore habitus, verum etiam claritate morum probabilium quodammodo coæquari.

XXVI. Conſtantinopolim Apocriſiarius deſtinatur. Beda lib. 2. c. 1 hiſtor. Angl.

Nec multo poſt pro reſponſis eccleſiaſticis ad urbem Conſtantinopolim a Pelagio Præſule deſtinatur: ubi quamvis in terreno converſaretur palatio, vitæ cæleſtis non intermiſit propoſitum. Secuti namque ſunt eum multi ex ſuo monaſterio fratres, germana devincti caritate. Quod divina factum diſpenſatione conſpicitur, ut eorum videlicet exemplo, ad orationis placidum littus, B quaſi anchoræ fune ſtringeretur; & dum cauſarum ſecularium continuatis vertiginibus fluctuaret, ad illorum conſortium, velut ad tutiſſimi portus [a] ſinum refugeret. Ac licet illud eum miniſterium a monaſterio abſtractum, a priſtinæ quoque quietis vita mucrone ſuæ occupationis extinxerat: inter eos tamen per ſtudioſæ lectionis alloquium, quotidianæ aſpiratio compunctionis animabat.

XXVII. Pro exponendo libro beati Job enixe rogatur. Ep. in expoſ. B. Job, c. 1.

Horum ergo conſortio non ſolum a terrenis eſt munitus incurſibus, verum etiam ad vitæ cæleſtis exercitia magis magiſque ſuccenſus. Nam ab eiſdem fratribus enixe rogatus, maximeque [b] a Leandro Hiſpalenſi Epiſcopo, qui pro cauſis VViſigothorum legatus eodem tempore Conſtantinopo- C lim venerat, compulſus eſt ut librum beati Job, multis involutum myſteriis, enodaret. Neque ille negare potuit opus, quod ſibi amor fraternus multis utile imponebat futurum, ſed eumdem librum quomodo juxta litteram intelligendus, qualiter ad Chriſti & Eccleſiæ ſacramenta referendus, quo ſenſu unicuique fidelium ſit aptandus [c] per triſarias intelligendi ſpecies miranda ratione perdocuit: in quibus tamen ita de virtutibus vitiiſque diſſeruit, ut non ſolum videatur eadem verbis exponere, ſed formis quodammodo viſibilibus, ſeu palpabilibus demonſtrare. Unde non eſt dubium perfectionem ipſarum eum conſecutum fuiſſe virtutum, quarum tam efficaciter valuit indicare profectus.

XXVIII. Cum Eutychio diſputans victor agnoſcitur. Lib. 14 Mor. n. 72. & ſeq. Beda lib. 2. c. 1 hiſtor. Angl.

Præterea venerabilis Levita Gregorius in eadem D urbe regia conſtitutus, naſcentem novam hæreſim de ſtatu noſtræ reſurrectionis cum ipſo, quo orta eſt, initio, [d] juvante gratia catholicæ veritatis attrivit. Siquidem [e] Eutychius, ejuſdem civitatis Epiſcopus, libro de reſurrectione mortuorum confecto, dogmatizabat corpus noſtrum in illa reſurrectionis gloria impalpabile, ventis aereque ſubtilius eſſe futurum. Quod Gregorius audiens, & ratione veritatis, & exemplo Dominicæ reſurrectionis probavit hoc dogma orthodoxæ fidei omnimodo eſſe contrarium. Catholica etenim fides habet quod corpus noſtrum in illa immortalitatis gloria ſublimatum, ſubtile quidem ſit per effectum ſpiritualis potentiæ, ſed palpabile per veritatem naturæ, juxta exemplum Dominici corporis, de quo a mortuis reſuſcitato dicit ipſe diſcipulis: *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Cumque hoc Evangelicæ Veritatis teſtimonium Gregorius pro- Luc. 24. 39.

tuliſſet, Eutychius ait: „ Idcirco hoc Dominus „ fecit, ut dubitationem reſurrectionis ſuæ de di„ ſcipulorum cordibus amoveret. Cui Gregorius „ dixit: Mira res eſt valde quam adſtruis, ut in„ de nobis dubietas ſurgat, unde diſcipulorum „ corda fuerunt a dubietate ſanata. Quid enim de„ terius diei poteſt, quam ut hoc nobis de ejus „ vera carne dubium fiat, per quod diſcipuli ejus „ ad fidem ab omni dubietate ſunt reparati? Si „ enim hoc non habuiſſe adſtruitur, quod oſten„ dit: unde fides diſcipulorum ejus eſt confirma„ ta, inde noſtra deſtruitur. Eutychius ait: „ Corpus palpabile habuit, quod oſtendit: ſed „ poſt confirmata corda palpantium, omne illud „ in Domino, quod palpari potuit, in ſubtilita„ tem eſt aliquam redactum. Ad hæc Gregorius „ reſpondit; ſcriptum eſt: *Chriſtus reſurgens a mor-* Rom. 6. 9. „ *tuis, jam non moritur, mors illi ultra non domina-* „ *bitur.* Si quid ergo in ejus corpore poſt reſurre„ ctionem potuit mutari contra veridicam Pau„ li ſententiam, Dominus rediit in mortem poſt „ reſurrectionem. Quod quis dicere vel ſtultus „ præſumat, niſi qui veram carnis ejus reſurre„ ctionem denegat? Tunc Eutychius objecit, 1. Cor. 15. 50. „ dicens: cum ſcriptum ſit: *Caro & ſanguis re-* „ *gnum Dei poſſidere non poſſunt;* qua ratione cre„ dendum eſt reſurgere veraciter carnem? Cui „ Gregorius reſpondit: In ſacro eloquio aliter „ caro dicitur juxta naturam, atque aliter juxta „ culpam, vel corruptionem. Caro quippe di„ citur juxta naturam, ſicut ſcriptum eſt: *Hoc* Gen. 2. 23. „ *nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Et:* Johan. 1. 14. „ *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Ca„ ro vero juxta culpam, ſicut ſcriptum eſt: *Non* Gen. 6. 3. „ *permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, eo quod* Pſal. 77. 39. „ *ſunt caro.* Et ſicut Pſalmiſta ait: *Memoratus eſt,* „ *quia caro ſunt: ſpiritus vadens, & non rediens.* „ Unde & diſcipulus Paulus dicebat: *Vos autem in* Rom. 8. 9. „ *carne non eſtis, ſed in ſpiritu:* neque enim in car„ ne non erant quibus epiſtolas tranſmittebat: „ ſed quia paſſiones carnalium deſideriorum vice„ rant, jam liberi per virtutem ſpiritus in carne „ non erant. Quod ergo Paulus Apoſtolus dicit: „ *Quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſ-* 1. Cor. 15. 50. „ *ſunt;* carnem ſecundum culpam intelligi voluit, „ non carnem ſecundum naturam. Unde & mox „ quia carnem ſecundum culpam diceret, oſten„ dit, ſubdens: *Neque corruptio incorruptelam poſ-* „ *ſidebit.* In illa ergo cæleſti gloria caro ſecun„ dum naturam erit, ſed ſecundum paſſionis deſi„ deria non erit, quia devicto mortis aculeo, in „ æterna incorruptione regnabit. „ Quibus auditis, Eutychius conſentire ſe protinus reſpondit; ſed tamen adhuc corpus palpabile reſurgere poſſe denegabat: qui etiam in libello, quem de reſurrectione ſcripſerat, Pauli quoque teſtimonium indiderat, dicentis: *Tu quod ſeminas non vivificabitur,* 1. Cor. 15. 36. *niſi prius moriatur: & quia non corpus quod futu-* E *rum eſt, ſeminas, ſed nudum granum.* Hoc nimirum oſtendere feſtinans, quia caro vel palpabilis, vel ipſa non erit, dum ſanctus Apoſtolus de reſurrectionis agens gloria, non corpus quod futurum eſt, ſeminari dixerit, ſed nudum granum. Sed ad hæc Gregorius reſpondit; Paulus Apoſtolus dicens: Non

a In omnibus mſſ. noſtris, *portus voluminæ littoraque refugeret.* Quæ etiam ſuis in mſſ. legit Mabill. Lectio noſtra quæ eſt editorum omnium, convenit cum epiſtola ſancti Gregorii ad Leandrum, unde hæc tranſſumta.

b De Leandro conſule quæ diximus ad epiſtolam Moralibus præmiſſam.

c Turon. *per triginta quinque libr. ſeriem;* quæ in Bigot. ad marginem ſunt rejecta.

d Excuſi quique cum mſ. Colb. *juvante gratia noſtri Redemtoris.* Apud Mabill. & Guſſ. mendoſe *attribuit*, pro *attrivit*.

e Eodem pene errore laborabat quidam Hierax pſeudo-Monachus. Nimirum, *is docebat hanc carnem non reſurgere, ſed pro ea aliam; & hanc in terram diſſolvi:* inquit Scriptor vitæ ſancti Epiph. ejuſque diſcipulus ejuſdem vitæ num. 27. hunc repreſſit Epiphanius tum miraculo tum doctiſſima ex ſacris litteris diſſertatione.

„ *Non corpus quod futurum est, seminas, sed nudum* A „ *granum*; hoc insinuat quod videmus, quia vi„ delicet granum cum culmo & foliis nascitur, „ quod sine culmo & foliis seminatur. Ille itaque „ in augmento gloriæ resurrectionis non dixit „ grano seminis deesse quod erat, sed adesse quod „ non erat. Tu autem dum verum corpus resurge„ re denegas, nequaquam dicis adesse quod deerat, „ sed deesse quod erat.

XXIX. Liber Eutychii ab Augusto ignibus deputatur.

Tunc itaque Gregorius Romanus Diaconus, & Eutychius Constantinopolitanus Episcopus, hac de re in longam contentionem perducti, gravissima cœperunt ab invicem [a] simultatione resilire. Tum piæ memoriæ Tiberius [b] Constantinus Imperator, secreto utrumque suscipiens, quid B inter eos discordiæ versaretur, agnovit: & utriusque partis allegationem subtiliter pensans, eumdem librum, quem Eutychius de resurrectione conscripserat, suis quoque [c] allegationibus destruens, deliberavit ut flammis cremari debuisset. A quo videlicet piissimo Imperatore ut simul egressi sunt, post longissimæ disputationis conflictum pariter ægrotantes in lectulum deciderunt.

XXX. Eutychius moriens pellem manus suæ tenebat, dicens se in ea veraciter resurrecturum.

Cum ergo Gregorius validissimis febribus æstuaret, Eutychius cum morte confligens, pellem manus suæ tenebat coram omnibus, dicens: *Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus*. Post quam catholicæ fidei confessionem defunctus est; quo mortuo, quia pene nullus erat qui ejus dicta sequeretur, Gregorius dissimulavit cœpta persequi, ne in C favillas videretur verba jaculari.

XXXI. Apocrisiariatus Gregorii qualitas declaratur.

Quanta autem auctoritate ministerium sui Apocrisiariatus implevit, quantæ reverentiæ apud Augustos extiterit, quantaque sollicitudine afflictæ Italiæ succurri sæpius fecerit, si quis plenius nosse desiderat, epistolas antecessoris sui Papæ Pelagii ad eum super multimodis Ecclesiæ Dei necessitatibus destinatas, quæ hactenus in scrinio sanctæ Sedis apostolicæ studiosissime conservantur, percurrat: ex quarum multitudine hic unam interfero, quatenus & illius ministerii qualitas, & reliquarum quoque consequentia cognoscatur. Quæ ita se habet:

XXXII. Epistola Pelagii Papæ Gregorio mittitur. *Concil. tomo 5 Ep. 3.*

„ Pelagius Episcopus dilecto filio Gregorio ve„ nerabili Diacono. Omnia quidem quæ necessa- D „ ria fuerunt, per Honoratum notarium tibi cu„ ravimus indicare: quem cum fratre & coepisco„ po Sebastiano ad Dilectionem tuam direximus: „ ut quia illis in partibus ad Ravennam usque nunc „ cum viro glorioso domno Decio patricio fuit, „ ipse sua relatione te ex omnibus studeat infor„ mare: vel si qua necessaria judicaveritis, possit „ domno Imperatori suggerere. Quia tantæ cala„ mitates ac tribulationes nobis a perfidia Lango„ bardorum illatæ sunt, contra suum proprium „ jusjurandum, ut nullus possit ad referendum „ sufficere. Prædictum autem fratrem Sebastia„ num quo modo susceperimus, vel in quali apud „ nos, te suggerente, fuerit caritate, ipsius poto- E „ ris relatione cognoscere. Qui etiam promisit no„ bis, necessitates vel pericula totius Italiæ piissi„ mo domno Imperatori suggerere. Loquimini „ ergo & tractate pariter, quo modo nostris pos„ sitis celeriter subvenire periculis: quia ita hic „ coangustata est Respublica, ut nisi Deus piissi„ mi in corde Principis [d] inspiraverit, ut insitam „ sibi misericordiam suis famulis largiatur, & [e] su„ per illa diacoposin, vel unum magistrum mili„ tum, & unum ducem dignetur concedere, in „ omni simus angustia destituti; quia maxime par„ tes Romanæ omni præsidio vacuatæ videntur; „ & Exarchus nullum nobis posse remedium face„ re scribit: quippe qui nec ad illas partes custo„ diendas se testatur posse sufficere. Imperet ergo „ illi Deus nostris velociter periculis subvenire, „ antequam nefandissimæ gentis exercitus loca „ quæ adhuc a Republica detinentur, Deo sibi „ contrario, quod absit, prævaleant occupare. „ Presbyterum autem ad nos, Deo juvante, re„ transmittere festina: quia & in monasterio tuo, „ & in opus, cui eum præposuimus, necessarius „ esse omnino cognoscitur. Data quarto nonarum „ [f] Octobrium, indictione tertia.

XXXIII. Maximianus cum fratribus e naufragio liberatur. *lib. 3 Dialog. cap. 30.*

Huic suo cujus hic Papa Pelagius monasterio meminit, Siculus Maximianus, qui postea Syracusanus Episcopus extitit, eodem tempore præfuit. Qui ad venerabilem Levitam Gregorium in ejusdem regiæ urbis palatio pro responsis ecclesiasticis desudantem, visitationis gratia cum fratribus venit: C & dum ad monasterium sibi quoque commissum Romam rediret, in mari Adriatico nimia tempestate deprehensus, inæstimabili ordine atque inusitato miraculo erga se, cunctosque qui secum aderant, omnipotentis Dei & iram cognovit & gratiam. Nam cum in eorum morte ventorum nimietatibus fluctus elevati sævirent, ex navi clavi perditi, arbor abscissa est, vela in undis projecta, totumque vas navis nimiis quassatum fluctibus ab omni fuerat sua compage dissolutum. Rimis itaque patentibus, intravit mare, atque usque ad superiores tabulas implevit; ita ut non magis navis inter undas, quam undæ jam intra navim esse viderentur. Tunc in eadem navi residentes, non jam ex mortis vicinia, sed ex ipsa ejus præsenti visione turbati, omnes si- D bimetipsis pacem dederunt, corpus & sanguinem Redemtoris acceperunt, Deo se singuli commendantes, ut eorum animas benigne susciperet, quorum corpora ita pavendæ morti tradidisses. Sed omnipotens Deus, qui eorum mentem mirabiliter terruit, eorum quoque vitam per meritum Gregorii famuli sui, pro cujus speciali amore venerant, mirabilius reservavit. Nam diebus octo navis eadem usque ad superiores tabulas aquis plena, iter proprium peragens, enatavit. Nono autem die [g] ad Chotronensis castri portum deducta est. Ex qua exierunt omnes incolumes, qui cum prædicto Maximiano viro venerabili navigabant. Cumque post eos ipse quoque fuisset egressus, mox in ejusdem portus profundum navis demersa est, ac si illis

a Ita mss. ubi editores legerunt, *simulatione*. In Moralibus lib. 14 n. 74 ubi hæc referuntur, legitur quoque *simulatione*; necnon l. 1 Epist. 2. & alibi.

b Corrupte in omnibus editis, *Constantinopolitanus*, pro *Constantinus*, quod in omnibus tam Moralium, quam Johannis Diac. mss. exhibetur. Sane tunc Constantinopolitanus Imperator non dicebatur, qui Romano Imperio solus præerat. Tiberius Augustus cognominabatur Constantinus.

c In Bigot. superscribitur, *affirmationibus*.

d In Andegav. Utic. Bigot. & Gemet. *imperaverit*.

e Vulgati cum Reg. aliis renitentibus mss. *super illam diacoposin*. Utic. habet, *super omnia illa diacop*. In hoc codice & in Bigot. annotatur vocem *diacoposin* vel *diacopiosin*, significare ærarium publicum. Sic eam igitur cepisse videtur Pet. Dam. l. 7. Ep. 3. *Qui peculatus crimen incurrit, in diacoposin cogitur inferre quod tulit.* Bolland. docet idem esse ac discissionem a διακόπτω discindo. Cangius diacoposis est molestia, angustia, κόπος lasso. Utrumque fefellit lectio vulgata editorum, *& super illam diacoposin*; cum in fere omnibus mss. legatur, *& super illa*, quasi, *& præter illa*. Itaque censemus *diacoposin*, vel *diacopiosin*, commodius intelligi de ærario & pecunia, pro labore, scilicet militaribus eroganda, nimirum διὰ, propter, & κόπος, labor.

f In Gemet. & Bigot. *Octobrianus*. Ouff. ad marginem pro *indict. 3.* notat *indict. 6.* Quod nec in mss. nostris reperitur.

g Al. *Cortonensis*. Cortona urbs est antiqua Brutiorum, ad mare Ausonium, nunc Crotona dicta in Calabria ulteriori.

egredientibus pro pondere sublevatione caruisset; & quæ plena hominibus in pelago aquas portaverat, atque natarat, Maximiano cum fratribus recedente, aqua sine hominibus in portu nec portare valuit nec natare: ut hinc omnipotens Deus ostenderet, quia per meritum Gregorii, quem fratres visitaverant, hanc onustam sua manu tenuerat, quæ ob hominibus vacua permanere non potuit.

XXXIV. Annona[?] in urbe Tiberis inundatione[?].

Igitur postquam Romam Gregorius venerabilis Levita reversus est, aliquanto interjecto tempore, tanta inundatione Tiberis fluvius alveum suum egressus est, tantumque excrevit, ut ejus unda super muros urbis influeret, atque in ea regiones maximas occuparet, & antiquarum ædium plurima [a] monimenta dejiceret, ecclesiastica quoque horrea violenter subverteret, in quibus nonnulla modiorum tritici millia periere.

XXXV. Athesis fluvius miraculum[?]. Lib 3 Dialog. cap 19.

Tunc siquidem apud Veronensem urbem fluvius Athesis, ut idem Gregorius refert, excrescens, ad beati Zenonis martyris atque Pontificis Ecclesiam venit. Cujus Ecclesiæ dum essent januæ apertæ, aqua in eam minime intravit. Quæ paulisper crescens usque ad fenestras Ecclesiæ, quæ erant tectis proximæ, pervenit: sicque stans aqua Ecclesiæ januam clausit, ac si illud elementum liquidum in soliditatem parietis fuisset * mutatum. Cumque essent multi interius inventi, sed aquarum magnitudine circumdata omni Ecclesia, qua possent egredi, non haberent, ibique se fame & siti deficere formidarent, ad Ecclesiæ januam veniebant, ad bibendum hauriebant aquam, quæ usque ad fenestras excreverat, & tamen intra Ecclesiam [b] ut aqua nullo modo diffluebat. Stans autem ante januam, ad ostendendum cunctis meritum Martyris, & aqua ad adjutorium erat, & aqua non erat ad occupandum locum. Quod nimirum miraculum Babylonici illius ignis miraculo non dissimile poterit æstimari, qui trium puerorum, & vestimenta non tetigit, & vincula incendit.

* immutatum.

Dan 3.

XXXVI. Draco cum bestiis in mari necato aer corrumpitur. Gregor. Tur. lib 10 hist. c. 1.

Tunc etiam innumerabilis multitudo serpentium cum magno dracone, in modum trabis validæ per Tiberini fluminis alveum, in mare descendit; sed suffocatæ bestiæ inter salsos maris turbidissimi fluctus sine mora in littore deciderunt, suaque putredine totum aerem corruperunt.

XXXVII. Sagittis cælestibus cladem ferentibus, Pelagius Papa extinguitur. Ezech 9.6.

Secuta est e vestigio clades inguinaria, quæ Romanam urbem adeo vehementi pestilentia laniavit, ut etiam corporali visu sagittæ cælitus venire, & singulos quosque percutere viderentur. Quæ in mense undecimo veniens, primum omnium, juxta illud quod in Ezechiele Propheta legitur: *A sanctuario meo incipite;* Pelagium Papam perculit, & sine mora extinxit. Quo defuncto, ita in reliquum vulgus desævit, ut subtractis habitatoribus, [c] domos in urbe plurimas, vacuas omnino reliquerit.

XXXVIII. Theodorus a dracone liberatus conversatur[?]. Lib 4. Dial. cap. 38.

Eodem tempore in monasterio venerabilis Levitæ Gregorii puer inquietus valde, Theodorus nomine, cum fratre religioso magis necessitate quam voluntate degebat, cui nimium gravis erat, si quis ei pro sui salute quidquam dicebat. Bona autem non solum facere, sed etiam audire non poterat. Numquam se ad sanctæ conversationis habitum venira, jurando, irascendo, ac deridendo testabatur: qui tamen ejusdem pestilentiæ clade percussus in inguine, est perductus ad mortem. Cumque extremum spiritum ageret, convenerunt cum Gregorio fratres, ut egressum illius orando protegerent. Jam corpus ejus ab extrema fuerat parte præmortuum: in solo tantummodo pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem [d] fratres qui aderant, tanto pro eo cœperunt enixius orare, quantum cum jam videbant sub celeritate discedere: cum repente cœpit eisdem fratribus assistentibus clamare, atque cum magnis vocibus orationes eorum interrumpere, dicens: „Recedite, ecce draconi ad devorandum „datus sum, qui propter vestram præsentiam me „devorare non potest. Caput meum in suo ore „jam absorbuit: date locum, ut me amplius non „cruciet, sed faciat quod facturus est. Si ei ad devorandum datus sum, quare propter vos moras patior? Tunc fratres cum Gregorio cœperunt ei dicere: Quid est quod loqueris, frater? signum tibi „sanctæ crucis imprime. Respondit ille cum magnis clamoribus, dicens: Volo me signare, sed „non possum, quia squammis hujus draconis premor. Cumque hoc fratres audirent, [e] una cum Levita Dei Gregorio in terram prostrati, cum lacrymis cœperunt pro ereptione illius vehementius Dominum deprecari. Et ecce subito cœpit æger cum magnis vocibus clamare, dicens: „Gratias „Deo, ecce draco qui me ad devorandum susceperat fugit, orationibus vestris expulsus stare „non potuit. Pro peccatis meis modo intercedite, quia converti & secularem vitam relinquere „funditus sum paratus. Homo ergo qui, sicut jam dictum est, ab extrema parte fuerat præmortuus, Gregorii precibus & morte corporis caruit, & salutem animæ acquisivit.

XXXIX. Gregorius ad Pontificatum nolens eligitur.

Sed pestilentia supra modum sæviente, quia Ecclesia Dei sine Rectore esse non poterat, Gregorium licet totis viribus renitentem, clerus, Senatus, populusque Romanus sibi concorditer Pontificem delegerunt. Quem ille apicem totis viribus evitare decernens, sese indignum omnino tali honore clamitabat; videlicet metuens, ne mundi gloria, quam prius abjecerat, ei sub ecclesiastici colore regiminis aliquo modo subrepere potuisset.

XL. Pontificatum subterfugere gestiens, Imperatori litteras latenter mittit.

At ubi decretum generalitatis evadere nequivit, consensurum se tandem aliquando simulavit: & Imperatori Mauricio, cujus filium ex lavacro sancto susceperat, latenter litteras destinavit, adjurans, & multa prece deposcens, ne umquam assensum populis præberet, ut se hujus honoris gloria sublimaret. Sed Præfectus Urbis, [f] Germanus nomine, ejus nuntium anticipavit, comprehensumque ac diruptis epistolis, consensum quem populus fecerat, Imperatori direxit. At ille gratias agens Deo pro amicitia Diaconi, eo quod locum deferendi ei honoris, ut cupierat, reperisset, data præceptione ipsum ordinari præcepit.

Pro concione pœnitentiam prædicat. Exstat tam. 1. post hom. 40. in Evang.

Interim dum ab urbe regia Imperatorius præstolaretur assensus, & lues ipsa populum vehementius devastaret, venerabilis Levita Gregorius verbum ad plebem exorsus est, dicens: „Oportet, fratres carissimi, ut flagella Dei, quæ metuere ventura debuimus, saltem præsentia, & experta timeamus. Conversionis nobis aditum dolor aperiat, & „cordis nostri duritiam ipsa jam quam patimur „pœna dissolvat. Ut enim Propheta teste prædictum est:

a Bigot. Colb. Reg. & Gemet. *monia*. Ita quoque apud Paulum Diac.
b In editis, si excipias Bolland. deest *ut* in omnibus mss. a nobis repertum.
c Utic. *somar. in orbe plorima vacua omnino remanserunt*.
d Abest, *fratres*, ab Utic. Gemet. Reg. Colb. & Bigot.
e Sanctus Gregorius hujus historiæ meminit, tum in homil. 38 super Evang. tum lib. quarto Dialog. cap. 37. dissimulata nihilominus sua prefectione, modestia forte gratia.
f Utrum frater esset Gregorii disquisivimus in ejusdem vita lib. 1. c. 2. num. 5.

Jerem. 4. 10. » est: *Pervenit gladius usque ad animam*. Ecce ete- A » nim cuncta plebs cælestis iræ mucrone percutitur, & repentina singuli cæde vastantur: nec languor mortem prævenit, sed languoris moras, ut cernitis, mors ipsa præcurrit. Percussus quisque ante rapitur, quam ad lamenta pœnitentiæ convertatur. Pensate ergo, qualis ante conspectum districti Judicis pervenit, cui non licet flere quod fecit. Et habitatores quidem non ex parte subtrahuntur, sed pariter corruunt. Domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes aspiciunt, & sui eos ad interitum heredes præcedunt. Unusquisque ergo nostrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percussionem vacat. Revocemus ante oculos mentis, quidquid errando commisimus: & quod nequiter egimus, B flendo puniamus. Psal. 94. Præveniamus faciem ejus in confessione: & sicut Propheta admonet, levemus Thren. 3. 4. corda nostra cum manibus ad Deum. Ad Deum quippe corda cum manibus levare, est orationis nostræ studium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profecto, dat tremori nostro fidu- Ezech. 33. 11. ciam, qui per Prophetam clamat: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat*. Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate desperet. Jonæ 3. 10. Luc. 23. Veternosas namque Ninivitarum culpas triduana pœnitentia abstersit: & conversus latro vitæ præmia etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit. Mutemus igitur corda, & præsumamus nos jam percepisse quod petimus. Citius ad precem Judex flectitur, si a pravitate sua petitor cor- C rigatur. Imminente ergo tantæ animadversionis gladio, nos importunis precibus insistamus. Ea namque quæ ingrata esse hominibus solet importunitas, [a] Judici veritatis placet: quia pius ac misericors Deus, vult a se precibus veniam exigi: quia quantum meremur non vult irasci. Hinc etenim per Psalmistam dixit: Psal. 49. 15. *Invoca me in die tribulationis tuæ: eripiam te, & magnificabis me*. Ipse ergo sibi testis est, quia invocantibus misereri desiderat, qui admonet ut invocetur. Proinde, fratres carissimi, contrito corde, & correctis operibus crastina die, primo diluculo, ad septiformem [b] Litaniam juxta distributionem inferius designatam, devota cum lacrymis mente veniamus. Nullus vestrum ad terrena opera in agros exeat: nullus D quodlibet negotium agere præsumat, quatenus ad sanctæ genitricis Dei Ecclesiam convenientes, qui simul omnes peccavimus, simul omnes mala quæ fecimus deploremus: ut districtus Judex dum culpas nostras nos punisse considerat, ipse a sententia propositæ damnationis parcat.

XLII. Septiformem Litaniam localiter ordinat. Gregor. Tur. lib. 10. hist. c. 1.

Litania Clericorum exeat ab Ecclesia sancti Johannis Baptistæ: Litania virorum ab Ecclesia sancti martyris Marcelli: Litania Monachorum ab Ecclesia sanctorum martyrum Johannis & Pauli: Litania ancillarum Dei ab Ecclesia beatorum martyrum Cosmæ & Damiani: Litania feminarum conjugatarum ab Ecclesia beati primi martyris Stephani: Litania viduarum ab Ecclesia martyris Vitalis: Litania pauperum & infantium ab Ecclesia beatæ Cæciliæ martyris.

XLIII.

Igitur dum magna multitudo [c] omnis ætatis, sexus atque professionis, juxta præceptionem Levitæ Gregorii die constituta, Dominum rogatura venisset: in tantum lues ipsa judicio divino desævit, ut intra unius horæ spatium, dum voces plebs ad Dominum supplicationis emitteret, octoginta homines ad terram corruentes spiritum exhalarent. Sed nequaquam destitit facundissimus Rhetor populo prædicare: ne ab oratione cessarent, donec miseratione divina pestis ipsa quiesceret.

Octoginta homines pestilentia prosternuntur.

XLIV. Ab urbe diffugiens, judicio cælesti monstratur: & reductus, primæ Sedis Pontifex consecratus.

Enimvero, cum adhuc futurus Antistes putaret se Principem a consensu consecrationis suæ penitus avertisse, cognovit tandem suas litteras a Germano Præfecto Urbis interceptas fuisse. Cujus rei gratia imperiale responsum, quod videlicet voluntati suæ contrarium [d] erebatur, præveniens, quia palam egredi portas civitatis non poterat, a negotiatoribus exponendum se dissimulato, ut fertur, habitu callidus impetravit, sylvarum saltus expetiit, cavernarum latibula requisivit. In quibus dum ab omnibus summa sollicitudine quæreretur, [e] indicio columnæ fulgidæ, super se jugiter a cælo dependentis, agnoscitur, capitur, trahitur, & apud beati Petri Apostolorum Principis templum summus Pontifex [f] consecratur.

XLV. Noluisse summum sacerdotium, veraciter demonstratur.

Verum, quia sunt nonnulli Langobardorum [g] perfidi, qui Gregorium appetisse magis pontificium autument quam fugisse, operæpretium reor pauca de multis inserere, quibus eum inquantum sine pertinaciæ vitio potuit, noluisse pontificium, immo quasi pondus importabile penitus cavere voluisse, luce clarius manifestem. Ait enim pene in ipso consecrationis suæ principio, in epistola Paulo Scholastico: Lib. 1. Ep. 3. » Quidquid mihi ex honore Sacerdotalis officii ext anei arrident, non valde penso: de vobis autem mihi hac in re arridentibus, non minimum doleo, qui desiderium meum plenissime scitis, & tamen profecisse me creditis. Summus enim mihi profectus fuerat, si potuissem implere quod volui: si voluntatem meam quam dudum cognitam habetis, perficere optatæ quietis perceptione valuissem. At quia honoris nunc hujus vinculis in civitate teneor Romana religatus, habeo aliquid quod etiam vestræ Gloriæ exultem, quia viro [h] excellentissimo domno Leone Exconsule veniente, vos in Sicilia remanere non suspicor: & cum ipse quoque tuo honore religatus Romæ retineri cœperis, quid mœroris, quid amaritudinis ego patiar, agnosces. Veniente autem viro magnifico domno Maurentio Chartulario, ei quæso, in Romanæ urbis necessitate concurrite: quia hostilibus gladiis foris sine cessatione confodimur, sed seditione militum interno periculo gravius urgemur.

XLVI. Discretionis ejus perfecta qualitas indicatur. Ibid. Ep. 4.

» Item Gregorius Johanni Patriarchæ Constantinopolitano: Si caritatis virtus in proximi dilectione consistit: si sic diligere proximos, sicut nos jubemur: quid est quod me Beatitudo vestra non ita ut se diligit? Quo enim ardore, quo studio Episcopatus pondera fugere volueritis, scio: & tamen E hæc eadem Episcopatus pondera, ne mihi deberent imponi, non restitistis. Constat ergo, quia non me sicut vos diligitis, quia illa me voluistis » one-

a Reg. Colb. Turon. Gemet. Utic. Bigot. *judicio*.
b In mss. *Letaniam*; & sic semper deinceps. Harum Litaniarum & Processionum ordo aliter describitur a Gregorio Turon. lib. 10. c. 1. Forte supplicationes illæ non semel habitæ sunt ut censet Baron. ad ann. 590. n. 22. De his ita narrat Paul. Diac. de Gestis Langob. lib. 3. *In primo choro fuit omnis Clerus. In secundo, omnes Abbates cum Monachis suis. In tertio, omnes Abbatissæ cum Congregationibus suis. In quarto, omnes infantes. In quinto, omnes laici. In sexto, universæ Viduæ. In septimo, omnes mulieres conjugatæ*.
c In mss Reg. Norm scilicet Gemet. Utic. Bigot. *communis ætatis*.
d Iidem codd. *ferebatur*. Colb. *quærebatur*. Alii, *videbatur*.
e Hujus indicii mentionem facit Greg. lib. 1 Epist. 20. & in lib. olim 6. Epist. 4. nunc 7.
f Ejus ordinatio in tabulis Eccles. assignatur tertio nonas Septembris.
g Utic. & Colb. *perfidiæ*; quam lectionem sequitur Gussanv. In ceteris tamen mss. & editis, *perfidi*.
h Colb. Reg. & Norm. quibus consentiunt Bolland. & Gilot. *eminentissimo*.

onera suscipere, quæ vobis imponi noluistis. Sed A quia vetustam navim, vehementerque confractam indignus ego infirmusque suscepi; undique enim fluctus intrant, & quotidiana ac valida tempestate quassatæ putridæ naufragium tabulæ sonant; per omnipotentem Dominum rogo, ut in hoc mihi periculo orationis tuæ manum portigas: quia tanto enixios potestis exorare, quanto & a confusione tribulationum, quas in hac terra patimur, longius statis.

XLVII. Conabatur extra mundum, & extra carnem fieri, & ad speciem anhelare. L. 1. Ep. 5.

Item Gregorius Theoctistæ sorori Imperatoris: Mens mea vestræ venerationi quanta devotione substernitur, explere verbis nequeo: nec tamen me prodere laboro: quia & me tacente, in vestro corde legitis quid de mea devotione sentiatis. Miror autem quod in me collatas dudum conti- B nentias vestras, ex hac moderna pastoralis officii continentia distraxistis, in qua sub colore Episcopatus ad seculum sum reductus: in qua tantis terræ curis inservio, quantis me in vita laica nequaquam deseruisse reminiscor. [a] Alta enim quietis meæ gaudia perdidi, & intus corruens, ascendisse exterius videor, unde me a Conditoris mei facie longe expulsum deploro. Conabar namque quotidie extra mundum, extra carnem fieri; cuncta phantasmata [b] corporis ab oculis mentis abigere, & superna gaudia incorporaliter videre: & non solum vocibus, sed totis medullis cordis [c] ad Dei speciem anhelans, dicebam: *Tibi dixit cor meum: Quæsivi vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram.* (Psal. 26. 8.) Nihil autem in hoc C mundo appetens, nihil pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita ut in me pene impletum crederem, quod pollicente Domino ex Propheta didicissem: *Sustollam te super altitudines terræ.* (Isa. 58. 14.) Super altitudines etenim terræ sustollitur, qui & ipsa quæ alta & gloriosa præsentis videntur seculi, per mentis despectum calcat. Sed repente a rerum vertice tentationis hujus turbine impulsus, ad timores pavoresque corrui: quia & si mihi nihil timeo, eis tamen qui mihi commissi sunt multum formido. Undique causarum fluctibus quatior, ac tempestatibus deprimor, ita ut recte dicam: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* (Psal. 68. 3.) Redire post causas ad cor desidero: sed vanis ab eo cogitationum tumultibus exclusus, redire non possum. Et D hoc ergo mihi longe factum est, quod intra me est: ita ut obedire nequeam propheticæ voci, qua dicitur: *Redite prævaricatores ad cor.* (Isai. 46. 8.) Sed stultis pressus cogitationibus solummodo exclamare compellor: *Cor meum dereliquit me.* (Psal. 39. 13.) Contemplativæ vitæ pulchritudinem velut Rachelem dilexi sterilem, sed videntem ac pulchram: quæ etsi per quietem suam minus generat, lucem tamen subtilius videt. Sed quo judicio, nescio, Lia mihi in nocte conjuncta est, activa videlicet vita fecunda, sed lippa, minus videns, quamvis amplius pariens. Sedere ad pedes Domini cum Maria festinavi, verba oris ejus percipere: & ecce cum Martha compellor in exterioribus ministrare, E atque erga multa satagere. Expulsa a me, ut credidi, legione dæmonum, volui obliviscí quos novi, & ad Salvatoris pedes quiescere; & ecce mihi nolenti atque compulso dicitur: *Reverte in domum tuam, & annuntia quanta tibi fecerit Dominus.* (Marc. 5. 19.) A Sed quis inter tot terrenas curas valeat Dei miracula prædicare, cum jam mihi difficile sit saltem recolere? Pressus namque [d] in hoc honore, tumultu secularium negotiorum, ex eis me esse video, de quibus scriptum est: *Dejecisti eos, dum allevarentur.* (Psal. 72. 18.) Neque enim dixit: dejecisti eos, postquam allevati sunt, sed dum allevarentur; quia pravi quique dum [e] temporali honore fulsulti, foris videntur surgere, intus cadunt. Allevatio ergo ipsa ruina est: quia dum gloria falsa subnixi sunt, a vera gloria vacuantur. Hinc iterum dicitur: *Deficientes ut fumus deficient.* (Psal. 36. 20.) Fumus quippe ascendendo deficit, & sese dilatando evanescit. Sic videlicet fit, cum peccatoris vitam præsens felicitas comitatur: quia unde B ostenditur ut altus sit, inde agitur ut non sit. Hinc rursum scriptum est: *Deus meus, pone illos ut rotam.* (Psal. 82. 14.) Rota quippe ex posteriori parte attollitur, & in anterioribus cadit. Posteriora autem nobis sunt bona præsentis mundi quæ relinquimus: anteriora vero sunt æterna & permanentia, ad quæ vocamur, Paulo attestante, qui ait: *Quæ retro sunt oblitus, in ea quæ sunt priora extendens me.* (Philip. 3. 13.) Peccator ergo cum in præsenti vita profecerit, ut rota ponitur: quia in anterioribus corruens, ex posterioribus elevatur. Nam cum in hac vita gloriam percipit quam reliquit, ab illa cadit quæ post hanc venit. Et quidem multi sunt, qui sic exteriores provectus regere sciunt, ut per C eos nequaquam interius corruant. Unde scriptum est: *Deus potentes non abjicit, cum & ipse sit potens.* (Job. 36. 5.) Et per Salomonem dicitur: *Et intelligens gubernacula possidebit.* (Prov. 1. 5.) Sed mihi hæc difficilia sunt, quia & valde onerosa: & quod mens voluntarie non recipit, congrue non disponit. Ecce serenissimus Dominus Imperator fieri simiam leonem jussit. Et quidem pro jussione illius vocari leo potest; fieri autem leo non potest. Unde necesse est ut omnes culpas ac negligentias meas non mihi, sed suæ pietati deputet, qui virtutis ministerium infirmo commisit.

XLVIII. Condoluit ruinæ suæ gemitum renovati. Ibid. Ep. 6.

[f] Item Gregorius Narsæ patricio. Dum [g] contemplationis dulcedinem alte descripsistis, ruinæ meæ mihi gemitum renovastis: quia audivi quid intus perdidi, dum foris ad culmen D regiminis immeritus ascendi. Tanto autem me percussum mœrore cognoscite, ut vix loqui sufficiam: oculos enim mentis meæ doloris tenebræ obsident, triste est quidquid aspicitur, quidquid delectabile creditur, cordi meo lamentabile apparet. Penso enim ab alto quietis meæ culmine corruens, ad quam dejectum exterioris provectus culmen ascendi, & pro culpis meis in occupationis exilium a facie dominantis missus, [h] quasi destructæ Judææ vocibus cum Propheta dico: *Qui consolabatur me, longe recessit a me.* (Thren. 1. 16.) Quod vero causæ & nominis similitudinem faciendo per Scripturam, clausulas declamationesque formatis, certe, Frater carissime, simiam leonem vocas. Quod eo modo vos agere conspi- E cimus, quo scabiosos sæpe catulos, pardos, vel tygres vocamus. Ego enim, bone Vir, quasi filios perdidi: quia per terrenas curas recta opera amisi. Nolite ergo me vocare Noemi, [i] id est pulchram, (Ruth. 1. 20.)

a An legav. & Bigot. *altera*. Reg. *interna*.
b Utic. *corporum*.
c Utic *ad Dei faciem*; quod etiam in mss. epistolarum legitur.
d Colb. Bigot. & Gemet. *in hoc onere*.
e Al. *fecunati*.
f In md. Norm. tam epistolarum, quam Johann. Diac. legitur *Narsa*, non *Narsi*, ut in editis & in Reg. & Andeg. cod. De eo Simocatta lib. 5. cap. 3. & 5.
g Bigot. Gemet. Reg. ac nonnullis mss. *contemplationis alta describitis . . . . renovaris*.
h Corruptissime edit. Vatic. & Guss. *quasi destituta vidua*.
i Nolite, id est *pulchram*, reluctantibus aliis excusis, & mss. tum Johann. Diac. tum epistolarum.

chram, *sed vocate me Maria, quia amaritudine plenus sum.*

XLIX. Excerptis Anastasii Patriarchæ primum levatus, deinde gravatus, orationes ejus petit. Qui laudes ipsius accipiat. *Ibid. Epist. 7.*

Item Gregorius Anastasio [a] Patriarchæ Antiocheno. Scripta vestræ Beatitudinis, ut fessus requiem, salutem æger, fontem sitiens, umbram æstuans [b] inveni. Neque enim illa verba per linguam carnis videbantur expressa: quia sic spiritalem erga me amorem suum quem gestabat aperuit, ac si mens per semetipsam loqueretur. Sed durum valde fuit, quod secutum est: quia amor vester terrena me portare onera præcepit: & quem prius spiritualiter diligebatis, post ut æstimo, temporaliter amantes, usque ad terram me superposito onere depressistis, itaut omnem mentis rectitudinem funditus perdens, contemplationisque aciem amittens, non per prophetiæ spiritum, sed per experimentum dicam: *Incurvatus sum, & humiliatus sum usquequaque.* (*Ps. 118. 107.*) Tanta quippe me occupationum onera deprimunt, ut ad superna animus nullatenus erigatur. Multis causarum fluctibus quatior: & post illa quietis otia, tumultuosæ vitæ tempestatibus affligor, itaut recte dicam: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* (*Psal. 68. 3.*) Periclitanti igitur mihi orationis vestræ manum tendite vos, qui in virtutum littore statis. Quod vero me os Domini, quod lucernam dicitis, quod loquendo multis prodesse, multisque posse lucere perhibetis: æstimationem mihi meam fateor in dubietatem maximam perduxistis. Considero namque qui sum, & nihil in me ex hujus boni signo deprehendo. Considero autem qui estis: & vos mentiri posse non arbitror. Cum ergo credere volo quod dicitis, contradicit mihi infirmitas mea: [c] cum disputare volo, quod in laude mea dicitur, contradicit mihi sanctitas vestra. Sed quæso, Vir sancte, nobis aliquid de hoc certamine nostro conveniat: ut & si non quod dicitis ita est, fit ita quia dicitis.

L. Ab Andrea illustri corpore, & animo non recessit. *Reg. lib. 2. epist. 34.*

Item Gregorius Andreæ illustri. Omnipotens Deus dulcissimo cordi vestro indicet, quia & absens corpore, a caritate vestra animo non recessi. Bona enim vestra, etiam si volo, oblivisci non valeo. Hoc autem quod me ad Episcopatus ordinem cognoscitis pervenisse, si me diligitis, plangite: quia tantæ hic hujus mundi occupationes sunt, ut per Episcopatus ordinem pene ab amore Dei me videam esse separatum, quod incessanter defleo: atque ut pro me Dominum exoretis, rogo.

LI. Johannis Exconsulis bona excellentiæ est expertus. *Lib. 2. epist. 34.*

Item Gregorius Johanni Exconsuli & Quæstori atque Patricio. Bona vestræ Excellentiæ expertus, tanto erga vos amore constringor, ut vestra memoria de meo pectore aboleri nullatenus possit. Sed contra amorem [d] non modice contristor: quia quietem me quærere cognovistis, & ad inquietudinem perduxistis. Vobis quidem omnipotens Deus, quia hoc bono animo fecisti, bona æterna retribuat: sed me a tanto loci hujus periculo qualiter voluerit, absolvat: quia sicut peccata mea merebantur, non Romanorum sed Langobardorum Episcopus factus sum: quorum synthichiæ spathæ sunt, & gratia pœna. Ecce ubi me vestra patrocinia perduxerunt. Gemo quotidie occupationibus pressus, & respirare non valeo. Sed vos qui adhuc valetis, mundi hujus occupationes fugite: quia quanto in eo quisque profecerit, tanto ut video, ab amore Dei amplius decrescit.

LII. Leandro Hispalensi Episcopo respondere voluit, epistolis ad se transmissis. *Ibid. Epist. 45.*

Gregorius Leandro [e] Hispalensi Episcopo. Respondere epistolis vestris tota intentione voluissem, nisi pastoralis curæ ita me labor attereret, ut mihi magis flere libeat, quam aliquid dicere. Quod vestra quoque Reverentia in ipso litterarum mearum textu vigilanter intelligit, quando ei negligenter loquor, quem vehementer diligo. Tantis quippe in hoc loco hujus mundi fluctibus quatior, ut vetustam ac putrescentem navim, quam regendam occulta Dei dispensatione suscepi ad portum dirigere nullatenus possim. Nunc ex adverso fluctus irruunt, nunc ex latere cumuli spumosi maris intumescunt, nunc a tergo tempestas insequitur: interque hæc omnia turbatus, cogor modo in [f] ipsam clavum adversitatem dirigere, modo curvato navis latere, minas fluctuum ex obliquo declinare. Ingemisco, quia sentio quod negligente me, crescit sentina vitiorum: & tempestate fortiter obviante, jamjamque putridæ naufragium tabulæ sonant. Flens reminiscor, quod perdidi meæ placidum littus quietis: & suspirando terram conspicio, quam tamen rerum ventis adversantibus tenere non possum. Si ergo me, Frater carissime, diligis, tuæ mihi orationis in his fluctibus manum tende: ut quo laborantem me adjuvas, ex ipsa vice mercedis in tuis quoque laboribus valentior existas.

LIII. Cum magno angore animi summum sacerdotium suscepit.

Sed quia Gregorium non solum declinare voluisse, quin etiam cum magno angore animi summum sacerdotium suscepisse satis, ut opinor, probatum est: qua discretione id fecerit, videtur breviter indicandum, ne scilicet tantus vir, aut pertinaciæ, aut pusillanimitatis vitio saltem leviter succubuisse putetur.

LIV. Investigare superna judicia, nullus homo sufficere potest. *Lib. 1. ep. 27.*

Ait enim in epistola Anastasio [g] Corinthiorum Episcopo: Judicia Dei quanto sunt investigabilia, tanto debent esse humanis sensibus metuenda: ut quia ea ratio mortalis comprehendere non valet, his se necesse est humili cordis cervice substernat: quatenus quo eam regentis voluntas duxerit, illic obedientis mentis gressibus prosequatur. Ego autem considerans infirmitatem meam ad apostolicæ Sedis culmen non posse pertingere, onus hoc malui declinare: ne in pastorali regimine imparis administrationis actione succumberem. Sed quia contraire non est Domini disponentis arbitrio, obedienter secutus sum quod misericors de me regentis manus voluit operari. Nam Fraternitati vestræ, & si præsens non eveniret occasio, necessario fuerat indicandum quod, licet indignum, me apostolicæ Sedi Dominus præesse dignatus est.

Lib. 1. ep. 30.

Item de eadem re [h] Philippo Comiti Excubitorum. Inquantum homo discutere & investigare judicia superna non sufficit, intantum sub eis debet cervicem cordis inflectere: ut quia id quod sibi tribuitur, quo judicio disponatur ignorat, nec ad appetendum locum procax insistere, nec ad [i] repellendum contumax debet inveniri. Unde di-

a Turon. *Expatriarcha*. De eo sæpe in epistolis egimus.
b Edit. Vatic. & Gussanv. *accepi*. Et paulo post, *specialem*, pro *spiritalem amorem*, quod exhibent alii excusi, consentientibus mss.
c Vulgati, *cum disserere*, obstantibus mss. Observandum est in Utic. epistolarum contextu [illegible] longiores proferri, quam in aliis codicibus.
d Gussanv. vitiose, *constringor*.
e Utic. & Bigot. *Hispaniensi*.

f Corruptissimus est hic locus in edit. Vatic. & Gussanv. ubi legitur: *in ipsum clavum adversitatem dirigere, modo curvata navi impetum fluctuum latere minas fluctuum ex obliquo declinare*.
g Colb. & Norm. *Corinth. Archiepiscopo*.
h Turon. & Reg. *Philippico*.
i Andeg. *resistendum*.

„ dignus ego ad suscipienda Episcopatus onera, jus- A
„ sioni omnipotentis Dei, vestræque voluntati me
„ subdidi: cui me præesse largitate magis gratiæ, quam
„ judicii æstimatione voluistis. Potens est enim
„ Deus, propter quem me indignum diligitis, hanc
„ vobis in perpetuum recompensare mercedem, ut
„ gratiam quam indignis famulis ejus impenditis,
„ apud eum multiplicius invenire valeatis.

At ego hic a deflorationis opere paululum respiro, ut quæ specialiter de pontificio dicenda sunt, in libello alio suffragante Domino referantur.

CAPITULA LIBRI SECUNDI.

a Gemet. *per stationes tractatus Evang. declamat.*
b In Reg. *ponit Pontifici Felici rationem.* Ita quoque in ed. Bolland. & Mabill.
c Gussanv. & Vatic. cum ms. Reg. *convertens.*
d *Et ibi*, abest a Gemet.
e Id non legitur in Gemet.

SAN-

SANCTI GREGORII PAPÆ VITA.

LIBER SECUNDUS.

Quo exponitur qualiter sanctus Gregorius in Pontificatu vixerit.

CAP. I. Gregorius servum servorum Dei se scribens, mediocribus vestimentis amicitur.

AGE jam nunc, quoniam athletæ Christi Gregorii, viriliter in gymnasio sanctæ ipsius Ecclesiæ desudantis, prælato libello, torosa membra descripta sunt, qualiter in palæstra quoque conflixerit, aspirante Domino, proferatur. Si quidem mox, ut summum pontificium felicissimo Romanæ urbis Christo mortalibus consulente, sortitus est: superstitiosum Universalis vocabulum, quod Johannes Constantinopolitanus Episcopus insolenter sibi tunc temporis usurpabat, more antecessorum suorum Pontificum, sub districtissimæ interminationis sententia refutavit: & primus omnium se in principio epistolarum suarum servum servorum Dei scribi satis humiliter definivit: cunctisque suis successoribus documentum suæ humilitatis tam in hoc, quam in mediocribus pontificalibus indumentis, quod videlicet hactenus in sancta Romana Ecclesia conservatur, hereditarium reliquit.

II. Fidei suæ irreprehensibile symbolum dictat.

Denique [a] in specula sanctæ universalis Ecclesiæ, vir totius [b] humilitatis, auctoritatis, ac orthodoxiæ, unde videri & audiri clarius evangelicus præco valeret, consistens, oris sui divinissimo gladio & rectam fidem munivit & cunctas hæreses uno symbolo dissipavit. Quod videlicet sacræ confessionis symbolum ita se habet; Credo in unum Deum omnipotentem, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, tres personas, unam substantiam: Patrem ingenitum, Filium genitum, Spiritum vero sanctum, nec genitum, nec ingenitum, sed coæternum, de Patre & Filio procedentem. Confiteor unigenitum Filium consubstantialem, & sine tempore natum de Patre, omnium visibilium & invisibilium Conditorem, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, splendorem gloriæ, figuram substantiæ: qui manens Verbum ante secula; perfectus homo creatus est juxta finem seculorum, conceptus & natus ex Spiritu sancto & de Maria Virgine, qui naturam nostram suscepit absque peccato: & sub Pontio Pilato crucifixus est, & sepultus tertia die resurrexit a mortuis: die autem quadragesimo ascendit in cælum, & sedet ad dexteram Patris. Unde venturus est judicare vivos & mortuos, positurus ante oculos omnium omnia occulta singulorum; daturus Sanctis perpetua præmia regni cælestis, iniquis autem supplicia ignis æterni: innovaturus seculum per ignem in carnis resurrectione. Confiteor unam fidem, unum baptisma, unam apostolicam, & universalem Ecclesiam: in qua sola possunt laxari peccata in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

III. Patriarchalibus thronis suam synodicam dirigit. Lib. 1. ep. 25.

Synodicam quoque suam Gregorius, secundum priscum decessorum suorum morem, Johanni Constantinopolitano, Eulogio Alexandrino, Gregorio Antiocheno, Johanni Jerosolymitano, & Anastasio [c] Patriarchæ Antiocheno destinavit, quæ ita „se habet: Consideranti mihi, quod impar meritis, ac toto animo renitens, Pastoralis curæ pondera portare compulsus sim, caligo mœroris occurrit, & triste cor nihil aliud, nisi eas quæ videri nil sinunt, tenebras videt. Nam quid Antistes [d] ad Dominum, nisi pro delictis populi intercessor eligitur? Qua itaque fiducia ad eum pro peccatis alienis intercessor venio, apud quem de propriis securus non sum? Si fortasse quispiam apud potentem virum, qui & sibi iratus, & mihi esset incognitus, intercessorem suum me fieri quæreret, protinus responderem: Ad intercedendum venire nequeo, quia ejus notitiam ex sedula familiaritate non habeo. Si igitur recte homo apud hominem, de quo minime præsumsissem, fieri intercessor erubescerem, quantæ hoc audaciæ est, quod apud Deum pro populo locum intercessoris obtineo, cui familiarem me esse, per vitæ meritum, non agnosco? Qua in re est mihi adhuc aliud gravius formidandum: quia sicut cuncti liquido cognovimus, cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur: & valde pertimesco ne commissa mihi plebs fidelium reatus mei additamento, depereat, cujus nunc usque Dominus æquanimiter delicta tolerabat. Cum vero utcumque hunc timorem supprimo, & consolatam mentem ad Pontificalis operis studia accingo: considerata ipsa rei immensitate, deterreor. Perpendo quippe quod omni cura vigilandum est, ut Rector cogitatione sit mundus, operatione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia [e] per zelum rectitudinis erectus: & cetera quæ post in libro Pastorali prosequitur.

IV. Quinque concilia se venerari fatetur. Collecta synodo parvas consuetudines damnat. Rom. 10.

„Præterea quia corde, inquit, creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem: sicut sancti Evangelii quatuor libros sic quatuor concilia suscipere, & venerari me fateor: Nicænum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur: Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii & Macedonii error [f] convincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur: Chalcedonense vero, in quo [g] Euthycetis, Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione custodio: quia in his velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit; & cujuslibet vitæ atque actionis [h] norma existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra ædificium jacet. Quintum quoque concilium pariter veneror, in quo epistola quæ Ibæ dicitur, erroris plena, reprobatur, & Theodorus personam Mediatoris Dei et hominum [i] in duabus subsistentiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse con-

vin-

a Reg. Colb. Norm. *in speculo*.
b Sic legitur in plerisque mss. At in Reg. Colb. & in excusis, *totius humilitatis & auctoritatis orthodoxæ*. Boll. *& orth. fidei*.
c Big. & Reg. *Expatriarchæ Antioch.*
d Norm. *a Domino*.
e In Gussanv. & Vatic. *per zelum justitiæ*.
f Turon. & Andeg. *conjungitur*.

g Al. *Eutychis*, vel *Eutychii*.
h Quidam excusi, *actionis mens consistit*.
i In mss. Sangerm. Reg. Colb. & nonnullis mendose *in duabus substantiis*. Quibus adhærent vulgati omnes, quamvis hæresim sapiat negare Christum duabus substantiis constare, divina scilicet ac humana. Legendum ergo *in duabus subsistentiis*, seu personis; ut habent alii mss. nostri, tam Johannis Diaconi quam epistolarum.

„ vincitur. Scripta quoque Theodoriti, per quæ „ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementię „ prolata refutantur. Cunctas vero quas præfata „ veneranda Concilia personas respuunt, respuo: „ quas venerantur, amplector. Quia dum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos religant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo „ aliud sapit, anathema sit.

V. Collecta synodo pravas consuetudines damnat. Jerem. 1.

Hoc modo, postquam Gregorius fundamentum suæ fidei secundum priscum prædecessorum suorum Pontificum morem, luculenter apostolicis thronis exposuit, animadvertens se ideo a Domino super gentes & regna summum Pontificem constitutum, ut, juxta illud propheticum, vitiorum radices evelleret, destrueret, atque disperderet; sicque demum ædificaret, plantaretque virtutes: omnes consuetudines, quas contra priscam traditionem apostolicam noviter pullulasse cognoverat, videlicet de ministris Cantoribus, de laicis Pontifici familiariter adhærentibus, de titulandis præjudicialiter quibuslibet rebus, de contegendo dalmaticis apostolico feretro, [a] de pastillatico, & de non admittendis passim laicis ad ecclesiastici juris officium, pro Pallio vel consecratione Pontificum: primo quidem a Romanæ Ecclesiæ, postmodum vero collectis circumquaque positarum provinciarum Episcopis, a totius sanctæ universalis Ecclesiæ corpore segregavit, eaque sub interpositione terribili anathematis, tam generaliter quam perpetualiter condemnavit.

VI. Antiphonarium centonizans, Cantorum constituit scholam.

Deinde in domo Domini, more sapientissimi Salomonis, propter musicæ compunctionem dulcedinis, [b] Antiphonarium centonem Cantorum studiosissimus nimis utiliter compilavit: scholam quoque Cantorum, quæ hactenus eisdem institutionibus in sancta Romana Ecclesia modulatur, constituit: eique cum nonnullis prædiis duo habitacula, scilicet alterum sub gradibus basilicæ beati Petri Apostoli, alterum vero sub Lateranensis Patriarchii domibus fabricavit: ubi usque hodie lectus ejus, in quo recubans modulabatur, & flagellum ipsius, quo pueris minabatur, veneratione congrua cum authentico Antiphonario reservatur: quæ videlicet loca per præcepti seriem sub interpositione anathematis ob ministerii quotidiani utrobique gratiam subdivisit.

VII. Cur Occidentales dulcedinem cantilenæ corrumpunt.

Hujus modulationis dulcedinem inter alias Europæ Gentes Germani, seu Galli discere crebroque rediscere insigniter potuerunt, incorruptam vero tam levitate animi, quia nonnulla de proprio Gregorianis cantibus miscuerunt, quam feritate quoque naturali, servare minime potuerunt: Alpina siquidem corpora, vocum suarum tonitruis altisone perstrepentia, susceptæ modulationis dulcedinem proprie non resultant: quia bibuli gutturis barbara feritas, dum inflexionibus & repercussionibus mitem nititur edere cantilenam, naturali quodam fragore, quasi plaustra per gradus confuse sonantia rigidas voces jactat, sicque audientium animos, quos mulcere debuerat, exasperando magis, ac obstrependo conturbat.

VIII.

Hinc est quod hujus Gregorii tempore cum Augustino tunc Britannis adeunte, per Occidentem quoque Romanæ instituionis Cantores dispersi, barbaros insigniter docuerunt. Quibus defunctis Occidentales Ecclesiæ ita susceptum modulationis organum vitiarunt, ut Johannes quidam Romanus Cantor cum Theodoro æque cive Romano, sed Eburaci Archiepiscopo, per Gallias in Britannias [c] a Vitalliano sit Præsule destinatus: qui circumquaque positarum Ecclesiarum filios ad pristinam cantilenæ dulcedinem revocans, tam per se, quam per suos discipulos multis annis Romanæ doctrinæ regulam conservavit.

Per Johannem Romanum Cantorem correcti sunt.

IX. Carolus Rex dissonantia cantus offensus, duos Clericorum suorum erudiendos Romæ dimisit.

Sed & Carolus noster Patricius, Rex autem Francorum, dissonantia Romani & Gallicani cantus Romæ offensus, cum Gallorum procacitas cantum a nostratibus quibusdam næniis argumentaretur esse corruptum, nostrique e diverso authenticum Antiphonarium probabiliter ostensotarent, interrogasse fertur, quis inter rivum & fontem limpidiorem aquam conservare soleret? Respondentibus fontem, prudenter adjecit: Ergo & nos qui de rivo corruptam lympham usque hactenus bibimus, ad perennis fontis necesse est fluenta principalia recurramus. Mox itaque duos suorum industrios Clericos Adriano tunc Episcopo dereliquit: quibus tandem satis eleganter instructis, Metensem metropolim ad suavitatem modulationis pristinæ revocavit, & per illam, totam Galliam suam correxit.

X. Idem dissonantia cantus offensus duos Romanos Cantore, ed Aerianos rursus percepit.

Sed cum multa post tempora defunctis his, qui Romæ fuerant educati, cantum Gallicanarum Ecclesiarum a Metensi discrepare prudentissimus Regum vidisset, ac unumquemque ab alterutro vitiatum cantum jactantem adverteret: Iterum, inquit, redeamus ad fontem. Tunc Regis precibus, sicut hodie quidam veridice adstipulantur, Adrianus Papa permotus, duos in Galliam Cantores misit: quorum judicio Rex omnes quidem corrupisse dulcedinem Romani cantus levitate quadam cognovit: Metenses vero sola naturali feritate paululum quid dissonare prævidit. Denique usque hodie quantum Romano cantui Metensis cedit, tantum Metensi Ecclesiæ cedere gallicanarum Ecclesiarum Germaniarumque cantus, ab his qui meram veritatem diligunt, comprobatur. Hæc ergo per anticipationem retulerim, ne indiscussam Gallorum [d] levitatem videar præteriisse.

XI. Gregorius, pulsis laicis, familiare sibi Clericos elegit.

Ceterum prudentissimus Rector Gregorius, remotis a suo cubiculo secularibus, Clericorum sibi prudentissimos consiliarios familiaresque delegit: inter quos Petrum Diaconum coætaneum suum, cum quo postea disputans, quatuor Dialogorum libros composuit. Æmilianum quoque notarium, qui quadraginta homilias Evangelii cum sociis suis [e] excepit. Paterium æque notarium, qui ab eo Secundicerius factus, ex libris ipsius aliqua utillima defloravit: & Johannem defensorem, qui ejus jussu in Hispanias cognitor destinatus, [f] Januarium Episcopum civitatis Malacitanæ, ab Episcopis suis compatriotis depositum Sedi propriæ restauravit: & depositores ejus cum eo, qui in locum ejus obrepserat, pari sententia condemnavit. Monachorum vero sanctissimos sibi familiares elegit: inter

a Norm. Reg. & Colb. *de pastillatico*, *pro Pallio*. *vel consecratione Pontificum*, *& de non*, *&c.*

b Gemet. *Antiphonarium concentum stud.* Prius lectum ut in Colb *consentu*. Utic habet *Antiph. cantum*, & per correctionem *concentum*. Reg. *Antip Cantorum*.

c A sancto Vitaliano P. ordinatus est *Theodorus*, 7. Kal. April. Dominica ann. 668. Ita Beda l. 4. c. 1. *Bolland.*

d Colb. Gemet. & Bigot. *vanitatem*. Utic. *varietatem*. Et superscribitur, *levitatem*.

e De exceptoribus harum homil. agit S. Gregor. in Prologo earumdem ad Secundum Ep. Taurom. *Bolland.*

f Quartus fuit hujus civitatis Episc. quo ejecto intrusus est quidam Johan. Vide hist. Malacit auct. Martino de Roa cap 12 In mss. Norm. & Colb. legitur *Malalitanæ*, pro *Malacitanæ*. In Reg. *Malanitanæ*.

inter quos Maximianum, monasterii sui Abbatem, quem postea Syracusis Episcopum fecit, eique per Siciliam vices suas commisit. Augustinum ejusdem monasterii sui Præpositum, & Mellitum, per quos Anglorum Gentes ad Christianismi gratiam convocavit, Marinianum ejusdem monasterii sui Monachum, quem in Ravennati Metropoli Episcopum consecravit, Probum quem subito Abbatem spiritu revelante constituens, pro construendo xenodochio Jerosolymam destinavit: simulque Claudium a Classitanæ civitatis Abbatem, qui de Proverbiis, de Canticis canticorum, de Prophetis, de libris Regum, deque Heptateucho, Papa disputante, multa, licet non eodem sensu, composuit.

a Lib. 11. Epist. 24.

XII. Talem Ecclesiam Romanam exhibuit, qualis prima sub Apostolis fuit.

Cum quibus Gregorius diu noctuque versatus, nihil monasticæ perfectionis in palatio, nihil pontificalis institutionis in Ecclesia dereliquit. Videbantur passim cum eruditissimis Clericis adhærere Pontifici religiosissimi Monachi; & in diversis professionibus habebatur vita communis; itaut talis esset tunc sub Gregorio penes urbem Romam Ecclesia, qualem hanc fuisse sub Apostolis Lucas, & sub Marco Evangelista penes Alexandriam Philo commemorat.

XIII. Quanta & qualia tunc Romæ studia reflorebant.

Tunc rerum Sapientia Romæ sibi templum visibiliter quodammodo fabricabat, & septemplicibus artibus veluti columnis nobilissimorum totidem lapidum, apostolicæ Sedis atrium fulciebat. Nullus Pontifici famulantium a minimo usque ad maximum, barbarum quodlibet in sermone, vel habitu præferebat: sed togata, Quiritum more, seu trabeata Latinitas suum Latium in ipso Latiali palatio singulariter obtinebat. Refloruerant ibi diversarum artium studia: & qui, vel sanctimonia, vel prudentia forte carebat, suo ipsius judicio subsistendi coram Pontifice fiduciam non habebat.

XIV. Quod non divites, sed sapientes ad consilium convocabat.

Arcessebantur Pontificalibus profundis consiliis prudentes viri, quos perhibui, potius quam potentes; & paupere Philosophia intrinsecus, quid potius aut potissimum in unoquoque negotio sequendum putaretur, artificiosis argumentationibus rationabiliter inquirente, dives inertia, quæ modo se de sapientibus pari forte ulciscitur, præ cubiculi foribus despicabilis remanebat. Sola deerat interpretandi bilinguis peritia; & fœcundissima virgo Cecropia, quæ quondam suæ mentis acumina, Varrone cælibatum suum auferente, Latinis tradiderat, imposturarum sibi præstigia, sicut ipse in suis epistolis queritur, vindicabat.

XV. Quamobrem laici primo cœperint tonsurari.

Nemo laicorum, quodlibet palatii ministerium, vel ecclesiasticum patrimonium procurabat, sed omnia ecclesiasticæ juris munia Ecclesiastici viri subibant, nimirum laicis ad armorum solam militiam, vel agrorum curam continuam deputatis. Ob hoc se nonnulli procerum sub obtentu religionis primo tonsurare cœperunt. Quorum tergiversationem Mauricius Imperator prudenter occurrens, data per Longinum Stratorem lege præcepit, ut quisquis fuisset publicis administrationibus implicatus, ei ad ecclesiasticum venire officium non liceret. Quam legem Gregorius super hoc valde laudavit, dicens:

Reg. lib. 2. Ep. 63.

„ Qui secularem habitum deferens, ad ecclesiastica officia venire festinat, non relinquere „ cupit seculum, sed mutare.

XVI. Laicos non ad ecclesiasticum officium ad mittit, sed continuo ad monachicum habitum.

Verum, dum ad clericalem professionem tam ex ecclesiastica, quam ex seculari quoque militia diversis occasionibus, quotidie pene innumerabilis multitudo confluerет: Pastor ad omnia providus, nequaquam eos ad ecclesiastici decoris officium, sed ad capiendum solummodo monachicum propositum suscipiendos esse censebat, di„ cens: Multos ex ecclesiastica, seu seculari mi„ litia, novimus ad omnipotentis Dei servitium „ festinare, ut ab humana servitute liberi, in „ divino servitio videantur familiarius in mona„ steriis conversari. Quod si passim dimittimus, „ omnibus b fugiendi ecclesiastici, vel secularis „ juris dominium occasionem præbemus. Si vero „ festinantes ad omnipotentis Dei servitium, in„ caute retinemus, illi invenimus negare quæ„ dam, qui dedit omnia. Unde necesse est ut „ quisquis ex juris ecclesiastici, vel secularis mi„ litiæ servitute ad Dei servitium converti deside„ rat, probetur prius in laico habitu constitu„ tus; & si mores ejus atque conversatio bono „ desiderio illius testimonium ferant, absque ulla „ retractatione, servire in monasterio omnipo„ tenti Deo permittatur; ut humano servitio „ liber recedat, qui in divino obsequio districtio„ rem subire appetit servitutem. Si autem & in „ monachico habitu secundum Patrum regulas „ irreprehensibiliter fuerit conversatus, post præ„ fixa sacris Canonibus tempora, licenter jam „ ad qualibet ecclesiasticum officium proveha„ tur: si tamen illis non fuerit criminibus ma„ culatus, quæ in Testamento veteri morte mul„ tantur.

c XVII. Codicem Gelasianum coarctat.

Sed, & c Gelasianum codicem de Missarum solemniis, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla vero superadjiciens, pro exponendis evangelicis lectionibus in unius libri volumine coar„ ctavit. In Canone apposuit: Diesque nostros „ in tua pace dispone, atque ab æterna damna„ tione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas „ grege numerari.

XVIII. Stationes constituens, tractatus Evangeliorum declamat.

Stationes per basilicas, vel beatorum martyrum cœmeteria, secundum quod hactenus plebs Romana quasi eo vivente certatim discurrit, sollicitus ordinavit: per quas & ipse simul discurrens, dum adhuc eloqui prævaleret, viginti homilias Evangelii coram Ecclesia diverso tempore declamavit: reliquas vero ejusdem numeri dictavit quidem, sed lassescente stomacho languore continuo, aliis pronuntiandas commisit.

XIX. Cum verbi pabulo pauperibus alimenta ministrat.

Sequebatur exercitus Domini ultra citraque Gregorium præeuntem, & auditura verbum doctrinæ innumerabiles undique diversi sexus, ætatis ac professionis voluntariæ confluebant cohortes: quibus ille, utpote doctor cælestis militiæ, cunctis dumtaxat arma spiritalia suggerebat: pauperibus vero & advenis, qui pro conditione temporum Romam influxerant, quotidiana stipendia ministrabat.

XX. Consuetudines novas inducit.

Super corpora beatorum Petri & Pauli Apostolorum, Missarum solemnia celebrari decrevit, acquisitis numerosissimis olivetis, quorum summam in tabulas marmoreas præ foribus ejusdem basilicæ

a De eo lege Rubeum, lib. 4. hist. Ravenn.

b Aulcg. *fugiendi ad ecclesiastici, vel secularis juris dominium occasionem præbemus.*

c Sic dictum ex Gelasio 1. ejus auctore. De additione facta verborum, *Diesque nostros*, &c. lege Bedam lib. 2. hist. cap. 1. Censet doctissimus Hugo Menardus in nota a ad lib. Sacramentorum sancti Gregorii olim post hæc verba, *in unius libri volumine coarctavit*, lectum fuisse, *quod volumen librum Sacramentorum prænominavit*; niriturque testimonio Bernonis Abbatis Augiensis c. 1. libri de quibusdam rebus ad Missam spectantibus; *unde*, inquit, *& in ejus ipsis legimus; Sed & Gelasianum, & c... coarctavit, quod volumen*, &c. Sed fortasse ultima illa verba sunt Bernonis, non Johannis Diaconi. Certe in ipsius codd. mss. nihil simile legitur, nullaque supersunt abrasionis, aut avulsionis vestigia.

annotavit. Luminaria superaddidit, officia sedula deputavit. De sepultura juxta Ecclesiam, commodum sperare prohibuit. Septem ex defensoribus honore regionario decorandos indixit. *Alleluja* extra Pentecostes tempora dici ad Missas fecit. Subdiaconos exspoliatos procedere statuit. *Kyrie eleison* cantari præcepit: & orationem Dominicam mox post Canonem super hostiam censuit recitari.

XXI Murmurantibus pro eisdem humiliter satisfacit. *Lib. 10. Ep. 12.*

De quibus cum postea quosdam murmurare sentiret, tamquam qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ consuetudines sequeretur; piissimus pater non dedignatus est reddere rationem, dicens: „Nos in nullo horum aliam Ecclesiam secuti sumus. Nam ut *Alleluja* hic [a] diceretur, de Jerosolymorum Ecclesia ex B. Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ, traditur tractum: & ideo magis in hac. Sed illam consuetudinem amputavimus, quę hic a Græcis fuerat tradita. Subdiaconos autem, ut spoliatos procedere facerem, antiqua consuetudo Ecclesiæ fuit; sed placuit cuidam nostro Pontifici, nescio cui, qui eos vestitos procedere præcepit. Nam Siciliæ Ecclesiæ, numquid traditionem a Græcis acceperint? Unde ergo habent hodie, ut Subdiaconi in lineis tunicis procedant, nisi quia hoc a matre sua Romana Ecclesia perceperunt? *Kyrie eleison* autem nos neque diximus neque dicimus, sicut a Græcis dicitur: quia in Græcia omnes simul dicunt: apud nos vero a Clericis simul dicitur, a populo respondetur. Et totidem vicibus etiam *Christe eleison* dicitur, quod apud Græcos nullomodo dicitur. In quotidianis autem Missis alia quæ dici solent, tacemus: tantummodo *Kyrie eleison*, & *Christe eleison* dicimus, ut in his deprecationis vocibus paulo diutius occupemur. Orationem vero Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent. Et valde mihi inconveniens visum est, ut precem quam scholasticus composuerat, super oblationem diceremus; & ipsam traditionem quam Redemtor noster composuit, super ejus Corpus & Sanguinem non diceremus. Sed & Dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur: apud nos vero a solo Sacerdote cantatur. In quo ergo Græcorum consuetudines secuti sumus, qui aut veteres nostras reparavimus, aut novas & utiles constituimus; in quibus tamen alios [b] non probamur imitari? Ergo vestra Caritas, cum occasio dederit ut ad Catanensem civitatem pergat, vel in Syracusana Ecclesia, eos quos credit aut intelligit, quia de hac re murmurare potuerunt, facta collocutione doceat, & quasi alia ex occasione eos instruere non desistat. Nam de Constantinopolitana Ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet Sedi apostolicæ esse subjectam? Quod & piissimus Dominus Imperator, & frater noster ejusdem civitatis Episcopus assidue profitentur; tamen si quid boni, vel ipsa, vel altera Ecclesia habet, ego & minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultus est enim, qui in eo se primum exstimat, ut bona quę viderit, discere contemnat.

XXII Pro hospite Dominum suscipit.

Tantæ hospitalitatis Gregorius in ipso etiam Patriarchio permansit, ut exceptis his, quos tam per diversas regiones, quam Romæ quoque Langobardorum perfidiæ gladios fugientes, ecclesiastica stipe misericorditer nutriebat, ad mensam suam quotidie preregrinos quoslibet invitaret. Inter quos die quadam unus accessit, in cujus manibus dum ipse ex humilitatis ministerio aquam fundere vellet, conversus urceum accepit: sed repente eum in cujus manibus aquam fundere voluerat, non invenit. Cumque hoc factum secum ipse miraretur, eadem nocte Dominus ei per visionem dixit: „Ceteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti.

XXIII. Duodecim invitatis, tertium decimum Angelum sibi deputatum divinitus recognoscit.

Alio quoque tempore idem Gregorius, juxta consuetudinem suam, præcepit Sacellario, ut duodecim peregrinos ad prandium invitaret. Qui pergens jussa complevit, eosque ad mensam pariter [c] ordinavit. Dum autem simul discumberent, intuens Papa tredecim numeravit; & accersito Sacellario, cur contra jussionem suam tertium decimum invitare præsumserit, inquisivit. Ille obstupefactus, convivantes peregrinos curiosius numeravit, & duodecim solos inveniens, veluti securus respondit: Crede mihi, „honorabilis Pater, non sunt nisi duodecim, sicut ipse jussisti. Ergo dum convictus sæpius duodecim identidem numeraret, ac tertium decimum quem solus Papa videre poterat, non videret: animadvertit spiritualis pater Gregorius virum propius discumbentem vultus crebro convertere, & nunc adolescentem, nunc vero vetulum veneranda quadam canicie simulare. Finito convivio, duodecim quidem abire permisit: tertium decimum vero manu suscipiens, in cubiculum suum induxit, vehementer adjurans, ut ei & nomenque suum simpliciter prodere dignaretur. Qui respondens, dixit: „Et cur interrogas de nomine meo, quod est mirabile? Verumtamen scito memoria recognoscens, quia ego sum naufragus ille, qui quondam veni ad te, quando scribebas in cella monasterii tui ad clivum Scauri, cui dedisti duodecim nummatos, & argenteam scutellam, quam tibi miserat cum infusis leguminibus beata Silvia mater tua. Et hoc tibi pro certo sit cognitum, quia ab illo die, quo mihi hęc hilari animo tribuisti, destinavit te Dominus fieri Præsulem sanctæ suę Ecclesię, pro qua & proprium sanguinem fudit, & esse te successorem atque Vicarium Apostolorum principis Petri, cujus & virtutem imitatus es cum substantiam offerentium divideret, prout cuique opus erat. Hæc audiens Gregorius dixit: Et tu quomodo nosti, quod tunc me Dominus pręesse sanctæ Ecclesię suę destinarit? At ille inquit, quoniam ego Angelus ejus sum, & tunc ab eo ad tuum inquirendum propositum destinatus. Tum Gregorius, quia nondum manifeste viderat Angelum, prorsus expavit: sibique hunc taliter dicentem, audivit: Ne timeas, neque formides; ecce enim misit me Dominus, ut sim tibi custos, quamdiu fueris in isto mortali seculo quatenus quamcumque rem petieris, per me apud eum fiducialiter valeas impetrare. Illico Gregorius in faciem suam corruit, dicens: Si propter pusillum meæ parvitatis munusculum tanta mihi retribuit omnipotentissimus Dominus, ut & Pontificem me sanctæ suæ Ecclesiæ faceret, & custodem mihi suum Angelum deputaret, quanta putem mihi restituet, si in præceptis ejus totis viribus permanens, plu-

a Mabill. & Gussanv. non diceretur. Tollendum est necessario negandi, alioquin Gregorius non responderet querelis de introducto cantico *Alleluja*.

b Edit., *comprobamur*, repugnantibus mss. & contextu sensu Gregor. mentem.

c Bigot. & Utic. *invitavit*. Porro hic *sacellarius*, seu potius *saccellarius* dicitur qui sacculos ad eleemosynam servat, seu Thesaurarius. Apud sanctum Antoninum scribitur *saccellarius*.

XXIV. Quater in anno distribuendum per polyptychum censet.

„ plura studuero de pluribus erogare?

Igitur incipiens tantum largior esse de collato temporali commodo, quantum certior de recipiendo præmio sempiterno, cunctorm patrimoniorum prædiorumque reditus ex Gelasiano [a] polyptyco, cujus nimirum studiosissimus videbatur pedissequus, [b] adæravit, eorumque pensionibus in auro argentoque (collatis omnibus ordinibus ecclesiasticis, vel palatinis, monasteriis, ecclesiis, cœmeteriis, diaconiis, xenodochiis urbanis, vel suburbanis) quot solidi [c] singulis quater in anno distribuerentur, Pascha scilicet, natali Apostolorum, natali sancti Andreæ, natalitioque suo, per polypetychum quo hactenus erogatur, indixit.

XXV. Aureos & peregrina vestimenta largitur.

Extra quos primo Dominicæ resurrectionis diluculo in basilica quondam doctissimi Papæ Vigilii, juxta quam consuetudinaliter habitabat, ad impertiendum pacis osculum residens, cunctis Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, aliisque [d] axiomaticis aureos erogabat. Natalitio vero Apostolorum vel suo, mixtos solidos offerens, peregrina nihilomious vestimenta donabat.

XXVI. Kalendis in diversas species erogat.

Omnibus omnino Kalendis, pauperibus generaliter easdem species, quæ congerebantur ex reditibus erogabat: & suo tempore frumentum, suo vinum, suo caseum, suo legumen, suo lardum, suo [e] manducabilia animalia, suo pisces vel oleum paterfamilias Domini discretissime dividebat. Pigmenta verò aliaque [f] delicatiora commercia primoribus honorabiliter offerebat, itaut nihil aliud, quam communia quædam horrea, communis putaretur Ecclesia.

XXVII. Tribus millibus Deo octoginta libras annualiter præstat. Lib. 6. Ep. 26.

Tribus millibus ancillis Dei, quas Græci *Monastrias* vocant, quindecim libras auri pro lecti sterniis dedit, eisque pro quotidianis stipendiis octoginta libras annualiter conferebat. De quibus Theoctistæ Patriciæ scribens. Harum, „ inquit, talis vita est, atque in tantum lacrymis, & abstinentia districta, ut credamus quia „ si ipsæ non essent, nullus nostrum jam per tot „ annos in loco subsistere inter Longobardorum „ gladios potuisset.

XXVIII. Diatim per veredarios cocta stipendia destinat.

Quotidianis quibusque diebus per omnium regionum vicos vel compita, infirmis seu qualibet corporis parte debilibus cocta stipendia per constitutos veredarios emittebat. Verecundioribus vero, antequam ipse cibum caperet, a mensa sua benedictionis apostolicæ ostiatim dirigere curabat scutellam, itaut neminem prorsus exciperet misericordissimi benevolentia provisoris, quem ad fidem traxerat omnipotentis cognitio Creatoris.

XXIX. Pro paupere mortuo vehementissime lamentatur.

Horum dum quemdam pauperem in angustis [g] andronarum recessibus a vespillionibus inveniri mortuum contigisse, æstimans eum stipis inopia [h] periisse, ita per aliquot dies, ut dicitur, a Missarum celebratione vacando, tristatus est, tamquam si eum propriis manibus, quod dictu nefas, peremisset.

XXX. Quot & quibus remunerandorum nomina in se inde tenebantur.

Extat usque hodie in sacratissimo Lateranensis palatii scrinio hujus confectum temporibus chartaceum prægrande volumen, in quo communis sexus cunctarum ætatum ac professionum nomina tam Romæ, quam per suburbana civitatesve vicinas, necnon longinquas maritimas urbes degentium, cum suis cognominibus, temporibus, & remunerationibus expressius continentur. Quorum summam, ne videlicet fastiditus transiliat, ego transferre diffugio; meique lectoris oculum ad illius venerandi scrinii plenitudinem, cujus ipse pene in cunctis auctoritatem, Papa largiente, secutus sum, transmitto.

XXXI. Arianorum basilicam in Suburra Domino dedicat.

Præterea cum Arianorum basilica in regione urbis hujus, quæ Suburra dicitur, clausa usque ad Gregorii Pontificatus tempora remansisset, placuit ei ut in fide catholica, introductis illuc beati Sebastiani, & sanctæ Agathæ martyrum reliquiis, dedicari debuisset, quod factum est. Nam cum magna populi multitudine Gregorius laudes canendo perveniens, basilicam præfatam ingressus est; cumque venerabilis Pontifex jam Missarum solemnia celebraret, ac propter ejusdem loci angustias, populi se turba comprimerent, quidam ex his, qui extra sacrarium stabant, porcum subito inter suos pedes, huc & illuc discurrere senserunt. Quem dum unusquisque sentiret, & juxta se stantibus indicaret, idem porcus Ecclesiæ januas petiis, & omnes, per quos transiit, in admirationem convertit; sed videri nil potuit, quamvis sentiri potuisset. Quod idcirco divina pietas ostendit, ut cunctis patesceret, quia veniente cum reliquiis Sanctorum Gregorio, de loco eodem immundus habitator exiret.

XXXII. Quot & quanta miracula ibi divinitus sint ostensa.

Peracta igitur Missarum celebratione, Papa cum plebe recessit: sed adhuc nocte eadem magnus in ejusdem Ecclesiæ tectis strepitus factus est, ac si in ea aliquis errando discurreret. Sequenti autem nocte gravior sonitus excrevit, cum subito tantus terror insonuit, ac si omnis Ecclesia illa a fundamentis fuisset eversa, & protinus recessit, ac nulla illic ulterius inquirendo antiqui hostis apparuit: sed per terroris sonitum, quem fecit, innotuit, a loco quem diu tenuerat, quod per invocationem Gregorii coactus exibat. Post paucos vero dies in magna serenitate aeris, super altare ejusdem Ecclesiæ nubes cælitus descendit, suoque illud velamine operuit, omnemque Ecclesiam tanto terrore, ac suavitate odoris implevit, ut, patentibus januis, nullus illic præsumeret intrare: & Sacerdotes atque custodes, vel hi qui ad celebranda Missarum solemnia venerant, & rem videbant ingredi minime poterant, & suavitatem mirifici odoris trahebant. Die vero alia in ea lampades sine lumine sunt accensæ. Post paucos iterum dies cum expletis Missarum solemniis, extinctis lampadibus, custos ex eadem [i] Ecclesia egressus fuisset, post paululum intravit, & lampades quas extinxerat, lucentes reperit: quas negligenter extinxisse se credidit, atque eas jam sollicitus extinxit, qui exiens, Ecclesiam clausit. Sed post horarum trium spatium regressus, lucentes lampades, quas extinxerat, invenit: ut videlicet ex ipso lumine aperte clarescceret, quia per beatum Gregorium locus ille de tenebris ad lucem venisset.

XXXIII. Pro convertendis Anglis Saxonibus Augustinum cum aliis mittit.

Sed cum Gregorius pro convertendis Anglis Saxonibus, quemadmodum in monachatu suo proposuerat, assiduis cogitationum fluctibus [k] urgeretur, mox ubi Ecclesiæ statu composito, [l] quartum

sui

a Græco πτύχες, significat essium, chartarum, & aliorum quæ complicantur singulas plicaturas, folia, & laminas *Mabill.* Hic, libellus est in quo redi us ecclesiastici annotabantur, & quid singulis indigentibus erogaretur. De hac voce, vide ep. 40. lib. 12. [illegible]

b In Colb. *aggregavit*; in Reg. *adhærere*. In Utic. verbo *adæravit* superscribitur, *vel erogavit*. c Abest *singulis*. a mss. Norm.

d Id est, viris in dignitatibus constitutis ab ἀξίωμα, dignitas.

Non raro Johannes Diaconus usurpat verba Græca.

e Colb. Gemet. & Regg. *manducab.* quod etiam olim in Utic. legebatur.

f Colb. Gemet. & Regg. [illegible]. Utic. utramque lectionem servat.

g Ἀνδρῶν, locus in quo soli viri degunt; unde *andronas* formatum. *Ed.*

h Al. *defecisse*.

i Mss. *argenteus*

k Regg. & Utic. *basilica*.

l Imo *sextum*, etsi mss. codices habeant *quartum*.

sui Pontificatus annum intravit, Augustinum cum A alius domus suæ [a] monasterii Monachis in Britanniam evangelizandi gratia destinavit. [b] Qui susceptæ peregrinationis, post dies aliquot, inerti tædio prægravati, redire domum potius quam barbarem, feram, incredulamque gentem, cujus ne linguam quidem intelligerent, adire decreverunt. Nec mora, Augustinum, quem eis Episcopum consecrandum, si ab Anglis exciperentur, indixerat, Romam remittunt, summum Præsulem deprecantes ut tam laboriosam, tam incertam, tamque periculosam peregrinationem sibi nuper impositam removeret, & ad suos reverti permitteret. Quibus ille rescripsit, dicens:

XXXIV. Sine profectu redire volentes ad proficiscendum hortatur. Lib. 11. ep. 51.

„ Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, servis D.N. J. C. Quia melius fuerat bona non incipere, quam ab his quæ cœpta sunt, cogitatione B retrorsum redire: summo studio, dilectissimi Filii, oportet ut opus bonum quod cœpistis, auxiliante Domino compleatis. Nec labor vos ergo itineris, nec maledicorum hominum linguæ deterreant; sed omni instantia, omnique fervore, quæ inchoastis, Deo auctore peragite; scientes quod laborem magnum major æternæ retributionis gloria consequetur. Remeanti autem Augustino Præposito vestro, quem & Abbatem vobis constituimus, in omnibus humiliter obedite, scientes, vestris animabus per omnia profuturum, quidquid a vobis fuerit in ejus admonitione completum. Omnipotens Deus sua vos gratia protegat, [c] & vestri laboris fructum in æterna me C patria videre concedat: quatenus & si vobiscum laborare nequeo, simul in gaudio retributionis inveniar, quia laborare scilicet volo.

XXXV. Prædicantes miracula faciunt, multique convertuntur.

His exhortationibus Augustinus cum fratribus roboratus, per Ætherii Arelatensis vatis, perque aliorum Episcoporum Galliæ, Regumque quibus eos piissimus pater propriis litteris commendarat, hospitia, Britanniam petiit, & ad [d] Edelbertum Regem Cantuariorum veniens, Dei cooperante gratia, non solum licentiam prædicandi, verumetiam victus & mensiones in civitate Dorovernensi, quæ erat regni ejus Metropolis, facile impetravit. Ad quam Augustinus cum sociis prælata cruce, seu Salvatoris imagine, appropinquans cecinit, dicens: „ Deprecamur te, Domine, in omni misericordia tua, ut D auferatur furor tuus iraque tua a civitate ista, & a domo sancta tua, quoniam peccavimus. Prædicantibus autem eis, & in nomine Jesu miracula facientibus, crediderunt multi, & baptizati sunt, mirantes innocentis vitæ simplicitatem, complectentesque dulcedinem cælestis doctrinæ.

XXXVI. Augustinus Episcopus consecratus postulat adjutores.

Quapropter Augustinus Arelas venit, & secundum Gregorii jussionem ab [e] Ætherio Episcopus consecratus, in Britanniam remeavit: illicoque per Laurentium Presbyterum, & Petrum Monachum Papæ Gregorio conversionem gentis Anglorum, seque consecratum innotuit, suggerens ut sibi mitteret plurimos verbi ministros, eo quod messem quidem multam haberet, operarios autem paucos.

XXXVII. Ei Gregorius Pallium & diversa necessaria, simulque nonnulla responsa transmittit.

Quibus relationibus Gregorius in Christo læ- E tificatus, misit Augustino plurimos verbi ministros, in quibus præcipui erant Mellitus, Justinus, Paulinus, & [f] Rufinianus: & per eos universa quæ ad cultum erant Ecclesiæ necessaria, vasa videlicet sacra, & vestimenta altarium, ornamenta ecclesiastica, vestimenta clericalia, Apostolorum & multorum Sanctorum reliquias, & codices multos. Misit ei & Pallium, jubens ut sub Metropoli sua Cantiæ duodecim Episcopos ordinaret, ad Londoniam & Eburacam singulos Episcopos mitteret, qui sub se duodecim nihilominus Episcopos consecrantes, Pallium ab apostolica Sede perciperent, & post Augustini obitum ipse inter eos primus haberi debuisset, qui prius consecrari meruisset. Præcepit quoque ut in Anglorum gente idolorum fana non destrueret, sed sanctificatis aquis respersa in basilicas dedicaret. Et quia solebant Saxones in B sacrificio dæmonum boves multos occidere, jussit ut in die dedicationis, vel natalitiis sanctorum martyrum, quorum reliquiæ illic ponerentur, tabernacula sibi circa easdem ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum facerent, & religiosis conviviis solemnitates debitas celebrarent. Et quia super quibusdam capitulis Augustinus eum interrogans, qualiter Episcopus cum suis conversari deberet Clericis, requisivit, doctor humillimus inter cetera sic rescripsit: „ Quia tua Fraternitas monasterii regulis erudita, seorsum vivere non debet a Clericis suis, in Ecclesia Anglorum, quæ nuper, auctore Deo, ad [g] fidem perducta est, hanc debet conversationem instituere, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit C patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Cum una sit fides: cur super Missarum celebratione, Gallicana Ecclesia Romana discordet, Augustino quærenti, Gregorius ait: Novit tua Fraternitas Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet ut sive in Romana, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc nova est ad fidem, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, D eligas: & hæc quasi in vasculo collecta, apud Anglorum mensam in consuetudinem vertas. Interrogatus etiam quomodo ea quæ fures de Ecclesiis abstulerint reddere debeant, mitissimus pater: Absit, inquit, ut Ecclesia cum augmento recipiat, quod de terrenis rebus videtur amittere, & lucra vana requirere. Sane requisitus ab eodem Augustino, usque ad quotam generationem fideles debeant copulari, Gregorius dispensatorie sic rescripsit: Quædam terrena lex in Romana Republica permittit, ut sive frater & soror, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius, & filia misceantur. Sed experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere, [h] & sacra lex prohibet cognationis E turpitudinem revelare. Unde necesse est ut jam tertia, vel quarta generatione generatio fidelium licenter sibi jungi debeat. Nam [i] in secunda, quam præ-

Lib. 11. ep. 64.

a In Reg. omittitur, *Monasterii*. Colb. & Norm. *Britanniam*.
b Utic. *qui iter suscipientes*.
c Edit. Vatic. Gussi. Mabill. & *nostri laboris*, contradicentibus mss. & orationis serie, qua liquet Gregorium nullam sibi laboris apostolici partem, præ modestia tribuere; *quatenus etsi vobiscum laborare nequeo*.
d Gemet. cum Bigot. & Colb. *Edilbertum*, Utic. *Adelbertum*.
e Legendum *Virgilio*, qui tunc Arelatensis erat Episcopus; Ætherius vero Lugdun. Errori occasionem præbuit Beda l. 1. hist. cap. 27.
f Andeg. Erasin. Utic. *Rufinus*. Reg. *Rufianus*.
g Vulgati, *conversa est*.
h Hæc desunt in Bigot. & Utic. ubi post, *succrescere*, immediate sequitur: *unde &c.*
i Norm. *nam a secunda*. Andegav. *nam secundam*.

prædiximus, omnimodo debet abstinere.

XXXVIII. De consanguinitatibus [?] ercunctatus, ponit pacifice rationem. *Lib. XIV. Epist. ult.*

Verum post multum temporis a Felice Messanæ Siciliæ Præsule requisitus utrum Augustino scripsisset, ut Anglorum quarta generatione contracta matrimonia minime solverentur, humillimus pater Gregorius inter cetera talem reddidit rationem: „Quod scripsi Augustino, Anglorum gentis Episcopo, alumno videlicet, [a] ut recordatus es, tuo, de sanguinis conjunctione, ipsi & Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, [b] ne a bono quod cœperat, metuendo austeriora recederet, specialiter & non generaliter ceteris me scripsisse cognoscas. Unde & mihi testis omnis Romana civitas existit: nec ea intentione hæc illis scriptis mandavi, ut postquam firma radice fuerint in fide solidati, si infra propriam consanguinitatem inventi fuerint, non separentur: aut infra affinitatis lineam, id est usque ad septimam generationem jungantur: sed adhuc illos neophytos existentes, sæpissime eos prius illicita docere [c] vitare, & verbis ac exemplis instruere: & quæ post de talibus egerint, rationabiliter ac fideliter excludere oportet. Nam juxta Apostolum, qui ait: *Lac vobis potum dedi, non escam*; [d] ista illis modo, non posteris, ut præfixum est, temporibus tenenda [e] indulsimus: ne bonum quod infirma adhuc radice plantatum erat, [f] erueretur, sed cœptum aliquantulum firmaretur, & usque ad perfectionem custodiretur.“ Hæc ergo idcirco perstringenda curavi, ut hi qui occasione novæ dispensationis illicita matrimonia contrahunt; eruditissimum Papam Gregorium non regulariter quartæ generationis copulam censuisse, immo venialiter simulque temporaliter permisisse cognoscant. Cujus nimirum precibus Deus omnipotens tantam Augustino, ejusque sociis faciendorum signorum gratiam contulit: ut verbum vitæ, quod ore prædicabant, signorum efficacia confirmarent. Unde factum est ut paucis elabentibus annis, etiam ceteri Saxoniæ Reges ad Christi Domini fidem per discipulos ejus accederent.

1. Cor. 3. 2.

XXXIX. Quanta & qualia de conversione Saxonum, signisque discipulorum suorum Gregorius prædicetur. *Lib. XXVII Mor. n. 21.*

De cujus gentis conversione, simulque miraculorum prodigiis quæ ibidem fiebant, ita Gregorius in libris Moralibus perhibet, dicens: „Ecce lingua Britanniæ, quæ nihil aliud noverat quam barbarum frendere, jamdudum in Dei laudibus Hebræa cœpit verba resonare. Ecce quondam tumidus, jam substratus Sanctorum pedibus servit Oceanus: ejusque barbaros motus, quos terreni Principes edomare ferro nequiverant, hos pro divina formidine, Sacerdotum ora simplicibus verbis ligant: & qui catervas pugnantium infidelis nequaquam metuerat, jam nunc fidelis humilium linguas timet. Quia enim perceptis cælestibus verbis, clarescentibus quoque miraculis, virtus ei divinæ cognitionis infunditur, ejusdem divinitatis terrore refrenatur; ut prave agere metuat, ac totis desideriis ad æternitatis gratiam pervenire concupiscat.“ Eulogio quoque, Patriarchæ Alexandrino, de doctrina suæ Ecclesiæ conversione hæreticorum, concordiaque fidelium plausibilia referenti, Gregorius ita rescripsit: „Quoniam in bonis quæ agitis, scio quod & aliis congaudetis, vestræ quoque gratiæ vicem reddo: quia dum gens Anglorum in mundi angulo posita, in cultu lignorum ac lapidum perfida nunc usque remaneret, ex vestræ mihi orationis adjutorio placuit ut ad eam monasterii mei Monachum in prædicationem transmittere, Deo auctore, debuissem: qui data a me licentia a Germaniarum Episcopis Episcopus factus, cum eorum quoque solatiis ad prædictam gentem in finem mundi perductus est. Et jam nunc de ejus salute & opere ad nos scripta pervenerunt, quia tantis miraculis, vel ipse, vel hi qui cum eo transmissi sunt, in gente eadem coruscant, ut Apostolorum virtutes in signis quæ exhibent, imitari videantur. In solemnitate autem Dominicæ nativitatis, quæ [g] prima indictione transacta est, plusquam decem millia Angli ab eodem nuntiati sunt fratre & coepiscopo nostro baptizati. Quod idcirco narravi, ut cognoscatis quid in Alexandrino populo loquendo, & quid in mundi finibus agitis orando. Vestræ enim orationes sunt in loco ubi non estis, quarum operationes sanctæ monstrantur in eo loco, ubi estis.“

Lib. VIII. Epist. 30.

XL. Augustinum monet, ne pro miraculis tumeat. *Lib. XI. ep. 28.*

Nihilominus eidem Augustino super eisdem miraculis inter alia scribit, inquiens: „Scio, quia omnipotens Deus per Dilectionem tuam in gentem, [h] quam eligi voluit, magna miracula ostendit. Unde necesse est ut de eodem dono cælesti, & timendo gaudeas, & gaudendo pertimescas: gaudeas videlicet, quia Anglorum animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur: pertimescas vero, ne inter signa quæ fiunt, infirmus in sui præsumtione se elevet, ut unde foras per honorem tollitur, inde per inanem gloriam intus cadat, &c.“

XLI. Panis frustum in carnem, carnis rursus in panis primordia reformavit.

Quæ autem de Gregorii miraculis penes easdem Anglorum Ecclesias vulgo leguntur, omittenda non arbitror, ne studiosi lectoris animus, aut defraudasse pertinaciter, aut negligenter præteriisse me [i] cognitionem congruam suspicetur. Matrona quædam beato Gregorio per stationes publicas Missarum solemnia celebranti, solitas oblationes obtulerat. Cui post mysteria traditurus, cum diceret: Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam: lasciva subrisit. Ille continuo dexteram ab ejus ore convertens, partem illam dominici Corporis super altare deposuit. Expletis vero Missarum solemniis, matronam coram populo inquisivit quam ob rem Corpus dominicum susceptura ridere præsumserit. At illa diu mussitans, tandem prorupit, quia panem, inquiens, quem propriis manibus me fecisse cognoveram, tu Corpus dominicum perhibebas. Tunc Gregorius pro incredulitate mulieris, cum tota plebe se in orationem prostravit: & post paululum surgens, particulam panis quam super altare posuerat, carnem factam reperit: quam coram cunctis incredulæ matronæ demonstrans, ad credulitatis gratiam tam illam revocare potuit, quam totum populum confirmare curavit. Rursus itaque in orationem cum eisdem prostratus, carnis frustum in panis primordia reformavit.

XLII. Pannum pungit & sanguis effluxit.

Alio quoque tempore vir Dei Gregorius, miraculum pene huic simile perpetravit. Nam cum petentibus quibusdam occidentalibus per legatos,

in

a Plurimi edit. *ut recordor nostro*. Ipsis suffragantur Colb. & Reg. Sequimur tres mss. Norm. & Bolland. edit.
b Turon. *ne ab uno quod*.
c Abest, *vitare*, a Norm. Reg. & Colb.
d Andeg. *ita*.
e Utic. *indiximus*.
f Andeg. cum Colb. & Norm. *exuereretur*.
g Utic. *quæ hac prima*.
h Cold. Gemet. ac Bigot. *quam elegit*, *ut voluit*.
i Andeg. *cognitioni congruæ*. Gemet. *cognitioni congrua*. Big. & Utic. *cognitione congrua*.

in singulis pyxidibus sub nominibus petitorum martyrum, [a] brandeum solito more concludens, desuper sigillasset, legatis largitus est. Illi susceptas reliquias veneratione congrua deferentes, postquam quædam itineris milliaria consumserunt, stulte se tantum viaticum confecisse murmurare cœperunt, si nesciant utrum Sanctorum ossa, an magis carnes a Romano Pontifice suscepissent. Itaque communi consilio, remoto pontificali signaculo, reseratisque pyxidibus, particulas brandei repererunt. Mox ad Urbis mœnia cum furore nimio revertentes, per Archidiaconum a Gregorio delusos fuisse, ut pro reliquiis vilem pannum susciperent, flebiliter querebantur, dicentes dominos suos pulcherrimis palliis abundare, ac per hoc Romanorum vilibus brandeis non egere. Forte tunc Gregorius Missarum solemnia celebrabat. Quibus expletis, ab eisdem legatis brandeum coram cunctis recipiens, super altare composuit; seque cum omnibus in orationem dedit, ut Deus omnipotens utrum quod a liminibus Apostolorum de more transmissum est, pro reliquiis martyrum venerari deberet, quantocius indicaret. Deinde ab oratione surgens, incredulos legatos propius adstare præcepit. Cultellum petiit: [b] more sanctissimi Papæ Leonis, brandeum pupugit: de cujus punctionibus sanguis protinus emanavit. Quo miraculo tam legati confusi, quam omnes qui aderant, tremefacti, jussu Gregorii cum eo terræ prostrati sunt, nec ante ab oratione cessaverunt, quam cuncta brandeorum foramina divinitus clauderentur.

XLIII. Maleficos cæcitate multavit.

Quidam præterea divitum Romanorum relicta conjuge, fuerat a Romano Pontifice communione privatus. Quod ille molestissime ferens, & auctoritatem tanti Pontificis evacuare non prævalens, magorum suffragia requisivit. Qui magnis muneribus persuasi, posse se suis carminibus agere, ut immisso dæmone tamdiu caballus Pontificis vexaretur, quousque cum sessore suo periclitaretur, fiducialiter promiserunt. Hac incestus Judex pollicitatione lætatus, magos juxta viam, qua Pontifex ad stationem profecturus erat, in edito stare permisit, ut videre transeuntes, non videri a transeuntibus possent. Cumque magi ex planetatorum mappulatorumque processionibus magnum Pontificem cognovissent, immisso dæmone tam fortiter ejus equum vexari fecerunt, ut numquam a sessore, sive a stratoribus teneri posse putaretur. Tum Gregorius, revelante Spiritu sancto, dæmoniacam summissionem cognoscens, sancto crucis signaculo, tam caballum a præsenti rabie liberavit, quam maleficos ex latente culmine jubens deponere, perpetua cæcitate multavit. Quos reatum suum suggestione incesti Judicis confitentes, ac post multum temporis ad sacri baptismatis gratiam venientes, luminibus quidem, [c] ne magica relegerent, reddere noluit: eos tamen ecclesiastica stipe nutriri præcepit.

XLIV. Qualiter intelligi debet Gregorium Trajani animam de inferni cruciatibus liberasse.

Legitur etiam penes easdem Anglorum Ecclesias, quod Gregogius per forum Trajani, quod ipse quondam pulcherrimis ædificiis venustarat, procedens, judicii ejus quo viduam consolatus fuerat, recordatus [d] atque miratus sit: quod scilicet sicut a prioribus traditur, ita se habet. Quodam tempore Trajano ad imminentis belli procinctum festinanti vehementissime, vidua quædam processit flebiliter dicens: Filius meus innocens, te regnante, peremtus est: obsecro, ut quia eum mihi reddere non vales, sanguinem ejus legaliter vindicare digneris. Cumque Trajanus si sanus reverteretur a prælio, hunc se vindicaturum per omnia responderet, vidua dixit: Si tu in prælio mortuus fueris, quis mihi præstabit? Trajanus dixit: Ille qui post me imperabit. Vidua dixit: Et tibi quid proderit, si alter mihi justitiam fecerit? Trajanus respondit: Utique nihil. Et vidua: Nonne, inquit, melius tibi est, ut tu mihi justitiam facias, & tu pro hoc mercedem tuam recipias, quam alteri hanc transmittas? Tunc Trajanus ratione pariter pietateque commotus, equo descendit, nec ante discessit, quam judicium viduæ per semet imminens profligaret. Hujus ergo mansuetudinem Judicis asserunt Gregorium recordatum ad sancti Petri Apostoli basilicam pervenisse: ibique tamdiu super errore tam clementissimi Principis deflevisse, quousque responsum sequenti nocte cepisset, se pro Trajano fuisse auditum, tantum pro nullo ulterius pagano preces effunderet. Sed cum de superioribus miraculis Romanorum sit nemo qui dubitet, de hoc quod apud Saxones legitur, hujus precibus Trajani [e] animam ab inferni cruciatibus liberatam, ob id vel maxime dubitari videtur, quod tantus doctor nequaquam præsumeret pro pagano prorsus orare, qui quarto Dialogorum suorum libro docuerit eamdem causam esse cur non oretur a Sanctis in futuro judicio pro peccatoribus æterno igne damnatis; quæ nunc etiam causa est ut non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impiisque defunctis: non advertentes, quia non legitur pro Trajano Gregorium exorasse, sed tantum flevisse. Si enim eum non oraverit Gregorius, plangendo potuit exaudiri, sicuti Moyses cum dolendo taceret, potuit clamasse videri; cui Dominus tacenti labiis: *Quid clamas*, inquit, *ad me*? (Exod. 14. 15.) Nimirum Deus omnipotens corda renesque scrutatur, & frequenter ea misertus concedit, quæ homo, quamvis, ut carnalis desideret, tamen petere non præsumit. Unde Psalmista: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus: & desideria cordis eorum audivit auris tua*. (Psal. 10. 17.) Et notandum, quia non legitur Gregorii precibus Trajani anima ab inferno liberata, & in paradiso reposita: quod omnino incredibile videtur propter illud, quod scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum*: (Johan. 3. 5.) sed simpliciter dicitur, ab inferni solummodo cruciatibus liberata. Quod videlicet potest videri credibile, quippe cum ita valeat anima in inferno existere, & inferni cruciatus per Dei misericordiam non sentire, sicuti unus gehennæ ignis valet omnes peccatores pariter detinere, sic per Dei justitiam cunctos non valet æqualiter exurere. Nam uniuscujusque quantum meruit culpa, justo Dei judicio tantum sentietur & pœna.

XLV. Monachum sub excommunicatione defunctum mirabiliter solvit.

Nihilominus ex libro, qui a Græcis Λειμων dicitur, a Latinis vero intelligitur *campus*, vel *pratum*, præceptor meus inter alia toto orbe jam diffamata miracula interpretatus est, mihi scribens: Enar-

a In Colb. & Norm semper scribitur, *prandeum*. Brandeum Isidoro, zonarum genus; velum est quo corpus defuncti, vel sacræ reliquiæ teguntur. *Mabill.*

b Sanctus Gregorius lib. IV ep. 30. refert sanctum Leonem, dum Græci quidam dubitarent, brandeum forficibus incidisse, & ex ipsa incisione sanguinem effluxisse.

c Colb Reg Utic. & Big. *ne magicam*. Gemet ac And. *ne magiam*.

d Big. *miseratus sit*.

e Colb. Andeg. & Norm. *Trajani anima ..... liberata ... dubitare videntur*.

Ex Prato spirituali c. 192.

Enarravit nobis Presbyter nomine Petrus, de sancto Gregorio Papa Romano: (illinc enim erat reverendissimus hic Presbyter) Is, inquit, effectus Papa, ædificavit monasterium virorum magnum, & dedit mandatum ut nullus Monachorum proprium aliquid haberet usque ad unum[a] obolum. Frater ergo de monasterio habebat fratrem secularem, & postulavit eum, dicens: Casulam non habeo, sed fac caritatem, eme mihi. Dicit ei secularis frater: Ecce tria numismata suscipiens, compara, [b] qualis tibi placet. Acceptis itaque Monachus tribus numismatibus, habet ea apud se. Alius autem frater videns eum habentem tria numismata, pergens nuntiavit Abbati. Abbas vero audiens, retulit beatissimo Papæ. Beatissimus autem Gregorius discens hoc ab Abbate, segregavit eum a communione, tamquam eum qui solverat regulam monasterii. Igitur post modicum temporis moritur frater segregatus, nesciente Papa. Post duos ergo aut tres dies pergens Abbas nuntiavit ei, quia frater requievit. In hoc itaque non mediocriter tristatus est, quia antequam exiret de hac vita, non solvit eum ab excommunicationis [c] epitimio: & scribens orationem in pyctatio, dedit uni Diaconorum suorum, jubens ei ire, & super fratrem legi eam. Erat autem oratio solvens ab excommunicatione defunctum. Vadit ergo Diaconus, sicut præceptum ei fuerat, & super tumulum fratris legit pyctatium, habens orationem. Et ipsa nocte vidit Abbas fratrem illum defunctum, & dixit ei: Non es mortuus, frater? Ille respondit, etiam. Et iterum interrogavit eum Abbas: Ubi eras usque hodie? Respondit frater: Vere, Domine, in custodia, & usque heri non fui absolutus. Notum itaque factum est omnibus, quia in hora qua Diaconus orationem dixit super sepulcrum, in ea hora absolutus est ab excommunicatione, & liberata est [d] a dominatione anima ejus.

XLVI. *Paganos pueros comparat, ut Christianos efficiat. Regist. l. 6. ep. 7.*

Igitur Gregorius non solum Saxones in propriis sedibus commanentes Christo Domino dedicavit, verumetiam pueros eorum, per exteras regiones diffusos, suis pretiis comparans annualiter, ad cognitionem fidei deducebat. Unde Candidum Presbyterum commonet, dicens: „Pergens, auxiliante Domino Deo nostro Jesu Christo, ad patrimonium quod est in Galliis gubernandum, volumus ut Dilectio tua ex solidis, quos acceperit, vestimenta pauperum, vel pueros Anglos, qui sunt ab annis decem & septem, vel decem & octo ut in monasteriis dati, Deo proficiant, comparet: quatenus solidi Gallicani, qui in terra nostra expendi non possunt, ad locum proprium utiliter expendantur. Si quid vero de pecuniis redituum, quæ dicuntur [e] ablatæ, recipere potueris, ex his quoque vestimenta pauperum comparare te volumus: vel sicut præfati sumus, pueros qui in omnipotentis Dei servitio proficiant. Sed quia pagani sunt, qui illic inveniri possunt, volo ut cum eis Presbyter transmittatur, ne quid ægritudinis contingat in via: ut quos morituros conspexerit, debeat baptizare.

XLVII. *Pro paganis rusticus Episcopis comminatur. Regist. lib. 3. ep. 26.*

Sardiniæ quoque rusticos mitissimus Rector Gregorius in errore [f] vetustatis adeo permanere condoluit, ut Januarium Caralitanum Episcopum pro negligentiis increpando, inter cetera scribat: „Accidit aliud valde lugendum, quia ipsos rusticos, quos habet Ecclesia, nunc usque in infidelitate remanere sinit negligentia Fraternitatis vestræ. Et quos admoneo ut ad Dominum extraneos adducatis, qui vestros ab infidelitate negligitis corrigere? Unde necesse est vos per omnia in eorum conversione vigilare. Nam si cujuslibet Episcopo in Sardinia insula paganum rusticum invenire potuero, in eodem Episcopo fortiter vindicabo. Jam vero si rusticus tantæ fuerit perfidiæ & obstinationis inventus, ut ad Dominum venire minime consentiat, tanto pensionis onere gravandus est, ut ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem festinare.

XLVIII. *Judæos conversos a pensionibus levigat. Regist. lib. 4. ep. 8.*

Quod cum Gregorius fructuose simulque salubriter in Sardiniæ rusticos processisse cognosceret, etiam in Judæos patrimoniorum suorum rusticos non dissimiliter est conatus extendere. Unde Cypriano Diacono scribit, dicens: „Pervenit ad me esse Hebræos in possessionibus [g] nostris, qui converti ad Deum nullatenus volunt. Sed videtur mihi ut per omnes possessiones, in quibus ipsi Hebræi esse noscuntur, epistolas transmittere debeas, eis ex me specialiter promittens quod quicumque ad verum Dominum Deum nostrum Jesum Christum ex eis conversus fuerit, onus possessionis ejus ex aliqua parte imminuetur. Quod itaque fieri volo, ut si quis ex eis conversus fuerit, si solidi pensionem habet, tremissis ei relaxari debeat: si tres vel quatuor, unus solidus relaxetur: si quid amplius, jam juxta eumdem modum debet relaxatio fieri, vel certe juxta quod Dilectio tua prævidet: ut & ei, qui convertitur, onus relevetur, et ecclesiastica utilitas non gravi dispendio prematur. Nec hoc inutiliter facimus, si pro levandis pensionum oneribus eos ad Christi gratiam perducimus: quia & si ipsi minus fideliter veniunt, hi tamen qui de eis nati fuerint, jam fidelius baptizantur. Aut ipsos ergo, aut filios eorum lucramur, & ideo non est grave quidquid de pensione pro Christo dimittimus.

XLIX. *Baptizandis vestimenta largitur. Regist. lib. 5. ep. 23.*

Enimvero tam levigationibus dationum, quam promissionibus regni cælorum Judæi per diversa loca ad Christum, quem patres eorum negaverant venire cœperunt. Quibus cum salute animæ vestimenta quoque baptizandis habilia conferebat. Unde Fantino defensori: „Domina, inquit, Abbatissa monasterii sancti Stephani, quod Agrigentino est territorio constitutum, indicante, comperimus multos Judæorum ad christianam fidem, divina gratia inspirante, velle converti: sed esse necessarium ut aliquis illuc ex nostro mandato debeat proficisci. Proinde hujus tibi auctoritatis tenore præcipimus, ut omni excusatione summota, ad prædictum locum pergere, & desiderium eorum tuis, Deo propitio, adhortationibus adjuvare festines. Quibus tamen, si longum vel triste

„ vi-

a Nonnulli editi, & mss. *obolum*.

b Gemet. ac Bigot. *quidquid tibi placet*. Porro casula, vestis seu tunica est Monachorum; licet vulgo sumatur pro casula Presbyteri, de qua notanda verba Synodi sub Carlomanno habitæ ann. 742. *Decrevimus quoque, ut Presbyteri vel Diaconi non sagis laicorum more, sed casulis utantur, ritu servorum Dei*, id est Monachorum *Mabill.* In Prato sp. legitur: *Tunicam non habeo*. Græce χιτῶνα. Hieronymus Ep. ad Fabiolam: *Solent milites habere lineas tunicas, quas camisias vocant*. Isid. l. 19. Orig. c. 22. *camisias* appellat, quod in his dormimus in camis, id est in stratis nostris Consule Onomasticon Rosweydi. Est autem *cama*, etiam hodie Hispanis lectus, sub le *Holland*.

c *Epitimium*, multa ecclesiastica. *Pyctacium*, tabulæ litterariæ *Mabill.*

d Purgatorii, non inferni: vide notas in vitam S. P. Bened. c. 2.

e Big. & Gemet. *oblatæ*.

f Mabill. & Gussanv. necnon alii editi, *vetustissimæ*.

g Big. & nonnulli *vestris*.

a „videtur [a] solemnitatem sustinere Paschalem, A & eos nunc ad baptisma festinare cognoscis; ne, quod absit, longa dilatio eorum retro possit animos revocare, cum Episcopo loci ipsius loquere, ut pœnitentia ac abstinentia quadraginta dierum indicta, aut die Dominico, aut si celeberrima festivitas fortassis occurrerit, eos, omnipotentis Dei misericordia protegente, baptizet; quia & temporis qualitas propter eam, quæ sibi imminet, cladem impellit, ut desideria eorum nulla debeant dilatione differri. Quoscumque vero ex eis pauperes, & ad vestem sibi emendam non sufficere posse cognosces, & eis vestem, quam ad baptismum habeant, comparare volumus ac præbere: in quibus pre- B tium, quod dederis, tuis noveris rationibus imputandum. Si vero sanctum Pascha elegerint expectare, etiam cum Episcopo loquere ut modo quidem catechumeni fiant, atque ad eos frequenter accedat, geratque sollicitudinem & animos eorum admonitione

b suæ adhortationis accendat: [b] ut quanto, quæ exspectatur, elongatur festivitas, tanto se præparare, & eam desiderio ferventi debeant sustinere. Item Petro, Episcopo Corsicæ, inter alia: Transmisimus, ait, Fraternitati tuæ quinquaginta solidos ad vestimenta eorum, qui baptizandi sunt, comparanda.

Lib. viii. Ep. 1.

L. Pueris Arianorum subveniri prædicat. *Lib. 1. Ep. 17.*

Nihilominus pro Arianorum parvulis fidei ca- C tholicæ sociandis, Gregorius pastoralis curæ sollicitudinem prorsus extendit. Quapropter universis Episcopis Italiæ scribens, ait: „Quoniam nefandissimus Autharith in hac, quæ nu-

c per [c] expleta est, Paschali festivitate, Longobardorum filios in fide catholica baptizari prohibuit, pro qua culpa eum divina majestas ex-

d tinxit, ut solemnitatem [d] Paschæ alterius non videret: vestram Fraternitatem decet cunctos per loca vestra Langobardos admonere, ut quia ubique gravis mortalitas imminet, eosdem filios suos, in Ariana hæresi baptizatos, ad catholicam fidem concilient; quatenus iram super

Regist. lib. 1. Ep. 2.

e eos omnipotentis Dei placent. Item [e] Præjecto, Episcopo Narniensi: Pervenit ad nos, peccatis D imminentibus, in civitate vestra mortalitatem omnino grassari: quæ res nos nimis addixit. Quamobrem salutantes Fraternitatem tuam, instantissime suademus ut a Langobardorum, sive Romanorum, qui in eodem loco degunt, admonitione, nulla ratione cessetis, & maxime a gentilium & hæreticorum, ut ad veram rectamque fidem catholicam convertantur. Sic enim aut divina misericordia pro sua forsan eis conversione, & in hac vita subveniet; aut si eos migrare contigerit, a suis, quod & magis optandum est, transeunt facinoribus absoluti.

LI. Singulis Diaconiis, vel xenodochiis Rectores constituit. *Lib. xi. Ep. 27.*

„Igitur prudentissimus paterfamilias Christi Gregorius singulis diaconiis vel xenodochiis viros idoneos deputavit: quos etiam, ut se- E curius, immo sagacius in opere pietatis ac misericordiæ laborarent, hujusmodi privilegiis muniendos esse decrevit. Licet eos, qui pia intentione sollicitudinis curam debilibus ac egenis impendunt, sua apud omnes valeat tueri devotio: melius tamen est, si pro quiete sua de his fuerint muniti, quæ gesserint; ne inde eis inquietudinis occasio, unde magis laudandi sunt, oriatur. Quia igitur te virum

f [f] religiosum, intentionis tuæ studio provocati; mensis pauperum exhibendæ diaconiæ elegimus præponendum, ne qua tibi ex hac nascatur administratione dubietas, hac te munitione prospeximus fulciendum, constituentes ut de hoc, quod ad mensas pauperum, vel diaconiæ exhibitionem percepisti, sive subinde perceperis erogandum, nulli umquam hominum quolibet modo, seu ingenio cogaris ponere rationem, vel aliquam debeas molestiam sustinere. Sed quia ita humanis te omnibus esse volumus rationibus absolutum, ut Deo nostro de his, quæ tibi commisimus, rationem te noveris positurum; hortamur ut fidei in te sinceritas vigeat, sit mens in rebus intentior, cura propensior, [g] studium vigi- g lantius, devotio clarior, exhibitio efficacior: quatenus dum divino jutus auxilio hoc opus solerter impleveris; & illi, pro quibus sollicitudinem geris, studii tui solatio utiliter consolentur: & tu mercedis tuæ bonum in æterna vita Redemtoris nostri gratia compensante recipias.

Hæc quidem Gregorius intra vel extra urbem studio pietatis exercuit. Ceterum Probum religiosum Abbatem cum multis pecuniis Jerosolymam destinavit: cujus instantia venerabile xenodochium constituit, & tam ibi, quam in monte Sina penes Arabiam, Dei famulis sub regimine Palladii constitutis, quotidiani victus, & vestimenti copiam quamdiu vivere potuit annualiler mittere procuravit.

LII. Jerosolymæ xenodochiũ constituens & ibi & in monte Sina Monachis annualia stipendia assignavit.

Nihilominus per diversas provincias pro custodia sacræ religionis, rebusque pauperum strenue gubernandis, Ecclesiæ suæ viros industrios, Rectores patrimoniorum adscivit. In quibus Cyprianum Diaconum patrimonii Siculi, Pantaleonum notarium Syracusani, Fantinum defensorem Panormitani, Sergium defensorem Calabritani, Romanum notarium Apulii, Benenatum defensorem Samnitici, Anthemium Subdiaconum Neapolitani, Petrum Subdiaconum Campani, Candidum defensorem Tusci, Urbicum defensorem Sabini, Optatum defensorem Nursini, Benedictum [h] notarium h defensorem Carseolani, Felicem Subdiaconum Appiæ, Castorium chartularium Ravennatis, Castorium notarium Histriani, Antonium Subdiaconum Dalmatiani, Johannem notarium i [i] Illyricani, Symmachum defensorem Sardiniæ, Bonifacium notarium Corsicani, Pantaleonem notarium Liguriæ, Hieronymum defensorem Alpium Cottiarum, Hilarium notarium Germaniciani, & Candidum Presbyterum Gallicani. Hæc autem prudentissimus pater Gregorius, non solum in Romana, sed & per diversas Ecclesias perpetualiter observanda censebat. Unde Januario Caralitano Episcopo inter cetera scribit, dicens: „Indicatum est nobis quod laicis quibusdam curam vestri patrimonii committentes, post-mo-

LIII. Singulis patrimoniis singulos Rectores constituit.

Lib. x. Ep. 65.

a Solemne fuit quondam in Ecclesia ut baptismus sola Paschatis vel Pentecostes vigiliia frequentaretur. Qui mos non solum a Car. M. tempora viguit in Ecclesia Gallic sed usq; ad seculum 11. perduravit. Nam in Conc. Rotom. ann. 1072. apud Ord. Vitalem l. 4. hist. Eccl. p. 529. statuitur, *ne generale baptisma, nisi Sabbato Pascha & Pentecostes fiat* Mabill. Cujus observationem longiusculam exscribere ex integro non vacat; etsi dignam quæ legatur tota. Vide not. ad Ep. 23. l. viii.

b Big. & Gemet. *ut quanta expectatur elongaturque festivitas*. Andeg. *ut quanto quæ expectata elongatur festistitas*.

c Corb. Bigot. Gemet. & Andeg. *exemta*; quam lectionem annotarunt in marg. Mabill. & Gussanv. In Reg. *Exerta est*.

d Ita mss nostri, etsi legitur in excusis, *Pascha alterius*.

e Reg. & Utic, *Projecto*.

f In Utic. super *religiosum*. Legitur, *Johannem*.

g In Utic. additur *voluntas promotior*.

h Abest *notarium* a Norm. & Turon.

i Utic. *Johannem notarium Corsicani..... Bonifacium..... Illyricani*.

„ modum in rusticorum vestrorum deprædationibus, atque per hoc exfatigationibus fuerint deprehendesi, [a] & reddere res quas indecenter retinent, habitas quasi suæ ditionis, quippe vestræ non suppositi curationi postponuntur, vobisque despiciant actuum suorum reddere rationem. Quod si ita est, districte a vobis discuti convenit, atque inter eos, Ecclesiæque vestræ rusticos causam examinari subtilius: ut quidquid in eis fuarit fraudis inventum, cum pœna legibus statuta reddere compellantur. De cetero vero cavendum a Fraternitate vestra est, ne secularibus viris, atque non sub regula [b] nostra degentibus, cujuslibet res Ecclesiæ committantur, sed probatis de vestro officio Clericis: in quibus si quid reperiri poterit pravitatis, ut in subditis emendare, quod illicite gestum fuerit, valeatis: [c] quos videlicet apud vos habitus sui officium magis conveniat quam excuset.

LIV. Uni personæ duo ministeria nullo modo committenda definit. Rom. 12.

Singula Ecclesiastici juris officia, singulis quibusque personis singillatim committi debere jubebat, asserens, quia sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita in Ecclesiæ corpore secundum veridicam Pauli sententiam, in uno eodemque spiritu, alii conferendum est hoc officium, alii committendum est illud: neque uni, quantumlibet exercitatæ personæ, uno tempore duarum rerum officia committenda sunt: quia si totum corpus oculus, ubi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diversa officia & robur corporis servat, & pulchritudinem repræsentat: ita varietas personarum per diversa nihilominus officia distributa, & fortitudinem, & venustatem sanctæ Dei Ecclesiæ manifestat. Et sicut indecorum est ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio: ita nimirum noxium simulque turpissimum, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa. Hinc est quod quibusdam ambitiosis, sicut in suis litteris, quas ego studio brevitatis omisi, poterit inveniri, moderationis frena frequenter imposuit.

Lib. 11. Ep. 71.

Unde Anthemio Subdiacono pro Paschasio Episcopo, qui per semetipsum sibimet major-domus, & vicedominus permanebat, inter cetera præcepit, dicens: „ Volumus autem ut frater noster Paschasius & vicedominum sibi ordinet, & majorem-domus: quatenus possit, vel hospitibus supervenientibus, vel causis, quæ eveniunt, idoneus & paratus existere. Si vero vel negligentem eum prospicis, vel ea, quæ dicimus, implere differentem: omnis clerus ejus adhiberi debet, ut communi consilio ipsi aligant, quorum personæ ad ea, quæ prædiximus, valeant ordinari.

Lib. v. Ep. 7.

Item Ravennatibus Clericis, ad monasteriorum regimina importune tendentibus, restitit, Johanni Ravennati Episcopo scribens: Pervenit ad me quod [d] in Ecclesiis Fraternitatis tuæ aliqua loca dudum monasteris consecrata, nunc habitacula Clericorum, aut etiam laicorum facta sunt: dumque hi, qui sunt in Ecclesiis, fingunt se religiose vivere, monasteriis præponi appetunt, & per eorum vitam monasteria destruuntur. Nemo etenim potest, & Ecclesiasticis obsequiis deservire, & in monachica regula ordinate persistere: ut ipse districtionem monasterii teneat, qui quotidie in ministerio Ecclesiastico cogitur permanere. Proinde Fraternitas tua hoc, quolibet in loco factum est, emendare festinet: quia ego nullo modo patior, ut loca sacra per Clericorum ambitum destruantur.

Lib. vii. Ep. 43.

Item Mariniano Episcopo Ravennæ: Dudum ad nos multorum relatione pervenerat, monasteria in Ravennæ partibus constituta, omnino Clericorum vestrorum dominio prægravari: itaut occasione quasi regiminis, ea, quod dici grave est, velut in proprietate possideant. Quibus non modicum condolentes, decessori vestro litteras misimus, ut hoc emendare per omnia debuisset. Sed quoniam vitæ est termino citius occupatus, ne hoc onus monasteriis remaneret, Fraternitati vestræ eadem nos scripsisse recolimus. Et quia, ut comperimus, in hujus rei hactenus correctione cessatum est, hæc ad vos iterum prævidimus scripta dirigere. Hortamur ergo ut omni mora omnique excusatione summota, ita monasteria ipsa ab ejusmodi studeatis gravamine relevare, quatenus nullam deinceps in eis Clerici, vel hi, qui in sacro sunt ordine constituti, ob aliud habeant, nisi orandi tantummodo causa, accedendi licentiam: aut si forte ad peragenda sacra Missarum fuerint invitati mysteria. Sed ne, vel pro cujuslibet Monachi, aut Abbatis promotione, onus aliquod fortasse sustineant; studendum nobis est ut si quispiam Abbatum, aut Monachorum ex quocumque monasterio [e] ad clericatus officium, vel ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam habeat, ut diximus, ulterius potestatem: ne monasteria hujus occasionis velamine, ea, quæ prohibemus, sustinere onera compellantur. Hæc itaque omnia vigilanti cura emendare jam secundo commonita Sanctitas vestra non differat: ne si post hoc negligentes vos esse, quod non credimus, senserimus, aliter monasteriorum quieti prospicere compellamur. Nam notum vobis sit, quia tantæ necessitati servorum Dei congregationem amplius subjacere non patimur.

Regist. lib. iv. Ep. 11.

Item Maximiano Episcopo Syracusano post aliqua: Presbyteros, Diaconos, ceterosque cujuslibet ordinis Clericos, qui in Ecclesiis quoquo modo militant, Abbates fieri per monasteria non permittas: sed aut omissa clericatus militia, monachicis promoveantur ordinibus; aut si in Abbatis loco permanere decreverint, clericatus nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est, si cum unum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad utrumque judicetur idoneus: sicque invicem & Ecclesiasticus ordo vitæ monachicæ, & Ecclesiasticis utilitatibus [f] regula monachatus impediatur.

LV. Eleemosynas localiter ac personaliter ordinat.

Qualiter sane Gregorius per procuratores Ecclesiasticorum patrimoniorum, velut Argus quidam luminosissimus, per totius mundi latitudinem suæ pastoralis sollicitudinis oculos circumtulerit, non ab re fortsi an duxerim perstringendum.

Regist. lib. 1. Ep. 19.

„ Ait enim in Epistola Anthemio Subdiacono: Discendenti tibi mandavimus, & postmodum præce-

a Post *deprehendesi*, in plur. mss. immediate legitur *quod ita est*.
b Norm. *vestra*.
c Vatic. Mabil. & Gussanv. *quo . . . . . . magis commendet*. Cedimus mss. aliorum edit. multitudini.
d Nonnulli excusi, *in Ecclesia*. Contradicentibus mss.
e Et tamen Gregorius ipse in litteris ad Urbicum Abb. lib. 9. Ep. 42. *Volumus*, inquit, *ut Domitius Presbyter Abbas esse Lucensis monasterii debeat*. Certe in Gallia pauci admodum Abbates Sacerdotii expertes hoc tempore erant, imo & Monachi. Vide primam S. Maximini Abbatis Miciacensis vitam, n. 14. Quem ergo hic præscribit Gregorius, specialis pro loco illo constitutio est, ad retundendam clericorum monasteriis inhiantium cupiditatem. *Mabil.*
f Utic. & Gemet. *regula Monachorum impediat*. Bigot. & Andeg. *regula Monachos impediat*.

» ptis discurrentibus injunxisse me memini, ut curam pauperum gereres; & si quos illic egere cognosceres, scriptis recurrentibus indicares; & vix de paucis hæc facere curasti. Volo autem [a] ut domnæ Pateriæ, thiæ meæ, mox ut præsentem jussionem susceperis, offeras ad calciarium puerorum, solidos [b] quadraginta & tritici modios quadringentos: domnæ Palatinæ, relictæ Uberci, solidos viginti & tritici modios trecentos; domnæ [c] Vivianæ, relictæ Felicis, solidos viginti & tritici modios trecentos, qui omnes simul octoginta solidi in tuis rationibus imputentur. Summam vero pensionis sub festinatione adducito, & ad Paschalem diem, Domino auxiliante, occurrito. Item eidem: Insinuatum nobis est, ancillas Domini quasdam Nolanæ civitatis, in Aboridana domo commanentes, nimiam victus vestitusque penuriam sustinere. Quibus ex præcepto Dei subvenire nos convenit, & inopiam earum, quantum possumus, donante Domino, sublevare. Propterea Experientiæ tuæ præsenti jussione mandavimus, ut hac præsenti nona Indictione quadraginta in auro eis solidos dare debeas: & deinceps succedentibus Indictionibus annuos viginti solidos ministrare, qui tuis possint rationibus imputari. Præterea Paulino, Presbytero monasterii sancti Erasmi, quod in latere montis [d] Soractis situm est, sed, & duobus Monachis in oratorio sancti Archangeli servientibus, quod in Luculano castro juxta sancti Petri basilicam esse dignoscitur, binos te tantummodo solidos dare præcipimus, qui & ipsi tuis rationibus imputentur. Ita ergo fac, ut impensæ mercedis tu quoque participium sortiaris. Item eidem: Si in proximorum necessitatibus, habita compassione, benigna mente concurrimus, nostris proculdubio petitionibus clementem Dominum reperimus. Palatina siquidem, illustris femina, continua hostilitate insinuavit se plurimis necessitatibus subjacere. Propterea Experientiæ tuæ præsenti auctoritate præcipimus ut ei pro sustentatione ejus annuos solidos triginta dare non differat, qui tuis possint postmodum rationibus imputari. Ita ergo fac, [e] ut & tu bene ministratæ mercedis commodum percipias, & nostra ad perfectum præcepta perducas. Item Petro Subdiacono: Insinuatum nobis est Marcellum Barunitanæ Ecclesiæ, ibidem in civitate Panormitana in monasterio sancti Adriani, in pœnitentiam deputatum, non solum victus necessitatem pati, sed & nuditatis nimiam sustinere molestiam. Pro qua re necesse habemus strenuitati tuæ præsenti jussione præcipere, ut ipsi pro victu ac vestimento, strataque ad continentiam, pueroque ejus [f] annonam, quantam prospexeris satis esse, constituas; ut inopia nuditasque ejus tali providentia possint habere consultum, & ea quæ eidem viro deputaveris, tuis postmodum possint rationibus imputari. Ita ergo fac, ut & nostram jussionem impleas, & tu quoque hoc ipsum bene disponendo, hac ipsa possis participari mercede. Item eidem: Monasterium sancti Archangeli, quod in Tropæis est constitutum, indicante præsentium portitore, victus habere necessitatem didicimus. Ideoque Experientia tua diligenter invigilet ut si ejusdem loci Monachos bene se tractare cognoveris, in quibus eos necessitatem habere manifesta veritate patuerit, eis subvenire, hac auctoritate suffultus, modis omnibus festinabis; sciturus tuis esse rationibus quidquid nostra præceptione præbueris, imputandum. Sed & terrulam Ecclesiæ nostræ vicinam sibi, quam solidum unum & tremisses duos pensitam asserunt, si ita est, libellario nomine ad summam tremissis unius habere concede. Studii ergo tui sit hæc omnia ita complere, si, sicut diximus, ejus Monachi in Dei servitio, sicut decet, solertes perstiterint. Item eidem: Divina præcepta nos admonent diligere proximos sicut nosmetipsos: & cum hat eos præcipiamur caritate diligere, quanto magis debemus his in subsidiis necessitatum carnalium subvenire, ut eorum angustias si non ex omnibus, saltem aliquibus sustentaculis sublevemus? Quoniam ergo filium [g] viri dignissimi non solum amissione visus, sed etiam inopia victus egestatem pati conspeximus, necessarium duximus, in quantum possibilitas suppetit, ei præbere consultum. Propterea Experientiæ tuæ præsenti jussione præcipimus, ut annis singulis viginti quatuor [h] modios tritici, fabæ quoque modios duodecim, & vini decimatas viginti pro sustentatione vitæ debeas ministrare; quod tuis postmodum possit rationibus imputari. Ita ergo fac, ut præsentium lator nullas de percipiendis Domini donis * moras sustineat, & tu in die Domini bene dispensatæ mercedis possis particeps inveniri. Item Gregorius Cypriano Diacono: Cosmas ex variis periculorum necessitatibus, multis se dicit debitis obligatum, itaut pro eis a creditoribus suis suos dicat filios detineri. Quæ res, si ita est, nos omnino commovit. Quamobrem hortamur Dilectionem tuam ut quia de rebus pauperum dandis agitur, causam ejus cum subtilitate summa perquiras: & si inveneris eum prædictis debitis veraciter ita involutum, ut non sit substantia unde possit hæc ipsa persolvere, prædictos creditores ejus videas, et propter recolligendos filios ejus, quanta cognoveris quantitate, componas. Et quia ipse, sicut dicit, non habet unde restituat, de rebus pauperum ex præsenti nostra auctoritate persolve: sciens quidquid illic, te providente, datum fuerit, patrimonii nostri pensionibus esse reputandum. Idem eidem: Zeno, Frater et coepiscopus noster, quosdam in civitate sua alimoniorum necessitatem innotuit sustinere. Quibus quoniam, ut possibile est, aliquod desideramus ferre consultum, idcirco Dilectionem tuam antedicto fratri nostro mille modios tritici, aut, si plus levare potuerit, usque ad duo millia scriptis te dare præsentibus deputamus. Hortamur ergo ut in his præbendis nullam moram aut excusationem adducas: quatenus, dum tempus fuit, et hic cum Dei adjutorio sine periculo ad propria remeare, et citius necessitatem patientibus valeat subvenire. Item Gregorius Eusebio, religioso Abbati: Credat mihi Caritas tua, quia valde contristatus sum de tristitia tua, et cetera: [i] Præterea centum solidos per Petrum Subdiaconum

Margin notes: Regist. lib. 3. Epist. 24. — Regist. lib. 1. Ep. 67. Indict. 9. — Regist. lib. 1. Ep. 8. Ind. 9. — Lib. 11. Ep. 1. — Regist. lib. 1. Ep. 40. — * Al. mihi nuntiet moras. — Regist. lib. 11. Ep. 58. — Regist. lib. .. Ep. 4. Indict. xiv. — Regist. lib. 11. Ep. 36. Indict. 10.

a Editi cum mss. Reg. Colb. & B. Mariæ Paris. habent aut *Patevichia mea*, aut *Patriarchæ*; Sed melius in mss. Andeg. Gemet. Bigot. Utic. & al. legitur *Pateria thia*, hoc est, *amita mea*; id enim sonat vox Græca *thia*.

b Bigot. *quinquaginta*.

c Idem cod. *Bibiana*.

d Norm. tres Parisienses, & Turon. *Serapti*.

e Gemet. ac. Bigot. *ut & te bene ministrante*. Utic. *ut & tu bene ministrans*.

f Turon. Paris. & Andeg. *annonam quantam prospexeris*.

g In Colb. & in edit. Vatic. & Gussl. *filium Filimund.* In Colot. *filiam Firmund.* Apud Boll. *Godisfaldis dignissimi filium* Utic. *filium Odiscalchi*.

h Plur. mss. *modia* hic & infra.

i Vulgati *propterea*.

„ num Dilectioni tuæ dari fecimus peto, quos ut A abque injuria suscipias. Item Gregorius Candido defensori: Necessitatem patientibus pontificale convenit adesse subsidium. Pro qua re Experientiæ tuæ præsenti auctoritate præcipimus, quatenus Albino, privato luminibus, filio quondam [a] Martini coloni, singulis annis duos tremisses sine aliqua dilatione præstare non desinat: non dubitatura suis hoc sine dubio rationibus imputari. Item Gregorius Fantino defensori: Lator præsentium Cosmes Syrus, in negotio quod agebat, debitum se contraxisse perhibuit: quod & multis aliis, & lacrymis ejus attestantibus verum esse credimus. Et quia centum quinquaginta solidos debebat, volui ut creditores illius cum eo aliquid paciscerentur: quoniam & lex B habet quod homo liber nullatenus pro debito teneatur, si res defuerint, quæ possint eidem debito addici. Creditores ergo suos, ut asserit, ad octoginta solidos consentire possibile est. Sed quia multum est ut a nil habente homine octoginta solidos petant, sexaginta tibi solidos per notarium tuum transmisimus, ut tu cum eisdem creditoribus subtiliter loquaris [b] & rationem reddas, quia filium ejus quem tenere dicuntur, secundum leges tenere non possunt. Et si potest fieri, ad aliquid minus, quam nos dedimus, condescendant: & quidquid de eisdem sexaginta solidis remanserit, ipsi trade, ut cum filio suo exinde vivere valeat. Si autem nil remanet, vel ad eamdem debitum ejus sum- C mam incidere stude, ut possit sibi libere postmodum laborare: hoc tamen solerter age, ut, acceptis solidis, ei plenariam munitionem scripto conficiant. Item Gregorius Castorio Diacono, & chartulario Ravennæ, inter cetera: Valerianum Monachum, quem emendatum in monasterio beati Johannis in Classe posito tradidisti, in eo eum monasterio sine dubio volumus permanere. Præterea ne quam necessitatem in expensis tua Experientia patiatur, de reditibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui illic, te providente, eggregati sunt, omnes expensas tuas te facere volumus: & si quid superfuerit, nobis, cum veneris, defer. Item Gregorius Romano defensori: Divinorum nos ad- D monent eloquia præceptorum, necessitatem patientibus Ecclesiasticum præbere subsidium. Quia ergo dilectissimus filius noster Cyprianus, Diaconus, Gaudiosum defensorem Sedis nostræ, qui Syracusis degere comprobatur, paupertatis asseruit inopia constringi: idcirco Experientiæ tuæ præsentium auctoritate mandamus, ut a præsenti secunda Indictione sex solidos annis singulis ei dare non differas: ut & ille hujus remedii solatio potiatur, & tu quod dederis, tuis sine dubio noveris rationibus imputandum. Item Gregorius Libertino expræetori: Quanta vos seculi hujus premat angustia, incognitum non habemus. Sed quia in summa tribulatione positis sola [c] est E consolatio misericordia Creatoris, in eum spem vestram ponite, ad ipsum vos tota mente convertite, qui & juste, quem vult, permittit affligi, & confidentem in se misericorditer liberabit. Ipsi ergo gratias agite, & patienter quæcumque illata sunt sustinete. Nam rectæ

Regist. lib. IV. Ep. 28. — *Regist. lib. IV. Ep. 45.* — *Regist. lib. V. Ep. 28.* — *Regist. lib. XI. Ep. 39. Indict. 2.* — *Regist. lib. X. Ep. 51.*

„ mentis est, Deum non solum in prosperis benedicere, sed etiam in adversitatibus collaudare. In his igitur, quæ patimini, nullum contra Dominum murmur cordi vestro [d] surrepat: quia ad quid hoc Creator noster operetur, ignotum est. Forsitan enim, magnifice Fili, aliquid illum in prosperis positus offendisti, unde te clementi amaritudine vult purgari. Et ideo nec temporalis te frangat afflictio, nec rerum damna discrucient: quia si in adversis gratias referens, Deum tibi patientia feceris esse placabilem: & quæ amissa sunt, multiplicata reddentur, & super hæc gaudia æterna præstantur. Peto autem ne injuriosum ducatis, quod viginti annuos vestitus ad pueros vestros per Romanum defensorem scripsimus præberi: quia de beati Petri Apostoli rebus, quamvis parva sint quæ offerantur, pro magna benedictione suscipiende sunt semper: quoniam & hic vobis majore valebit impendere, & apud omnipotentem Deum beneficia æterna præstare. Item Gregorius Philippo Presbytero: Suscepi epistolas Dilectionis tuæ, in quibus mihi innotescere curasti, quod vir venerabilis Andræes, Presbyter, de hac luce migraverit. De cujus ereptione gavisus sum, quia ad ea quæ semper [e] expetiit gaudia æterna pervenit. De solidis vero, qui pro faciendo xenodochio e filio nostro Probo, Abbate, Jerosolymis relicti sunt, hoc, quod deliberatum fuerat, ut fieri debuisset, immutare non potui: sed benedictionem parvulam Sanctitati vestræ quinquaginta solidos transmisi.

Regist. lib. XIII. Ep. 29.

LVI. *Quod omni petenti se, voluntarie tribuit.* *Regist lib. V. Ep. 37.*

Longum est nimisque difficile, si eleemosynarum ejus saltem hujusmodi prosequar actiones: hoc breviter assero, quia & non petentibus ultro distribuit, & omnibus sibi petentibus hilariter ministravit. „ Unde Eliæ Presbytero, & Abbati provinciæ Isauriæ: [f] Evangelia, inquit, sicut mandastis transmisimus. Et post pauca: Solidos autem vobis voluistis pro necessitatibus cellæ quinquaginta transmitti, quos multum esse existimantes, ex eis nobis decem donastis, ut quadraginta mitteremus. Sed ne forsitan & hoc grave esset, [g] alios nobis ex eis adhuc dignati estis largiri. Sed quia vos valde in continentia vestre benignos invenimus: eidem benignitati vice simili respondentes, quinquaginta transmisimus. Et ne forsitan minus esset, alios decem superaddimus. Ne vero & hoc adhuc minus esset, alios duodecim jungi fecimus. In hoc autem cognoscimus caritatem vestram, quia de nobis ita præsumitis, sicut vos præsumere debetis.

LVII. *Quod etiam non petenti necessaria ministravit.* *Lib. XIII. Ep. 19.*

„ Item Juliano: Gloriæ vestræ scripta suscipiens, legenda lætus aperui, sed tristis perlecta replicavi. In eis quippe dicebatur quod pudoris causa fuerit, mihi vos ea, quæ dicenda erant, tempore multo tacuisse. Et certum est quia minus amatur, qui adhuc erubescitur. Absque modo contristatus sum, quia me a vobis comperi minus, quam æstimaveram, amari. In hoc autem [h] valde me continetis si mercedis causas mihi assidue providendo studiose requiritis. Nec debet esse verecundiæ ei aliquid de eleemosynis importune dicere, quem constat non suas, sed ad dispensandum res pauperum habere. De causis ita-

a B. Mariæ Paris. Colb. Gemet. ac Bigot. *Marini*.
b Iidem cum Andeg. *& rationibus reddas*.
c Bigot & Gemet. *sola est consolatio omnicreatoris*, uno verbo, ut dicitur *omnipotentis*.
d Colb. Turon. Andeg. & plur. mss. *subripiat*.

e Turon. & Gemet. *expedit*. Bigot. *expediunt*.
f Edit. Vatic. & Guss. reluctantibus mss. *Evangelistam*.
g In vulgatis *alios decem*.
h Ita mss quibus consentiunt Bolland Gilot. & Mabil. ex parte. In Guss. & Vatic. *valde me contemnitis, si .... non requiritis*.

que mercedis, apud Episcopum libere agere debuistis, etiamsi meum animum qualis in amore vestro existeret nesciretis. Postquam enim & nos omnino Gloriam vestram diligimus, & dispensationis locum in rebus, sicut scitis, pauperum tenemus: vestra, fateor, verecundia valde accusabilis fuit. Quam ideo tot verbis increpando insequor, ut hanc a corde vestro funditus repellam, & in mercedis causas magnum solatium vestrę provisionis habeam. Monasterio itaque vestro, quod a vobis in Catanensi urbe constructum est, per Adrianum, notarium & rectorem patrimonii, emissa præcepti pagina, decem annuos solidos dari deputavimus. Quos petimus sine injuria suscipi, quia non hæc vobis nostra oblatio, sed sancti Petri Apostolorum Principis benedictio offertur.

LVIII. Liberalitatis ejus innocentia comprobatur.

Sane, quia sunt nonnulli, qui ea quidem, quę habent, tribuunt, sed aliena quæ non habent, rapere non desistunt: & dum valde videri munifici appetunt, violenter ab habentibus auferunt, quæ quasi misericorditer non habentibus largiantur: duas hic Gregorii epistolas insero, quibus liberalitatis ejus innocentia mirabiliter doceatur.

a epist. lib. 1 Ep. 3

Ait enim in epistola Pantaleoni notario: Experientia tua, quod vel quale apud sacratissimum corpus beati Petri Apostoli jusjurandum præbuerit memor est. Unde nos quoque securi discussionis ei causas in patrimonio partis Syracusanæ commisimus. Oportet ergo te fidem tuam, & ejusdem beati Petri Apostoli timorem semper ante oculos habere, atque ita agere ut neque in præsenti vita ab hominibus, neque ab omnipotenti Deo in extremo judicio valeas reprehendi. [a] Valerio siquidem chartulario nostro narrante, cognovimus quia modium, cum quo coloni Ecclesiæ frumenta dare compellebantur, vinginti & quinque sextariorum inveneris, quod omnimodo execrati sumus, atque eamdem discussionis causam ita tarde fecisse doluimus. Quia vero eumdem modium te fregisse, & justum fecisse commemoras, gavisi sumus. Sed quia prædictus chartularius summam quoque nobis indicare studuit, quæ de fraudibus conductorum apud Experientiam tuam jam de duobus territoriis est collecta, sicut te studiose fecisse, fracto injusto modio, gaudemus; [b] quia in futuro nobis etiam ita de peccatis præteritis cogitamus, ne si ea quæ fraudulenter conductores a rusticis abstulerunt, ad nos perveniant: peccata, quæ ab ipsis perpetrata sunt, ad nos trahantur. Et ideo volumus cum omni fide, omnique puritate, considerato timore omnipotentis Dei, reducta ad memoriam districtione beati Petri Apostoli, per unamquamque massam colonos pauperes & indigentes Experientiam tuam describere: atque ex eis pecuniis, quæ in fraudibus sunt inventæ, vaccas, oves, porcosque comparare, & singulis colonis pauperibus eas distribuere. Quod facere te cum consilio viri reverendissimi Domni Johannis Episcopi, atque Adriani chartularii nostri, & rectoris volumus. Si autem necesse propter consilium fuerit, etiam filius meus Domnus Julianus debet adhiberi, itaut nullus alius hoc cognoscat, sed omnino secretum sit. Vos igitur apud vos pertractate utrum in auro, an certe pecuniis, eisdem colonis pauperibus, dari eadem continentia debeat. Quidquid vero communiter steterit, prius descriptionem, sicut prædixi, facito, & postmodum singulis juxta qualitatem suæ paupertatis distribuere stude. Ego enim, sicut Magister gentium testatur, habeo omnia, & abundo, nec pecunias, sed mercedem quæro. Ita ergo age, ut in die judicii de eadem causa mercedis quæ Experientiæ tuæ commissa est, mihi fructum, quem feceris, ostendas. Quod si pure, & fideliter ac strenue egeris, & hic illum in filiis tuis recipies, & postmodum retributionem plenariam in ęterni judicis examine habebis. Phil. 4.

Item idem Petro Subdiacono: Quod Responsalem tuum tarde dimisimus, Paschalis festivitatis occupationibus implicati, eum relaxare citius minime valuimus. Causas vero in quibus indicandum curasti, omnes subtiliter perquirentes, qualiter disposuimus, inferius agnosces. Cognovimus rusticos Ecclesiæ vehementer in frumentorum pretiis aggravari, iteut instituta summa eis in comparatione, abundantiæ tempore non servetur. Et volumus ut juxta pretia publica in omni tempore sive minus, sive amplius frumenta nascantur, in eis comparationis mensura teneatur. Frumenta autem, quę naufragio pereunt, per omnia volumus reputari: ita tamen, ut, a te negligentia ad transmittendum minime fiat: ne dum transmittendi tempus negligitur, damnum ex vitio vestro generetur. Valde autem iniquum & injustum esse perspeximus, ut a rusticis Ecclesię de sextariaticis aliquid accipiatur, & ad majorem modium dare compellantur, quam in horreis Ecclesiæ infertur. Unde præsenti admonitione præcipimus ut plus quam decem & octo sextariorum modium numquam a rusticis Ecclesiæ frumenta debeant accipi: nisi forte si quid est quod nautæ juxta consuetudinem super accipiunt, quod minui ipsi in navibus attestantur. Lib. 9. Ep. 44.

Cognovimus etiam in aliquibus [c] locis massisve Ecclesiæ, exactionem valde injustissimam fieri, itaut [d] a septuaginta ternis semis, quod dici nefas est, conductores exigantur. Et adhuc neque hoc sufficit: sed insuper aliquid ex usu jam multorum annorum exigi dicuntur. Quam rem omnino detestamur, & amputari de patrimonio funditus volumus. Sed tua Experientia sive in hoc, quod per libram amplius, sive in aliis minutis oneribus, & quod ultra rationis æquitatem a rusticis accipitur, penset: & omnia in summam pensionis redigat, [e] & prout vires rusticorum portant, pensionem integram, & pensantem [f] ad septuagena vina persolvant: & neque siliquas extra libras, neque libram majorem exigere debeant, sed per æstimationem tuam prout virtus sufficit, in summam pensionis crescat: & sic turpis exactio nequaquam fiat. Ne vero post obitum meum hæc ipsa onera, quæ super pensum illata subtrahimus & in capite pensionis fecimus crescere, iterum in quolibet addantur, & inveniatur summa pensionis augeri, & onera adjectionis insuper rustici persolvere compellantur: volumus ut securitatis libellos ita de pensionibus facias, quatenus in primis

dicas

a Andeg. *Solerio*. Plurimi Norm. *Solerio*.
b Sic legendum ex mss. ubi excusi habent *quia in futuro nobis proderit ita miam conductores* &c.
c Ita Reg. cod. B. Mariæ Paris. In Colb. & in edit. Guss. *massis*.
d Ed. *ad septuaginta urnas & semis*. Sequimur mss. tum Johan. Diac. tum epistolarum S. Greg.
e Post *redigat*, in Utic. legitur: *neque onera super libram majora*.
f Ed. *ad septuagenos vini lagenas persolvant*. Ipsis suffragantur cod. B. Mariæ Paris. & Reg.

„ dicas tantam pensionem unumquemque persolvere debere, inibi abjectis siliquis, [a] oleribus, vel granaticis. Quod autem ex his minutis in usum rectoris accedebat, volo ut hoc ex præsenti jussione in usum tuum veniat. Ante omnia hoc te volumus sollicite attendere, ne injusta pondera in exigendis pensionibus ponantur: sed si qua talia inveneris, frange: & nova, & recta constitue; quia & filius meus Servus-Dei, Diaconus, jam talia invenit, quæ ipsi displicerent: sed licentiam hæc immutandi non habuit. Super justa ergo pondera præter excepta, [b] & vilia cibaria, nihil aliud volumus a colonis Ecclesiæ exigi.

„ Præterea cognovimus quod prima illatio [c] burdationis rusticos nostros vehementer angustet, itaut priusquam labores suos venumdare valeant, compellantur tributa persolvere. Quę dum de suo, unde dare non habent, [d] ab auctionariis publicis mutua accipiunt, & gravia commoda ex eodem beneficio persolvunt. Ex qua re fit ut dispendiis gravibus coangustentur. Unde præcipimus præsenti admonitione, [e] ut plus quam decem & octo sextariorum numquam exigatur: & omne, quod mutuum pro eadem causa ab extraneis accipere poterant, a tua Experientia ex publico detur, & a rusticis Ecclesiæ paulatim, ut habuerint, accipiatur: ne, dum in tempore coangustantur, quod eis postmodum sufficere poterat in inferendum, prius compulsi, vilius vendant, & hoc eis minime sufficiat.

„ Pervenit etiam ad nos quod de nuptiis rusticorum immoderata commoda percipiantur. De quibus præcipimus ut omne commodum nuptiarum unius solidi summam nullatenus excedat. Si qui sunt pauperes, etiam minus dare debent. Si qui autem divites, præfati solidi summam nullatenus transgrediantur. Quod nuptiale commodum nullatenus volumus in nostra ratione redigi, sed utilitati conductorum proficere.

„ Cognovimus etiam quod, quibusdam conductoribus morientibus, parentes sui non permittuntur succedere; sed res eorum ad usus Ecclesiæ pertrahuntur. De qua re definimus ut parentes morientium, qui in possessione Ecclesiæ degunt, heredes eis succedere debeant, nec aliquid de substantia morientium subtrahatur. Si vero filios parvulos aliquis reliquerit, quousque ad ætatem talem veniant, ut substantiam suam regere valeant, personæ eligantur cautæ, quibus parentum eorum res tradi debeant ad custodiendum.

„ Cognovimus etiam quod si quis ex familia culpam fecerit, non in ipso, sed in ejus substantia vindicatur. De qua re præcipimus ut quisquis culpam fecerit, in ipso quidem, ut dignum est, vindicetur: a commodo autem ejus omnino abstineatur: nisi forte parum aliquid, quod in usum executoris, qui ad eum transmissus fuerit, proficere possit.

„ Cognovimus etiam quia quoties conductor aliquid a colono suo injuste abstulerit, hoc quidem a conductore exigitur, sed ei non redditur a quo ablatum est. De qua re præcipimus ut quidquid violenter cuilibet ex familia ablatum fuerit, ipsi restituatur, cui ablatum est, ut utilitati nostræ non proficiat: ne nos ipsi auctores esse violentiæ videamur.

„ Præterea volumus ut si quando eos, qui sunt in obsequio Experientiæ tuæ, in aliquibus causis, quæ sunt extra patrimonium, transmittis; parva quidem ex eis commoda accipiant, sed tamen ita in eorum utilitatem proficiant, ut nulla sibi exinde lucri commoda sub specie nostræ utilitatis requirant: quia nos sacculum Ecclesiæ ex lucris turpibus nolumus inquinari.

„ Jubemus etiam, ut hoc Experientia tua summopere custodiat, ut per commodum conductores in massis Ecclesiæ numquam fiant: ne dum commodum quæritur, conductores frequenter immutentur. Ex qua mutatione quid aliud agitur, nisi ut ecclesiastica prædia numquam colantur? Sed & ipsa etiam libellatica, prout summa pensionis fuerit, moderentur. Per cellas, & cellaria non plus de massis Ecclesiæ te accipere volumus, nisi quantum consuetudo est. [f] Te autem, quæ comparare jussimus, ab extraneis comparentur.

„ Pervenit autem ad nos tres libras auri Petro conductori de Subpatriana injuste ablatas: de qua causa Fantinum defensorem subtiliter require: & si manifeste, injuste, & incompetenter ablatæ sunt, sine aliqua tarditate restitue.

„ Cognovimus etiam rusticos burdationem, quam jam ab eis exactam Theodosius minime persolverat, iterum dedisse: itaut in duplo exacti sint. Quod ideo factum est, quia ejus substantia ad debitum Ecclesiæ non sufficiebat. Sed quoniam per filium nostrum Servum-Dei, Diaconum, edocti sumus quod ex rebus substantię ejus possit hoc ipsum damnum sufficienter resarciri, volumus quingentos septem solidos eisdem rusticis sine aliqua imminutione restitui: ne in duplo videantur exacti. Si autem supra damnum rusticorum, etiam quadraginta solidi de rebus Theodosii remanent, quos & apud te diceris habere, volumus, ut filiæ ejus reddantur: ut res suas, quas in pignore dederat, recipere debeat. Cui etiam [g] batiolam patris sui restitui volumus.

„ Campanianus, gloriosus magister militum, duodecim solidos annuos Johanni notario suo reliquerat ex massa Varroniana: quos dare te annis singulis sine aliqua dubitatione præcipimus nepti Eupli conductoris, quamvis omne mobile ejusdem Eupli perceperit, exceptis dumtaxat solidis. Dare etiam de solidis illius te volumus solidos viginti-quinque. Suppositorium aliquod argentum pro uno solido dicitur esse appositum, & calix pro sex solidis dicitur esse appositus. Interrogato Dominico secretario, vel aliis qui scire possunt, debitum recipere, & vascula pręfata restitue.

„ Agimus autem gratias sollicitudini tuę, quia de causa fratris mei præcepi tibi, ut argentum illius retransmittere debuisses: & sic oblivioni mandasti, ac si tibi aliquid ab extremo mancipio tuo diceretur. Quod jam, vel modo non Expe-

 rien-

a Mss. nostri *oneribus*, & paulo post *minutis*.
b Norm. & *vili cibo*.
c Pensio quam rustici solvunt. Vide Gloss. Cangii.
d Andeg. tres Paris. & Norm. *ab actionariis*. quod in plerisque mss. epistolarum extat. Observandum est autem mss. Johan. Diac. fere semper concinere cum mss. cod. Registri Gregoriani.
e In iisdem cod. *ut omne quod mutuum*. &c. aliis omissis.
f In nonnullis mss. *ea autem quæ*. In aliis *tua autem quæ comparari*.
g Quid sit *batiola*, require in notis ad epistolas. Easdem consulere non pigeat, si quid difficultatis occurrat in ceteris epistolis a Johanne Diacono laudatis: nimirum, quæ jam alibi observavimus, hoc loco repetere tædiosum foret.

„ rientia, sed negligentia tua studeat implere: vel A quidquid ejus apud Antoninum fuisse cognoveris, sub omni velocitate retransmitte.

„ De causa Salpingi Judæi epistola aliqua est inventa, quam tibi fecimus transmitti, ut eam relegens, & subtiliter causam ejus, vel viduæ cujusdam, quæ in eodem negotio dicitur implicata, cognoscens, de quinquaginta uno solidis, [a] qui redhiberi noscuntur, sicut justum tibi visum fuerit, responsum facias, itaut res alienæ injuste nullo modo a creditoriis defraudentur.

„ Antonino medietas legati sui data est, medietas redimetur: quam medietatem ex communi substantia ei volumus adimpleri: & non solum ei, sed etiam defensoribus, & peregri- B nis, quibus legati titulo aliquid dereliquit, & familiæ legatum persolvi volumus: quod tamen ad nos pertinet. Collecta ergo ratione, pro nostra parte, id est pro novem unciis persolve.

„ De solidis Ecclesiæ Canusinæ volumus ut aliquid Clericis ejusdem Ecclesiæ largiaris, quatenus, & ii qui nunc inopiam patiuntur, sustentationem aliquam habeant: & si illic Deus voluerit ordinari Episcopum, habeat unde subsistat.

„ De lapsis Sacerdotibus, vel quolibet ex clero observare te volumus, ut in rebus eorum nulla contaminatione misceearis, sed pauperrima regularia monasteria require, quæ secun- C dum Deum vivere sciunt: & in eisdem monasteriis ad pœnitentiam lapsos trade, & res lapsorum in eo loco proficiat, in quo agere pœnitentiam traduntur: quatenus ipsi ex rebus eorum subsidium habeant, qui de correctione eorum sollicitudinem gerunt. Si vero parentes habent, res eorum legitimis parentibus dentur; ita autem ut eorum stipendium, qui in pœnitentiam dati fuerint, sufficienter debeat procurari. Si qui vero ex familia ecclesiastica Sacerdotes, vel Levitæ, vel Monachi, vel Clerici, vel quilibet alii lapsi fuerint, dari eos in pœnitentiam volumus, sed res eorum ecclesiastico juri non subtrahi: ad usum tamen suum accipiant, unde ad pœnitendum subsistant: ne si nudentur, lo- D cis, in quibus dati fuerint, onerosi sint. Si quos parentes in possessione habent, ipsis res eorum tradendæ sunt, ut ab ipsis juri Ecclesiæ conserventur.

„ Ante triennium Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Ecclesiæ suis uxoribus nullatenus miscerentur. Quod mihi durum atque incompetens videtur; ut qui usum ejusdem continentiæ non invenit, neque castitatem ante proposuit, compellatur a sua uxore separari, atque per hoc, quod absit, deterius cadat. Unde videtur mihi ut a præsenti die Episcopis omnibus dicatur, ut nullum facere Subdiaconum præsumant, nisi qui se victurum caste promiserit: quatenus & præterita, quę pro- E posito mentis appetita non sunt, violenter non exigantur, & futura caute caveantur. Qui vero post eamdem prohibitionem, quæ ante triennium facta est, continenter cum suis conjugibus vixerunt, laudandi atque remunerandi sunt, & ut in bono suo permaneant, exhortandi. Eos autem qui post prohibitionem factam se a suis uxoribus continere noluerunt, pervenire ad sacrum ordinem nolumus: quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.

„ Liberato negotiatori, qui se Ecclesiæ commendavit, qui habitat in massa Cinciana, annuam continentiam a te volumus fieri. Cujus continentiæ summam ipse æstima, qualis esse debeat, ut renuntiata nobis, in tuis rationibus possit imputari. De præsenti vero Indictione jam a filio nostro Servo-Dei, Diacono, percepi, quod Fantinum defensorem, Johannes quidam Monachus moriens in sex uncias heredem dimisit. Cui hoc quidem quod dimissum est trade, sed contestare eum ut hoc facere ulterius non præsumat: sed pro labore suo statue quod accipiat, ut ei vacuus labor suus esse non debeat: & hoc meminerit, ut qui Ecclesię stipendiis subsistit, ad lucra propria non anhelet. Si quid vero sine peccato & sine appetitu concupiscentię, per eos qui causas Ecclesię agunt, ad Ecclesiam venerit; dignum est ut ipsi vacui ex labore suo esse non debeant, sed nostro servetur judicio, qualiter debeant remunerari.

„ De argento Rusticiani causam subtiliter require, & quod tibi justum videtur exequere. Alexandrum virum magnificum admone, ut causam suam cum sancta Ecclesia decidere debeat. Quod si forte facere neglexerit, eamdem causam eum timore Dei, honestate servata, ut potes, exequere. In qua re etiam largiri aliquid te volumus: & si potest fieri, quod aliis dandum est, ipsi relaxetur, dummodo causam, quam nobiscum habet, perexeat.

„ Donationem ancillę Dei, quę lapsa est, & in monasterio data, omni postposita tarditate restitue: quatenus ipse locus, ut superius dixi, rerum ejus stipendia habeat, qui ejus sollicitudinis labores portat. Sed & quidquid ab aliis ex ejus substantia tenetur, recollige, & monasterio prędicto trade.

„ Pensiones xenodochiis de via nova, quantas mihi indicasti, *quia apud te habes, nobis dirige, Actionario autem, quem in eodem patrimonio deputasti, prout tibi videtur, aliquid largire. * *Al.* quas.

„ De ancilla Dei quę cum Theodosio fuit, extranea nomine, videtur mihi ut ei continentiam facias, si utile conspicis: aut certe donationem, quam fecit reddas. Domum monasterii quam Antonius, datis triginta solidis, a monasterio tulerat, receptis solidis, omni postposita tarditate, restitue. Amulas onychinas, requisita subtiliter veritate restitue, quas per portitorem pręsentium retransmisi.

„ Saturninum, si vacat & occupatus apud te non est, ad nos dirige. Felix, conductor Domnę Campanę, quem liberum reliquerat, aut quem indiscussum esse jusserat, dixit sibi a Maximo Subdiacono septuaginta duos solidos tultos; pro quibus dandis asseruit quia omnes res suas, quas in Sicilia habuit, vel venumdedit vel apposuit. Sed scholastici dixerunt, quia de fraudibus indiscussus esse non potest: dum tamen ad nos de Campania reverteretur, facta tempestate, mortuus est. Cujus te volumus uxorem & filios requirere: & quidquid vel apposuerat vel vendiderat, apposita absolve: de venditis pretium restitue: & insuper eis aliquod alimentum prębe, quia Maximus eum in Siciliam miserat, & ibi ei quę asserebat, abstulerat. Cognosce ergo, quę ablata sunt

[a] Al. *reddi debere*.

,, sunt, & uxori filiisque ejus sine aliqua mora A ,, restitue. Hæc omnia sollicite relege: omnemque illam familiarem tuam negligentiam postpone. Scripta mea ad rusticos, quæ direxit, ,, per omnes massas sic relegi, ut sciant quid ,, contra violentias suas ex auctoritate nostra defendere debeant; eisque vel authentica, vel ,, exemplaria eorum dentur. Vide ut omnia absque imminutione custodias: quia de his quæ ,, tibi pro servanda justitia scribo, ego absolvor: ,, & tu si negligis, obligaris. Terribilem Judicem venientem considera, & de adventu illius ,, nunc tua consideratio contremiscat: ne tunc ,, sine causa jam timeat, cum coram illo cælum B ,, & terra tremuerint. Audisti quid volo: vide, quid agas.

LIX. Pro faciendis eleemosynis frumenta comparat quinquaginta libris auri. Regist. lib. 1. Ep. 72.

Hactenus de Gregorianæ liberalitatis innocentia me retulisse sufficiat. Ceterum, quia famis tempore, ut videlicet haberet unde Christi pauperibus subveniret, frumenta comparare studebat, nullo modo prætermittam. Ait enim in alia epistola eidem Petro Subdiacono inter cetera: Quinquaginta auri libris nova frumenta ab extraneis comparata, & in Sicilia ,, in locis in quibus non pereant, repone: ut ,, mense Februario illuc naves, quantas possumus, dirigamus, ut eadem ad nos frumenta C ,, deferantur. Sed & si nos transmittere cessamus, ipse naves provide, & ad nos auxiliante Domino hæc eadem frumenta Februario mense transmitte, exceptis dumtaxat ,, frumentis, quæ nunc mense Septembrio, vel ,, Octobrio juxta consuetudinem transmitti præstolamur. Ita ergo tua Experientia faciat, ,, ut sine alicujus vexatione coloni Ecclesiastici, frumenta congregentur: quia * tam ,, hic [a] parva nativitas fuit, ut, nisi, auxiliante Deo, de Sicilia frumenta congregentur, fames vehementer immineat.

* Al in tantum.

LX. Qualiter de eo somnium eremita cognoverit.

Hujus liberalitatis multitudinem quidam eremitarum, vir magnæ virtutis, qui nihil in mundo possidebat præter unam gattam, quam, blandiens crebro, quasi cohabitatricem in suis gremiis refovebat, cognoscens, orasse fertur ad Dominum ut sibi ostendere dignaretur, quam futuræ remunerationis mansionem sperare debuisset, qui pro illius amore seculum deserens, nil ex ejus divitiis possideret. Cumque nocte quadam dormiret, cognoscit sibi revelatum fuisse ut cum Gregorio Romano Pontifice mansionem sibi præparandam sperare debuisset. At ille fortiter ingemiscens, parum sibi profuisse voluntariam rerum inopiam, tantaque suæ [b] remotionis jejunia putabat, si cum eo mansionem reciperet, qui tantis mundialibus divitiis redundaret. Cum vero Gregorianas divitias suæ paupertati die noctuque suspirando conferret, alia nocte quiescens, audivit sibi Do,, minum in somnis dicentem: Quando divi,, tem non possessio divitiarum faciat, sed cu,, pido: cur audes paupertatem tuam Grego,, rii divitiis comparare, qui magis illam gat,, tam quam habes, quotidie palpando, nul,, lique conferendo, diligere comprobaris, ,, quam ille, qui tantas divitias non amando, ,, sed contemnendo, cunctisque liberaliter lar,, giendo, dispergit? Ita Solitarius increpatus Deo gratias retulit: & qui meritum suum decrevisse putaverat, si Gregorio conferretur, orare vehementius cœpit ut cum eo mansionem quandoque percipere mereretur. Sed istius jam secundi libri finis adveniat, ut, quæ secutura sunt, auxiliante Domino, tertius prosequatur.

a Bigot. *parva fativitas*, uti observavimus jam ad Ep 72. lib. 1. nota g. in qua citavimus cap. 60. hujusce lib i. Nota in nonnullis codd. caput hoc quinquagesimum nonum, esse sexagesimum, & quinquagesimum-nonum incipere ab his verbis supra: *Item Idem Petro Subd. Quod Responsalem* &c. ubi magna ex parte adducitur Ep 44. libri 1. D

b Utic. *suæ remunerationis*.

CAPITA LIBRI TERTII.

SANCTI GREGORII PAPÆ VITA.

LIBER TERTIUS.

Quo exponitur, quemadmodum S. Gregorii vita doctrinæ responderit.

Cap. I. Quibus Gregorius studiis commissam sibi regebat Ecclesiam.

TAlibus venerabilis Papa Gregorius commissam sibi divinitus Ecclesiam studiis efficaciter gubernabat. Jam Ligures, Venetos, [a] Iberos, aliosque a schismate sub libello confessos, Chalcedonensem Synodum venerari compellens, ad unitatem sanctæ Ecclesiæ revocarat. Jam Barbaricinos, Sardos, & Campaniæ rusticos tam prædicationibus, quam verberibus emendatos, a paganizandi vanitate removerat. Jam Donatistarum hæresim penes Africam, Manichæorum penes Siciliam, Arianorum penes Hispaniam, Agnoetarum vero penes Alexandriam, scriptorum suorum validissimis auctoritatibus, importunissimisque legationibus, Domino suffragante, a corpore totius sanctæ matris Ecclesiæ sequestrarat.

II. Quantis auctoritatibus contra simoniacam & Neophytorum hæreses dimicavit.

Sola penes Galliam Neophytorum hæresis, quot simoniacis muneribus, quasi tot radicibus pullulans, longe lateque prorsus excreverat, [b] & manabat. Contra quam venerabilis Pater apud Brunichildem reginam, Theodericum quoque, & Theodebertum Francorum Reges, fortiter expugnavit: donec, collecta generali Synodo, hanc sub anathemate damnandam penitus impetraret. Nec ante, Syagrio Episcopo Augustodunensi, Regina & Regibus, multis precibus, flagitantibus, Pallium dedit, quam, præsente Cyriaco suo Abbate, ipsi, quod de propellendis hæresibus moniti fuerant, adimplerent. Nam pro his Brunichildi Reginæ inter cetera scribit, dicens: (Regist. lib. 11. Indict. 4. Ep. 109.)
„ Sacerdotale officium in tantam illic, sicut di-
„ dicimus, ambitionem perductum est, ut sacer-
„ dotes subito, quod grave nimis est, ex laicis
„ ordinentur. Sed quid isti acturi, quid populo
„ præstaturi sunt, qui non ad utilitatem, sed
„ fieri ad honorem, Episcopi concupiscunt?
„ Hi ergo, qui necdum, quod docere debeant,
„ didicerunt, quid aliud agunt, nisi, ut pau-
„ corum provectus illicitus, fiat multis interitus,
„ & in confusionem Ecclesiasticæ moderationis
„ observantia deducatur? quippe ubi nullus re-
„ gularis ordo servatur. Nam qui ad ejus regi-
„ men improvidus, vel præcipitatus accedit, qua
„ admonitione subjectos ædificet, cujus exem-
„ plum non rationem docuit, sed errorem? Pudet

profe-

a Alludit fortasse ad Ep. 58. lib. 11. Indict. 4. in cujus inscriptione olim legebatur, *universis Episcopis per Hiberniam* (melius *per Iberiam*) *de trium capitulorum causa*. Vide notam a. ad laudatam Ep. De Barbaricinis, Donatistis, Agnoetis & aliis hic commemoratis, legendi sunt indices Registri Epistolarum.
b Utic. & *manebat*.

„ profecto, pu let aliis imperare, quod ipse nescit custodire. Nec illud quidem, [a] quod simili emendatione radendum est, preterimus: sed omnino execrabile. & esse gravissimum detestamur, eoquod sacri illic ordines per simoniacam heresim, quæ prima contra Ecclesiam orta, & districta maledictione damnata est, conferantur. Hinc ergo agitur ut Sacerdotis dignitas in despectu, & sanctus sit honor in crimine. [b] Perit utique reverentia, adimitur disciplina: quia qui culpas debuit emendare, committit, & nefaria ambitione honorabilis sacerdotii ducitur in depravationem censura. Nam quis denuo veneretur quod venditur? Aut quis non vile putet esse quod emitur? Unde valde contristor, & terræ illi condoleo: quia dum Spiritum sanctum, quem per manus impositionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, divino munere habere despiciunt, sed præmiis assequuntur, sacerdotium illic subsistere diu non arbitror. Nam ubi dona supernæ gratiæ venalia judicantur, ad Dei servitium non vita quæritur, sed magis contra Deum pecuniæ venerantur.

Idem de eisdem Theoderico & Theodeberto Regibus Francorum post aliqua: (Ibid. Ep. 200.) „ Fertur simoniaca hæresis, quæ prima contra Dei Ecclesiam diabolica plantatione subrepsit, & in ipso ortu suo telo apostolicæ ultionis percussa atque damnata est, in regni vestri finibus dominari: cum in Sacerdotibus fides sit eligenda cum vita: si vita deest, fides meritum non habet, beato Jacobo attestante, qui ait: (Jac. 2. 26.) *Fides sine operibus, mortua est*. Quæ enim opera esse valeant Sacerdotis, qui honorem tanti sacramenti convincitur obtinere per præmium? Ex qua re agitur ut ipsi quoque qui sacros ordines appetunt, non vitam corrigere, non mores componere studeant: sed divitias, quibus sacer honor emitur, congregare satagant. Hinc fit etiam ut insontes, & pauperes a sacris ordinibus prohibiti, despectique resiliant: & dum innocentia pauperis displicet, dubium non est quod præmium illic delicta commendet: quia ubi aurum placet, & vitium. Hinc igitur non solum in ordinatoris, & ordinati animam lethale vulnus infligitur, verum etiam Excellentiæ vestræ regnum, Episcoporum vestrorum culpa, quorum magis intercessionibus juvari debuerat, prægravatur. Si enim is dignus sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed præmiorum copia suffragatur: restat ut nihil sibi in honores ecclesiasticos gravitas, nihil defendat industria, sed totum auri profanus amor obtineat: & dum vitia honore munerantur, in locum ultoris is, qui fortasse fuerat ulciscendus, adducitur: atque hinc Sacerdotes non proficere, sed perire potius indicantur. Vulnerato namque Pastore, quis curandis ovibus adhibeat medicinam? Aut quando populum orationis clypeo tueatur, qui jaculis se hostium feriendum exponit? Aut qualem de se fructum producturus est, cujus gravi peste radix infecta est? Major ergo * metuenda est locis illis fore calamitas, ubi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in se magis iracundiam provocent, quam per semetipsos populis placare debuerant.

(* Al. metuenda locis illis forent calamitas.)

„ Nec hoc quoque malum sollicitudo nostra patitur negligenter omittere, quod quidam instinctu gloriæ inanis electi, ex laico repente habitu, sacerdotii honorem arripiunt: &, quod dicere pudet & tacere grave est, regendi, Rectores, & qui docendi sunt, doctores nec erubescunt videri, nec metuunt. Ducatum animarum impudenter assumunt, quibus via omnis ignota ductoris est: & quo vel ipsi gradiantur, ignari sunt. Quod quam pravum, quamve sit temerarium, seculari etiam ordine & disciplina monstratur. Nam dux exercitus non nisi labore, & sollicitudine expertus eligitur: quales animarum duces esse debeant, qui episcopatus culmen immatura cupiunt festinatione conscendere? Hujus saltem rei se comparatione considerent, & aggredi repente [c] inexpertos labores timeant, ne cæca honoris ambitio, & ipsis in pœnam fit, & aliis pestifera erroris semina jaciant: quippe qui non didicere quod ipsi doceant. Proinde paterno salutantes affectu, petimus, precellentissimi Filii, ut hoc tam detestabile malum de regni vestri studeatis finibus prohibere, & nulla apud vos excusatio, nulla contra animam vestram suggestio locum inveniat: quia facientis procul dubio culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare.

Item pro eisdem hæresibus [d] Syagrio, Episcopo Augustodunensi, & aliis Episcopis: (Regist. lib. 10 Ep. 106.) „ Nuntio apud nos olim discurrente, vulgatum est quod in Galliarum partibus sacri ordines per simoniacam hæresim conferantur. Et vehementi tædio mœroris afficimur, si in ecclesiasticis officiis quemquam habet locum pecunia, & fit seculare, quod sacrum est. Quicumque ergo hoc pretii studet datione percipere, Sacerdos non esse, sed dici tantummodo, inaniter concupiscit. Quid scilicet, quid per hoc aliud agitur, nisi ut nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla fit de vita discussio, sed ille solummodo dignus, qui dare pretium suffecerit, æstimetur? Ex qua re si recti libraminis examinatione pensetur, dum improbe ab inanem gloriam locum festinat utilitatis arripere, eo ipso magis, quod honorem quærit, indignus est. Sicut autem is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus: sic qui ultro ambit, vel importune se ingerit, est procul dubio repellendus. Nam, qui sic nititur ad altiora conscendere, quid aliud agit nisi, ut crescendo decrescat, & ascendendo exterius, interius ad profunda descendat? Itaque, Frater carissime, in Sacerdotibus ordinandis sinceritas vigeat, sit simplex sine venalitate consensus, pura præferatur electio: ut ad summam sacerdotii non suffragio venditorum provectus, sed Dei credatur esse judicio. Nam quia grave omnino fit facinus, Dei donum vel pretio comparare, vel vendere, Evangelica est testis auctoritas. Templum enim Dominus & Redemtor noster ingressus, (Matth.) cathedras vendentium columbas evertit. Quid aliud est columbas vendere, nisi pretium de manus impositione percipere, &

„ san-

a In Utic. per correctionem, *quod simili emendationi tradendum est*.

b Bigot. *perit ubique*.

c Bigot., *inexpertos labores sustineant*. Utic. *inexpertos honores sustineant*. ubi *sustinere* non significat pati, sed expectare, differre.

d In Utic. *Item Etherio, Virgilio, & Desiderio Episc. Galliarum: Nonnulla*, prætermisso Syagrii nomine. Sed aliter olim legebatur; alicujus enim literæ deprehenduntur vestigia. In tribus Paris. omittuntur hæc verba: *& al. Episc.* Colitur S. Syagrius die 27. Augusti.

A „ sanctum Spiritum, quem omnipotens Deus hominibus tribuit, venumdare? Quorum sacerdotium ante Dei oculos cadere, cathedrarum utique patenter eversione signatum est: & tamen exerit adhuc nequitiæ pravitas vires suas. Nam cogit vendere, quos decepit, ut emerent. Et dum non attenditur quod divina voce præcipitur: *Gratis accepistis, gratis date*; agitur ut crescat, & geminata fiat in uno eodemque delicti contagio, ementis scilicet & vendentis. Et cum liqueat hanc hæresim ante omnes radice pestifera surrepsisse, atque in ipsa sua origine apostolica esse detestatione damnatam: cur non cavetur, cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc, ut fiat hæreticus, promovetur? B

Matt. 10. 8.

„ Plerumque igitur adversarius animarum, dum non potest in his, quæ ad faciem sunt prava, surripere, [a] callida specie quasi pietatis injecta, nititur supplantare: suadetque forsitan debere ab habentibus accipi, ut sit quod possit non habentibus erogari; dummodo, vel sic venena mortifera eleemosynæ celata obumbratione transfundat. Nam nec venator feram, nec avem auceps deciperet, vel piscem piscator caperet, si aut ille laqueum in aperto proponeret, aut ille hamum esca absconditum non haberet. Omnino ergo metuenda & cavenda est hostis astutia, ne quos aperta nequit tentatione subvertere, latente telo sævius valeat trucidare. Neque enim eleemosyna reputanda est, C si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus accipitur: quia, qui hac intentione male accipit, ut quasi bene dispenset, gravatur potius quam juvatur. Eleemosyna Redemtoris nostri oculis illa placet, quæ de non illicitis rebus, & iniquitate congeritur, sed quæ de rebus concessis, & bene acquisitis impenditur. Unde etiam illud certum est, quia & si monasteria, aut xenodochia, vel quid aliud de pecunia quæ pro sacris ordinibus datur constituetur, mercedi non proficit: quoniam dum perversus, & emtor honoris in locum transmittitur, & alios ad sui similitudinem sub commodi datione constituit, plura male ordinando destruit, quam ille potest ædificare, qui ab eo pecuniam ordinationis accepit. Ne ergo sub obtentu eleemo- D synæ cum peccato aliquid studeamus accipere, aperte sacra Scriptura nos prohibet, dicens: *Hostia impiorum abominabiles Domino, quæ offeruntur ex scelere*. Quidquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei iracundiam non placat, sed irritat. Hinc rursus scriptum est: *Honora Dominum de tuis justis laboribus*. Qui ergo male tollit ut quasi bene præbeat, constat sine dubio, quia Dominum non honorat. Hinc quoque per Salomonem dicitur: *Qui affert sacrificium de substantia pauperis, ac si victimet filium in conspectu patris*. Quantus autem dolor patris sit perpendamus, si in ejus conspectu filius victimetur: & hinc facile cognoscimus, quantus apud Deum dolor exasperetur quando ei sacrifi- E cium ex rapina tribuitur. Nimis ergo declinandum est, dilectissime Frater, sub obtentu eleemosynæ, peccata simoniacæ hæreseos perpetrare. Nam aliud est, propter peccata eleemosynam facere, aliud propter eleemosynas peccata committere.

Prov. 21. 27.

Prov. 3. 9.

Eccl. 34. 24.

„ Hoc quoque ad nos pervenisse, non dissimili A dignum detestatione complectimur, quod quidam desiderio honoris inflati, defunctis Episcopis, tonsurantur, & fiunt repente ex laicis Sacerdotes, atque inverecunde religiosi propositi ducatum arripiunt, qui nec esse adhuc milites didicerunt. Quid putamus, quod isti subjectis præstaturi sunt, qui antequam discipulatus limen attingant, tenere locum magisterii non formidant? Qua de re necesse est ut quamvis inculpati quisque sit meriti, ante tamen per distinctos ordines ecclesiasticis exerceatur officiis. Videat quod imitetur: discat quod doceat; informetur quod teneat; ut postea non debeat errare, qui eligitur viam erranti demonstrare. Diu ergo religiosa meditatione polietur, ut placeat, & B sic lucerna super candelabrum posita luceat, ut adversa ventorum vis irruens, conceptam eruditionis flammam non extinguat, sed augeat. Nam cum scriptum sit, ut prius, *Qui probetur, & sic ministret*; multo amplius ante probandus est, qui populi intercessor assumitur, ne fiant causa ruinæ populis, Sacerdotes mali. Nulla igitur contra hoc excusatio, nulla potest esse defensio: quia cunctis liquido notum est, quæ sit in hujus rei diligentia sancti & egregii sollicitudo doctoris, qui neophytum ad ordines vetat sacros accedere. Sicut autem tunc neophytus dicebatur, qui in sanctæ fidei erat eruditione plantatus: sic modo neophytus habendus est, qui repente in religionis habitu plantatus, C ad ambiendos honores sacros irrepserit. Ordinate ergo ad ordines ascendendum est. Nam casum appetit qui ad summa loci fastigia, postpositis gradibus, per abrupta quærit ascensum. Et cum idem Apostolus doceat inter alia sacri ordinis instituta discipulum, manum non esse cuiquam citius imponendam: quid hoc celerius, quidve præcipitatius, quam, ut exoriatur e summitate principium, & antequam esse incipiat discipulus, fit magister? Quisquis igitur sacerdotium non ad elationis pompam, sed ad utilitatem adipisci desiderat, prius vires suas cum eo, quod est subiturus, onere metiatur: ut & impar abstineat, & ad id cum metu etiam, qui se sufficere existimat, accedat.

1. Tim. 3. 10

D „ Ab re autem non facimus, si ad argumentum rationabile, usum rerum irrationabilium colligemus. Apte namque ædificationibus de silvis ligna succiduntur: nec tamen adhuc viribus ædificii pondus imponitur, nisi eorum viriditatem multorum dierum mora siccaverit, & apta ad necessarium usum effecerit. Quæ si observantia forte negligitur, citius superimposita mole franguntur: & gignit ruinam ad auxilium res provisa. Hinc etenim medici, qui corporum curam gerunt, quædam adjutoria recenti adhuc confectione formata indigenti non offerunt, sed maceranda temporibus derelinquunt. Nam si immature quis dederit, dubium non est, quia fit causa periculi, res E salutis. Discant itaque, discant in officio suo Sacerdotes, quibus animarum credita est cura, servare quæ diversarum artium homines docente ratione custodiunt: & a præcipiti se ambitione, & si non metu, saltem pudore, contineant. Sed ne forsan adhuc pravæ se consuetudinis quisquam velit objectu defendere, Fraternitatis tuæ discretio rationis eos freno coerceat,

[a] Regm. callida specie;

ceat, & labi in illicitis non permittat: quia quidquid ultione dignum est, non ad imitationis sed potius ad exemplum debet correptionis adduci. Et post pauca.

III. Pro eisdem fieri Synodum jubet. Ibid.

De his itaque quæ superius dicta sunt, Fraternitatem vestram, auctore Deo, volumus Synodum congregare: atque in ea reverendissimo fratre nostro [a] Areg o, Episcopo, & dilectissimo filio nostro Cyriaco Abbate mediantibus, omnia quæ sanctis canonibus, sicut prædiximus, sunt adversa, districte sub anathematis impositione damnentur: id est, ut nullus pro adipiscendis ecclesiasticis ordinibus dare aliquod commodum præsumat, vel pro datis accipere: neque ex laico habitu quisquam repente audeat ad locum sacri regiminis pervenire: neque ut aliæ mulieres cum Sacerdotibus habitent nisi eæ quæ sacris canonibus sunt permissæ.

IV. Contra easdem totis viribus non pugnantes, cum Simone magi portionem habituros prædixit. Reg. lib. IX. Ep. 39.

Has pestiferas hæreses cernens prudentissimus doctor Gregorius, per Sacerdotum conniventiam, sive taciturnitatem magis magisque diffusis muneribus, quasi pestifer cancer, non solum infirma posse corrodere, verum etiam fortia membra mucrone pulcherrimarum rerum corrumpere, divino zelo commotus, Victori Episcopo generalem sententiam protulit, dicens: Quisquis ad hoc facinus (videlicet simoniæ, ac neophytorum hæresim) emendandum, officii sui consideratione vehementer non arserit, cum ipso se habere non dubitet portionem, a quo prius hoc piaculare flagitium sumsit exordium.

V. Quam sapienter etiam pastellaticum pro usu Pallii, vel consecratione Pontificis, dari sive accipi prohibuerit. Rom. Synodus c. 5. ad valeem Epistolarum.

Cum vero quosdam cognosceret, ad evitanda simoniacæ hæresis crimina, pestiferæ negotiationis munera pastellaticum callide vocitare, ac hujusmodi mutato nomine, suæ cupiditatis avaritam velle contegere, prudentissimus doctor Gregorius sententiam, quam in primordio sui pontificatus coram Synodo promulgaverat, iterato protulit, dicens: Antiquam Patrum regulam sequens, nulli umquam quidquam de ordinationibus accipiendum esse constituo: neque ex datione Pallii, neque ex traditione chartarum, neque ex ea, quam nova per ambitionem simulatio invenit, appellatione pastelli. Quia enim in ordinando Episcopo Pontifex manum imponit, Evangelii vero lectionem minister legit, confirmationis autem ejus Epistolam notarius scribit: sicut Pontificem non decet manum, quam imponit, vendere; ita minister, vel notarius non debet in ordinatione ejus vocem suam, vel calamum venumdare. Pro ordinatione ergo, vel usu Pallii, seu chartis, [b] atque pastellis eumdem qui ordinandus est vel ordinatur, omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus siquis hinc aliquid commodi appellatione exigere, vel petere forte præsumserit, in districto Dei omnipotentis examine reatui subjacebit.

VI. Tria genera simoniæ in datione notavit. Regist. lib. V. Ep. 57.

Item Johanni, Episcopo Corinthiorum, post multa: Novit, inquit, Fraternitas vestra, quia prius Pallium, nisi dato commodo, non dabatur. Quod quoniam incongruum erat, facto concilio ante corpus beati Petri, Apostolorum Principis, tam de hoc quam de ordinationibus aliquid accipere sub districta interdictione vetuimus. Oportet ergo ut neque per commodum, neque per gratiam, aut quorumdam supplicationem, aliquos ad sacros ordines consentiatis vel permittatis adduci.

Sed astuta turpissimæ cupiditatis iniquitas non sufferens tantis se commodis, licet turpissimis, imo periculosissimis angustari, commentum satis artificiosum reperit: quo scilicet illos sacerdotio sublimaret, qui sibi post consecrationem tanto subjectiores esse debuissent, quanto non divino; quin potius humano judicio se fuisse promotos ipsi proculdubio reputarent. Quapropter omnipotentis Dei præco Gregorius in Evangeliorum tractatibus, ut scilicet frequentius legi vel audiri potuisset, disputat, inquiens: Sunt nonnulli, qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur: atque de largitate eadem, laudis solummodo retributionem quærunt. Hi nimirum, quod gratis acceperunt, gratis non tribuunt: quia de impenso officio sanctitatis, expetunt nummum favoris. Unde bene cum justum virum describeret Propheta, ait: *Qui excutit manus suas ab omni munere*. Neque enim dixit: Qui excutit manus suas a munere, sed adjunxit, *ab omni*: quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio, est subjectio indebite impensa: munus a manu, pecunia: munus a lingua, favor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit.

Hom. 4. in Evang.

Isai. 33. 15.

VII. In ordinandis episcopatibus, neque Cardinalibus Ecclesiæ suæ, neque Monachis pepercit.

Hæ sunt Gregorii super simoniacis, & illicitis ordinationibus doctissimi Papæ sententiæ, quas ipse summo cultu servasse docetur, in eo quod ab ipso suæ consecrationis exordio per omnem diœcesim suam, Episcopos undecumque meliores invenire potuit, studiosissime ordinavit. Et si quando necessitas ordinandi Sacerdotis obrepsit, neque Cardinales Ecclesiæ suæ neque Monachos monasterii sui penitus excusavit, quo minus illis Ecclesiam regendam committeret, qui exemplis & verbis pariter illam ædificare melius potuissent. Nam, ut pauca de multis contingam, ex Presbyteris Cardinalibus Ecclesiæ suæ consecravit Episcopos, Bonifacium Rhegii, Habentium Perusii, & Donum Messanæ Siciliæ. Ex Subdiaconibus vero, Gloriosum Istriæ, Festum Capuæ, [c] Petrum Trecas, & Castorium Arimini. At vero ex Monachis monasterii sui, Marinianum Ravennæ, Maximianum Syracusis, & Sabinum Callipoli Præsules ordinavit. Sed & Augustinum penes Anglos a Galliarum Episcopis ordinari præcepit. Per quem nihilominus ad episcopatum in eadem gente Monachi ejusdem patris, tempore diverso, provecti sunt: Mellitus, Justus, Laurentius, & Paulinus. Solis Diaconibus apostolicæ Sedis super hac quodammodo parte parcebat: quorum cum decem & novem plenitudine redundaret, ipse Bonifacium, Florentium, &

a Aliter *Aredio*. De illo in Epist. 10 multa habes. Coli ut Kalendis Maii, ut observant Sammarthani in Gallia Christ. ex Proprio Eccl. Vapincensis.

b Ad hæc Bollandus: *est pastillus*, inquit, *massula in formam panis parvuli cocta. Pro hoc usum dicitur* pastellus, *& inde* pastellatium *donum hic indicatum*. Aliam significationem attulimus in notis ad hoc decretum in calce Epist.

c Hunc locum errorem irrepsisse non immerito arbitratur Bollandus, neque enim legitur S. Gregorium aliquando Tricassinum Episcopum consecrasse, aut in ea Ecclesia jussisse aliquem Episcopum nomine Petrum. Verum suspicor intelligendum esse Petrum Trecalitanum Episcopum in Sicilia, ad quem datur Ep. 19. lib. v. In codice Gemet. legitur *Trecasino* pro *Trecalitano*, ut observavimus in nota a. ad hanc epistolam.

Epiphanium consecravit. Nec quemquam aporum ab officio, nisi Laureotium Archidiaconum pro superbia, reliquisque arimminibus, in basilica Lateranensi, quæ dicitur aurea, ubi mox Honoratum Archidiaconum constituit, sequestravit.

VIII. Violenter neminem omnino promovit.

Regist. lib. III. Ep. 18.

Cumque Gregorius percepta occasione suæ Ecclesiæ Cardinales, si tamen consentirent, satis voluntarie proveheret: neminem prorsus, quantacumque necessitate coactus, violanter promovere certabat; ne sub hujusmodi occasione quemquam eliminando deponere videretur. Unde Scholastico, [a] Judici Campaniæ, scribens, ait: Dum de Neapolitanæ civitatis cura, destitutæ Sacerdotis solatio, vahementius angeremur, supervenientes præsentium latores cum decreto in Florentium Subdiaconum nostrum confecto, aliquid nobis in tanto cogitationis pondere relevationis invenerant. Sed dum præfatus Subdiaconus noster refugiens civitatem ipsam, ordinationem suam lacrymabiliter evitasset, quasi ex majori quadam desperatione, nostram cognoscite crevisse mœstitiam. Atque ideo salutantes, hortamur Magnitudinem vestram ut invocantes priores, vel populum civitatis, de electione alterius cogitetis, qui dignus possit cum Christi solatio ad sacerdotium promoveri. In quo, decreto solemniter facto, atque ad hanc urbem transmisso, ordinatio illic tandem, Christo auxiliante, proveniat.

IX. Violenter promotos, in pristinum gradum reduxit.

Regist. lib. II. Ep. 20.

Ab aliis quoque violenter promotos, in gradus pristinos revocabat. Unde Antonio Subdiacono scribens, ait: Honoratus, Archidiaconus Ecclesiæ Salonitanæ, a sanctæ memoriæ decessore meo, missa supplicatione, poposcerat ut ab Antistite suo invitus provehi ad fortioris gradus ordinem, contra morem, nullatenus cogeretur. Hoc enim fieri sibi non provehendi gratia, sed causa ingratitudinis perhibebat. Pro qua re tunc jam sanctæ memoriæ decessor noster, scriptis suis Natali, fratri coepiscopoque nostro interdixerat ne prædictum Honoratum Archidiaconum invitum proveheret, ne dolorem conceptæ ingratitudinis diutius in corde retineret. Cumque & a me hæc eidem summopere fuerint interdicta: non solum mandata Dei negligens, sed & scripta nostra contemnens, præfatum Archidiaconum, quasi ad fortiorem honorem provehens, conatus est arte callide degradare. Unde actum est ut eodem archidiaconatus loco summoto, alium accersiret, qui ejus obtemperare moribus potuisset. Quem Honoratum Archidiaconum arbitramur Antistiti suo aliunde displicere non potuisse, nisi quod eum vasa sacra suis dare parentibus prohibebat. Quam causam subtiliter voluimus, & tunc sanctæ memoriæ decessor meus, & nunc ego, indagatione discutere. Sed ipse suorum actuum conscius, personam ad judicium postposuit destinare. Proinde Experientiam tuam præsentis præcepti auctoritate duximus fulciendam, quatenus conveniens in Salonam Natalem, fratrem coepiscopumque nostrum saltem tot scriptis admonitum studeat adhortari, ut supra memoratum Archidiaconum in suo statim loco suscipiat. Quod si hoc facere contumaciter, ut consuevit, forte distulerit, usum ei Pallii, qui ab hac Sede concessus est, ex auctoritate Sedis apostolicæ contradicito. Quem si, etiam amisso Pallio, adhuc in eadem perseverare pertinacia, perspexeris, Dominici quoque corporis ac sanguinis ejusdem Antistitem participatione privabis. Eum vero, qui contra justitiæ regulam ad locum alterius provehi consensit, ab ejusdem archidiaconatus honore deponi præcipimus: quem, si ulterius in loco eodem ministrare præsumserit, communionis sacræ participatione privamus. Æquum enim est ut asperos de justitia sentiat, quos erga se positos in caritate contemnit. Restituto ergo loco suo Honorato Archidiacono, instructam personam supradictus Antistes, te compellente, dirigat, quæ intentionem ejus esse vel fuisse justam suis mihi allegationibus possit ostendere. Sed & eumdem Archidiaconum ad nos venire præcipimus, ut quidquid justum, quidquid omnipotenti Deo placitum fuerit, cognitis assertionibus partium decernamus. Nos enim nullum pro personali amore defendimus, sed auctore Deo, normam justitiæ, postposita cujuslibet acceptione personæ, servamus.

X. Ab aliis calumniose dejectos in ordines suos restituit.

Regist. lib. III. Ep. 32.

Item Honorato Salonitano, jam ex Presbytero in diaconatum reducto: Dudum quidem decessoris nostri nostraque præceptio ad Dilectionem tuam cucurrerat, in qua, & de objectis tibi calumniosa capitulis fueras absolutus, & in tui gradus ordinem sine aliqua instituimus altercatione restitui. Sed quia rursus ante non multum temporis spatium, ad Romanam civitatem veniens, de quibusdam illic actis incongrue, & de sacrorum es conquestus alienatione vasorum; atque, dum pro hac re, quæ tuis objectionibus respondere potuisset, sustineremus in hac civitate personas, Natalis, Episcopus tuus, de hac luce migravit: necessarium judicavimus easdem præceptiones tam decessoris nostri, quam nostras, quas dudum, ut dictum est, pro tua absolutione transmisimus, præsentibus deinceps apicibus confirmare. Quamobrem a cunctis tibi objectis capitulis te plenius absolventes, in tui te ordinis gradu sine aliqua volumus altercatione permanere: ut nihil tibi penitus mota a præfato viro quæstio, qualibet occasione præjudicet.

Regist. lib. III. Ep. 53. *b*

Item [b] in alia Epistola post multa: Sed etiam nunc dico, aut easdem personas, videlicet Johannem Chalcedonensem, & Athanasium Isaurios Presbyteros in suis ordinibus suscipe, eisque quietem præbe: aut, si hoc fortasse nolueris, omni altercatione postposita, de eorum causa statuta majorum, aut canonum terminos custodi. Sin vero, nos quidem inferre rixam nolumus: sed tamen venientem a vobis non devitamus. Quid autem de Episcopis, qui verberibus timeri volunt, canones dicant, bene Fraternitas vestra novit. Pastores etenim facti sumus, non percussores. Et egregius prædicator, dixit: *Argue, obsecra, increpa cum omni patientia, & doctrina.* Nova vero, atque inaudita est prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.

c

XI. Cardinalem

Item [c] Cardinales violenter in Parochiis ordinatos

a Bigot., tres Paris. & alii codd. *Duci Campaniæ*.

b In edit. ob land. quæ sequuntur, desiderantur usque ad cap. x. nec inveniuntur in mss. tribus Parisiens. Utic. Bigot. & aliis passim. Certe gravi errore in plerisque editis legitur: *Item eidem in alia Ep.* scilicet 53 libri tertii, quæ tamen non eidem Honorato, sed Johanni Constantinop. scripta est.

c In singulis episcopalibus Eccles. olim erant Cardinales, ita dicti quod cardine urbis constricti essent, ut patet ex can. 7. Synodi Rom. sub Silvestro I. Mos enim tunc erat ut nulli Clerici ordinarentur, nisi ad certam quamdam Ecclesiam, ut statuitur can. 6 Concilii Chalced. dum. Vide infra cap. 15. Attamen S. Paulinus Nolanus hac lege solutus est. Lege sextam ejus Epist. ad Severum. *Mabillon.*

In forensibus parochiis promotos ad cardinem revocavit. Regist. lib. 11. Ep. 28.

natos forensibus, in pristinum cardinem Grego- A rius revocabat. „ Quapropter Johanni, Episcopo Syracusano, scribens ait: Quorumdam ad nos relatione pervenit Cosmam, qui ex Monacho monasterii sanctæ Luciæ, a decessore tuo venerandæ memoriæ Maximiano in Ecclesia Syracusana Subdiaconus factus, atque a te postea in possessione, quæ Juliana vocatur, Presbyter dicitur ordinatus, ita nimia tristitia, & loci qualitate vehementer afflictum, ut vitam sibi pœnam existimet, [a] & contritioni suæ, fugæ quærat auxilium. Et ideo, quia tales erga subjectos nostros debemus existere, quales nos, si subjecti fuissemus, nostros volueremus esse Præpositos: magnæ benignitatis est si cum in Ecclesiam, ubi Subdiaconatus est functus officio, B Sanctitas tua reducere, atque illic Presbyterum studuerit constituere Cardinalem. Quod & facere, quantum arbitremur, debes, si nihil est quod juste contra ipsum animum tuum exasperet. Si vero aliqua culpa est, suis nobis hoc epistolis Fraternitas tua, ut scire possimus, insinuet.

XII. Undecumque meliores eligere potuerat, Episcopos consecrabat; & quanta districtione consecrandos examinaret. Regist. lib. 11. Ep. 29. Indict. 10.

Quanta curiositate Gregorius idoneos quosque ad regimen destitutarum quæsierit plebium, breviter indicabo: ut tantus vir non solum doctrinis, quin & operibus verus paterfamilias fuisse gregis Dominici probabiliter colligatur. „ Ait enim in epistola Maximiano, Syracusano Episcopo: Felix, vir clarissimus præsentium lator, edocuit nos, esse quemdam in illis partibus Presbyte- C rum, qui ad episcopatus ordinem provehi probatæ vitæ merito dignus appareat. Hunc ergo Fraternitas tua coram se deduci faciat: eumque sicut certus sum, propter animæ periculum diligenter examinet. Quem si ad hunc provehi gradum dignum esse perspexerit, ad nos studeat destinare, ut eum, Domino disponente, loco, cui præviderimus, possimus ordinare Pastorem.

Regist. lib. XV. Ep. 17.

„ Item Cypriano, Diacono: Amarissimas Dilectionis tuæ epistolas de Domni Maximiani obitu, mense Novembri suscepi. Et quidem ille ad præmia desiderata pervenit: sed infelix populus Syracusanæ civitatis lugendus est, qui Pastorem talem diu habere non meruit. Proinde Dilectio tua sollicitudinem gerat ut in eadem D Ecclesia talis debeat ad ordinandum eligi, qui post Domnum Maximianum, ejusdem regiminis locum non indignus videatur aut immeritus sortiri. Et quidem credo quod Trajanum, Presbyterum, maxima pars eligat, qui ut dicitur, bonæ mentis est: sed, quantum suspicor, ad regendum locum illum idoneus non est. Tamen si melior inveniri non valet, & ipse nullis criminibus tenetur involutus, condescendi ad eum, cogente nimia necessitate, potest. Si autem mea voluntas ad hanc electionem quæritur, tibi secreto indico quod volo: quia nullus mihi in eadem Ecclesia, post Domnum Maximianum, tam dignus videtur, quam Johannes, Archidiaconus Catanensis Ec- E clesiæ. Qui, si fieri potest ut eligatur, credo quod apta valde persona inveniatur. Sed ipse quoque prius de criminibus, quæ impedire possunt, a te secreto requirendus est: a quibus si liber inventus fuerit, eligi jure potest. Quod si actum fuerit, etiam frater & coepiscopus noster Leo ei cessionem facere debebit, ut liber ad ordinandum valeat inveniri.

Lib. I. Ep. 18.

„ Item Clementinæ, Patriciæ: Amandum, Presbyterum, a Surrentinis ad Episcopatum, gloriosa Filia, electum esse cognoscas. Quem quia huc scripsimus debere transmitti, contristari de ejus absentia non debetis, quia nec abscedere creditur, qui mente vobiscum est. Et quoniam Pastorem quærentibus, is qui vobis olim placuit, gratus est: omnipotentem Deum benedicentes, Christiana magis in hoc devotione gaudete. Et ut ad nos celerius aliis profuturus venire debeat, hilariter studete: quia sinceræ caritatis est exultare, quando is qui diligitur, ad hoc vocatur ut crescat.

Lib. XII. Ep. 12.

„ Item Passivo Episcopo: Bene novit Fraternitas vestra quam longo tempore [b] Aprutium pastoralis sit sollicitudine destitutum. Ubi diu quæsivimus quis ordinari debuisset, & nequaquam potuimus invenire. Sed quia Opportus mihi in moribus suis, in psalmodiæ studio, in amore orationis valde laudatus, religiosam vitam omni modo agere dicitur: hunc volumus ut Fraternitas vestra ad se faciat venire, & de anima sua admoneat, quatenus in bonis studiis crescat. Et si nulla ei crimina, quæ per legis sacræ regulam morte multata sunt, obviant, tunc hortandus est ut vel Monachus, vel a nobis Subdiaconus fiat: & post aliquantum temporis, si Deo placuerit, ipse ad pastoralem curam debeat promoveri.

Lib. XII. Ep. 23.

Item Venantio, Patricio Panormitano, petenti sibi quemdam Presbyterum Episcopum consecrari, rescribit inter cetera, dicens: „ Hunc Presbyterum dare omnino nobis Excellentia vestra sciat esse difficile: quia personarum nos necessitas, ad ordinanda alia loca Pastoribus destituta, non levis angustat.

Regist. lib. XIV. Ep. 72.

Sed quia necessitate ordinandarum se angustatum meminit personarum: ne indiscusse quemquam promovisse putetur, uno exemplo videtur esse docendum. Ait enim in epistola Johanni Episcopo: „ Ne incauta eorum ordinatio, qui ad episcopatum eliguntur, valeat provenire, vigilanti de eorum personis est sollicitudine requirendum. Indicatum siquidem nobis est Florentium, Archidiaconum Ecclesiæ Anconitanæ, qui ad episcopatum electus fuerat, Scripturæ quidem sacræ scientiam habere, sed ita ætatis esse senio jam confectum, ut ad regiminis officium non possit assurgere; adjicientes etiam ita illum tenacem existere, ut in domum ejus amicus ad caritatem numquam introeat. Rusticus autem, Diaconus ejusdem Ecclesiæ, qui similiter electus fuerat, vigilans quidem homo dicitur, sed, quantum asseritur, Psalmos ignorat. Florentium vero, Diaconum Ecclesiæ Ravennatis, qui electus ab omnibus memoratur, sollicitum esse novimus, sed qualis interius, omnino nescimus. Ideoque Fraternitas tua, una cum fratre & coepiscopo nostro Armenio suprascriptæ Anconitanæ Ecclesiæ visitatore illuc festinet accedere, & diligenter de vita ac moribus singulorum requirere: vel si de nullo sibi sunt crimine conscii, quod eos ad hoc officium vetet accedere. Pariter etiam requirendum est si hoc, quod de præfato Archidiacono dictum est, quia numquam amicus domum ejus ingressus est, ita se veritas habeat: & utrum ex necessitate, an ex tenacia talis sit:

a Ita tres Parif. cum Bollando. In excusis plur. *& contristationi suæ fugam.*

b Aprutium non civitas est sed regio Italiæ, cuius Episcopi Sedes est urbs Interamnensis, vulgo *Teramo*, ut observat Bollandus.

aut si ita senex est, ut ad regendum non possit assurgere: vel si tactis sacrosanctis Evangeliis, sicut nobis nuntiatum est, jusjurandum præbuit numquam se ad episcopatum accedere. Sed & de Rustico, Diacono, quantos Psalmos minus teneat, scrutandum est. Florentio autem, Diacono Ravennati, si nullum, sicut diximus, crimen est quod obsistat, apud Episcopum ejus agi necesse est ut ei debeat cessionem concedere: non tamen ex nostro mandato vel dicto, ne contra suam voluntatem eum concedere videatur.

XIII. Etiam alterius diœcesis Episcopos ad regendus suæ diœcesis Ecclesias invitabat. Regist. lib. v. Ep. 41.

Et quidem Gregorius, prudenter cognoscens totum corpus Ecclesiæ tam per bonos Episcopos feliciter stare, quam per malos infeliciter cadere: non solum diversarum gentium diversi ordinis Clericos, verum etiam vacantes Episcopos, in suæ diœceseos episcopatus invitabat. Unde Sebastiano [a] Sirmiensi Episcopo inter cetera scribit, dicens: „ Debitum salutationis alloquium solvens, indico quod ad me Bonifacio defensore referente, pervenerit quia vir sanctissimus frater noster Domnus Anastasius, Patriarcha, in una suarum civitatum regendam vobis Ecclesiam committere voluit, & consentire noluistis. Quem sensum, & sapientiam vestram valde ego libenter amplexus sum, & laudavi vehementer: & vos felices, me infelicem esse deputavi, qui tali hoc tempore regimen Ecclesiæ suscipere consensi. Si tamen animus vester fortassis fratribus condescendendo, & misericordiæ operibus intentus, ad hoc umquam consentire decreverit; peto ut amori meo alium minime præponatis. Sunt enim in Sicilia insula Ecclesiæ vacantes Episcopis: & si vobis placet, auctore Deo, Ecclesiam regere, juxta beati Petri Apostoli limina, cum ejus adjutorio melius potestis. Si vero non placet, feliciter state, & pro nobis infelicibus exorate.

XIV. Quemadmodum episcopatuum sedes univit. Regist. lib. 2. Ep. 8.

Interea Gregorius locis munitis, Episcopis constitutis, dissipatas Ecclesias adunabat. Quapropter Bacaudæ, Formiensi Episcopo, scribit, dicens: „ Et temporis necessitas nos perurget, & imminutio personarum exigit ut destitutis Ecclesiis, salubri ac provida debeamus dispositione succurrere. Et ideo quoniam Ecclesiam Minturnensem funditus tam clerici, quam plebis destitutam desolatione cognovimus: tuamque pro ea petitionem, quatenus Formianæ Ecclesiæ, in qua beati Erasmi Martyris corpus requiescit cuique Fraternitas tua præsidet, adjungi debeat, piam esse ac justissimam providentes: necessarium duximus, consulentes tam desolationi loci illius, quam tuæ Ecclesiæ paupertati, reditus supradictæ Ecclesiæ Minturnensis vel quidquid ei antiquo modernoque jure vel privilegio potuit potestve qualibet ratione competere, ad tuæ Ecclesiæ jus potestatemque hac præcepti nostri auctoritate migrare, ut a præsenti tempore sicuti de propria Ecclesia debeas cogitare, eique competentia tua provisione disponere, quatenus deinceps quod perire nuncusque potuit, pauperum Ecclesiæ tuæ utilitatibus clerique proficiat.

Regist. lib. 2. Ep. 45.

„ Item Benenato Episcopo: Et temporis qualitas, & vicinitas nos locorum invitat, ut Cumanam atque Misenatium unire debeamus Ecclesias: quoniam hæ non longo a se itineris intervallo sejunctæ sunt: nec, peccatis facientibus, tanta populi multitudo est, ut singulos, sicut olim fuit, habere debeant Sacerdotes. Quia igitur Cumani castri Sacerdos vitæ hujus cursum explevit, utrasque nos Ecclesias præsentis auctoritatis pagina unisse, tibique commisisse cognosce: propriumque utrarumque Ecclesiarum scito te esse Pontificem: & quæcumque tibi de earum patrimonio, vel cleri ordinatione promotioneve juxta canonum statuta visa fuerint, ordinare atque disponere habebis, ut proprius revera Sacerdos, liberam ex nostræ auctoritatis consensu atque permissione licentiam. Ubi vero commodius, aut utilius esse prospexeris, habitato: ita sane ut alteram Ecclesiam, a qua corporaliter ad præsens absens es, sollicita providentique cura disponas, quatenus divina illic mysteria solemniter, auxiliante Domino, peragantur. Fraternitas ergo tua tanto in adhortationibus lucrandisque animabus sollicitiore cura semper invigilet, quanto se unitarum Ecclesiarum gubernationis onera suscepisse cognoscit.

XV. Vacantes Episcopos, vacantibus incardinavit Ecclesiis. Regist. lib. 1. Ep. 79.

At vero civitatum desolatarum Pontifices Gregorius vacantibus civitatibus incardinare curabat. Unde Martino, Episcopo Corsicæ, inter cetera scribens: „ Quoniam, inquit, Ecclesia Tamitana, in qua dudum fuerat honore sacerdotali tua Fraternitas decorata, ita est, delictis facientibus, hostili feritate occupata & diruta, ut illuc ulterius spes remeandi nulla remanserit: in Ecclesiam te Aleriensem, quæ jam diu est Pontificis auxilio destituta, Cardinalem, secundum petitionis tuæ modum, hac auctoritate constituimus sine dubio Sacerdotem. Ita ergo studio vigilanti cum Dei amore secundum canonum præcepta cuncta dispone & ordina, ut, & Fraternitas tua suis desideriis se gaudeat esse potitam, & Ecclesia Dei alterno gaudio repleatur, Cardinalem te suscepisse Pontificem.

Regist. lib. 2. Ep. 37.

„ Item Johanni Episcopo Squillacino: Pastoralis officii cura nos admonet, destitutis Ecclesiis proprios constituere Sacerdotes, qui gregem Dominicum pastorali debeant sollicitudine gubernare. Propterea te Johannem ab hostibus captivatum Lisitanæ civitatis Episcopum in Squillacina Cardinalem necesse duximus constituere Sacerdotem: ut & susceptam semel animarum curam intuitu futuræ retributionis impleas; & licet a tua, hoste imminente, depulsus sis, aliam quæ Pastore vacat, debeas Ecclesiam gubernare: ita tamen, ut si civitatem illam hostibus liberam effici, & Domino protegente, ad priorem statum contigerit revocari, in eam in qua & prius ordinatus es Ecclesiam revertaris. Si autem prædicta civitas continua captivitatis calamitate premitur, in hac in qua a nobis ordinatus es, debeas Ecclesia permanere [b].

b Regist. lib. 2. Ep. 50.

„ Item Johanni, Episcopo Velitrano: Postquam hostilis impietas diversarum civitatum, ita peccatis facientibus, desolavit Ecclesias, ut reparandi eas spes nulla, populo deficiente, remanserit: majori valde cura constringimur, ne defunctis earum Sacerdotibus, reliquiæ plebis, nullo Pastoris moderamine gubernatæ, per invia fidei, hostis callidi rapiantur, quod absit, invidia. Hujus ergo rei sollicitudine sæpe commoniti, hoc

nostro

a Bollandus legit hic *Rhisinienси*, aitque *Rhisinum* aut *Rhisinam*, Mesopotamiæ esse urbem in Syriæ confinio, non procul ab Edessa. Mabill. habet cum Surio *Smyrnensi*, Vide notas ad Epist. 28. libri 2. Indict. 1x.

b Hæc usque ad *Item Gratioso*, Bollandiana editio respuit; reperiuntur tamen in mss. nostris.

A nostro sedit corde consilium, ut vicinis eas mandaremus pontificibus gubernandas. Ideoque Fraternitati tuæ curam gubernationemque trium Tabernarum Ecclesiæ prævidimus committendam, quam tuæ Ecclesiæ aggregari unirique necessa est: quatenus utrarumque Ecclesiarum Sacerdos & Rector, Christo adjutore, possis existere: & quæcumque tibi de ejus patrimonio, vel cleri ordinatione seu promotione, vigilanti ac canonica visa fuerint cura disponere, quippe ut Pontifex proprius liberam habebis ex præsenti nostra permissione licentiam.

Lib. 111. ep. 20.
a
Ibid. ep. 13.

B Item Gratioso Numentano Episcopo curam gubernationemque [a] sancti Anthemii Ecclesiæ, in Curium civitatis Sabinorum territorio constitutæ incardinando conjunxit. Item Agnello Episcopo Fundano post aliqua: Quoniam propter cladem hostilitatis, nec in civitate, nec in Ecclesia tua est cuiquam habitandi licentia: ideo hac te auctoritate nostra Terracinensis Ecclesię Cardinalem constituimus Sacerdotem. Et post pauca: Illud quoque Fraternitatem tuam scire necesse est, quoniam sic te prædictæ Terracinensis Ecclesiæ Cardinalem esse constituimus Sacerdotem, ut & Fundensis Ecclesiæ Pontifex esse non desinas, nec curam gubernationemque prætereas.

XVI.
Enthronizatis Episcopis expulsos Præsules juvat.

Regist. lib. 1. ep. 41.

C Sed & expulsos Episcopos, quos tam elto Gregorius, vel incardinare non poterat, vel quorum reditum ad Sedes proprias contingere posse sperabat, aliis Episcopis, qui tunc videlicet in locis suis degebant, interim pro sustentatione, ac stipendiis præsentis vitæ jungebat, generaliter, dicens: Fratres & coepiscopos nostros, quos & captivitatis diversarumque necessitatum angustiæ comprimunt, studete consolandos, convivendosque vobiscum in ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipere: non quidem ut per communionem episcopalis throni dignitas dividatur, sed ut ab Ecclesia juxta possibilitatem sufficientia debeant alimenta percipere. Sic enim & proximum in Deo, & Deum in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis non in D vestris Ecclesiis auctoritatem tribuimus, sed tantum vestris solatiis eos contineri summopere hortamur.

XVII.
Sedium loca mutavit.
Regist. lib. 2 ep. 14.

Loca quoque Sedium prudentissimus Pontifex accepta justa occasione mutabat. Unde Johanni, Episcopo Vellitrano scribit, dicens; Temporis qualitas admonet, Episcoporum Sedes antiquitus certis civitatibus constitutas; ad alia quæ securiora putamus, ejusdem diœcesis loca transponere, quo, & habitatores nunc degere, & barbaricum possint periculum facilius declinare. Propterea te Johannem fratrem coepiscopumque nostrum Vellitrensis civitatis, Sedemque tuam in loco qui appellatur Arenata ad sanctum Andream Apostolum, præcipimus exinde transmigrare: quatenus & ab hostilitatis incursu E liberior existere valeas, & illic consuetudinum festa disponas.

XVIII.
Nulla occasione Pontificem ab una in aliam Ecclesiam, aut mutavit, aut mutari permisit.

Et notandum quod Gregorius licet monasteria & episcopatus unierit, atque vacantes Episcopos vacantibus civitatibus incardinare studuerit, numquam tamen Episcopum ab integritate suæ Ecclesiæ, val ipse in aliam commutavit, vel sub quacumque occasione migrare consensit

a Legendum forte *S. Eutbimii*, Consule Bollandum ad hunc locum. Ibidem a *Cures* format *Curites*, & *Quirites*.

A Nam postquam [b] Demetrium Neapolitanum Episcopum super criminibus manifestis deposuit: cum ab eisdem Neapolitanis incardinari sibi Paulum Nepesinum Episcopum magnopere quæreretur: discretissimus Pontifex, visitatione civitatis Nepesinæ Johanni Episcopo delegata, eumdem quidem Paulum visitatorem illis tribuit: Cardinalem vero constituere tam primo dispensatorie distulit, quam postea penitus recusavit. Cui postmodum licentiam revertendi ad suam diœcesim concedens, centum solidos de Neapolitana Ecclesia, & unum puerulum orphanum, qualem ipse de familia ejusdem Ecclesiæ voluisset, dari præcepit.

b

XIX.
Alterius parochianum sibi Cardinalem sacravit.
Regist. lib. v. ep. 17.

B Aliarum parochiarum Clericos sibi & aliis, discretissimus Pontifex discretissime incardinare curabat. Quapropter Heliæ Presbytero & Abbati Provinciæ Isauriæ post aliqua scribens: Filium, inquit, vestrum Epiphanium mandastis, ut ad sacrum ordinem provehere deberemus, vobisque retransmittere. Sed in uno vos audivimus, in altero vero audire minime potuimus. Diaconus quidem factus est: sed quisquis semel in hac Ecclesia sacrum ordinem acceperit, egrediendi ex ea ulterius licentiam non habet. Si ergo videre vos non potui, hac ex re consolationem habeo, quia in filio vostro requiesco.

XX.
Qualiter alterius Ecclesiæ Clericos, aliis incardinari permiserit.
Reg. lib. 10 ep. 14.

Item Maximiano, Episcopo Syracusano: Præsentium lator Felix, Diaconus, cum nullaC tenus in hæreticorum dogmata lapsus sit, nec a catholica fide discesserit, pravis illectus adversus Constantinopolitanam Synodum suspicionibus, in Istricorum se separatione removerat. Qui cum Romam venisset, recepta a nobis juvante Domino ratione, excessum suum recepta Dominici corporis communione correxit. Quia ergo, ut dictum est, non in hæresim incidit, sed a sacris generalis Ecclesiæ ministeriis, quasi rectæ studio intentionis erravit, imbecillitati ejus atque necessitatibus consulentes, maximeque sustentationis ejus, pietatis intuitu providentes, in tua Syracusana Ecclesia eum prævidimus cardinandum.

Regist. lib. VI. ep. 11.

Item Fortunato, Episcopo Neapolitano: Fraternitatem tuam a nobis petisse recolimus, ut D Gratianum, Ecclesiæ Venafranæ Diaconum, tuæ concederemus Ecclesiæ cardinandum. Et quoniam nec Episcopum, cui obsecundare, nec propriam habet Ecclesiam, hoste scilicet prohibente, quo suum debeat ministerium exhibere: petitionem tuam non prævidimus differendam. Idcirco scriptis tibi præsentibus eum necessario duximus concedendum, habituro licentiam Diaconum illum, nostra interveniente auctoritate, Ecclesiæ tuæ, Deo propitio, constituere Cardinalem.

Regist. lib. VI. ep. 20.

Item Cypriano Diacono: Sicue Dilectio tua studiose laboravit pro persona fratris, & coepiscopi nostri Johannis, ut in Syracusana Ecclesia, auctore Deo, debuisset ordinari: ita E nunc necesse est ut per Dilectionis tuæ studia ei quoque regiminis solatia ministrentur. Quemdam enim Presbyterum proprium habuisse se perhibet, qui tamen a fratre & coepiscopo nostro Leone in Catanensi Ecclesia dicitur ordinatus. Et quia in novam Ecclesiam vadit, & suos illic proprios homines habere necesse est, ut dum causarum tumultibus premitur, in secreto suo inveniat, ubi requiescat: prædicto fratri, &

b Vide lib. 12. Epist. 6. & consule plurimas ad Paulum Epistolas.

,, & coepiscopo nostro Leoni blande & dulciter persuadere debes, ut ei præfatum Presbyterum cedere debeat: ne quem tam benignus ad ordinandum cessit, ordinatum destituere fortasse videatur.

XXI. Numquam prioribus Clericis posterius ordinatos prætulit.

Antiquissimum ecclesiasticæ consuetudinis ordinem Gregorius ab Apostolis traditum, & ad sua usque tempora solemniter conservatum, adeo studiosissime retinebat, ut nullum, quantalibet sanctitate, sapientia, nobilitateve polleret, anterioribus Clericis in conventu, consessu, statione, sive subscriptione præponeret. Unde Januario, Caralitano Episcopo scribens: ,, Liberatus, inquit, de quo nobis tua Fraternitas indicavit, qui Diaconi fungi perhibetur officio, si a decessore tuo non factus est Cardinalis, ordinatis a te Diaconis nulla debet ratione præponi: ne eos, quos consecrando probasse cognosceris, reprobare supponendo quodam modo videaris. Prædictum itaque Liberatum, quem reprimendus ambitionis inflat spiritus, omni instantia ab intentus sui pravitate compesce, & ultimum inter Diaconos stare constitue: ne dum se illicite preferri contendit, immeritus loco in quo nunc situs est, judicetur. Cujus tamen si obedientia fueris invitatus, & eum post hoc facere Cardinalem volueris, nisi Pontificis sui cessionem solemni more meruerit, abstinendum ab ejus incardinatione memineris: quoniam equitati convenire non ambigis, ut aliis servare non differas, quod ipse quoque tibi servare desideras.

Regist. lib. 1. Ep. 81.

XXII. Qualiter defunctorum Episcoporum Ecclesias vicinis visitatoribus committebat. Regist lib. 11. Ep. 38.

Hujus videlicet antiquissimę consuetudinis ordine Gregorius provocatus, defunctorum Episcoporum Ecclesias pro faciendo inventario, & eligendo legitimę opinionis Episcopo, vicinis Episcopis commendabat, hoc modo scribens Johanni Squillacino: ,, Obitum illius Antistitis directa relatio patefecit. Quapropter visitationis destitutę Ecclesię, Fraternitati tuę operam solemniter delegamus: quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus Clericorum, reditu, ornatu, ministeriisque vel quidquid illud est, in patrimonio ejusdem a quoquam presumatur Ecclesię. Et ideo Fraternitas tua ad predictam Ecclesiam ire properabit, & assiduis adhortationibus clerum plebemque ejus admonere festinet: ut remoto studio, uno eodemque consensu talem sibi preficiendum expetant Sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri, & a venerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, & Dilectionis tuę testimonio litterarum, ad nos veniat consecrandus: commonentes etiam Fraternitatem tuam ut nullum de altera eligi permittas Ecclesia, nisi forte inter Clericos earumdem civitatum in quibus visitationis impendis officium, nullus ad episcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri: provisurus apte omnia ne ad cujuslibet conversationis meritum laicę personę aspirare presumant, & tu periculum ordinis tui, quod absit, incurras. Monasteria autem, si qua sunt in ipsius parochia constituta, sub tua cura dispositioneque, quousque illic proprius fuerit Episcopus ordinatus, esse concedimus: ut sollicitudinis tuę vigilantia proposito suo congrua, Deo adjuvante, actione respondeat.

Regist. lib. 11. Ep. 29.

,, Item clero, ordini, & plebi: Vestri Antistitis obitum cognoscentes, curæ nobis fuit destitutæ Ecclesiæ visitationem fratri & coepiscopo nostro Johanni solemniter delegare: cui dedimus in mandatis ut nihil de provectionibus Clericorum, reditu, ornatu, ministeriisque a quoquam usurpari patiatur, cujus vos assiduis adhortationibus convenit obedire; quatenus in ecclesiastico obsequio Sacerdos exquiratur, qui a venerandis canonibus nulla discrepet ratione. Qui dum fuerit postulatus cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, & visitatoris pagina prosequente, ad nos veniat ordinandus: provisuri ante omnia ne cujuslibet vitæ vel meriti laicam personam præsumatis eligere: nam non solum talem ad episcopatus apicem nulla ratione provehendum, verumetiam vos nullis intercessionibus veniam promereri posse cognoscite: sed omnes quos ex vobis de laica persona aspirasse constiterit, ab officio & a communione alienos faciendos proculdubio noveritis.

XXIII. Pro inventario faciendo nihil accipiendum decrevit. Regist. lib. 10. Epist. 1

Nulla occasione Gregorius quidquam de donariis, sive prædiis quarumlibet Ecclesiarum patiebatur auferri. Idcirco Maximiano, Syracusano Episcopo, inter alia scribit, dicens: ,, Caritatem tuam commonere curavimus ut si quispiam Episcoporum de hac luce migraverit, vel, quod absit, pro suis fuerit remotus excessibus: convenientibus [a] hierarchicis, cunctisque cleri prioribus, atque in sui præsentia inventarium Ecclesiæ rerum facientibus, omnia quæ reperta fuerint subtiliter describantur: nec, sicut antea fieri dicebatur, species quædam, aut aliud quodlibet de rebus Ecclesiæ, quasi pro faciendi inventarii labore, tollatur. Sic namque ea quæ ad munitionem facultatis pauperum pertinent, desideramus expleri, ut nulla penitus in rebus eorum ambitiosis hominibus venalitatis relinquatur occasio. Visitatores ecclesiarum, Clerici quoque eorum, qui cum ipsis per non suæ civitatis parochias fatigantur, aliquod laboris sui capiant, te disponente, subsidium. Justum namque est ut illic consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium.

XXIV. Consuetudines dationum, vel xeniorum repulit. Regist. lib. 1. Ep. 64. Indict. 9.

Consuetudines dationum vel xeniorum a suis Episcopis accipere Gregorius, quasi pondus quoddam pestiferum toto mentis conamine detrectabat. Unde Felici, Episcopo Messanensi: Consuetudines, inquit, quæ Ecclesiis noscuntur gravamen inducere, nostra nos decet consideratione remittere: ne illud aliqua cogantur inferre, unde sibi inferenda debent potius expectare. Clericis quidem tuis, vel aliorum consuetudinem te oportet illibatam servare, eisque annis singulis, quæ sunt consueta transmittere: nobis vero de cetero, ne quid transmitti debeat, inhibemus. Et quoniam non delectamur xeniis, palmatianas, quas tua direxit Fraternitas, cum gratiarum actione suscepimus: sed eas, ne quod exinde sentire potuisses dispendium, digno fecimus pretio venundari: & id tuæ Fraternitati transmisimus [b] sigillatum. Sed quia Caritatem tuam ad nos velle venire cognovimus, scriptis præsentibus admo-

a In Utic. & al. mss. *hieraticis*.
b Ita mss. vitæ S. Gregorii & non pauci epistolarum, ubi ex aliis editis retinuimus *sigillatim*.

monemus, ut ad veniendum non debeas laborem assumere: sed ora pro nobis, ut quanto nos itineris intervalla dissociant, tanto animis nostris ad invicem, Christo adjuvante, simus in caritate conjuncti; quatenus alterna nos obsecratione juvantes, susceptum officium venturo integrum Judici resignemus.

Lib. XI. ep. 23

Item Johanni, Episcopo primæ Justinianæ, cui & Pallium mittit, & vices suas committit, post multa scribit: „ Xenia autem vestræ Sanctitatis suscipere omnino nolueram, quia valde esset incongruum, ut a prædatis atque afflictis fratribus munera percepisse videremur: sed Responsales vestri alio me argumento vicerunt, ad eum illa deferentes, a quo non possent vestræ Fraternitatis oblationes repelli...

XXV. *Episcopos ad urbem Romanam nisi semel in quinquennio venire statuit. Regist. lib. XI. Ep. 7. Regist. lib. VII. Ep. 22.*

Hinc est quod Gregorius Episcoporum neminem ad urbem fatigare delectans, Maximiano Syracusano Episcopo, vices suas per Siciliam totam commisit; præcipiens ut omnes Episcopi semel in quinquennio Romam venirent. Unde Cypriano Diacono scribens: „ Novit, ait, Dilectio tua hanc olim consuetudinem tenuisse, ut fratres & coepiscopi nostri, Romam semel in triennio de Sicilia convenirent; sed nos eorum labori consulentes, scias constituisse ut suam hic semel in quinquennio præsentiam exhiberent, *& cetera*. Ubi notandum quia si beatus Gregorius xenia, quod credi nefas est, anhelaret, non Episcoporum adventus a triennio in quinquennium protelaret, immo a triennio in biennium proculdubio festinaret.

XXVI. *Etiam rerum pretia suscipere recusavit.*

Sed quando xenia grate susciperet, qui, quamvis dispensandas alterius eleemosynas, recusare timeret, eas tamen & timendo suscipiebat, & cautissime dispensabat; quique adeo sua dare, & aliena non accipere consueverat, ut etiam rerum quarumdam pretia penitus refutaret. Unde Eulogio Patriarchæ Alexandrino inter cetera scribit, dicens: „ De lignis quod scribitis quia brevia fuerint, navis per quam transmissa sunt qualitas fecit: quia si major navis venisset, potuissem ligna etiam majora transmittere. Quod autem dicitis, quia si majora transmittamus, pretium datis: largitati quidem gratias agimus, sed accipere pretium, Evangelio interdicente, prohibemur. Nos enim ea quæ transmittimus ligna, non emimus; & quomodo possumus pretium accipere, cum scriptum sit: *Gratis accepistis, gratis date*? Nunc ergo juxta modum navis per nauclerum parva ligna transmisimus: sequenti vero anno, si omnipotenti Deo placuerit, majora præparamus.

Regist. lib. VIII. Ep. 29. — *Matt. 10. 8.*

XXVII. *Suffraganeis suis Episcopis necessaria prærogavit. Regist. lib. 10. Ep. 53. Indict. 5.*

Non mirum si liberalissimus Pontifex nullas consuetudines a suis suffraganeis, nulla xenia capiebat, quibus ipse, si qua necessaria videbantur, satis hilariter ministrabat. Unde Venantio Episcopo Perusino scribit, dicens: „ Fratrem & coepiscopum nostrum Ecclesium frigore omnino laborare cognovimus, pro eo quod hyemalem vestem non habeat. Et quia aliquid sibi a nobis petiit debere transmitti, Fraternitati tuæ ad hoc per latorem præsentium transmisimus amphimallum, tunicam, & pectorale, ut ad te ei debeant sine mora transmitti. Et ideo ad prædictum fratrem nostrum sub omni illud celeritate stude transmittere: atque nobis hoc ipsum, quia transmiseris, tuis renuntiare epistolis non omittas: sed ita fac, ut ad transmittendum; quia vehemens frigus est, moram aliquam minime facias.

Regist. lib. X. ep. 45. Indict. 3.

Item eidem Ecclesio Clusino Episcopo: „ Scripta Fraternitatis vestræ suscipientes, contristati sumus quod vos per ea, & graviter infirmatos, & adhuc debiles esse cognovimus. Et licet Sanctitatem vestram videndi desiderium haberemus, bene tamen fecistis isto vos illic tempore continere: ne venientes huc, de ægritudinis vestræ molestia recidivam nobis tristitiam faceretis. Et post pauca: Unum autem caballum vobis, qualem invenire potuimus, de benedictione sancti Petri transmisimus, ut habeatis eum quo post infirmitatem vectari possitis.

XXVIII. *Quam curiose ab eisdem sanctitatem, sapientiam & liberalitatem quærebat.*

Tali patrono tunc illius temporis Pontifices ampliati, tam novas Ecclesias a fundamentis construentes ornare, quam veteres quoque splendidissime renovare cœperunt. Nam Gregorius nihil in suis Episcopis magis, quam sanctitatem, sapientiam, & liberalitatem curiosissime quæritabat. Quod ut significantius elucescat, quasdam Epistolarum ejus adhibebo, quarum testimonio lector meus quorumdam Episcoporum vitia reprehensa cognoscat. Ait enim in epistola Secundino Servo Dei inter cetera, sic:

XXIX. *Marinianum Episcopum pro avaritia notat. Regist. lib. V. ep. 29.*

„ Fratrem nostrum Marinianum, Episcopum, verbis, quibus vales, excita, quia eum obdormisse suspicor. Nam venerunt quidam ad me in quibus erant quidam senes mendicantes, qui a me discussi sunt, a quibus, & quid acceperint, per singula retulerunt quanta eis, & a quibus in itinere data sint. Quos dum sollicite de prædicto fratre requirerem quid eis dedisset, responderunt se eum rogasse, sed ab eo se omnino nihil accepisse, itaut neque panem in via acceperint; quod dare omnibus illi Ecclesiæ semper familiare fuit. Dixerunt enim: Respondit nobis dicens: Non habeo quod vobis dare possim. Et miror si is qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet, quod pauperibus debeat dare non habet. Dic ergo illi ut cum loco, mutet mentem. Non sibi credat solam lectionem, & orationem sufficere, ut remotus studeat sedere, & de manu nihil fructificare: sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat: quia si hæc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet.

XXX. *Serenum Episcopum, pro confractis imaginibus arguit. Regist. lib. XI. ep. 13.*

„ Item Sereno, Episcopo Massiliensi, post aliqua: Perlatum ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus, Sanctorum imagines, sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem, quia eas adorari vetuisses, omnino laudavimus: fregisse vero reprehendimus. Dic, Frater, a quo factum Sacerdote aliquando vel auditum est, quod fecisti? Si non aliud, vel illud te non debuit revocare, [a] ut despectis aliis fratribus, solum te & sanctum esse crederes, & sapientem. Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus: quia in ipsa ignorantes vident quod sequi debeant, in ipsa legunt, qui litteras nesciunt. Unde & præcipue gentibus pro lectione pictura est. Quod magnopere a te, qui inter gentes habitas, attendi decuerat: ne dum recto zelo incaute succenderis, se-

a Excusi, *ne despectis*, at in mss. tum vitæ S. Greg. tum epistolarum constanter habes *ut*, non *ne*.

ferocioribus animis scandalum generares. Frangi ergo non debuit quod non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum. Et quia in locis venerabilibus Sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit, si zelum discretione condiisses, sine dubio, & ea quæ intendebas, salubriter obtinere, & collectum gregem non dispergere, sed dispersum potius poteras congregare: ut Pastoris in te meritum nomen excelleret, non culpa dispersoris incumberet. Hæc autem dum in hoc animi tui incauto nimis motu exequeris, ita tuos scandalizasse filios perhiberis, ut maxima eorum pars a tua se communione suspenderet. Quando ergo ad ovile Dominicum errantes oves adduces, qui quas habes, retinere non prævales? Proinde hortamur ut vel nunc studeas esse sollicitus, atque ab hac te præsumtione compescas: & eorum animos, quos a tua disjunctos unitate cognoscis, paterna ad te dulcedine omni annisu omnique studio revocare festines.

XXXI. Januarium Episcopum suas injurias vindicantem deterret. Regist. lib. 11. ep. 49.

Januario quoque Caralitano Episcopo, post aliqua scribit, dicens: „ Inter querelas multiplices, Isidorus vir clarissimus, a Fraternitate tua frustra se excommunicatum anathematizatumque conquestus est. Quod quam ob rem factum fuerit, dum a Clerico tuo, qui præsens erat, voluissemus addiscere, pro nulla alia causa, nisi pro eo quod te injuriaverat, factum innotuit. Quæ res nos vehementer afflixit; quia si ita est, nil te ostendis de cælestibus cogitare, sed terrenam te conversationem habere significas: dum pro vindicta propriæ injuriæ, quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis invexisti. Unde de cetero omnino esto circumspectus atque sollicitus, & talia cuiquam pro defensione injuriæ tuæ, inferre denuo non præsumas. Nam si tale aliquid feceris, in te scias postea vindicandum.

XXXII. Eumdem pro exaratione messis exasperat. Lib. 11. ep. 1. 1. Tim. 5. 1.

„ Item eidem: Prædicator omnipotentis Dei Paulus Apostolus præcipit, dicens: *Seniorem ne increpaveris.* Sed hæc ejus regula in eo servanda est, cum culpa senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda juniorum. Ubi enim senior juvenibus exemplum ad interitum præbet, ibi districta increpatione feriendus est. Nam scriptum est: *Laqueus juvenum omnes vos.* (Isai. 42. 22.) Et rursum Propheta dicit: *Peccator centum annorum maledictus erit.* (Isai. 65. 20.) Tanta autem nequitia ad aures meas de tua senectute pervenit, ut eam nisi adhuc humanitus pensaremus, fixa jam maledictione feriremus. Dictum quippe mihi est quod Dominico die priusquam Missarum solemnia celebrares, ad exarandam messem latoris præsentium perrexisti: & post exarationem ejus Missarum solemnia celebrasti. Post Missarum solemnia etiam, & terminos possessionis illius eradicare minime timuisti. Quod factum quæ pœna debuit insequi, omnes qui audiunt, sciunt. Dubii autem de tanta hac perversitate fueramus; sed filius noster Cyriacus Abbas, a nobis requisitus dum esset Caralis, ita se cognovisse perhibuit. Et quia adhuc canis tuis parcimus, hortamur, aliqando resipisce senex, atque a tanta levitate morum, & operum perversitate compesce: quia quanto morti vicinior efficeris, tanto fieri sollicitior, atque timidior debes. Et quidem pene sententia in te fuerat jaculanda: sed quia simplicitatem tuam cum senectute novimus, interim tacemus.

XXXIII. Desiderium, Episcopum, pro lectione librorum gentilium corripit. Regist. lib. 11. ep. 54.

A Omnes omnino Pontifices a lectione librorum gentilium Gregorius inhibebat. Quapropter Desiderio Galliarum Episcopo, pallium postulanti, scribit, inquiens: „ Cum multa nobis bona de vestris fuissent studiis nuntiata, ita cordi nostro est nata lætitia, ut negare ea, quæ sibi Fraternitas vestra concedenda poposcit, minime pateremur. Sed post hæc pervenit ad nos, quod sine verecundia memorare non possumus, Fraternitatem tuam grammaticam quibusdam exponere: Quam rem moleste suscepimus, ac sumus vehementius aspernati, ut ea, quæ prius dicta fuerunt, in gemitum & tristitiam verteremus: quia in uno se ore cum Jovis laudibus, Christi laudes non capiunt. Et quam grave nefandumque sit B Episcopos canere, quod nec laico religioso conveniat, ipse considera. Nam quamvis dilectissimus filius noster Candidus, Presbyter, postmodum veniens, hac de re subtiliter inquisitus, negaverit, atque vos conatus fuerit excusare, de nostro tamen adhuc animo non recessit: quia quantum execrabile est hoc de Sacerdote narrari, tanto utrum ne ita sit, districta & veraci oportet satisfactione cognosci. Unde si post hoc evidenter hæc quæ ad nos perlata sunt falsa esse claruerint, neque vos nugis, & secularibus literis studere constiterit: & Deo nostro gratias agemus, qui cor vestrum maculari blasphemis nefandorum laudibus non permisit, & de concedendis quæ poscitis, securi jam & sine aliqua C dubitatione tractabimus.

XXXIV. Natalem, Episcopum, de negligentia simulque conviviis reprehendit. Regist. lib. 11. ep. 28.

Nihilominus Natali, Salonitano Episcopo, scribit, dicens: „ Multis ab urbe tua venientibus, Frater carissime, didici, pastorali cura derelicta, sol s te conviviis occupatum. Quæ audita non crederem, nisi hæc actionum tuarum experimentis approbarem. Nam quia nequaquam lectioni studeas, nequaquam exhortationi invigiles, sed ipsum quoque usum Ecclesiastici ordinis ignores, hoc est in testimonio, quod eis, sub quibus es positus, servare reverentiam nescis.

XXXV. Quam facetissime eumdem propriis assertionibus obligat. Regist. lib. 11. ep. 52. Gen. 18. Gen. 25.

Sed cum Natalis per inanem philosophiam scriptis propriis se niteretur inculpabilem demonstrare, mitissimus doctor Gregorius ita rescripsit: D „ In conviviorum defensionem vestra Fraternitas Abrahæ convivium memorat, in quo, teste sacro eloquio, tres Angelos suscepisse perhibetur. Sed hoc exemplo de convivio, neque nos Beatitudinem vestram reprehendimus, si hanc suscipere Angelos in hospitalitatem cognoscimus. Rursum narrat tua Fraternitas Isaac satiatum, filio benedictionem dedisse. Quæ utraque veteris Testamenti, quia ita sunt gesta per historiam, ut tamen signarent aliquid per allegoriam, utinam valeamus sic res gestas legendo percurrere, ut possimus etiam gerendas prævidendo sentire. Ille quippe in tribus Angelis unum salutans, Trinitatis subsistentias unius substantię esse declaravit. Iste vero satiatus benedicit filium: quia qui divinis epulis repletur, illius sensus in prophetiæ virE tutem extenditur. Divinæ autem epulæ sacri eloquii verba sunt. Si igitur assidue legitis, si exemplum ab exterioribus trahentes, interna penetratis, quasi de agri venatione satiati, mentis ventrem repletis, ut anteposito filio, suscepto videlicet populo, possitis ventura nuntiare. Sed jam in hoc seculo caligat, qui de Deo aliquid prophetat: quia profecto dignum est ut hic jam per concupiscentiam minus videat, cujus sensus per intelligentiam intus coruscat. Hæc ergo ad vos-

„ met-

„ metipsos trahite: & si vos tales agnoscitis, ni- A
„ hil est quod de nostra æstimatione dubitetis.

Matt. 11.

„ Gaudere quoque Beatitudinem vestram invenio,
„ si voracis nomen cum rerum auctore sustineat.
„ Quod ego breviter expono, quia si de vobis fal
„ sum dicitur, nomen hoc veraciter cum rerum
„ auctore sustinetis. Si vero de vobis verum est,
„ hoc de illo falsum fuisse quis dubitet? Absolve-
„ re vos non valet par nomen, quorum dispar est
„ causa. Nam cum eo crucem etiam periturus la-
„ tro suscepit: sed quem reatus proprius tenuit,
„ par crucifixio non absolvit.
„ Ego tamen, quanti valeo precibus deposco,
„ ut sanctissimam Fraternitatem vestram auctori
„ nostro Deo non solum nomen, sed etiam causa
„ conjungat. Convivia autem quæ ex intentione
„ impendendæ caritatis fiunt, recte vestra Sancti-
„ tas in suis epistolis laudat: sed tamen sciendum
„ est quia tunc veraciter ex caritate prodeunt, cum
„ in eis nulla absentium vita mordetur, nullus ex
„ irrisione reprehenditur: & non in eis inanes
„ secularium negotiorum fabulæ, sed verba sa-
„ cræ lectionis audiuntur: cum non plus, quam
„ necesse est, servitur corpori, sed sola ejus infir-
„ mitas reficitur, ut ad usum exercendæ virtutis
„ habeatur. Hæc itaque si vos in vestris conviviis
„ agitis, abstinentium fateor magistri estis. Quod
„ ergo Pauli Apostoli ad me testimonium posui-

Rom. 14. 3.

„ stis, in quo ait: *Qui non manducat, manducan-* C
„ *tem non judicet*, omnino existimo incongruum
„ fuisse: quia neque ego non comedo, neque ob
„ hoc a Paulo Apostolo dictum est, ut membra
„ Christi, quæ in ejus corpore, id est in Ecclesia
„ invicem sibi caritatis compage connexa sunt,
„ nullam de se ullo modo curam gerant. Sed si ne-
„ que ego ad te, neque tu aliquid pertineres ad
„ me, jure tacere compellerer: ut cum non re-
„ prehenderem, qui emendari non posset. Hæc
„ ergo sententia propter eos solummodo dicta est,
„ qui illos judicare student, quorum cura sibi com-
„ missa non est. At postquam nos, auctore Deo,

a

„ unum sumus, [a] si ea quæ nobis corrigenda sunt
„ tacemus, valde delinquimus.

XXXVI. Episcopos ab Ecclesia sua abesse vetuit.

Neminem sane Pontificum a parochia sua sal- D
tem parumper absque inevitabili prorsus necessita-
te discedere Gregorius permittebat: quos nimirum
in causis mundialibus occupari vehementissime
prohibebat. Unde Romano, defensori, scribit,

Regist. lib. x. ep. 10.

dicens: „ Perlatum est ad nos, reverendissimum
„ fratrem nostrum Basilium, Episcopum, velut
„ unum de laicis in causis secularibus occupari, &
„ prætoriis inutiliter deservire. Quæ res, quo-
„ niam & ipsum vilem reddit, & reverentiam sa-
„ cerdotalem annihilat: statim ut experientia tua
„ hoc præceptum susceperit, eum ita ad rever-
„ tendum districta executione compellat, quate-
„ nus ei illic, te insistente, quinque diebus sub
„ qualibet excusatione immorari non liceat: ne
„ si quolibet modo eum ibidem amplius moram E
„ habere permiseris, cum ipso apud nos graviter
„ incipias esse culpabilis.

XXXVII. Episcopos per diversa loca non vagari censuit. Regist. lib. vi. ep. 23.

„ Item Anthemio Subdiacono: Pervenit ad nos
„ Pimenium, Amalfitanæ civitatis Episcopum, in
„ Ecclesia sua residere non esse contentum, sed
„ foras per loca diversa vagari. Quod videntes
„ alii, nec ipsi in castro se retinent, sed ejus exem-
„ plum sequentes, foris magis eligunt habitare.
„ Et quia sic agentes, ipsi potius ad suam hostes
„ deprædationem invitant, idcirco hac tibi aucto-
„ ritate præcipimus ut supradicto Episcopo inter-
„ minari non desinas, quatenus hoc de cetero fa-
„ cere non præsumat, sed in Ecclesia sua, sacer-
„ dotali more, resideat. Quem si forte non emen-
„ dari post tuam interminationem cognoveris, in
„ monasterio eum deputare, & nobis curabis mo-
„ dis omnibus indicare: ut quid facere debeas, no-
„ stra iterum præceptione cognoscas.

XXXVIII. Lapsum propriæ amitæ non dubitavit memoriæ commendare.

Non mirum si Gregorius ex ministerio sibi cre-
dito, curabat vitia quorumlibet Præpositorum
verbis salubribus increpare, qui lapsum propriæ
amitæ non dubitaverit ad instructionem populi
posterorum memoriæ commendare. Siquidem

Matt. 22. 14.

B Evangelica sententia, qua dicitur: *Multi sunt*
vocati, pauci vero electi, volens multorum vo-
cationem a paucorum electione formis exemplo-

Homil. 38 in Evang.

rum discernere, perhibet, dicens: „ Pater meus
„ tres sorores habuit, quæ cunctæ sacræ virgi-
„ nes fuerunt: quarum una Tharsilla, alia Gor-
„ diana, alia Æmiliana dicebatur. Uno omnes
„ amore conversæ, uno eodemque tempore sa-
„ cratæ, sub districtione regulari degentes in do-
„ mo propria, socialem vitam ducebant. Cum-
„ que essent diutius in eadem conversatione, cœ-
„ perunt quotidianis incrementis in amorem Con-
„ ditoris sui Tharsilla, & Æmiliana succrescere;
„ & cum solo hic essent corpore, quotidie ani-
„ mo ad æterna transire. At contra Gordianæ
C „ animus cœpit ab amore caloris intimi per quo-
„ tidiana decrementa tepescere, & paulisper ad
„ hujus seculi amorem redire. Crebro autem
„ Tharsilla dicere Æmilianæ sorori suæ cum ma-
„ gno gemitu solebat: Video Gordianam sororem
„ nostram de nostra sorte non esse. Perpendo
„ enim quia foras defluit, & cor ad quod pro-
„ posuit non custodit. Quam curabant blanda
„ quotidie redargutione corripere, atque a levi-
„ tate morum ad gravitatem sui habitus reforma-
„ re. Quæ quidem resumebat vultum subito gravi-
„ tatis inter verba correptionis: sed cum ejusdem
„ correptionis hora transisset transibat protinus &
„ superducta gravitas honestatis, moxque ad le-
„ via verba redibat. Puellarum gaudebat societa-
D „ te laicarum, eique persona valde onerosa erat,
„ quæcumque huic mundo dedita non erat.
„ Quadam vero nocte huic Tharsillæ amitæ meæ,
„ quæ inter sorores suas virtute orationis conti-
„ nuæ, afflictionis studiosæ, abstinentiæ singula-
„ ris, gravitate vitæ venerabilis, in honore &
„ culmine sanctitatis excreverat, sicut ipsa narra-
„ vit, per visionem atavus meus Felix, hujus Ro-
„ manæ Ecclesiæ Antistes, apparuit, eique man-
„ sionem perpetuæ claritatis ostendit, dicens: Ve-
„ ni, quia in hac te lucis mansione suscipio. Quæ
„ subsequenti mox febre correpta, ad diem per-
„ venit extremum. Et sicut nobilibus feminis,
„ virisque morientibus, multi conveniunt, qui
„ eorum proximos consolentur: eadem hora ejus
E „ exitum præstolantes viri ac feminæ lectulum
„ circumsteterant, inter quas mater quoque mea
„ adfuit. Cum subito sursum illa respiciens, Je-
„ sum venientem vidit, & cum magna animad-
„ versione cœpit circumstantibus clamare, di-
„ cens: Recedite, recedite, Jesus venit. Cum-
„ que in eum intenderet quem videbat, sancta illa
„ anima carne soluta est: tantaque subito fragran-
„ tia miri odoris aspersa est, ut ipsa quoque suavi-
„ tas cunctis ostenderet illic auctorem suavitatis
„ venisse. Cumque corpus ejus ex more mortuo-

a Al. si vobis ea quæ corrigenda sunt tacemus.

rum ad lavandum esset nudatum, longæ orationis usu in cubitis ejus & genibus, camelorum more, inventa est obdurata cutis excrevisse: & quid vivens ejus spiritus semper egerit, mortua caro testebatur. Hæc autem gesta sunt ante Dominici natalis diem. Quo transacto, mox Æmilianæ sorori suæ per visitationem nocturnæ visionis apparuit, dicens: Veni, ut quia Natalem Dominicum sine te feci, ª sanctum Theophaniæ jam tecum faciam. Cui illa protinus de Gordianæ sororis suæ salute sollicita, respondit: Et si sola venio, sororem nostram Gordianem, cui dimitto? Cui tristi vultu iterum dixit: Veni, Gordiana etenim soror nostra inter laicas deputata est. Quam visionem mox molestia corporis est secuta: atque ita ut dictum fuerat, ante Dominicæ epparitionis diem, eadem molestia ingravescente, defuncta est.

„ Gordiana autem mox ut solam remansisse se reperit, ejus pravitas excrevit: & quod prius latuit in desiderio cogitationis, post effectu pravæ actionis exercuit. Nam oblita Dominici timoris, oblita pudoris & reverentiæ, oblita consecrationis, conductorem postmodum agrorum suorum maritum duxit. Ecce omnes tres uno prius ardore conversæ sunt, sed non omnes in uno eodemque studio permanserunt; quia juxta Dominicam vocem: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.*

Matth 22 14

XXIX. Vitalianum, Episcopum, pro femina quæ religiosum habitum mutaverat, arguit. *Regist. lib.* XIII. *Ep.* 8.

Subditorum quoque negligentias Gregorius, & subtiliter inquirebat, & districtissimis redargutionibus emendebat. Unde Vitaliano, Episcopo Sipontino, scribens: „ Si custos, inquit, religiosi habitus fuisses, aut esse nosses Episcopus, filiam gloriosæ memoriæ Tulliani, magistri militiæ, te illic posito, nec projectis religiosis vestibus ad secularem reverti habitum, nec ad nos licuisset perversam epistolam destinere. Sed quia nimia desidia nimioque torpore deprimeris, in tuo dedecore res ad præsens illicita impune commissa est. Nam si, ut præfati sumus, sollicitus extitisses, prius ad nos ultio mulieris pravissimæ, quam culpa debuit pervenire. Quia ergo tantum hebes, tantumque es negligens, ut nisi canonicam in te fueris coercitionem expertus, in aliis disciplinæ districtionem nescias custodire: qualiter debeas esse sollicitus, congruo tibi, si Domino placuerit, tempore demonstrebimus.

XL. Sergium defensorem pro negligentia reprehendit. * *Al.* districtionem. *Regist. lib. eod. Ep.* 9.

„ Item Sergio defensori: Si homo esses, * aut discretionem aliquam habuisses, ita regularis disciplinæ debuisti custos existere, ut ea quæ illic illicite committuntur, ante vindicta corrigeret, quam ad nos eorum nuntius perveniret. Sed dum nimia te facit stultitia negligentem, non solum de illis offendimur, sed etiam adulciscendam desidiem tuam nihilominus provocamur.

XLI. Paschasium Episcopum pro fabrica navis, & sui utilitata compescuit. *Lib.* 13 *ep.* 26

„ Item Anthemio, Subdiacono Campaniæ: Pervenit ad nos fratrem & coepiscopum nostrum Paschasium ita desidem negligentemque in cunctis existere, ut in nullo, quia est Episcopus, agnoscatur, adeo ut neque Ecclesie ipsius, neque monasteria, sive filii Ecclesiæ, vel oppressi, vel peuperes, ejus erga se dilectionis studium sentiant; nec aliquam supplicantibus sibi iis, in quibus justum est, opem defensionis accommodet: & quod adhuc dici gravius est, consilia sapientium, & recta suadentium nulla patiatur ratione suscipere, ut quod ipse per se nequit attendere, ab alio saltem possit addiscere: sed rebus, quæ ad Pastoris curam pertinent, prætermissis, ad fabricandam navim toto se studio inutiliter occupet. Unde, sicut fertur, contigit quadringentos aut eo amplius illum jam solidos perdidisse. Hoc quoque ejus culpis adjungitur, quod ita quotidie despectus cum uno aut duobus Clericis dicitur ad mare descendere, ut & apud suos in fabula sit, & extraneis sic vilis & despicabilis videatur, ut nihil in se habere episcopalis ingenii vel reverentiæ judicetur. Quod si ita est, non sine culpa tua esse cognoscas, qui eum objurgare atque coercere, ut dignum est, distulisti. Quia ergo hoc totum non solum illum reprobat, sed etiam ad sacerdotalis officii pertinere probatur opprobrium: volumus ut eum coram aliis Sacerdotibus, vel quibusdam de filiis suis nobilibus contestari debeas, ac hortari ut vitio torporis excusso, deses esse non debeat, sed in Ecclesiæ suæ, ac monasteriorum cura sit vigilans: paternam filiis suis caritatem exhibeat: in defensione pauperum sit alacer cum discretione: in quibus justitia suaserit, sit erectus: consilia sapientium libenter suscipiat: quatenus, & civitas illa, ejus queat sollicitudine consolari, & ipse desidiæ suæ culpas valeat operire. Si vero, quod non credimus, post hanc adhortationem nostram, solito adhuc more negligens esse tentaverit, ad nos est modis omnibus transmittendus: ut hic positus discere possit, quid vel qualiter secundum Dei timorem agere conveniat Secerdotem.

XLII. Campanorum Episcoporum, & Victoris Panormitani negligentias increpat. *Regist. lib.* 13. *ep.* 27.

„ Item eidem: Quoties illa de fratribus coepiscopisque nostris audimus quæ & illos reprehensibiles ostendere, & nobis tristitiam valeant generare, de eorum nos emendatione non mediocriter cogit necessites cogitare. Quia ergo nuntiatum nobis est Campaniæ Episcopos ita negligentes existere, ut immemores honoris sui, neque erga Ecclesias, neque erga filios suos paternæ vigilantiæ curam exhibeant, vel monasteriorum sollicitudinem gerant, seu in oppressorum pauperum se tuitionem impendant; ideo hac tibi auctoritate præcipimus ut eis ad te convocatis, ex nostro illos mendato districte commoneas, quatenus desides ulterius esse non debeant, sed sacerdotalem se habere zelum, & sollicitudinem opere doceant: atque ita in his quæ eos juste secundum Deum agere convenit, vigilantes existant, ut nullum nos de eis denuo murmur exasperet. Si quem vero eorum post hæc negligentem cognoveris, ad nos eum sine aliqua excusatione transmitte: ut quam sit grava nolle ab his, quæ reprehensibilia, & valde vituperanda sunt, corrigi, regulari in se valeat districtione sentire.

Regist. lib. v. *ep.* 6.

Item Victori, Episcopo Panormitano post aliqua: „ Cujus, inquit, jam culpæ sis intelligis: ut ego tam longe positus, quæ in civitate tua aguntur, agnoscam, & tot curis occupatus, quæ fieri debeant, disponam.

XLIII. Quam moderate Andream, Episcopum, pro concubina dijudicat. *Regist. lib.* XII. *ep.* 45.

Notandum sane, quia sicut manifesta crimina discretissimus Præsul Gregorius, aut vix, aut numquam sine vindicta laxabat: ita nimirum in rebus dubiis numquam aliquando certam sententiam proferebat. Quapropter Andreæ Tarentino, Episcopo, scribit dicens: „ Tribunal judicis æterni securus aspiciet, quisquis, reatus sui conscius, dignum eum modo pœnitentia placare contendit. Habuisse siquidem te concubinam manifesta veritate com-

ª Bigot. & Utic. *sanctum Theophania.*

„ comperimus, de qua etiam contraria est quibusdam nata suspicio. Sed quia in rebus ambiguis absolutum non debet esse judicium, hoc tuæ conscientiæ elegimus committendum. Qua de re si in sacro ordine constitutus, ejus te permixtione esse recolis maculatum, sacerdotii honore reposito, ad ministrandum nullo modo præsumas accedere: sciturus in animæ tuæ periculo ministrare, & Deo nostro te sine dubio reddere rationem, si hujus sceleris conscius, in eo quo es ordine, celans veritatem permanere volueris.

XLIV. A pravis consiliariis abstinendum censuit.

Ob hoc sollicitissimus Ecclesiæ Dei custos Gregorius, uniuscujusque consiliarios arguens, quantum in se erat, omnes omnino salvare certabat. Unde Venantio, exmonacho Patricio, pst aliqua B scribens, ait: (Regist. lib. I. Ep. 34.) „ Scio quia cum epistola mea suscipitur, protinus amici conveniunt, litterati clientes vocantur, & de causa vitæ, consilium a fautoribus mortis quæritur; qui dum non te, sed res tuas diligunt, nulla tibi, nisi quæ ad tempus placeant, loquuntur. Tales enim fuerunt, sicut ipse reminisceris, dudum consiliarii, qui te ad tanti facinus perduxerunt delicti. (Seneca Ep. 3.) Et, ut tibi aliquid secularis auctoris loquar, cum amicis omnia tractanda sunt, sed prius de ipsis. Si vero in causa sua hominem consiliarium quæris, consiliarium rogo me suscipe. Nullus tibi fidelior esse ad consilium potest, quam qui non tua, sed te diligit.

(Regist. lib. III. Ep. 53.) Item Johanni, Constantinopolitano Episcopo, C post nonnulla: „ Ego beatissimo viro domno Johanni scripseram: sed credo, quia mihi familiaris ille vester juvenculus rescripsit, qui adhuc de Deo nihil didicit, qui viscera caritatis nescit, qui in scelestis rebus ab omnibus accusatur, qui insidiari quotidie diversorum mortibus per occulta testamenta, nec Dominum metuit, nec homines erubescit. Mihi crede, Frater carissime, si zelum veritatis perfecte habes, ipsum prius corrige, ut ex his, qui vobis vicini sunt, etiam hi qui vicini non sunt, exemplo melius emendentur. Illius linguam noli recipere. Ille ad consilium vestræ Sanctitatis debet dirigi, non autem vestra Sanctitas ad verba illius inflecti. Si enim illum au- D dit, scio quia pacem cum suis fratribus habere non poterit.

(Regist. lib. XI. Ep. 1.) „ Item Januario, Caralitano Episcopo: Eos, inquit, quorum consiliis messem alterius exarasti, & eradicare terminos minime timuisti, in duobus mensibus excommunicatos esse decernimus; itaut quid eis intra duorum mensium spatium humanitus evenerit, benedictione viatici non priventur. Deinceps autem ab eorum consiliis cautus existe, teque sollicite custodi: ne, si eis in malo discipulus fueris, quibus magister in bono esse debuisti, nec simplicitati tuæ ulterius, nec senectuti parcamus.

(Regist. lib. XI. Ep. 9.) Item Callinico, Exarcho Italiæ, post nonnulla: „ Illud vero cognoscite, quia me non modice con- E tristavit quod major-domus, qui petitionem Episcopi volentis a schismate reverti suscepit, eam se perdidisse professus est, & postmodum ab adversariis Ecclesiæ tenebatur. Quod ego non negligentia, sed venalitate ejus, factum arbitror. Unde miror, quia in eo culpam hanc minime vestra Excellentia vindicavit; sed tamen, quia hoc miratus sum, memetipsum citius reprehendi. Nam ubi Domnus Justinus consilium prebet, qui pacem cum catholica Ecclesia non habet, ibi non possunt hæretici addici. Præterea sancti Petri Apostolorum Principis natalitium diem in Romana civitate vos facere velle perhibetis: & oramus omnipotentem Dominum, ut sua vos misericordia protegat, & vota vestra vos implere concedat. Sed prædictus vir eloquentissimus peto ut simul veniat; qui si non venerit, a vestris obsequiis recedat: vel certe si vestra Excellentia fortasse, emergentibus causis, venire nequiverit, ipse tamen sanæ Ecclesiæ unitati communicet. Bonum enim virum audio, si pessimi non esset erroris.

XLV. Lapsos vel criminosos ab Episcoporum familiaritate repulit. Regist. lib. XI. Ep. 13.

„ Item Sereno, Massilitano Episcopo, post multa: Pervenit ad me, quod Dilectio tua, libenter malos homines in societate sua, vel consilio recipiat, adeo ut Presbyterum quemdam, qui postquam lapsus est, & in suæ adhuc dicitur iniquitatis pollutione versari, familiarem habeat. Quod quidem nos ex toto non credimus: quia qui talem recipit, scelera non corrigit, sed magis aliis talia perpetrandi videtur dare licentiam. Sed ne forte aliqua tibi surreptione, vel dissimulatione, ut a te reciperetur, atque adhuc haberetur gratus, suaserit: non solum hunc a te longius expellere, verum etiam excessus ipsius sacerdotali te zelo modis omnibus convenit resecare: alios vero, qui pravi esse memorantur, paterna adhortatione a sua pravitate compesce, & ad viam stude rectitudinis revocare. Quod si, quod absit, salubri monitu eos videris in nullo proficere, & hos quoque curabis a te procul abjicere, ne pravitates eorum ex eo, quod recipiuntur, displicere minime videantur, & non solum ipsi inemendati remaneant, sed etiam eorum receptione alii corrumpantur. Et considera quam & hominibus execrabile, & periculosum ante Dei sit oculos, si per eum, a quo plectenda sunt crimina, nutriri vitia videantur. Hæc igitur, dilectissime Frater, diligenter attende, & ita agere stude, ut pravos salubriter corrigas, & scandalum de malorum societate, filiorum tuorum animis non inducas.

XLVI. Restringendam præpositorum iram, & unius culpam alii non esse nocivam statuit. Regist. lib. X. Ep. 11.

Pro unius culpa vindicari alium rectissimus Judex Gregorius minime permittebat. Ideoque Gudiscalco Duci Campaniæ scribens, ait: „ Illa Præpositorum sollicitudo utilis, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor sibi nihil vindicat. Restringenda ergo sub ratione potestas est, nec quidquam agendum prius, quam concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore, justum omne putat ira quod fecerit. Pervenit itaque ad nos Magnitudinem tuam usque ad hoc esse impetu furoris impulsam, ut non solum frangi januas monasterii sancti Archangeli, verum etiam diripi exinde quod ibi inventum est feceris. Insuper autem sic contra Abbatem ejusdem monasterii diceris exarsisse, ut nisi occultans se iracundiæ tuæ tempore latuisset, non leve discrimen incurrisset: denique, ut metu tuo perterritus, de domo in qua se olim receperat, exire hucusque non audeat. Quod ne frustra fecisse forsitan videreris, fugam Monachi ipsius, qui ad hostes abiit, ad ejus, quantum ad nos perlatum est, crimen impingis, asserens quod illius voluntate fugerit. Quod si ita est, contristamur, & valde sapientiam vestram miramur. Nam si licitum putatis, ut aliorum culpa aliis sit nociva, multi huic possunt crimini subjacere. Diversorum enim nobilium servi, multarum Ecclesiarum

rium ad lavandum esset nudatum, longæ orationis usu in cubitis ejus & genibus, camelorum more, inventa est obdurata cutis excrevisse: & quid vivens ejus spiritus semper egerit, mortua caro testabatur. Hæc autem gesta sunt ante Dominici natalis diem. Quo transacto, mox Æmilianæ sorori suæ per visitationem nocturnæ visionis apparuit, dicens: Veni, ut quia Natalem Dominicum sine te feci, [a] sanctum Theophaniæ jam tecum faciam. Cui illa protinus de Gordianæ sororis suæ salute sollicita, respondit: Et si sola venio, sororem nostram Gordianam, cui dimitto? Cui tristi voltu iterum dixit: Veni, Gordiana etenim soror nostra inter laicas deputata est. Quam visionem mox molestia corporis est secuta; atque ita ut dictum fuerat, ante Dominicæ apparitionis diem, eadem molestia ingravescente, defuncta est.

„ Gordiana autem mox ut solam remansisse se reperit, ejus pravitas excrevit: & quod prius latuit in desiderio cogitationis, post effectu pravæ actionis exercuit. Nam oblita Dominici timoris, oblita pudoris & reverentiæ, oblita consecrationis, conductorem postmodum agrorum suorum maritum duxit. Ecce omnes tres uno prius ardore conversæ sunt, sed non omnes in uno eodemque studio permanserunt; quia juxta Dominicam vocem: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.*

Matth. 22. 14.

XXIX. Vitalianum, Episcopum, pro femina quæ religiosum habitum mutaverat, arguit. *Regist. lib. XIII. Ep. 8.*

Subditorum quoque negligentias Gregorius, & subtiliter inquirebat, & districtissimis redargutionibus emendabat. Unde Vitaliano, Episcopo Sipontino, scribens: „ Si custos, inquit, religiosi habitus fuisses, aut esse nosses Episcopus, filiam gloriosæ memoriæ Tulliani, magistri militiæ, te illic posito, nec projectis religiosis vestibus ad secularem reverti habitum, nec ad nos licuisset perversam epistolam destinare. Sed quia nimia desidia nimioque torpore deprimeris, in tuo dedecore res ad præsens illicita impune commissa est. Nam si, ut præfati sumus, sollicitus extitisses, prius ad nos ultio mulieris pravissimæ, quam culpa debuit pervenire. Quia ergo tantum hebes, tantumque es negligens, ut nisi canonicam in te fueris coercitionem expertus, in aliis disciplinæ districtionem nescias custodire: qualiter debeas esse sollicitus, congruo tibi, si Domino placuerit, tempore demonstrabimus.

XL. Sergium defensorem pro negligentia reprehendit. [a] *Al. districtionem.* *Regist. lib. eod. Ep. 9.*

„ Item Sergio defensori: Si homo esses, [a] aut discretionem aliquam habuisses, ita regularis disciplinæ debuisti custos existere, ut ea quæ illic illicite committuntur, ante vindicta corrigeret, quam ad nos eorum nuntius perveniret. Sed dum nimia te facit stultitia negligentem, non solum de illis offendimur, sed etiam ad ulciscendam desidiam tuam nihilominus provocamur.

XLI. Paschasium Episcopum pro fabrica navis, & sui vilitate compescuit. *Lib. 13 ep. 26*

„ Item Anthemio, Subdiacono Campaniæ: Pervenit ad nos fratrem & coepiscopum nostrum Paschasium ita desidem negligentemque in cunctis existere, ut in nullo, quia est Episcopus, agnoscatur, adeo ut neque Ecclesia ipsius, neque monasteria, sive filii Ecclesiæ, vel oppressi, vel pauperes, ejus erga se dilectionis studium sentiant; nec aliquam supplicantibus sibi iis, in quibus justum est, opem defensionis accommodet: & quod adhuc dici gravius est, consilia sapientium, & recta suadentium nulla patiatur ratione suscipere, ut quod ipse per se nequit attendere, ab alio saltem possit addiscere: sed rebus, quæ ad Pastoris curam pertinent, prætermissis, ad fabricandam navim toto se studio inutiliter occupet. Unde, sicut fertur, contigit quadringentos aut eo amplius illum jam solidos perdidisse. Hoc quoque ejus culpis adjungitur, quod ita quotidie despectus cum uno aut duobus Clericis dicitur ad mare descendere, ut & apud suos in fabula sit, & extraneis sic vilis & despicabilis videatur, ut nihil in se habere episcopalis ingenii vel reverentiæ judicetur. Quod si ita est, non sine culpa tua esse cognoscas, qui cum objurgare atque coercere, ut dignum est, distulisti. Quia ergo hoc totum non solum illum reprobat, sed etiam ad sacerdotalis officii pertinere probatur opprobrium: volumus ut eum coram aliis Sacerdotibus, vel quibusdam de filiis suis nobilibus contestari debeas, ac hortari ut vitio torporis excusso, deses esse non debeat, sed in Ecclesiæ suæ, ac monasteriorum cura sit vigilans: paternam filiis suis caritatem exhibeat: in defensione pauperum sit alacer cum discretione: in quibus justitia suaserit, sit erectus: consilia sapientium libenter suscipiat: quatenus, & civitas illa, ejus queat sollicitudine consolari, & ipse desidiæ suæ culpas valeat operire. Si vero, quod non credimus, post hanc adhortationem nostram, solito adhuc more negligens esse tentaverit, ad nos est modis omnibus transmittendus: ut hic positus discere possit, quid vel qualiter secundum Dei timorem agere conveniat Sacerdotem.

XLII. Campanorum Episcoporum, & Victoris Panormitani negligentias increpat. *Regist. lib. 13. ep. 27.*

„ Item eidem: Quoties illa de fratribus coepiscopisque nostris audimus quæ & illos reprehensibiles ostendere, & nobis tristitiam valeant generare, de eorum nos emendatione non mediocriter cogit necessitas cogitare. Quia ergo nuntiatum nobis est Campaniæ Episcopos ita negligentes existere, ut immemores honoris sui, neque erga Ecclesias, neque erga filios suos paternæ vigilantiæ curam exhibeant, vel monasteriorum sollicitudinem gerant, seu in oppressorum pauperum se tuitionem impendant; ideo hac tibi auctoritate præcipimus ut eis ad te convocatis, ex nostro illos mandato districte commoneas, quatenus desides ulterius esse non debeant, sed sacerdotalem se habere zelum, & sollicitudinem opere doceant: atque ita in his quæ eos juste secundum Deum agere conveniat, vigilantes existant, ut nullum nos de eis denuo murmur exasperet. Si quem vero eorum post hæc negligentem cognoveris, ad nos eum sine aliqua excusatione transmitte: ut quam sit grave nolle ab his, quæ reprehensibilia, & valde vituperanda sunt, corrigi, regulari in se valeat districtione sentire.

Regist. lib. 9. ep. 6.

Item Victori, Episcopo Panormitano post aliqua: „ Cujus, inquit, jam culpæ sis intelligis: ut ego tam longe positus, quæ in civitate tua aguntur, agnoscam, & tot curis occupatus, quæ fieri debeant, disponam.

XLIII. Quam moderate Andream, Episcopum, pro concubina dijudicat. *Regist. lib. XII. ep. 45.*

Notandum sane, quia sicut manifesta crimina discretissimus Præsul Gregorius, aut vix, aut numquam sine vindicta laxabat: ita mirum in rebus dubiis numquam aliquando certam sententiam proferebat. Quapropter Andreæ Tarentino, Episcopo, scribit dicens: „ Tribunal judicis æterni securus aspiciet, quisquis, reatus sui conscius, digna cum modo pœnitentia placare contendit. Habuisse siquidem te concubinam manifesta veritate com-

a Bigot. & Utic. *sanctum Theophania.*

comperimus, de qua etiam contraria est quibusdam nata suspicio. Sed quia in rebus ambiguis absolutum non debet esse judicium, hoc tuæ conscientiæ elegimus committendum. Qua de re si in sacro ordine constitutus, ejus te permixtione esse recolis maculatum, sacerdotii honore reposito, ad ministrandum nullo modo præsumas accedere: sciturus in animæ tuæ periculo ministrare, & Deo nostro te sine dubio reddere rationem, si hujus sceleris conscius, in eo quo es ordine, celans veritatem permanere volueris.

XLIV. A pravis consiliariis abstinendum censuit.

Ob hoc sollicitissimus Ecclesiæ Dei custos Gregorius, uniuscujusque consiliarios arguens, quantum in se erat, omnes omnino salvare certabat. Unde Venantio, exmonacho Patricio, post aliqua scribens, ait: Scio quia cum epistola mea suscipitur, protinus amici conveniunt, litterati clientes vocantur, & de causa vitæ, consilium a fautoribus mortis quæritur; qui dum non te, sed res tuas diligunt, nulla tibi, nisi quæ ad tempus placeant, loquuntur. Tales enim fuerunt, sicut ipse reminisceris, dudum consiliarii, qui te ad tanti facinus perduxerunt delicti. Et, ut tibi aliquid secularis auctoris loquar, cum amicis omnia tractanda sunt, sed prius de ipsis. Si vero in causa sua hominem consiliarium quæris, consiliarium rogo me suscipe. Nullus tibi fidelior esse ad consilium potest, quam qui non tua, sed te diligit.

Regist. lib. I, Ep. 34.

Seneca Ep. 3.

Item Johanni, Constantinopolitano Episcopo, post nonnulla: Ego beatissimo viro domno Johanni scripseram: sed credo, quia mihi familiaris ille vester juvenculus rescripsit, qui adhuc de Deo nihil didicit, qui viscera caritatis nescit, qui in scelestis rebus ab omnibus accusatur, qui insidiari quotidie diversorum mortibus per occulta testamenta, nec Dominum metuit, nec homines erubescit. Mihi crede, Frater carissime, si zelum veritatis perfecta habes, ipsum prius corrige, ut ex his, qui vobis vicini sunt, etiam hi qui vicini non sunt, exemplo melius emendentur. Illius linguam noli recipere. Ille ad consilium vestræ Sanctitatis debet dirigi, non autem vestra Sanctitas ad verba illius inflecti. Si enim illum audit, scio quia pacem cum suis fratribus habere non poterit.

Regist. lib. III, Ep. 53.

Item Januario, Caralitano Episcopo: Eos, inquit, quorum consiliis messem alterius exarasti, & eradicare terminos minime timuisti, in duobus mensibus excommunicatos esse decernimus; ita ut quid eis intra duorum mensium spatium humanitus evenerit, benedictione viatici non priventur. Deinceps autem ab eorum consiliis cautus existe, teque sollicite custodi: ne, si eis in malo discipulus fueris, quibus magister in bono esse debuisti, nec simplicitati tuæ ulterius, nec senectuti parcamus.

Regist. lib. 12. Ep. 1.

Item Callinico, Exarcho Italiæ, post nonnulla: Illud vero cognoscite, quia me non modice contristavit quod major-domus, qui petitionem Episcopi volentis a schismate reverti suscepit, eam se perdidisse professus est, & postmodum ab adversariis Ecclesiæ tenebatur. Quod ego non negligentia, sed venalitate ejus, factum arbitror. Unde miror, quia in eo culpam hanc minime vestra Excellentia vindicavit: sed tamen, quia hoc miratus sum, memetipsum citius reprehendi. Nam ubi Domnus Justinus consilium præbet, qui pacem cum catholica Ecclesia non habet, ibi non possunt hæretici addici. Præterea sancti Petri Apostolorum Principis natalitium diem in Romana civitate vos facere velle perhibetis: & oramus omnipotentem Dominum, ut sua vos misericordia protegat, & vota vestra vos implere concedat. Sed prædictus vir aloquentissimus peto ut simul veniat; qui si non venerit, a vestris obsequiis recedat: vel certe si vestra Excellentia fortasse, emergentibus causis, venire nequiverit, ipse tamen sanæ Ecclesiæ unitati communicet. Bonum enim virum audio, si pessimi non esset erroris.

Regist. lib. 12. Ep. 9.

XLV. Lapsos vel criminosos ab Episcoporum familiaritate repulit.

Item Sereno, Massilitano Episcopo, post multa: Pervenit ad me, quod Dilectio tua, libenter malos homines in societate sua, vel consilio recipiat, adeo ut Presbyterum quemdam, qui postquam lapsus est, & in suæ adhuc dicitur iniquitatis pollutione versari, familiarem habeat. Quod quidem nos ex toto non credimus: quia qui talem recipit, scelera non corrigit, sed magis aliis talia perpetrandi videtur dare licentiam. Sed ne forte aliqua tibi surreptione, vel dissimulatione, ut a te reciperetur, atque adhuc haberetur gratus, suaserit: non solum hunc a te longius expellere, verum etiam excessus ipsius sacerdotali te zelo modis omnibus convenit resecare: alios vero, qui pravi esse memorantur, paterna adhortatione a sua pravitate compesce, & ad viam stude rectitudinis revocare. Quod si, quod absit, salubri monitu eos videris in nullo proficere, & hos quoque curabis a te procul abjicere; ne pravitates eorum ex eo, quod recipiuntur, displicere minime videantur, & non solum ipsi inemendati remaneant, sed etiam eorum receptione alii corrumpantur. Et considera quam & hominibus execrabile, & periculosum ante Dei sit oculos, si per eum, a quo plectenda sunt crimina, nutriri vitia videantur. Hæc igitur, dilectissime Frater, diligenter attende, & ita agere stude, ut pravos salubriter corrigas, & scandalum de malorum societate, filiorum tuorum animis non inducas.

Regist. lib. 11. Ep. 73.

XLVI. Restringendam præpositorum iram, & unius culpam alii non esse nocivam statuit.

Pro unius culpa vindicari alium rectissimus Judex Gregorius minime permittebat. Ideoque Gudiscalco Duci Campaniæ scribens, ait: Illa Præpositorum sollicitudo utilis, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor sibi nihil vindicat. Restringenda ergo sub ratione potestas est, nec quidquam agendum prius, quam concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore, justum omne putat ira quod fecerit. Pervenit itaque ad nos Magnitudinem tuam usque ad hoc esse impetu furoris impulsam, ut non solum frangi januas monasterii sancti Archangeli, verum etiam diripi exinde quod ibi inventum est feceris. Insuper autem sic contra Abbatem ejusdem monasterii diceris exarsisse, ut nisi occultans se iracundiæ tuæ tempore latuisset, non leve discrimen incurrisset: denique, ut metu tuo perterritus, de domo in qua se olim receperat, exire hucusque non audeat. Quod ne frustra fecisse forsitan videreris, fugam Monachi ipsius, qui ad hostes abiit, ad ejus, quantum ad nos perlatum est, crimen impingis, asserens quod illius voluntate fugerit. Quod si ita est, contristamur, & valde sapientiam vestram miramur. Nam si licitum putatis, ut aliorum culpa aliis sit nociva, multi huic possunt crimini subjacere. Diversorum enim nobilium servi, multarum Ecclesiarum

Regist. lib. 2. Ep. 11.

Clerici, diversorum monasteriorum Monachi, multorum Judicum homines sæpe se hostibus tradiderunt: Ergo si hoc creditur: servorum utique Domini, Clericorum Episcopi, Monachorum Abbates, diversorum fugacium Judices, omnes sub culpa sunt & crimine constituti. Numquid & diebus Magnitudinis tuę multi de civitate, in qua consistis, ad Langobardorum milites fuga non lapsi sunt? Et quis tantæ indiscretionis tantæque possit stultitiæ reperiri, ut eorum iniquitatem tibi æstimet applicandam?

XLVII. Liberos homines verberari vel includi vetuit. Regist. lib. x Ep. 51.

Libertatem uniuscujusque hominis Gregorius contra Judicum insolentias liberis nihilominus vocibus defendebat. Unde Leontio Exconsuli post aliqua scribens, ait: Si Libertinus in ista causa cautionis culpabilis invenitur, de aliis causis quid pro se alleget, nescio: unum tamen hoc bene atque constanter novi, quia, & si quam rebus publicis fraudem fecit, substantia ejus cædi debuit, non libertas. Nam in hoc, quod liberi homines cæduntur, vel includuntur, ut taceam quod omnipotens Deus offenditur, ut taceam quod vestra opinio vehementer gravatur: piissimi tamen Imperatoris nostri omnino tempora fuscantur. Hoc enim inter Reges gentium, & Imperatores Romanorum distat, quod Reges gentium, Domini servorum sunt: Imperator vero Romanorum, Dominus liberorum. Unde & vos quidquid agitis, prius quidem servata justitia, deinde custodita per omnia libertate agere debetis. Scriptum est enim: *Quod tibi non vis fieri, vide ne alteri facias*. Et per semetipsam Veritas dicit: *Quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis*. In libertate ergo eorum, qui vobis in discussionem commissi sunt, vestram specialiter attendere debetis: & si ipsi a majoribus vestris injuriari libertatem vestram non vultis, subjectorum vestrorum libertatem honorando custodite. Scimus enim qui dixit: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*. Cujus quia verba non transeunt, sed per omnia implentur, metuamus quod iterum dicit: *In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis*. Quid autem Gloria vestra existimat, quia si superbe, si crudeliter agimus, despecto Deo, nobis hominem placamus? Nullo modo. Nam ipse, qui despicitur, eum contra nos, quem despecto Deo placare volumus, irritat. Curemus ergo per omnia placare Deum, qui potens est & iratos homines ad mansuetudinem reducere. Nam, sicut dixi, etiam mansueti homines, indignante Deo, ad iracundiam provocantur. Si autem dicitur, quia sine verberibus atque terroribus fraudes publicæ inveniri non possunt, hoc admittere poteram, si in ratiociniorum causa domnus Leontius non venisset. Nam verum est quia illi solent manibus excedere, qui in sensu & lingua deficiunt.

Tob. 4. 16.

Matt. 7. 12.

Matt. 24. 35.

Matt. 7. 2.

XLVIII. Qualiter Judicum vitia sæda queis publicavit.

Regist. lib. v. Ep. lib.

Cunctorum Judicum cupiditates, vel scelera Gregorius quasi camo frenoque Pontificii sui, validissimis auctoritatibus restringebat, & si quos dulciter a pravitate corrigere non valebat, scriptorum suorum redargutionibus publicabat. Unde Romano, Exarcho Italiæ, residenti Ravennę scribit, inquiens: Apud Excellentiam vestram, pravorum audacia, correptionis debet aculeos magis, quam defensionis invenire solatium. Nam satis grave est ut contingat illic habere pravam actionem refugium, unde disciplinæ decet prodire censuram. Pervenit itaque ad nos Speciosum quedam, Presbyterum, qui, causa poscente, in monasterio a Johanne, fratre & coepiscopo nostro, fuerat deputatus, contra sui Pastoris exinde voluntatem exiisse, & ecclesiasticæ constitutionis vigore despecto, antedicto Episcopo vestra fretum tuitione resistere. Quod, quia Excellentiæ vestræ sine dubio pulsat invidiam, necesse est ut ab ejus vos, habita discretione, debeatis tuitione suspendere: ne si nominis vestri occasione Pastori suo inobediens vel contumax fuerit ad tempus vestros contra vos Judices defensare, atque Excellentiam vestram hac ex re cogatur offendere, & nos pariter de vestra discordia contristari.

Comperimus præterea, quod dici nefas est, quasdam mulieres, quæ nunc usque in religioso atque monachico habitu permanserunt, religiosam vestem & suam valaturam deponere, & conjugibus, quod sine gravi dolore referre non possumus, sociari. Sed hoc quidem, ut dicere vel attentare præsumant, favoris vestri patrocinio fulciri dicuntur. Quod nos credere perversitatis ipsius acerbitas non permittit. Petimus ergo ut in tanto vos peccato miscere nullatenus debeatis. Nam hujusmodi iniquitatem impunitam propter Deum nullo modo patimur remanere. Unde iterum quæsumus ut Excellentia vestra in talium se causarum defensione non misceat: ne & Deus suam defendat injuriam, & inter nos aliorum pariat culpa discordiam.

Regist. lib. 1. Epist. 24.

Item Venantio, Exmonacho Patricio: Multi hominum stulti putaverunt quod si ad ordinem episcopatus eveherer, te alloqui, ac per epistolas frequentare recusarem. Sed non ita est: quia ipsa jam loci mei necessitate compellor, ut tacere non debeam. Et post pauca: Hac igitur consideratione compulsus, velis an nolis locuturus sum, quia omni virtute, aut te cupio salvari, aut de tua morte me eripi. In quo enim habitu fueris, recolis: & supernæ districtionis animadversione postposita, ad quid sis delapsus, agnoscis. Culpam ergo tuam pensa, dum vacat: districtionem futuri Judicis dum vales exhorresce; ne tunc illam amaram sententiam audias, cum eam jam nullis fletibus evadas. Et infra: Teste Evangelio, scis quia divina severitas de otioso sermone nos arguit, & de verbo inutili rationes subtiliter exquirit. Pensa ergo quid factura est de perverso opere, si quosdam in judicio suo reprobat de sermone. Ananias Deo pecunias voverat, quas post diabolica victus persuasione subtraxit; sed qua morte multatus est, scis. Si ille igitur mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat nummos Deo abstulit: considera, quanto periculo in divino judicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum omnipotenti Deo, cui te sub monachico habitu devoveras, subtraxisti. Quapropter, si correctionis meæ verba secuturus audieris, quam sint blanda & dulcia in fine cognosces. Ecce, fateor, mœrens loquor, & facti tui tristitia addictus, edere verba vix valeo: & tamen animus tuus, actionis suæ conscius, vix sufficit ferre quod audit: erubescit, confunditur, adversatur. Si ergo ferre non valet verba pulveris, quid facturus est ad judicium Conditoris? Fateor tamen quia supernæ gratiæ misericordiam esse maximam credo, quod te effugere vitam conspicit, & tamen adhuc ad vitam reservat: quod superbientem

Matt. 12.

Act. 5.

„ tem te videt, & tolerat. “ Cumque Venantius, in eadem apostasia permanens, obortis quibusdam simultatibus, oblationes suas a Johanne, Syracusano Episcopo, execratas cognosceret, contra Episcopum hostili more commotus est, eumque non timuit Gregorio accusare. Cui ipse rescribit, dicens: „ Multum nos ea, quam direxistis, jam contristatos invenit epistola, quod inter vos & Johannem, fratrem & coepiscopum nostrum, de quorum desiderabamus gaudere concordia, scandalum prodiisse cognovimus. Quævis enim causa fuisset, non usque ad hoc debuit furor erumpere, ut armati homines vestri, sicut audivimus, [a] in Episcopium irruerent, & diversa hostili more mala committerent, atque vos hæc res a paterna interim caritate divideret. Numquid non poterat, si quælibet contentio fuit, tranquille disponi, ut nec partium utilitas detrimentum, nec sentiret gratia læsionem? Cujus autem gravitatis, cujus sanctitatis, cujus mansuetudinis suprascriptus frater noster sit, non habemus incognitum. Ex qua re colligimus, quia nisi vis eum doloris nimia coegisset, ad hanc rem, de qua vos contristatos asseritis, ejus Fraternitas nullatenus pervenisset. Nos autem, ut hoc eo scribente comperimus, illico ei scripsimus, admonentes ut & oblationes vestras sicut ante susciperet, & Missas in domo vestra non solum celebrari permitteret, sed si velitis, etiam ipse perageret, *& cetera.* “ Verum Venantius cum Episcopo in concordiam rediens, cum per undecim annos a Gregorio multiplicibus litteris exhortatus redire ad monachicum propositum detrectaret, in gravissimam ægritudinem cecidit. Quod a Johanne Syracusano Episcopo Gregorius audiens rescripsit, dicens: „ Fraternitatis vestræ scripta suscepi, quæ mihi de dulcissimi filii mei domni ægritudine loquebantur, & cuncta erga eum qualiter acta sunt enarrabant. Sed uno tempore auditis, & illum [b] desperare ac graviter ægrotare, & in rebus orphanorum, filiarum ejus scilicet, homines iniquos insistere, vix se in corde meo dolor capere poterat. Sed in hoc fuit solatium, quod lacrymæ mihi per gemitus erumpebant. Vestra igitur Sanctitas primam, quam decet, curam negligere non debet, ut de anima ejus cogitare debeat, exhortando, rogando, Dei terribile judicium proponendo, ineffabilem ejus misericordiam promittendo; ut ad habitum suum redire, vel in extremis debeat; ne ei reatus tantæ culpæ in æterno judicio obsistat.

[Regist. lib. vi. Ep. 43.] [Regist. lib. xi. Ep. 36]

Si quos tamen Judicum a suis pravitatibus inconvertibiles Gregorius advertebat, eos scriptis propriis penes Principes denotabat. Unde Constantinæ Augustæ queritur, dicens: „ Dum in Sardinia insula multos esse gentilium cognovissem, eosque adhuc pravæ gentilitatis more idolorum sacrificiis deservire, & ejusdem insulæ Sacerdotes ad prædicandum Redemtorem nostrum torpentes existere: unum illuc ex Italiæ Episcopis misi, qui multos gentilium ad fidem, Domino cooperante, perduxit. Sed quidam rem mihi sacrilegam nuntiavit, quia hi, qui in ea idolis immolant, Judici præmium persolvunt, ut hoc eis facere liceat. Quorum dum quidam baptizati essent, & jam immolare idolis desivissent, adhuc ab eodem insulæ Judice, etiam post baptismum, præmium illud exigitur, quod dari prius pro idolorum immolatione consueverat. Quem cum prædictus Episcopus increparet, tantum se suffragium promisisse respondit, ut nisi de causis etiam talibus impleri non possit. Corsica vero insula tanta nimietate exigentium, & gravamine premitur exactionum, ut ipsi qui in illa sunt, eadem quæ exiguntur complere vix filios suos vendendo sufficiant. Unde fit ut derelicta pia Republica, possessores ejusdem insulæ ad nefandissimam Langobardorum gentem cogantur effugere. Quid enim gravius, quid crudelius pati possunt a barbaris, quam ut constricti atque compressi suos filios vendere compellantur? In Sicilia autem insula Stephanus quidam marinarum partium chartularius, tanta præjudicia tantasque oppressiones operari dicitur, invadendo loca singulorum, atque sine dictione causarum per possessiones ac domos titulos ponendo, ut si velim acta ejus singula, quæ ad me pervenerunt, dicere, magno volumine hæc explere non possem. Quæ omnia serenissima Domina solerter aspiciat, & oppressorum gemitus compescat. Et post pauca: Quæ enim mentes, qualia viscera parentum esse possunt, perpendite, quando filios suos distrahunt, ne torqueantur. Qualiter autem miserendum sit filiis aliorum, hoc bene sciunt qui habent proprios. Unde mihi breviter hæc suggessisse sufficiat, ne si ea quæ in his partibus aguntur, pietas vestra non cognosceret, me apud districtum Judicem silentii mei culpa multaret.

[Regist. lib. v. Ep. 41.]

[XLIX. Instigante diabolo Judices contra eum sæviunt.]

Hinc est quod hujus Gregorii tempore tot Sacerdotes & laici per diversas regiones miraculis coruscasse, Dialogo teste, probantur, quot numquam sub posterioribus Pontificibus inveniri postea potuerunt.

Tantis igitur Ecclesiæ Dei felicitatibus hostis humani generis invidens, nonnullos Pontificum simulque secularium Judicum, ad ejus invidiam conflagravit. Super quorum afflictione Johanni Ravenati Episcopo, inter cetera queritur, dicens: „ Peccatis meis hoc reputo, quia iste, qui nunc interest (haud dubium quin Romanus Exarchus,) & pugnare contra inimicos nostros dissimulat, & nos facere pacem vetat: quamvis jam modo, etiamsi velit, facere omnino non possumus: quia Ariulphus exercitum Autarith & Nordulfi habens, eorum sibi dari precaria desiderat, ut vobiscum loqui aliquid de pace dignetur.

[Regist. lib. xi. Ep. 46.]

„ Item Sebastiano Episcopo Sirmiensi post aliqua: Quæ, sanctissime Frater, de amici vestri domni Romani persona in hac terra patimur, loqui minime valemus: breviter tamen dico, quia ejus in nos malitia gladios Langobardorum vicit; ita ut benigniores videantur hostes, qui nos interimunt, quam Reipublicæ Judices, qui nos malitia sua, rapinis, atque fallaciis in cogitatione consumunt. Et uno tempore curam Episcoporum, atque Clericorum, monasteriorum quoque, & populi gerere, contra hostium insidias sollicitum vigilare, contra Ducum fallacias atque malitias suspectum semper existere: cujus laboris, cujus doloris sit, vestra Fraternitas tanto verius pensat, quanto me, qui hæc patior, purius amat.

[Regist. lib. v. Ep. 42.] [Lib. iv. Ep. 32.]

„ Item Anastasio Patriarchæ post multa: Quæ mala

a Ita mss. Bigot. Utic. & alii; at editi *in Episcopum*; quæ lectio reprobatur a codicibus Epistolarum tam excusis, quam manu exaratis.

b Bigot. *desperare ac graviter ægrotare*, quo lectio habent mss. Epistolarum.

mala barbarorum gladiis, quæ a perversitate Judicum patimur, Beatitudini vestræ narrare refugio, ne ejus gemitum augeam, quem minuere consolando debueram.

Regist. lib. xi. Ep. 2.

Item Palladio Presbytero de monte Sina, post plurima: Peto ut pro me orare debeas, quatenus omnipotens Deus, & a malis me spiritibus, & a perversis hominibus custodire dignetur: quia in hac vitæ meæ peregrinatione mala me simul & multa circumdant, itaut cum Psalmista jure dicam: *In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt me. Circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul.*

Psal. 87. v. 17. & 18.

L. Mauritio Imperatori, pessimam legem ferenti, viriliter contradicit. Regist. lib. iii. Ep. 65.

Porro Mauritio tunc avarissimo simulque rapacissimo Principi, suggestionibus inimicorum suorum funestissimam legem ferenti, ut nulli militum, qui videlicet in manu signatus fuisset, liceret converti, inter cetera sic respondit: Ad hoc potestas super omnes homines, pietati Dominorum meorum cælitus data est, ut qui bona appetunt, adjuventur, ut cælorum via largius pateat, ut terrestre regnum cælesti regno famuletur. Et ecce aperta voce dicitur, ut ei, qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis repulsus, Domino nostro Jesu Christo militare non liceat. At hæc ecce per me, servum ultimum suum & vestrum, respondebit Christus, dicens: Ego te de notario Comitem excubitorum, de Comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperatorem, nec solum hoc, sed etiam patrem Imperatorum feci. Sacerdotes meos tuæ manui commisi: & tu a meo servitio milites tuos subtrahis? Responde, rogo, piissime Domine, servo tuo, quid venienti, & hæc dicenti responsurus es in judicio Domino tuo? Et post pauca: Requirat, rogo, Dominus meus, quis prior Imperator talem legem dederit, & subtilius æstimet, si dari debuerit.

Ibid. Ep. 66.

Item Theodoro medico, post aliqua: Peccatis, inquit, meis facientibus, ex quorum suggestione vel consilio nescio transacto anno, talem in Republica sua legem protulit Imperator, ut nullus qui actionem publicam egit, nullus qui officio vel manu signatus, vel inter milites habitus est, ei in monasterio converti liceat, nisi forte militia ejus fuerit expleta. Quam legem primum, sicut hi dicunt, qui leges veteres noverunt, Julianus protulit, de quo scimus omnes, quantum a Deo aversus fuerit.

LI. De hypocrisi Johannis, Constantinopolitani Episcopi, se universalem facientis.

Confortabat insaniam Judicum, sive fovebat Johannes, tunc ex Monacho regiæ urbis Antistes, qui eo tempore, quo Gregorius a Pellagio Præsule destinatus Apocrisiarius penes Constantinopolim morabatur, fugere se summum sacerdotium quasi humiliter finxit: sed eo suscepto, usque adeo in superbiam dolosæ mentis excrevit, ut causa alia occasionem quærens, [a] Synodum faceret, in qua se universalem appellare conatus est. Quod mox Papa Pelagius ut agnovit, directis epistolis ex auctoritate sancti Petri Apostoli, ejusdem synodi acta cassavit. Diaconum vero, qui juxta morem pro responsis ecclesiasticis faciendis Imperatoribus adhærebat, cum eo Missarum solemnia celebrare prohibuit. Cujus sententiam beatus quoque Gregorius sequens, prædictum Johannem sæpe commonitum acquiescere differentem, sententia pari multaverat, omnibusque Pontificibus sub interminatione proprii honoris mandaverat, ne umquam universalis prophanum vocabulum aut scriberent, aut scriptum susciperent, aut ubi fuisset scriptum, subscriberent. Quapropter Johannes multis fallaciis ad suam hypocrisim consensum avarissimi Imperatoris redimens, obtinuit ut Imperator Gregorio scriberet, quod sibi pacificus extitisset. Quapropter ipse Imperatrici Constantinæ inter aliqua scribit, dicens: Sabiniano Diacono Responsali meo scribente, cognovi, in causis beati Petri Apostolorum Principis, contra quosdam superbe humiles, ficte blandos, quanta se justitia vestra Serenitas impendat. Unde adhuc peto ut nullius prævalere contra veritatem hypocrisim permittatis: quia sunt quidam, qui juxta egregii prædicatoris vocem, per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium: qui veste quidem despecti sunt, sed corde tument; & quasi in hoc mundo cuncta despiciunt, sed tamen ea quæ mundi sunt cuncta simul adipisci quærunt: qui indignos se omnibus hominibus fatentur, sed privatis vocabulis contenti esse non possunt; quia illud appetunt, unde omnibus digniores esse videantur. Et post pauca:

Regist. lib. v. Epist. 21.

Rom. 16.

LII. Augustales litteras pro eo supplicantes redarguit.

Præterea indico, quia piissimi Domini scripta suscepi, ut cum fratre & consacerdote meo Johanne debeam esse pacificus. Et quidem sic religiosum Dominum decuit, ut Sacerdoti ista præciperet. Sed cum se nova præsumtione atque superbia idem frater meus universalem Episcopum appellet, itaut sanctæ memoriæ decessoris mei tempore adscribi se in Synodo tali hoc superbo vocabulo faceret: quamvis cuncta illius Synodi, Sede apostolica contradicente, soluta sint; triste mihi aliquid serenissimus Dominus innuit, quod non eum corripuit qui superbit, sed me potius ab intentione mea declinare voluit: qui in hac causa Evangeliorum & canonum statuta humilitatis atque rectitudinis defendo veritatem. Qua in re a prædicto fratre & consacerdote meo contra Evangelicam sententiam, contra beatum quoque Petrum Apostolum, & contra omne Ecclesias canonumque statuta agitur. Sed est omnipotens Deus, in cujus manu sunt omnia, de quo scriptum est: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Et quidem sæpe præfatus sanctissimus frater serenissimo Domino multa suadere conatur: sed bene novi, qui tantæ illæ orationes ejus & lacrymæ nil ei a quoquam contra rationem, aut animam suam subripi permittunt. Triste tamen valde est ut patienter feratur, quatenus, despectis omnibus, prædictus frater, & coepiscopus meus solus conetur appellari Episcopus. Sed in hac ejus superbia, quid aliud, nisi propinqua jam Antichristi tempora esse designantur? Quia illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, dicens: *Super astra cæli exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium: similis ero Altissimo.* Unde per omnipotentem Dominum rogo, ne Pietatis vestræ tempora permittatis unius hominis elatione maculari: neque tam per-

Prov. 21. 30.

Isai. 14. 13.

a Habitam hanc Synodum an. 587. conjicimus ex Ep. 43. libri v. Indict. 13. ubi a celebratione Synodi hujus elapsi dicuntur octo anni. Laudatam Ep. consule.

perverso vocabulo nullum quoquo modo præbeatis assensum, atque in hac causa nequaquam me Pietas vestra despiciat; quia & si peccata Gregorii tanta sunt ut pati talia debeat, Petri tamen Apostoli peccata nulla sunt, ut vestris temporibus pati talia mereatur. Unde iterum atque iterum per omnipotentem Dominum rogo, ut sicut priores Principes sancti Petri Apostoli gratiam quæsiverunt, vos quoque hanc vobis & quærere & conservare curetis, & propter peccata nostra, qui ei indigne servimus, ejus apud vos honor nullatenus minuatur, qui & modo vobis adjutor esse in omnibus, & postmodum vestra valeat peccata dimittere. Viginti autem jam & septem annos ducimus, quod in hac urbe inter Langobardorum gladios vivimus: quibus quam multa ab Ecclesia quotidianis diebus erogantur, ut inter eos vivere possimus, suggerenda non sunt. Sed breviter indico, quia sicut in Ravennæ partibus Dominorum Pietas apud primum exercitum Italiæ saccellarium habet, qui, causis supervenientibus, quotidianas expensas faciat: ita & in hac urbe in causis talibus eorum saccellarius ego sum. Et tamen hæc Ecclesia, quæ uno eodemque tempore Clericis, monasteriis, pauperibus, populo atque insuper Langobardis tam multa indesinenter expendit; ecce adhuc ex omnium Ecclesiarum afflictione premitur, quia de unius hominis superbia multi gemunt, etsi dicere nil præsumunt.

LIII. Tempora Mauritii, moresque deturpat. Regist. lib. v. Ep. 20. Matt. 16. Johan. 20.

Avarissimo quoque Principi Gregorius voce libera contradicit, post aliqua scribens: Ecce claves regni cælestis haud dubium est quin Petrus accepit, potestas ei ligandi atque solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur, & tamen universalis Apostolus non vocatur: & vir sanctissimus consacerdos meus Johannes vocari universalis Episcopus conatur. Exclamare compellor, ac dicere: O tempora, o mores. Ecce cuncta in Europæ partibus barbarorum juri sunt tradita: destructæ urbes, eversa castra, depopulatæ Provinciæ, nullus terram cultor inhabitat: sæviunt & dominantur quotidie in necem fidelium cultores idolorum; & tamen Sacerdotes qui in pavimento & cinere flentes jacere debuerunt, vanitatis sibi nomina expetunt & novis ac prophanis vocabulis gloriantur. Numquid ego hac in re, piissime Domine, propriam causam defendo? Numquid specialem injuriam vindico, & non magis causam omnipotentis Dei, & causam universalis Ecclesiæ? Quis est iste, qui contra statuta Evangelica, contra canonum decreta, novum sibi nomen usurpare præsumit? Utinam vel sine aliorum imminutione unus sit, qui vocari appetit universalis. Et certe multos Constantinopolitanæ Ecclesiæ, in hæreseos voraginem cecidisse novimus Sacerdotes: & non solum hæreticos, sed etiam hæresiarchas factos. Inde quippe Nestorius, qui Mediatorem Dei & hominum Christum Jesum, duas esse personas existimans, quia Deum hominem fieri potuisse non credidit, usque ad Judaicam perfidiam erupit. Inde quippe Macedonius, qui consubstantialem Patri & Filio, Spiritum sanctum, Deum esse denegavit. Si igitur illud nomen in ea Ecclesia sibi quisquam arripuit, unde tot hæresiarchæ prodiisse noscuntur: universa ergo Ecclesia, quod absit, a statu suo corruit, quando is qui appellatur Universalis, cadit. Sed absit a Christianorum cordibus nomen illud blasphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur. Certe pro beati Petri Apostolorum Principis honore, per venerandam Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici oblatum est: sed nullus eorum umquam hoc singularitatis nomine uti consensit; ne dum privatim aliquid daretur uni, honore debito Sacerdotes privarentur universi. Quid est ergo quod nos hujus vocabuli gloriam, & oblatam non quærimus, & alter sibi hanc arripere etiam non oblatam præsumit? Ille ergo magis est piissimorum Dominorum præceptione flectendus, qui præceptis canonicis obedientiam præbere contemnit. Ille coercendus est, qui sanctæ universali Ecclesiæ injuriam facit: qui corde tumet: qui gaudere de nomine singularitatis appetit: qui honori quoque vestri Imperii se per privatum vocabulum superponit. Ecce omnes hac de re scandalum patimur. Ad viam igitur rectam revertatur auctor scandali, & omnia Sacerdotum jurgia cessabunt. Ego enim cunctorum Sacerdotum servus sum, inquantum ipsi sacerdotaliter vivunt. Nam qui contra omnipotentem Deum per inanis gloriæ tumorem, atque contra statuta Patrum, suam cervicem erigit, in omnipotente Domino confido, quia meam sibi, nec cum gladiis, flectet. Quid autem nuper in hac urbe ex hujus vocabuli auditu gestum sit, Sabiniano Diacono ac Responsali meo subtilius indicavi.

LIV. Superbiam hypocritæ sapienter enervat. Regist. lib. v. Ep. 18.

Item Johanni, Episcopo Constantinopolitano: Eo tempore, quo Fraternitas vestra in sacerdotalem honorem provecta est, quantam Ecclesiarum pacem atque concordiam invenerit, recolit: sed quo ausu, quove tumore, nescio, novum sibi conata est nomen arripere, unde omnium fratrum corda potuissent ad scandalum pervenire. Qua in re vehementer admiror, quia, ne ad episcopatum venire potuisses, fugisse te velle memini: quem tamen adeptum ita exercere desideras, ac si ad eum ambitioso desiderio concurrisses. Qui enim indignum te esse fatebaris, ut Episcopus dici debuisses, ad hoc quandoque perductus es, ut, despectis fratribus, Episcopus appetas solus appellari. Et paulo post: Vere enim flens dico, atque ex intimo viscerum dolore peccatis meis reputo, quod ille meus frater, nunc usque reduci ad humilitatem non valuit, quid ad hoc in episcopatus gradu constitutus est, ut aliorum animas ad humilitatem reducat: quod ille qui veritatem docet alios, semetipsum docere, nec, me quoque deprecante, consensit. Item post aliqua: quis, rogo, in hoc tam perverso vocabulo, nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis Angelorum legionibus secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, ut & nulli subesse, & solus præesse omnibus videretur? Qui etiam dixit: *In cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Isai. 14. 13. Quid enim fratres tui omnes Ecclesiæ universalis Episcopi, nisi astra cæli sunt: quorum vita simul, & lingua inter peccata errorésque hominum quasi inter noctis tenebras lucent? Quibus dum culpis temetipsum vocabulo elato præponere, eorumque nomen tui comparatione calcare, quid aliud dicis, nisi: *In cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum?* Annon universi Episcopi nubes sunt, qui &

„ & verbis pluunt prædicationis, & bonorum operum luce coruscant? Quos dum vestra Fraternitas despiciens sub se premere conatur, quid aliud dicit, nisi hoc quod ab antiquo hoste dicitur: *Ascendam super altitudinem nubium*? Quæ cuncta ego cum flens conspicio, & occulta Dei pertimesco judicia, augentur lacrymæ, & gemitus se in meo corde non capiunt: quod ille vir sanctissimus domnus Johannes, tantæ abstinentiæ atque humilitatis, familiarium seductione linguarum ad tantam superbiam erupit, ut in appetitu perversi nominis, illi esse conetur similis, qui dum superbe esse Deo similis voluit, etiam donatæ similitudinis gratiam amisit: & ideo veram Beatitudinem perdidit, quia falsam gloriam quæsivit. Certe Petrus, Princeps Apostolorum, membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ est: Paulus, Andreas, Johannes, quid aliud, quam singularum sunt plebium capita? Et tamen sub uno capite omnes membra sunt Ecclesiæ. Atque, ut cuncta brevi cingulo locutionis adstringam, Sancti ante Legem, Sancti sub Lege, Sancti sub Gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt Ecclesiæ constituti, & nemo se umquam universalem vocari voluit. Vestra ergo Sanctitas agnoscat, quantum apud se tumeat, quæ illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præsumsit, qui veraciter Sanctus fuit. Item post pauca: Certe olim clamatur per Apostolum: *Filioli, novissima hora est*. Et secundum quod Veritas prædixit, pestilentia, & gladius per mundum sævit: gentes insurgunt gentibus: terræ concutitur orbis, cum habitatoribus suis terra dehiscente sorbetur; omnia quæ prædicta sunt, fiunt. Rex superbiæ prope est: & (quod dici nefas est,) Sacerdotum ei præparatur exercitus: quia cervici militant elationis qui ad hoc positi fuerant, ut ducatum præberent humilitatis. Sed hac in re, etiamsi nostra lingua minime contradicat, illius virtus contra elationem erigitur, qui superbiæ vitio per semetipsum specialiter adversatur. Et infra: Considerare vos convenit, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam coinquinentur multi: quod tamen si nos considerare negligimus, contra tantæ elationis tumorem judicia superna vigilabunt.

1. Joh. 2. 18. Luc. 21.

„ Item eidem in alia epistola post multa: Sed etiam nunc dico: aut easdem personas (videlicet Johannem Chalcedonensem & Athanasium, Isauriæ Presbyteros) in suis ordinibus suscipe, eisque quietem præbe: aut si hoc fortasse nolueris, omni altercatione postposita, de eorum causa, statuta majorum, aut canonum terminos custodi. Si vero neutrum feceris, nos quidem rixam inferre nolumus, sed tamen venientem a vobis non devitamus. Quid autem de Episcopis, qui verberibus timeri volunt, canones dicant, bene Fraternitas vestra novit. Pastores etenim facti sumus non percussores. Et egregius prædicator dicit: *Argue, obsecra, increpa, cum omni patientia & doctrina*. Nova vero atque inaudita est illa prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.

Lib. III. ep. 53

2. Tim. 4. 2.

LV. Constantiam suam demonstrans, asserit se pro Imperatore fidem nullatenus perditurum. Regist. lib. V ep. 19.

„ Item Sabiniano, Diacono Constantinopolitano: De causa fratris nostri viri reverendissimi Johannis, Episcopi Constantinopolitani, duas epistolas facere nolui: sed una breviter facta est, quæ utrumque habere videtur admixtum, id est & rectitudinem, & blandimentum. Tua itaque Dilectio eam epistolam, quam nunc direxi, propter voluntatem Imperatoris, ei dare studeat. Nam de insequenti talis alia transmittetur, de qua ejus superbia non lætetur. Ad hoc enim usque pervenit, ut sub occasione Presbyteri Johannis gesta huc transmitteret, in quibus se pene per omnem versum œcumenicum Patriarcham nominaret. Sed spero in omnipotentem Deum, quia hypocrisim illius superna majestas dissolvet. Miror autem quod Dilectionem tuam fallere potuit, ut permitteres domno Imperatori persuaderi, quatenus ad me de hac causa sua scripta transmitteret, in quibus admoneret ut cum eo pacem habere debuissem: qui si justitiam tenere vult, illum debuit admonere, ut se a superbo vocabulo compesceret: & protinus inter nos pax fieret. Tamen qua calliditate a prædicto fratre nostro Johanne factum sit, ut suspicor, minime pensasti. Idcirco enim hoc ille fecit, ut aut audiretur domnus Imperator, & ille in sua vanitate confirmatus esse videretur: aut non a me audiretur, & ejus animus contra me irritaretur. Sed nos rectam viam tenebimus, nil in hac causa aliud, nisi omnipotentem Dominum metuentes. Unde tua Dilectio in nullo trepidet. Omnia, quæ in hoc seculo videt alta esse contra veritatem, pro veritate despiciat: & in omnipotentis Dei gratia, atque beati Petri adjutorio confidat. Vocem veritatis recolat, dicentis: *Major est, qui in vobis est, quam qui in hoc mundo*. Et in hac causa, quidquid agendum est, cum summa auctoritate agat. Postquam enim defendi ab inimicorum gladiis nullo modo possumus, postquam pro amore Reipublicæ argentum, aurum, mancipia, vestesque perdidimus: nimis ignominiosum est, ut per eos etiam fidem perdamus. In isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud quam fidem perdere. Unde sicut tibi jam transactis epistolis scripsi, numquam cum eo procedere præsumas.

1. Joh. 4. 4.

At vero Johannes, novæ præsumtionis inventor, ubi Mauricium Deo adversum, Gregorio cum suis complicibus fecit infensum, cernens Constantinam Imperatricem, totis conatibus Romanæ Ecclesiæ servanda privilegia suadere: quantis valuit artibus, incitavit ut propter eam, quam in honorem sancti Pauli Apostoli in palatio ædificabat ecclesiam, a Gregorio caput ejusdem Apostoli, aut aliud quid de ipsius corpore sibi dirigi postularet. Quam calliditatem beatissimus Papa cognoscens, Imperatricis animo taliter satisfecit: „ Dum illa mihi desiderarem imperari, de quibus facillimam obedientiam exhibens, vestram erga me gratiam potuissem amplius provocare: major me mœstitia tenuit quod illa præcipitis, quæ facere nec possum, nec audeo. Nam corpora sanctorum Petri & Pauli Apostolorum tantis in ecclesiis suis coruscant miraculis atque terroribus, ut neque ad orandum sine magno illuc timore possit accedi. Denique dum beatæ recordationis decessor meus, quia argentum, quod supra sacratissimum corpus beati Petri Apostoli erat, longe tamen ab eodem corpore fere quindecim pedum spatio, mutare voluit, signum ei non parvi terroris apparuit. Sed & ego, aliquid similiter ad sacratissimi corpus sancti Pauli Apostoli meliorare volui: & quia necesse erat, ut juxta sepulcrum ejusmodi effodi altius debuisset: Præpositus loci illius ossa aliqua, non quidem eidem sepulcro conjuncta reperit: quæ quoniam levare præsumsit, atque in alium locum transponere,

LVI. Quamobrem postulatas reliquias Imperatrici non dederit.

Regist. lib. IV. ep. 30.

„ nere, apparentibus quibusdam tribus signis, subita morte defunctus est. Præter hæc autem sanctæ memoriæ decessor meus idem, ad corpus sancti Laurentii Martyris, quædam meliorare desiderans, dum nescitur ubi corpus esset venerabile collocatum, effoditur exquirendo, & subito sepulcrum ipsius ignoranter apertum est: & hi qui præsentes erant atque laborabant Monachi, & mansionarii, qui corpus ejusdem Martyris viderunt, quod quidem minime tangere præsumserunt, omnes intra decem dies defuncti sunt, ita ut nullus vitæ superesse potuisset, qui sanctum & justum corpus illius viderat.

„ Cognoscat autem tranquillissima Domina, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore, sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima Sanctorum corpora ponitur: quod levatum in ecclesia, quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur: & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illic specialiter eorum corpora deferantur. Unde contigit ut beatæ recordationis Leonis Papæ tempore, sicut a majoribus traditur, dum quidam Græci de talibus reliquiis dubitarent, prædictus Pontifex hoc ipsum brandeum allatis forficibus incidit, & ex ipsa incisione sanguis effluxit. In Romanis namque vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile est atque sacrilegum, si Sanctorum corpora tangere quisquam fortasse voluerit. Quod si præsumserit, certum est quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro qua re de Græcorum consuetudine, qui ossa levare Sanctorum se asserunt, vehementer miramur, & vix credimus. Nam quidam Græci Monachi huc ante biennium venientes, nocturno silentio juxta Ecclesiam sancti Pauli corpora mortuorum in campo jacentia effodiebant, atque eorum ossa recondebant, servantes sibi, dum recederent. Qui cum tenti, & cur hoc facerent, diligenter fuissent discussi, confessi sunt quod illa ossa ad Græciam essent, tamquam Sanctorum reliquias portaturi. Ex quorum exemplo, sicut prædictum est, major nobis dubietas nata est utrum verum sit, quod levari veraciter ossa Sanctorum dicuntur. De corporibus vero beatorum Apostolorum quid ego dicturus sum? Dum constet, quia eo tempore, quo passi sunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora, sicut civium suorum repeterent, quæ ducta usque ad secundum urbis milliarium, in loco, qui dicitur Catacumbas, collocata sunt. Sed dum ea exinde levare omnis eorum multitudo conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris terruit, ac dispersit, ut talia denuo nullatenus tentare præsumerent. Tunc exeuntes Romani, eorum corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, levaverunt, & in locis, quibus nunc sunt condita, posuerunt. Quis ergo, serenissima Domina, tam temerarius possit existere, ut hæc sciens, eorum corpora non dico tangere, sed vel aliquatenus præsumat inspicere? Dum igitur talia mihi a vobis præcepta sunt, de quibus parere nullatenus potuissem: quantum invenio, non vestrum est, sed quidam homines contra me Pietatem vestram excitare voluerunt, ut mihi, quod absit, voluntatis vestræ gratiam subtraherent, & propterea quæsierunt capitulum, de quo vobis quasi inobediens invenirer. Sed in omnipotente Deo confido, quia nullo modo benignissimæ vestræ voluntati surripitur: & sanctorum Apostolorum virtutem, quos toto corde & mente diligitis, non ex corporali præsentia, sed ex protectione semper habebitis. Sudarium vero, quod similiter transmitti jussistis, cum corpore ejus est: quod ita tangi non potest, sicut nec ad corpus illius accedi. Sed quia serenissimæ Dominæ tam religiosum desiderium esse vacuum non debet, de catenis, quas ipse sanctus Paulus Apostolus in manibus & collo gestavit, ex quibus multa miracula in populo demonstrantur, partem vobis aliquam transmittere festinabo, si tamen hanc tollere limando valuero: quia dum frequenter ex catenis eisdem multi veniunt, & benedictionem petunt, ut parum quid ex limatura percipiant, assistit Sacerdos cum lima, & aliquibus petentibus ita concite aliquid de catenis ejus excutitur, ut mora nulla sit; quibusdam vero petentibus, diu per catenas ipsas lima ducitur, & tamen ut aliquid exinde exeat non obtinetur.

LVII. Usque ad illa tempora Romanus Pontifex pro reliquiis brandeum conferebat.

In quibus Gregorii veracibus utique verbis apparet, quia usque ad illa tempora pro reliquiis brandeum Romanus Pontifex conferebat, cum posteriori tempore de vestibus, quæ sub altari sancti Johannis in Basilica Constantiniana servantur, particulæ cœperint pro sacris reliquiis petentibus dari.

LVIII. Quantis miraculis vestes sancti Johannis claruerint.

Quæ quidem vestes usque hactenus tantis miraculis coruscare probantur, ut siccitatis tempore foras excussæ pluviam conferant: inundationis vero, serenitatem reducant. Nam super hæc, quæ per singulas Ecclesias faciunt, quæ in oratorio domus meæ in Suburra positæ per eas Deus omnipotens fecerit, non celabo. „ Nuper Hadriani Pontificis tempore visum mihi est, ut altare sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quod extra oratorium sancti Johannis in apertissimo atrio positum, congruis luminaribus honorari non poterat, intra oratorium locari debuisset. Accersitus vero Gaudericus Velitrensis, qui adhuc superesse videtur, Episcopus, cum hymnis & canticis ab altari veteri pyxidulas duas sigillatas excussit. Quarum alteram, me deprecante, nimium timoratus aperiens, de illis tunicis, quantum ex similitudine curiosis oculis potuit deprehendi, particulas reperit, quas solemniter sub novo altari deposuit. Ubi ex tunc, sicut multi norunt, qui adhuc superstites esse probantur, divinitus accensæ lampades frequentius solito paruerunt. Nam ista octava Indictione in hebdomada ante Dominici natalis diem, cum ego super hujusmodi parum quid dubitarem, completis matutinalibus hymnis, mansionarius candelam extinxit. Quam post vesperum succendere cupiens, accensam reperit: eamque se negligenter extinxisse perpendens, die altera sollicitius prorsus extinxit: & obseratis janius, ad vesperum succensurus lampadem remeavit. Quam ubi nihilominus accensam reperit, ex conscientia servatæ a se clavis, & miraculo non diminuti olei, profecto cognovit quia lampadem ille succenderat, qui, ne oleum in ea diurna successione minui potuisset, divinitus ampliarat.

LIX. Quid sit de ejusdem vestibus sentiendum. Regist. lib. 3. Ep. 3.

Harum quidem vestium, sicut opinor, altera, quæ strictioribus manicis constat, veraciter sancti Johannis est tunica, quam beatus Gregorius suo tempore, quodam Episcopo deferente, suscepit. Unde Johanni Abbati inter cetera scribit, dicens: „ De tunica sancti Johannis omnino grate suscepi, quia sollicitus fuisti mihi indicare. Sed studeat Dilectio tua mihi ipsam tunicam, aut, „ quod

„ quod est melius, eumdem Episcopum, qui „ eam habet, cum Clericis suis, & cum ipsa „ ad me transmittere: quatenus & benedictio- „ ne tunicæ perfruamur, & de eodem Episco- „ po vel Clericis mercedem habere valeamus. Altera vero, quæ largioribus manicis, non tunica, sed plane videtur esse dalmatica; nisi fallor, sancti Paschasii apostolicæ Sedis Diaconi constat, qui juxta quod idem beatus Gregorius in quarto Dialogorum libro meminit, cum temporibus Symmachi Papæ fuisset defunctus, ejus dalmaticam feretro superpositam dæmoniacus tetigit, statimque salvatus est. Sed quamobrem ambæ vestes sancti Johannis dicantur, ideo priscam consuetudinem obtinuisse crediderim, quod sub ejus altari consuetudinaliter recondantur. Nam quod earum altera Johannis Evangelistæ, non autem Baptistæ sit, nemo est qui dubitet: præsertim cum omnis sapiens noverit Baptistam camelorum pilis, pro vestibus usum „ fuisse: Evangelistam vero, qui per tot annos post passionem Domini Pontificium gerens, Missarum solemnia frequentissime celebrat, sine Sacerdotalibus esse nequaquam vestibus potuisse. Si autem dicitur quod tunica & dalmatica, quia pontificalia sunt indumenta, utraque sancti Johannis credi debeant, considerandum est quia Gregorius Johanni Abbati non dalmaticam, sed tunicam nominarit: qui si dalmaticam quoque sancti Johannis fuisse sentiret, ejus tunicam quærens, consequenter habere se ipsius dalmaticam non taceret.

Dialog. lib. 4. c. 40.

Matth. 3.

IX. Gregorius pestem universalis nominis, a totius Ecclesiæ universitate repulit.

Hæc de sancti Johannis vestibus, de quibus a quamplurimis dubitatur, me utcumque in beati Gregorii gestis inseruisse sufficiat. Ceterum Johannes Constantinopolitanus hypocrita, qui ab universalis nominis ambitione converti multis tergiversationibus recusabat, juxta ejusdem Patris Prophetiam judicia Domini super se vigilare cognoscens, post non multi temporis spatium subita morte defungitur: & cujus ambitiosam superbiam totus capere mundus vix poterat, in unius sepulcri angustia facile collocatur. Post cujus paulatim discessum, cum Mauricius Imperator, Sacerdotum videlicet Christi contemtor, pro Cyriaco, qui Johanni successerat, suaderet ne pro causa tam frivoli nominis Gregorius laboraret: ipse tamdiu Pontificatus sui auctoritatibus restitit, quousque pestem universalis nominis ab ipsis etiam subdolis adulatorum labiis penitus abstulisset. Quapropter Eulogio, Patriarchæ Alexandrino, post aliqua scribens, ait: Indica- „ re vestra Beatitudo studuit, jam se quibus- „ dam non scribere superba vocabula, quæ ex „ vanitatis radice prodierunt: & mihi loqui- „ tur, dicens; Sicut jussistis. Quod verbum jus- „ sionis, peto, a meo auditu removete: quia „ scio, qui sum, & qui estis. Loco enim mihi „ fratres estis, moribus patres. Non ergo jus- „ si, sed quæ utilia sunt, indicare curavi. Non „ tamen invenio vestram Beatitudinem hoc ip- „ sum, quod memoriæ vestræ intuli, perfecte „ retinere voluisse. Nam dixi nec mihi vos „ nec cuiquam alteri tale aliquid scribere de- „ bere: & ecce in præfatione epistolæ, quam „ ad me ipsum, qui prohibui, direxistis, su- „ perbæ appellationis verbum, universalem me „ Papam dicentes, imprimere curastis. Quod, „ peto, dulcissima mihi Sanctitas vestra ultra „ non faciat: quia vobis subtrahitur, quod alte- „ ri plusquam ratio exigit, præbetur. Ego enim „ non verbis quæro prosperari, sed moribus: nec „ honorem meum esse deputo, in quo fratres „ meos honorem suum perdere cognosco. Meus „ namque honor est, honor universalis Ecclesiæ. „ Meus honor est, fratrum meorum solidus vi- „ gor. Tunc ergo vere honoratus sum, cum sin- „ gulis quibusque honor debitus non negatur. Si „ enim universalem me Papam vestra Sanctitas di- „ cit, negat se hoc esse, quod me fatetur univer- „ sum. Sed absit hoc. Recedant verba, quæ va- „ nitatem inflant, caritatem vulnerant. Et qui- „ dem in sancta Chalcedonensi Synodo, atque „ post a subsequentibus Patribus hoc decessoribus „ meis oblatum vestra Sanctitas novit: sed tamen „ nullus eorum uti hoc umquam vocabulo voluit, „ ut dum in hoc mundo honorem Sacerdotum „ diligerent omnium, apud omnipotentem Deum „ custodirent suum.

Lib. VIII. Ep. 30.

CAPITA LIBRI QUARTI.

1 *De temperantia Gregorii.*

2 *Johanni, Ravennati Episcopo, usum Pallii mappularumque subduxit.*

3 *Eidem suppliciter usum Pallii repetenti quater in anno per plateas concessit.*

4 *Eidem pro diversis vitiis increpato, diem suæ vocationis prædixit.*

5 *Johanne defuncto, Ravennatem Ecclesiam visitatori committit; Mariniano, Episcopo consecrato, Pallii usum simili modo concedit.*

6 *Andreæ supplicanti pro Pallio præcipit jusjurandum.*

7 *Mariniano consuetudinem Pallii, sicut convenerat, defendere non valente; Gregorius in sententia sua permansit.*

8 *Pro usurpatione campagorum Diaconos Catanenses arguit.*

9 *De Maximo, Salonitanæ Ecclesiæ pervasore.*

10 *Auctoritatem sui pontificatus contra tyrannum Imperatorem defendit.*

11 *Contra votum Imperiale Maximum cum suis complicibus excommunicans, Episcopos ipsius ad Ecclesiam reverti coegit.*

12 *Maximi causam Ravennæ præcipit ventilari.*

13 *Maximus in terram procidens lacrymabiliter veniam petit.*

14 *Gregorius Maximo, coram sancti Apollinaris corpore satisfacienti, miserendum esse decernit.*

15 *Maximo, humiliter satisfacienti, communionis gratiam reddit, & Pallium se daturum promittit.*

16 *Quam didascalicis responsionibus superbum Imperatorem terruit.*

17 *Mauricio, in Gregorium sævienti, mors per gladium imminet.*

18 *Mauricius pœnitens videt in somnis se divino judicio, cum uxore, & filiis Phocæ militi tradi.*

19 *Seditione commota Mauricius, Phocæ jussu, cum cun-*

cuncta cognatione sua perimitur. A

20 Imagine augustali suscepta, sapienter Mauricii vitia, Phocæ Imperatori dinumerat.

21 Ei Apocrisiarium more transmittit.

22 Pondere grandi remoto, Imperiale jugum levius reddidisse fatetur.

23 Ex consuetudine synodicam suam direxit, & quod Orientales nullius in diptychis nomen suscipiant, donec synodicam fidei ejus cognoverint.

24 Susceptis decretis Mediolanensium, eis Episcopum ordinari consensit.

25 Anastasium Antiochenum post multos annos throno reddidit. B

26 Hadrianus, Thebanum Episcopum, ordini suo restituens, diœcesim ipsius Larissæi Episcopi potestati subduxit.

27 Exceptis manifestis criminibus, neminem deposuit, sed communione privavit.

28 Quanta districtione accusatorum lites tractaverit, & qualia de ordinibus judiciorum decreverit.

29 Aliorum auctoritates Episcoporum sua auctoritate confirmabat, non minuebat.

30 Cunctis Episcopis propria jura conservans, executores dari, & judices eligi ab accusatis voluit. C

31 Falsarios delatores talione multavit.

32 Semel ingesta crimina indiscussa præterire non passus est, & qualibus pœnis peccatorum accusatores multaverit.

33 Consueta stipendia etiam infirmis Clericis jussit ministrari.

34 Cautiones Episcoporum suis Clericis factas firmavit, eisque quartas pleniter dari jussit.

35 Ab aliis obligatos absolvit.

36 Ab hæresi se purgantes recepit.

37 Schismaticos ad suscipiendam satisfactionem Romam invitare curavit. D

38 Severum Aquilejensem Episcopum, Ravennam venire coegit: qui postquam ad unitatem rediit, denuo ad suum schisma recurrens, catholicosque Sacerdotes affligens, causa perpetuæ divisionis suæ diœcesis effectus est

39 Per ægritudinem corporis nemini successorem dedit, & quod renuntiantibus suis sedibus successores non denegavit, eisque de sumtibus ejusdem commoda ministrari præcepit.

40 Stupratam in uxorem a stupratore sumi jussit.

41 Virum jam tonsuratum conjugi reddi mandavit. E

42 Vim nullam Judæis inferendam statuit.

43 Christianos eis subjici, nulla occasione debere censuit.

44 Christianos eis violenter auferri jubebat, quorum si qui auferri non poterant, redimi sanciebat.

45 Eorum mancipia confugientia ad Ecclesiam reddi vetuit.

46 Pagana eorum mancipia venire ad fidem volentia, non reddenda statuit.

47 Judæorum mancipia suos dominos ad fidem præcedentia, in eorum servitium nullatenus redigendos indixit: etiam si ipsi eos ad baptismatis gratiam sequerentur. F

48 Neminem circumcidi paganorum permisit.

49 A Judæis munera non suscipienda decrevit.

50 Qualiter Judæi fuerint a Romanis Pontificibus habiti.

A 51 Gregorius non observari Sabbatum jussit, & lavari die Dominico permisit.

52 Quantæ compassionis extiterit in infirmitatibus Castorii, Eulogii, & Mariniani Episcoporum, sive Rusticianæ patriciæ.

53 Pro barbaricis incursionibus litaniam fieri voluit.

54 Spiritum prophetiæ habuit.

55 Pejora prioribus futura prædixit.

56 Neminem injuste ab Ecclesia defendi permisit.

57 Confugientibus ad Ecclesiam sacramenta præstari jussit de servandis sibi justitiis.

B 58 Omnes Sacerdotes, fratres & comministros; Clericos autem ceteros, dilectissimos filios; utriusque vero sexus laicos, dominos vocavit.

59 Tam fidelis Theudelinda, Regina, quam suo Subdiacono satisfecit.

60 Se indignum memorat revelatione Dei.

61 Se Presbytero comparans, illum superiorem melioremque pronuntiat.

62 Se indignum alieno favore fatetur.

63 Monacho sibi procidenti se in terram prostravit.

C 64 Accusatus, innocentiam suam exposuit.

65 Quid de fine seculi senserit.

66 Qualia de incommoditate Urbis scripserit.

67 Barbaricis incursionibus ab exponendis libris destitit.

68 De ejus obitu, & fastigiis argenteis ab eo paratis, necnon sepulturæ ipsius loco, vel titulo.

69 Qua ratione, æmulis libros ejus incendere molientibus, Petrus Diaconus moriendo defenderit.

70 Quanta Claudius ex verbis ejus noverit: & quod Gregorius multa dictaverit, quæ nunc nequeant inveniri.

D 71 Duodecim epistolarum suarum libros reliquit, ex quibus Hadriani Papæ tempore duo volumina videntur excerpta.

72 In diaconatu suo Moralia cœpit, & quomodo ea in episcopatu suo per libros digesserit, eaque Leandro Hispalensi Episcopo roganti direxerit.

73 In episcopatus sui exordio, librum regulæ Pastoralis Johanni, Episcopo Ravennati, exponens, imperitos compressit.

74 Per stationes discurrens, quadraginta lectiones dictavit, quas Secundo servo Dei petenti mandavit. E

75 Dialogorum quatuor libros descripsit, quos postea Zacharias, apostolicæ Sedis Episcopus, in Græcam linguam convertit.

76 Civibus suis petentibus, primam & ultimam Ezechielis prophetiæ partes per homilias viginti duas tractavit.

77 Quam humilia ipse de suis tractatibus senserit, quæ a posteris doctoribus facetissima prædicantur.

79 Libros suos in comparatione Augustini tractatuum furfures nominans, quousque vixit, legi vetuit.

F 79 Quanta consideratione quotidie infirmitatem cordis sui cognoverit.

80 Corpus ejus a Gregorio quarto Papa translatum: & de antiquitate ipsius, vel mediocritate, ac regulari specialitate.

81 Græca nesciens, falsos tractatus suo nomine titulatos invenit.

a In mss. Paris. *Theutgardi*. Mabill. *Tegaudi*.

SANCTI GREGORII PAPÆ VITA.

LIBER QUARTUS.

Quo concluditur, quanta consideratione S. Gregorius recte docens, quotidie suam infirmitatem cognoverit.

CAP. I. De temperantia Gregorii.

HÆc est Gregorii, de refutatione nominis Universalis, plena rationis humilitatisque sententia. C Qui videlicet contra superbos prudenter uti noverat serpentis astutia, & a columbæ simplicitate circa humiles minime recedebat. Quapropter suæ temperantiæ conscius, Dominico, Carthaginensi Episcopo, post cetera: „ De ecclesiasticis, inquit, privilegiis, „ quod vestra Fraternitas scribit, hoc, postposita dubitatione, teneat: quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus. Nec cuilibet, favente gratia, ultra quam meretur, impartior: nec ulli hoc, quod sui juris est, ambitu stimulante, D derogabo: sed fratres meos honorare per omnia cupio, sicque studeo honore singulos subvehi, dummodo non sit quod alteri jure ab altero possit opponi. (Regist. lib. 11. Ep. 47.)

Item Eulogio, Alexandrino, & Anastasio, Antiocheno Patriarchis, scribit, dicens: „ Cum prædicator egregius dicat: *Quamdiu quidem sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo*, qui rursus alias dicit: *Facti sumus parvuli in medio vestrum*: exemplum proculdubio nobis sequentibus ostendit, ut & humilitatem teneamus in mente, & tamen ordinis nostri dignitatem servemus in E honore: quatenus nec in nobis humilitas timida, nec erectio sit superba, *& cetera*. Quod Gregorius, sicut ex præcedentibus ac subsequentibus manifeste colligi poterit, & fecit, & dixit. (Regist. lib. v. Ep. 41; Rom. 11. 13.; 1. Thess. 2. 7.)

II. Johanni Ravennati Episcopo usum Pallii mappullarumque subduxit.

Nam Johannem, Ravennatem Episcopum, [a] typo superbiæ Pallium frequentantem, suosque Presbyteros ac Diaconos in mappulis procedere permittentem, primo per Castorium chartularium familiariter arguit: post ex consuetudine, sive privilegio sibi hæc concessa pertinaciter defendentem tali sententia post nonnulla multavit. „ Ut „ enim, inquit, ea quæ superius dixi, breviter colligam, admoneo quatenus nisi decessorum meorum munificentia tibi hæc per privilegium attributa docueris, uti in plateis pallio ulterius non præsumas: ne non habere & ad Missas incipias, quod audacter & in plateis usurpas. De secretario autem, quod Fraternitas tua resedisse cum Pallio, & filios Ecclesiæ suscepisse se, & fecit, & excusavit, nunc interim nihil querimur: quia Synodorum sententiam sequentes, minores culpas, quæ negantur, ulcisci recusamus. Hoc tamen, quia semel & iterum sit factum, cognovimus, sed fieri ultra prohibemus. Fraternitas autem tua sit omnino sollicita ne hoc, quod præsumtioni inchoanti adhuc ceditur, in proficiente deterius vindicetur. Et post pauca: Illud autem quod pro utendis a clero vestro mappulis scripsistis, a nostris est Clericis fortiter obviatum, dicentibus nulli hoc umquam aliæ cuilibet concessum Ecclesiæ fuisse: nec Ravennates Clericos, vel illic, vel in Romana civitate tale aliquid cum sua conscientia præsumsisse. Nec, si tentatum esset, ex furtiva usurpatione sibi præjudicium generari, sed etiamsi in qualibet Ecclesia hoc præsumtum fuerit, asserunt emendandum; quod non concessione (a Regist. lib. III. Ep. 56.)

a Excusi plerique *typho*, quod idem sonat. De hac voce alibi dictum est.

ne Romani Pontificis, sed sola surreptione præsumitur. Sed nos servantes honorem Fraternitati tuæ, licet contra voluntatem antedicti cleri nostri, tamen primis Diaconis vestris, quos nobis quidam testificati sunt etiam ante eis usos fuisse: in obsequio dumtaxat tuo, mappulis uti permittimus. Alio autem tempore, vel alias personas hoc agere vehementissime prohibemus.

III. Eidem supplicater usum Pallii repetenti quater in anno per plateas concedit. Regist. lib. v. Epist. 11.

Quam sententiam vir vanæ gloriæ cupidissimus, molestissime ferens, per quoscumque poterat, usum Pallii sibi restitui magnopere flagitabat. Cui Gregorius ita scripsit: „ Fraternitatem vestram valde invenio contristatam, pro eo quod in litaniis induere Pallium rationis censura prohibetur, sed per excellentissimum Romanum Patricium, & per eminentissimum Præfectum, atque per alios civitatis suæ nobiles viros importune expetit, ut hoc debeat concedi. Nos autem sollicite requirentes ab Adeodato, quondam Diacono Fraternitatis tuæ, cognovimus quia numquam consuetudo fuerit decessoribus tuis, ut in litaniis Pallio, nisi in solemnitate beati Johannis Baptistæ, beati Petri Apostoli, & beati Martyris Apollinaris, uterentur. Cui quidem nequaquam credere debuimus: quia multi apud civitatem Fraternitatis vestræ Responsales sæpius fuerunt, qui se fatentur tale aliquid numquam vidisse: & hac de re, multis potius credendum est, quam uni pro sua Ecclesia aliquid attestanti. Sed quia nos Fraternitatem vestram contristari nolumus: & petitionem filiorum nostrorum apud nos minime frustrari: usum Pallii, donec subtilius veriusque aliquid cognoscamus, in litaniis solemnibus, id est die natalitio beati Johannis Baptistæ, & beati Petri Apostoli, & beati Apollinaris Martyris, atque in ordinationis vestræ celebratione concedimus. In secretario vero secundum morem pristinum, susceptis ac dimissis Ecclesiæ filiis, induere vestra Fraternitas Pallium debeat, atque ad Missarum solemnia ita proficisci, & nihil sibi amplius ausu temerariæ præsumtionis arrogare: ne dum in exteriori habitu inordinate aliquid arripitur, ordinate etiam, quæ licere poterant, amittantur.

IV. Eidem pro diversis vitiis increpato, diem suæ vocationis prædicit. Regist. lib. v. Ep. 15.

Sed idem Johannes ab inanis gloriæ ambitione, freno apostolicæ moderationis coercitus, ad detractionem Pontificis totus convertitur. Unde prudentissimus Pontifex sic eum admonet, dicens: „ Primum me hoc contristat quia mihi Fraternitas tua duplici corde scribit, & alia blandimenta in epistolis suis exhibet, alia in lingua sua seculariter ostendit. Deinde grave mihi est, quia irrisiones illas, quas habere notarii adhuc pueri solent, usque hodie frater meus Johannes in lingua sua retinet, mordaciter loquitur, & quasi de tali astutia lætatur. Amicis præsentibus blanditur, de absentibus obloquitur. Tertio grave mihi & omnino execrabile est, quia servis suis, qua hora furit, turpia crimina imponit, ut effeminati, & adhuc graviter hoc apertius vocentur. Post hæc accessit quod disciplina ad vitam Clericorum custodiendam nulla est, sed tantummodo se Clericis suis dominum exhibet. [a] Ultimum vero est, quod tamen pondere elationis primum, quia de usu Pallii extra Ecclesiam; quod temporibus decessorum meorum facere numquam quisquam præsumsit, numquam a decessoribus ejus præsumtum est, sicut Responsales nostri testantur, excepto nisi Reliquiæ conderentur: (Quod tamen de reliquiis unus tantummodo potuit inveniri qui diceret) meis diebus in despectum meum, cum summa audacia non solum faciebat, sed etiam frequentabat. Ex quibus omnibus invenio, quia honor episcopatus vestri totus foras in ostensione est, non in mente. Et quidem ago omnipotenti Deo gratias, quia eo tempore, quo ad me hoc pervenit, quod ad aures decessorum meorum numquam pervenerat, Langobardi inter me & Ravennatem civitatem positi fuerant. Nam ostendere forsitan hominibus habui, quantum scio esse districtus. Ne autem credas, quia ego Ecclesiam tuam in aliquo gravari aut minui volo, recordare in Missarum Romanarum solemnibus, ubi Ravennas Diaconus stabat, & require ubi hodie stat: & cognosces quia Ravennatem Ecclesiam honorare desidero. Sed ut quicumque quodlibet ex superbia arripiat, hoc ego tolerare non possum: tamen hac de re jam Diacono nostro Constantinopolim scripsi, ut per omnes qui sub se etiam tricenos, & quadragenos Episcopos habent, requirere debeat. Et sicubi iste usus est, ut in litaniis cum palliis ambulent: absit ut per me honor Ravennatis Ecclesiæ in aliquo imminui videatur. Hæc ergo omnia, quæ superius dixi, Frater carissime, recogita: diem tuæ vocationis attende: quas rationes de sarcina episcopatus redditurus es, considera. Emenda illos mores notarii: vide quid in lingua, quid in actu Episcopum deceat. Esto totus purus fratribus tuis. Non aliud loquaris, aliud in corde habeas: nec appetas ultra videri, quam es, ut possis ultra esse, quam videris.

V. Johanne defuncto, Ravennatem Ecclesiam visitatori committit. Mariniano Episcopo consecrato, Pallii usum simili modo concedit. Lib. v. ep. 25. Lib. v. ep. 56.

Hæc quia Johannes emendare superbiæ fastu despexit, eodem anno, juxta quod Gregorius ei prædixerat, diem suæ vocationis, dum non attendit, incurrit: & ante tumidus crepuit, quam meruisset amictu Pallii saturari. Cujus rei gratia Gregorius visitationem Ravennatis Ecclesiæ Severo, Ficulino Episcopo, secundum consuetudinem priscam committens, Marinianum, Monachum, familiarem suum Ravennatibus Episcopum consecravit: cui & Pallium dirigit, scribens: „ Apostolicæ Sedis benevolentia, & antiquæ consuetudinis ordine provocati, Fraternitati tuæ, quam in Ravennati Ecclesia gubernationis constat suscepisse officium, Pallii usum prævidimus concedendum: quo non aliter uti te memineris, nisi in propria tuæ civitatis Ecclesia, dimissis jam filiis procedens a salutatorio ad sacra Missarum solemnia celebranda. Peractis vero Missis, id in salutatorio rursum curabis deponere. Extra Ecclesiam vero non amplius illo tibi, nisi quater in anno in litaniis, quas ad decessorem tuum Johannem expressimus, uti permittimus.

VI. Andreæ supplicanti pro Pallio præcipit jusjurandum. Lib. vi. ep. 61

Sed Marinianus, Clericorum suorum suggestionibus delinitus, tam per Andream virum magnificum, quam per quoscumque potuerat, restitui suæ Ecclesiæ usum Pallii flagitabat. Quapropter Gregorius Castorio chartulario inter cetera scribit, dicens: „ Tua experientia nullius personam, nullius verba consideret: solum Dei timorem, & rectitudinem ante oculos habeat: & seniores personas, & ejusdem Ecclesiæ Archidiaconum, quem non suspicor pro alterius honore pejerare, & alios antiquiores, qui in sacris ordinibus ante Johannis Episcopi tempora fuerant, requirat, vel si qui maturiores sunt extra sacros ordines:

a Locum hunc depravatum in excussis, emendavimus ex mss. tum Johan. Diac. tum epistolarum, & sensum restituimus.

,, nes: & veniant ante corpus sancti Apollinaris: & ,, tacto ejus sepulcro jurent, quæ consuetudo ante ,, Johannis Episcopi tempora fuerit: quia, sicut ,, scis, idem vir multum præsumtor extitit, & mul- ,, ta sibi per superbiam conabatur arrogare: & quid- ,, quid a fidelioribus viris & gravioribus juratum ,, fuerit, secundum indiculum qui subter annexus ,, est, hoc volumus in eadem Ecclesia conservari. ,, Sed vide ne negligenter agas, ne quis fidem aut ,, devotionem tuam in hac causa corrumpat. Ze- ,, lum enim tuum scio. Age sollicite, ita tamen ut ,, prædicta Ecclesia contra justitiam non gravetur: ,, sed usus, qui ante Johannis Episcopi tempora ex- ,, titit, ei conservetur. Personas autem non duas, ,, vel tres ad satisfaciendum tibi, sed quantas anti- ,, quiores, & graviores inveneris, require: ut ne- ,, que quod usus fuit antiquior ejusdem Ecclesię de- ,, negemus, neque quod novo ausu appetitum est, ,, concedamus. Sed omnia age blande & dulciter, ,, ut & actio tua districta sit, & lingua mitis.

,, Juro ergo N. per Patrem, & Filium, & Spi- ,, ritum sanctum, inseparabilis divinæ potentiæ ,, Trinitatem, & hoc corpus beati Apollinaris ,, Martyris, me pro nullius favore personæ, ne- ,, que commodo aliquo interveniente, testari: ,, sed hæc scio, & per memetipsum cognovi, quia ,, ante tempora Johannis quondam Episcopi, Ra- ,, vennas Episcopus præsente Apocrisiario Sedis ,, apostolicæ illo atque illo, illis & illis diebus ,, consuetudinem utendi Pallio habuit: & non co- ,, gnovi, quia hoc latenter, vel absque Apocri- ,, siario usurpasset.

VII. Mariniano consuetudinem Pallii, sicut convenerat, delendere non valente, Gregorius in sententia sua permansit.

Hoc Gregorius per Indictionem quartam-decimam jusjurandum præceperat. Quod quia, sicut rei exitus manifestat, deficientibus testimoniis per tres continuos annos infectum remanserat: iterum Marinianus suorum suggestione compulsus, usum Pallii, quem ex consuetudine sicut convenerat vendicare non poterat, importunitate precum se posse recipere confidebat. Quapropter Gregorius in eadem sententia permanens, eidem chartulario per Indictionem secundam scribit, dicens: [a] Dum Florentius, Ravennatis Ecclesiæ ,, Diaconus, apud nos pro reverendissimo fratre ,, & coepiscopo nostro Mariniano, de usu Pallii ,, ageret, requisitus a nobis quæ esset antiqua ,, consuetudo, respondit: quod in omnibus lita- ,, niis Pallio Ravennas Episcopus uteretur. Quod ,, ita non esse, & ab aliis didicimus, & ex episto- ,, lis Johannis, quondam Episcopi, quas ei ostendi ,, fecimus, evidenter apparuit: sed hoc asseruit, ,, quod dicere jussus est. Nam tempore quo a te ei- ,, dem Johannes quondam Episcopus est inhibitus, ,, ne Pallio inordinate, ac temere uti præsumeret, ,, scripsit nobis hanc fuisse priscam consuetudinem, ,, ut civitatis ipsius Episcopus Pallio in litaniis so- ,, lemnibus uteretur: quarum tibi litterarum exem- ,, plaria pro tua informatione transmisimus. Adeo- ,, datus vero, prædictæ Ecclesiæ Diaconus, dum ,, apud nos tempore quo hic fuit, similiter de ejus- ,, dem usu Pallii agere enixius studeret, volentes ,, cognoscere veritatem, eum similiter, quæ esset ,, consuetudo curavimus requirendum. Qui uti ,, credi sibimet suaderet, atque a nobis valeret, ,, quod petebat, exigere, sub jurejurando testatus ,, est, antiquam consuetudinem fuisse, ut in qua- ,, tuor aut quinque solemnibus litaniis Pallio civi- ,, tatis suæ Episcopus uteretur. Experientia ergo ,, tua diligenter invigilet, & cum omni sollicitu- ,, dine, quot litaniæ solemnes ab antiquitate fue- ,, rint, requirat: nec eas solemnes nominando re- ,, quirere studeat, sed majores: ut per hoc, quod ,, nobis præfatus Adeodatus, Diaconus, testatus ,, est, & prædicti Johannis Episcopi fatetur epi- ,, stola, dum constiterit, quantæ litaniæ solemnes ,, fuerint, quoties indui solebat in litaniis Pallium ,, cognoscentes, libentissime concedamus: sed ,, hoc non ab illis perquirat, qui ab ecclesiasticis ,, exhibentur: sed ab aliis, quos sine favore par- ,, tis esse cognoverit: & quæ sollicita indagatio- ,, ne repererit, nobis subtiliter indicet: ut ve- ,, ritate, sicut diximus, cognita, fratris & coe- ,, piscopi nostri reverendissimi Mariniani animos ,, relevemus. At quia prisca consuetudo a nostra- ,, tibus subtiliter inquisita, a Ravennatibus pro- ,, bari nullo modo potuit: Gregorium in sua sen- ,, tentia permansisse proculdubio illud ostendit, ,, quod neque ob hoc, quantum ex apicibus ejus ,, dignoscitur, a quoquam sollicitatus extitit, ,, neque a semetipso commotus ulterius omnino ,, rescripsit.

Regist. olim lib. VII. ep. 77. nunc lib. VI. ep. 54.

VIII. Pro usurpatione campagorum Diacono Catinenses arguit.

Non solum in magnis rebus Gregorius sollicitudinis suæ oculos convertebat, verum etiam ne impune præsumerentur quandoque majora, hoc in rebus minimis curiosissime præcavebat. Unde Johanni, Syracusano Episcopo, scribit, dicens: ,, Ecclesiastici vigoris ordo confunditur, si aut ,, temere illicita præsumantur, aut impune non ,, concessa tententur. Pervenit itaque ad nos, ,, Diaconos Ecclesiæ Catanensis calceatos [b] cam- ,, pagis procedere præsumsisse. Quod nulli hacte- ,, nus per totam Siciliam licuisse, nisi solis tan- ,, tummodo Diaconibus Ecclesiæ Messanensis, ,, quibus olim a prædecessoribus nostris non dubi- ,, tatur esse concessum, bene recolitis. Quia ergo ,, tantæ temeritatis ausus non est leviter attenden- ,, dus, cum omni hoc Fraternitas vestra subti- ,, litate perquirat: & si ita, sicut ad nos perve- ,, nit, invenerit, utrum a se, vel alicujus au- ,, ctoritate hoc præsumserint, nobis subtiliter ,, innotescat, ut cognita veritate, quid fieri de- ,, beat, disponamus. Nam si negligenter ea quæ ,, male usurpantur omittimus, excessus viam aliis ,, aperimus.

Lib. VIII. ep. 27.

IX. De Maximo Salonitanæ Ecclesiæ pervasore.

Interea Natali, Episcopo, defuncto cum Dalmatinorum generalitas Honoratum Archidiaconum, quem ipse ex Presbytero in Diaconum converterat, sibi præficiendum concorditer elegissent, eorumque decretum Pontifex approbasset, factione Malchi, Episcopi, rectoris apostolici patrimonii, manuque militari Maximus multis criminibus involutus, episcopatum Salonitanæ civitatis invasit. Quod Gregorius audiens, Dalmatinis, & Jadertinis Episcopis ne illi manus imponerent, sub magna interminatione prohibuit. At vero Maximus, qui episcopatus Sedem contra canones invaserat, etiam sacerdotium contra Deum per simoniacam hæresim ab Episcopis dumtaxat excommunicatis, pretio corruptis, non timuit promereri: favente sibi occasione temporis ex cupiditate simul insolentiaque Augusti, quem dispergendo facultates invasæ Ecclesiæ adeo defensorem scelerum suorum effecit, ut a Gregorio non solum frequenter postularet, quatenus indiscussam Maximi promotionem relinqueret, verum etiam Romam satisfacturum pro simoniaca hæresi

a Cur epistolam hanc ab Indictione secunda removerimus, aperuimus in dissertatione de ordine epistolarum restituto.

b *Campagus* mendose *compagus*, calceamentum quo Episcopi seu Prælati in Missa utuntur. Vide notas ad epistolas.

resi aliisque criminibus, venientem cum honore A susciperet.

X. Auctoritatem sui pontificatus contra tyrannum Imperatorem defendit.

Gregorius vero faciem nullius contra veritatem custodiens, ipsum Maximum primo a Missarum solemniis, post a communione corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi, quousque suam præsentiam exhiberet, privavit. Maximus autem Imperialibus militiis fultus, post excommunicationem, & Missas cecinit & sacramenta satis indignus accepit. Quapropter Constantinæ Augustæ post multa alia scribit, dicens: „ Salonitanæ civitatis Episcopus, me ac Responsale meo nesciente, ordinatus est: & facta res est, quæ sub nullis anterioribus Principibus evenit. Quod B ego audiens, ad eumdem prævaricatorem qui inordinate ordinatus est protinus misi, ut omnino Missarum solemnia celebrare nullo modo præsumeret, nisi prius a serenissimis Dominis cognoscerem, si hoc fieri ipsi jussissent. Quod ei sub excommunicationis interpositione mandavi: & contemto me atque despecto, in audacia quorumdam secularium hominum, quibus, denudata sua Ecclesia, præmia multa præbere dicitur, nunc usque Missas facere præsumit, atque ad me venire secundum jussionem Dominorum noluit. Ego autem præceptioni pietatis eorum C obediens, eidem Maximo, qui, me nesciente, ordinatus est, hoc quod in ordinatione sua me, vel Responsalem prætermittere præsumsit, ita ex corde laxavi, ac si me auctore fuerit ordinatus. Alia vero perversa illius, scilicet mala corporalia, quæ cognovi, vel quia cum pecuniis est electus, vel quia excommunicatus Missas facere præsumsit, propter Deum irrequisita præterire non possum; sed opto, & Dominum deprecor, quatenus nihil de eo, de his quæ dicta sunt valeat inveniri, & sine periculo animæ meæ causa ipsius terminetur: prius tamen quam hæc cognoscantur, serenissimus Dominus discurrente jussione præcepit ut eum venientem cum honore suscipiam. Et valde grave est ut vir, de quo tanta & talia nuntiantur, cum ante requiri & discuti debeat, honoretur. Et si Episcoporum causæ mihi commissorum apud piissimos Dominos aliorum patrocinio disponuntur, infelix ego in Ecclesia ista quid facio? Sed ut Episcopi mei me despiciant, & contra me refugium ad seculares Judices habeant, omnipotenti Deo gratias ago: peccatis meis deputo. Hoc tamen breviter suggero, quia aliquantulum expecto: & si ad me venire diu distulerit, exercere in eo districtionem canonicam nullo modo cessabo. In omnipotente autem Deo confido, quia longa piissimis Dominis vita tribuetur, & nos sub manu vestra non secundum peccata nostra, sed secundum gratiæ suæ dona disponat.

Regist. lib. v. ep. 21.

XI. Contra votum Imperiale Maximum cum suis complicibus excommunicans Episcopos ipsius ad Ecclesiam reverti coegit.

Hæc Gregorius dissimulatrici Augustæ. Ceterum eodem Maximo in sua præsumtione manente, consecratores, atque omnes Dalmatinos, & Jadertinos Episcopos ab ejus communione sub excommunicatione disjunxit: adeo ut ne nomen quidem Maximi inter sacra Missarum solemnia memorarent. Quo facto ita omnes consternati sunt animo, ut sub pœnitentiæ satisfactione, relicto Maximo, veniam postularent. Unde misericordissimus Pontifex Sabiniano Jadertino Episcopo scribens: „ Sicut, inquit, perseveranti culpæ debetur jure vindicta, ita resipiscentibus est venia concedenda. Nam ut res illa contra se merito iracundiam excitare: sic hæc in sua prorsus dilectione solet concordiam propagare. Et ideo, quia Fraternitatem tuam a consortio & communione Maximi, ubi te prius neglectus impulerat, in tantum postea gravitas Sacerdotis ad animum reducta suspendit, ut ejus sola nullatenus patereris esse segregatione contentus, nisi & in monasterii te claustra recipiens, dudum commissa defleres: ea propter in nostra te gratia ac communione receptum esse non dubites. Nam quantum nos prius culpa tuæ Caritatis offenderat, tantum pœnitentia mitigavit.

Regist. lib. VIII. ep. 10

XII. Maximi causam Ravennæ præcipit ventilari.

Itaque Maximus cernens tandem aliquando durum esse contra stimulum calcitrare, relictis Imperialibus adminiculis, per Callinicum Exarchum satis humiliter concedi sibi pœnitentiam, simulque veniam a Gregorio postulavit. Quem ipse Romam fatigari nolens, causam ejus discutiendam Ravennæ commisit, Constantino Mediolanensi Episcopo scribens: „ Maximus, inquit, Salonitanæ Ecclesiæ prævaricator, postquam per potestates majores seculi obtinere nil valuit, ad minores se contulit: nobisque tam nimietate precum, quam attestatione bonorum operum prævalere contendit. Ex qua re inhumanum credidi, si is qui se quasi multum timere me dicit, in aliquo me temperatiorem minime invenire potuisset: & ideo decrevi ut reverendissimus frater & coepiscopus noster Marinianus ejus causam debeat in Ravennati urbe cognoscere. Si autem persona ejus suspecta forsitan habebitur, volumus ut vestra quoque Fraternitas, si ei laboriosum non est, ad eamdem civitatem fatigare se debeat, & cum prædicto fratre in eodem judicio pariter sedere. Quidquid autem vestræ utrorumque Sanctitati placuerit, scitote mihi modis omnibus placiturum: & vestrum ego judicium meum deputo.

Regist. lib. IX. ep. 67.

XIII. Maximus in terram procidens lacrymabiliter veniam petit.

Inter hæc prævaricator Maximus anno septimo excommunicationis suæ post castigationes & D flagella Gregorii, ad cor revertens, Ravennam petiit, & jactavit se tensus intra civitatem in medio silice, clamans, & dicens: Peccavi Deo, & beatissimo Papæ Gregorio. Et agente eo pœnitentiam tribus horis, cucurrit Callinicus Exarchus, & Castorius chartularius Ecclesiæ Romanæ cum Mariniano Episcopo, & elevaverunt eum de silice: qui etiam cœpit ampliorem pœnitentiam coram eis agere. Quod Gregorius ut audivit, ad misericordiam protinus rediit, Mariniano Episcopo inter cetera scribens: „ Qualis de causa Maximi Fraternitatis vestræ voluntas sit, ac magis petitio, præsentium latore Castorio chartu- E lario nostro renuntiante cognovimus. Ideoque, si idem Maximus coram vobis, & prædicto chartulario nostro, de simoniaca hæresi præstito se sacramento purgaverit, atque de aliis ante corpus sancti Apollinaris tantummodo requisitus, liberum se esse responderit: causam ipsius Fraternitatis vestræ de eo, quod excommunicatus Missarum solemnia agere præsumsit, judicio committimus, qua debeat pœnitentia talis culpa purgari. Et ideo quidquid vobis secundum Deum placet, securi disponite: nec aliquid de nobis dubium habeatis. Nam quidquid a vobis hac F de causa fuerit ordinatum, nos & grate suscipimus, & libenter admittimus. Hortamur tamen ut debeatis esse solliciti, & ita quæ flenda conspicitis, temperetis, quatenus & illi, si ita videbitur, communionem præstetis, & vigoris ecclesiastici genium congrua, ut oportet, dispensatione servetis. Suprascriptum vero portitorem in præ-

Regist. lib. IX Indict. 2. ep. 79.

„ præsenti, quid vobis cum eo sit agendum, instruximus: a quo cuncta subtiliter addiscentes, sic vos in omnibus exhibete, ut in vestra sollicitudine nostram fuisse præsentiam sentiamus.'

XIV. Gregorius Maximo, cojam sancti Apollinaris corpore satisfacienti, miserendum esse decernit. *Regist. lib. 11 ep. 50.*

Item Castorio, & Notario & Chartulario Ravennæ: „ Quanto credi tibi &, necessarias vides causas injungi, tanto te magis strenuum debes & sollicitum exhibere. Proinde si Maximus Salonitanus, præstito sacramento, firmaverit se simoniaca hæresi non teneri, atque de aliis ante corpus sancti Apollinaris tantummodo requisitus, innoxium se esse responderit, & de inobedientia sua pœnitentiam, sicut deputavimus, egerit: volumus ut ad consolandum illum epistolam, quam ad eum scripsimus, ubi ei & gratiam nostram & communionem nos reddidisse signavimus, experientia tua dare debeat: quia sicut in contumacia persistentibus severos esse nos convenit, sic iterum humiliatis & pœnitentibus negare locum veniæ non debemus.

XV. Maximo, humiliter satisfacienti, communionis gratiam reddit, & Pallium se daturum promittit. *Ibid. ep. 54.*

Cumque Maximus penes corpus beati Apollinaris secundum jussum Gregorii de cunctis humiliter satisfecisset, Castorius chartularius consolatoriam ei epistolam præbuit, verbis Gregorii adserentem: „ Quamvis culpabilibus ordinationis tuæ primordiis grave malum per inobedientiæ culpam addideris; nos tamen Sedis apostolicæ auctoritatem eo, quo decuit moderamine, temperantes, numquam contra te usque adhuc, ut causa poscebat, exarsimus: sed ut longius se ingratitudo nostra, quam tu tibi excitasti, produceret, credita nos sollicitudo vehementer angebat; ne quædam illicita, quæ de te audieramus, negligenter omittere videremur. Quæ si bene consideres, ipse per te satisfacere differendo firmabas: atque ex hoc adversum te zelum nostrum acrius incitabas. At ubi salubri tandem consilio usus, jugo te obedientiæ humiliter submisisti, & Dilectio tua pœnitentiam agens, digna se, ut deputavimus, satisfactione purgavit, redditam tibi gratiam fraternæ caritatis intellige, atque in nostro te receptum consortio gratulare; quia sicut perseverantibus in culpa districtos, ita resipiscentibus nos benignos decet esse ad veniam. Postquam ergo Fraternitas tua apostolicæ Sedis communionem se reparasse cognoscit, personam ad nos transmittat, quæ Pallium tibi deferendum ex more percipiat. Nam quemadmodum illicita perpetrari non patimur: sic ea, quæ sunt consuetudinis, non negamus. Licet autem ad hæc concedenda dispensatio nos loci nostri vocaverit; multum tamen a nobis petitio dulcissimi atque excellentissimi filii nostri Domni Callinici Exarchi, ut temperantius erga te ageremus, exegit; cujus carissimam voluntatem, nec pertulimus, nec potuimus contristare.

XVI. Quam didactalicis responsionibus Imperatorem terruit.

Præterea cupidissimus ac tenacissimus Imperator, qui consuetudinibus antiquissimis dationes, legionum quoque milites frequentissime, sicuti Romanorum narrat historia, defraudabat, cernens Gregorium contra omnes mundi strepitus, augustalibus defensionibus, quarum suffragio ad arcem pontificatus hunc se provexisse jactabat, penitus non egere: imo canonicis auctoritatibus, sanctitatis ac prudentiæ suæ virtutibus, Christo propitio, cunctis alta sapientibus prævalere: ad odium detractionemque famæ illius magis magisque conversus est, liberalitatem Pontificis, quia famelicis militibus tam ecclesiastica, quam publica frumenta diviserat, subdolis assertionibus reprehendens. Cui Gregorius, utpote qui provectionem suam divino judicio, in cujus nimirum manu corda regum consistentia, quocumque voluerit, inclinantur, non caducis humanis favoribus deputabat, voce libera contradicens, his eum responsionibus fregit, deturpavit, atque nonnulla de futuro Dei judicio disserendo deterruit: „ In serenissimis, inquit, jussionibus suis Dominorum pietas, dum me de quibusdam redarguere studuit, parcendo mihi minime pepercit. Nam in eis urbanæ simplicitatis vocabulo me fatuum appellat. In Scriptura etenim sacra cum in bona intelligentia simplicitas ponitur, vigilanter sæpe prudentiæ aut rectitudini sociatur. Unde etiam de beato Job scriptum est: *Erat vir simplex, & rectus*. Et beatus Paulus Apostolus admonet, dicens: *Estote simplices in malo, & prudentes in bono*. Et per semetipsam Veritas in Evangelio admonet, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*, esse valde inutile judicans, si aut simplicitati prudentia, aut prudentiæ simplicitas desit. Ut ergo servos suos ad cuncta eruditos efficeret, esse eos & simplices sicut columbas, & prudentes ut serpentes esse voluit; quatenus in eis & serpentis astutia columbæ simplicitatem acueret, & columbæ simplicitas serpentis astutiam temperaret. Ego igitur qui in serenissimis Dominorum jussionibus ab Ariulphi astutia deceptus, non adjuncta prudentia simplex denuntior, constat proculdubio quia fatuus appellor: quod ita esse ego quoque ipse confiteor. Nam si hoc vestra Pietas taceat, causæ clamant. Ego enim, si fatuus non fuissem, ad ista toleranda quæ inter Langobardorum gladios hoc in loco patior, minime venissem. In ea autem re quam de Ariulpho perhibui, quia toto corde venire ad Rempublicam paratus fuit, dum mihi non creditur, etiam mentitus esse reprehendor. Sed etsi Sacerdos non sum, scio gravem esse hanc injuriam Sacerdoti, ut veritati serviens, fallax credatur. Et dudum novi [a] quoniam Nordulpho plus est creditum quam mihi, Leoni amplius quam mihi. Et nunc eis, qui esse ad medium videntur, plusquam meis assertionibus credulitas impenditur. Et quidem si terræ meæ captivitas per quotidiana momenta non excresceret, de despectione mea atque irrisione lætus tacerem. Sed hoc me vehementer affligit, quia unde ego crimen falsitatis tolero, inde Italia quotidie ducitur sub Langobardorum jugo captiva: dumque meis suggestionibus in nullo creditur, vires hostium immaniter excrescunt. Hoc tamen piissimo Domino suggero, ut de me mala omnia quælibet existimet; de utilitate vero Reipublicæ, & causa ereptionis Italiæ non quibuslibet facile pias aures præbeat, sed plus rebus, quam verbis credat. Sacerdotibus autem non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cujus servi sunt, eis ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat. Nam in divinis eloquiis Sacerdotes aliquando Dii, aliquando Angeli vocantur. Et per Moysen de eo, qui ad juramentum deducendus est, dicitur: *Applica illum ad deos*, videlicet ad Sacerdotes. Et rursum scriptum est: *Diis non detrahes*, scilicet Sacerdotibus. Et propheta ait: *Labia Sa-* „ cer-

Prov. 21. — *Lib. v. ep. 40.* — *Job. 1. 1.* — *Rom. 16. 19.* — *Matth. 10. 16.* — *Exod. 22. & Ibid. 28.* — *Malac. 2. 7.*

[a] In excusis codd. quos mss. Bigot. Utic. tres Parisienses &c. redarguunt, *quia Araulpho*, vel *Ariulpho*.

cerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est. Quid ergo mirum si illos vestra Pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos, aut deos ipse etiam appellat Deus? Ecclesiastica quoque testatur historia, quia cum piæ memoriæ Constantino Principi in scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, & eosdem qui accusati fuerant Episcopos convocans, in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens: *Vos dii estis a vero Deo constituti. Ite, & inter vos causas vestras disponite: quia dignum non est ut nos judicemus deos.* In qua tamen sententia, pie Domine, sibi magis ex humilitate, quam illis aliquid præstitit ex reverentia impensa. Ante eum quippe pagani in Republica Principes fuerunt, qui verum Deum nescientes, deos ligneos & lapideos colebant: & tamen eorum Sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid igitur mirum, si Christianus Imperator veri Dei Sacerdotes dignetur honorare, dum pagani, ut prædiximus, Principes honorem impendere Sacerdotibus noverunt, qui diis ligneis & lapideis serviebant? Hæc ego Pietati Dominorum non pro me, sed pro cunctis Sacerdotibus suggero. Ego enim peccator homo sum; & quia omnipotenti Deo incessanter quotidie delinquo, aliquod mihi apud tremendum examen illius esse remedium suspicor, si incessantibus quotidie plagis ferior. Et credo, quia eumdem omnipotentem Dominum tanto vobis amplius placatis, quanto ei me male servientem districtius affligitis. Multas enim jam plagas acceperam; & supervenientibus Dominorum jussionibus inveni consolationem, quam non sperabam. Si possum, has celeriter plagas enumero. Primo quod mihi pax subducta est, quam cum Langobardis in Tuscia positis sine ullo Reipublicæ dispendio feceram. Deinde, corrupta pace, de Romana civitate milites ablati sunt. Et quidem alii ab hostibus occisi, alii vero Narniis & Perusii positi; & ut Perusium teneretur, Roma relicta est. Post hæc plaga gravior fuit adventus Agilulphi, ita ut oculis meis cernerem Romanos more canum in collis funibus ligatos, qui ad Franciam ducebantur venales. Et quia nos, qui intra civitatem fuimus, Deo protegente, manus ejus evasimus, quæsitum est unde culpabiles esse videremur: videlicet cur frumenta defuerint, quæ in hac urbe diu multa servari nullatenus possunt, sicut in alia suggestione plenius indicavi. Et quidem de memetipso in nullo turbatus sum: quia teste conscientia fateor, adversa quælibet pati paratus sum, dummodo hæc omnia cum salute duntaxat animæ meæ evadam. Sed de gloriosis viris, Gregorio Præfecto, & Castorio Magistro militum non mediocriter sum afflictus: qui & omnia quæ potuerunt fieri, nullo modo facere neglexerunt, & labores vigiliarum & custodiæ civitatis in obsidione eadem vehementissimos pertulerunt: & post hæc omnia gravi Dominorum indignatione percussi sunt. De quibus patenter intelligo quia eos non sua acta, sed mea persona gravat, cum qua, quia pariter tribulatione laboraverant, post laborem pariter tribulantur. Quod autem Dominorum pietas illud mihi pavendum & terribile omnipotentis Dei judicium intentat, rogo per eumdem omnipotentem Dominum, ne hoc ulterius faciat: nam adhuc nescimus, quis ibi qualis sit: & Paulus egregius prædicator dicit: *Nolite judicare ante tempus donec veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Hoc tamen breviter dico, quoniam peccator & indignus plus de venientis JESU misericordia, quam de vestræ Pietatis justitia præsumo, & sunt multa quæ de judicio illius homines ignorant: quia fortasse, quæ vos laudatis, ille reprehendet: & quæ vos reprehenditis, ille laudabit. [a] Inter ergo omnia incerta, ad solas lacrymas redeo, petens ut idem omnipotens Deus piissimum Dominum nostrum, & sua hic manu regat, & in illo terribili judicio liberum ab omnibus delictis inveniat: & me ita placere, si necesse est, hominibus faciat, ut æternam ejus gratiam non offendam.

1. Cor. 4. 5.

XVII. Mauricio, in Gregorium sævienti, mors per gladium imminet.

Denique Mauricius Imperator libertatem vocis tanti Pontificis, reprehensionisque constantiam admiratus, quia de futuro Dei judicio se terruerat, ad exercendam in eum tyrannidem prodire nitebatur, cum protinus eodem anno vir quidam monachicis indutus vestimentis, divina quadam virtute commotus, dextera spatham cepit, quam videlicet a foro usque ad æneam statuam [b] gladiatoris nudam circumferens, Imperatorem gladio cunctis moriturum prædixit. Quod Mauricius ut audivit, a tyrannide Gregorio inferenda semet continuit, & judicium divinum, quod ei minatus fuerat, cito se subiturum tanto magis timuit, quanto Gregorium credidit non posse mentiri.

XVIII. Mauricius pœnitens valet in somnis se divino judicio cum uxore, & filiis Phocæ militi tradi.

Mox itaque scripto preces compositas tam eidem, quam cunctis Patriarchis, Episcopis, & Monachis civitatum sive solitudinum, pecunias multas, cereos & thymiamata destinavit, hoc potissimum deprecans ut Domino supplicarent, quatenus in hoc seculo merita suorum majorum reciperet: tantum ut a futuris cruciatibus redimi meruisset. Cumque hoc & ipse vehementius per multa tempora cum lacrymis postularet, quadam nocte dormiens, videt apud æneam palatii portam se coram multo populo æneæ statuæ Salvatoris assistere. Tunc vox terribilis facta est ex ipso incarnati Verbi charactere, dicens: Date Mauricium. Et capientes eum judiciorum ministri, posuerunt juxta [c] pueri umbilicum, qui illic erat. Cui eadem vox characteris, ait: Ubi vis reddam tibi mala, quæ in hoc seculo perpetrasti? Ille respondit: Amator hominum, Domine, & Judex juste, hic potius ea mihi, & non in seculo futuro retribue. Statim divina vox jussit tradi Mauricium, & Constantinam uxorem ejus, cum filiis & filiabus, omnique cognatione ipsius, Phocæ militi. Evigilans ergo Mauricius misit [d] Paracoemomenum, & vocavit ad se Philippicum [e] generum suum, quem dudum suspicatus fuerat imperium sibi velle subripere. At ille pro suspicione se perdendum conjiciens, advocatæ Gordiæ uxori suæ, tamquam non se revisuræ, ultimum vale dixit: Sacramentoque communionis accepto, ad palatium venit, & cubiculum Imperato-

I ij ris

a Excusi cum tribus mss. Parif. *interitu ergo omnia*. Aliis mss. adhæremus.

b In Regio, secunda manu superscribitur, *more*.

c Ita mss. Reg. & Ecclesiæ B. Mariæ Parif. Editi cum Colb. & nonnullis aliis, *purpureum*.

d Ita legendum ex Theophane, Græce *παρακοιμώμενον*, intubitorem. Hæc vox corrupta est etiam in mss. sed præsertim in vulgatis.

e Imo erat sororis Mauricii maritus. Cur suspectus foret causam affert Theophanes, quod ejus nomen a littera P. inciperet. Acceperat enim Imperator hanc primam esse litteram nominis illius a quo erat occidendus.

ris ingrediens, ad pedes ejus procidit. Cui Imperator assurgens, ad pedes ejus nihilominus corruit, dicens: „ Ignosce, deprecor, mihi: quia nunc „ profecto divina revelatione doctus cognovi, „ quod nihil in me, unde suspicabar, commiseris. „ Sed si quem in agminibus nostris cognoscis, qui „ Phocas soleat vocitari, dicito mihi. Et Philippicus, diu apud se recogitans, ait: Unum Phocam „ cognosco, qui nuper procurator ab exercitu nuncupatus contradicebat tuo imperio. Cum vero „ Mauricius de qualitate illius inquireret, Philippicus ait: Est quidem juvenis, & temerarius, attamen „ timidus. Et Mauricius: Si timidus, inquit, profecto & homicida. Dumque super hujusmodi titubaret, in crastinum Magistrianus ab Eremitis, quibus Imperatoris preces portaverat, rediens, responsum retulit dicens: „ Deus, recepta pœnitentia tua, „ salvabit animam tuam: & cum Sanctis te, cum „ tota domo tua, constituet: ab imperio vero cum „ ignominia & discrimine decides.

XIX. Seditione commota Mauricius, Phocæ jussu, cum cuncta conatione sua perimitur.

Quibus auditis, Mauricius Deum glorificans, pœnitentiam tenuit: sed a cupiditatis avaritia usque adeo non recessit, [a] ut exercitus in periculosis locis hyemare, & transito Danubio victum sibi de Sclavorum regione periclitabundi quærere: ne videlicet alimenta publica manducarent; Petro Fratori ferabibus litteris immineret. Qui [b] Taxiarchis vocatis, ait: „ Nimis mihi videntur gravia „ Imperatoris præcepta, Romanos in aliena terra „ hyemare jubentia. Nam illi non obedire, sævum est: & rursus obedire, sævissimum. Nullum bonum parit avaritia, quia mater omnium „ malorum consistit: qua Imperator languens, „ horum maximorum malorum causa Romanis „ efficitur. Exercitus itaque, hoc per Taxiarchas audito, ad seditionem convertitur: exaltatumque super clypeum Phocam per Centurionem, Exarchum acclamaverunt: fugatoque Prætore, Theodosio filio Imperatoris & Germano socero ejus dirigunt ut alter eorum sibi imperare studeret. Illi nullo modo consenserunt, immo hoc Mauricio retulerunt. At ille Germanum perdere voluit, qui quoniam in Ecclesiam fugerat, filium tamquam proditorem sui consilii flagellavit, multosque hunc ab eadem Ecclesia extrahendum transmittens, numquam permittitur; immo multis conviciis a populo laceratur, Marcionista hæreticus appellatur. Et commoto intra Constantinopolim gravi tumultu, Mauricius, dissimulato habitu, cum uxore & filiis noctu [c] dromonem conscendit: & fugiens, [d] apud sanctum Antonomum venit. At vero Phocas cum exercitu [e] in Septimum veniens, Imperator efficitur: a quo Mauricius cum uxore, filiis, & filiabus penes Chalcedoniam jussus, quemadmodum sibi denuntiatum fuerat, decollatur. Et quia oratio Gregorii, qua illum petierat in terribili Dei judicio liberum ab omnibus delictis inveniri, vacua esse non potuit: idem Mauricius id recepit, quod meruit: & in cunctis suis incommodis Deum benedicens, a sempiterno supplicio meruit liberari.

XX. Imagine augustali suscepta, sapienter Mauricii vita

Igitur septimo Kalendarum Maiarum, Indictione sexta imago Phocæ & Leontiæ, Augustorum, cum eorumdem favorabilibus litteris Romam delata est. Et postquam a clero, & senatu acclamatum est eis in basilica Julii, jussu Gregorii in oratorio sancti Cæsarii Lateranensi palatio constituto reponitur. Qui etiam Phocæ Imperatori ita rescripsit: „ Gloria in excelsis Deo, qui, juxta „ quod scriptum est, *Mutat tempora, & transfert* „ *regna*: & qui hoc cunctis innotuit, quod per „ Prophetam suum loqui dignatus est, dicens: „ *quia dominatur Excelsus in regno hominum: & cui* „ *voluerit, ipse dat illud*. In omnipotentis quippe „ Dei incomprehensibili dispensatione, vitæ mortalis moderamina consistunt: & aliquando cum „ justorum multorum peccata ferienda sunt, unus „ erigitur, per cujus duritiam tribulationis jugo „ subjectorum colla deprimantur. Quod nos in nostra diutius tribulatione probavimus. Aliquando vero cum misericors Deus mœrentium multorum corda, sua decernit consolatione refovere, unum ad regiminis culmen provehit, & „ per ejus misericordiæ viscera in cunctorum mentibus exultationis suæ gratiam infundit. De qua „ exultationis abundantia roborari nos citius credimus, qui benignitatem vestræ Pietatis ad Imperiale fastigium pervenisse gaudemus. Lætentur cæli, & exultet terra: & de benignis vestris actibus universæ Reipublicæ populus nunc „ usque vehementer afflictus hilarescat. Comprimantur jugo Dominationis vestræ superbæ mentes hostium: releventur vestra misericordia, „ contriti ac depressi animi subjectorum. Virtus „ cælestis gratiæ inimicis vos terribiles faciat, „ pietas subditis benignos. Quiescat felicissimis „ temporibus vestris universa Respublica, prolata sub causarum imagine præda pacis. Cessent „ testamentorum insidiæ: donationum gratiæ „ violenter exactæ. Redeat cunctis in rebus pro„ prius secura possessio: ut sine timore habere se „ gaudeant, quæ non sunt ab eis fraudibus acquisita. Reformetur jam singulis sub jugo pii Imperii libertas sua. Hoc namque inter Reges gentium, & Reipublicæ Imperatores distat, „ quod Reges gentium, Domini servorum „ sunt: Imperatores vero Reipublicæ, Domini „ liberorum.

Phocæ Imperatori diu mutat.

Lib. XIII. ep. 31.

Dan. 2. 21.

Dan. 4. 14.

Psal. 95.

XXI. Ei Apocrisiarium mox transmittit. Regist. lib. XIII. ep. 38.

Cumque Phocas mandari sibi Romanæ Sedis Diaconum cum magna humilitatis reverentia postularet, Gregorius ita rescripsit: „ Considerare „ cum gaudiis & magnis actionibus gratiarum libet, quantas omnipotenti Deo laudes debemus, „ quod remoto tristitiæ jugo, ad libertatis tempora „ sub Imperiali benignitatis vestræ Pietate pervenimus. Nam quod permanere in palatio juxta „ antiquam consuetudinem apostolicæ Sedis Diaconum vestra Serenitas non invenit, non hoc meæ „ negligentiæ, sed gravissimæ necessitatis fuit: quia „ dum ministri omnes hujus nostræ Ecclesiæ, contrita asperaque tempora cum formidine declinarent, atque refugerent, nulli eorum poterat imponi, ut ad urbem regiam in palatio permansurus accederet. Sed postquam vestram Clementiam, omnipotentis Dei gratia disponente, ad culmen Imperii pervenisse cognoverunt: ipsi quoque „ suadente lætitia, ad vestra vestigia venire festinant, qui illuc prius accedere valde timuerant. „ Sed quia eorum quidam ita senectute sunt debiles, ut laborem ferre vix possint, quidam vero eccle-

a In tribus Paris. & in vulgatis, *ut exercitus in periculosis hyemare* (al. hyemarent) *& transito Danubio* ... *periclitabundi* (al. periclitabunde) *quærerent, ne* ... *manducarent. Quod cum Petro* ... *immineret, ille Taxiarchis*. Sequimur ceteros mss. codd.

b Hoc est, ordinum Præfectis.

c Genus navigii celerrimum de quo passim apud Cassiodorum, & in Ep. 37 libri x.

d Vel *Autonomum*. Is Episcopus & Martyr in Bythinia sub Diocletiano; colitur die 12. Sept.

e Lege ad calcem Epistolarum S. xx. *de Phoca coronato* &c.

ecclesiasticis curis vehementer implicantur, & lator præsentium, qui primus omnium Defensor fuit, bene mihi ex longa assiduitate compertus est vita, fide, ac moribus approbatus: hunc aptum vestræ Pietatis vestigiis judicavi. Unde eum, auctore Deo, Diaconum feci, & sub celeritate transmittere studui, qui cuncta quæ in his partibus aguntur, invento opportuno tempore, valeat Clementiæ vestræ suggerere. Cui rogo ut Serenitas vestra pias aures inclinare dignetur: ut tanto nobis celerius valeat misereri, quanto afflictionem nostram verius ex ejus relatione cognoverit. Qualiter enim quotidianis gladiis, & quantis Langobardorum incursionibus ecce jam per triginta quinque annorum longitudinem premimur, nullis explere suggestionis vocibus valemus. Sed in omnipotente Deo confidimus, quia ea quæ cœpit, consolationis suæ nobis bona perficiet: & qui suscitavit in Republica pios Dominos, etiam extinguet crudeles inimicos.

XXII. Ponere grandi remoto, Imperiale jugum levius redusse lætetur. Regist. lib. XIII. Ep. 39.

Item Leontiæ Augustæ: Quæ lingua eloqui, quis animus cogitare sufficiat, quantas de Serenitate vestri Imperii omnipotenti Deo gratias debemus, quod tam dura longi temporis pondera cervicibus nostris amota sunt, & Imperialis culminis leve jugum rediit, quod libeat portare subjectis? Reddatur ergo Creatori omnium ab hymnidicis Angelorum choris gloria in cælo: persolvatur ab hominibus gratiarum actio in terra, quia universa Respublica, quæ multa mœroris pertulit vulnera, jam nunc consolationis vestræ invenit fomenta. Unde nobis necesse est omnipotentis Dei misericordiam enixius exorare, ut cor vestræ Pietatis sua semper dextera teneat, ejusque cogitationes cælestis gratiæ ope dispenset: quatenus Tranquillitas vestra tanto rectius valeat sibi servientes regere, quanto Dominatori omnium noverit verius deservire. In amore catholicæ fidei faciat defensores suos, quos fecit ex benigno opere Imperatores nostros. Infundat in vestris mentibus zelum simul & mansuetudinem: ut pio semper fervore valeatis, & quidquid in Deo exceditur, non inultum relinquere, & si quid in vobis delinquitur, parcendo tolerare.

XXIII. Ex consuetudine Synodicam laudi direxit, a quod Orientales nullius in dyptychis nomen suscipiant, donec Synodicam ejus cognoverint. Lib. 1. Ep. 25.

Hic Gregorius laudibus aut ideo novos Principes demulcebat, ut audientes quales esse debebant, fierent mitiores, quam Mauricius fuerat, cujus tot criminibus involuta tempora cognoscebant: aut quia eos sibi, suaque Ecclesiæ devotissimos cernens, non eos ad tyrannidem ruituros esse putabat. Qui sicut quorumlibet vitia liberis vocibus arguebat, & contra canones priscasve consuetudines venire neminem permittebat: ita, quæ consuetudinis fuerant, nulli penitus denegabat. Nam mox ut Episcopus apostolicæ Sedis enituit, patriarchalibus Sedibus suam Synodicam destinavit, & postmodum Secundino servo Dei incluso inter cetera scribit, dicens: Hinc est etiam, quod quoties in quatuor præcipuis Sedibus Antistites ordinantur, Synodales sibi epistolas vicissim mittant: in quibus se sanctam Chalcedonensem Synodum cum aliis generalibus Synodis custodire fateantur. Item Athanasio, Presbytero de Isauria, post multa: Fratri nostro Cyriaco, Constantinopolitanæ civitatis Antistiti, qui nuper in Johannis reverendissimi Episcopi loco ordinatus est, nostra volumus scripta transmittere: sed quia non est consuetudo, ut prius, quam ad nos ejus Synodica deferatur, ei scribere debeamus: idcirco nunc distulimus, postea autem indicabimus. Quam videlicet consuetudinem sicut nostri quoque, qui ante biennium ab Hadriano liberalissimo Papa in sancta octava Synodo præfuere, testantur; ita Orientales præcipue retinent usque hactenus Sedes, ut in suis dypticis nullius Pontificis nomen scribant, quousque Synodicam ipsius suscipiant, & tamdiu defunctum Pontificem inter vivantes annumerent, quamdiu successor illius suas litteras studuerit destinare.

Regist. lib. IX. Ep. 52.

Regist. lib. VI. Epist. 26.

XXIV. Susceptis decretis Mediolanensium, eis Episcopum ordinari non esse. Regist. lib. III. Ep. 30.

Hinc est nimirum quod Gregorius a consuetudine prisca non discrepans, Johanni, Subdiacono Rectori patrimonii Liguriæ, scribit dicens: Quanto apostolica Sedes, Deo auctore, cunctis prælata constat Ecclesiis, tanto inter multiplices curas & illa nos valde sollicitat, ubi ad consecrandum Antistitem, nostrum expectatur arbitrium. Defuncto igitur Laurentio, Ecclesiæ Mediolanensis Episcopo, sua nobis relatione clerus innotuit in electione se filii nostri Constantii, Diaconi sui, unanimiter consensisse. Sed quoniam eadem non fuit subscripta relatio: ne quid, quod ad cautelam pertinet, omittamus, idcirco hujus præcepti auctoritate suffultum, Genuam te proficisci necesse est. Et quia illic multi Mediolanensium coacti Langobardorum barbarica feritate consistunt, eorum te voluntates oportet, convocatis eis in commune, perscrutari. Et si nulla eos diversitas ab electionis unitate disterminat, si quidem in prædicto filio nostro Constantio omnium voluntates atque consensum perdurare cognoscis, tunc eum a propriis Episcopis, sicut antiquitatis mos exigit, cum nostræ auctoritatis assensu, solatiante & auxiliante Domino, facias consecrari: quatenus hujusmodi servata consuetudine, & apostolica Sedes proprium vigorem retineat, & a se concessa aliis sua jura non minuat.

Sed cum post annos aliquot Constantius functus insigniter Pontificio, dormisset in Domino, clerus & plebs Mediolanensis Deusdedit Diaconum eligentes ab Agilulfo Rege terrentur: quatenus illum eligerent, quem Langobardorum barbaries voluisset. At illi decretum suum Gregorio dirigentes, consilium & licentiam petunt. Quibus ipse inter cetera sic rescripsit: Illud quod vobis ab Agilulfo indicastis scriptum, Dilectionem vestram non moveat. Nam quod nos utilitati vestræ salubriter consulere valimus, in homine, qui non a Catholicis, & maxime Langobardis eligitur, nulla præbemus ratione consensum: quia vicarius sancti Ambrosii indignus evidenter ostenditur, si electus a talibus ordinatur. Et post pauca: Ut igitur in ordinando Deusdedit Diacono, qui a vobis electus est, nulla possit mora contingere, Pantaleonem notarium nostrum transmisimus, qui eum, ut moris est, annuente consensus nostri auctoritate, faciat consecrari.

Regist. lib. XI. Ep. 4.

XXV. Anastasium Antiochenum post multos annos throno reddidit.

Ab adversis potestatibus prægravatos fortissimus miles Christi Gregorius viriliter defendebat; injustoque dejectos non solum inter depositos non habebat, verum etiam pristinis gradibus auctoritatis suæ privilegio reformabat. Nam Anastasium, Antiochenum Patriarcham, qui Johannem Constantinopolitanum Præsulem voce libera reprehendens, Imperatoris Justini jussu detrusus in exilium, ab ipsis Johannis Papæ temporibus, usque ad sui pontificatus tempora permanebat, mox ut summum sacerdotium meruit, inter Patriarchas eum reputans, scriptis talibus animavit: Præterea, inquit, sicut Patriarchis aliis patribus vestris, Syno-

Regist. lib. V. Ep. 26.

Regist. lib. I. Ep. 7.

dicam vobis epistolam direxi: quia apud me semper hoc estis, quod ex omnipotentis Dei munere accepistis esse, non quod ex voluntate hominum putamini non esse. Item eidem in alia epistola post nonnulla scribens: Fraternitati tuæ indico, quia a serenissimis Dominis, quantis valui precibus postulavi ut vos, honore restituto, ad sancti Petri Apostolorum Principis limina venire, & quousque ita Deo placuerit, hic mecum vivere concedant: quatenus dum vos videre meruero, peregrinationis nostræ tædium, de æterna patria invicem loquendo, relevemus. Denique studiosissimus Pater Gregorius tamdiu penes Mauricium Imperatorem suggestionibus suis imminuit, donec post multorum annorum curricula magnus Anastasius in throno proprio redderetur. Cui congratulabundus rescripsit, dicens:

Regist. lib. V. Ep. 12.

Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quia magnus ille fluvius, qui quondam arentia Antiochiæ saxa reliquerat, ad proprium alveum reversus, subjectas & juxta positas valles rigat: ut unum trigesimum, aliud sexagesimum, aliud vero centesimum ferat fructum.

XXVI. Hadrianum Thebanum Episcopum ordini suo restituens, diœcesim ipsius Larissæi Episcopi potestati subduxit. Regist. lib. III. Ep. 7.

Hadrianum Thebanæ civitatis Episcopum a Johanne primæ Justinianæ, & altero Johanne Larissæo Episcopis injuste depositum, non solum Sedi propriæ reddidit, verum etiam ipsius Ecclesiam Romano jure defendens, a Larissæi Episcopi potestate subduxit, inter cetera dicens: Hadrianum Episcopum reperimus, & tuo contra sacerdotales mores odio laborasse, & nullo jure pecuniariis in causis cum Fraternitatis tuæ condemnatum fuisse sententia. Quia igitur & ab antefato Johanne, primæ Justinianæ Episcopo, contra jus canonesque depositus; honoris sui gradu carere non potuit, in sua eum reformari Ecclesia, atque in propriæ dignitatis ordinem decrevimus revocari. Et cum oportuisset te ex eo Dominici corporis communione privari, quod admonitione sanctæ memoriæ decessoris mei contemta, per quam eum Ecclesiamque ejus de tuæ jurisdictione potestatis exemit, rursus in eis aliquid tibi juris, & ditionis servare præsumseris; tamen nos humanius decernentes, commuoionisque tibi sacramentum interim conservantes, decernimus ut Fraternitas tua ab eo Ecclesiaque ejus omnem antehabitæ suæ potestatem jurisdictionis abstineat, & secundum scripta decessoris nostri, si qua causa vel fidei vel criminis vel pecuniaria, adversus præfatum Hadrianum consacerdotem nostrum potuerit evenire; vel per eos, qui nostri sunt, vel fuerint in urbe regia Responsales, si mediocris est quæstio, cognoscatur: vel huc ad apostolicam Sedem, si est ardua, deducatur; quatenus nostræ audientiæ sententia decidatur. Quod si contra hæc quæ statuimus, quolibet tempore seu qualibet occasione vel surreptione venire tentaveris, sacra te scias communione privatum; nec eam te, excepto ultimo vitæ tuæ tempore, nisi concessa Romani Pontificis decernimus jussione recipere. Hæc enim consona sanctis Patribus definitione sancimus; ut qui sacris nescit obedire canonibus, nec sacris administrare vel communionem capere sit dignus altaribus.

Regist. lib. III. Ep. 6.

Item Johanni, Episcopo primæ Juustinianæ: Post longas tribulationes quas Hadrianus Thebanæ civitatis Episcopus a consacerdotibus suis velus ab hostibus pertulit, in Romanam civitatem confugit. Et licet adversus Johannem, Larissæum Episcopum, ejus fuisset prima suggestio, non ab eo in causis pecuniariis, reservatis legibus est judicatum: tamen post hæc magis contra personam Fraternitatis tuæ, a qua non juste se a sacerdotii gradu flagitabat esse dejectum, gravissime querebatur. Et infra: Quod vero, inquit, ad præsens attinet, cassatis prius atque ad nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis, ex beati Petri Apostolorum Principis auctoritate decernimus triginta dierum spatio sacra te communione privatum, ab omnipotente Deo nostro tanti excessus veniam cum summa pœnitentia, ac lacrymis exorare. Quod si hanc sententiam nostram te cognoveris implevisse remissius, non jam tantum injustitiam sed & contumaciam Fraternitatis tuæ cognoscas, adjuvante Domino, severius puniendam. Præfatum vero Hadrianum, fratrem & coepiscopum nostrum, ex tua sententia, ut diximus, nequaquam canonibus neque legibus subsistente damnatum, in suum locum atque ordinem reverti, Christo comitante, disponimus: ut nec illi Fraternitatis tuæ noceat contra justitiæ tramitem prolata sententia, nec Caritas tua pro placanda futuri indignatione Judicis incorrecta remaneat.

XXVII. Exceptis manifestis criminibus, neminem deposuit, sed communione privavit. Regist. lib. III. Ep. 45.

Hinc est quod exceptis criminibus, neminem Sacerdotum Gregorius deponebat; immo pro qualitatibus delictorum venialiter communione privabat. Unde Johanni, Episcopo Callipolitano, post aliqua scribens, ait: Matriculam, quam frater & coepiscopus noster Andreas Tarentinus Episcopus fecit fustibus castigari, quamvis exinde post octo menses hanc obiisse non credamus; tamen, quia eam contra propositi sui ordinem hujusmodi fecit affligi, duobus hunc mensibus a Missarum solemnitate suspende: ut vel hæc cum verecundia, qualem se de cetero exibere possit, instituat.

XXVIII. Quanta districtione accusatorum lites tractaverit, & qualia de ordinibus judiciorum decreverit. Regist. lib. III. Ep. 8.

Si quando super Sacerdotum criminibus erat aliquid ventilandum, cum summa districtione, grandique cautela Gregorius uniuscujusque capituli modulos quærens, sententia suam magis difficulter, quam faciliter, promulgabat. Unde Natali, Salonitano Episcopo, scribens, ait: Cum cuncta negotia indagandæ sollicitudine veritatis indigeant, tum quæ ad dejectionem sacerdotalium pertinent graduum, sunt districtius trutinanda; in quibus non tam de humanis constitutis, quam de divinæ quodam modo benedictionis refragatione tractatur. Nentiatum siquidem nobis est Florentium, Epidauritanæ civitatis Episcopum, a quibusdam fuisse in causis criminalibus accusatum; & nullis canonicis probationibus exquisitis, nec sacerdotalis consilii præveniente judicio, eum honoris officio, non jure sed auctoritate depositum. Quia ergo non potest quemquam ab episcopatus gradu, nisi justis ex causis, concors Sacerdotum summovere sententia: hortamur Fraternitatem vestram, ut præfatum virum ex eodem, in quod detrusus est, ejici faciatis exilio, causamque ejus episcopali disceptatione perquiri: & si in his, in quibus accusatur, canonica fuerit probatione convictus, canonica proculdubio est ultione plectendus. Quod si alias, quam de eo æstimatum est, Synodali fuerit inquisitione compertum, necesse est ut & criminatores, justi districtionem juris exhorreant, & incriminato innocentiæ suæ serventur illibata suffragia. Executionem vero antefati negotii Antonino Subdiacono nostro ex nostra præceptione mandavimus; qua-

A „ quatenus ejus instantia, & quæ sunt legibus canonicis placita, decernantur; & decreta, juvante Domino, mancipentur effectui.

Regist. lib. x. Ep. 29.

„ Item Constantio, Episcopo Mediolanensi: a Relectis epistolis, quas ad nos [a] per Marinianum latorem præsentium transmisistis, gratam nobis sollicitudinem vestram fuisse rescripsimus, quod ea quæ ad nos de fratre & coepiscopo nostro Pompeio, qui adhuc a nobis ita est nominandus, pervenerunt, dissimulare minime pertulistis. Sed qualis fuit in requisitione cura, si talis fuisset in discussione subtilitas, nihil ex hoc quod de eo dictum est fuisset ambiguum: sed utrum verum, an esset compositum, patuisset. Quia jam contra ipsum dudum in Sicilia apud reverendæ memoriæ fratrem nostrum Maximianum, Episcopum, talis quæstio, ut cognovimus, mota est. Sed quia causa ipsius subtili omnino investigatione quæsita est, inventus est innocens, qui fuerat accusatus in crimine. Nunc igitur, quoniam illa, quæ contra eum dicta sunt, non sub illa, qua decuit, districtione quæsita sunt: & gesta, quæ exinde apud Fraternitatem vestram confecta sunt, neque ad condemnationem neque ad absolutionem ejus probantur posse sufficere: non levis res agitur, ut incaute vel in transcursu debeat definiri. Nam grave est satis & indecens, ut in re dubia, certa dicatur sententia. Et hæc quidem gesta esse poterant ad definiendum idonea, si accusati ea confessio sequeretur, si tamen eamdem confessionem subtilitas examinis ex occultis eliceret, & non afflictio vehemens extorqueret, quæ frequenter hoc agit ut noxios se fateri etiam cogantur innoxii. Nam postquam præfatus Episcopus, ut dicitur, cruciari custodia, cremarique fame se asserit: scire debetis, si ita est, utrum noceat, si sic fuerit extorta confessio. Numquid quando sententiam tales causæ suscipiunt, & ad Sedem apostolicam appellatur, non & persona quæ judicatur præsens est, ut districtissime atque ab omni latere, veritas requiratur; ut tunc, si debeat necne manere sententia, decernatur? Necnon & si prædictus Episcopus ad Sedem apostolicam appellare voluerit, causa ipsius interius, & cum omni est diligentia perscrutanda? Et ideo postquam persona absens est, & gesta, quæ ad nos transmisistis, nobis, sicut præfati sumus, idonee satisfecisse non videntur; temere aliquid de Episcopi persona decernere, nec debemus nec possumus: ne, quod absit, reprehensibiles inveniamur in nostris, quibus aliorum jure competit retractare sententias.

Regist. lib. xiii Ep. 45

„ Item Johanni defensori post aliqua: Quia, inquit, Stephanus, Episcopus, in odio suo quædam ficta, & de falsis se capitulis accusatus, neque aliquid ordinabiliter factum, sed injuste se asserit condemnatum, diligenter quærendum est primo si judicium ordinabiliter est habitum, si alii accusatores, alii testes fuerunt. Deinde causarum qualitas est examinanda, si digna exilio, vel depositione fuit: aut si eo præsente qui accusatus est, sub jurejurando contra eum testimonium dictum est: si scriptis actum est, si ipse licentiam respondendi & defendendi se habuit. Sed & de personis accusantium, ac testificantium subtiliter quærendum est, cujus vitæ, cujus conditionis, cujusque opinionis, aut ne inopes sint, aut ne forte aliquas contra præfatum Episcopum inimicitias habuissent; & utrum testimonium ex auditu dixerunt, aut certe se scire specialiter testati sunt: si scriptis judicatum est, & partibus præsentibus sententia recitata est. Quod si forte hæc solemniter acta non sunt, neque causa probata est, quæ exilio vel depositione digna sit; in Ecclesiam suam modis omnibus revocetur.

XXIX. Aliorum auctoritates Episcoporum suo auctoritate confirmabat, non minuebat

Auctoritatem quorumlibet summorum Pontificum, Gregorius auctoritatis suæ magnitudine nullo modo minuebat, quin potius multipliciter roborabat. Et quamvis inter culpabiles auctoritatem sui prioratus agnosceret, tamen inter insontes Episcopos, se præbebat prorsus æqualem. Quapropter Johanni, Syracusano Episcopo, inter cetera scribens ait: Quod Primas Bizacenus B a suis Episcopis impetitus, se Sedi apostolicæ dicit subjici; si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio qui ei Episcopus subjectus non sit. Cum vero culpa non exigit, omnes Episcopi secundum rationem humilitatis æquales sumus. *Et cetera*.

Lib. ix. Ep. 12

Pastor. par. 2. c. 6.

„ Item in libro Regulæ Pastoralis; Liquet, inquit, quod omnes homines natura æquales genuit; sed variante meritorum ordine, alios aliis culpa postponit. Ipsa autem diversitas, quæ accessit ex vitio, divino judicio dispensatur; ut quia omnis homo æque stare non valet, alter regatur ab altero. Unde cuncti, qui præsunt, non C in se debent potestatem ordinis, sed æqualitatem pensare conditionis, nec præesse se hominibus gaudeant, sed prodesse. Antiqui etenim Patres nostri non Reges hominum, sed Pastores pecorum fuisse memorat. Et cum Noe Dominus, filiisque ejus benediceret, dicens: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*; protinus adjunxit: *Et terror vester ac tremor sit super cuncta animantia terræ*. Quorum terror ac tremor, quia esse super animalia terræ præcipitur, profecto super homines esse prohibetur. Homo quippe brutis animalibus, non autem hominibus ceteris natura prælatus est; & idcirco ei dicitur, ut ab animalibus, & non ab hominibus timeatur. Quia contra naturam superbire est, ab æquali velle timeri; & tamen D necesse est ut rectores a subditis timeantur, quando ab eis Deum minime timeri deprehendunt; ut humana saltem formidine peccare metuant, qui divina judicia non formidant. Nequaquam tamen Præpositi ex hoc quæsito timore superbiant, in quo non suam gloriam, sed subjectorum justitiam quærunt. In eo enim, quod metu sibi a perverse viventibus exigunt, quasi non hominibus, sed animalibus dominantur: quia videlicet ex qua parte bestiales sunt subditi, ex ea debent etiam formidini jacere substrati. Sed plerumque rector eo ipso, quo ceteris præeminet, elatione cogitationis intumescit. Et dum ad usum cun- E cta subjacent, dum ad votum velociter jussa complentur, dum omnes subditis, si qua bene gesta sunt, laudibus efferunt, male gestis autem nulla auctoritate contradicunt: dum plerumque laudant etiam, quæ reprobare debuerant, seductus ab his, quæ infra suppetunt, super se animus tollitur: & dum foris immenso favore circumdatur, intus veritate vacuatur, atque oblitus sui, in voces se spargit alienas; talemque se credit, qualem foris audit, non qualem intus discernere debuit. Subjectos despicit, eosque æquales sibi naturæ ordine non agnoscit: & quos forte

Genes. 9. 1. & 2.

a Varie legitur hoc nomen. In Reg. B. Mariæ Paris. & Bigot. *per Marinum*. In vulgatis *per Marianum* vel cum Colb. *per Maurinum*.

te potestatis excesserit, transcendisse se etiam vitæ meritis credit. Cunctis se æstimat amplius sapere, quibus se videt amplius posse. In quodam quippe se constituit culmine apud semetipsum; & qui æqua ceteris naturæ conditione constringitur, ex æquo ceteros respicere dedignatur; sicque usque ad ejus similitudinem ducitur, de quo scriptum est: *Omne sublime videt, & ipse est Rex super universos filios superbiæ*. Qui singulare culmen appetens, & socialem Angelorum vitam despiciens, ait: *Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis Altissimo*. Miro ergo judicio intus foveam dejectionis invenit, dum foris se in culmine potestatis extollit. Apostatæ quippe Angelo similis efficitur, dum homo hominibus esse similis dedignatur. Sic Saul post humilitatis meritum, in tumorem superbiæ culmine potestatis excrevit. Per humilitatem quippe prælatus est, & per superbiam reprobatus, Domino attestante, qui ait: *Nonne cum esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel?* Parvulum se prius in suis oculis viderat, sed fultus temporali potentia jam se parvulum non videbat. Ceterorum namque comparationi se præferens, quia plus cunctis poterat, magnum se præ omnibus æstimabat. Miro autem modo, cum apud se parvulus, apud Deum magnus: cum vero apud se magnus apparuit, apud Deum parvulus fuit. Plerumque ergo dum ex subjectorum affluentia animus inflatur, in luxum superbiæ ipso potentiæ fastigio lenocinante corrumpitur. Quam videlicet potentiam bene regit, qui & tenere illam noverit, & impugnare. Bene hanc regit, qui scit per illam super culpas erigi, scit & cum illa ceteris æqualitate componi. Humana etenim mens plerumque extollitur, etiam cum nulla potestate fulcitur: quanto magis in altum se erigit, cum se etiam potestas ei adjungit? Quam tamen potestatem recte dispensat, qui sollicite noverit & assumere ex illa quod adjuvat, & expugnare quod tentat: & æqualem se cum illa ceteris cernere, & tamen se peccantibus zelo ultionis anteferre. Sed hanc discretionem plenius agnoscimus, si Pastoris primi exempla cernamus. Petrus namque, auctore Deo, sanctæ Dei Ecclesiæ principatum tenens, a bene agente Cornelio, & sese ei humiliter prosternente immoderatius venerari recusavit, seque illi similem recognovit, dicens: *Surge, ne feceris: & ego ipse homo sum*. Sed cum Ananiæ, & Sapphiræ culpam reperit, mox quanta potentia super ceteros excrevisset, ostendit. Verbo namque eorum vitam pertulit, quam spiritu perscrutante deprehendit: & summum se intra Ecclesiam contra peccata recoluit, quod, honore sibi vehementer impenso, coram bene agentibus fratribus non agnovit. Illic quippe communionem æqualitatis meruit sanctitas actionis: hic zelus ultionis jus operuit potestatis. Et paulo post: Sed cum delinquentes subditos Præpositi corrigunt, restat, necesse est, ut sollicite attendant, quatenus per disciplinæ debitum culpas quidem jure potestatis feriant, sed per humilitatis custodiam æquales se ipsis fratribus, qui corriguntur, agnoscant: quamvis plerumque etiam dignum est ut eosdem, quos corrigimus, tacita nobis cogitatione præferamus. Illorum namque per nos vitia disciplinæ vigore feriuntur: in his vero, quæ ipsi committimus, ne verbi quidem ab aliquo invectione laceramur. Tanto ergo apud Deum obligatiores sumus, quanto apud homines inculte peccamus. *Et reliqua*.

Job. 41. 25.
Isai. 14. 13.
1 Reg. 15. 17.
Act. 10. 26.
Act. 5.

XXX. Cunctis Episcopis propria jura conservans, executores dari, & judices eligi ab accusatis voluit.
Regist. lib. 11. ep. 37.

„ Hac Gregorius æqualitate servata, Romano defensori Siciliæ scribit, dicens: Pervenit ad nos, quod si quis contra quoslibet Clericos causam habeat, despectis eorum Episcopis, eosdem Clericos in tuo facias judicio exhiberi. Quod si ita est, quia valde constat esse incongruum, hac tibi auctoritate præcipimus ut hoc denuo facere non præsumas: sed si quis contra quemlibet Clericum causam habuerit, Episcopum ipsius adeat, ut aut ipse cognoscat, aut certe ab ipso Judices deputentur. Aut si ob hoc fortasse ad arbitros eundum est, partes ad eligendum Judicem ab ipso executio deputata compellat. Si quis vero, vel Clericus, vel laicus contra Episcopum causam habuerit, tunc te interponere debes: ut inter eos aut ipse cognoscas, aut certe, te admonente, sibi Judices eligant. Nam si sua unicuique Episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi, ut per quos ecclesiasticus custodiri ordo debuerat, confundatur?

XXXI. Falsarios delatores talione multavit.
Regist. lib. 11. ep. 71.

Sicut convictum de crimine sine vindicta canonica Gregorius neminem relinquebat; sic nimirum falsarium delatorem regulari tramite puniebat. Unde Anthemio Subdiacono scribens, ait: „ Cum fortius punienda sint crimina quæ insontibus, & maxime sacris ordinibus ingeruntur, quam sitis culpabiles omnes, qui in causa Johannis Diaconi resedistis, attendite, ut Hilarium criminatorem ejus nulla ex definitione vestra pœna veniens castigaret. Nec illud ad excusationem vestram esse credatis idoneum, quod vobis quasi judicare volentibus, solus frater & coepiscopus noster Paschasius dicitur distulisse. Nam si zelus in vobis rectitudinis viguisset, facilius uni a multis rationabiliter suaderi, quam multi ab uno poterant sine causa differri. Quia ergo tantæ nequitiæ malum sine digna non debet ultione transire: suprascriptum fratrem nostrum Paschasium volumus admoneri, ut eumdem Hilarium prius Subdiaconii, quo indignus fungitur, privet officio, atque verberibus publice castigatum faciat in exilium deportari: ut unius pœna multorum possit esse correctio. Cujus si forte lenitatem Diaconi sui adhuc opinio lacerata non commovet, & in hoc, quod non credimus, torpens extiterit; experientia tua hæc quæ diximus faciat, & de illius nobis neglectu renuntiet.

Idcirco Gregorius non probantem quod objecerat, Subdiaconum officio jubet privari: quia juxta canonicas Patrum sententias, qui calumniam illatam non probat, pœnam debet incurrere, quam si probasset, reus utique sustineret. Ac per hoc, quia Subdiaconus crimen Diacono probare non potuit, quoniam impositionem manus, qua carere potuisset, non habuit: non sacerdotio, sed officio caruit: & tamquam revera infamis meruit verberibus castigari. Nam cui cum tribus testibus veluti laico crimen quodlibet approbatur, non est mirum quod objecit dum probare non sufficit, si corporali infamiæ, quemadmodum laicus, ex juris similitudine subjugatur. Quod enim esset Diacono gradum amittere, hoc fuit Subdiacono famæ plenitudine caruisse.

XXXII. Semel ingesta crimina indiscussa præterire non passus est, & qua-

Crimina semel audita Gregorius indiscussa nullo modo præteribat, etiamsi accusatus, cum accusatore suo redisset in gratiam. Quapropter universis Episcopis Corinthi scribens, ait: „ Desiderii nostri est ad concordiam redigere discordes, &

„ unitos

libus pœnis peccatorum accusatores multaverit. *Regist. lib. III. ep. 39.*

unitos esse in gratia eos, quos divisos ab alteru-A tra dilectione voluntatis facit esse diversitas. Scripta igitur Fraternitatis vestræ relegentes, agnovimus quod ii, qui contra Hadrianum fratrem & coepiscopum nostrum aliqua dixerant, modocum eodem Episcopo in amicitiam convenissent: & magna nobis ad præsens facta est de eorum unitate lætitia. Sed quoniam ea quæ dicta sunt, indiscussa remanere non patimur, Sedis nostræ Diaconum ad ea investiganda dirigimus; quia nuntiati nos facinoris qualitas vehementer impellit, ut ea quæ audivimus, dissimulare nullatenus debeamus, præsertim cum accusatores, & accusatum inter se fecisse gratiam indicastis. Hoc nobis necesse est subtilius perscrutari, ne fortasse eorum sit comparata concordia: quæ si, quod absit, non ex caritate, sed ex præmio facta constiterit, majori hoc emendatione plectendum est. Nam nos qui canonice, revelante Deo, mala, si quidem vera sunt, resecare præcedentia festinamus, commissam postmodum culpam sine vindicta nulla ratione dimittimus.

Regist. lib. V. Ep. 52.

Item Johanni, Episcopo Corinthiorum post aliqua: Paulum, inquit, Diaconum, latorem præsentium, quamvis culpa sua vehementer confundat atque redarguat, quod deceptus promissione, ab accusatione nuper depositi quondam Episcopi sui destiterit, & cupiditatis studio silere contra animam suam potius, quam prodere vera consensit: tamen, quia plus nos esse convenit pios, quam districtos, hanc ei culpam ignoscimus, atque eum in ordine locoque suo recipiendum censemus. Nam ei a tempore prolatæ sententiæ afflictionem, quam pertulit, credimus ad vindictam hujus culpæ posse sufficere. Euphemium vero atque Thomam, qui pro deferenda accusatione sacros ordines acceperunt, eisdem ordinibus privatos esse, atque ita sicuti sunt depositi, volumus permanere: nec umquam eos sub qualibet excusationis specie in sacros ordines revocari decernimus. Nam nimis indignum, & contra ecclesiasticæ regulam disciplinæ est, ut honore, quem non ex meritis, sed pro sceleris præmio percepere, fungantur. Quia tamen plus misericordiæ, quam districte nos convenit operam dare justitiæ, eosdem Euphemium atque Thomam, in ordinem locumque tantummodo, unde ad sacros ordines promoti fuerant, volumus revocari, & cunctis diebus vitæ suæ eorumdem locorum continentiam sicut consueverant ante, percipiant. Clematium vero Lectorem similiter benignitatis intuitu in ordinem locumque suum revocandum esse constituo. Quibus etiam omnibus, id est Paulo Diacono, Euphemio, Thomæ, atque Clematio commoda sua secundum locum & ordinem, in quo quisque eorum est, sicut solitus erat accipere, a præsenti Indictione Fraternitas vestra sine aliqua studeat imminutione præbere.

XXXIII. Consueta stipendia etiam infirmis Clericis jussit ministrari. *Regist. lib. II. ep. 8.*

Consueta Clericorum stipendia nullis quarumlibet ægritudinum occasionibus misericordissimus Pater Gregorius retrahebat. Unde Candido, Episcopo Urbis veteris, scribens, ait: „Cum percussio corporalis, utrum pro purgatione, an pro vindicta contingat, Dei in hoc judicium ignoratur, non debet a nobis addi flagellatis afflictio, ne nos culpæ, quod absit, offensa respiciat. Et quia præsentium lator Calumniosus, pro hac percussione quam sustinet, consueta sibi commoda ab Ecclesia vestra asserit denegari; idcirco Fraternitatem tuam præsentibus hortamur epistolis, quatenus nihil eum ad percipienda, quæ consueta sunt, hæc ægritudo debeat impedire: quia diversis in Ecclesia militantibus, varia, sicut nosti, sæpe contingit infirmitas. Et si hoc fuerint exemplo deterriti, nullus de cetero, qui Ecclesiæ militet, poterit inveniri: sed secundum loci ejus ordinem, quæque ei, si sanus esset, poterant ministrari, de ipsa exiguitate, quæ Ecclesiæ potest accidere, Fraternitas tua divini contemplatione judicii ægrotanti præbere non desinat.

XXXIV. Cautiones Episcoporum suis Clericis factas firmavit, eisque quartas pleniter dari jussit: *Regist. lib. XIII. ep. 44.*

Episcoporum venerabilium factas propriis Cle-B ricis sponsiones Gregorius apostolicæ Sedis auctoritatibus roborat. Unde Johanni, Panormitano Episcopo, scribit, dicens: „Implenda semper sunt postulantium desideria, quoties illa poscuntur quæ a ratione non deviant. Et ideo, quia quædam capitula, quæ servaturum te Clericis tuis petentibus promisisti, nostra ab eis postulatur auctoritate firmari, Fraternitatem tuam his hortamur affatibus, ut ea quæ præsentia scripta continent, sine aliqua debeat refragatione servare. Primum, ut de reditibus Ecclesiæ quartam in integro portionem Ecclesiæ tuæ Clericis, secun-C dum meritum vel officium sive laborem suum, ut ipse unicuique dare prospexeris, sine aliqua debeas præbere tarditate. De hoc vero quod ex fidelium oblatione accesserit, id est quartam partem in solidis vel cellario, eis juxta pristinam consuetudinem dare non differas. Reliqua autem omnia mobilia in tua retineas potestate: immobilia cuncta ecclesiasticis reditibus aggregentur, ut multiplicata quantitate, Clericorum tuorum usibus, Deo largiente, proficiant. Tabularium autem una cum consensu seniorum & cleri, memineris ordinandum, qui annis singulis ad amputandam fraudis suspicionem solem-D niter suas debeat rationes exponere. Vindemiarum vero tempore idem clerus emendi vinum de possessionibus Ecclesiæ tuæ ad justa pretia, in quantum vendendum est, remedium consequatur. Nam satis contra rationem est, ut, quod potest extraneis venumdari, Clericis, dato pretio, denegetur. Possessiones igitur, vel si qua sunt alia ecclesiastico juri competentia, & ab extraneis indebite detinentur, cum omni studio servata civilitate, in jus Ecclesiæ tuæ reparare festina, ut negligens in aliquo videri non valeas. Si quid vero de quocumque Clerico ad aures tuas pervenerit, quod te juste possit offendere, E facile non credas; nec ad vindictam te res accendat: sed præsentibus Ecclesiæ tuæ senioribus diligenter est veritas perscrutanda; & tunc si qualitas rei poposcerit, canonica districtio culpas feriat delinquentis. Hæc itaque omnia sic sollicite ac mansuete studii tui sit custodire, quatenus nec tu promissionis tuæ videaris immemor extitisse, nec illi justam contra te occasionem invenire valeant murmurandi.

Lib. III. ep. 11.

Item Maximiano, Syracusano Episcopo, post pauca: „Cognovimus de reditibus Ecclesiæ noviter acquisitis canonicam dispositionem quartarum minime provenire: sed Episcopos locorum tan-F tummodo distribuere quartam antiquorum redituum, nunc vero quæsita suis usibus retinere. Quamobrem pravam subintroductam consuetudinem Fraternitas tua vivaciter emendare festinet: ut sive de preteritis reditibus, sive de his quę noviter obvenere, vel obvenientibus, quarta secundum distributionem canonicam dispensetur.

setur. Incongruum namque est unam eamdemque Ecclesiæ substantiam in duplici quodam modo jure censeri, id est usurpationis, & canonum.

XXXV. Ab aliis communione privatos absolvit. *Regist. lib. III. ep. 26.*

Ab aliis Episcopis communione privatos Gregorius communioni pristinæ reformabat. Quapropter Magno, Presbytero Mediolanensis Ecclesiæ, scribens, ait: Sicut, exigente culpa, digne quis a sacramento communionis abigitur, ita insontibus nullo modo talis irrogari debet vindicta. Comperimus siquidem, quod Laurentius quondam frater & coepiscopus noster nullis te culpis extantibus communione privaverit: ideoque hujus præcepti nostri auctoritate munitus, officium tuum securus perage, & communionem sine aliqua sume formidine.

XXXVI. Ab hæresi se purgantes recepit. *Regist. lib. VI. Ep. 15.*

Purgantes se a crimine cujuslibet hæresis Gregorius non solum recipiebat, immo etiam catholicos declarabat. Unde Johanni Constantinopolitano Episcopo scribit, dicens: Sicut hæreticorum pravitas zelo rectæ fidei comprimenda, ita veræ confessionis est integritas complectenda. Nam si credi fideliter confitenti despicitur, cunctorum in dubium fides adducitur, atque errores ex incauta districtione mortiferi generantur: & hinc non solum errantes oves ad caulas minime Dominicas revocantur, sed etiam intus positæ ferinis dentibus laniandæ crudeliter exponuntur. Hoc ergo subtiliter, Frater carissime, perpendamus, & sub prætextu hæresis affligi quempiam veraciter profitentem fidem catholicam non sinamus; ne, quod absit, hæresim fieri sub emendationis magis specie permittamus. Valde autem irati sumus, cur ii qui in causa fidei Judices contra Johannem, Chalcedonensis Ecclesiæ Presbyterum, a vobis fuerant deputati, negligentes veritatem, opinioni crediderunt, & credere districte profitenti noluerunt; maxime cum accusatores [a] Marcionistarum, quam memorabant, hæresim, unde eum reum moliebantur efficere, interrogati, quæ esset, nescire se manifesta professione responderint. Ex qua re evidenter agnoscitur, quia personam ipsius sine Dei respectu non juste, sed contra animas suas sola gravare voluntate tantummodo voluerunt. Nos itaque, facto concilio, sicut gestorum apud nos habitorum tenor ostendit, cuncta quæ erant necessaria, subtiliter perscrutantes, ac tractantes, quoniam in nullo antedictum Presbyterum reum invenire potuimus, præcipue, quia libellus, quem delegatis a vobis Judicibus obtulit, rectæ fidei per omnia sinceritati concordat: ea propter eorumdem Judicum reprobantes sententiam, nostra eum definitione catholicum, & ab omni hæretico crimine liberum esse, Christi Dei Redemtoris nostri misericordia, & gratia revelante, denuntiavimus.

Regist. lib. VI. Ep. 16.

Item Mauricio Imperatori post pauca: Relectis in concilio, quæ contra Johannem Ecclesiæ Chalcedonensis Presbyterum acta sunt, simul & serie judicatis, majorem illum injustitiam sustinuisse cognovimus, quippe quem clamantem se atque monastrantem esse Catholicum, non reatus culpa, sed diu accusatio incerta contrivit, in tantum, quia accusatores ipsius, Marcionistarum, quam memorabant, hæresim nescire se aperta responsione professi sunt: & qui illico in judicii fuerant limine repellendi, in accusatione ejus incerti permanere permissi sunt. Sed, ne dicta eum saltem lacerare potuisset opinio, libellum fidei obtulit, in quo se patenter ostendere fidei rectæ professorem studuit & sequacem. Sed hunc a sanctissimo Johanne fratre & coepiscopo nostro Judices deputati, injuste, ac irrationabiliter negligentes, dum in ejus se nisi sunt occupare gravamine, se potius reprehensibiles ostenderunt. Nam nullus ambigit infidelitatem esse, fidem fidelibus non habere.

Lib. Ep. 14.

Item Narsi Comiti de eodem post alia: De Johanne vero Presbytero cognoscite, quia illius causa per Synodum decisa est: in qua aperte cognovi, quia ejus adversarii eum facere hæreticum voluerunt, & diu conati sunt, sed minime potuerunt.

Ibid. Ep. 66.

Item Athanasio, Presbytero de Isauria: Sicut de eis quos ab unitate Ecclesiæ hereticę pravitatis error abscidit, affligimur & dolemus, ita his, quos intra sinum suum catholicæ fidei professio continet, congaudemus: & ut pastorali sollicitudine illorum nos oportet impietatibus obviare, sic piis eorum professionibus congruit favorem impendere, & sincera esse, quæ sapiunt, declarare. Atque ideo dum tibi Athanasio Presbytero Monasterii sancti Milę cui est vocabulum Tannaco, quod in Lycaonia est provincia constitutum, contraria integrę fidei orta suspicio est; ut professionis tuę potuisset integritas apparere, ad apostolicam Sedem, cui præsidemus, elegisti recurrere, asserens etiam te corporaliter verberatum aliqua injuste ac violenter fecisse. Et quamquam ea quę vi impulsionis fiunt, canonum minime censura recipiat, & jure habeantur infirma, quia ipse ea dissolvit, qui injustum fateri compellit: sed magis illa est suscipienda & amplectenda confessio, quę ex spontanea monstratur voluntate procedere, sicut apud nos fecisse dignosceris. Ne quid tamen nobis ambiguum potuisset existere, sanctissimo Johanni, quondam fratri nostro Constantinopolitanę civitatis Antistiti, de te prævidimus scribendum, ut suis nos, quid actum esset, epistolis informaret. Qui sępe a nobis admonitus rescribens innotuit, quemdam codicem apud te fuisse inventum, quo plura continebantur heretica: & ob hoc adversus Dilectionem tuam fuisse commotum. Quem quia ad nos studuit pro satisfactione transmittere, priores ejus partes sollicita lectione percurrimus: & quoniam manifesta in eo hereticę pravitatis venena reperimus, ne denuo debuisset legi, vetuimus. Sed quia hunc te simpliciter legisse testatus es, ad amputandam ambiguę suspicionis materiam, libellum nobis manu tua porrexisti perscriptum, in quo fidem tuam exponens, omnes generaliter hęreses, vel quidquid adversus catholicę professionis integritatem est, apertissime condemnasti: & cuncta, quę sanctę quatuor universales Synodi recipiunt, te semper recepisse, ac recipere, & quę condemnaverunt, condemnasse condemnareque professus es. Eam quoque Synodum, quę Imperatoris Iustiniani temporibus de tribus capitulis facta est, te & suscipere & custodire promisisti: & prohibitus a nobis codicem ipsum legere, in quo pestiferę virus fraudis innexum est, libentissime consensisti: reprobans etiam atque condemnans omnia, quę contra catholicę fidei integritatem in eo dicta, vel latenter inserta sunt, nec eum te legere denuo promisisti. Hac ratione permoti; postquam [b] etiam ex exprobati a te libelli pa-

[a] In cod. epistolarum legitur, *Marcianistarum*. Verum optima est lectio *Marcionistarum*, ut etiam innuimus in notis ad hanc epist.

[b] Excusi & tribus Paris. mss. *etiam expiscurata est a te libelli pagina & fiant*.

pagina, fides tua nobis catholica, Deo custodiente, perclaruit, ab omni te hæreticæ perversitatis macula juxta professionem tuam liberum esse decernimus; & catholicum, atque sinceræ in omnibus fidei professorem, ac sequacem Jesu Christi Salvatoris gratia claruisse pronuntiamus: liberam quoque tribuendo licentiam ad tuum monasterium in tuo te loco, vel ordine nihilominus remeare.

XXXVII. Schismaticos ad suscipiendam satisfactionem Romam invitare curavit. *Regist. lib. v. Ep. 51.*

Schismaticos ad recipiendam satisfactionem venire Gregorius invitabat: quibus etiam, si nusquam ad unitatem Ecclesiæ redire voluissent, nullam se facturum violentiam promittebat. Unde Petro & Providentio, Episcopis de Istria, scribens, ait: Deus qui lætatur in unitate fidelium & revelat quærentibus veritatem, cordi vestro, dilectissimi Fratres, aperiat quanto vos desiderio in gremio cupiam sanctæ universalis Ecclesiæ contineri, & in ejus manere unitate concordes. Quod fore non dubito si, abjecto contentionis stimulo, satisfieri vobis veraciter de his de quibus est dubietas, intendatis. Remeantis autem Castorii notarii mei edoctus relatione sum, Fraternitatem vestram ad me habere desiderium veniendi, si promissum fuerit quia nullam molestiam sustinebit. Hoc ego cognoscens, & opto, & succensus ardore caritatis, invito ut ad me veniendi debeatis laborem assumere: quatenus pariter conferentes, quæ vera & Redemtori nostro sunt placita, & communiter loquamur, & modis omnibus teneamus. Ego vero, divinæ protectionis gratia suffragante, satisfacere vobis de quibus dubitatis paratus sum, & confido de omnipotentis Dei nostri clementia, quia ita vobis satisfactio mea interius inhærebit, ut nihil Caritati vestræ de cetero possit ambiguum remanere. Nam illa, quæ sanctissimæ quatuor Synodi sapuerunt, atque definierunt, sicuti prædecessor noster Leo sanctissimus Papa, ita ea & nos sapimus, sequimur, ac tenemus: nec ab earum fide aliquo modo dissentimus. Sed quia plus persona præsens, quam epistola, satisfacit, hortor, dilectissimi Fratres, ut ad me venire, sicut præfatus sum, debeatis, dummodo ratione percepta, a concordia sanctæ universalis Ecclesiæ dissensio vos nulla dissociet. Hoc tamen certa sit vestra Caritas, quia vos & cum affectu, quo decet, suscipiam & cum gratia relaxabo: nec aliquam vos vel quoscumque alios, qui pro hac ad me causa venire voluerint, afflictionem, vel molestiam sustinere permitto; sed seu ad consentiendum mihi cor vestrum misericordia divina compunxerit; sive, quod absit, in ea vos durare dissensione contigerit, ad propria vos remeare, quando volueritis, juxta promissionem meam, sine læsione vel molestia relaxare curabimus.

XXXVIII. Severum Aquileiensem Episcopum, Ravennam venire coegit: qui postquam ad unitatem rediit, denuo ad suum schisma recurrens, Catholicosque Sacerdotes affligens, causa perpetuæ divisionis suæ diœcesis effectus est. *Lib. 1. Ep. 16.*

Severum, Aquileiensem Episcopum, caput totius schismatis existentem, Romam venire compellit, dicens: Sicut gradientem per devia, carpentem denuo rectum tramitem, tota Dominus aviditate complectitur: ita demum de deserente cognitam veritatis viam, majori mærore, quam gaudio, quo de convertente lætatus fuerat, contristatur: quia minoris excessus est veritatem non cognoscere, quam in eadem agnita non manere: aliudque est quod ab errante committitur, aliud quod per scientiam perpetratur. Et nos siquidem, quantum incorporatum te jam pridem fuisse in unitate Ecclesiæ, gavisi fueramus, abundantius nunc dissociatum a Catholica societate confundimur. Pro qua re imminente latore præsentium, juxta christianissimi & serenissimi rerum Domini jussionem, ad beati Petri Apostoli limina cum tuis sequacibus venire te volumus: ut auctore Deo, aggregata Synodo, de ea, quæ inter vos vertitur, dubietate, quod justum fuerit, judicetur. At Severus, apostolica simul Imperialique jussione coactus, imminente Smaragdo Exarcho, simulque Antonino Ecclesiæ Romanæ defensore Ravennam perducitur. Ubi veritus cum Gregorio synodalem subire conflictum, ad unitatem sanctæ uuiversalis Ecclesiæ, mediante Johanne Ravennati Pontifice, remeavit. Sed cum post anni spatium ad propria rediisset, ab aliis schismaticis persuasus, non solum ad pristinum vomitum rediit, verum etiam Mauricii Deo semper adversi jussione surrepta, qua jubebatur ut schismatici redire ad unitatem Ecclesiæ minime cogerentur, reliquis Episcopis Ecclesiæ se jungentibus, maximas seditiones conflabat. Quapropter Gregorius neminem jam revertentium sine cautione juratoria penitus suscipere satagebat. Qua præstita hujusmodi litteris eidem Patricio Exarcho commendabat: Firminus, frater & coepiscopus noster, Trigestinæ Antistes Ecclesiæ, ante adventum vestræ Excellentiæ salubri consilio ab schismate, cui inhæserat, resipiscens, atque ad unitatem matris Ecclesiæ rediens, nostris est epistolis confirmatus, quatenus in veræ, quam agnoverat, sinu matris Ecclesiæ, fortitudine animi fixus ac stabilis permaneret. Quo audito Severus, Gradensis Episcopus, ejusdem caput schismatis, eum diversis primum cepit, si posset, suasionibus a bono revocare proposito. Quod dum perficere, auctore Deo, minime valuisset, seditionem illi suorum civium excitare non timuit. Quanta vero prædictus frater & coepiscopus noster Firminus ex eadem immissione pertulerit, plenius illic ac verius e vicino poteritis agnoscere. Directis itaque Excellentiæ vestræ jussionibus, iis qui in Istriæ partibus locum vestrum agere, Deo auctore, noscuntur, districtius jubetote, quatenus & sæpe dictum fratrem nostrum ab illatis debeant defensare molestiis, & quietem illius multis ad imitandum profuturam, modis omnibus procurare: ut hæc vestra provisio, & conversorum sit optata securitas, & occasio oborta sequentium. *Regist. lib. XIII. Ep. 33.*

Denique Severus, quia ad unitatem sanctæ universalis Ecclesiæ redire non meruit, ad scindendam quoque suæ ipsius diœceseos unitatem, Romanum Pontificem sua vecordia suscitavit: adeo ut ab ipso illius obitus tempore, Aquileiensis diœcesis in duos Metropolitanos, catholicorum videlicet, schismaticorumque divisa sit: neque potuit postmodum, [a] licet omnes generaliter ad unitatem de schismate repedaverint, ad pristinæ conjunctionis unionem usque hactenus reformari.

XXXIX. Per ægritudinem corporis successorem dedit, & quod renuntiantibus suis successores non

Sicut nulli Clericorum pro infirmitate corporis quartarum subsidia Gregorius minuebat: ita nulli Pontificum pro ægritudine qualibet succedendum fore docebat. Unde Anatolio, Constantinopolitano Subdiacono, rescribens ait: Scripsit mihi Dilectio tua, piissimum Dominum nostrum reverendissimo fratri meo primæ Justinianæ Episcopo pro ægri-

a Vivente Gregorio schisma illud minime cessavit, ut in S. Doctoris vita infra probabimus.

denegavit, eisque de sumtibus ejusdem communis administrari præcepit. Regist. lib. xi Ep. 47.

» ægritudine capitis, quam patitur, præcipere succedi; ne forte dum Episcopi jura eadem civitas non habet[a], quod absit, ab hostibus pereat. Et hæc quidem nusquam canones præcipiunt, ut pro ægritudine Episcopo succedatur; & omnino injustum est ut si molestia corporis irruit, honore suo privetur ægrotus. Atque ideo hoc per nos fieri nullatenus potest, ne peccatum in mea anima ex ejus depositione veniat. Sed suggerendum est ut si is qui est in regimine ægrotat, dispensator illi talis requiratur, qui possit ejus curam omnem agere, & locum illius in regimine Ecclesiæ, ipso non deposito, ac in custodia civitatis implere; ut neque Deus omnipotens offendatur, neque civitas inveniatur esse neglecta. Si vero idem reverendissimus Johannes fortasse pro molestia sua petierit ut ab episcopatus honore debeat vacare, eo petitionem dante scripto, concedendum est. Aliter autem nos id facere pro omnipotentis Dei timore omni modo non valemus. Quod si hoc petere ille noluerit, quod pissimo Imperatori complacet, quidquid jubet facere, in ejus est potestate: sicut novit, ipse provideat: nos tantummodo in depositionem insontis non faciat permisceri. Quod vero ipse fecerit, si canonicum est, sequimur: si vero canonicum non est, in quantum sine peccato nostro valemus, portamus.

Regist. lib. vii. Ep. 19.

Pontificibus voluntarie suis renuntiantibus Sedibus successores Gregorius nullo modo denegabat: eosque postmodum de redditibus relictæ Ecclesiæ sufficienter nutriendos esse censebat. Unde Mariniano, Ravennati Episcopo, significans, ait: Qualiter ordinati a nobis Sacerdotis, corporis, qua notum est, impediente molestia, Ariminensis Ecclesia pastorali hactenus sit regimine destituta, dudum Fraternitas vestra cognovit. Quem dum habitatorum loci illius precibus permoti, sæpius hortaremur ut si de eadem capitis, qua detinebatur molestia, melioratum se esse sentiret, ad suam, auxiliante Domino, reverteretur Ecclesiam: datis induciis, in hoc quadriennio expectatus est. Quem dum nos Clericorum, vel civium illinc venientium, [a] nosque precibus urgentium instantius hortaremur ut si valeret, auxiliante Domino, cum eis remearet: data scriptis supplicatione, nos petiit, ut quia ad ejusdem Ecclesiæ regimen, vel susceptum officium pro eadem, qua detinebatur, molestia assurgere nullatenus posset, Ecclesiæ ipsi ordinare Episcopum deberemus. Unde quia cunctarum Ecclesiarum injuncta nos sollicitudinis cura constringit, ne diutius gregi fidelium desit custodia pastoralis, illorum precibus, hujusque ex sui impossibilitate renuntiatione compulsi, visum nobis est eidem Ariminensi Ecclesiæ debere Episcopum ordinari: & datis ex more præceptis, clerum plebemque ejusdem Ecclesiæ non destitimus admonere, quatenus ad eligendum sibi Antistitem concordi provisione concurrant.

Regist. lib. xiii. Ep. 5.

Item Etherio Episcopo: Quamvis triste nobis sit valde quod loquimur, atque fraterna nos potius compassione urgeat, quam aliquid de auditis definire permittat: suscepti tamen sollicitudo regiminis cor nostrum instanti pulsat aculeo, magna nos Ecclesiis cura prospicere, & antequam harum possit utilitas deperire, quid fieri debeat, Deo auctore, disponere. Pervenit igitur ad nos, quemdam Episcopum ita passionem capitis incurrisse, ut quid mente alienata agere soleat, gemitus & fletus audire sit. Ne ergo languente Pastore, grex, quod absit, insidiatoris dentibus laniandus exponatur, vel Ecclesiæ ipsius utilitates depereant: cauta nos necesse est provisione tractare. Et ideo quia vivente Episcopo, quem ab officio suo necessitas infirmitatis, non crimen abducit, alium loco ejus recusante eo nulla sinit ratio ordinari: si intervalla ægritudinis habere est solitus, ipse, data petitione, nec se ulterius ad hoc ministerium intellectualia scilicet officia, subvertente infirmitate, non posse fateatur assurgere, & alium loco suo expetat ordinandum. Quo facto, omnium electione solemni, alter qui dignus fuerit Episcopus consecretur; sic tamen, ut quousque eumdem Episcopum in hoc seculo vita tenuerit, sumtus ei debiti de eadem Ecclesia ministrentur. Enimvero, si nullo tempore ad sanæ mentis redit officium, persona est fidelis, ac vitæ probabilis eligenda, quæ ad regimen Ecclesiæ idonea possit existere, atque de animarum utilitate cogitare, inquietos sub disciplinæ vindicta restringere, ecclesiasticarum rerum curam gerere, & maturum atque efficacem se in omnibus exhibere: qui etiam, si Episcopo, qui nunc ægrotat, superstes extiterit, loco ejus debeat consecrari.

XL. Stupratam in uxorem stupratore sumi jussit. Regist. lib. iii. Ep. 41.

Virginem stupratam Gregorius jubebat uxorem percipere, aut stupratorem ejus castigatum verberibus in monasterio deputare. Unde Felici, Sipontino Episcopo, scribit, dicens: Expectabamus Fraternitatem tuam sua aliquos ad Deum prædicatione convertere, & male agentes ad rectitudinem revocare. Qua de re nimis contristamur, quia e diverso in nepotis tui Felicis pravitate tua evidenter, qui talem nutristi, culpa monstrata est. Pervenit itaque ad nos quod suprascriptus Felix Evangeli, Diaconi tui filiam stupro deceperit. Quod si verum est, quamvis gravi esset de lege pœna plectendus, nos tamen aliquatenus legis duritiam mollientes, hujuscemodi disponendo, præcipimus ut aut quam stupravit, uxorem habeat: aut certe si renuendum putaverit, districtus ac corporaliter castigatus, excommunicatusque, in monasterium in quo pœnitentiam peragat, retradatur: de quo ei nulla sit egrediendi, sine nostra præceptione, licentia.

XLI. Virum jam tonsuratum conjugi reddi mandavit. Regist. lib. xi. Ep. 50.

Virum sine uxoris propriæ voluntate conversum, etiamsi fuisset jam tonsuratus, Gregorius uxori reddi jubebat. Quapropter Hadriano, Panormitano notario scribens, ait: Agathosa, latrix præsentium, questa est maritum suum contra voluntatem suam in monasterio Urbici Abbatis esse conversum. Quod quia ad ejusdem Abbatis culpam & invidiam non est dubium pertinere, Experientiæ tuæ præcipimus, ut diligenti inquisitione discutiat, ne forte cum ejus voluntate conversus sit, vel ipsa se mutare promiserit: & si hoc repererit, & illum in monasterio permanere provideat, & hanc, sicut promisit, mutare compellat. Si vero nihil horum est, nec quondam fornicationis crimen, propter quod viro licet uxorem relinquere, prædictam mulierem commisisse cognoveris, ne illius conversio uxori relictæ in seculo fieri possit perditionis occasio, volumus ut maritum suum illi, etiamsi jam tonsuratus est, reddere debeas, omni excusatione cessante: quia etsi mun-

[a] In tribus mss. Paris. & in excusis, nosque precibus argentium.

„ mundana lex præcipit, conversionis gratia,
„ utrolibet invito, solvi posse conjugium, divi-
„ na lex fieri non permittit. Nam, excepta for-
„ nicationis causa, virum uxorem relinquere nul-
„ la ratione concedit: quia postquam copulatione
„ conjugii viri atque mulieris unum corpus effici
„ tur, non potest ex parte converti, & ex parte
„ in seculo remanere.

XLII. Vim nullam Judæis inferendam statuit. Regist. lib. I. Ep. 45.

Judæorum perfidiam rationibus magis quam violentiis excutere Gregorius decertabat. Quapropter Virgilio & Theodoro, Episcopis Galliarum, post aliqua scribens, ait: „ Plurimi Judaicæ re-
„ ligionis viri in hac provincia commanentes, ac
„ subinde in Massiliæ partibus pro diversis negotiis
„ ambulantes, ad nostram perduxere notitiam,
„ multos consistentium in illis partibus Judæo-
„ rum, vi magis ad fontem baptismatis, quam
„ prædicatione perductos. Nam intentum quidem
„ hujuscemodi, & laude dignum censeo, & de
„ Domini nostri descendere dilectione profiteor:
„ sed hanc eamdem intentionem, nisi competens
„ Scripturæ sacræ comitetur effectus, timeo ne
„ aut mercedis opus exinde non proveniat, aut
„ juxta aliquid animarum, quas eripi volumus,
„ quod absit, dispendia subsequantur. Dum enim
„ quispiam ad baptismatis fontem non prædicatio-
„ nis suavitate, sed necessitate pervenerit, ad pri-
„ stinam superstitionem remeans, inde deterius
„ moritur, unde renatus esse videbatur. Frater-
„ nitas ergo vestra hujusmodi homines frequenti
„ prædicatione provocet, quatenus mutare vete-
„ rem magis vitam de doctoris suavitate desiderent.
„ Sic enim & intentio vestra recte perficitur, &
„ conversi animus ad priorem denuo vomitum
„ non mutatur. Adhibendus ergo illis est sermo,
„ qui & errorum in ipsis spinas urere debeat, &
„ prædicando quod in his tenebrescit, illuminet:
„ ut pro his admonitione frequenti mercedem Fra-
„ ternitas vestra capiat, & eorum quantos Deus
„ donaverit, ad regenerationem novæ vitæ per-
„ ducat.

Lib. VIII. Ep. 25.

„ Item Victori Episcopo Panormitano: Sicut
„ Judæis non debet esse licentia quidquam in Syna-
„ gogis suis ultra, quam permissum est lege, præ-
„ sumere, ita in his quæ eis concessa sunt, nul-
„ lum debent præjudicium sustinere.

XLIII. Christianos eis subjici nulla occasione debere censuit. Lib. III. Ep. 38.

Quemadmodum Judæos violenter baptizari Gregorius denegabat, ita Christianos eis quoquo modo subjici nullatenus permittebat. Unde Libertino, Prætori Siciliæ, scribens, ait: „ Fertur quod
„ Nasas, quidam sceleratissimus Judæorum sub
„ nomine beati Eliæ altare punienda temeritate
„ construxerit, multosque illic Christianorum
„ ad adorandum sacrilega seductione deceperit:
„ sed & Christiana, ut dicitur, mancipia compa-
„ ravit, & suis ea obsequiis ac utilitatibus deputa-
„ vit. Dum igitur severissime in eum pro tantis
„ facinoribus debuisset ulcisci, gloriosus Justinus
„ medicamento avaritiæ, ut nobis scriptum est,
„ delinitus, Dei distulit injuriam vindicare. Glo-
„ ria autem vestra hæc omnia districta examina-
„ tione perquirat: & si hujuscemodi manifestum
„ esse repererit, ita districtissime, ac corporali-
„ ter in eumdem sceleratum festinet vindicare
„ Judæum: quatenus hac ex causa, & gratiam si-
„ bi Dei nostri conciliet, & his se posteris pro
„ sua mercede imitandum monstret exemplis.
„ Mancipia autem Christiana quæcumque eum
„ comparasse patuerit, ad libertatem juxta le-
„ gum præcepta sine omni ambiguitate perdu-
„ cite: ne, quod absit, Christiana religio Ju-
„ dæis quoquo modo subdita polluatur.

Regist. lib. IV. Ep. 21.

„ Item Venantio, Episcopo Lunensi: Multo-
„ rum ad nos relatione pervenit, a Judæis in civi-
„ tate Lunensi degentibus in servitium Christiana
„ detineri mancipia. Quæ res nobis tanto visa
„ est asperior, quanto a Fraternitate tua patien-
„ tia operosior. Oportebat quippe te, respectu
„ loci tui, atque Christianæ religionis intuitu,
„ nullam relinquere occasionem superstitioni Ju-
„ daicæ, ne simplices animæ non tam suasionibus
„ quam potestatis jure quodam modo deservirent.
„ Quamobrem hortamur Fraternitatem tuam, ut
„ secundum piissimarum legum tramitem nulli
„ Judæo liceat Christianum mancipium in suo re-
„ tinere dominio: sed si qui penes eos inveniun-
„ tur, libertas eis tuitionis auxilio, ex legum
„ sanctione servetur.

XLIV. Christianos eis violenter auferri jubebat, quorum si qui auferri non paterant, redimi sanciebat. Regist. lib. VII. Ep. 24.

Si quos Christianorum pro longitudine itineris per provincias ab Hebræorum servitio per legalem violentiam Gregorius liberare non poterat, suis pretiis redimendos esse censebat. Unde Candido Presbytero per Gallias scribens: „ Domi-
„ nicus, inquit, præsentium portitor lacryma-
„ biliter nobis innotuit, quatuor fratres suos de
„ captivitate a Judæis redemtos esse, atque eos
„ tunc Narbonæ in eorumdem Judæorum servitio
„ detineri. Et quia omnino grave execrandum-
„ que est Christianos in servitio esse Judæorum,
„ Dilectionem tuam scriptis præsentibus adhorta-
„ mur, ut cum omni subtilitate & sollicitudine
„ studeat perscrutari: & si revera ita est, atque
„ manifesta veritate tibi constiterit, quia neque ipsi
„ unde se redimant, neque suprascriptus portitor
„ habet, eos studii tui sit redimere; sciens quia
„ quidquid in eis dederis, tuis sine dubio rationi-
„ bus imputabitur.

XLV. Eorum mancipia confugientia ad Ecclesiam, reddi vetuit. Regist. lib. IV. ep. 9.

Judæorum mancipia semel confugientia ad Ecclesiam, numquam quibuslibet suasionibus reddi jubebat. Unde Januario, Caralitano Episcopo, inter cetera scribens, ait: „ Pervenit ad nos, ser-
„ vos ancillasque Judæorum, fidei causa ad Ec-
„ clesiam confugientes, aut infidelibus dominis
„ restitui, aut eorum, ne restituantur, pretium
„ dari. Hortamur igitur ut nullatenus tam pra-
„ vam consuetudinem manere permittas: sed cum
„ quilibet Judæorum servus ad venerabilia loca fi-
„ dei causa confugerit, nullatenus eum patiamini
„ præjudicium sustinere: sed sive olim Christia-
„ nus, sive nunc fuerit baptizandus, sine ullo
„ pauperum Christianorum damno, religioso ec-
„ clesiasticæ pietatis patrocinio in libertatem mo-
„ dis omnibus defendatur.

XLVI. Pagana eorum mancipia venire ad fidem volentia, non reddenda statuit. Regist. lib. VI. Ep. 32.

Non solum Christiana mancipia Gregorius in libertatem pristinam legaliter revocabat, verum etiam pagana ad fidem venire volentia, vendi nullo modo permittebat. Unde Fortunato, Neapolitano Episcopo, inter cetera scribens, ait: „ Fra-
„ ternitatem vestram oportet esse sollicitam: ut si de
„ Judæorum servitio non solum Judæus, sed etiam
„ quisquam paganorum fieri voluerit Christianus,
„ postquam voluntas ejus fuerit patefacta, ne hunc
„ sub quolibet ingenio vel argumento cuipiam Ju-
„ dæorum venumdandi facultas sit: sed is qui ad fi-
„ dem Christianam converti desiderat, defensione
„ vestra in libertatem modis omnibus vindicetur.
„ Hi vero, quos hujusmodi oportet servos amitte-
„ re, ne forsitan utilitates suas irrationabiliter æsti-
„ ment impediri, sollicita vos hoc convenit consi-
„ deratione servare: ut si paganos, quos mercimonii
„ causa de externis finibus emerint, intra tres men-
„ ses, dum emtor, cui vendi debeant, inveniatur,

 su-

fugere ad Ecclesiam forte contigerit: & velle se fieri dixerint Christianos, vel etiam extra Ecclesiam hanc talem voluntatem prodiderint, pretium eorum a Christiano scilicet emtore percipiant. Si autem post præfinitos tres menses quisquam hujusmodi servorum Judaicorum velle suum edixerit, & fieri voluerit Christianus, nec aliquis eum postmodum emere, nec dominus qualibet occasionis specie audeat venumdare, sed ad libertatis proculdubio præmia perducatur: quia hunc non ad vendendum, sed ad serviendum sibi intelligitur reservasse.

XLVII. Judæorum mancipia suos dominos ad fidem præcedentia in eorum servitium nullatenus redigendos indixit: etiamsi ipsi eos ad baptismatis gratiam sequerentur. Regist. lib. VIII. Ep. 21.

Pagana mancipia Judæos videlicet dominos suos ad fidem præcedentia, in eorum servitium, etiamsi ipsi eos ad Christianitatem subsequebantur, nullo modo revocabat. Unde Johanni, Syracusano Episcopo: „Felix, inquit, præsentium portitor questus nobis est, cum sit de Christianis parentibus natus, a quodam Christiano Samaræo, quod dici scelus est, se esse donatum: & dum hujuscemodi superstitionis homines Christiana quolibet modo mancipia possidere, nec ratio legis, nec reverentia religionis admittat, se tamen per decem & octo annos in ejus asserit servitio permansisse. Sed cognoscente hoc decessore vestro sanctæ memoriæ Maximiano, ab eo se zelo, sicut decuit, sacerdotali commoto, de Samaræi nefario servitio liberavit. Sed quia ejusdem Samaræi filius post quinque annos factus dicitur Christianus, & supradictum Felicem in ejus servitium, quantum ipse dicit, quidam nituntur redigere, Sanctitas vestra hæc quæ edocti sumus, diligenter inquirat: & si ita ei esse constiterit, cum tueri studeat, & a nullo sub qualibet occasione gravari permittat: quia dum superstitiosæ sectæ mancipia dominos suos ad fidem præcedentia, servitio eorum aperte redigi jura prohibeant, quanto magis hic de Christianis parentibus natus, & factus a parvulo Christianus, hanc non debet quæstionem aliquo modo sustinere? Maxime quia nec patris esse servus potuit, quem liquet ex prava potius præsumtione pœnam posse venientem de legibus sustinere.

XLVIII. Neminem circumcidi paganorum permisit. Regist. lib. VI Ep. 33.

Circumcidi saltem paganorum neminem Gregorius permittebat. Quamobrem Leoni, Catanensi Episcopo: „Res, inquit, ad nos omnino detestabilis, & legibus inimica pervenit: quæ si vera est, Fraternitatem tuam vehementer accusat, quia eam de minori sollicitudine probat esse culpabilem. Comperimus autem quod Samaræi degentes Catanæ, pagana mancipia emerint, atque ea circumcidere ausu temerario præsumserint. Atque idcirco necesse est ut omni modo zelum in hac causa sacerdotalem exerceas, & cum omni hoc vivacitate ac sollicitudine studeas perscrutari: & si ita repereris, mancipia ipsa sine mora in libertatem modis omnibus vindica, & ecclesiasticam eis tuitionem impende, nec quidquam dominos eorum de pretio quolibet modo recipere patiaris, qui non solum hoc damno multandi, sed etiam alia erunt pœna de legibus feriendi.

XLIX. A Judæis munera non suscipienda decrevit. Regist. lib. IX. ep. 122.

Sane quia Judæorum perfidia zelum Christianorum datis contra se muneribus ludificare solebat: non solum nil penitus ab eis capiebat, quinimmo eorum munera Gregorius execrabilia judicabat. Unde Recaredo Regi VVisigothorum post cetera scribit, dicens: „Præterea indico, quia crevit de vestro opere in laudibus Dei hoc, quod dilectissimo filio meo Probino, Presbytero, narrante, cognovi, quia cum vestra excellentia constitutionem quamdam contra Judæorum perfidiam dedisset, ii de quibus prolata fuerat, rectitudinem vestræ mentis inflectere, pecuniarum summam offerendo, moliti sunt; quam excellentia vestra contemsit: & omnipotentis Dei placere judicio requirens, auro innocentiam prætulit. Qua in re mihi David regis factum ad memoriam venit, cui dum concupita aqua de cisterna Bethlehemitica, quæ inter hostiles cuneos habebatur, ab obsequentibus militibus fuisset oblata, protinus dixit: ***Absit a me, ut sanguinem istorum hominum bibam***. Quam quia fudit & bibere noluit, scriptum est: ***Libavit eam Domino***. Si igitur ab armato Rege in sacrificium Dei versa est aqua contemta: pensemus quale sacrificium omnipotenti Deo Rex obtulit, qui pro amore ipsius non aquam, sed aurum accipere contemsit? Itaque, Fili excellentissime, fidenter dicam, quia libasti aurum Domino, quod contra eum habere nullo modo voluisti. *Et cetera*.

Paral. 11. 19. *Ibid. v. 18.*

L. Qualiter Judæi fuerint a Romanis Pontificibus habiti.

Hinc est quod sicut a majoribus traditur, & nos usque ad tempora nostra, dum adhuc pubesceremus, oculis nostris conspeximus, consuetudo vetus obtinuit ut omnes illius superstitionis homines quantumcumque pulcherrima mercimonia detulissent, numquam pontificalibus alloquiis fruerentur, numquam obtutibus apostolicis potirentur, sed extra velum longissimæ porticus, non quidem in scamnis, sed in marmoreo pavimento sedentes, suscepta pretia numerabant: ne videlicet viderentur aliquid de manu Pontificis accepisse. Nam reverendæ memoriæ Nicolaus Pontifex, Arsenium quondam Hortanæ civitatis Episcopum, Judaicas tunc primum pellicias introducere molientem, adeo aversatus est, ut ei palatinam processionem vellet adimere, nisi superstitiosæ gentis vestes abjurando, cum sacerdotalibus infulis consuetudinaliter procedere studuisset.

LI. Gregorius non observari Sabbatum jussit & laridie Dominico permisit. Regist. lib. XIII. ep. 1.

Antichristi præcursores observari debere Sabbatum prædicantes, Gregorius taliter refutavit. „Pervenit ad me quosdam perversi spiritus homines, prava inter vos aliqua, & sanctæ fidei adversa seminasse, itaut die Sabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud nisi Antichristi prædicatores dixerim? Qui veniens, diem Sabbatum atque Dominicum, ab omni faciet opere custodiri. Quia enim mori se simul & resurgere simulat, haberi in veneratione vult diem Dominicum. Et quia Judaizare populum compellit, ut exteriorem ritum Legis revocet, & sibi Judæorum perfidiam subdat, coli vult Sabbatum. Hoc enim quod per Prophetam dicitur: *Ne inferatis onera per portas vestras die Sabbati*: tamdiu teneri potuit, quamdiu Legem licuit juxta litteram custodiri. At postquam gratia omnipotentis Domini nostri Jesu Christi apparuit, præcepta Legis, quæ per figuram dicta sunt, juxta litteram servari non possunt. Nam si quis dicit hoc de Sabbato esse servandum, dicat necesse est etiam carnalia sacrificia persolvenda: dicat præceptum quoque de circumcisione corporis adhuc usque retinendum. Sed contra se Paulum Apostolum audiat dicentem: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest*. Nos itaque hoc, quod de Sabbato scriptum est, spiritaliter accipimus, spiritaliter retinemus. Sabbatum autem requies dicitur. Verum autem Sabbatum ipsum Redemtorem nostrum Jesum Chri-

Jer. 17. 22. *Gal. 5. 2.*

Christum Dominum habemus: & qui lucem fidei cognoscit, si peccata concupiscentiæ ad mentem per oculos trahit, in die Sabbati onera per portas introducit. Non ergo in die Sabbati onera per portas introducimus, si in Redemtoris nostri gratia constituti, pondera peccati ad animam per sensus corporeos non trahamus. Nam idem Dominus ac Redemtor noster multa in die Sabbati legitur operatus, itaut Judæos reprehenderet, dicens: *Quis vestrum bovem, aut asinum suum non solvit in die Sabbati, & ducit adaquare?* Si ergo ipsa per se Veritas non custodiri juxta litteram Sabbatum præcepit, quisquis otium Sabbati secundum Legis litteram custodit, cui alteri nisi ipsi Veritati contradicit? Aliud quoque ad me perlatum est, vobis a perversis hominibus esse prædicatum, ut Dominico die nullus debeat lavari. Et quidem si pro luxu animi atque voluptate quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. Si autem pro necessitate corporis, hoc nec Dominico die prohibemus. Scriptum quippe est: *Nemo unquam carnem suam odio habet, sed nutrit, & fovet eam.* Et rursum scriptum est: *Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis.* Qui igitur carnis curam in concupiscentiis fieri prohibet, profecto in necessitatibus concedit. Nam si Dominico die corpus lavare peccatum est, lavari ergo die eodem nec facies debet. Si autem hoc in corporis parte conceditur, cur hoc, exigente necessitate toti corpori denegetur? Dominico vero die a labore terreno cessandum est, atque omni modo orationibus insistendum: ut si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominicæ precibus expietur.

Luc. 13. 15.

Ephes. 5. 29.

Rom. 13. 14.

LII. Quantæ compassionis fuerit in infirmitatibus Castorii, Eulogii, & Mariniani Episc. sive Rusticianæ.

Lib. 11. ep. 35.

Tanta compassionis gratia circa omnes Gregorius redundabat, ut alterius infirmitatem in suo corpore hunc sustinuisse, si velis, aspicias. Unde Johanni, Ravennati Episcopo, scribens, ait: „ Dominicis mandatis præcipimur proximos sicut nosmetipsos diligere, eorumque languoribus tamquam propriis infirmitatibus condolere. Quorum memor vestra Fraternitas competenti sibi more Castorium fratrem & coepiscopum nostrum, & prius per compassionem studuit visitare, & eum postmodum excrescente molestia corporis, in Ravennati urbe suscipere. Unde non solum nos impensæ caritatis, sed & Deum vobis fecistis proculdubio debitorem, cui in fratris infirmitate condoluisse probamini, ipsumque ægrum in sui membri molestia non solum visitasse, sed etiam suscepisse. Quem quidem ipse pro sua simplicitate illic ordinare omnino renuebam: sed petentium importunitas fecit, ut contradicere nullatenus potuissem. Si autem fieri potest, multum mihi & ipsi consulitis, si cum ad me vel per Siciliam transmittatis.

Lib. 11. ep. 24.

„ Item Leontio, Episcopo Urbinati: Castorium fratrem coepiscopumque nostrum Romæ pro corporis sui molestia retinemus: & quia nunc ad suam non valet Ecclesiam remeare, propterea, eo absente, Ecclesiæ ipsius Fraternitati tuæ visitationis operam providimus delegandam.

Ibid. ep. 15.

„ Item universis habitatoribus Arimini: Si culpam vestram, Filii dilectissimi, intentius velitis attendere, assidua vos apud Deum debetis oratione purgare, quod Episcopum vestrum non devota mente, nec, ut filii, suscepistis: quem inquietudo & tribulatio a vobis illata ad hoc usque perduxit, ut molestiam corporalem incurreret: quamvis in eo nihil de his, quæ nobis sunt scripta, cognovimus, sed solam inesse debilitatem vidimus, pro qua eum hic retinere curavimus.

Lib. VIII. ep. 41.

„ Item Eulogio Patriarchæ Alexandrino: Ante hoc temporis Bonifacii chartularii Responsalis mei, qui in urbe regia demoratur, vehementer me scripta turbaverunt, quæ dicebant dulcissimam mihi atque suavissimam Sanctitatem vestram defectum corporei luminis pertulisse. Ex quibus scriptis gravi mœrore perculsus sum: sed subito Creatoris ac Redemtoris nostri gratia prosperante, Beatitudinis vestræ suscepi epistolam, & sanum de ea corporis molestia, quam audieram, agnoscens, exultavi vehementer: quia tanta cordis lætitia secuta est, quanta prius tristitiæ amaritudo præcesserat. Scimus enim, quia in omnipotentis Dei adjutorio multorum salus est vita vestra.

Ibid. ep. 22.

„ Item Rusticianæ Patriciæ: Quoties de urbe regia ad nos aliquis venit, curæ nobis est de corporis vestri sospitate requirere. Sed peccatis meis facientibus, & semper audio quæ me tædet audire: quia in tanta tenuitate atque debilitate adhuc in vobis referunt podagræ dolores excrescere. Sed oro omnipotentem Dominum, ut omnia quæ in vestro corpore aguntur, ad salutem animæ dirigantur, flagella temporalia æternam vobis quietem præparent: & per eos dolores, qui cum fine sunt, gaudia vobis sine fine concedat.

Regist. lib. 11. ep. 33.

„ Item Mariniano, Ravennati Episcopo: Venientes quidam Ravennates homines gravissimo me mœrore invenerunt percussum, quia Fraternitatem tuam retulerunt de vomitu sanguinis ægrotare. Ex qua re sollicite, & singulatim eos, quos hic doctos lectione novimus, medicos fecimus requiri: & quid singuli senserint, quidve dictaverint, Sanctitati vestræ scriptum misimus: qui tamen quietem & silentium præ omnibus dictant. Quam si tua Fraternitas in sua Ecclesia possit habere, valde sum dubius: & ideo videtur mihi ut ordinata illic Ecclesia, vel qui Missarum solemnia celebrent, vel qui episcopii curam gerere, hospitalitatem & susceptionem possit exhibere, quive monasteriis custodiendis præessa, tua Fraternitas ad me ante æstivum tempus debeat venire, ut ægritudinis tuæ ego specialiter, inquantum valeo, curam geram, quietemque tuam custodiam: quia hanc ægritudini æstivum tempus medici vehementer dicunt esse periculosum. Et valde pertimesco, ne si curas aliquas cum adversitate temporis ceperis, amplius ex eadem molestia pericliteris. Ego enim ipse valde sum debilis, & omnino est utile ut cum Dei gratia sanus ad tuam Ecclesiam redeas: aut certe si vocandus es, inter manus tuorum voceris: & ego, qui me morti proximum video, si me omnipotens Deus ante vocare voluerit, inter tuas manus debeam transire.

LIII. Pro barbaricis incursionibus litaniam fieri voluit. Regist. lib. 11. ep. 51.

Pro barbarorum incursionibus his in hebdomada fieri litanias Gregorius decernebat. Quapropter universis Episcopis Siciliæ scribens, ait: „ Super afflictiones & gemitus, quos annosa hic continuatione de hostibus sustinemus, major nos metus excruciat, quod inimicos nostros omni annisu ad Siciliæ invasionem cognoscimus festinare. Sed ne, hoc illis molientibus, prosperitatem multitudo nostrorum præbeat peccatorum, toto nos corde ad Redemtoris nostri remedia conferamus, & quibus resistere virtute non possumus, lacrymis obviemus. Nam quid vobis cavendum, quidve sit vehementius formidan-

„ dandum, ex istius provinciæ debetis desolatione col igere. Itaque hortor, Fratres carissimi, ut omni hebdomada, quarta & sexta feria litaniam inexcusabiliter indicatis: & contra hos barbaricæ crudelitatis incursus supernæ protectionis auxilium imploretis.

LIV. Spiritum prophetiæ habuit. *Lib. 1x ep. 51.*

Tandem Siciliam simoniaca hæresi libidineque sordentem Gregorius, sicut modo cernitur, perituram prædixit, Maximiano, Episcopo Syracusano scribens: „ Tanta nobis subinde mala, quæ aguntur in illa provincia, nuntiantur, ut peccatis facientibus, quod avertat omnipotens Deus, celeriter eam perituram credamus.

LV. Prima prioribus futura prædixit. *Regist. lib. x. Ep. 36.*

Sed & pejora prioribus esse futura, præsago spiritu, Maximo Salonitano Episcopo scribit, dicens: „ Ad Romanam urbem veniens communis filius Presbyter Veteranus ita me podagræ doloribus debilem reperit, ut Fraternitatis tuæ epistolis per me respondere nullatenus valuissem. Et quidem de Sclavorum gente, quæ vobis valde imminet, & affligor vehementer & conturbor. Affligor in his quæ jam in vobis patior; conturbor autem quia per Istriæ aditum jam ad Italiam intrare cœperunt. De Juliano autem Scribone quid dicam? Quando ubique video, quia nobis peccata nostra respondeant: ut & foris a gentibus, & intus a perversis Judicibus conturbemur? Sed nolite de talibus omnimodo contristari: quia qui post nos vixerint, deteriora tempora videbunt: itaut in comparatione sui temporis, felices nos æstiment dies habuisse. In quantum vero Fraternitas tua prævalet, opponere se pro oppressis debet: quæ, etiamsi prodesse minime valuerit, ipsa omnipotenti Deo mentis devotio sufficit, quam dedit. Scriptum est enim: *Eripe eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.* Quod si dixeris: Vires non suppetunt: qui inspector est cordis ipse intelligit. In omni ergo quod agis, inspectorem cordis appete habere placatum. Quidquid est, unde illi placeas, facere non omittas. Nam humani terrores & gratiæ, fumo sunt similes, qui leni aura raptus evanescit. Hoc certissime scito, quia placere Deo sine pravis hominibus nullus potest. In tanto ergo se æstimet Fraternitas tua omnipotenti Deo placuisse, quanto se perversis hominibus displicuisse cognoverit. Ipsa tamen defensio pauperum, moderata & gravis sit: ne si quid nimis rigide agitis, ex juventute vos arbitrentur homines superbire. Sed talis necesse est ut inveniatur pro oppressis vestra defensio, quatenus & humiles protectionem sentiant, & oppressores non facile inveniant quod ex malevola mente reprehendant. Attende ergo quod ad Ezechielem dicitur: *Filii hominis ... increduli & subversores sunt tecum: & cum scorpionibus habitas.* Et beatus Job ait: *Frater fui draconum, & socius struthionum.* Et Paulus discipulis dicit: *In medio nationis pravæ & perversæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo.* Tanto ergo debemus cautius ambulare, quanto nos scimus inter Dei inimicos vivere.

Prov. 24. 11. *Ezech. 2. 6.* *Job. 30. 29.* *Phil. 2. 15.*

LVI. Neminem injuste ab Ecclesia defendi permisit. *Regist. lib. 1x. Ep. 27.*

Hujus cautelæ suæ conscius Romano defensori Gregorius ait: „ Pervenit ad nos, quia quidam homines minorem omnimodo discretionem tenentes, in suis nos periculis implicari desiderant: atque ita volunt ab ecclesiasticis personis defendi, ut ipsæ quoque ecclesiasticæ personæ ex eorum culpa teneantur. Idcirco præsenti te præceptione admoneo, & per te fratrem & coepiscopum nostrum dominum Johannem, vel ceteros, qui interesse possunt, ut patrocinia Ecclesiastica, sive mea suscipiatis scripta, sive etiam ea minime fuerint directa, sub tanto moderamine debeatis impendere, quatenus si qui in furtis publicis implicati sunt, a nobis non videantur injuste defendi, ne opinionem male agentium ex indiscretæ defensionis ausu, in nos ullo modo transferamus: sed quantum decet, Ecclesiam admonendo & verbum intercessionis adhibendo, quibus valetis succurrite, ut & illis opem feratis, & opinionem sanctæ Ecclesiæ non inquinetis.

LVII. Confugientibus ad Ecclesiam sacramenta præstari jussit de servandis sibi justitiis. *Lib. x. ep. 38.*

„ Item Januario, Episcopo, post aliqua: Si qui eorum, de quibus est aliqua quæstio, in Ecclesiam fortasse refugerint, ita debet causa disponi, ut nec ipsi violentiam patiantur, nec hi qui dicuntur oppressi, damna sustineant. Curæ ergo vestræ sit ut eis sacramentum ab his, quorum interest, de servanda lege, & justitia promittatur, & per omnia commoneantur exire, atque suorum actuum reddere rationem. Quibus etiam Ecclesiæ vestræ defensorem deputare vos convenit, cujus sollicitudine ea, quæ illis fuerint promissa, serventur.

LVIII. Omnes Sacerdotes, fratres & comministros: Clericos autem ceteros, dilectissimos filios: utriusque vero sexus laicos, dominos vocavit.

Quantæ humilitatis Gregorius fuerit, cum ex multis, tum ex his manifestissime poterit deprehendi, quod omnes quidem Sacerdotes, fratres & comministros: Clericos autem diversi ordinis, dilectissimos filios: at vero laicos viros, dominos: & feminas, dominas in suis litteris nominabat: neque ab aliquo se summum Pontificem, aut universalem sive dominum vocari æquanimiter permittebat. Nam ut ea, quæ super hujusmodi comprehensa sunt, prætermittam, Rusticianæ, Patriciæ, scribens, ait: „ Excellentiæ vestræ scripta suscepi, quæ me in gravissima ægritudine positum, de salute, de devotione, ac de dulcedine sua omnino relevarunt. Unum vero ægre suscepi, quia in eisdem epistolis ad me (quod semel esse poterat) sæpius dicebatur: Ancilla vestra, ancilla vestra. Ego enim, qui per episcopatus onera servus sum omnium factus, qua ratione te mihi ancillam dicis, cujus ante susceptum episcopatum proprius fui? Et ideo rogo per omnipotentem Deum, ne hoc verbum aliquando ad me in scriptis vestris inveniam.

Regist. lib. x1. Ep. 44.

LIX. Tam fideli Theudelindæ quam suo Subdiacono satisfecit. *Regist. lib. x11. ep. 10.*

Hujus humilitatis mansuetudine Gregorius non solum Theudelindæ reginæ Langobardorum pro tribus capitulis, verum etiam inter alios Savino quoque suo Subdiacono satisfacere non renuit, dicens: „ Exeuntes maligni homines turbaverunt animos vestros, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, adstruentes quod aliquid de sancta Calcedonensi Synodo piæ memoriæ Justiniani temporibus sit imminutum, quam nos omni fide omnique devotione veneramur: & sic quatuor Synodos sanctæ universalis Ecclesiæ sicut quatuor libros sancti Evangelii recipimus. De personis vero, de quibus post terminum Synodi aliquid actum fuerat, ejusdem piæ memoriæ Justiniani temporibus est ventilatum: ita tamen ut nec fides in aliquo violaretur, nec de eisdem personis aliquid aliud ageretur, quam apud eamdem sanctam Calcedonensem Synodum fuerat constitutum. Anathematizamus autem, si quis ex definitione fidei quæ in eadem Synodo prolata est, aliquid imminuere præsumsit, vel quasi corrigendo, ejus sensum mutare; sed sicut illic prolata est, per omnia custodimus. Te ergo, Fili carissime, decet ad unitatem fidei remeare,

meare, ut finem tuum valeas in pace conclude- re: ne malignus spiritus, qui contra te per alia opera prævalere non potest, ex hac causa inveniat unde tibi in die exitus tui in aditu regni cælestis obsistat.

LX. Se indignum memorat revelatione. Regist. lib. vii. Ep. 25.

Item Gregoriæ, Cubiculariæ Augustæ, post cetera. Quod Dulcedo tua in suis epistolis subjunxit, importunam se mihi existere, quousque scribam mihi esse revelatum quia peccata tua dimissa sint: rem & difficilem & inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat: inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime valebis; quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare.

LXI. Se Presbytero comparans, illum superiorem melioremque pronuntiat. Regist. lib. vii. Ep. 32.

Item Anastasio, Presbytero Isauriæ, post aliqua: Tua itaque Fraternitas quantum in caritate perfecta sit, scio: & qui omnipotentem Deum multum diligit, oportet ut de proximo multum præsumat. Non enim loca vel ordines Creatori nostro proximos faciunt, sed ei nos aut merita bona conjungunt, aut mala disjungunt. Quia ergo adhuc incertum est, quis interius qualis sit, cur non audeas scribere, cum inter me & te quis sit superior, ignores? Et quidem bene te vivere scio, me autem multis oneratum peccatis cognosco. Sed etsi ipse peccator es, tamen me multo melior es, quia tua tu tantummodo, ego vero & eorum, qui mihi commissi sunt, peccata porto. In hoc ego te altum, in hoc te magnum aspicio, quia ante humanos oculos in magno atque in alto loco minime profecisti: in quo sæpe dum exterius a hominibus honor tribuitur, ad ima animus mergitur, quia curis discerpentibus gravatur. Tibi autem omnipotens Deus juxta hoc quod scriptum est, *Ascensus in corde disposuit in valle lacrymarum*. Muto autem mihi altior, multo sublimior videri poteras, si neque ducatum monasterii, quod Neas dicitur, suscepisses.

Psal. 83. 6.

LXII. Se indignum alieno favore fatetur. Regist. lib. vii. Ep. 8. Eccli. 11. 30.

Item Stephanno Episcopo, inter alia: Multum mihi, & ultra quam indignus audire debui, favorem in epistolis demonstratis. Et scriptum est: *Ne laudes hominem, quamdiu vivit*. At tametsi audire talia dignus non fui, orationibus vestris peto, ut dignus efficiar: ut si bona in me non ideo dixistis, quia sunt; ideo sint, quia dixistis.

LXIII. Monacho sibi procidenti se in terram prostravit. Prat. spirit. c. 151.

Sed ne solis verbis tanti Præsulis humilitas inculcari credatur, superest ut ex Græcorum relationibus ad me nuper interpretatis eadem Patris humilitas vivis operibus demonstretur, in quibus videlicet ita refertur: Enarravit nobis Abbas Johannes, Persa, sanctus & reverendus vir existens, de magno Gregorio beatissimo Papa Romano, dicens. Olim ivi Romam ad adorandum loculos sanctorum Apostolorum Petri & Pauli: & una dierum, cum starem in medio civitatis, video Papam Gregorium per me transiturum; & cogitavi me mittere ante eum. Cum ergo appropinquasset mihi Papa, videns quia pergerem ut mitterem me ante eum, sicut coram Deo dico, fratres, primus misit se ante me super terram: & non ante surrexit, quam ego prior surgerem; & amplexatus me cum multa humilitate, tribuit mihi per manum numismata tria: & jussit mihi dari casulam & necessitates meas omnes. Glorificavi ergo Deum, qui donavit ei talem humilitatem circa omnes, & eleemosynam & caritatem.

LXIV. Accusatus, innocentiam suam exposuit.

A Hinc est quod patientissimus Pastor Gregorius penes Imperatorem Mauricium, sibi prorsus infensum, dudum accusatus quod Malchum Episcopum sui patrimonii provisorem pro retentis pensionibus tamdiu in custodiis afflixisset, quousque spiritum exhalaret, Sabiniano suo Diacono Constantinopolitano scribens, ait: Unum est quod breviter suggeras serenissimis Dominis nostris, quia si ergo servus eorum in morte Langobardorum me miscere voluissem, hodie Langobardorum gens nec Regem, nec duces, nec comites haberet, atque in summa confusione divisa esset. Sed quia Deum timeo, in morte cujuslibet hominis me miscere formido. Malchus autem idem Episcopus neque in custodia fuit, neque in aliqua afflictione; sed die qua causam dixit & addictus B est, nesciente me, a Bonifacio notario in domum ejus ductus est, ibique prandidit, & honoratus est ab eo, & nocte subito mortuus est inventus.

Lib. iv. Ep. 47.

LXV. Quid de fine seculi senserit.

Igitur in omnibus suis dictis vel operibus, Gregorius imminentem futuræ retributionis diem ultimum perpendebat; tantoque cautius cuncta cunctorum negotia ponderabat, quanto propinquius finem mundi insistere, ruinis ejus crebrescentibus, advertebat. Quapropter in homiliis Evangelicis perhibet dicens: Exurget gens contra gentem, & regnum adversus regnum: & erunt terræ motus magni per loca, pestilentiæ, & fames; & quibusdam interpositis adjunxit: Et erunt C signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum. Ex quibus profecto omnibus alia jam facta cernimus, alia in proximo ventura formidamus. Nam gentem contra gentem exurgere, earumque pressuram terris insistere, plus jam in nostris tribulationibus cernimus, quam in codicibus legimus. Quod terræ motus urbes innumeras obruat, ex aliis mundi partibus, scitis, quam frequenter audivimus. Pestilentias sine cessatione patimur. Signa vero in sole, & luna, & stellis adhuc aperte minime vidimus: sed quia hæc non longe sint, ex ipsa jam aeris immutatione colligimus. Quamvis prius D quam Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cælo acies vidimus, ipsumque qui postea humani generis fusus est, sanguinem coruscantem. Confusio autem maris, & fluctuum necdum nova exorta est: sed cum multa jam prænuntiata sint completa, dubium non est quin sequantur etiam pauca, quæ restant: quia sequentium rerum certitudo est, præteritarum exhibitio. Et paulo post: Ecce, Fratres mei, jam cernimus quod audiebamus. Novis quotidie & crebrescentibus malis mundus urgetur. Ex illa plebe innumera quanti remanseritis, aspicitis: & tamen adhuc quotidie flagella urgent, repentini casus opprimunt, novæ nos & improvisæ clades affligunt. Sicut enim in juventute viget corpus, forte & incolume manet pectus, torosa cervix, E plena sunt brachia: in annis autem senilibus statura curvatur, cervix exsiccata deponitur, frequentibus suspiriis pectus urgetur, virtus deficit, loquentis verba anhelitus intercludit. (nam si languor desit, plerumque senibus ipsa salus ægritudo est) ita & mundus in annis prioribus velut in juventute viguit, ad propagandam humani generis prolem robustus fuit, salute corporum viridis, opulentia rerum pinguis: at nunc ipsa sua senectute deprimitur, & quasi ad vicinam mortem molestiis crebrescentibus urgetur. Et iterum: *Euntes prædicate, dicentes quia ap-*

Homil. 1. in Evang.

Homil. 4. in Evang.

Matt. c. 3. 7.

propinquabit regnum cælorum. Hoc jam, Fratres A carissimi, etiamsi Evangelium taceat, mundus clamat. Ruinæ namque illius voces sunt. Qui enim tot attritus percussionibus a gloria sua cecidit, quasi jam nobis e proximo regnum aliud, quod sequatur, ostendit. Ipsis jam & a quibus amatur amarus est. Ipsæ enim ejus ruinæ prędicant, quod amandus non est. Si enim ruinam sui domus quassata minaretur, quisquis in illa habitaret, fugeret: & qui stantem dilexerat, recedere quantocyus a cadente festinaret. Si igitur mundus cadit, & nos eum amando complectimur, opprimi volumus potius quam habitare: quia nulla nos ratio a ruina illius separat, quos in ejus passionibus amor ligat. Facile ergo est nunc jam, cum destructa omnia cernimus, animum nostrum ab ejus dilectione disjungere. Sed hoc illo in tempore difficillimum fuit, quo Apostoli prędicare cęleste regnum invisibile mittebantur, cum longe lateque omnia cernerent florere regna terrarum.

LXVI. Quæ a de incommoditate Urbis scripserit.

Quæ autem de istius Urbis Gregorius incommoditate descripserit, indicabo; quatenus ii, qui nunc in ruinis ejus habitantes, eam ordinatiorem, ac per hoc valentiorem fuisse non autumant, contremiscant. Ait enim in expositionis Ezechielis homilia octava-decima sic: Quid est jam, rogo, quod in hoc mundo libeat? Ubique luctus aspicimus, ubique gemitus audivimus. Destructæ urbes, eversa sunt castra, depopulati sunt agri, in solitudinem terra redacta est. Nullus C in agris incola, pene nullus in urbibus habitator remansit: & tamen ipsæ parvæ generis humani reliquiæ adhuc quotidie & sine cessatione feriuntur, & finem non habent flagella cælestis justitię, quia nec inter flagella correctę sunt actionis culpæ. Alios in captivitatem duci, alios detruncari, alios interfici videmus. Quid est ergo quod in hac vita libeat, Fratres mei? Si talem mundum adhuc diligimus, non jam gaudia sed vulnera amamus. Ipsa autem, quæ aliquando mundi domina esse videbatur, qualis remanserit Roma conspicimus, immensis doloribus multipliciter attrita, desolatione civium, impressione hostium, frequentia ruinarum: ita ut in ea completum esse videamus, quod D contra urbem Samariam per Ezechielem Prophetam prædictum est:

Ezech. 24. 10. & seq.

Pone ollam, pone inquam, & mitte in ea aquam, & congere frusta ejus in eam. Et paulo post: *Efferbuit coctio ejus, & decocta sunt ossa ejus in medio illius.* Atque iterum: *Congere ossa, quæ igne succendam, consumentur carnes, & coquetur universa compositio, & ossa tabescent. Pone quoque eam super prunas vacuam, ut incalescat, & liquefiat æs ejus.* Tunc enim nobis olla posita est, cum hæc est civitas constituta. Tunc enim in ea aqua missa est, & gesta ejus congesta sunt, quando ad eam undique populi confluebant, qui velut aqua calens, actionibus mundi fervescerent, & quasi frusta carnium in ipso suo fervore liquarentur. De qua bene dicitur: *Efferbuit coctio ejus, & de-* E *cocta sunt ossa illius in medio ejus:* quia prius quidem in ea vehementer incaluit actio gloriæ secularis: sed postmodum ipsa gloria cum suis sequacibus defecit. Per ossa etenim potentes seculi, per carnes vero populi designantur: quia sicut carnes ossibus portantur, ita per potentes seculi, infirmitas regitur populorum. Sed ecce jam de illa omnes hujus seculi potentes ablati sunt; ossa ergo excocta sunt. Ecce populi defecerunt: carnes ejus liquefactæ sunt. Dicatur ergo: *Congere ossa, quæ igne succendam: consumentur carnes, & coquetur universa compositio, & ossa tabescent.* Ubi enim senatus? ubi jam populus? Contabuerunt ossa, consumtæ sunt carnes: omnis in ea secularium dignitatum ordo extinctus est. Excocta est universa compositio ejus: & tamen ipsos nos paucos, qui remansimus, adhuc quotidie gladii, adhuc quotidie innumerę tribulationes premunt. Dicatur ergo: *Pone quoque eam super prunas vacuam.* Quia enim senatus deest, populus interiit; & tamen in paucis, qui sunt, dolores & gemitus quotidie multiplicantur: jam vacua ardet Roma. Quid autem ista de hominibus dicimus, cum ruinis crebrescentibus ipsa B quoque ejus destrui ędificia videmus? Unde apte de civitate jam vacua subditur: *Incalescat & liquefiat æs ejus.* Jam enim & ipsa olla consumitur, in qua prius carnes & ossa consumebant: quia postquam defecerunt homines, etiam parietes cadunt. Ubi enim sunt qui in ejus aliquando gloria lætabantur? Ubi eorum pompa? ubi superbia? ubi frequens & immoderatum gaudium? Impletum est in ea quod contra destructam Niniven per Prophetam dicitur: *Ubi est habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum?* An ejus duces ac principes leones non erant, qui per diversas mundi provincias discurrentes prædam sæviendo & interficiendo rapiebant? Hinc leonum catuli inveniebant pascua: quia pueri, adolescentes, juvenes seculares, & secularium filii, huc undique concurrebant, cum proficere in hoc mundo voluissent. Sed ecce jam desolata, ecce contrita, ecce gemitibus oppressa est. Jam nemo ad eam currit, ut in hoc mundo proficiat. Jam nullus potens & violentus remansit, qui opprimendo, prędam diripiat. Dicamus ergo: *Ubi est habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum?* Contingit ei quod de Judæa novimus per Prophetam dictum: *Dilata calvitium tuum sicut aquilę.* Calvitium quippe hominis in solo capite fieri solet; calvitium vero aquilæ in toto fit corpore: quia cum valde senuerint, plumæ ejus ac pennæ ex omnibus illius membris cadunt. Calvitium ergo suum sicut aquila dilatat, quia plumas perdidit, dum populum amisit. Alarum quippe pennę ceciderunt, cum quibus volare ad prædam consueverat: quia homines ejus potentes extincti sunt, per quos aliena rapiebat.

Nahum. 2. 11

Mich. 1. 16.

Item in Dialogorum libro secundo: Pręterea, inquit, Antistes Canusinæ Ecclesiæ ad Benedictum Domini famulum venire consueverat, quem vir Dei pro vitæ suæ merito valde diligebat. Is itaque dum cum illo de ingressus Regis Totilæ & Romanæ urbis perditione colloquium haberet, dixit: Per hunc Regem civitas ista destruetur, ut jam amplius non inhabitetur. Cui vir Dei respondit: Roma a gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus, coruscis, turbinibus, ac terræ motu fatigata marcescet in semetipsa. Cujus prophetiæ mysteria nobis jam facta sunt luce clariora, qui in hac urbe dissoluta mœnia, eversas domos, destructas Ecclesias turbine cernimus; ejusque ędificia longo senio lassata, quia ruinis crescentibus prosternantur, videmus.

cap. 15.

Item in epistola Johanni Episcopo Ravennati, post aliqua: Si quo modo est aliquando locus obtinendi, agat apud Exarchum Fraternitas vestra, ut pacem cum Ariupho, si aliquid possumus, faciamus; quia miles de Romana urbe tultus est,

Lib. 11. Ep. 46.

sicut

sicut ipse novit. Theodosiani vero qui hic remanserunt, rogam non accipientes, vix ad murorum quidem custodiam se accommodant, & destituta ab omnibus civitas, si pacem ejus non habet, quomodo subsistet?

LXVII. Barbaricis incursionibus ab exponendis libris desistit.

Tantis curarum tumultibus pro animarum pariter ac civitatis custodia Gregorius gravabatur, ut in coli molestias corruens, non solum (sicut proposuerat) per ordinem Ezechielis mysteria minime pertractaret: verumetiam hostilibus incursionibus, multisque corporis debilitatibus aggravatus, a studio expositionis omnino desisteret, & ad dies illos se pervenisse defleret: atque dissolutionem sui corporis totis conatibus flagitaret. Quapropter eidem Johanni Episcopo queritur, dicens: Quod multis vestræ Beatitudini minime respondi, non hoc torpori meo, sed languori deputate: quia peccatis meis facientibus, eo tempore quo Ariulphus ad Romanam urbem veniens, alios occidit, alios detruncavit, tanta mœstitia affectus sum, ut in coli molestiam caderem.

Ibidem.

In Praef. lib. 2. in Ezech.

Item in expositione ultimæ visionis Ezechielis Prophetæ: Quia multis curis prementibus, Ezechielis Prophetæ librum coram Caritate vestra totum per ordinem perscrutari non licuit, bonis vestris desideriis placuit petere, ut saltem extrema ejus visio, quæ ei facta est de ædificio in monte constituto, quæ & cunctis est visionibus ejus obscurior, exponi debuisset. Et quidem voluntati vestræ me parere necesse est. Sed duo sunt, quæ hac in re perturbant animum meum: Unum, quod hæc eadem visio tantæ obscuritatis nebulis tegitur, ut vix in ea aliquid, intellectu interlucente, videatur. Aliud, quod jam Agilulphum, Langobardorum Regem, ad obsidionem nostram summopere festinantem, Padum transisse cognovimus. Unde pensate, Fratres carissimi, in caliginosis ac mysticis sensibus quid valeat mens misera, timoris sui perturbationibus occupata. Quanto enim circa terrena plus satagit, tanto in his quæ sunt cælestia minus videt: pro eo quod curis suis extra se ducitur, valde intus minor est: quia scriptum est: *Deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*. Quæ enim superiora penetrare, etiam collecta, non sufficit, pensate quid agere poterit divisa. Scimus autem omnes, quia & fluvius, qui in multis rivis dividitur, a suo alveo siccatur.

Sap. 9. 15.

Item in ejusdem Prophetæ tractatibus, homilia xj. Sive, inquit, justus in culpe, sive peccator in morte corruat, speculatori timendum est ne hunc ex suo silentio reatus peccantium pariter involvat. Sed interim, dum loquor, avertere a memetipso oculos volo: & ecce iterum sermo divinus me impingit in memetipsum, ut meam negligentiam videam, & mihi dici hæc quæ audio, pertimescam. Sicut enim superius dixi, cujus cor innumeris curis sparsum, se ad se colligat? Quando etenim possum & ea quæ circa me sunt sollicite omnia curare, & memetipsum, adunato sensu conspicere? Quando possum pravorum nequitias insequendo corrigere, bonorum actus laudando & admonendo custodire, aliis terrorem, atque aliis dulcedinem demonstrare? Quando valeo, & de his quæ sunt necessaria fratribus cogitare, & contra hostiles gladios de Urbis vigiliis sollicitudinem gerere: ne incursione subita cives pereant, providere: & inter hæc omnia pro animarum custodia plene, atque efficaciter verbum exhortationis impenderer? Loqui etenim de Deo quietæ valde & liberę mentis est. Tunc namque bene lingua dirigitur in sermone, cum secure sensus quieverit in tranquillitate: quia nec concussa aqua imaginem conspicientis reddit, sed tunc in ea vultus intendentis aspicitur, cum non movetur. Quam ergo exhortationem vobis speculator vester, Fratres carissimi, faciat, quem tot rerum confusio perturbat? Et paulo post: Sacerdos etiam post compunctionem ac lacrymas cogitur necessaria quæque filiorum suorum cognoscere, & ea quæ refugit animo, patienter audire: atque post suspiria cælestium, quorumlibet carnalium hominum onera portare, & sępe cum supervenientibus cor in diversam qualitatem transfundere. Nam aliquando de lucris spiritualibus gaudet: sed cum quilibet mœrens supervenerit, nisi ejus mœrorem in se susceperit, tribulationi illius compatiens non est. Et aliquando de damnis animarum luget: sed repente superveniunt, qui de suis prosperitatibus lætantur: quorum si lætitiæ Sacerdos non congaudet, minus amare creditur filios, in quorum gaudio non exultat: præcipue cum Paulus dicat: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*. Nihil ergo tam onerosum in ordine Sacerdotum video, quam rigorem mentis compatiendo flectere, & cum personis supervenientibus animum mutare; & tamen hoc valde est necessarium. Nam quando ex prædicatione ejus ad boni operis gratiam peccator reducitur, si ipse qui prædicat videtur ingratus?

Rom 12. 15.

Homil. ultima.

Item in fine ejusdem voluminis: Ecce hęc, ut Domino largiente potuimus, coram vobis, Fratres carissimi, rimati sumus. Nemo autem me reprehendat, [a] si post hanc locutionem cessavero: quia, sicut omnes cernitis, nostrę tribulationes excreverunt. Undique gladiis circumfusi sumus, undique imminens mortis periculum timemus. Alii detruncatis ad nos manibus redeunt: alii capti, alii interemti nuntiantur. Jam cogor linguam ab expositione retinere: quia tædet animam meam vitæ meæ. Jam nullus in me sacri eloquii studium requirat: quia versa est in luctum cithara mea, & organum in vocem flentium. Jam cordis oculus in mysteriorum discussione non vigilat: quia dormitavit anima mea præ tædio. Jam minus lectio animo dulcis est: quia oblitus sum manducare panem meum a voce gemitus mei. Cui autem vivere non licet, de Scripturæ sacræ sensibus loqui mystica qualiter libet? Et qui cogor quotidie amara bibere, quando possum dulcia propinare?

Job. 10.

Job 17.

Psal. 118.

Psal. 101.

Item Italicæ Patriciæ, & Venantio Exmonacho Patricio: Quosdam de Sicilia venientes, affectu quo debui, de sospitate Excellentię vestrę requirere curavi: sed de assiduitate ęgritudinum mihi tristia responderunt. Hæc autem dicens, nec ego vobis de meipso invenio aliud, quod debeam nuntiare, nisi quod peccatis meis facientibus, ecce jam undecim menses sunt, quod valde rarum est ut de lecto surgere aliquando potui. Tantis enim podagrę doloribus, tantisque molestiarum premor angoribus, ut vita mihi gravissima pœna sit. Quotidie enim in dolore deficio, & mortis remedium expectando suspiro. In clero vero

Regist. lib. 11. ep. 123.

a Ita Colb. & alii mss. Excusi, quibus astipulantur Reg. & cod. B.

Marm Paris. si post hæc a locutione cessavero.

A vero hujus urbis & populo tanti febrium languores irruerunt, ut pene nullus liber, nullus servus remanserit, qui idoneus esse ad aliquod officium vel ministerium possit. De vicinis autem urbibus strages nobis mortalitatis quotidie nuntiantur. Africa autem qualiter mortalitate & languoribus vastetur, quanto viciniores estis, tanto credo quod subtilius cognovistis. De Oriente vero qui veniunt, graviores desolationes nuntiant. In his itaque omnibus, quia appropinquante fine mundi, generalem percussionem esse cognoscimus, affligi nimis de propriis molestiis non debemus.

Regist. lib. x Ep. 35. Item Eulogio, Patriarchæ Alexandrino: Transacto anno suavissima Sanctitatis vestræ scripta suscepi, quibus pro ægritudinis meæ nimietate respondere nunc usque non valui. B Ecce enim jam biennium pene expletur, quo lectulo teneor, tantisque podagræ doloribus affligor, ut vix in diebus festis usque ad horarum trium spatium surgere valeam Missarum solemnia celebrare. Mox autem cum gravi compellor dolore decumbere, ut cruciatum meum non possim, gemitu interrumpente, tolerare. Qui dolor interdum mihi lentus est, interdum nimius; sed neque ita lentus, ut recedat, neque ita nimius, ut interficiat. Unde fit ut qui quotidie in morte sum, repellar a morte. Nec mirum, quia peccator gravis tali corruptionis carcere diu teneor inclusus; unde compellor clamare: *Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo, Domine.* *Psal. 141. v. ult.* C Sed quia meis adhuc precibus obtinere non mereor, rogo ut vestræ Sanctitatis oratio suæ mihi intercessionis adjutorium præbeat, meque a peccati & corruptionis pondere liberum reddat in illam, quam bene nostis, libertatem gloriæ filiorum Dei.

Regist. lib. xi. Ep. 32. Item eidem: Peto autem ut pro me enixius vestra Sanctitas orare debeat, quia podagræ doloribus, & barbarorum gladiis, & curarum afflictionibus incessanter premor. Sed si mihi orationis vestræ opem impenditis, credo quod me contra adversa omnia fortiter juvetis.

Regist. lib. xiii Ep. 41. Item eidem: Rogo ergo, ut pro me peccatore enixius oretis: quia & dolor corporis, & amaritudo cordis ex curarum afflictionibus, & D immensa vastitas mortalitatis, inter tot barbarorum gladios me vehementer affligit. Inter quæ omnia non temporalem, sed æternam consolationem requiro, quam per me impetrare non valeo, sed per intercessionem vestræ Beatitudinis hanc me obtinere confido.

Regist. lib. xi Ep. 32. Item [a] Mariniano, Episcopo Ravennæ: Multum jam tempus est, quo surgere de lecto non valeo; nam me modo podagræ dolor cruciat, modo nescio quis in toto corpore se ignis cum dolore expandit: & fit plerumque ut uno in me tempore ardor cum dolore confligat, & corpus in me animusque deficiat. Quantis autem aliis necessitatibus extra has quas protuli infirmitates, afficiar, enumerare non valeo: sed breviter dico, E quia sic me infectio noxii humoris imbibit, ut vivere mihi pœna sit, & mortem desideranter expectem, quam gemitibus meis solam esse credo remedium. Proinde, Frater sanctissime, divinæ pro me pietatis misericordiam deprecare: ut percussionis suæ erga me flagella propitius mitigat, & patientiam tolerandi concedat; ne nimio, quod absit, tædio in impatientiam cor erumpat: & quæ curari per plagam poterat, culpa crescat ex murmure.

Regist. lib. xi. Ep. 44. Item Rusticianæ Patriciæ: De podagræ molestia, quam vobis evenisse signastis, & contristatus vehementer sum & lætatus. Lætatus, quia humor noxius inferiora petens, superiora profecto deseruit. Contristatus vero, quia in tam tenuissimo corpore dolores vos nimios perpeti pertimesco. Ubi enim deest caro, quæ virtus esse poterit doloribus resistens? Me etenim, quem qualis fuerim, nostis, ita amaritudo animi & assidua exacerbatio, atque per hoc podagræ molestia affecit, ut corpus meum tamquam in sepultura siccatum sit; unde fit ut jam raro de lecto surgere valeam.

Lib. xiii. Ep. 22. Item eidem: Ego in tanto gemitu & occupationibus vivo, ut ad dies quos ago pervenisse me pœniteat: solaque mihi in consolatione sit mortis expectatio. Unde peto ut pro me orare debeatis, quatenus de hoc carnis carcere citius educar, ne tantis laboribus diutius torquear. *Lib. viii. Ep. 2.* Item Anastasio Antiocheno: Rogo ut pro mei cordis infirmitate enixius oretis, quatenus omnipotens Deus mentem meam a malis omnibus pro vestra intercessione tueatur, & citius me de tot procellis hujus tempestatis eripiat, atque in æternæ quietis littore perducat.

LXVIII. De ejus obitu, & fastigiis argenteis ab eo paratis, nec non sepulturæ ipsius loco, vel titulo. Tantis precibus Gregorius tandem aliquando divinitus exauditus, postquam Sedem catholicæ & apostolicæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ annis tredecim, mensibus sex, & diebus decem, doctrinis pariter ac operibus felicissimis illustravit, [b] anno Imperii Phocæ secundo, Indictione septima, quarto iduum Martiarum, a carnis corruptione subtractus est, incorruptionis perpetuæ gloriæ sublimandus. Qui videlicet omni vitæ suæ tempore sicut novas basilicas minime fabricarat, ita nimirum fabricatarum veterum sarta tecta cum summo studio annualiter reparabat: quas reditibus, luminaribus, officiis atque donariis cumulans, in basilica beati Petri Apostoli fastigium de argento purissimo, quod a Leone Tertio Pontifice in basilica Sixtiana sanctæ Mariæ nomini dedicata translatum est, fabricavit: & in basilica beati Pauli Apostoli super altare nihilominus aliud fastigium procuravit. Hujus præterea venerabile corpus in extrema porticu basilicæ beati Petri Apostoli ante secretarium tunc antiquissimum, atque videlicet Leo, Simplicius, Gelasius, atque Symmachus, apostolicæ Sedis Episcopi, cum nonnullis aliis tumulati, suis hactenus epitaphiis prædicantur, sepultum tali titulo decoratur:

Suscipe terra tuo corpus de corpore sumptum,
Reddere quod valeas, vivificante Deo.
Spiritus astra petit, lethi nil jura nocebunt,
Cui vita alterius mors magis [c] illa via est.
Pontificis summi hoc clauduntur membra sepulcro;
Qui innumeris semper [d] vivit ubique bonis.
Esuriem dapibus superavit, frigora veste,
Atque animas monitis texit ab hoste sacris.
Implebatque actu quidquid sermone docebat:
Esset ut exemplum mystica verba loquens.

Ange-

a In excusis, in Ulicensi, & in tribus Parif. *Episcopo Ravennati.* Hi Episcopus in vulgatis modo dicitur *Maximianus*, modo *Marinianus*, aut *Marinianus*.

b Hi characteres chronologici cum anno Christi 604. conveniunt: sancti venerabilis Beda S. Doctoris obitum ad an. 605. refert, eumque secutus Paulus Diac. in lib. 4. hist. Longob. Indictionem viii. consignat. *Mabill.*

c Apud Bedam hos versus referentem lib. 2. hist. c. 1. & in mss. Parif. *ipsa.*

d Beda, & mox laudati mss. *vivit.*

a *[a] Anglos ad Christum vertit pietate magistra,*
Acquirens fideique agmina gente nova.
b *Hic labor, hoc studium, [b] tibi cura hæc Pastor agebas,*
Ut Domino offerres plurima lucra gregis.
Hisque Dei consul factus, lætare triumphis,
Nam mercedem operum jam sine fine tenes.

LXIX. Qua ratione, æmulis libros ejus incendere molientibus, Petrus Diaconus moriendo restiterit.

Quo scilicet liberalissimo Pastore defuncto, vehementissima fames eodem anno incubuit: & quanto patrono tunc Roma caruit, licet rerum inopia toto pene mundo monstraverit, invidorum tamen feritas minime recognovit. Nam sicut a majoribus [c] traditur, cum calumniarum veterum incentores, Gregorium prodigum dilapidatoremque multiplicis patriarchatus thesauri perstreperent, deficiente personali materie, ad comburendos libros ejus cœperunt pariter anhelare. Quorum dum quosdam jam combussissent, ac reliquos vellent exurere, Petrus Diaconus familiarissimus ejus, cum quo quatuor Dialogorum libros disputaverat, creditur vehementissime obstitisse dicens, ad obliterandam ejus memoriam, librorum exustionem nihil proficere, quorum exemplaria, diversis petentibus, mundi ambitum penetrassent: subjungens immane sacrilegium esse, tanti Patris tot & tales libros exurere, super cujus caput ipse Spiritum sanctum in similitudine columbæ tractantis frequentissime perspexisset. Cumque dudum devotum populum Diaconus cerneret occasione temporis cum invidis resultare, in hoc omnium sententiam dicitur provocasse, ut, si quod dixerat, jurejurando confirmans, mori continuo meruisset, ipsi a librorum exustione desisterent, si vero testimonii sui superstes extitisset, ipse quoque combustoribus manus daret. [d] Itaque cum Evangeliis in ambonem venerabilis Levita Petrus ascendens, mox ut Gregorianæ sanctitati testimonium præbuit, inter verba veræ confessionis spiritum exhalavit, & a dolore mortis extraneus juxta [e] pyrgi basim, sicut hactenus cernitur, confessor veritatis meruit sepeliri.

LXX. Quanta Claudius ex verbis ejus notaverit, & quod Gregorius multa dictaverit, quæ nunc nequeunt inveniri. Regist. lib. XII. ep. 24.

Hinc est quod consuetudinaliter Spiritus sanctus in specie columbæ super scribentis Gregorii caput depingitur, & quod expositionum illius pars maxima, quæ utique ab invidis exusta recolitur, non habetur. Quarum ipse summam Johanni, Subdiacono Ravennæ Responsali suo, significare videtur, inter cetera sic describens: „ Quia carissimus quondam filius meus „ Claudius, aliqua me loquente de Proverbiis, „ de Canticis canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum, & de Heptateucho audierat: quæ ego scripto tradere præ infirmitate „ non potui, ipse ea suo sensu dictavit, ne oblivione deperirent, ut apto tempore hæc eadem „ mihi inferret, & emendatius dictarentur. Quæ „ cum mihi legisset, inveni dictorum meorum „ sensum [f] valde inutilius fuisse permutatum. Unde necesse est ut tua experientia, omni excusatione atque mora cessante, ad ejus monasterium „ accedat, convenire fratres faciat, & sub omni „ veritate quantascumque de diversis Scripturis „ chartulas detulit, ad medium deducat: quas „ tu suscipe, & mihi celerrime transmitte. Enimvero, quia studiositas Gregorii, qui post hæc tribus ferme annis superfuit, falli non potuit: constat nimirum quia plures libros, quam nunc habeantur, composuit. Quorum memoriam quidam in episcopali ejus perstringens, ait: Job, Ezechiel, Evangelia & Pastoralem exposuit, & multa alia. Ut subaudias, quæ jam inveniri non possunt: quoniam revera ante succensa sunt quam edita, sicut reliqua ipsius opera quæ nunc in sancta Romana Ecclesia retinentur adhuc sub custodia, ne penitus vulgarentur.

LXXXI. Duodecim epistolarum suarum libros reliquit: ex quibus Hadriani Papæ tempore duo volumina videntur excerpta.

Itaque si curiosius perpendatur, omne Gregorii tractandi tempus, quo libros, qui nunc habentur, exposuit, a Diaconio suo usque ad penultimum sui pontificatus annum extenditur: & licet Langobardorum perfidia sæviente, post Ezechielis tractatus, ab expositione librorum destiterit, ab exponendis tamen epistolis, quamdiu vivere potuit, numquam omnino cessavit: quarum videlicet tot libros in scrinio dereliquit, quot annos advixit. [g] Unde quartum decimum epistolarum librum septimæ Indictionis imperfectum reliquit, quoniam ad ejusdem Indictionis terminum non pertingit. Ex quorum multitudine primi Hadriani Papæ temporibus quædam epistolæ decretales per singulas Indictiones excerptæ sunt, & in duobus voluminibus, sicut modo cernitur, congregatæ. Et Gregorius jamdudum in monasterio positus, ubi eum Angelus Domini sub habitu naufragi scribentem repererat, nimirum quædam dictaverat, ut ad expositionem tantæ profunditatis, quam in libro Job penetrare potuit, eo paratior, quo ex dictandi consuetudine doctior, perveniret.

LXXII. In diaconatu suo moralia cœpit, & quomodo in episcopatu suo per libros digesserit, eaque Leandro Hispanensi Episcopo roganti direxerit. Lib. I. 27.

Ergo Gregorius in Diaconio suo, dum illum in Constantinopolitana urbe Sedis apostolicæ responsa constringerent, & Leandrum Hispanum Episcopum, injuncta pro causis fidei VVisigothorum ibi legatio perduxisset, eodem Leandro (sicut in primo libro dixisse me recolo) cum fratribus tunc Gregorio adhærentibus, importunissime compellente, librum beati Job cœpit exponere. Quibus coram positis priora libri sub oculis dixit: & quia tempus paulo vacantius reperit, posteriora tractando dictavit. Cumque ei spatia largiora suppeterent, multa augens, pauca subtrahens, atque ita ut inventa sunt nonnulla derelinquens, ea quæ se loquente excerpta sub oculis fuerant, per libros emendando composuit. Qui cum jam factus Episcopus Romæ postrema dictaret: quo stylo prima dixerat sollicite attendens, egit ut ea quæ locutus fuerat, studiosa emendatione transcurrens, quasi ad similitudinem dictatus erigeret, & ea quæ dictaverat, non longe a colloquentis sermone discreparent: quatenus dum hoc tenditur, illud adtrahitur, edita modo dissimili res non dissimilis formaretur. Quamvis tertiam ipsius operis partem ut colloquendo protulit, pene ita dereliquit: quia dum eum fratres

a Beda, *ad Christum Anglos convertis &c.*
b Beda, *hæc tibi cura, hoc Pastor agebas.*
c Hæc historia Baronio ad an. 605. dubia videtur, nec immerito, cum nullius certi auctoris testimonio nitatur, & de ipsa sileant Isidorus, Ildephonsus, Paterius.
d Lege aliquid omnino simile apud Greg. Turon. lib. de gloria Confess. c. 59. Subdiaconus vero plenus dierum ægre ferens quod virtus S. Trojani occuleretur, convocato Episcopo cum Clericis .... omnia quæ a Sancto audierat .... referavit .... adjiciens hæc: *& ut probetis vera esse quæ loquor, finito sermone finem facio vitæ;* & his dictis clausis oculis obiit.
e Pyrgobasis est domus turrita: Pyrgi basis turris pes seu fulcimentum. *Mabill.* Hoc videtur intelligendum de aliqua turricula cochlidium, quo in ambonem ascendebatur, continente.
f Ita mss. At editi, *valde in multis.*
g Sic legitur in Uticensi, & quidem optime, licet aliis in mss. ac editis legatur, *unde tertium decimum.* Vide Præfat. nostram ad epistolas num. v.

ad alia exponenda pertraherent, hanc subtilius emendari noluerunt. Quibus multa jubentibus, dum parere modo [a] per expositionis ministerium modo per contemplationis ascensum, modo per moralitatis instrumentum studeret: hoc opus per triginta & quinque libros extensum, in sex codicibus explevit. Quorum exemplaria primo per Urbis monasteria subdivisit: postremo vero eidem Leandro Episcopo destinavit.

LXXIII. In episcopatus sui exordio librum Regulæ Pastoralis Johanni Episcopo Ravennati exponens, imperitos compressit.

Sed in ipso sui episcopatus exordio, dum a Johanne Ravennatis urbis Episcopo humiliter reprehensus fuisset, cur pastoralis curæ delitescendo pondera fugere vir tam idoneus voluisset, librum Regulæ Pastoralis composuit: quem quadripartita ratione distinguens, valde pensandum esse perdocuit, cum rerum necessitas exposcit, ad culmen quisque regiminis qualiter veniat: atque ad hoc rite perveniens qualiter vivat: & bene vivens, qualiter doceat: & recte docens, infirmitatem suam quotidie, quanta valet consideratione cognoscat: [b] ne aut humilitas accessum fugiat: aut perventioni vita contradicat: aut vitam doctrina destituat: aut doctrinam præsumtio extollat. Primum ergo appetitum timor temperet: post autem magisterium, quod a non quærente suscipitur, vita commendet: deinde necesse est ut Pastoris bonum, quod vivendo ostenditur, etiam loquendo propagetur: ad extremum vero superest ut perfecta quæque opera consideratio propriæ infirmitatis deprimat; ne hæc ante occulti arbitri oculos tumor elationis extinguat. Et quia quosdam imperitos ad Sacerdotium conspirasse cognoverat, quosdam conspiraturos esse prævidebat: qui metiri se nescientes, quæ non didicerunt, docere concupiscerent, quique pondus magisterii tanto levius æstimarent, quanto vim illius magnitudinis ignorarent: hos in ipso libri sui reprehendit exordio, ut si quando indocti ac præcipites doctrinæ arcem tenere appetissent, a præcipitationis suæ ausibus in ipsa Gregorianæ locutionis janua pellerentur. Hunc librum Anatolius, Diaconus, ejus apocrisiarius, quærenti ac jubenti Imperatori quondam obtulerat, quem magnus Anastasius, Antiochenus Episcopus, in Græcam linguam transfudit, & Orientalibus Ecclesiis opus venerabile procuravit.

LXXIV. Per stationes discurrens, quadraginta lectiones dictavit, quas Secundo servo Dei petenti mandavit. Lib. ıx ep. 52

Deinde, sicut in secundo hujus operis libro jam retuli, dum adhuc Gregorius ad loquendum voce statuque sibi sufficeret, per stationes discurrens, viginti homilias Evangelii diverso tempore coram populo declamavit: reliquas vero ejusdem numeri dictavit quidem, sed lassescente stomacho languore continuo, aliis pronuntiare permisit: quarum exemplaria Secundo servo Dei petenti mandavit.

LXXV. Dialogorum quatuor libros descripsit, quos postea Zacharias, apostolicæ Sedis Episcopus, in Græcam linguam convertit.

Cumque a suis familiaribus, ut aliqua de miraculis Patrum describeret, Gregorius enixius rogaretur, Maximiano, Syracusano Episcopo, scripsit, dicens: „ Fratres mei, qui mecum familiariter vivunt, omni modo me compellunt „ aliqua de miraculis Patrum, quæ in Italia facta „ audivimus, sub brevitate describere. Ad quam „ rem solatio vestræ Caritatis vehementer indi- „ geo: ut quæ vobis in memoriam redeunt, quæ „ cognovisse vos contigit, mihi breviter indi- „ cetis. De domno autem Nonnoso Abbate, qui „ juxta domnum Anastasium de Pentomis fuit, „ aliqua retulisse te memini, quæ oblivioni man- „ davi. Et hæc ergo, & si qua sunt alia, tuis pe- „ to epistolis imprimi, & mihi sub celeritate trans- „ mitti: si tamen ad me ipse non proficisceris. Regist. lib. ııı. ep. 51.

Hinc Gregorius roboratus, sanctorum miracula Patrum cum Petro suo Diacono quæ per inquisitionem atque responsionem protulerat [c] expositionis altius studium interrumpens, sola nominum prænotatione distinxit, & in libros quatuor ordinavit: ut sicut in libris expositionum suarum, quibus esset virtutibus insudandum, docuerat: ita etiam descriptis Sanctorum miraculis, quæ virtutum suisset earumdem claritas, luce clarius ostentaret. Quos libros Zacharias, sanctæ Ecclesiæ Romanæ Episcopus, græco latinoque sermone doctissimus, temporibus Constantini Imperatoris post annos ferme centum septuaginta quinque in Græcam linguam convertens, Orientalibus Ecclesiis divulgavit, [d] quamvis astuta Græcorum perversitas in commemoratione Spiritus sancti a Patre procedentis, nomen filii suaptim radens, abstulerit.

LXXVI. Civibus suis petentibus, primam & ultimam Ezechielis prophetiæ partes, per homilias viginti duas tractavit.

Primam quoque & ultimam Ezechielis Prophetæ partes quæ videbantur obscuriores, Romanis postulantibus, pertractavit, easque per homilias viginti & duas distinguens, quantum lucis intus habeant demonstravit; & in his tractandis, sicut superius patuit, finem fecit.

LXXVII. Quam humilia ipse de suis tractatibus senserit, quæ a posteris doctoribus facetissima prædicantur. Præfat. ad lib. Moral. Deut. 16.

Qui libri dum a doctoribus sequentis temporis tam rectissimis sententiis editi, quam luculentissimo rhetoricæ facundiæ stylo compositi veraciter docerentur: eos beatus Gregorius ex humilitatis suæ dulcedine incultos perhibet, Leandro Episcopo inter cetera scribens: „ Quæso ut hujus operis, (haud „ dubium quin Moralium) dicta percurrens, in his „ verborum folia non requiras: quia per sacra elo- „ quia ab eorum tractatoribus infructuosæ loqua- „ citatis levitas studiose compescitur, dum in tem- „ plo Dei nemus plantari prohibetur. Et cuncti „ proculdubio scimus, quia quoties in foliis male „ lætæ segetis culmi proficiunt, minori plenitudine „ spicarum grana turgescunt. Unde & ipsam lo- „ quendi artem, quam magisteria disciplinæ exte- „ rioris insinuant, servare despexi. Nam sicut hu- „ jus quoque epistolæ tenor enuntiat, [e] non meta- „ cismi collisionem fugio, non barbarismi confu- „ sionem devito, hiatus motusque etiam, & præpo- „ sitionum casus servare contemno: quia indignum „ vehementer existimo, ut verba cælestis oraculi „ restringam sub regulis Donati; neque enim [f] hæc „ ab ullis interpretibus in Scripturæ sacræ auctori- „ tate servata sunt. Ex qua re nimirum quia nostra „ expositio oritur, dignum profecto est ut quasi edi- „ ta soboles speciem suæ matris imitetur. In quibus verbis agnoscitur Gregorium non studuisse locutionem pompaticam, sed ex pristina secularis exercitii consuetudine potius incurrisse. Cujus facundiæ consonantiam Isidorus, Hispalensis Urbis Episcopus, in expositione Geneseos admiratus: „ Sumta, inquit, sunt, ab auctoribus hæc Orige- „ ne, Victorino, Ambrosio, Hieronymo, Cassiano, „ Augustino, Fulgentio, ac nostris temporibus insigni-

a Excusi, cum tribus mss. Paris. *per expositionis mysterium*.
b Corrupte quidam editi: *humilitatis accessum fugiat*.
c Bigot. & Utic. *expositionis alterius studium*.
d Vide lib. 2. Dial. c ult. & notas consule. De Græca translatione luse in Præf. ad Dialogos.
e Vel potius *mutacismi*, nimirum Græci appellarunt μυτακισμὸν, cum nimium aut temere *m* reperitur, unde vitiosa collisio. Vide Vossium Institut. Oratoriar. lib. 4 cap. 2. § 2.
f Ita mss. At editi, *ab illius temporis interpretibus*, aut *ab ullius* &c.

„ signiter eloquente Gregorio. Sed & Beda Presbyter in libro de schematibus oratores homœoteleuton facere perhibens, exemplum proposuit, dicens: „ Beatus Job Deo soli sibique cognitus, in tentatione ad nostram notitiam perducendus, tactus est vulnere; ut odorem suarum virium tanto latius spargeret, quanto more aromatum melius ex intentione fragraret. Quo schemate ipse, qui hoc dixit, beatus Papa Gregorius sæpissime usus fuisse cognoscitur: & hujusmodi orationes esse reor, quas Hieronymus concinnas rhetorum declamationes appellat.

LXXVIII. Libros suos in comparatione Augustini tractatuum furfures nominans, quousque viveret legi vetuit. Regest. lib. x. Ep. 37.

At Gregorius humilitatis suę cautela commonitus, non solum facundię suę redolentiam contemnebat: verum etiam in comparatione tractatus alterius dictatum suum furfurem nominans, libros suos legi, quamdiu viveret, vehementissime prohibebat; Innocentio Prefecto Africę inter cetera scribens: „ Quod in expositione sancti Job transmitti vobis codicem voluistis, vestro omnino studio congaudemus: quoniam illi rei Eminentiam vestram studere conspicimus, quę nec totos foras vos exire permittat, & ad cor iterum secularibus curis dispersos recolligat. Sed si delicioso cupitis pabulo saginari, beati Augustini patriotę vestri opuscula legite: & ad comparationem [a] siliginis illius nostrum furfurem non quæratis.

Lib. VIII. ep. 9.

Item Johanni, Episcopo Syracusano: „ Preterea audio quod aliqua de his, quę scripsisse me memini, Fraternitas vestra ad mensam suam coram extraneis legi faciat. Quod mihi non videtur esse faciendum: quia hoc, quod vos pro caritate facitis, possunt quidam, quantum ad me est, vanę glorię deputare. Ideoque coram extraneis antiquorum dicta legite, ex quorum auctoritate valeant, qui audiant, reformari.

Lib. XII. ep. 24.

Item Johanni, Subdiacono Ravennę, post multa: „ Illud, inquit, quod ad me quorumdam relatione perlatum est, quia reverentissimus coepiscopus meus Marinianus legi commenta beati Job publice ad vigilias facit, non grate suscepi: quia illud opus non est populare: & rudibus auditoribus impedimentum magis quam provectum generat. Sed dic ei ut commenta Psalmorum legat ad vigilias, quę mentes secularium ad bonos mores precipue informent. Neque enim volo, dum in hac carne sum, si qua dixisse me contigit, ea facile hominibus innotesci.

LXXIX. Quanta consideratione quotidie infirmitatem cordis sui cognoverit.

Quanta hoc consideratione Gregorius, qui ad culmen regiminis humiliter pervenisse, ad hoc opus perveniens bene vixisse, bene vivendo recte docuisse, satis, ut opinor, monstratus est, infirmitatem suam cognoverit, in extremo libro Moralium manifestat, cum dicit: „ Expleto itaque hoc opere, ad me mihi video esse redeundum. Multum quippe mens nostra etiam cum recte loqui conatur, extra semetipsam spargitur. Integritatem namque animi, dum cogitantur verba qualiter proferantur, quia trahunt extrinsecus, minuunt. Igitur a publico locutionis redeundum est ad curiam cordis: ut quasi in quodam concilio consultationis ad me ipsum discernendum convocem cogitationes mentis: quatenus ibi videam ne aut incaute mala, aut bona non bene dixerim. Tunc enim bene dicitur bonum, cum is qui dicit, soli ei a quo accepit, per id appetit placere quod dicit. Et quidem mala me aliqua, etsi dixisse non invenio, tamen quia omnino non dixerim, non defendo. Bona vero si qua divinitus accipiens dixi, meo videlicet vitio minus me bene dixisse profiteor. Nam ad me intrinsecus rediens, postpositis verborum foliis, postpositis sententiarum ramis, dum ipsam subtiliter radicem meæ intentionis inspicio, Deo quidem ex ea me summopere placere voluisse cognosco: sed eidem intentioni, qua Deo placere studeo, furtim se nescio quomodo intentio humanę laudis interserit. Quod cum jam postmodum tardeque discerno, invenio me aliter agere quod scio me aliter inchoasse. Sic enim sæpe intentionem nostram, dum ante Dei oculos recte incipitur, occulte subjuncta, & eam velut in itinere comprehendens, humanæ laudis intentio assequitur: sicut pro necessitate quidem cibus sumitur, sed in ipso esu, dum furtim gula subripit, edendi delectatio permiscetur: unde pleromque contingit ut refectionem corporis, quam salutis causa capimus, causa voluptatis expleamus. Fatendum est igitur quod rectam quidem intentionem nostram, quæ soli Deo placere appetit, nonnumquam intentio minus recta, quæ de donis Dei placere hominibus quærit, insidiando comitatur. Si autem de his divinitus districte discutimur, quis inter ista remanet salutis locus, quando & mala nostra pura mala sunt, & bona, quæ nos habere credimus, pura bona esse nequaquam possunt? Sed hoc mihi operæ pretium credo, quod fraternis auribus omne quod in me latenter ipse reprehendo non celavi quod sensi, confitendo non abscondo quod patior. Per expositionem patefeci dona, per confessionem detego vulnera. Et quia in hoc tam magno humano genere, nec parvi desunt, qui dictis meis debeant instrui, nec magni desunt, qui cognitæ meæ debeant infirmitati misereri: per hæc utraque aliis fratribus, quantum possum curam confero, ab aliis spero. Illis dixi exponendo quod faciant, istis aperio confitendo quod parcant. Illis verborum medicamenta non subtraho, istis lacerationem vulnerum non abscondo. Igitur quæso ut quisquis hoc legerit, apud districtum Judicem solatium mihi suæ orationis impendat, omne quod in me sordidum deprehendit, fletibus diluat. Orationis autem atque expositionis virtute collata, lector meus in recompensatione me superat, si cum per me verba accipit, pro me lacrymas reddit.

LXXX. Corpus ejus, a Gregorio quarto Papa translatum: & de antiquitate ipsius, vel mediocritate, ac regulari specialitate.

Hujus beatissimi Gregorii venerabile corpus a Gregorio quarto Sedis apostolicæ Præsule [b] post annos circiter quinquaginta translatum ante novellum secretarium constructis absidibus, sicuti modo cernitur [c] sub altari sui nominis collocatur: in quo ejus anniversaria solemnitas cunctis certatim pernoctantibus veneratione gratissima celebratur: in qua Pallium ejus, [d] & phylacteria, sed & baltheus ejus consuetudinaliter osculantur. Quæ sigil-

a Bigot. & Utic. similaginis.

b Lege ducentos viginti quinque: nam Greg. IV. an. 827 sedere cœpit. Aut legendum ante an. fere ... Reg. post annos multos.

c Plur. ed. sub altaris sui nominibus. Hunc errorem correxere sunt Bollandiani: certe facile ex eo ... Ceterum præter hanc Translationem, aliam lege Seculo IV. Bened. Christi nono, quo sacræ S. Doctoris reliquiæ monasterio S. Medardi Suess. caput vero benedict. cœnobio S. Petri ... Suessonensis cessisse referuntur.

d Phylacteriorum nomine intellige crucem pectoralem Reliquiis refertam, quam gestari solitam istam Greg. lib. XI. Ep. 7. nunc lib. XIV. Ep. 12. Mabill.

gillatim considerata, & antiquitatem viri, & mediocritatem habitus, & speciem regularis propositi signis perspicuis repræsentant. Nam in eo quod Pallium ejus bysso candente contextum nullis fuisse cernitur acubus perforatum, sic ipsum circa scapulas obvolutum fuisse, non autem confixum dignoscitur, sicuti vetustissimis musivis, vel picturis ostenditur. Quod autem reliquiarum phylacteria tenui argento fabricata, velique Pallio, de collo suspensa fuisse videntur, habitus ejus mediocritate demonstratur. Porro in exilitate balthei, quæ unius pollicis mensuram numquam excedit, speciam propositi regularis olim a sancto Benedicto statuti, cujus ipse vitam describens, in dialogo regulam quoque laudaverat, eum servasse luce clarius manifestat: præsertim cum idem venerabilis Doctor Gregorius Græcam linguam nescierit, & sui monasterii Monachos Benedicti utique regulis mancipatos in Saxoniam destinarit.

LXXXI. Græcæ a nesciens falsos tractatus suo nomine titulatos invenit. Regist. lib. 10. Ep. 69.

Siquidem quod Græcam linguam nescierit, ipse testatur in epistola Eusebio, Thessalonicensi Episcopo, scribens: „Lator præsentium Theodorus Ecclesiæ lector ad sanctorum Apostolorum limina veniens, dum homo (quippe ut novus) haberetur incognitus, Andreæ Monacho, qui ad sanctum Paulum inclusus fuerat, res & chartas, quas detulit, ut re vera olim noto, innocenter deposuit, credens quod mens ipsius (sicut & nos ante putaveramus) cum habitu concordaret. Sed ille tantæ pravitatis inventus est, ut si ejus stultitiæ sub inclusionis specie paulo adhuc amplius licuisset, multorum animas malitiæ suæ falsitate deciperet: & quæcumque potuisset non levia scandala generaret. Nam inter alia, quæ idem Andreas pessime cogitavit, & fecit: eam quoque quam ad nos misistis, dum apud ipsum a præfato lectore asset deposita, infalsavit Epistolam; ut quicumque eam legeret, vos nec catholica nec recta sapere evidenter argueret. Ex qua re contigit ut dum veritatem studiose quæreremus, ejus quæ latebat, iniquitas vulgaretur: & tanta in eo reperta sunt, quanta nec de scelerato quocumque laico crederentur. Et quia inter diversa mala aliquos etiam sermones scripsit, atque eos ex nostro nomine titulavit, & suspecti sumus ne eos alicubi transmiserit, Fraternitas vestra sollicitudinem gerat; & si quid tale repererit, eos excindi, & omnimodo faciat aboleri: ut quod imperitus litterarum, & Scripturæ divinæ nescius, nostro, sicut diximus, nomine prænotavit, quorumdam animos non possit inficere. Nam nos nec græce novimus, nec aliquod opus græce aliquando conscripsimus.

LXXXII. Monachi, qui ab eo in Saxoniam missi sunt, sancti Benedicti regulis fueruot mancipati.

Quod vero Monachi, qui a Gregorio in Saxoniam missi, sancti Benedicti regulæ fuerint mancipati, inter alia etiam illud ostendit, quod ex ipsius discipulis vix potest in illis partibus Monachus aliquis inveniri, a quo non observetur tam in proposito, quam in habitu, regula Benedicti. Quapropter sicut constat Gregorianum monasterium a Latinitate in [a] Græcitatem necessitate potius, quam voluntate conversum, ita fideliter præstolatur in Latinitatis cultum favente Domino denuo reversurum.

LXXXIII. De formis & vestimentis Patris, & matris ejus.

In cujus venerabilis monasterii atrio, jussu Gregorii, juxta [b] nymphium duæ iconiæ veterrimæ artificialiter depictæ usque hactenus videntur. In quarum altera beatus Petrus Apostolus sedens conspicitur, stantem [c] Gordianum, Regionarium, videlicet Patrem Gregorii, manu dextera per dexteram nihilominus suscepisse. Cujus Gordiani habitus castanei coloris planeta est, sub planeta dalmatica, in pedibus caligas habens: statura longa, facies deducta, virides oculi, barba modica, capilli condensi, vultus gravis. In altera vero mater Gregorii sedens depicta est Silvia candido velamine a dextro humero taliter contra sinistram revoluto contecta, ut sub eo manus tamquam de planeta subducat: & circa pectus sub gula inferior tunica pseudolactini coloris appareat, quæ magno sinuamine super pedes defluat: duabus zonis ad similitudinem dalmaticarum, sed latioribus omnino distincta: statura plena, facies rotunda quidem & candida, sed senio jam rugosa; quam ipsa quoque senectus pulcherrimam fuisse significat: oculis glaucis & grandibus, superciliis modicis, labellis venustis, vultu hilari, ferens in capite [d] matronalem mitram candentis [e] brandei raritate niblatam: duobus dexteræ digitis signaculo crucis se munire velle prætendens, in sinistra vero patens psalterium retinens, in quo hoc scriptum est: *Vivat anima mea, & laudabit te, & judicia tua adjuvabunt me.* [f] A dextero vero cubito usque ad sinistrum circa scapulas versus ascendens reflectitur, qui ita se habet: *Gregorius Silviæ matri fecit.*

Psal. 118. versu penult.

LXXXIV. De forma & habitu sive draico ejus.

Sed & [g] in absidula post fratrum cellarium Gregorius ejusdem artificis magisterio in rota gypsea pictus ostenditur, statura justa, & bene formata, facie de paternæ faciei longitudine, & maternæ rotunditate ita medie temperata, ut cum rotunditate quadam decentissime videatur esse deducta, barba paterno more subfulva, & modica; ita calvaster, ut in medio frontis gemellos cincinnos rarusculos habeat, & dextrorsum reflexos: corona rotunda, & spatiosa, capillo subnigro, & decenter intorto, sub auriculæ medium propendente: fronte speciosa, elatis & longis, sed exilibus superciliis: oculis [h] pupilla furvis non quidem magnis sed patulis, subocularibus plenis, naso a re-

a An forte S. Andreæ monasterium Græcis Monachis concessum est a Stephano Papa III. qui Monachis iisdem Græcis cœnobium S. Dion. sive Areopagitæ sacrum æde erectum attribuit? Ut ut sit, illud S. Andreæ asceterium Benedictinis, juxta Johan. Diaconi votum aliquando restitutum, tandem Camaldulensibus a Greg. XIII. assignatum est. *Mabill.*

b Est amplum seminarium seu locus templi feminis destinatus, inquit Mabill. At Bollandus hic Nymphæum pro lavacro seu fonte accipit; quia Nymphæ aquarum Deæ erant.

c Imago illa Gordiani quam Baronius in Annalibus exhibet, quamque excudere curarunt qui Gregorii opera Vaticanis typis edidere, Gussanvillæus, & nuper noster Mabillonius in Annalibus Bened. non videtur ea ipsa quam hic Johannes Diaconus describit. Ubi enim Petrus Apost. Gordianum per manum dexteram suscipiens? Certe in istis iconibus visitur Gregorius medius inter Gordianum & Silviam qui ad eum tantisper faciem convertunt. De his imaginibus infra.

d Matronalem appellat hanc mitram, ut forte eam distinguat a mitra sacrarum Virginum de qua vide notam 613. in lib. Sacram. col. 441. & 442. Mitra proprie erat muliebre capitis ornamentum; unde turpe erat viro mitram gestare. Hinc Æneid. 4.

Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu
Mæonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus.

Redimicula habebat mitra, quæ verbo Græco Lucretius lib. 4. *anademata* appellat. Idem Maro lib. 9. Æneid.

Et habent redimicula mitræ.

e Bigot. & Utic. *prandei* ibid. pro, *varietate nimbatam*. Utic. habet *varietatibus latam*. Mabill. putat legendum *nimbatam*. Nam nimbus, inquit, est fasciola transversa ex auro assuta linteo in fronte feminarum.

f Hæc etiam omissa sunt in effigie vulgata S. Silviæ.

g Excusi, in *absidecola*, apud Guss. & in plurimis editis legitur etiam *aurifices* pro *artifices*.

h Mabill. Gussanv. & alii, *pupilla fulvis*: Bollandus mss. sequitur.

radice vergentium, [a] superciliorum subtiliter di- A recto, circa medium latiore, deinde paulum recurvo, & in extremo patulis naribus prominente, ore rubeo, crassis & subdividuis labiis, genis compositis, mento a confinio maxillarum decibiliter prominente, [b] colore aquilino & vivido, nondum, sicut ei postea contigit, cardiaco, vultu mitis, manibus pulchris, teretibus digitis, & habilibus ad scribendum. Præterea planeta super dalmaticam castanea, evangelium in sinistra, modus crucis in dextra: Pallio mediocri a dextro videlicet humero sub pectore super stomachum circulatim deducto: deinde sursum per sinistrum humerum post tergum deposito, cujus pars altera super eumdem humerum veniens propria rectitudine, non per medium corporis, sed ex latere pendet: circa verticem vero tabulæ similitudinem, quod viventis insigne est, præferens, non coronam. Ex quo manifestissime declaratur, quia Gregorius dum adviveret, suam similitudinem depingi salubriter voluit, in qua posset a suis Monachis non pro elationis gloria, sed pro cognitæ districtionis cautela frequentius intueri. Ubi hujusmodi distichon ipse dictavit:

Christe potens Domine, nostri largitor honoris,
Indultum officium solita pietate guberna.

LXXXV. Saturninus Monachus juxta ejus effigiem imagines Apostolorum depinxit.

Ubi etiam tempore Petri Archidiaconi, & [c] Johannis Hegumeni, Saturninus Monachus dextra lævaque beati Gregorii effigies sanctorum Apostolorum, quemadmodum modo videntur, depinxit. Quo scilicet loco nonnumquam divinitus candela succenditur, & in ejusdem similitudinis effigie pro regimine sui monasterii sæpe beatus Gregorius præsentatur.

LXXXVI. De Johanne Præposito, qui cum diabolo coram Christo conflixit & de revelatione atque terribili transitu ipsius.

Nam ut pauca de multis contingam, Leonis quarti Pontificis tempore, cum Megistus, [d] Ostiensis Episcopus & apostolicæ Sedis Bibliothecarius, eidem monasterio præesset, Johannes Presbyter ejusdem Præpositus cum quadam femina turpiter vivens, vehementissimo podagræ dolore correptus est, qui medicorum manu cauteriatus per exustionis vulnus calcem cœpit effundere. Quam restringere nullis artibus prævalens, in tantam desperationem perductus est, ut ab omni illius feminæ visitatione desisteret, & illa sibi alterum sub eodem facinore copularet. Sed post annum Presbyter ad pristinam sanitatem reverrens, quamquam propositum sibi fuisset ut ulterius nullam contingeret, ad eamdem tamen misso nuntio, futuro die Dominico se redire professus est. Quo recepto, ubi suo desiderio votum quoque mulierculæ convenire gavisus est, ad balnea processit. Unde revertens, tantum lætitiæ potionibus, & cantionibus se dissolvit, ut subrepente somno interesse nocturnis cum fratribus numquam potuisset officiis. Eadem nocte cuidam Presbytero & Monacho beatus Gregorius in somnis apparens: ait: Surge, & dic Præposito ut pœnitentiam agens, peculium suum, quod congregare non puduit pro peccato conscientiæ suæ, dispergat: quia die tertia funditus extingueretur a vita. Quod Præpositus ut audivit, vehementer expavit. Et quia Gregorii mandato incredulus esse non poterat, pœnitentiam cœpit: cunctaque sua sanus distribuens, tanto febris ardore correptus est, ut a diluculo diei tertii usque ad horam tertiam cum ingenti fragore præ incendio linguam ab ore projiciens, ultimum flatum protraheret. Quem Presbyteri tam duriter laborare videntes, deputatis illic Monachis, qui cum psalmodiis ejus exitum commendarent, ipsi pro eo omnipotenti Deo studuerunt solemnes hostias immolare. Sed Monachi psalmodiam deserentes, non timuerunt inter se morienti fratri detrahere: cum ecce Presbyteri a Missarum solemniis circa horam septimam remeantes, Johannem Presbyterum, quem incredibiliter cum morte luctantem reliquerant, levius se habere mirati sunt, eumque nominatim clamare cœperunt. Mox ille oculos, subridendo, concutiens: Parcat, inquit, vobis Dominus, fratres: quare me sollicitare voluistis? Qui ab ipso hujus diei principio usque nunc coram Christo præ densis multis millibus Angelorum cum diabolo ad judicium steti: & adjuvantibus me sanctis Andrea & Gregorio, cunctis ejus objectionibus bene respondi. Sciatis autem, quia monasterii sextarium, modium, libram, consuetudinem eleemosynarum & luminum, omnemque mensuram curiosissime Christo quærenti usque ad scabellum pedum ejus portavi. Sed de una objectione, fateor, [e] convictus metui de qua nimium, sicut vidistis, laborando vexatus sum, & me adhuc liberare non potui. Cumque fratres de ea requirerent, ait: Non audeo dicere, quia quando vos me clamastis & a S. Gregorio redire jussus sum, ut vobis etiam de mensuris & consuetudinibus monasterii ponerem rationem, diabolus questus est, putans, quod me pater ad pœnitentiam remisissent. Quapropter B. Gregorium vadem dedi, ne commotam calumniam cuilibet revelarem. Illis magis imminentibus, & se pro eo deprecaturos Dominum promittentibus, ut causam fratribus revelaret, defunctorum quorumdam domos, & viventium merita proferebat, dicens: Iste dignus, ille indignus est. Rursus interrogatus, ad Monachos, qui pridem secum remanserant conversus est, dicens: Omnia, in quibus mihi detraxistis, fratres, audivi; quamquam respondere nequiverim: & impedimentum mihi non modicum generastis: quia tam a vobis quam a diabolo sub uno tempore accusatus, nesciebam cui primitus calumniæ responderem. Sed si quando quemlibet migrantem videritis, compatimini sorti communi, & nolite de eo judicare, qui ad tam districti Judicis cum criminatore suo judicium vadit. His expletis, cunctos jubet abscedere, solum Presbyterum qui sibi mortem prænuntiaverat, secum tenens. Qui solus remanere pavescens, alterum secum retinuit, hortatus ut causam, pro qua conflixerat, saltem sibi pandere non timeret. At ille

a In Reg. Germ. Bigot. & Ultic. cilsiorum.

b Ita optime Bollandus consentientibus mss. Vatic. &c. Alii & livido. Certe Johannes describit oris S. Gregorii colorem, antequam morbis assiduis mutatus esset, ut sequentia verba innuunt, nondum . . . cardiaco. Ergo potius legendum vivido quam livido, quod nescio utrum in aliquo ms. codice reperiatur. Aquilinus color seu aquilus ab aqua dicitur secundum quosdam grammaticos, & ab aquila juxta alios. Suetonius in Augusto: nasum a summo eminentiorem . . . colorem inter aquilum candidumque. In vita Virgilii, auctore Tiberio Donato: corpore & statura fuit grandi, colore aquilino. Color cardiacus est pallor contractus ex cardiaco morbo, seu ex languore stomachi, καρδία enim Græce non solum significat cor, sed etiam ventriculum seu stomachum, maxime os ventriculi. De hoc morbo Horatius lib. 2. Satyr. 3.

Non est cardiacus, Craterum dixisse putato,
Hic æger.

c Ita mss. A. alii Johan. Æconomi. Fortasse eum S. Andreæ monasterium Græcis Monachis cessisset, qui tunc ipsi præerat nomine Græco dicebatur ἡγούμενος, hoc est præses, præfectus monasterii. Infra c. 87. illum hunc Hegumenum, seu Æconomum, ut habent ex mss. monasterio præfuisse.

d Ultic. Hostiensis Episcopi.

e Excusi, adstipulantibus Germ. Colb. & Reg. convictus erubui de me.

vehementer ingemuit, & converso ad parietem capite, clamabat, dicens: „ O Andrea, Andrea, hoc anno pereas, qui me pravo consilio „ ad periculum compulisti. E vestigio Zacharias medicus, qui anno præterito ad suos, videlicet Saracenos, apostatando reversus est, adsuit; tactisque temporibus, jurare cœpit Presbyterum ex eadem valetudine minime moriturum. Quem languidus ut audivit, cum ingenti animadversione repulit, dicens: „ Fratres, jam omne corpus „ meum est mortuum, in extremis faucibus spi„ ritum permissum retineo, continuo moriturus; „ tantum psallite, ut revideam Angelos, quos „ videbam, & innuens vobis ostendam. Quibus orantibus totus cœpit tremere, pallescere, sursum desideranter aspicere; cum subito spiritus adventare conspiciens, revolutis terribiliter oculis, Monachis innuit, & abscessit: eosque tanto terrore perculsos dimisit, ut multis noctibus soli jacere timuerint.

LXXXVII. De cruciatibus Andreæ conductoris, qui cum eodem Præposito monasterii chartulas se vendidisse professus est.

Eodem die, sicut postea deprehensum est, eodemque momento, quando Presbyter moriens Andreæ periculum fuerat imprecatus, idem Andreas, fundi Barbiliani, positi scilicet via Ostiensi, conductor, in lectulum decidit: in quo per multum temporis continuo languore correptus, ita totus emarcuit, ut omne corpus ejus particulatim videretur dissolvi. Cumque defluentibus carnibus consumi posset, mori autem non posset, uxor, quæ fœtorem vulnerum virique cruciatus jam sustinere non poterat, intellexit tanti languoris incommoda sine divinæ ultionis sententia hunc nullatenus incurrisse. Quem flendo curavit inquirere, ut quoniam a moriente Præposito frustra vocari non poterat, quid cum ipso commiserat, Monachis revelaret, si forte Dominus ejus confessionem recipiens, eum a tantis cruciatibus liberaret. At ille, cognoscens malum quod fecerat latere non posse, monasterii Monachos convocari rogavit; eisque confessus est cum eodem Præposito quasdam monasteriis chartulas rapuisse, ac receptis pretiis extraneis tradidisse, seque certum existere, quia pro hoc flagitio mori non posset, quousque hoc coram omnibus revelaret. Quod videlicet verum fuisse rei exitus evidenter ostendit. Nam mox ut tantum facinus cunctis innotuit, is qui dudum mori volens non poterat, inter verba suæ confessionis efflavit. Quem idcirco Deus omnipotens diu cruciati voluit, mori autem, donec reatum suum confiteretur, non posse permisit, ut exemplo sui cruciatus ostenderet, quid consumtores rerum Gregorii de semetipsis utique sperare debuissent.

LXXXVIII. De præsagio mortis Athanasii œconomi, qui consuetudines pauperum detraxit.

Ipsius quoque Pontificis tempore ejusdem Patris monasterio Athanasius præfuit, vir quidem caritate conspicuus & sui monasterii cautissimus executor. Qui cum sævientis inopiæ tempus agnosceret, ne Monachis necessitas fortassis incumberet, quadraginta pauperum, quos beatus Gregorius pasci semel in anno decreverat, refectionem subduxit. Quod impune se fecisse perpendens, etiam duodecim pauperum prandium totidemque denarios, qui die depositionis beati Gregorii pro commemoratione duodecim ab eo quondam invitatorum, quorum tertius decimus Angelum se esse professus est, consuetudinaliter pascebantur, [a] penitus interdixit: cum ejusdem Quadragesimæ tempore beatus Gregorius eidem Presbytero, cui supra, & Monacho in somnis apparuit, dicens: Vade & dic Hegumeno: Quia diminuit consuetudinem, quam ego constitui, Dominus quoque ejus dies diminuet. Quod Hegumenus ut audivit, primo quidem contremuit, post vero tanto minus credidit, quanto vitam suam longius cognoscebat extendi. Et ecce sub ipsis albis Paschalibus in oratorio sancti Severini cum fratribus vespertinis assistens officiis, ardere parietem vidit, quem fratribus extinguere imperavit. Quibus hunc vinolentum credentibus, ipse tandem ferulam quam tenebat, projiciens, manusque per parietem circumducens conabatur foris flammas extinguere, quas constabat intima ejus depascere. Denique ad hospitium rediens, tantæ febris ardore succensus est, ut pervenire ad diem septimum nullatenus potuisset. Quia ergo dum consuluisse putavit se Monachis, pauperibus nocuisse non timuit, ac per hoc quo se placare posse Gregorium credidit, prorsus offendit: frustra flammas parietis extinguere voluit, quia tenacitatis suæ flammas extinguere recusavit.

LXXXIX. De diabolo a monasterii claustro fugato, qui Monachum jacentem percussit.

Eodem nihilominus tempore post absidem oratorii sanctæ Mariæ semper Virginis oratorio sanctæ Barbaræ, ubi Gregorius laudes Domino celebrare solebat, conjuncti, dæmon apparuit, sibique in antro, quod illic cernitur, hospitium faciens, nocturnis horis tanto crepitabat fragore, ut omnia fundamenta monasterii putaretur convellere. Nonnumquam equos de stabulis auferens audiebatur tota nocte discurrere: quorum duos præcipitio demersisse probatus est. Cumque pavore tanti sonitus Monachos a triclinio, in quo ad auram propter fervorem caumatis jacere solebant, penitus avertisset, unus eorum confisus in virtute Dei omnipotentis ante foramen decumbens, oratione facta, cœpit dormire. Cui dæmon in similitudine catti apparuit: eumque unguibus est aggressus discerpere. Quo Monachus oratione repulso, identidem sopori se tradidit, cum subito dæmon in similitudine cujusdam Æthiopis lancea minando apparuit, dicens: Ego quidem hinc vado: sed te vulneratum dimitto. Quo dicto, lanceam [b] vibravit, Monachumque sicut videbatur, in somnis percussit. Qui tantis clamoribus ejulavit, tamquam si revera percussus extiterit; accurrentibusque Monachis licet pavidus, quod viderat, indicavit, & deinceps ibi ulterius dæmonium non accessit.

XC. De visione Monachi, qui duodecim homines totidem morituros prævidit.

Benedicti quoque Pontificis tempore, Lucido Ficulino Episcopo eidem monasterio præminente, cum pestilentia faucium multitudo quotidie maxima deperiret: idem Monachus præclusis faucibus, venit ad mortem, cui desperanti beatus Gregorius in somnis apparuit, dicens: Vis sanus fieri? At ille respondit se velle. Et beatus Gregorius: „ Si mihi, inquit, promiseris ea, quæ tibi di„ xero fore dicturum, scito te esse sanandum: sin „ vero, citius moriturum. Cumque ille se dictu„ rum tota certitudine promitteret, audivit: Ito, „ denuntians Sabæ, Johanni, Benedicto, Marti„ no, Palumbo, & Antonio Monachis, Lauren„ tio coco, Gemmoso carpentario, Accepto pistori, „ Andreæ, Romano, & Leoni laicis, quoniam „ a crastino incipientes omnes [c] dietim se mo„ rien-

a In vulgatis *penitus intercipit*.
b Bigot. *libravit*.
c MSS. *dietim . . . . post quorum discessum*.

„ riendo subsequentur. Post quorum decessum de„ nuntia, Lucidum Episcopum, qui tenet id mo„ nasterium, die septimo moriturum. His dictis, Monachum oscitare præcipiens, duos digitos in faucem conjecit: vulnusque disrumpens ut excrearet injunxit. Ille tussiens, partem coagulati sanguinis in modum lapidis re vera projecit; & ab ipsis pene mortis januis liberatus, eadem nocte contra spem omnium matutinalibus hymnis interfuit. Mirantibus fratribus, sanitatis suæ modum innotuit, quos quando & qualiter ex monasterii familia morituros præviderit, indicavit: de sola interim Episcopi morte dubitando continuit. Et a vestigio in cunctorum morti deputatorum auribus volans fama discurrit; & dum ex relatione Monachi se morituros certo die cognoscerent, dispositis suis reculis, ita se in mortem secuti sunt, sicut fuerant in somnio nominati.

XCI. De Lucidi Ficulensis Episcopi conversione, & transitu.

Cumque Presbyter Monachus Lucido Episcopo tam dirum nuntium revelare timeret, tacere autem penitus non auderet; monasterio se tandem proripuit, & ad domum Episcopi non longe a flumine Tiberi, [a] regione videlicet juxta basilicam Sanctorum Cyri & Johannis positam, somnium nuntiaturus accessit. Quem scilicet, ubi cum Pontifice in palatio prandere cognovit, expectans redeuntem, sacerdotalibus vestimentis indutum, colore fulgidum, valetudine quoque sanissimum, salutare curavit. Cui Episcopus ait: „ Jam nunc in tota urbe pro divino [b] ha„ beris, quia de his quos morituros prænuntia„ sti, solus unus remansit. At ille: Utinam si„ cut & ille quem vivere putas, defunctus est, „ sic ipse, qui hunc sequi prædictus est, exiliret. Cumque Episcopus de eo tota curiositate requireret, & Monachus dicere palpitaret, tandem ubi die sexto se moriturum cognovit, expalluit atque contremuit: resumtisque viribus, contra Monachum frenduit: quem redire volentem retinuit. Interiora cubiculi pervagus penetravit: paulatim sibi fauces dolere persensit. Deinde sibi tacto pulsu, mox febris signa cognovit: Monacho credidit: domum suam disposuit: ad monasterium, cui præerat, eisdem infulis redimitus, quibus a patriarchio reversus fuerat, venit. Secunda feria cunctis tam subitam conversionem mirantibus, monachicum habitum suscepit: & paulatim ingravescente molestia, sextæ feriæ diluculo subdormivit. Ac denuo suscitatus, apparuisse sibi sanctum Andream Apostolum, seque circa horam tertiam vocandum esse, sibique præceptum perhibuit, ut quia suæ mortis expectatione suspensi Monachi, sancti Fabiani munia solita celebrare non poterant, mox corpus suum sepulturæ traderent, acceptisque a se cereis ac thymiamatibus ad peragenda solemnia festinarent. Hora itaque tertia Episcopus lætus defungitur, ut in ipsa vultus ejus lætitia, conversio ipsius Deo fuisse placabilis cunctis videntibus monstraretur.

XCII. De revelatione Monachi, qui per excussionem lacrymarum inclusi cujusdam Presbyteri fratris sui sanitatem recuperavit.

Eodem tempore germanus ejusdam Monachi mentis insaniam passus est, itaut humana consortia fugiens, multo tempore pervagus per cryptas solitarias, & cœnosa monumenta discurreret. Cujus insaniæ frater nimium condolens, quotidie sanctum Gregorium profusis lacrymis precabatur, ut sibi fratrem sospitem reddere dignaretur. Itaque cum nocte quadam post hujusmodi fletus quiesceret, beatus Gregorius apparuit ei dicens: Videns lacrymas tuas, suscepi orationem tuam: „ & ecce germanum tuum „ tibi hodie sanum reducam. Et hoc tibi si„ gnum, quia statim ut dies illuxerit, jussu „ Pontificis Presbyter qui hic inclusus est ex„ trahetur. Qui surgens matutinali tempore fratribus indicavit. Forte tunc idem Presbyter Campanus de loco [c] qui Claustrum non longe a Terracina vocatur, a suis pro quodam crimine accusatus, in eodem monasterio tenebatur; & temporibus multis labentibus a suis accusatoribus, jam contemtus, a cunctis quoque suis fuerat in oblivionem deductus, cum nullum propinquum, nullum in Urbe cognitum habere potuisset, qui de eo Pontifici suggessisset: & Monachi quidem pro eo satagerent, sed proficiendi aditum non haberent, Pontifex divinitus recordatus ejusdem, diluculo hunc ab ergastulo jussit extrahi, liberumque dimitti. Nec multo post Monachi frater ita sanus reversus est, ut videretur hactenus in ejusdem Patris monasterio tanto fidelius deservisse, quanto se illius adminiculo meminit ad pristinam sanitatem remeasse.

XCIII. De dæmone a fundo Barbiliano excluso, qui conductorem, & bubulcos occiderat, Custumque persecutus.

Reverendæ quoque memoriæ Nicolai Pontificis tempore, regimen ejusdem monasterii Zacharia civitatis Anagninæ Præsule, sicut hodie superest, procurante, fundum Barbilianum, cujus superius feceram mentionem, pro incolarum sceleribus dæmon aggressus est: & in similitudine taurelli de pratis mugiendo ad domum recurrens, invisibiliter suis corniculis virum sentiebatur noctu percutere, bovesque a præsepiis extrahens, per contiguos campos, & compita cursu velocissimo fatigare. Cumque hoc diutius faceret, crebrique rusticis noxius immineret; hujusmodi percussionibus Saxulum quemdam ejusdem prædii conductorem affligendo disperdidit. Deinde bubulcos aggressus, tanta cæde perdomuit, ut intra trium mensium spatium neminem illic præter unum tantum, [d] Ursellum nomine, quem similiter affligebat, reliquerit. Qui Romam veniens, dum tantæ cladis periculum fratribus indicaret, interrupto sermone monasterii portis egressus est, & obstupescentibus Monachis nonnisi mane facto reversus est. A quibus curiose discussus, quonam se pridem tam subita velocitate proriperet, confessus est, dicens: „ Dum „ vobis insaniam dæmonis revelarem, taurellus „ adfuit, anterioribusque pedibus me comple„ ctens, ac suis corniculis tundens, ante se cœ„ pit minare, & tota nocte me subire muros coe„ git & arbores. Cumque novissime per pontem „ me conaretur demergere, de complexibus ipsius „ exilui, cumque tot discrimine fugiens, ad por„ tas, quas Euthymius Hegumenus fecerat, „ monasterii hujus perveni: quas clausas inve„ niens, ambabus manibus ambos ejus annulos ap„ prehendi: & dum ab eis me luctaretur divellere, „ quidam calvus Pontifex obliquo latere se inter „ portarum rimas excutiens, ferula caput taurel„ li percussit, eumque in fugam compellens, me „ ab illius [e] percussionibus liberavit. Ergo dum incolæ deperissent, & nullus ibidem habitator accederet, ac per hoc Monachi pro desolatione loci satagerent, cuidam eorum Gregorius in som-

a Utic. regiam videlicet juxta basilicam.
b Bigot. Germ. & Reg. habeberis.
c Utic. ad austro.
d Reg. Germ. Utic. & Bigot. cuicum defulum. Colb. cuicum ursulum.
e Iidem, excepto Reg. persecutionibus.

nis apparens jubet, ut si dæmonem a monasterii fundo voluissent depellere, ab oratorio sanctæ Martinæ usque ad oratorium sanctæ Mariæ ibidem in domum Dominicam constitutum, fratres cum litaniis aquam spargentes exorcizatam procederent. Quo facto ita dæmon ab omni monasterii possessione repulsus est, ut postea per confinii limites ore, naribus, atque oculis flammas ejicere, porcosque cogere a subulco notatus sit: sed intra fines monasterii numquam intrare permissus.

XCIV. De visione Teutgaudi, Trevirensis quondam Episcopi, qui a beato Gregorio pulsus est a monasterio.

Alio quoque tempore Theutgaudus quondam Trevirensis Episcopus, qui cum Guntario, Agrippinæ Coloniæ Episcopo, a reverendæ memoriæ Nicolao fuerat Sacerdotali privatus officio, liberalitate Hadriani Pontificis in eodem monasterio mansionem suscepit. Cui beatus Gregorius in somnis apparens, maximum terrorem, quo de suo monasterio concitus egrederetur, incussit. Ille perpendens visum fuisse phantasticum, oratione facta rursus dormire cœpit. Cui Gregorius Pontificali habitu redimitus apparens: „ Nonne, „ inquit, dixi tibi, ut a monasterio meo, quod „ in rebus propriis per invocationem sancti An„ dreæ Apostoli Domino dedicavi, recederes, „ quia diversorium fieri nullo modo licuisset? Cumque Theutgaudus hospitandi sibi licentiam suscepisse se a Pontifice respondisset, Gregorius ait: Et tu qui petisti, & ille qui dedit, utrique contra Deum fecistis, cujus vindictam citius incurretis. Evigilans Theutgaudus intremuit, & facta oratione sopori se reddere voluit, cum repente venientium sonitum audiens vehementer expavit, seque dormire simulavit. Appropinquans ergo Gregorius sanctum Andream Apostolum per dexteram tenens, præcepit Subdiacono, qui se præibat cum lumine, dicens: „ Corripe illum. Qui dum „ correptus in lectulo clausis oculis resedisset, Gre„ gorius ait: Aspice in nos. Intuitus eos Theut„ gaudus magis intremuit: cumque sibi taliter „ comminantem audivit: Quia secundo commo„ nitus, verbis oris mei credere noluisti, & me „ tua inobedientia adeo provocasti ut nunc Apo„ stolum Dei huc fatigare studuerim, scito co„ gnoscens quia nisi hodie ab hoc monasterio meo „ recesseris, futura hebdomada cum tuis omni„ bus vita privaberis. Si vero recesseris, ab hac „ quidem momentanea sententia liberaberis: sed „ neque tu, neque aliquis hic tecum degentium „ suam patriam revidebit. Mox Theutgaudus lectulo se proripuit, & primo suis, deinde monasterii Monachis, postremo quibuscumque potuit somnium revelavit. Et quia aliud hospitium citius a Pontifice impetrare non potuit, apud Sabinos consedens, eodem anno cum suis omnibus vita privatus est.

XCV. De increpatione Faraldi, qui a dæmonibus tota nocte suspensus est. a

Eodem quoque tempore Suppo, Piceni comes, ibi applicuit: qui Monachis quidem plurimam [a] dapsilitatem ostendit, & in rebus tam venerabilis monasterii usurpationem suorum prohibuit. Hujus familiaris quidam, nomine Faraldus, existens, siquando Suppo ad palatium processisset, fornicarias illuc, detestantibus Monachis, non verebatur inducere, atque cum eis comessationes, & saltationes illicitas celebrare. Idemque noctis principio secessum petens, a spiritibus immundis in aere per capillos appensus est: cumque tota nocte pendens vocis officium non haberet, matutinalibus horis beatus Gregorius ei videndum se præbuit, dicens: „ Inimice Dei, non sufficiunt tibi alia mala, „ quæ in meo monasterio pervicaciter operaris; „ insuper scenicas meretriculas in claustro mo„ nachico tamquam in theatro conducis. Crede mihi, hoc anno peribis. Tunc ille magis cœpit viribus pœnitentiam supplicare, & de cetero plenam correctionem promittere. Continuo Gregorius jussit eum dimitti: qui ad terram decidens, quia corrigi noluit, eodem anno veram fuisse Gregorii sententiam moriendo probavit.

XCVI. De Indulpho desertore monasterii a sene percusso: & de revelatione Clerici, & digressione Supponis. b

Ejusdem Comitis homo sub alio tempore Indulfus vocatus est. Cui dum cocus pro comparandis lignis denarios peteret, nullo modo potuit impetrare: sed nefario jure percepit licentiam, [b] ut attegias, & fenestras, & vicini dormitorii tabulas aggressus diriperet, earumque ignibus sibi prandium præpararet. Cum sequenti nocte idem Indulfus ad secessum pergens, cur monasterii tabulas tam petulanter incendi præcepisset, a quodam sene discussus est. At ille more Gallico sanctum senem increpitans [c] follem, ab eo quidem virga leniter percussus est: sed vir superbus tanto pondere lapsus est, ut semivivus humi decumberet. Eodem momento sub eadem specie cuidam Clerico foris dormienti idem senex apparuit, dicens: „ Surge, & dic Comiti „ ut ab hoc meo monasterio, in quo diverso„ rium fieri omnino non licet, antequam me ad „ iracundiam provocet, salvus recedat. Ecce „ ego familiari ejus mihi obnoxio, quem vide„ licet percussum ante secessum dimisi, congruam „ medelam diffundam. Quem quis esset Clericus requirens, ipsum se esse perhibuit, qui ex pictura, quæ ejus lectulo præminebat, agnosci facile potuisset. Statim Clericus surgens lumen arripuit, & ex picturæ similitudine sanctum Andream Apostolum sibi apparuisse cognovit. Itaque ad Indulfum jacentem perrexit, & eum semivivum jam reperit. Quem magnis ejulatibus clamare incipiens, tam Comitem, quam cunctos, qui sub eisdem domibus dormiebant, miserabili vociferatione venire coegit, & in faciem jacentis aquam suffundens, per invocationem sancti Andreæ Apostoli tandem aliquando loqui fecit: atque cuncta, quæ sibi revelata fuerant, cum eo pariter Comiti revelavit. Qui, die facto, Monachos evocavit, quid contra sanctum Andream commiserit, querelabundus inquirere cœpit. At illi deletum dormitorium cocorum manibus ostenderunt. Cumque Deo devotus Comes eos vellet supplicio subjugare, confessi sunt se illud ædificium Indulfi jussionibus delevisse. Pro cujus reparatione dum Comes Monachis argentum voluisset tribuere, Sergius Magister militum restitit, promittens illud se pro eo continuo melius refecturum. Mox Comes humiliter a monasterii claustro secedens, ad domum Petri filii quondam Caroli cum omnibus suis concessit, neque ulterius in eodem monasterio hospitium sibi dari concessit. Indulfus vero in domo ejusdem Sergii Magistri militum derelictus disperiit, sibique sanctum Apostolum prævaluisse suo ipsius detrimento monstravit.

Nu-

a *Dapsilitas*, *dapsilis*, voces sunt scriptoribus mediæ maxime ætatis familiares: *Dapsilitas* liberalitatem, *dapsilis* largum significat. De his fuse Cangius in Glossar.

b San-Germ. Reg. Colb. Utic. & Big. *ut regias fenestras*. Attegiæ sunt ædiculæ & casulæ. Vide Cangium. Juvenalis Sat. 14 *Dirue Maurorum attegias*.

c Vox Gallica *fol* vel *fou*, cujus antiquitas ex hoc loco demonstratur.

XCVII. De Dominico, presbytero, qui Gregorianum fontem detexerat, ligato & verberato, ejusque miserabili transitu.

Nuper Dominicus quidam Presbyter, Zacharia Episcopo, de quo præfatus sum, Gregoriani monasterii curam gerente, Præpositus extitit monasterii: qui carnis fragilitate corruptus, Eupraxiam quamdam Sanctimonialem a monasterio sancti Andreæ Apostoli, quod appellatur [a] Clivus Scauri, diripuit vel subduxit, & in regione septem viarum loco qui dicitur Vipera, collocavit. Cui cum corrupta Sanctimonialis, quia latrinam & furnum contiguum non habebat, crebro videretur esse molesta: infelix Presbyter peccatum peccato connectens, ut meretriculæ placere potuisset, beatum Gregorium non recusavit offendere. Cujus mirabilis, immo saluberrimi fontis ligna [b] tegulasque diripiens, secessum & furnum prostitutæ feminæ non erubuit fabricare. Quibus peractis, cum sequenti nocte jam securior a querelis lascivæ mulieris in eadem domo dormiret, vidit duos quosdam terribiles cubicularios se ligatis manibus ad venerabile monasterium reducentes. Quos interrogans, cujus præcepto sibi talia facerent, audivit hoc Romanum Pontificem præcepisse: Forte tunc Johannes, sanctæ Sedis apostolicæ Pontifex, contra Sarracenorum incursus littora peragrabat: cujus absentiæ ligatus Presbyter recordatus, increpando subjunxit: Dominus Papa pridie contra Sarracenos perrexit, & vos quomodo dicitis quod ipse me ligari jusserit, qui eum postea non vidistis? At illi dixerunt: Si Johannes Papa hinc abiit, sanctus Gregorius hic remansit, qui monasterii sui claustra solito more perlustrans, a te suum fontem reperit dissipatum, & nos ex ejus tegminibus tuæ meretriculæ furnum ac necessarium vidimus coopertum. Quod Presbyter ut audivit, erubescens intremuit, eorumque violentia se [c] in corte monasterii teneri conspiciens, quemdam Subdiaconum ab intimis egredientem, atque cubiculariis dicentem audivit: Extendite eum, & cum quinquaginta [d] rubricis ventrem, totidemque dorsum fornicatoris atque sacrilegi Presbyteri verberate. Quarum doloribus revera Presbyter jam febricitans excitatus, ad monasterium caballo impositus, dextra lævaque ab aliis sustentatus recucurrit, reatus sui sententiam fratribus indicavit, & invisibilibus verberibus sub febris specie laniatus, nihil aliud dicere poterat, nisi: [e] Domine reficio, Domine reficio. Cumque interrogaretur cur hoc tam frequenter repeteret, dicebat se sub continuo verbere gemere: sicque sexto die sub hac miserabili voce defunctus est. Siquidem plurimis documentis probatum est in eodem venerabili monasterio fornicationis contagione pollutos diu subsistere omnino non posse.

XCVIII. De modio monasterii, & diversitate ipsius redundationis, necnon miraculo multiplicati divinitus panis.

Quo scilicet hactenus libra omnisque mensura, quam idem beatus Gregorius instituit, cum modio reservatur, de cujus mensura si quis ad opus monasterii panes velit efficere, triginta & quinque fiunt, [f] singulis dumtaxat trium librarum: si quis vero ad opus alterius, ad eumdem numerum numquam pertingit. Quod cum præfatus Zacharias Epispopus pro certo vellet addiscere, pro celebranda festivitate beati Andreæ Apostoli decem modiorum tritici mensuram pistoribus dedit: e quibus pro undecim modiis multiplicatos, obstupescentibus eisdem pistoribus, panes recepit. Qui utique sollicite prius dinumerantes, si superfluos aliquot invenissent, sibi proculdubio reservarent.

XCIX. Quam frequenter in diversis locis Gregorius demonstretur.

Sane quam frequenter beatus Gregorius tam illic quam in Apostolorum basilicis, necnon in patriarchio nunc exhortans innoxios, nunc vero deterrens [g] obnoxios, in ipsa suæ cognitionis effigie apparebat, quia nunc narrare non valeo, hic hujus operis, adminiculante Domino, terminum facio: & reliqua ejusdem Patris miracula post me doctioribus memoranda relinquo. Cujus nimirum venerabile meritum quousque mundi hujus orbita volvitur, ut cum Paulo viro disertissimo fatear, semper accipiet incrementum: quia ipsius sine dubio gratiæ adscribitur, vel quod Anglorum Ecclesia nova semper sobole fecundatur; vel quod illius doctrinis [h] per orbem universum multi per peccatum elongati ad Christi clementiam revertuntur: vel quod boni quique ipsius suasionibus inflammati cælestem patriam desideranter inquirunt.

Paulus Diac. in fine vitæ S. Gregorii.

C. De divisione scriptoris, qui ab æmulo terreri potuit, & a beato Gregorio meruit consolari.

Ecce, studiose Pontificum, jussionis tuæ virtute coactus, dum quædam gestorum beati Gregorii prædecessoris tui, Saxonum videlicet gentis Apostoli, deflorare desidero, virum descripsi rhetoricum scriptor ignarus. Sed deprecor ut ea curiositate, qua me dudum hæc decerpere jusseras, ad omnium, sicut cœpisti, facias pervenire notitiam: ut in eo, quod sacrosancto vestro judicio placuisse me gaudeo, nulli penitus dijudicandus addicar, quin potius judicaturus inveniar. Siquidem nuperrime quando hunc quartum librum, cooperante Domino, claudere gestiebam, nocte, qua Dominicæ Resurrectionis dies venerabilis illucescebat, in somnis describens, quidam sub effigie cujusdam veteris insidiatoris palam videndum se præbuit & candidissima tunica simulque tenuissima, cujus nimirum raritate nigredo subterioris tunicæ translucebat, sacerdotaliter insignitus mox propius adstitit, & inflatis buccis risum continere non potuit. Cui dum curulem præparare cogitarem, hunc supra modum cachinnantem conspiciens, compellare videbar quamobrem nocturno silentio tam petulanter vir officii gravioris perstreperet. At ille, quia, inquit, tu scribis de mortuis, quos viventes aliquando numquam vidisti. Cumque ego tanto me veracius scribere, quanto incognitum facie, non autem incognitum lectione, sine ullo [i] livoris vel adulationis vitio retulissem, respondit: Tu sicut video, quod voluisti fecisti: at ego, quæ facere potuero, non cessabo. Hæc dicens, lucernæ flammas, cujus lumine forte fruebar, prorsus extinxit: & lychnum totum quidem extinguere non potuit; me tamen in tenebris constitutum ita perterruit, ut putarem me labiis ab eo protinus jugulari: cum post paululum desperanti mihi beatus Gregorius, comitante secum dextrorsum reverendæ memoriæ Papa. Nicolao,

a Abest *Olivus Scauri* a nonnullis mss. In German. *Glibbus Scauri*.

b Uticensis, *tabulasque*.

c Cortis, *cort*, *courtil*. Sæpe in antiquis diplomatibus præsertim occurrit. Apud Martialem legitur lib. 7. Epig. 30.

Rauca cortis aves & ova matrum.

Aliquando sumitur pro familia & domo etiam regia. In capitulis Caroli Calvi cap. 14. *quin potius habeatis unde sufficienter & honeste cum domestica corte vestra possitis vivere*.

d Per *rubricas* fortasse hic intelligit verbera quibus cruentaretur venter & dorsum fornicarii.

e Bigot. *Domine deficio*. Quam lectionem confirmat ejusdem Presbyteri responsio: *se sub continuo verbere gemere*.

f Sangerm. Reg. & Bigot. *singillatim*. Utic. *singulatim*.

g Hic, & supra cap. 96. *obnoxius* opponitur *innoxio*, & significat eum qui propter culpam ac reatum pœnæ est obligatus.

h Abest a mss. *per orbem universum*.

i Utic. *favoris*.

colao, sinistrorsum vero, sicut mihi videbatur, Petro suo Diacono, multo lumine clarificatus apparuit, dicens: Modicæ fidei, quare dubitasti? Cui dum ego priori pavore perculsus respondere non possem, benevolus mihi Pater Nicolaus latentem adversarium post cortinam, quæ tunc meum lectulum circumdabat, digito manifestans: quia, inquit, hic invidus lucernæ ipsius flammas quantum in se fuit, extinxit. Mox Gregorius manum Diaconi, qua magnam facem tenere videbatur, arripiens, ejusque flammis os faciemque petulantis exurens, ad instar Æthiopis denigravit. Qua exustione ab ore petulantis parvissima scintilla descendens, candentem tunicam dicto citius conflagravit: sicque nigerrimus totus apparuit. Cumque Diaconus diceret satis adversarium denigratum, beatus Gregorius: Nos, ait, illum non denigravimus, sed nigrum fuisse monstravimus. Deinde infortunium meum diversis consolationibus exhortatus, abscessit. Et facem quidem secum detulit; sed tanto lumine locum, in quo dormiebam, revera fulgentem dimisit, ut expergefactus, pueros ante me dormientes crebrius inclamarem: nec ante quidquam sub gravi sopore quoquo modo responderent, aut surgere potuissent, quam relictæ lucis copia paulatim se subtrahens, penitus effluxisset. At de his Deus viderit: ego tamen divinæ spei fiducia roboratus, quia Gaudericus Episcopus Veliternus expostulat, ad clementem Romanæ Sedis Antistitem, suffragante Domino stilum convertam: quatenus qui continuis infortuniis tenuatus, amicis meis, a quibus utcumque sustentor, meritum rependere nequeo, saltem verba, quæ valeo, minime denegasse cognoscar.

TESTIMONIA

Quorumdam veterum Scriptorum de sancto Gregorio Papa.

S. Gregorii Turonensis, lib. x. Historiar.

CAPUT I.

S. Gregorii electio fuit.

ANno quintodecimo Childeberti Regis, Diaconus noster ab Urbe Roma cum Sanctorum pignoribus veniens, sic [a] retulit quod anno superiore, mense nono, tanta [b] inundatione Tiberis fluvius Urbem Romam obtexit, ut ædes antiquæ diruerentur: horrea etiam Ecclesiæ subversa sint, in quibus nonnulla millia modiorum tritici periere. Multitudo etiam serpentium cum magno dracone in modum trabis validæ, per hujus fluvii alveum in mare descendit. Sed suffocatæ bestiæ inter salsos maris turbidi fluctus, littori ejectæ sunt. Subsecuta est de vestigio clades, quam inguinariam vocant. Nam medio mense undecimo adveniens, primum omnium, juxta illud quod in Ezechiele Propheta legitur: *A sanctuario meo incipite*: Pelagium Papam perculit, & sine mora extinxit. Quo defuncto, magna strages populi de hoc morbo facta est. Sed quia Ecclesia Dei absque Rectore esse non poterat, Gregorium, Diaconum, plebs omnis elegit.

Ezech. 9. 6.

Hinc enim de Senatoribus primis, ab adolescentia devotus Deo, in rebus propriis [c] sex in Sicilia monasteria congregavit: septimum intra Urbis Romæ muros instituit. Quibus tantam delegans terrarum copiam, quanta ad victum quotidianum præbendum sufficeret, reliqua vendidit [d] cum omni præsidio domus, ac pauperibus erogavit: & qui ante serico contectus, ac gemmis micantibus solitus erat per Urbem procedere trabeatus, [e] nunc vili contectus vestitu ad altaris Dominici ministerium consecratur, [f] septimusque Levita ad adjutorium Papæ adsciscitur: tantaque ei abstinentia in cibis, vigilantia in orationibus, strenuitas in jejuniis erat, ut infirmato stomacho, vix consistere posset. Litteris grammaticis, dialecticisque, ac rhetoricis ita erat institutus, ut nulli in Urbe ipsa putaretur esse secundus.

Hunc apicem attentius fugere tentans, ne quod prius abjecerat, rursum ei in seculo de adepto honore jactanti a quædam subreperet: unde factum est, ut epistolam ad Imperatorem Mauricium dirigeret, cujus filium ex lavacro sancto susceperat, conjurans, & multa prece poscens, ne umquam consensum præberet populis, ut hunc hujus honoris gloria sublimaret. Sed Præfectus urbis Romæ, germanus ejus, anticipavit nuntium, & comprehenso, disruptis epistolis, consensu, quem populus fecerat, Imperatori direxit. At ille gratias Deo agens pro amicitia ipsius Diaconi, quod reperisset locum honoris ejus, data præceptione ipsum jussit institui. Cumque in hoc restaret ut benediceretur, & lues populum devastaret, verbum ad plebem pro agenda pœnitentia in hunc modum exorsus est:

Oratio Gregorii Papæ ad plebem.

CAP. II.

Oportet, Fratres carissimi, ut flagella Dei, &c. [g] Proinde, Fratres carissimi, contrito corde, & correctis operibus, ab ipso feriæ quartæ primo diluculo, ad septiformem litaniam juxta distributionem inferius designatam, devota ad lacrymas mente veniamus: ut districtus judex, cum culpas nostras nos punire consideraverit, ipse a sententia propositæ damnationis parcat. Clerus igitur egrediatur ab Ecclesia Sanctorum Martyrum

a Confer cum lib. 1. de Gloria mart. c. 83. ubi de hujus Diaconi peregrinatione.

b Vide lib. 111. Dialog. c. 19 & Paulum Diac. lib. 3 de Gestis Langobard. c. 24. Idem legitur in utraque vita S. Greg. antea edita.

c De his monasteriis lege nostros de S. Greg. vita commentarios.

d Hæc vox Gregorio Turon. familiaris. Vide lib. 6. hist. c. 4. & l. 9. c. 40. significat pecuniam, suppellectilem, bona mobilia. Vide notas ad lib. Sacram. col. 472.

e Nempe monastico. De monastica S. Greg. vita infra disseremus.

f Nonnisi septem Diaconi, scilicet regionarii, tunc in Ecclesia Romana ordinabantur. De hoc more infra fusius dicetur.

g Ut edita sunt tum in Vita auctore Johanne Diacono, tum ad calcem homil. in Evang. Tom. I. Quæ vero leguntur de Litania septiformi apud Greg. Turon. hic excudenda censuimus, quod in his cum Johanne Diacono, imo cum ipsomet S. Gregorio non conveniat. Dissensus illius rationem alibi attulimus.

tyrum Cosmæ & Damiani, cum Presbyteris regionis sextæ. Omnes vero Abbates cum Monachis suis, ab Ecclesia Sanctorum Martyrum Gervasii & Prothasii cum Presbyteris regionis quartæ. Omnes Abbatissæ cum congregationibus suis, egrediantur ab Ecclesia Sanctorum Martyrum Marcellini & Petri, cum Presbyteris regionis primæ. Omnes infantes ab Ecclesia sanctorum Martyrum Johannis & Pauli, cum Presbyteris regionis secundæ. Omnes vero laici ab Ecclesia Protomartyris Stephani cum Presbyteris regionis septimæ. Omnes mulieres viduæ ab Ecclesia sanctæ Euphemiæ, cum Presbyteris regionis quintæ. Omnes autem mulieres conjugatæ egrediantur ab Ecclesia sancti Martyris Clementis, cum Presbyteris regionis tertiæ: ut de singulis Ecclesiis exeuntes cum precibus & lacrymis, ad beatæ Mariæ semper Virginis Genitricis Domini Dei nostri Jesu Christi basilicam congregemur, ut ibi diutius cum fletu, ac gemitu Domino supplicantes, peccatorum nostrorum veniam promereri valeamus.

Hæc eo dicente, congregatis Clericorum catervis, psallere jussit per triduum ac deprecari Domini misericordiam. De hora quoque tertia veniebant omnes chori psallentium ad Ecclesiam, clamantes per plateas Urbis: *Kyrie eleison.* Asserebat autem Diaconus noster, qui aderat, in unius horæ spatio, dum voces plebs ad Dominum supplicatioois emisit, octoginta homines ad terram corruisse, & spiritum exhalasse. Sed non destitit Sacerdos tantus prædicare populo, ne ab oratione cessarent. Ab hoc etiam Diaconus noster reliquias Sanctorum, ut diximus, sumsit, dum adhuc in Diaconatu degeret. Cumque latibula fugæ præpararet, capitur, trahitur, & ad beati Apostoli Petri basilicam deducitur: ibique ad Pontificalis gratiæ officium consecratus, Papa Urbi datus est. Sed nec destitit Diaconus noster nisi ad episcopatum ejus [a] de porto rediret, & qualiter ordinatus fuerit, præsenti contemplatione suspiceret.

S. Isidori Hispalensis Episcopi, lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

S. Gregorii ætate suppar fuit.

GRegorius Papa, Romanæ Sedis apostolicæ Præsul, compunctione timoris Dei plenus, & humilitate summus, tamquam per gratiam sancti Spiritus scientiæ lumine præditus, ut non modo illi præsentium temporum quisquam doctorum, sed nec in præteritis quidem illi par fuerit umquam. Hic in episcopatus sui exordio edidit librum Regulæ Pastoralis, directum ad Johannem, Ravennæ Sedis Episcopum. In quo quisque docetur, qualis ad officium regiminis veniat, vel qualiter, dum venerit, vivere vel docere subjectos studeat. Idem etiam, efflagitante Leandro Episcopo, librum beati Job mystico ac morali sensu disseruit, totamque prophetiæ ejus historiam in triginta quinque voluminibus largo eloquentiæ fonte explicavit. In quibus quidem quanta mysteria Sacramentorum aperiantur, quantaque sint in amorem vitæ supernæ morum præcepta, vel quanta clareant ornamenta verborum, nemo sapiens explicare valebit, etiamsi omnes artus ejus vertantur in linguis. Scripsit etiam & quasdam epistolas ad prædictum Leandrum, e quibus unam in eisdem libris Job titulo præfationis adnectit. Altera loquitur de mersione baptismatis, in qua inter cetera „ ita scriptum est: Reprehensibile, inquit, esse „ nullatenus potest infantem in baptismate mergere vel semel, vel ter, quando in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest divinitatis singularitas designari. Fertur tamen idem excellentissimus vir, & alios libros morales scripsisse totumque textum quatuor evangeliorum sermocinando, in populis exposuisse, incognitum scilicet nobis opus. Felix tamen, nimiom felix, qui omnium studiorum ejus potuit cognoscere dicta. Floruit autem Mauricio Imperatore: obiitque in ipso exordio Phocæ Romani Principis.

Venerabilis Bedæ, lib. II. Histor. Eccl. gentis Anglorum c. 1.

Floruit ad 8. ætate sec. 7. & fere per 35. an. seculi 8.

ANno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo quinto, beatus Papa Gregorius, postquam Sedem Romanæ & apostolicæ Ecclesiæ tredecim annos, menses sex, & dies decem gloriosissime rexit, defunctus est, atque ad æternam regni cælestis sedem translatus. De quo nos convenit, quod nostram, id est Anglorum gentem de potestate satanæ ad fidem Christi sua industria convertit, latiorem in nostra historia ecclesiastica facere sermonem. Quem recte nostrum appellare possumus, & debemus Apostolum: quiam cum primum in toto orbe gereret Pontificatum, & conversis jamdudum ad fidem veritatis esset prælatus in Ecclesia, nostram gentem eatenus idolis mancipatam Christi fecit Ecclesiam: itaut apostolicum illum de eo liceat nobis proferre sermonem: quia etsi aliis non est Apostolus, sed tamen nobis est: *Nam signaculum apostolatus ejus nos sumus in Domino.* (1. Cor. 9. 2.) Erat autem natione Romanus, ex Patre Gordiano, genus a proavis non solum nobile, sed & religiosum ducens. Deinde Felix, ejusdem Sedis apostolicæ quondam Episcopus, vir magnæ gloriæ in Christo & in Ecclesia, fuit ejus atavus. Sed & ipse nobilitatem religionis non minorem, quam parentes, & cognati, virtute devotionis exercuit. Nobilitatem vero illam, quam ad seculum videbatur habere, totam ad nanciscendam supernæ gloriam dignitatis, divina gratia largiente, convertit. Nam mutato repente seculari habitu, monasterium petiit, in quo tanta perfectionis gratia cœpit conversari, ut sicut ipse postea contestari solebat flendo, animo illius labentia cuncta subter essent: ut rebus omnibus, quæ volvuntur, emineret, numquam nisi cælestia cogitare soleret: ut etiam retentus corpore ipsa jam carnis claustra contemplatione transiret: ut mortem quoque, quæ pene cunctis pœna est, videlicet ut ingressum vitæ, & laboris sui præmium amaret. (*Vide Proœmium lib. 1. Dialogorum.*) Hæc autem ipse de se, non profectum jactando virtutum, sed deflendo potius defectum, quem sibi per curam Pastoralem incurrisse videbatur, referre consueverat. Denique tempore quodam secreto cum Diacono suo Petro colloquens, enumeratis animi sui virtutibus priscis, mox dolendo subjunxit:
„ At nunc ex occasione curæ Pastoralis secularium (*Ibid.*)
„ hominum negotia patitur, & post tam pulchram quie-

a Becensis, *de portu*: plerique editi, *de porto*. Sequimur editionem nostri D. Theoderici Ruinart. *De porto* hic significat Diaconum Ecclesiæ Turon. ad portum sacris cum reliquiis deductum, ut legitur lib. 1. de gloria Martyrum c. 83. inde rediisse Romam, ut S. Gregorii ordinationem propriis oculis usurparet.

„ quietis suæ speciem, terreni actus pulvere fœda-
„ tur. Cumque pro condescensione multorum se
„ ad exteriora sparserit, etiam cum interiora ap-
„ petit, ad hæc proculdubio minor redit. Per-
„ pendo itaque quid tolero, perpendo quid ami-
„ si: dumque intueor illud quod perdidi, fit hoc
„ gravius quod porto.

Hæc quidem sanctus vir ex magnæ humilitatis intentione dicebat, sed nos credere decet nihil eum monachicæ perfectionis perdidisse, occasione curæ Pastoralis: immo potiorem tunc sumsisse profectum de labore conversionis multorum, quam de propriæ quondam quiete conversionis habuerat; maxime quod & Pontificali functus officio, domum suam monasterium facere curavit. Et dum primum de monasterio abstractus, ad ministerium altaris ordinatus, atque Constantinopolim Apocrisiarius ab apostolica Sede directus est, non tamen in terreno conversatus palatio, propositum vitæ cælestis intermisit. Nam quosdam fratrum ex monasterio suo, qui eum gratia germanæ caritatis ad regiam urbem secuti sunt, in tutamentum cœpit observantiæ regularis habere: videlicet, ut eorum semper exemplo, sicut ipse scribit, ad orationis placidum littus quasi anchoræ fune restringeretur, cum incessabili causarum secularium impulsu fluctuaret, concussamque seculi actibus mentem inter eos quotidie per studiosæ lectionis roboraret alloquium.

Horum ergo consortio non solum a terrenis est munitus incursibus, verum etiam ad cælestis vitæ exercitia magis magisque succensus. Nam hortati sunt eum, ut librum beati Job magnis involutum obscuritatibus, mystica interpretatione discuteret; neque negare potuit opus, quod sibi fraternus amor multis utile futurum imponebat. Sed eumdem librum quomodo juxta litteram intelligendus, qualiter ad Christi & Ecclesiæ sacramenta referendus, quo sensu unicuique fidelium sit aptandus, per triginta quinque libros expositionis miranda ratione perdocuit. Quod videlicet opus in regia quidem urbe Apocrisiarius inchoavit, Romæ autem jam factus Pontifex implevit. Qui cum esset adhuc in urbe regia positus, nascentem ibi novam hæresim de statu nostræ Resurrectionis, in ipso, quo exorta est, initio, juvante se gratia Catholicæ veritatis, attrivit. Siquidem Eurychius, ejusdem Urbis Episcopus, dogmatizabat corpus nostrum in illa Resurrectionis gloria impalpabile, ventis, aereque subtilius esse futurum. Quod ille audiens, & ratione veritatis & exemplo Dominicæ Resurrectionis probavit hoc dogma orthodoxæ fidei omnimodis esse contrarium. Catholica etenim fides habet quod corpus nostrum in illa immortalitatis gloria sublimatum, subtile quidem fit per effectum spiritalis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ, juxta exemplum Dominici corporis, de quo a mortuis suscitato dicit ipse discipulis: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* (Luc. 24. 39.) In cujus assertione fidei venerabilis Pater Gregorius in tantum contra nascentem hæresim novam laborare contendit, tantaque hac instantia, juvante etiam piissimo Imperatore Tiberio Constantino, comminuit, ut nullus exinde sit inventus, qui ejus resuscitator existeret.

Alium quoque librum composuit egregium, qui vocatur *Pastoralis*, in quo manifesta luce pa-

A tefecit, qualis ad Ecclesiæ regimen assumi, qualiter ipsi Rectores vivere, qua discretione singulas quasque audientium instruere personas, & quanta consideratione propriam quotidie debeant fragilitatem pensare. Sed & Homilias Evangelii numero quadraginta composuit, quas in duobus codicibus æqua sorte distinxit. Libros etiam Dialogorum quatuor fecit in quibus rogatu Petri Diaconi sui virtutes Sanctorum, quos in Italia clariores nosse vel audire poterat, ad exemplum vivendi posteris collegit: ut sicut in libris expositionum suarum, quibus sit virtutibus insudandum edocuit, etiam descriptis Sanctorum miraculis, quæ virtutum eorumdem sit claritas ostenderet. Primam quoque & ultimam B Ezechielis prophetiæ partem, quæ videbantur obscuriores, per Homilias viginti duas declaravit, ac quantum lucis intus habeant, demonstravit. Excepto libello Responsionum, quas ad interrogationes S. Augustini, primi Anglorum Episcopi, scripsit, ut supra docuimus, totum ipsum libellum his inferentes historiis; libello quoque Synodico quem cum Episcopis Italiæ, de necessariis Ecclesiæ causis utilissimum composuit, & familiaribus ad quosdam litteris. Quod eo magis mirum est, tot eum ac tanta concedere volumina potuisse, quod pene omni juventutis suæ tempore, ut verbis ipsius loquar, cre- C bris viscerum doloribus cruciabatur, horis momentisque omnibus fracta stomachi virtute lassescebat, lentis quidem, sed tamen continuis febribus anhelabat. Verum inter hæc dum sollicitus pensaret quia, Scriptura teste, omnis filius, qui recipitur, flagellatur; quo malis præsentibus durius deprimebatur, eo de æterna certius præsumtione respirabat.

Hæc quidem de immortali ejus dicta sint ingenio, quod nec tanto potuit corporis dolore restringi. Nam alii quidem Pontifices construendis ornandisque auro vel argento Ecclesiis operam dabant: hic autem totus erga animarum lucra vacabat. Quidquid pecuniæ habuerat, sedulus hoc dispergere, ac dare pauperibus curabat, ut D *justitia ejus maneret in seculum seculi, & cornu ejus exaltaretur in gloria*: (Psal. 111. 9.) itaut illud beati Job veraciter dicere posset: *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi, quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Justitia indutus sum, & vestivi me sicut vestimento & diademate, judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & causam quam nesciebam diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* (Job. 29. v. 11 & seq.) Et paulo post: *Si negavi*, inquit, *quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Quia ab infantia mea* E *crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum.* (Idem 31. 16 & seq.)

Ad cujus pietatis, & justitiæ opus pertinet etiam hoc, quod nostram gentem per prædicatores quos huc direxit, de dentibus antiqui hostis eripiens, æternæ libertatis fecit esse participem. Cujus fidei & salutis congaudens, quæque digna laude commendans, ipse dicit in expositione beati Job: (Lib. 27. num. 11.) Ecce lingua Britanniæ, quæ nihil aliud noverat, quam barbarum frendere, jam dudum in divinis laudibus Hebræum cœpit *Alleluia* resonare. Ecce quondam tumidus, jam substratus

„ stratus Sanctorum pedibus servit Oceanus, ejusque Barbaros immites, quos terrem Principes edomare nequiverant, hos pro divina formidina, Sacerdotum ora simplicibus verbis ligant: & qui catervas pugnantium infideles nequaquam metuerent, jam nunc fideles humilium linguas timent. Quia enim perceptis cælestibus verbis, clarescentibus quoque miraculis, virtus ei divinæ cognitionis infunditur, ejusdem divinitatis terrore refrenatur, ut grave agere metuat, ac totis desideriis ad æternitatis gratiam venire concupiscat. Quibus verbis beatus Gregorius hoc quoque declarat, quod S Augustinus & socii ejus non solum prædicatione verborum, sed etiam cælestium ostensione signorum, gentem Anglorum ad agnitionem veritatis perducebant.

Fecit inter alia beatus Papa Gregorius, ut in Ecclesiis Apostolorum beatorum Petri & Pauli, super corpora eorum Missæ celebrarentur. Sed & in ipsa Missarum celebratione tria verba maximæ perfectionis plena superadjecit: *Diesque nostros in tua pace disponas: atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari.* Rexit autem Ecclesiam temporibus Imperatorum Mauricii & Phocatis; Secundo autem ejusdem Phocatis anno transiens ex hac vita, migravit ad veram, quæ in cælis est, vitam. Sepultus vero est corpore in Ecclesia beati Petri Apostoli, ante secretarium, die quarto Iduum Martiarum, quandoque in ipso cum ceteris sanctæ Ecclesiæ Pastoribus resurrecturus in gloria. Scriptumque est in tumba ipsius epitaphium hujusmodi: *Suscipe, terra, tuo corpus de corpore sumtum, &c. ut apud Johan. Diac. lib. 4. vitæ c.* 68. Nec silentio prætereunda opinio, quæ de beato Gregorio traditione majorum ad nos usque perlata est: qua videlicet ex causa admonitus, tam sedulam erga salutem nostræ gentis curam gesserit. Dicunt quia die quadam, cum advenientibus nuper mercatoribus, multa venalia in forum fuissent collata, multique ad emendum confluxissent, & ipsum Gregorium inter alios advenisse, ac vidisse inter alia pueros venales positos, candidi corporis, ac venusti vultus, capillorum quoque forma egregia. Quos cum aspiceret, interrogavit, ut ajunt, de qua regione vel terra essent allati: dictumque est quod de Britannia insula, cujus incolæ talis essent aspectus: Rursus interrogavit, utrum iidem insulani essent Christiani, an paganis adhuc erroribus essent implicati. Dictum est quod essent pagani. At ille intimo ex corde longa trahens suspiria: Heu proh dolor! inquit, quod tam lucidi vultus homines tenebrarum auctor possidet, tantaque gratia frontis speciei mentem ad internam gratiam vacuam gestat. Rursus interrogavit quod esset vocabulum gentis illius. Responsum est quod Angli vocarentur. At ille: Bene, inquit, nam & angelicam habent faciem, & tales Angelorum in cælis decet esse coheredes. Quod habet nomen ipsa provincia, de qua isti sunt allati? Responsum est, quod Deiri vocarentur iidem provinciales. At ille inquit: Bene Deiri, de ira eruti, & ad misericordiam Christi vocati. Rex provinciæ illius quomodo vocatur? Responsum est quod Ælle diceretur. At ille alludens ad nomen, ait: Alleluia laudem Dei Creatoris illis in partibus oportet cantari. Porro accedens ad Pontificem Romanæ & apostolicæ Sedis (nondum enim erat ipse Pontifex factus) rogavit ut genti Anglorum in Britanniam aliquos verbi ministros, per quos ad Christum converterentur, mitteret: seipsum paratum esse in hoc opus Domino cooperante, perficiendum, si tamen apostolico Papæ hoc ut fieret placeret. Quod dum perficere non posset, (quia etsi Pontifex concedere illi quod petierat voluit, non tamen cives Romani, ut tam longe ab Urbe secederet, potuerunt permittere) mox ut ipse Pontificatus officio functus est, perfecit opus diu desideratum, alios quidem prædicatores mittens, sed ipse prædicationem, ut fructificaret, suis exhortationibus ac precibus adjuvans. Hæc juxta opinionem, quæ ab antiquis accepimus, historiæ nostræ ecclesiasticæ inserere optimum duximus.

Ex Adone Archiepiscopo Viennensi.

Romæ depositio sancti Gregorii Papæ, qui nobili genere, liberalibus artibus eruditus est. Deinde defunctis parentibus; sex in Sicilia monasteria construens, septimum intra Urbis muros constituit. In quo ipse post secularem habitum multis fratribus aggregatis, sub Abbatis imperio strenue militavit, & suæ nobilitatis lineam moribus extulit, probis actibus decoravit. Nam qui ante sericis vestibus ac gemmis micantibus per Urbem solebat procedere trabeatus, post vili contectus tegmine, ministrabat pauper ipse pauperibus. Quibus monasteriis tantum de reditibus prædiorum delegavit, quantum posset commorantibus ad quotidianum victum sufficere: reliqua vero vendidit, ac pauperibus erogavit. Deinde coactus & multum renitens, factus Urbis Romæ summus Pontifex, Anglorum gentem ad fidem convertit: directis videlicet sui monasterii Monachis, Mellito, Augustino, atque Johanne, & cum eis a iis pluribus fratribus. Rexit autem gloriosissime Romanam Ecclesiam annis xiii. mensibus sex, & diebus decem. Augmentavit etiam in præfatione Canonis: *Diesque nostros in tua pace dispone.* Floruit post an. 850.

Hadriani Papæ I. ad Episcopos Hispaniæ, Tom. VII. Concil. p. 1017.

Jam nunc videamus, quid de hac re sentiat prædecessor noster beatus Gregorius egregius doctor, sagacissimus verbi Dei indagator, & venerabilis Pater. Denique in libris moralibus sancto repletus Spiritu, &c.

Hincmari Remensis, de Prædestinat. c. 18.

Quod vidit beatus Gregorius primæ & sanctæ Sedis Romanæ ornatus præcipuus, dicens in lib. 1. Dialogorum: *Ipsa perennis,* inquit, *regni prædestinatio, ita est ab omnipotente Deo disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant; quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante secula disposuit donare.* Unde &, sicut in gestis Romanorum Pontificum legitur, arcanis sacramentorum cælestium augmentare curavit: *ut dies disponat, ab æterna damnatione nos eripi & in electorum suorum jubeat grege numerari.*

Vita S. Gregorii Magni per Simeonem Metaphrasten.

Beatus Gregorius, qui sanctæ Dei Ecclesiæ Romanæ Pontifex fuit, antequam fieret Patriarcha, Vixit ineunte seculo x.

elia, Monachus erat in monasterio sancti Andreæ Apostoli ad clivum Scauri, prope templum sanctorum Martyrum Johannis & Pauli. Atque illi quidem monasterio ipse præerat. Matrem vero habuit beatam Silviam, quæ tunc juxta portam sancti Apostoli Pauli locum patrium, qui Cella nova dicitur, incolebat. Accidit ut cum in cellula ipse sua sederet & scriberet, accesserit ad eum mendicus voce supplici: Miserere mei, inquiens, serve Dei Altissimi, qui cum essem navis gubernator, naufragium feci, & aliena meaque perdidi. At ille, uti benignus in pauperes, ac vere Christi servus, vocato procuratore; Da, inquit, frater, huic sex nummos aureos. Frater autem id quod servus Dei Gregorius mandaverat, fecit, mendicoque pecuniam dedit. Eodem rursus die pauper idem ad beatum Gregorium venit: & miserere mei, inquit, serve Dei Altissimi, qui cum multa amiserim, parum abs te accepi. Beatus autem Gregorius ministrum suum iterum vocavit, dixitque ut sex item nummos eidem pauperi numeraret. Ac frater quidem paruit. Sed pauper cum, acceptis duodecim nummis, discessisset, ad beatum Gregorium paulo post rediit eodem die: Miserere, inquiens, mei, serve Dei Altissimi, & aliquid rursum elargire: quoniam magnam jacturam feci. Procuratore tertium accersito: Da, frater, inquit, huic pauperi sex alios nummos. At ille respondens: Crede mihi, Pater, inquit, ne unus quidam in arca relictus est nummus. Cui beatus Gregorius: Nonne aliud quidquam habes in promtuario, ut vas aliquod aut vestimentum, quod pauperi largiaris? Nullum, respondit ille, vas habemus, præter argenteum illud, quod magna domina de mora leguminibus plenum misit. Abi, inquit servus Dei Gregorius, atque illud pauperi præbe. Frater autem fecit quod sibi a beato Gregorio mandatum fuerat. Pauper igitur, acceptis duodecim nummis, & vase argenteo, discessit. Cum autem in sanctissima & maxima Dei Ecclesia veteris Romæ creatus esset Patriarcha, & quemadmodum Patriarcharum est consuetudo, quodam die thesaurario mandasset ut duodecim pauperes ad mensam suam convocaret, qui secum prandierent, paruit ille, ac pauperes convocavit. Verum cum discubuissent cum Patriarcha, deprehensi sunt esse tredecim. Quamobrem accersito thesaurario: Nonne, inquit, mandavi tibi, ut duodecim vocares? Cur igitur tredecim vocasti præter sententiam meam? His ille auditis perterritus: Crede, inquit, mihi, venerande Domine, duodecim sunt: nec alius quisquam, præter Patriarcham, tredecimum vidit. Inter prandendum igitur Patriarcha tertium decimum illum spectabat, qui in summo scamno considerabat. Et ecce facies ejus varias formas sumebat. Modo enim senex, modo adolescens ille videbatur. Itaque cum e mensa consurrexissent, beatus Gregorius reliquis omnibus dimissis, tertium-decimum illum, qui tam admirandus ipsi visus fuerat, manu apprehensum in cubiculum duxit, & allocutus est ad hunc modum: Adjuro te per magnam omnipotentis Dei virtutem, ut aperias mihi, qui sis, & quo nomine appelleris. Et ille: Cur, inquit, nomen meum quæris, quod est admirabile? Ego sum pauper ille, qui ad te veni in mansionem sancti Andreæ Apostoli ad clivum Scauri, cum tu in cellula tua sederes ac scriberes, cui duodenos dedisti nummos, & vas, quod tibi beata mater Silvia cum leguminibus miserat. Itaque cum perspicuum fuerit ita in cordis simplicitate & patientia constantem permansisse, ex quo die mihi hæc tribuisti, constituit Dominus ut Ecclesiæ sanctæ suæ, pro qua proprium etiam sanguinem effudit, Pontifex fieres, & Petri Principis Apostolorum successor esses: ut posses omnibus, quodcumque opus foret, subministrare. Unde, beatus inquit Gregorius, nosti, tunc Dominum, ut ego Pontifex fieram, decrevisse? Quia, respondit, sum Dei Angelus omnipotentis, idcirco id novi. Et tunc Dominus misit me, ut animi tui propositum explorarem, & utrum humanitate ductus, an ostentatione faceres eleemosynam. Quo beatus Gregorius audito timuit, neque enim antea eum Angelum esse cognoverat: & ideo cum illo tamquam cum homine egerat & locutus fuerat. Dixit autem Angelus ad beatum Gregorium: Ne timeas, misit enim me Deus ut tecum verser in hac vita. Quod ille cum audisset, humi prostratus in faciem suam, adoravit Dominum: Si propter exiguam hanc, inquiens, ad promerendum animi propensionem, tantum benignitatis cumulum clementissimus Dominus declaravit, ut Angelum suum mitteret, qui mei in perpetuum custos esset, quænam eorum futura est gloriæ magnitudo, qui mandatis ejus obtemperabunt, & justitiam colent? Verax enim est ille qui dixit, judicio misericordiam præstari, & Deo fenerari eum, qui pauperis miseretur. Quin etiam ipse Dominus Angelorum, qui salutis hominum auctor est, eos qui a dextris erunt collocati, sic alloquetur: *Venite, Benedicti Patris mei, paratum vobis a mundi constitutione suscipite regni hereditatem.* Et: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare. Sitivi, & dedistis mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me. Æger, & visitastis me. Nudus, & operuistis me. In carcere, & venistis ad me. Quatenus enim fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Quam quidem beatam vocem utinam audiamus nos omnes qui hæc vel legimus, vel audimus; & consequamur ea bona sempiterna, quæ paravit Deus iis a quibus diligitur, per gratiam atque humanitatem Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in secula seculorum. Amen. Matt. 25. 34.

Sigeberti Gemblacensis, lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

GRegorius natione Romanus, ex Pretore Urbano, Monachus, Abbas, septimus Romanæ Ecclesiæ Levita, Apocrisiarius Papæ Romanæ Ecclesiæ, multa scripsit. Rogatus a Leandro Hispalensi Episcopo, librum Job exposuit tripliciter, historice, allegorice, & moraliter, & librum dividens in sex libros, consummavit hoc mirabile opus in triginta quinque libris. Primam & ultimam Partem Ezechielis Prophetæ, quæ obscuriores erant, exposuit homilitico sermone. Scripsit [a] ad Marianum Episcopum quadraginta duas Evangelii homilias. In initio pontificatus sui scripsit ad Johannem Ravennæ Episcopum, librum Regulæ Pastoralis: librum Dialogorum, quem cum Petro Diacono suo, de miraculis Sanctorum sui temporis habuit, Theudelindæ Langobardorum

Obiisse dicitur an. 1113.

a Non ad Marianum seu Marinianum, sed ad Secundinum, Tauromenitanum Ep. Ceterum hom. 40. tantum agnoscimus.

rum Reginæ pro munere misit. Epistolarum collectio Registrum dicitur. Floruit sub Mauricio,

Et tot libros posteris reliquit, quot annos in pontificatu vixit, id est tredecim & semis. Scripsit & alia, quæ a Romanis post mortem ejus combusta sunt: qui & omnia opera ejus combussissent, nisi Petrus Diaconus ejus interveniens confirmasset jurejurando, se vidisse Spiritum sanctum, quasi columbam super caput Gregorii tractantis, sedentem, rostrum suum ori illius inserentem. Et hoc ipsum Petrus hac conditione fecit, ut si post factum jusjurandum statim moreretur, Romani a libris Gregorii comburendis cessarent, si non moreretur, ipse etiam combustoribus librorum manus daret. Sic Petrus inter verba juramenti expiravit, & Romanorum insania cessavit. Quæ scriptura Gregorium tam illustravit, quam illud, quod Antiphonarium regulari musica modulatione centonizavit, & scholas cantorum in Romana Ecclesia constituit.

Honorii Augustodunensis, de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Floruit seculo 12. jam adulto.

Gregorius, Romanæ urbis Episcopus, organum sancti Spiritus, incomparabilis omnibus suis prædecessoribus, multa præ sole præclara, ac præ obrizo auro pretiosa scripsit. Ad supradictum Johannem, Pastoralem curam: Ad Leandrum Episcopum, librum Job triginta quinque voluminibus largo eloquentiæ fonte explicavit. Dialogum de miraculis Sanctorum ad Petrum Archidiaconum. Quadraginta oracula Evangeliorum, [a] imo totum textum quatuor Evangeliorum, sermocinando, populo exposuisse dicitur: & viginti Homilias in Ezechielem, & infinitas epistolas, quarum collectio Registrum dicitur. Floruit sub Mauricio,

Johannis Trithemii, in Eccles. Scriptorum catalogo.

Floruit ineunte seculo 16.

Gregorius Papa primus, ex Monacho ordinis Sancti Benedicti, patria Romanus, post Pelagium Pontificem sedit in Cathedra Petri annis tredecim, mensibus sex, vir in divinis Scripturis eruditissimus, & in secularibus litteris utique doctissimus, Theologorum Princeps, splendor Philosophorum, & Rhetorum lumen, vita & conversatione integer atque sanctissimus, cui divinas Scripturas explananti, Spiritus sanctus aliquoties visibili specie apparuit, eique arcana mysteriorum earumdem invisibili magisterio reseravit. Hic Romæ apud sanctum Petrum habita Synodo viginti quatuor Episcoporum, multa ad Ecclesiæ utilitatem constituit, & decretum immunitatis monasteriorum promulgavit. Scripsit autem plura necessaria volumina, de quibus feruntur subjecta:

Ad Leandrum Hispalensem Episc. Moralium in librum Job. Lib. xxxv. *Inter multos sæpe*.

De cura pastorali. Lib. II. *Pastoralis curæ me*.

Dialogorum de miraculis Sanctorum. Lib. IV. *Quadam die nimis*.

In Cantica canticorum. Lib. IV. *Postquam a Paradisi*.

In Ezechielem Prophetam. Lib. II. *Dei omnipotentis*.

Homiliæ Evangeliorum. XL: lib. II. *Dominus ac Redemptor*.

[b] Explanatio IV. Evangeliorum brevis. Lib. IV. *Matthæus sicut in ordine*.

a De his lege quæ infra ad Johan. Trithemii testimonium observavimus.

b Hujus explanationis codices duos mss. annorum 900. invenimus; unum, ipsumque elegantissime conscriptum, in Regia Bibliotheca; alterum vero, non ita accurate exaratum, in Biblioth. Bigot. cum hoc titulo: *Incipit expositio secundum Matthæum ..... a sancto Gregorio .... Urbis Romæ. Matthæus sicut in ordine primus* &c. Puncta hic notata designant verba quæ ita abrasa sunt, ut legi non possint. Hæc expositio non redolet stylum S. Greg. Mag. cui tamen eam tribuere videtur Honorius August. cum de ipso ait: *Quadraginta oracula Evangeliorum, imo totum textum 4. Evangeliorum sermocinando populo exposuisse dicitur. lib. de Scriptoribus Eccles. in Greg.* Codex Bigot. est mutilus: nam expositio in Lucam pene deest integra. Huic præmittitur expositio Evangelii secundum Johannem: forma codicis respondet nostris voluminibus in octavo, & in dorso superscriptum legitur: *homiliæ S. Greg. Concordia mensium. Canones Apostolorum*.





SANCTI GREGORII PAPÆ I. VITA,

Ex ejus potissimum scriptis recens adornata.

LIBER PRIMUS.

Ejus historiam ab ortu ad summum pontificatum complectens.

CAPUT PRIMUM.

I. S. Gregorii genus. Gordianus ejus pater. II. Mater sancta Silvia. III. Majores, inter quos sanctus Felix Papa. IV. Amitæ, inter quas sanctæ Tharsilla & Æmiliana. V. Fratrem habuit. VI. Quo anno sit ortus. VII. Ejus nomen quid significet. VIII. Sancti pueri institutio. IX. Et studia.

I. Gregorii genus. Gordianus ejus pater. Paul. Diac. Joan. Diac. lib. 1. c. 1. Beda l. 2. hist. c. 1. S. Greg. Turon. lib. 10. hist. c. 1. Lib. 8. ep. 14.



REGORIUS cognomento Magnus Romæ in lucem editus est, parentibus non minus splendore [a] generis, quam morum integritate ac sanctitate illustribus. Gordianus ejus pater senatorii ordinis vir nobilissimus ac ditissimus, Regionarius fuit; hoc est, ut ex Johannis Diaconi l. 4. c. 83. narratione conjicit Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum parens, ad annum 604. unus ex septem Diaconis cardinalibus, qui dicti sunt Regionarii, quod certis Urbis regionibus præficerentur. At vero non ex solis Diaconis Regionarii constituebantur, sed etiam ex Subdiaconis & ex Notariis; postęaque Gregorio Magno concedente, ex Defensoribus. Verba Johan. Diaconi referam, ut quid ex illis intelligendum sit prudens lector statuat: *In cujus venerabilis monasterii* (S. Andreæ) *atrio, jussu Gregorii, juxta nymphium duæ iconiæ veterrimæ artificialiter depictæ, usque hactenus videntur: in quarum altera B. Petrus Apostolus sedens conspicitur stantem Gordianum Regionarium, videlicet Patrem Gregorii, manu dextera per dexteram suscepisse. Cujus Gordiani habitu, castanei coloris planeta est, sub planeta dalmatica, in pedibus caligas habens.* Quæ sane vestimenta arguere videntur Diaconum. Sed Ferrarius lib. 1. de re vestiaria c. 38. censet promiscuum tunc fuisse planetæ ac dalmaticæ usum; idque luculenter probatur ex ipso Johanne Diac. dum inter vestimenta S. Silviæ Matris B. Gregorii, planetam recenset, ut infra dicemus. Qua de re legendus doctissimus Johannes Mabillonius in Præfat. ad Tom. 1. Act. SS. §. CVIII. Regionarium tamen fuisse Gordianum, & inter ministros basilicæ S. Petri, aut Ecclesiæ Rom. cooptatum, demonstrant, tum Johan. Diaconi verba, tum B. Petri effigies, Gordianum dextra manu suscipientis. Ex eadem veteri pictura Johan. Diacon. tribuit Gordiano staturam longam, faciem diductam, virides oculos, barbam modicam, vultum gravem.

Ibid.

II. Mater S. Silvia. Joan. Diac. lib. 1. c. 9.

Silvia mater Gregorii mundo valedicens (utrum viro demortuo, an adhuc superstite, incertum) juxta portam basilicæ S. Pauli Apostoli, secessum sibi delegit; quo in loco vulgo dicto *Cella nova* conditum oratorium ejus nomini dicatum, adhuc sua ætate stetisse testatur Johan. Diaconus. Silvia enim in Sanctorum album est relata, cujusque nomen Martyrologio Romano inscriptum legitur ad diem tertiam Novembris. S. Silviam in S. Andreæ asceterio depictam jussu S. Gregorii refert laudatus scriptor: *Sedens*, inquit, *depicta est Silvia, candido velamine a dextro humero taliter contra sinistram revoluto*

[a] Aniciorum videlicet, ut communis fert opinio; nec abnuit noster Mabillonius in Annalib. Bened. lib. VI. pag. 163.

voluto contecta, ut sub eo manus tamquam de planeta subducat. Reliqua ad vestimentum & ornatum ejus pertinentia lege apud Johannem Diaconum lib. IV. c. 83. Ad formam ejus quod attinet: *Statura ei plena*, inquit ibidem, *facies rotunda quidem & candida, sed senio jam rugosa: quam ipsa quoque senectus pulcherrimam fuisse significat; oculis glaucis & grandibus, superciliis modicis, labellis venustis, vultu hilari, ferens in capite matronalem* [a] *mitram*.

De Gregorii majoribus nihil certi nobis traditum, nisi quod *de Senatoribus primis*, ut docet Gregorius, Turonensis Episcopus, coævus scriptor, fuerit oriundus. Quibus verbis duplex hic sensus aptari potest; scilicet aut Gregorium ab antiquis Senatus Romani proceribus, illis nimirum vigente Republica rerum dominis, genus duxisse; aut ejus patres inter primarios sui temporis Senatores locum obtinuisse. Felicem Papam atavum suum fuisse testatur ipse lib. IV. Dialogorum c. 26. & homil. 38. in Evangelia. III. Marc. ... lib. 10. hist. c. 1. S. Felix Papa ejus atavus.

Quis autem fuerit ille Felix, tertius an quartus, ambigitur. Johannes Diaconus quartum fuisse asserit, quem *virum magnæ in Christi Ecclesia reverentiæ* appellat; itaque *basilicam sanctorum Cosmæ & Damiani Martyrum via sacra juxta templum Romuli venustissime* fabricasse. Neque vero facile in animum inducere possumus Johannem Diaconum temere Felicem IV. pro III. pronuntiasse. Vitam S. Gregorii, hortatu Johannis Papæ VIII. scribendam suscepit hic Rom. Ecclesiæ Diaconus, quam postea ejusdem summi Pontificis auctoritate comprobatam publicavit. Omnia vetera monumenta inspexerat, summorum Pontificum catalogos, acta, diaria evolverat. Stantem adhuc, qualem Felix Papa eam construxerat, sanctorum Cosmæ & Damiani basilicam, sollicitis oculis lustraverat, & ex nonnullis proculdubio vel inscriptionibus, vel aliis certis argumentis deprehenderat, Felicem Pontificem Gregorii atavum fuisse quartum nomine non tertium. Et sane ante Baronii emendationem in Martyrologio Rom. legebatur Felix IV. aliundeque constat basilicam sanctorum Martyrum de qua loquitur noster Diaconus, non a Felice tertio sed a quarto hujus nominis Pontifice, fuisse ædificatam.

Hanc Johannis sententiam Eminentissim. Cardinalis Baronius impugnat, tum in Annotation. ad Martyrolog. Romanum die 25. Februarii, tum in Annalibus Ecclesiasticis ad an. 581. hac præsertim ratione, quod Felicem IV. Samnitem fuisse constet, majoresque Gregorii Magni, Romanos. At quid vetat Felicem, etsi genere Romanum, in Samnitibus tamen ortum esse? Quamquam ipse Gregorius, aliquos e suis consanguineis Samnites fuisse satis innuere videatur, cum ait, libro. III. Dialogorum capite. 26. *Nuper in Samnii provincia quidam venerabilis vir, Mennas nomine, solitariam vitam ducebat, qui nostrorum multis cognitus, ante hoc fere decennium est defunctus*. Ceteroquin magnatum assignare patriam non ita quandoque expeditum est, quia parentes ipsorum sive ob diversas, quas pro utilitate Reipublicæ obeunt, provincias, sive propter varia multis in regionibus prædia quæ possident, nulla fere in civitate fixam habent sedem. Sane extra Romanum agrum Gregorii proavos villas plurimas opimasque obtinuisse, inde liquet quod eorum heres Gordianus, amplissimum filio patrimonium in Sicilia reliquerit, ex quo postea sex monasteria in eadem insula, non solum construxerit, ut infra dicetur, sed etiam munificentissime dotaverit. Ruit etiam tota hujus argumenti moles, si dicatur Gregorium ex genere paterno Romanum quidem fuisse; aliquem tamen ex ejus majoribus in Samnio habitasse, ubi Felicem susceperit.

Unicus dumtaxat nodus hic superest solvendus. Nimirum Felicis IV. qui auspicatus est pontificatum an. 526. & an. 529. ad cælum migravit, ætas vix sinit eum Gregorii atavum suspicari; quinque enim generationum gradus inter utrumque numerari deberent, etsi a Felicis obitu ad Gregorii ortum, undecim tantummodo anni effluxerint; & Gordianum abnepotem septennem saltem Felix vidisset.

Fateor equidem raro evenire ut pater filios usque ad quartam generationem propagatos, quod Felici datum fuisset, amplectatur; neque tamen id omnino impossibile, aut inauditum, vel etiam prorsus insolens. Forsitan etiam *atavus* hic stricte pro patre abavi, & avo proavi non est accipiendus, sed hac voce unus ex majoribus, non habita ratione gradus generationis, significari potest.

Felix IV. Ecclesiam ea prudentia, & virtutum omnium laude gubernavit, ut Sanctorum fastis addi meruerit ad diem 30. Januarii. Eumdem honorem consecutus est Felix III. cujus natalis dies 25. Februarii celebratur.

De tribus amitis suis hæc observatione digna commemorat sanctus Gregorius, tum libro IV. Dialogorum capite 16. tum homilia 38. in Evangelium. *Tres pater meus sorores habuit, quæ cunctæ tres sacræ virgines fuerunt: quarum una Tharsilla, alia Gordiana, alia Æmiliana dicebatur. Uno omnes ardore conversæ, uno eodemque tempore sacratæ, sub districtione regulari degentes, in domo propria socialem vitam ducebant*. Pergit sanctus Doctor in describendo continuo Tharsillæ & Æmilianæ profectu, optatoque ad cælum transitu, invitante maxime Tharsillam nempe suam, ad lucis æternæ consortium S. Felice Papa, occurrenteque carissimæ sponsæ Christo Domino. *At contra*, inquit Gregorius, *Gordianæ animus cœpit a calore amoris intimi per quotidiana detrimenta tepescere, & paulisper ad hujus seculi amorem redire. Quam curabant* (piæ sorores) *blanda quotidie redargutione corripere, atque a levitate morum ad gravitatem sui habitus reformare. Defunctis vero sororibus oblita Dominici timoris, oblita pudoris & reverentiæ, oblita consecrationis, conductorem agrorum suorum postmodum maritum duxit. Ecce omnes tres uno prius ardore conversæ sunt, sed non in uno eodemque studio permanserunt; quia juxta Dominicam vocem, multi sunt vocati, pauci vero electi*. IV. Tres ejus amitæ. num. 15.

Gregorius alterius aut amitæ aut materteræ meminit lib. 1. Ep. 39. scribens Anthemio Subdiacono: *Volo autem ut domnæ Pateriæ thiæ meæ.... offeras ad calciarium puerorum solidos viginti, & tritici*

[a] De mitra lege notam ad locum Johan. Diaconi laudatum. Mitræ proprie coronæ sunt ex fasciis & orariis compositæ. *auctor vet. Etymolog. Græc.* Vide notam 947. ad lib. Sacram.

modios trecentos. Thia enim vox est a Græco Θεῖα, quod *amitam* vel *materteram* significat, derivata. Lingua etiam Hispanica *Tia* idem sonat. Quonam casu extremam ad inopiam Pateria nobilissima femina sedacta fuerit, diu non est inquirendum, conflagrante tunc assiduis bellis universa Italia.

V. Fratrem habuit. Gregorium fratrem habuisse, nullus qui ejus epistolas attente legerit, in dubium revocabit; sæpe enim in illis fratris sui mentionem habet. Libro 5. Ep. 44. Petro Subdiacono scribit: *Agimus autem gratias sollicitudini tuæ, quia de causa fratris mei præcepi tibi, ut argentum illius transmisisse debuisses*. Lib. 9. Ep. 9. *sed si tantum est, gloriosum fratrem nostrum, vel de Episcopis unum.... subscribere faciemus*. Eodem libro Ep. 102. *Filius noster vir magnificus Occilianus.... puerum unum.... ex jure germani nostri ad eum noscitur perduxisse*. Lib 10. Epist. 15. *Quæ a glorioso fratre meo Palatino Patricio* &c. Denique lib. XIV. Ep. 2. *De monasterio S. Hermæ, quod.... a fratre nostro constructum est*. De eodem loqui videtur Greg. Turon. eum ait: *Sed Præfectus urbis Romæ germanus ejus* (Gregorii) *anticipatus nuntium*. [Lib. 10. c. 1.] Nam *Germanus*, etiam apud optimæ latinitatis scriptores, fratrem quasi eodem germine natum significat; hincque ab Hispanis *Hermano* frater dicitur, & ab Italis *Germano*.

VI. Quo anno natus. Quo anno in lucem susceptus fuerit Gregorius conjecturis potius assequi, quam rationum momentis statuere licet. Ut a notis ad obscuriora elucidanda perveniamus, constat ex antiquis monumentis, ipsum diem extremum clausisse mense Martio an. 604. Morbis continuis potius quam senio confectus e vivis excessit sanctissimus Pontifex. Nutrix ejus adhuc superstes erat, decem saltem annis antequam ipse vita cederet: quo tempore eam Rusticianæ Patriciæ commendavit Ep. 46. libri IV. Præterea de podagra, de stomachi languore, ac de variis aliis infirmitatibus sæpe conqueritur Gregorius; at de senii incommodis, nusquam; quod sane non leve suppeditat argumentum nondum ita provectæ ætatis. His adde quæ scripsit sanctus vir ad Januarium Caralitanum Episcopum Ep. 1. lib. IX, Pontificatus sui an. nono, ante obitum quarto vel quinto. Nempe objurgare coactus hunc Episcopum senem, pudore statim videtur cohiberi, sibique hæc Apostoli ad Timotheum adhuc juvenem objicit: *Seniorem ne increpaveris*. [1. Timot. 5. 1.] Ergo juniorem se tunc agnoscebat præ Januario, proindeque vix credi potest ipsum tunc sexagenario fuisse majorem: verum quid de sua ætate suis in Dialogis ipse doceat consulamus.

Lib. III. c. 1. Gregorius referens miraculum in S. Cerbonio Populonii Episcopo factum, tempore quo Totila Gothorum Rex, Merulis octavo ab urbe Roma milliario castrametabatur, id *suis diebus* contigisse observat. Totila qui regnare cœpit an. 541. Romam bis obsidione cinxit, & expugnavit; annis videlicet 546. & 549. Prior obsidio in annum integrum protracta est, quo tempore Totila non longe ab Urbe distabat. Unde vero propius videtur tunc id accidisse quod narrat Gregorius, eique ac aliis Romæ degentibus ea ratione facile innotuisse. Sex autem aut septem annos eo tempore saltem natus erat; neque enim quæ nobis adhuc vagientibus gesta sunt, ea nostris diebus evenisse dicere consuevimus. His perpensis, referendum existimo S. Gregorii ortum ad an. 540. Vigilii Papæ tertium (si tamen ejus pontificatus anni, a tempore quo in locum S. Silverii injuste exauctorati suffectus est, computandi sunt) Justiniani Aug. decimum tertium, Vitigis Gothorum Regis, quem Belisarius capta Ravenna, vinctum duxit Constantinopolim, quintum & ultimum.

VII. Quid Gregorii nomen significet. Gregorii nomen, quod vigilantem sonat, *Non sine magno quodam præsagio consecutus est*, inquit Paulus Diaconus. *Re etenim vera vigilavit sibi, dum divinis inhærendo præceptis laudabiliter vixit: vigilavit fidelibus populis, dum doctrinæ affluentibus ingenio, eis, quo tramite cælestia scanderent, patefecit*. Quanti fecerit vigilantiam sollicitudinemque Gregorius noster non obscure multis in locis aperit, maxime vero lib. 20. moral. num. 8. *Electi quique, quamdiu in hac vita sunt, securitatis sibi confidentiam non promittunt: Horis enim omnibus contra tentamenta suspecti, occulti hostis insidias metuunt, qui etiam in tentatione cessante, vel sola graviter suspicione turbantur. Nam sæpe multis grave periculum incauta securitas fuit: ut callidi hostis insidias non tentati, sed jam prostrati cognoscerent. Vigilandum quippe semper est, ut mens continue sollicitâ numquam relaxetur intentione superna; ne laboriosa deserens, in cogitationibus fluxis, quasi in quibusdam mollibus stramentis jacenti, venienti corruptori diabolo mens se resoluta prostituat*. Cetera omitto etsi ad christianam vigilantiam suadendam exquisitissima.

VIII. Sancti pueri institutio. De educatione & institutione Gregorii in puerili ætate nihil nobis compertum est: verum neque summa parentum pietas, neque filii sanctitas eximia, qui etiam in seculo militans, mores suos ad exactissimam christianæ perfectionis normam componere satagebat, dubitare sinunt quin a teneris fuerit omnibus legis Evangelicæ præceptis innutritus, in omnium virtutum palæstra quantum ferebat ætas, imo supra ætatem, exercitatus & edoctus. Cumque parvulorum educatio matrum potissimum sit provincia, juxta Paulum, non immerito conjicimus S. Silviam hoc strenue officio erga suum Gregorium defunctam esse, omnesque Christianæ matris partes in ipso instituendo diligenter implesse. [1. Tim. 5. 10.] Qua vero arte ac industria excoli ad pietatem informarique debeant pueri nobiles maximeque regiæ stirpis, Gregorius docet pulcre ad Theoctistam scribens lib. VII. Ep. 26. cujus carissimæ furori Mauricius Augustus dulcissima pignora sua crediderat; filios videlicet tradiderat educandos. Inter cetera eximia, quæ hac in epistola leguntur, hæc maxime ponderanda, & memoriæ insculpenda: *Verba*, inquit, *nutrientium, aut lac erunt si bona sunt; aut venenum, si mala*.

IX. Et studia. Quibus magistris ac doctoribus usus fuerit sanctus puer, ut ad tantum scientiæ ac sapientiæ culmen perveniret, penitus nos fugit. *Litteris grammaticis* inquit Gregorius Turon. loco jam laudato, *dialecticisque ac rhetoricis ita erat institutus, ut nulli in Urbe ipsa putaretur esse secundus*. Linguam tamen Græcam minime calluisse, raro inter doctos humilitatis exemplo, profitetur Ep. 32. libri VII. Juris eum fuisse peritissimum & consultissimum plurimæ probant ejus epistolæ, maxime libri decimi tertii 45. Eadem cum Gregorio Turon. tradit Paulus Diaconus, additque Romæ hoc tempore potissimum floruisse litterarum studia; nimirum annitente præsertim magno Cassiodoro, qui in Italia jacentes litteras excitaverat, & celeberrimam in suo monasterio academiam instituerat, ut toto fere libro tertio ejus vitæ descripsimus. Notanda præ ceteris sunt hæc Pauli Diaconi verba: *Inerat ei* (Gregorio) [not. 1.]

in parvis

in parva adhuc ætate maturum jam studium; [a] *adhærere scilicet dictis majorum; & si quid dignum potuisset auditu percipere, non segniter oblivioni tradere, sed tenaci potius memoriæ commendare. Hauriebatque jam tunc sitibundo doctrinæ fluenta pectore, quæ post congruenti tempore, mellito gutture eructaret.* a

Paulo concinit Johannes Diaconus, additque Gregorium fuisse *arte Philosophum*. Quam vero Philosophorum sectam sit amplexus, non aperit. Ethicem ab eo maxime cultam fuisse nullus ignorare potest, nisi in operum ejus lectione fuerit peregrinus. Certe Christianorum Senecam eum libenter appellarem, nisi de illo satius videretur dicere: quod de Abraham Ambrosius: *Magnus plane vir & multarum virtutum clarus insignibus; quem votis suis Philosophia non potuit æquare. Denique minus est quod illa finxit, quam quod iste gessit.* Lib. 1. c. 2. Ambr. lib. 1. de Abraham c. 2.

Astrologiam divinantem aliasque curiosas & periculosas artes numquam sectatus est. Contra Mathematicos futura prædicere præsumentes insurgit hom. 10. in Evangelia num. 4. & 5. Quod autem ait Johannes Sarisburiensis lib. II. de nugis curialium c. 26. & lib. VIII. c. 19. eum non solum Mathesin ab aula recedere jussisse, sed etiam Bibliothecæ Palatinæ in cujus archivis recondebantur omnium disciplinarum libri, zelo intempestivo ignem admovisse, ut major esset sacræ Scripturæ auctoritas, & in ea legenda flagrantius studium; id plane inter nugas & aniles fabulas rejici debet. His virtutibus ornatus, his excultus studiis Gregorius, mox ad præcipuas Urbis, Senatus, Reipublicæ dignitates viam sibi aperuit. Quia vero pars magna sunt eorum, quæ aut in Imperii aut in Ecclesiæ administratione gesta sunt dum viveret, qualis tunc fuerit utriusque status, maxime in Italia paucis exponendum.

a Id ipsum de seipso testatur, *Ut mihi*, inquit, *bonum colloquium esse semper amabilis fuit.* Dialog. lib. 1. c. 9.

CAPUT II.

I. Ecclesiæ status. II. Et Imperii. Langobardi Italiam invadunt. III. Gregorius fit Prætor Urbis. Ejus præturæ tempus. IV. Quomodo in prætura se gesserit. V. Frequentia de rebus piis colloquia, ad monasticæ vitæ propositum eum accendunt. Quod diu differt. VI. Septem ædificat monasteria. VII. Fit Monachus. Quo in loco & tempore. VIII. Quibus magistris. an. 574.

DEjecto S. Silverio Papa, Vigilius ab anno 537. usque ad an. 554. vel 555. Sedem Romanam occupavit, a Justiniano Aug. quo auctore ipsam invaserat, multa postea perpessus. Cum condemnationi trium capitulorum, ut Imperatori obsequeretur, tandem consensisset, ab ejus communione secesserunt plurimi in Occidente, maxime Illyrici & Africæ Episcopi, quod indigne ferrent tres Episcopos Theodorum Mopsuestenum, Ibam Edessenum, & Theodoretum Cyri, quos Concilium Calchedonense pro orthodoxis habuerat, condemnatos & reprobatos ab Orientalibus fuisse in Synodo Constantinopolitana, quæ Quinta œcumenica vulgo appellatur. I. Ecclesiæ status.

Demortuo in Sicilia Vigilio Pelagius I. successit. Quo tempore Istriæ, Liguriæ, Venetiarumque Episcopi, habita Synodo, cui præfuit Paulinus Aquileiensis Episcopus, pro causa trium capitulorum in apertum schisma eruperunt; Narsemque Comitem tumultuantes coercere conantem, imbelli inanis excommunicationis fulmine percusserunt. Tot tantisque Italiæ malis conflictatum Pelagium mors ad quietem æternam vocavit an. 559. Illi tamen undecim anni Pontificatus & menses decem, in appendice ad Marcellini Comitis Chronicon tribuuntur.

Ejus successor Johannes III. per annos 14. Ecclesiam rexit. Sedente hoc Pontifice, Gregorius præturam Urbis sapienter gessit, ut infra dicemus; verum quo anno cœperit, utrumve Justiniano qui usque ad an. 565. pervenit, adhuc imperante, non liquet.

Reportatas de barbaris victorias, recuperatas plures Imperii provincias, aliaque sub Justiniano præclare gesta, in vita Cassiodori magna ex parte attigimus. Immortales sane laudes consecutus fuisset Justinianus, si in rebus Ecclesiasticis & Theologicis sapere ad sobrietatem didicisset. At præire volens Episcopis, factus est erroris dux & magister, quos sequendo factus fuisset discipulus veritatis. II. Et Imperii.

Ut Gothos ex Italia penitus expelleret Imperator, Langobardos e Pannonia evocavit, belloque confecto, priores sedes, additis in mercedem præstitæ operæ quibusdam urbibus, repetere jussit. At Italiæ deliciis inescati, data postea redeundi occasione, statim advolarunt. Cum vero de ipsis deinceps frequentissime simus locuturi, eorum historia a prima origine breviter est deducenda. Langobardi Italiam invadunt.

E Scandinavia orti, quam utpote feracissimam belligerantium populorum; Jornandes officinam gentium, vaginam nationum optime appellat de Rebus Geticis c. 4. in eam Germaniæ partem quæ Pomerania nunc dicitur, prius commigrarunt: deinde in Pannoniam, licet ab Hunnis magna jam ex parte occupatam. Paul. Diac. de Gestis Langob. lib. 1. c. 3. & 2.

Langobardi, teste Paulo Diacono, a longa barba dicti sunt. Nam eorum lingua *lang* longam significat, & *baert* barbam. Quarum vocem uti [a] & aliarum plurimarum apud Paulum Diaconum passim occurrentium affinitas cum Gothicis ac Germanicis vocabulis, Langobardorum originem non obscure demonstrat. Ducibus primum, dein Regibus paruerunt. Ab Agelmundo, qui primus fuit, duodecim numerantur, usque ad Alboinum; quo imperante Italiam a Narse invitati invaserunt, anno sci- a

a Ut sunt *Wodan* seu *Godan*, quæ significat Deum; *Feld*, patentes campos; *Lama*, aquam; *Scala*, paterum; *Schilpor*, armigerum; *Marpahis*, vel *Marbais*, equisonem, unde forte Gallica vox *Marechal*; *Fara*, familiam. Omnia fere vocabula hæc Germanica sunt: explicantur autem ab Hugone Grotio Hist. Goth. Vandal. & Langob. pag. 574. & seq. quem consule, necnon Mabill. Analect. Tom. 3. pag. 422. & seq.

no scilicet 568. ut ex duabus Gregorii Epistolis colligitur. In priori enim scripta Indictione tertiadecima an. 595. quę est libri v. 21 ait: *Viginti jam & septem annos ducimus, quod in hac urbe inter Langobardorum gladios vivimus*. In posteriori vero scripta an. 603. Indict. sexta quę est 38. libri XIII. *Qualiter*, inquit, *quotidianis gladiis .... ecce jam per triginta quinque annorum longitudinem premimur*, quę chronologiam nostram miro adstruunt.

Lib. 2. c. 10. & 25.

Quantis autem rapinis, incendiis, cędibus Italiam fere totam devastaverint, idem Gregorius nos docet lib. III. Dialog. c. 38. *Mox effera*, inquit, *Langobardorum gens de vagina suæ habitationis educta, in nostram cervicem grassata est, atque humanum genus, quod in hac terra præ nimia multitudine, quasi spissæ segetis more surrexerat, succisum aruit. Nam depopulatæ urbes, eversa castra, concrematæ Ecclesiæ, destructa sunt monasteria virorum ac feminarum, desolata ab hominibus prædia, atque ab omni cultore destituta, in solitudine vacat terra, nullus hanc possessor inhabitat, occupaverunt bestiæ loca, quæ prius multitudo hominum tenebat*. Easdem clades deflet hom. XVII. in Evangelia, & alibi. Non dissimilia narrat Gregorius alter Turon. testis coævus lib. IV. hist. c. 38. ubi presertim observat spoliatas a barbaris Ecclesias, occisos Presbyteros & Episcopos; ut sane decebat gentem aut idolorum cultui adhuc addictam, aut Arianorum impietatibus corruptam. Victoribus tota cessit Italia, si Romam, Ravennam, finitimaque ac maritima loca excipias. Ravennæ totiusque Italiæ tunc Prefectus erat Longinus Narsi successor datus, qui primus Exarchi nomen sumsit.

Langobardorum furorem fugiens Paulinus Aquileiensis Episcopus seu Patriarcha (sic enim eum appellat Paulus Diaconus, quasi novum hunc titulum, pro prȩmio conflati a se schismatis fuisset consecutus,) Gradus insulam & Urbem Forojulii, hostibus, quod navibus carerent, inaccessam se recepit; ubi expleto 12. Episcopatus anno mortuus Probinum habuit successorem.

Alboinus, scelerum & singularis immanitatis qua uxorem cogerat cranio patris, quem ipse occiderat, uti pro poculo, pœnas dedit ipsius uxoris artibus interemtus. Clebo postea quem sibi regem elegerant, elapsis decem & octo mensibus etiam occiso, Langobardi a multi simul ducibus per decennium regi maluerunt.

III

Gregorius & Prætor Urbis.

Lib. IV. Ep. 2

Inter tot armorum strepitus, & bellorum calamitates Gregorius aliquandiu Prætoris Urbani officio defunctus est; verum quo tempore magistratum hunc auspicatus sit aut deposuerit, non in promtu est statuere. Ipse testatur, se, dum *præturam Urbanam* gereret, subscripsisse cum aliis nobilissimis viris *cautioni* seu promissioni, quam Laurentius Mediolanensis Episcopus de tribus famosis capitulis ad Sedem apostolicam miserat. Id contigisse an. 581. quo Laurentius creatus est Episcopus, fidemque suam contestatus est, asserit Baronius, ex Mediolanensium Pontificum indicibus, qui duodecim annos pontificatus Laurentio tribuunt. Cumque Laurentii obitum, Constantiique in ejus locum electi ordinationem factam fuisse an. 593. exploratum habeamus ex Epistolis 29. 30. & 31. libri tertii; ut duodecim annos Pontificatus Laurentii numeremus, ejus exordium ad anno 581. referri debet; consentiuntque, teste doctissimo Annalista, omnes qui res Ecclesiæ Mediolanensis prosecuti sunt, & ex ejusdem Ecclesiæ monumentis Episcoporum seriem texuerunt. Proindeque Gregorius nondum tunc, abdicata prætura, ad monasterii portum confugerat.

Ejus præturæ tempus.

Mus. Ital. Tom. I. pag. 111. Annal. Bened. lib. VI. pag. 165.

Sed hanc Baronii argumentationem evertit Index Archiepiscoporum Mediolanensium ex veterrimis illius Ecclesię tabulis a nostro Mabillonio editus, ex quo post Frontum seu Frontonem *Lau-* „ *rentius Episcopus sedit annos novemdecim, menses septem, obiitque duodecimo Kalendas Septembris*; „ quos annos, inquit Mabillonius, si ex nonagesimo-tertio quo Constantius ei suffectus est, de- „ traxeris, anno 574. Laurentii creationem, adeoque ejus cautionem ad Romanum Pontificem „ missam, cui Gregorius Prætor subscripsit, admittas necesse est. Huic sententiæ, ait idem Mabillonius, subscripsere Bollandiani socii in vita S. Gregorii; ubi tamen incaute post Baronium, Gregorium *Præfecturam* gessisse dicunt, quamvis in omnibus codicibus manu exaratis sive Epistolarum sive Vitæ a Johanne Diacono conscriptæ, legatur *prætor*, & *prætura*, non *præfectus*, & *præfectura*.

IV.

Quomodo in prætura se gesserit.

Prętor Urbanus, ut jus in Urbe diceret, creatus est. Penes eum erat omnis publici privatique juris potestas; adeo ut novum jus condere, & vetus abrogare posset. Ut auctoritate, sic dignitatis apparatu & insignibus, Consulibus pene par videbatur. Primus qui prȩturam obtinuisse in Urbe memoratur, fuit Furius Camillus Romanorum suę ętatis clarissimus, qui multoties patriam suam in libertatem vindicavit. Quid in hac amplissima dignitate gesserit Gregorius, ignorari a nobis voluit; conjicitur tamen ex morum probitate, juris peritia, judicii maturitate, strenuitate, vi indefessa in laboribus & negotiis, denique ex tot tantisque animi dotibus, quibus magis quam purpuræ splendore prȩfulgebat, eum optimi Prȩtoris partes omnes obiisse: unde singularis ille amor quo Romani cives ipsum prosecuti sunt, quique maxime in ejus ad Pontificatum electione enituit. Itaque haud-

Lib. 1. Ep. 2.

dubie suo tum exemplo docuit quod postea scripsit ad Justinum Siciliæ Prętorem: *Nulla vos lucra ad injustitiam pertrahant, nullius vel minæ vel amicitiæ ab itinere rectitudinis deflectant. Quam sit vita brevis aspicite, ad quem quandoque ituri estis Judicem, qui judiciariam potestatem geritis, cogitate. Solerter ergo intuendum est, quod cuncta lucra hic relinquimus, & solas dispendiosorum lucrorum causas nobiscum ad judicium deportamus*.

Ibidem. num. 2. Job. 3. 14.

Ut consuetudini & dignitati morem gereret Gregorius, *serico contectus, ac gemmis micantibus solitus erat per Urbem procedere trabeatus*, inquit alter Gregorius Turon. a quo hæc ipsa verba mutuatus est Paulus Diaconus. Verum sub secularibus pompis, non seculo sed Christo militabat; inter illos Reges & Consules terræ proculdubio numerandus, qui, ut loquitur Job, *ædificant sibi solitudines*. Quem locum exponens noster Gregorius lib. IV. Moral. n. 58. & 59. seipsum dum prætor sederet, adumbrasse videtur: *Solitudines*, inquit, *quippe ædificare, est a secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere, & una intentione æternæ patriæ in amorem intimæ quietis anhelare. Bene autem hi, qui sibi solitudines construunt, etiam Consules vocantur: quia sic in se solitudinem mentis ædificant, ut tamen in quo prævalent, aliis per caritatem consulere minime desistant*. Et lib. XXX. num. 52. *si prematur*, inquit,

aliquis

aliquis popularibus turbis, & tamen nullos curarum secularium tumultus in corde patitur, non est in Urbe, sed solitudinis quiete fruitur.

V. Frequentia de rebus piis colloquia ad monasticæ vitæ propositum eum accendunt. num. 2.

De illo sane ita scribit Paulus Diaconus: *Hic in annis adolescentiæ, in quibus solet hujusmodi ætas seculi vias ingredi, Deo cœpit devotus existere, & ad supernæ vitæ patriam totis desideriis anhelare.* Vix quidem annum vigesimum attigerat, cum frequentibus collocutionibus a beato Constantino S. Benedicti discipulo ejusque in monasterii Casinensis regimine successore, qui anno circiter 60. supra 500. obiisse legitur, jam omnia pene quæ de eodem S. Benedicto scripsit toto lib. II. Dialogorum perfecte didicerat, ut ipse Gregorius testatum reliquit in laudati libri Dialog. Præfatione; unde intelligas quæ fuerint nobilissimi hujus juvenis studia. De eodem argumento, scilicet de S. Benedicti vita, frequenter etiam colloqui solebat cum Valentiniano, qui annis multis monasterio Lateranensi præfuit: cum Simplicio, qui S. Benedicti congregationem post eum tertius rexit: & cum Honorato, qui Sublacensi monasterio præerat; jamque tunc ad arctioris & perfectioris vitæ propositum accendi videbatur.

Quod diu distert. Ep. ad S. Leand.

At conceptum vitæ monasticæ desiderium implere diu distulit, utilem se suis concivibus existimans, meliusque putans seculari habitu contegi, sub quo specietenus tantum seculo militare sibi persuadebat, quam exteriorem cultum mutare. Postea tamen pius Prætor, cum intimos animi sensus explorare scrutarique sæpe consuevisset; animadvertit tandem cælesti lumine illustratus, inolita se vitæ secularis consuetudine devinctum mundique blanditiis irretitum. in ipsis relinquendis moras nectere; neque corpore tantum, ut falso putavarat, sed ipso mentis affectu in seculo retineri. Cuncta itaque sollicite fugiens portum monasterii petiit, & relictis quæ mundi sunt, ex hujus vitæ naufragio nudus evasit, ut ipse scribit ad Leandrum in Epistola quam libris Moralium præmisimus statim ab exordio.

VI. Septem ædificat monasteria. Lib. x. c. 1.

Antequam autem seculo nuntium remitteret, *In rebus propriis sex in Sicilia monasteria congregavit*, ut loquitur illorum temporum scriptor Gregorius Turon. *septimum infra urbis Romæ muros instituit, quibus tantam delegans terrarum copiam, quanta ad victum quotidianum præbendum sufficeret, reliqua vendidit, cum omni præsidio, ac pauperibus erogavit.*

Observet hic obiter studiosus lector, consilium munifici ac pii fundatoris non fuisse ut Monachi proprio labore sibi [a] victum quærere cogerentur. Et sane in omnibus epistolis in quibus de monasteriis instituendis agit, iis assignari vult sufficientes reditus, ad vitæ necessaria. Sex illa Siciliæ monasteria enumerat post Rochum Pirrhum Mabillonius Annal. Bened. lib. VI. pag. 164. & de iisdem deinceps sæpe ait. Opes ad hæc ædificanda & sufficientibus prædiis dotanda necessarias, liberamque iis utendi facultatem consecutus fuerat Gregorius parentum obitu, si Paulo Diacono fides sit. Contra vero Johannes Diaconus scribit Silviam ejus matrem ipsi Monacho legumina ministrasse. Locus ergo Pauli de solo Gordiano patre videtur accipiendus.

Lib. I. c. 9.

Septimum quod in ipsis ædibus paternis construxit monasterium, celebre fuit cœnobium [b] S. Andreæ ad Clivum Scauri, in quo ipse vitam amplexus est monasticam. Eucherium, Paulinum, Cassiodorum, aliosque plurimos patriciæ ac senatoriæ nobilitatis viros æmulatus. Hoc asceterium, postquam a Monachis Benedictinis diu occupatum fuisset, Johannis Diaconi tempore Græcis Monachis cesserat, forsitan Stephani III. beneficio, qui etiam Græcis tribuit aliud monasterium a se constructum, & S. Dionysio Areopagitæ dicatum; at Benedictinam Regulam sequentibus tandem restitutum est a Gregorio XIII. istud S. Andreæ sanctuarium, & Camaldulensibus datum. De Gregorio sua Deo consecrante sat diximus; eumdem seipsum totum offerentem vitæ monasticæ professione, videamus.

Lib. IV. c. 80.

VII. Fit Monachus. Quo in loco.

Incongruum cuipiam fortasse videbitur pium virum in ipsa patria, in ipsa Urbe quæ ejus imperiis paruerat, secessum sibi tranquillamque stationem quæsiisse. At vero nullus erat in tota Italia locus a barbarorum armis & incursionibus tutior, ac proinde quieti aptior urbe Roma, propugnantibus eam sanctis Apostolis, ut sæpe suis in Epistolis asserit sanctissimus Pater, & Langobardorum impetum retundentibus.

Quo tempore.

Ut vero quantum licebit assignemus quo tempore, quave ætate Gregorius Monachum induerit, id factum subodoramur paulo post subscriptam Laurentii cautionem de qua supra num. III, hoc est, anno 575. cum quadragenario quinque annis esset minor. Sane plurima quæ de se in monasterio degente narrat, aut quæ aliunde ipsum gessisse novimus, infra a nobis ordine referenda, nos minime sinunt in sententiam Baronii descendere, qui vix eum in monasterio, per biennium integrum commoratum esse censet. Hujus autem opinionis fundamentum nutat, imo penitus subruitur, post vindicatos Laurentio Pontificatus novem-decim annos. Neque enim alia ratione vir historiæ Eccles. peritissimus adeo contraxit tempus quo S. Gregorius in monasterio vixit, quam quod Laurentii in Ecclesia Mediolanensi Episcopatum duodecim tantum annorum fuisse crediderit, ac inchoatum an. 581. quo emissam ab ipso cautionem a Gregorio adhuc Prætore subscriptam asserit.

Etiamsi veteris monumenti a Mabillonio laudati de tempore episcopatus Laurentii, nulla haberetur ratio, certe ipsi Gregorio credendum est toties in monasterio vixisse diu se testanti, ut lib. V. Ep. 48. *Marinianum quem diu mecum didiceris in monasterio conversatum*. Et lib. III. Dialog. c. 33. de Eleutherio: *Diu mecum est in meo monasterio conversatus*.

Doctissimi Annalistæ chronologia aliunde evertitur a Johanne Diacono, immo ab ipso Gregorio. Dia-

a Ubi monasteriis non erant sufficienter assignata prædia, quæ Monachis sufficerent ad victum & vestitum, hæc Ecclesiæ sumtibus suppeditabantur, ut colligimus ex Severi Sulpicii Dialogo 3. de S. Martino. *Sed priusquam pondus illud (centum viginti librarum) monasterii limen attingeret, redimendis id captivis continuo deputavit (S. Martinus) Et cum ei suggereretur a fratribus, aliquid ex eo in sumtum monasterii reservare....* nos, inquit, Ecclesia & pascat, & vestiat; dummodo nihil usibus quæsisse videamur.

b Verisimile est aliud fuisse Romæ monasterium S. Andreæ, & S. Luciæ, alii melius forsitan *S. Lucæ*. Singularis erat causa SS. Andream & Lucam in eodem simul cultu conjungendi, nimirum eodem die scilicet 9. Maii, eorum reliquiæ translatæ fuerant. Vide Hieronymum de Scriptoribus Eccl. in Luca. Hujus monasterii Abbas fuit ille Probus qui condendi testamenti facultatem impetravit, quam vide ad calcem Epistolarum. Consule Annales Bened. lib. 9. num. 26. & lib. 10. num. 6.

Dialogos ab eo scriptos fuisse an. 593. aut 594. probavimus in præfatione ipsis præfixa num. 18. in iis vero Dialogis cap. 47. libri IV. narrans felicem exitum quorumdam Monachorum quos in monasterio convictores habuerat, ut expresse docet Johannes Diaconus, nec obscure colligitur ex Gregorii verbis, Meruli mortem ante annos quatuordecim contigisse asserit; ergo vel an. 579. aut 580. proindeque Gregorius an. 585. Romæ Prætor non erat. His rationibus trutinatis, Eminentissimus Cardinalis Norisius Baronii chronologiam deserit in dissertatione historica de Synodo V. §. 3. & nostram confirmat sententiam. Utque probet S. Gregorium diu moratum in monasterio, adducit hunc locum Dialog. lib. III. c. 33. ubi de Eleutherio Abbate dicit: *Diu mecum est in hac Urbe, in meo monasterio conversatus*.

Lib. 1. c. 19.

VIII. Quibus magistris. Ad an. 581. num. 8.

Idem Eminentissimus Annalium scriptor colligit ex lib. IV. Dialog. c. 21. S. Gregorium habuisse in vita monastica institutorem Valentium seu Valentionem Abbatem, cui successit Maximianus, Maximiano Pretiosus; post quem S. Andreæ monasterio præfuit Probus. Itaque ex Abbatum cœnobii hujus catalogo expungit Hilarionem, quem Johannes Diaconus primum Gregorii patrem doctoremque in monasticis institutis tradit; nisi dicamus Hilarionem alium non esse a Valentione, cujus mentio fit in prælaudato libri IV. Dialogorum loco. Asserit autem Baronius Gregorium sub Maximiano Abbate non militasse, quod diu non sit permissus in monasterio degere, contra manifestum Johannis Diaconi testimonium cui infra suffragabimur. Nec dissimulandum doctissimum scriptorem ad hunc falli, cum Pretiosum Abbatem fuisse S. Andreæ asserit ex lib. IV. Dialog. c. 55. ubi Pretiosus non Abbas sed Præpositus dicitur. Neque etiam legimus cap. 21. ejusdem libri, Valentium fuisse Gregorii in vita monastica institutorem, cum de eo S. Doctor tantum dicat: *Valentius qui post in hac Romana urbe, mihi, sicut nosti, meo quoque præfuit monasterio*. Quod spectat ad Probum inter illos S. Andreæ Abbates a Baronio commemoratum, verisimile est alii S. Andreæ asceterio ipsum præfuisse, ut jam monuimus supra in nota ad num. 6.

Lib. II. c. 6.

Itaque sic restitui debet Abbatum S. Andreæ series: Hilarion, Valentius, Maximianus, qui tum cum Gregorius Legatus creatus est, Andriano monasterio præerat; ipsemet Gregorius, qui ex sua legatione reversus monasterium suum rexit, ut infra videbimus. Denique Petrus, quo sedente sanctus Doctor suos scripsit Dialogos. Verum ad graviorem nobis a Baronio motam, de monastico quod Gregorius sectatus est instituto, litem dirimendam jam veniamus.

CAPUT III.

An. 581.

I. S. Gregorii monachatus indubitatus. II. Monachi olim ut nunc veste peculiari insignes. Et tonsura. III. Baronii de monastico S. Gregorii instituto sententia refellitur. IV. Et nostra adstruitur. Laudes a S. Gregorio datæ S. Benedicti & Regulæ. V. In ejus monasteriis observabatur. VI. Illius verba sæpe usurpat. VII. Fuit etiam propagata in Valeria. VIII. Adversariorum cavillationes refutantur. IX. Concilii Duziacensis de Regula S. Benedicti testimonium. X. Aliud invictissimum argumentum, a propagatione hujus Regulæ per S. Gregorii discipulos. XI. Nonnullis objectionibus occurritur.

I. S. Gregorii monachatus indubitatus.

GRegorium Monachum fuisse nemo cordatus ac sanus negare potest, quod de se toties ipse clamat [a] tum in Dialogis, tum [b] hom. 12. in Evangelia, tum in [c] præfat. ad libros Moral. seu Epistola ad S. Leandrum, ubi texit historiam conversionis suæ diu dilatæ, quod exteriorem cultum mutare molestum ipsi foret; maxime cum sub seculari habitu Deo se posse militare non dubitaret. Sed cælesti lumine afflatus moras rupit, monasterium petiit, & ex mundi naufragio nudus evasit. Idem de illo docet Gregorius Turonensis, mutataque pretiosa & micantia gemmis indumenta in vilem vestitum miratur.

Ibidem.

II. Monachi olim ut nunc veste peculiari insignes.

Ex his satis innuitur monasticas vestes, uti nunc, olim etiam fuisse Monachis peculiares; quo in probando non immorarer, nisi a nonnullis criticis injectos ea de re scrupulos viderem. Sane id luce clarius ex Gregorio demonstrari potest. Lib. VIII. Ep. 5. scribit de militibus monasticæ vitæ candidatis: *Juxta normam regularem debent in suo habitu per triennium probari, & tunc monachicum habitum Deo auctore suscipere*. Ejusdem libri Ep. 8 *Nec projectis religiosis vestibus, ad secularem reverti habitum*. Ibid. Ep. 9. *Projectis quas sponte assumserat religiosis vestibus, indumentis se laicis deturpavit*. Lib. IX. Ep. 114. habitum monachicum sacram vestem appellat. Idem conficitur ex hom. 10. in Ezechielem num. 8. Missa facio quamplurima alia testimonia, in quibus coacervandis frustra tempus tererem.

Et tonsura.

Ut singulari veste, itam tonsura insignes erant Monachi; quod S. Benedictus clare docet Regulæ c. 1. de pseudomonachis, dicens: *Mentiri Deo per tonsuram noscuntur*, Id etiam liquido constat ex S. Gregorio lib. XI. Ep. 50. ubi virum Agathosæ, Monachum ipsa renitente factum, reddi jubet, *Etiamsi jam tonsuratus est;* hoc est, etiamsi post probationem, jam vestem mutaverit, & tonsuram monasticam acceperit. Lege quoque libri X. Ep. 24. Tonsuram etiam esse Monachorum cœnobitarum, non Eremitarum, insigne apud Græcos, discimus ex [d] Theodoro Studita lib. II. Ep. 137.

His

a Lib. IV. Dialogorum *quem ipse jam Monachus Monachum vidi*, & in præfat. ad Dialog. ubi suam in monasterio conversationem describit.

b Num 7. *quem ipse jam Monachus. Monachum vidi*.

c *Portum monasterii petii &c.*

d *Et quod stupendum magis*, inquit, *qui, quod solitariæ vitæ insigne, detonsus fueras.... promissam rursus comam alas in morem Eremitarum*. Vide etiam lib. II. Ep. 50.

III. Baronii de monastico S. Gregorii instituto sententia refellitur.

His breviter, & data tantum occasione observatis, expendamus Baronii de monastico S. Gregorii instituto sententiam, cujus auctorem fuisse non S. Benedictum contendit, sed S. Equitium; haud alia ratione, quam quia *primum S. Andreæ Abbatem Valentium ex Provincia Valeriæ monasterio, in quo S. Equitii vigebat institutio petitum apparet*, inquit, *ex duplici Gregorii testimonio*. Audiamus ergo S. Doctorem de se loquentem: *Vitæ venerabilis* * *Valentius, qui post in hac Romana urbe, mihi, sicut nosti,* * *monasterio præfuit, prius in Valeriæ provincia monasterium suum rexit*. Qua vi aut arte ex his verbis exsundi potest Valentionem fuisse primum monasterii S. Andreæ Abbatem, & institutorem? Quid hic de Equitio, Equitianove instituto, cui addictus Valentio fuerit? At, inquit Baronius, quædam de S. Equitio Gregorius narrat, quæ a Valentino suo Abbate didicisse profitetur. Porro Valentius ea noverat, dum in monasterio S. Equitii degebat, quod solum celebre tunc fuisse reperitur in Valeriæ provincia. Quasi vero in aliquo vicino seu Valeriæ sive finitimæ cujuspiam regionis cœnobio degens, non potuisset nosse miraculum publica fama disseminatum.

* Valentio. * meque. Lib. 4. Dial. c. 4. Lib. 1. Dial. c. 4.

Itaque prolatis a Baronio testimoniis nequaquam probatur Valentionem fuisse S. Equitii discipulum, ejusque instituti sectatorem, imo contrarium ex collatis inter se duobus locis elicitur. Nam l. 1. Dialog. c. 4. Gregorius asserit Equitium post mortem discipulos suos tutatum esse contra Langobardos, atque a morte liberasse. At lib. IV. cap. 21. refert Langobardos e monasterio Valentionis Abbatis duos Monachos in ramis arboris suspendisse, qui eodem die defuncti sunt. Aliunde satis liquet, dum dicit Valentionem in Valeria prius *rexisse suum monasterium*, per *suum*, intellexisse monasterium non ab Equitio aut ab alio, sed ab ipso Valentione conditum; quo sensu *suum* semper dicit S. Andreæ Romanum asceterium. Judicent ergo æqui lectores utrum hæc Eminentissimi scriptoris argumenta persuadeant S. Gregorium non a proximis Casinatibus Lateranense monasterium incolentibus institutum suum accepisse, ut communis ante Baronium ferebat opinio, sed a longe positis in Valeria Monachis; atque præponderare debeant gravissimis rationibus quibus sanctissimum virum Benedictinæ familiæ vindicamus.

IV. Ei nostra adstruitur. Laudes a Greg. datæ vitæ S. Benedicti & Regulæ.

1. Constat ex [a] supradictis, Gregorio, longe antequam de S. Andreæ monasterio cogitaret, nota fuisse S. Benedicti gesta, miracula, scripta, scilicet regulam. Quanti autem fecerit hanc Regulam prodit lib. II. Dialog. c. 36. *Scripsit*, inquit, *Monachorum Regulam discretione præcipuam, sermone luculentam*. Regulæ autem ab Equitio conscriptæ nullibi meminit. Interim fileo S. Gregorium fuisse vitæ S. Benedicti admiratorem potius quam scriptorem, cui delineandæ vix satis fuit integer liber secundus Dialogorum: nam alibi passim adhuc sæpe in S. Benedicti laudes excurrit: de Equitio vero unico dumtaxat capite 4. libri 1. loquitur. Quomodo ergo tanta de S. Benedicto ejusque legibus & institutis concepta existimatione, aliam sibi suoque monasterio quæsivisset Regulam, vir monasticæ perfectionis amantissimus, quam *Regulam Monachorum discretione præcipuam*?

V. In ejus monasterio observabatur.

Quando autem illam appellat κατ' ἐξοχὴν *Monachorum Regulam*, satis ostendit eam ceteris, si quæ in Occidente jam receptæ forent, esse anteponendam. De eadem proculdubio loquitur lib. XI. Ep. 48. cum de Catello Monacho scribit ad Urbicum Abbatem: *Quia Monachus non sit agnovimus; ex parva enim Eulogia quam Bonus Monachus accepit, partem petendo, contentionem facere in itinere, minime timuit. Quod ex quanta amaritudine cordis descenderit, tua poterit Dilectio scire, si Regulam Monachorum scire voluisset*. Scilicet S. Benedicti Regulam cap. 54. de Eulogiis vel quibuslibet munusculis non accipiendis sine Abbatis præcepto, & cap. 34. ubi murmurationis malum ante omnia præcipitur amputandum; caveturque ne occasione rerum necessariarum sibi procurandarum tantum vitium subrepat. Urbicus in monasterio S. Andreæ, aut saltem in alio Siciliæ S. Gregorii munificentia condito præpositus fuerat, ex Epistola 6. libro V. postea Abbas monasterii Sancti Hermæ apud Panormum, unius ex sex Gregorianis cœnobiis, in quibus ordinandis, auctoritate sanctissimi Pontificis, velut Præpositi generalis officium gerebat; quod vel ex laudata Epistola 48. libro XI. liquet. Qua vero ratione Gregorius objicit Urbico & Monachis ei subditis *Regulam Monachorum* seu Regulam S. Benedicti, hoc titulo deinceps in [b] Conciliis passim & apud Ecclesiasticos Scriptores designatam, nisi quia ejus præceptis addicti erant? At si pro lege habebatur hæc Regula in monasteriis Siculis a Gregorio conditis, quidni etiam in Andreano Romæ cœnobio?

VI. Illius verba sæpe usurpat.

Certe Gregorius ita Benedictinæ Regulæ assuefactus & velut innutritus videtur, ut ejus verba passim usurpet. Apud S. Benedictum congregationis nomine intelligitur Monachorum cœtus; eodemque sensu in Gregorianis Epistolis centies occurrit, ut Ep. 48. lib. XI. Idem observavimus de voce *utilitas* sumta pro rebus utilibus. Lib. X. Epist. 32. & 61. officium divinum appellat, *opus Dei*, quod S. Benedicto familiare esse norunt, qui ejus Regulam legerunt. Eleganter S. Benedictus Reg. c. 64. monet Abbatem, *Oportere prodesse magis quam præesse*. Et S. Gregorius Moral. lib. XXI. num. 22. *nec præesse gaudent sed prodesse*. Abbati præcipit S. Benedictus Reg. c. 64. *Oderit vitia, diligat fratres*. Et S. Gregorius Epistola 12. lib. XI. ad Cononem Abbatem scribit: *Personas diligas, vitia persequaris*. In Ep. 29. lib. XII. S. Gregorius ait: *Nam ad personam in priori loco positam respicit, quidquid a minori delinquitur*: sane sanctum Benedictum imitatus qui Reg. c. 36. *ad ipsum* (Abbatem) inquit, *respicit, quidquid a discipulis delinquitur*. Apud S. Benedictum *responsum* idem est ac *negotium*: c. 51. *Fratres qui pro quovis responso proficiscuntur*. Ita etiam apud S. Doctorem, maxime initio Ep. ad Leandrum præfixæ libris Moralium: *Cum me illic Sedis apostolicæ responsa constringerent*. Passim apud utrumque Eulogiæ pro munusculis, solatium pro auxilio sumuntur. Non raro idem S. Legislator monasterii superiorem, *Priorem* appellat, ut cap. 53. Ita etiam S. Gregorius lib. 25. Moral. num. 36. & sæpe alibi. Hom. X. in Ezech. num. 31. legitur: *Eo ipso zelo quo alios correxit, semetipsum convenit, &* eru-

a Cap. 2. num. V.
b S. Benedictus in Concilio Rom. sub Bonifacio IV. an. 610. sex annis post S. Gregorii obitum appellatur *Monachorum præceptor*, procul dubio propter *Regulam Monachorum* ab eo scriptam. Concilium Cloveshovense in Anglia an. 747. nomine Regulæ monasticæ laudat Regulam S. Benedicti, cujus adducit ipsa verba ex cap. 58. Cetera omitto.

erubescit immunda cogitare, quæ se in aliis recolit correxisse. Idem fere legerat in Regula S. Benedicti c. 2. *Qualis debeat esse Abbas*, duobus locis maxime in fine; *Cum de admonitionibus emendationem aliis administrat, ipse efficitur a vitiis emendatus*. In [a] Concilio Rom. III. habito an. 601. prohibens in monasteriis Missas publicas celebrari, ne populi frequentia & mulierum accessu servorum Dei quies turbaretur; addit: *Quod omnino nec expedit animabus eorum*, quæ totidem verbis habentur Regul. Bened. c. 66.

Verum in expositione lib. 1. Regum frequentius Regulæ Benedictinæ sententias & verba ipsamet adhibet; nec mirum, cum tunc Abbas esset, atque his homiliis suos alumnos ad monasticæ vitæ perfectionem erudiret. In præfatione ad hunc commentarium plurimos loquendi modos ex laudata Regula petitos, quos colligere curavimus, invenies; ex quibus hunc tantum locum nunc proferemus, sed adeo luculentum, ut ad probandum S. Gregorium beati Benedicti discipulum fuisse sufficeret: *Quare*, inquit, *& ejusdem arctissimæ vitæ magister optimus, summæ veritatis discipulus præcipit dicens: Probate spiritus si ex Deo sunt*. Et item: *Nuntientur ei dura & aspera per quæ itur ad Deum ut sciat ad quod intrat*; quæ c. 58. Reg. totidem fere verbis extant. Ceterum commentarium illum Gregorio vindicare, & asserere hoc loco superfluum foret, cum id in Præfatione prævia præstiterimus. Neque tamen inficias imus, aliqua esse a Claudio Abbate addita; sed si velis quæ ex Regula S. Benedicti depromta sunt, Claudio tribuenda, idem superest argumentum de Benedictina Regula in monasterio S. Andreæ recepta nostris adversariis dissolvendum. Nimirum hujus asceterii alumnus fuit Claudius, & sub Abbatis Gregorii disciplina positus exceperat quæ sanctus pater de libris Regum disseruerat & exposuerat, ut ipse testatur lib. XII. Ep. 24. Si itaque Claudius S. Gregorii *filius*, sub Regula S. Benedicti in Andreano monasterio militavit, quid de patre sentiendum?

VII. Fuit etiam propagata in Valeria. 2. Jam vero ut ipsum opinionis Baronii fundamentum convellamus, probandum est in Valeria propagatam fuisse S. Benedicti Regulam; imo solam hic viguisse quando ea in provincia Valentio monasterium regebat. Id autem clare demonstratur ex Epistola Fundani Abbatis ad Simplicium, tertium a S. Benedicto Casinensis monasterii Abbatem scripta; quam Mabillonius exhibet integram in præfat. ad tom. 1. Act. Sanctorum, ac iterum propugnat Annal. Bened. lib. VI. n. 2. Summa epistolæ est, eo tempore *omnia Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tusciæ, Liguriæ, & aliarum Italiæ provinciarum monasteria*, dimissis peculiaribus Regulis, Benedictinam servare decrevisse. Hanc epistolam in codice manu exarato exploravit Lucas Holstenius eruditus Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, suoque calculo comprobavit. Eumdem codicem recensuit quoque Mabillonius, nec ullas fraudis notas observavit. Ergo paulo post S. Benedicti obitum monasteria etiam Valeriæ, etsi fortasse prius ab Equitio instituta, sanctissimi Legislatoris Regulam sectabantur. Nec mirum ea cœnobia, quibus S. Equitius nullam certam Regulam assignaverat, postea illam *Monachorum Regulam discretione præcipuam assumsisse*. Imo potius miraculo proximum videretur, S. Benedicti Regulam, quæ statim ac est condita, in duodecim monasteriis Sublaco proximis observata est, postea brevi temporis intervallo in Casinensi & Terracinensi cœnobiis instituta, adhuc vivente S. Benedicto in Sicilia & paulo post in Galliis disseminata, ab Hispanis expetita & culta, usque ad tempora S. Gregorii in provincia Valeriæ non longe a Sublaco dissita, incognitam & neglectam prorsus fuisse; itane sic arguere cum Baronio liceat: Valentio in Valeria Monachus & Abbas fuit; ergo a S. Benedicti legibus prorsus liber, alteri quam Benedictinæ Regulæ parebat.

VIII. Adversariorum cavillationes refutantur. Scio Gallonium opinionis Baronii assertorem, de Epistolæ Fundani Abbatis sinceritate dubitasse, quia *Bernardini & Hugonis* nomina, hoc, inquit, seculo ignota in ea deprehenduntur. At Bernardi nomen hac in Epistola non magis exprimitur, quam vel Bartholomæi, vel Barnabæ &c. Cum vocis decurtatæ littera B. tantum observetur. Quamquam hoc nomen *Bernart*, a lingua Gothorum non multum abhorrere videatur, in qua multa reperiuntur desinentia in *hart*, quorum [b] varia exempla exhibet Smaragdus Abbas Commentarii in Donatum lib. II. c. 10. Nec mirum, postquam Gothi diu Italiam occupaverunt, aliquos ex illa gente conversos in Italiæ monasteriis, posteaque Abbates factos. Et quidem VII. seculo inter Episcopos Cremonenses unus recensetur Bernardus nomine, Italiæ sacræ tom. IV. Quod spectat ad aliud nomen ut illo seculo insolens a Gallonio notatum *Hugo* vel *Ugo*, videtur etiam Gothicam originem aut Theodiscam seu Germanicam redolere: nihil enim frequentius inter illas septentrionales gentes, quarum una origo est, occurrit, quam vocabula in *God* vel *Goth* cadentia. Neque aliunde ob unam voculam debuit integram Epistolam, in suspicionem fraudis adducere Gallonius, cum alioquin ipse primus ediderit ex Vaticano codice quosdam versus de nostro Simplicio, qui manifeste docent eum S. Benedicti Regulam *propagasse in omnes*. De his versibus, ut de toto hoc argumento lege Mabill. tom. II. Analect. p. 200. & seq.

IX. Concilii Duziacensis de Reg. Bened. testimonium. an. 874. 3. Tametsi disputare non est animus de vulgato Sublacensi Privilegio, quo ajunt S. Gregorium in Synodo Regulam S. Benedicti confirmasse, observandamque Monachis omnibus in Ecclesia latina proposuisse: id certe a sanctissimo Papa factum aliquando dubitare vix possumus, post luculentum illud Concilii Duziacensis II. testimonium c. 7. *Eadem Regula* (S. Benedicti) *sancto Spiritu promulgata, & laudis auctoritate beati Papæ Gregorii inter Canonicas Scripturas & Catholicorum Doctorum scripta teneri decreta est*. Quod cum referri non possit ad c. 36. lib. II. Dialogorum (etsi enim Regula S. Benedicti hoc laudetur loco, nullum tamen ibi de ea decretum legitur) ea de re S. Gregorium in Synodo edixisse pene constat. Accedit Bonifacii IV. & Concilii Rom. an. 610. auctoritas. Cum enim Clericos inter & Monachos de muniis Ecclesiasticis orta esset controversia, Bonifacius & Synodi Patres ex Regula S. Benedicti, utpote jam inter Canonica scripta Ecclesiæ statuto relata, litem finiendam censuerunt, decreveruntque Monachos a sacris ministeriis non arcendos: *Neque enim*, inquit Pontifex, *Benedictus Monachorum præceptor, hujus rei aliquo modo fuit interdictor*.

4. Aliud

a Vide lib. VIII. Ep. 15. & notam a in qua Concilii hujus fit mentio. Si laciniam illam de Missis publicis ab hujusce Synodi actis refeces; vix ab illa Epist. 15. discrepabit.
b Ea lege tom. II. Analect. Mabill. p. 422.

4. Aliud superest argumentum, idque invictissimum, quod petitur ex promulgatione Regulæ Benedictinæ in Anglia per Monachos Romani S. Andreæ monasterii a Gregorio Magno missos; at illud alteri loco reservamus, opportuniusque pertractabimus, quando de Anglorum ad fidem Christianam conversione, illorum Monachorum opera, erit agendum. Interim vero respondeamus quibusdam, quæ solvenda supersunt, contra nostram sententiam hic assertam vel jam objectis, vel objiciendis. X. Aliud invictissimum argumentum, a propagatione hujus Regulæ per S. Gregorii discipulos.

Gregorius, inquies, quædam ab Regula S. Benedicti plurimum dissona constituit. Nam cum novitiorum probatio vix ad annum integrum extendatur, juxta Bened. Regulæ c. 58. S. Gregorius lib. x. ep. 24. scribit Fortunato Episcopo Neapolitano: *Monasteriis omnibus Fraternitas vestra districtius interdicat, ut eos quos ad convertendum susceperint, priusquam biennium in conversatione compleant, nullo modo audeant tonsurare*. Ergo Gregorius Regulam S. Benedicti non erat amplexus, quam hac in parte improbavit. Respondeo S. Benedictum, etsi probationis novitiorum tempus ultra annum non protrahat, minime tamen vetare ulterius protendi; quapropter in plerisque congregationibus Benedictinis arctioris observantiæ, fratrum conversorum probationi biennium impenditur, & Monachi choro addicti aliquando justis de causis ultra annum probantur, illæso S. Benedicti ejusque Regulæ honore. Cur autem S. Gregorius biennium exercendis explorandisque noviiiis assignaverit in diœcesis Neapolitanæ monasteriis, ipse docet his verbis: *Pervenit ad nos Mauricium quemdam, qui nuper in monasterio Barbaciani conversus est, ablatis secum aliis Monachis, fuga de eodem monasterio discessisse. Qua in re prædictum nobis Barbacianum hæc præcipitatio vehementer accusat, qui temere secularem hominem, & non ante probatum tonsuravit*. Sane tot Monachorum ante sufficientem probationem temere admissorum apostasia, ratio erat haud spernenda decernendi, ut deinceps per biennium exercerentur & probarentur, antequam professionem emitterent. XI. Nonnullis objectionibus occurritur.

Opponunt etiam nonnulli cum Cardinali Baronio S. Gregorium prohibuisse suscipi in monasteriis adolescentes ante decimum-octavum ætatis annum, ut constat ex ep. 50. lib. 1. Id autem manifeste pugnat contra S. Benedicti Regulam quæ c. 59. permittit etiam infantes libertatis & rationis expertes, in monasteriis a parentibus oblatos recipere.

Respondemus illud Gregorii Magni decretum, non pro omnibus monasteriis, sed pro his tantum, quæ quibusdam in insulis Tyrrheni maris erant condita, fuisse promulgatum; idque satis innuit sanctus Pontifex dum ita scribit: *Quia autem dura est in insulis congregatio Monachorum, etiam pueros in eisdem monasteriis* (insulæ Eumorphianæ) *ante decem & octo annorum tempora suscipi prohibemus* .... *hoc & in Palmaria, aliisque insulis te per omnia volumus custodire*. Causam igitur habemus cur adolescentes nondum maturæ ætatis vetet suscipi, & Monachos in his insulis fieri. Nempe durum erat & asperum vivendi genus in illis locis, sive propter insalubrem aerem, sive propter soli sterilitatem; nec ad id tolerandum vires in tenera ætate suppetebant.

Hæc sunt argumentorum momenta quibus Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum scriptor, aut ejus opinionis assertores, conati sunt firmatam doctorum virorum fere omnium consensu, tot a seculis sententiam de S. Gregorii vita monastica juxta S. Benedicti leges, evertere. Utrum tormentorum illorum mole ruat, aut inconcussa stet præconcepta opinio, sapiens lector judicet. De hacce controversia fuse docteque pro suo more scripsit noster Mabillonius, tum in præfatione ad tom. I. Act. Sanctorum, tum in singulari dissertatione *De monastica vita Gregorii Magni* analect. Tom. II. tum in annalibus Benedictinis lib. VI. & in Appendice I. ubi secunda parte §. VI. recensentur gravissimi scriptores ab obitu S. Gregorii, qui nostræ causæ suffragantur; a quibus commemorandis abstinemus, tum quod post tot rationum pondera, vix indigeamus testibus, tum quod rerum dicendarum multitudo ac magnitudo, in hac controversia nos non sinat diutius immorari. Nunc quid in monasterio gesserit Gregorius, quantumque in virtutum studio profecerit, inspiciamus.

CAPUT IV.

I. Gregorii profectus in monasterio. II. Longioris in eo moræ argumentum. III. Ejus abstinentia & jejunia. Unde molestissimi morbi. IV. Ipsius exemplo quantum alii Monachi profecerint. V. Jam tunc Angliam cogitat. VI. Fit Diaconus. VII. A quo Pontifice. VIII. An Diaconus Cardinalis. IX. An Archidiaconus. An. 575. 576. &c.

QUalis in tranquilla monasterii statione Gregorius evaserit, ipse mire depingit, dum amissam quietem in Pastorali cura, non mentitis oculorum lacrymis, sed intimo cordis gemitu ita deflet: *Infelix animus meus occupationis suæ pulsatus vulnere, meminit qualis aliquando in monasterio fuit; quomodo ei labentia cuncta subter erant; quantum rebus omnibus quæ volvuntur, eminebat; quod nulla nisi cælestia cogitare consueverat; quod etiam retentus corpore, ipsa jam carnis claustra contemplatione transibat; quod mortem quoque quæ pene cunctis pœna est, videlicet ut ingressum vitæ & laboris sui præmium amabat. At nunc ex occasione curæ Pastoralis secularium hominum negotia patitur, & post tam pulchram quietis suæ speciem, terreni ictus pulvere fœdatur. Cumque se pro condescensione multorum ad exteriora sparserit, etiam cum interiora appetit, ad hæc proculdubio minor redit. Perpendo itaque quid tolero, perpendo quod amisi*. Familiares sunt Gregorio, peneque continuæ similes querelæ de amissis monasticæ vitæ bonis, dum pectus suum amicis explicat, ut in Epistolis 4. 5. 6. 7. 25. 26. libri primi & in prævia ad libros Moralium singulari Epistola. In publicis etiam ad populum concionibus dolorem de prioris vitæ in monasterio sanctissime institutæ jactura premere & cohibere vix potest: *Et quidem in monasterio positus*, inquit homil. undecima in Ezechielem, *Valebam & ab otiosis linguam restringere, & in intentione orationis pene continue mentem tenere*. I. Gregorii profectus in monasterio. In Præf. Dial. lib. Num. 6.

II. *Longioris in eo moræ argumentum. Ep. ad Leandrum Scu Pref. in lib. Moral.*

Quis facile sibi persuadeat Gregorium, cui cum insolita consuetudine vitæ secularis, mollioris & fastuosæ, ipso teste, certandum fuit, statim ad hoc perfectionis culmen, ad orationis pene continuæ contemplationisque fastigium, adhuc novitium, si Baronio fides, pervenisse; & non potius id labore improbo assiduaque exercitatione, adspirante tamen divina gratia, consecutum esse? Attamen concedamus: Sed quo pacto tam brevi mora tantam moralium ac spiritualium rerum peritiam comparavit, quanta elucet in expositione libri Job, cui elucubrandæ paulo postquam avulsus a monasterio Legatus Constantinopolim missus est, operam dedit? Fortasse præturæ curis pene immersus, in sublimioris theologiæ cognitione tantum profecerat, abstrusioresque sacræ Scripturæ sensus tanta facilitate, felicitate tanta rimatus fuerat? Ejus ergo plurium annorum in monasterio commorationi & ascesi adscribamus illam divinarum sacrarumque rerum scientiam, quam jure suspiciunt, qui iis studiis tota fere vita innutriti sunt, sapientiores & peritiores spiritualis vitæ magistri. Verum diuturnam in monasterio Gregorii commorationem jam sufficientibus argumentis adstruximus.

III. *Ejus abstinentia & jejunia. Johan. Diac. lib. 1. c. 7. 9. 10. Greg. Turon. lib. x. c. 1. Lib. III. Dialog. c. 33. Unde molestissimi morbi.*

Non solum orationi & contemplationi ab ipso monasticæ palæstræ ingressu totum se dedit Gregorius, sed etiam abstinentiæ, jejuniis, aliisque pœnitentiæ operibus, quæ sacrorum librorum lectione ac meditatione condiebat, ita deditus erat, ut debilitato stomacho, & afflicta valetudine brevi moriturus videretur. Neque tamen frequentes morbi suadere potuerunt ut de tanta vitæ asperitate aliquantulum remitteret. Cibus ejus legumina erant quæ Silvia mater eodem forte cibo victitans suppeditabat & parabat. Inde contractus, ipso teste, molestissimus morbus quem medici syncopen, seu vitalium incisionem vocant; qua laborans *crebris angustiis per horarum momenta, ad exitum properare* putabatur: & nisi frequenter cibo reficeretur, vitalem sibi spiritum intercipi sentiebat; & tamen de intermissione jejunii, magis quam de gravi dolebat infirmitate. Maxime vero moleste tulit, quod ipso sacratissimo Sabbato Paschæ pervigilio, in quo omnes etiam parvuli jejunarent, ipse a cibo abstinere non posse videretur. Id tamen & suis & [a] Eleutherii S. Andreæ Monachi, sui convictoris & sodalis precibus & lacrymis tandem impetravit; quamvis soli Eleutherio miraculum hoc tribuerit vir summæ humilitatis & modestiæ: *Ad vocem benedictionis illius*, inquit, *virtutem tantam meus stomachus accepit, ut mihi funditus a memoria tolleretur cibus & ægritudo. Cœpi mirari quis essem, qui fuerim. ... cumque in monasterii dispositione occupata mens esset, obliviscebar penitus ægritudinis.* Quod hic ait S. Pater, de occupatione sua in dispositione monasterii, forte intelligi debet de aliqua administratione bonorum temporalium ipsi injuncta, non de Abbatis officio, quod nonnisi post suam legationem gessisse Gregorium jam cum Mabillonio diximus.

IV. *Ipsius exemplo quantum alii Monachi profecerint.*

Plurimos ejus exemplo in monasterio profecisse, & ad summam sanctitatem pervenisse probant quæ de multis e suis commilitonibus ipse refert, præsertim in Dialogis. De Eleutherio jam pauca attigimus. De sanctis Antonio, Merulo, & Johanne, qui quotidianis lacrymis, assiduis orationibus, continua sacrarum litterarum meditatione, ad æternam felicitatem, quo jam animo prævolarant, cælitus vocati pervenerunt, legendum c. 47. lib. IV. Dialogorum. De S. Maximiano cœnobii S. Andreæ Abbate, postea Syracusano Episcopo, passim in Dialogis & in Epistolis. Porro certis annis assignare quæ S. Gregorius de sanctis illis narrat, difficillimum. De Merulo tamen constat eum anno saltem 579. ad meliorem vitam transiisse, cum ab ejus morte usque ad tempus quo sunt scripti Dialogi, scilicet ad an. 593. vel 594. saltem anni [b] quatuordecim effluxissent. Cetera ea ratione distinguemus, quæ Johannes Diaconus fortasse confundit, si ante S. Gregorii legationem contigisse dicamus ea ex quorum narratione non liquet eum tunc monasterio suo præfuisse: & post ejusdem reditum expleta legatione, alia ex quibus summam eum potestatem jam obtinuisse in eodem monasterio constat.

V. *Jam tunc Angliam cogitat. Beda lib. II. c. 1. Paulus § 17. Johan. lib. 1. c. 21. & seq.*

Intra monasterii claustra contineri non potuit sanctissimi viri flagrantissimus zelus, sed transmisso Oceano ad procurandam Anglorum, nondum christianorum, conversionem vehementius exarsit. Qua occasione pium illud consilium inierit, narrant post Bedam Paulus & Johannes Diaconi: Quo vero tempore, etsi omnes id factum ante Gregorii Pontificatum consentiant, solus tamen Johannes hoc ante Constantinopolitanam legationem contigisse asserit, aliis neque affirmantibus neque inficiantibus. Rem ex Beda describemus, a quo primum desumta est; quamque ipse ex majorum traditione accepisse profitetur vir summæ fidei, nec minoris diligentiæ, qui a S. Gregorii temporibus integro seculo non aberat. Cum Gregorius in foro venales conspexisset pueros nuper ex Britannia advectos egregiu forma, candido corpore, ipso etiam capillamento insignes, interrogavit qua ex gente essent. Anglos esse responsum est; ad quod, *Bene*, inquit, *nam & angelicam habent faciem: & tales Angelorum in cælis decet esse consortes*. Nec mora: accedit ad summum Pontificem, rogatque ut genti Anglorum, quam audiebat adhuc idolorum cultui addictam, aliquos sacri verbi ministros mittat, qui eorum conversioni operam dent, seipsum paratum esse in hoc opus, si ita supremo Antistiti videatur. Annuit Papa: insatigabilibus ejus precibus victus, inquit Paulus Diaconus. Gregorius vero accepta discedendi copia, assumtisque e suo Andreano sodalitio selectis quibusdam sociis, quamcitius clam se subduxit & itineri commisit; metuens quod postea contigit, ne ab itinere, suorum civium amore ac studio revocaretur. Itaque Romani audientes viri sancti profectionem, summum [c] Pontificem adeunt & *terribili voce conclamant: Eia, Apostolice, quid fecisti? S. Petrum offendisti, Romam destruxisti*. Tanta erat de sancto viro existimatio & fiducia jam concepta, ut ex uno Gregorio salus omnium pendere videretur. His clamoribus motus Papa, seditionemque pene imminentem vehementer metuens, celerrime misit nuntios qui vel renitentem viatorem ab itinere quantocius revocarent & in Urbem reducerent, ut viso eo cives a tumultu compescerentur. Jamque trium dierum confecto itinere, sodales post brevem quietem, ut alacriter cœptam persequerentur viam hortabatur, cum ecce adveniunt sudantibus equis a summo Pontifice missi, offeruntque Epistolam qua Gregorio præcipiebatur vestigia relegere, & actutum Urbem revisere. Obtemperare coactus vir sanctis-

a De sanctitate Eleutherii vide lib. 3. Dial. c. 33.
b *Dum Petrus .... sibi sepulturam facere post annos 14. voluisset.*
c Pelagium ex Paulo, & Benedictum ex Johanne.

ctissimus, qui obedientiam Deo præ sacrificiis omnibus placere noverat, Romæ summa omnium ordinum gratulatione exceptus est; & in monasterium regressus, novo fervore ad intermissos monastici instituti labores sese accinxit; in his damni quod patiebatur solatium & compensationem quærens. Sed eum spes fefellit.

VI. Fit Diaconus. Greg. Turon. lib. 10. c. 1. a

Vix enim in monasterium sese receperat, cum ab ejus quiete abstractus a summo Antistite, & Diaconus septimus creatus est, tum ut ad altare ministraret, tum ut in partem Pontificalis sollicitudinis succederet. Quod audis hic Gregorium factum *Diaconum* vel *Levitam septimum*, significat tunc adhuc Romæ viguisse antiquum [a] morem, cujus meminit S. Cornelius Papa in Ep. apud Euseb. lib. VI. c. 43. ut septem dumtaxat essent Diaconi, exemplo fortasse prioris & apostolicæ Ecclesiæ in qua septem tantum Diaconi ordinati sunt. Hic etiam numerus septenarius, septem præcipuis Urbis regionibus & basilicis respondebat, quibus singuli Diaconi præficiebantur; hincque dicti sunt Regionarii.

Vim sibi tunc factam explicat sanctus vir in Epistola ad Leandrum jam toties laudata; testaturque sibi nolenti & renitenti obedientiæ virtutem objectam, cui cedere coactus est. A quo Pontifice consecratus fuerit, & in partem curæ Ecclesiasticæ vocatus, neque Gregorius Turon. neque Paulus nos docent: hic tamen Pelagio secundo id adscribere videtur. Etenim diserte testatur Gregorium ab eodem Pontifice Diaconum effectum, & Constantinopolim missum. Cum itaque constet ipsum non Benedicti sed Pelagii II. Legatum seu Apocrisiarium apud Augustum fuisse, inde liquet ad mentem Pauli, non a Benedicto, sed a Pelagio II. Papa effectum eum esse Diaconum.

VII. A quo Pontifice.

Hæc apud Paulum legerat Johannes Diaconus; cumque in his maxime quæ de Gregorio refert ante adeptum Pontificatum, ab ejus sententia recedere non soleat, sed ipsa ejus verba & periodos integras transcribere, quando hic a Paulo dissentire conspicitur, liquet id non temere sed gravissima de causa factum. Nimirum aliter hauddubie in Romanæ Ecclesiæ scrinio legerat Johannes, ac in Pauli historia.

Eminentiss. Card. Baronius Johannis opinionem impugnat, non alia ratione quam tuendæ suæ chronologiæ necessitate; sed eam stare non posse jam a nobis demonstratum, aliundeque non ita nobis contemnenda videtur Johannis auctoritas. S. Gregorii vitam scripsit hic Ecclesiæ Romanæ Diaconus, tum ex ejus Epistolis aliisque operibus collectam, tum ex antiquis Ecclesiæ monumentis, in scrinio seu tabulario summorum Pontificum asservatis. Hæc quidem magna ex parte ad nos minime pervenerunt: sed cum videamus illius scriptoris diligentiam & fidem in legendis S. Doctoris operibus quæ præ manibus habemus, nullatenus desiderari (quæ enim ex ipsis excerpsit, eadem apud S. Gregorium leguntur vix unica voce mutata) quidni de ejusdem optima fide ac sinceritate certi & securi simus in aliis laudandis? Certe Johannem Diaconum in suspicionem vocando vel fraudis vel incuriæ, alterius Johannis, scilicet Papæ VIII. pulsatur auctoritas; qui, & illum ad vitam S. Gregorii conscribendam hortatus est, & scriptam approbavit, hauddubie præmisso accurato examine, uti sane tanti momenti opus postulabat. Igitur cum Johanne Diacono asserendum putamus a Benedicto I. avulsum e monasterio S. Gregorium, & assumtum fuisse ad Ecclesiæ ministerium. Benedictus I. mortuo Johanne III. rexit Ecclesiam a mense Majo anni 573. ad finem Julii an. 577. elapsisque tribus mensibus & paucis diebus, Pelagius II. creatus est summus Pontifex, quo sedente, officio Diaconi Gregorius in Ecclesia Romana fere fungi cœpit, quod a Benedicto ejus antecessore paulo ante mortem ordinatus esset. Hac quidem ratione conciliari posse Johannem Diaconum cum Paulo non diffidimus. Quid enim vetat dicere cum Johanne, a Benedicto primo Gregorium assumtum fuisse ad Ecclesiæ Romanæ Diaconatum, & fortasse ad legationem apud Imperatorem obeundam; quæ cum nonnisi mortuo Benedicto, sedenteque Pelagio II. ejus successore fuerint impleta, Paulum Diaconum non immerito scripsisse hæc a Pelagio facta?

VIII. An Diaconus Cardinalis. an. 581. n. 1.

Gregorium factum fuisse Diaconum Cardinalem ait Baronius, quamvis apud nullos veterum, qui de ipso scripserunt, hoc legerit: nisi forte per *Levitam* seu *Diaconum* septimum, Cardinalem significari censeamus. Et quidem erant septem illi Rom. Ecclesiæ Diaconi singulis titulis quasi cardinibus affixi; unde dici poterant Cardinales: non secus ac ita dicebantur vel Presbyteri minoribus, vel Episcopi majoribus Ecclesiis tamquam proprii Sacerdotes addicti, & ut, ipse Gregorius loquitur, incardinati; de quibus frequentissime in ejus Epistolarum Registro, ubi consule notas, indicis adhibita face.

IX. An Archidiaconus. Photius cod. 182.

S. Eulogius Alexandrinus Patriarcha videtur sensisse S. Gregorium Archidiaconum fuisse, penes quem erat summa bonorum omnium Ecclesiasticorum præfectura. Eulogius enim, Gregorio nostro pernecessarius, asserit in libro de administratione Ecclesiastica contra Novatum, Archidiaconum in Ecclesia Romana, mortuo Episcopo semper succedere ex veteri more & constitutione. Quo pacto vero id asseverasset, si intellexisset S. Gregorium etsi non Archidiaconum, ad summum Sacerdotium provectum fuisse? Non potuit autem ignorare de amico sibi familiarissimo, utrum a diaconatu tantum an ab archidiaconatu ad Pontificatum ascendisset. At credibile est Eulogium, de veteri Ecclesiæ consuetudine tunc antiquata loqui; nempe agit de S. Cornelio Papa, a quo dicit Novatum Ecclesiæ Romanæ Archidiaconum, Presbyterum factum fuisse, ne, si in Archidiaconatu remaneret, sibi successor daretur; quippe Archidiaconum succedere summo Sacerdoti statutum erat pro hujus temporis more.

a Vide Mabill. in Comment. de Ordine Rom. Septenarius ille Diaconorum numerus, etiam in Oriente receptus erat: cavetur enim can. 15. Concilii Neocæsar. ineunte quarto seculo habiti, ne plures quam septem Diaconi ministrent, etiamsi magna sit civitas.

CA-

CAPUT V.

An. 578. ust. ad 585.

I. Gregorius Constantinopolim mittitur a Pelagio II. II. Ejus vivendi ratio in Aula. III. Quibus cum sociis. IV. Quæ ab eo Constantinopoli sint gesta. V. De pellendis Langobardis Pelagii Papæ sollicitudo. VI. Eutychii novam hæresim Gregorius comprimit. VII. An cum Johanne Eutychii successore jam tum decertaverit. VIII. Ex tempore collationis cum Eutychio habitæ, nostra chronologia stabilitur. IX. De nova alia hæresi fama. Quid de ipsa Gregorius senserit. X. Libros Moralium elucubrat. XI. Præcipui ejus amici ex Aula. Filium Imperatoris ex sacro fonte suscipit. XII. Quamdiu in urbe regia manserit. XIII. Romam redit sacris reliquiis ditatus.

I. Constantinopolim mittitur a Pelagio II.

NOn multo post suam in Ecclesiæ Romanæ ministerio & diaconatu provectionem S. Gregorius Constantinopolim migrare jussus est a Pelagio II. ut in ea urbe totius Imperii Sede, negotiis Ecclesiasticis curam & sollicitudinem impenderet, Apocrisiariique (Latine *Responsalem* diceres, vel potius negotiorum curatorem) ibi officio fungeretur. Etsi vero arduum sit decernere quo anno hæc ei provincia demandata est, vero tamen propius est eum ad id muneris assumtum fuisse an. 578. aut sequenti, quo Tiberius post Justini obitum cœpit imperare solus a nec diu post subrogatum Benedicto I. Pelagium II. qui gratum proculdubio se facturum Augusto putavit, talem tantumque virum, præcipuis olim Reipublicæ muniis egregie defunctum ipsique probe notum Legatum ad eum mittendo.

II. Ejus vivendi ratio in Aula.

Quamvis autem in regia urbe inter aulicos viveret, ac in ipso Imperatoris palatio manere cogeretur, vitæ cælestis propositum non intermisit, inquiunt sæpe laudati vitæ ejus Scriptores, venerabilem Bedam secuti. Cum enim usque ad extremum spiritum in monasterio perseverare cupiens, voti sui compos esse non potuisset, effecit quodammodo ut monasterium secum migraret, sibique semper adhæreret. Ipsum audiamus ea de re ad S. Leandrum scribentem: *Cum in terreno palatio licentius excubarem*, inquit, *me multi ex monasterio fratres mei germana vincti caritate secuti sunt. Quod divina factum dispensatione conspicio, ut eorum semper exemplo, ad orationis placidum littus quasi anchoræ fune restringerer, ne causarum secularium incessabili impulsu fluctuarem. Ad illorum quippe consortium velut ad tutissimi portus sinum . . . . fugiebam. Et licet illud me ministerium ex monasterio abstractum a pristinæ quietis vita, mucrone suæ occupationis extinxerat, inter eos tamen per studiosæ lectionis alloquium, quotidianæ me aspiratio compunctionis animabat.* Quibus verbis expressius adumbrari poterat, quam pie in obeunda Constantinopolitana legatione Gregorius sese gesserit?

In præf. ad lib. Mor.

III. Quibus cum sociis.

Inter eos qui sancto viro sese comites itineris adjunxerunt, aut in urbe regia commorantem caritate moti adierunt, eminebat S. Maximianus Presbyter & monasterii S. Andreæ Abbas, postea Syracusanis datus Episcopus, ex multis Gregorianis Epistolis aut ad ipsum aut de ipso scriptis satis notus. At post aliquot annorum moram, jubente summo Pontifice, Romam redire coactus est, ut suo monasterio provideret ac invigilaret. Pelagii Epistolam Maximianum revocantis exhibet Johannes Diaconus, ex qua conjicere possumus quo tempore Romam redierit, relicto Constantinopoli Gregorio. Siquidem data est Epistola quarto nonas Octobr. Indict. tertia; sic enim legitur omnibus in manuscriptis quos consuluimus. Porro hæc Indictio, quæ mense Septembri incœperat, pertinet ad an. 584. Rediit Maximianus vel desinente hoc anno, vel sequenti inchoato. Illo itaque anno 585. Gregorius adhuc in urbe regia commorabatur, vel potius exulabat; se enim in exilio positum tamdiu doluit, quamdiu inter aulicos strepitus vivere coactus est.

Lib. 1. c. 32. Est tertia inter Pelagii II. Epistolas.

Quod spectat ad Maximiani reditum, narrat S. Gregorius imminens mortis periculum a quo cum sociis in Adriatico mari liberatus est insigni miraculo: nam per octo dies navis qua vehebantur, usque ad superiores tabulas aquis plena, iter proprium peragens enatavit. *Nono autem die in Crotonensis castri portum deducta est. Ex qua exierunt omnes incolumes, qui cum prædicto venerabili viro Maximiano navigabant. Cumque post eos ipse quoque fuisset egressus, mox in ejusdem portus profundum navis demersa est: ac si illis egredientibus pro pondere, sublevatione caruisset; & quæ plena hominibus in pelago aquas portaverat, atque nataverat, Maximiano cum suis fratribus recedente, aquas sine hominibus in portu non valuit portare.*

Lib. 3. Dial. c. 36.

Abeunte Maximiano, plurimi e fratribus Gregorio semper adhæserunt: qui videlicet sive Legatus apostolicæ Sedis, sive postea Episcopus, tanti fecit Monachos, ut eos in mensa convictores, in operibus adjutores, consiliorum participes, & vitæ testes; pene dixerim moderatores & arbitros semper habere voluerit. Huic Monachorum cœtui cum Gregorio in Regia hospitanti frequens intererat S. Leander, monasticæ quoque vitæ cultor, de quo fusius postea erit agendum.

IV. Quæ ab eo Constantinopoli sint gesta.

Quæ gesserit apud Tiberium Constantinum Augustum Gregorius, non narrant Scriptores; ipse quoque ab omni jactantia prorsus alienus humili obruit silentio. Duo tunc erant quæ præcipue Romanam Ecclesiam totamque vexabant Italiam, schisma scilicet ob tria capitula conflatum, & Langobardorum bellum. De schismate sopiendo, revocandisque ad Ecclesiæ sinum schismaticis, quam sollicitus fuerit Pelagius, testantur ejus Epistolæ brevi a nobis commemorandæ. Nec minori zelo id prosecutus est noster Gregorius, quod etiam ex ipsius Epistolis aliisque monumentis liquet; unde satis intelligitur frequenter sapientissimum Legatum apud Imperatorem egisse, ut tanto scandalo, tam fœdæ scissioni, tam gravi vulneri remedium afferret.

Magna sane spes affulserat schismatis extinguendi, cum Tiberius pius Imperator, Ecclesiasticæ pacis

pacis amantissimus, ad Reipublicæ clavum solus Justino mortuo sedere cœperat, maxime vero Langobardos ab ipso tota ex Italia pellendos sibi Romani pollicebantur, post plurimas et præclaras quas de Persis reportarat victorias. Tunc excusso regiæ potestatis jugo Langobardi triginta sex ducibus obtemperabant, qui sibi partiti erant quas occupaverant civitates. Ab illis autem tyrannis toto decennio spoliatas Ecclesias, Sacerdotes interfectos, urbes aversas, populosque qui more segetum excreverant, excisos narrat Paulus Diaconus. Hujus interregni et veluti anarchiæ tempore, anno circiter 579. aut 580. Casinense monasterium tota Italia celeberrimum, a barbaris direptum et dirutum est. *Lib. 4. hist. Langob. c. 17.*

V. De pellendis Langobardis, Pelagii sollicitudo.

Cum tot clades a Langobardis pateretur Italia, gravioresque Romæ impenderent, Pelagius Papa opportunum esse tempus liberandæ patriæ existimavit, quando tot in partes, tot in duces divisa barbaræ gentis potestas imminuta videbatur. Ea de causa non solum ad Gregorium scripsit illam quam refert Johannes Diaconus Epistolam, ut quantocius missis, pecunia, duce peritissimo, et copiis, periclitanti Romanæ Reipublicæ subveniretur; sed etiam Aunacharium Episcopum Antisiodorensem, qui erat Regibus Francorum a consiliis, admonuit, ut ea qua pollebat apud eos auctoritate, Ecclesiæ Romanæ et Italiæ, unde Gallis fidei lumen affulserat, suppetias ferri procuraret; deterreretque pios principes, quibus una cum Romanis erat fides, ab omni fœdere cum Langobardis ineundo. Epistola Pelagii legitur data anno septimo imperii Tiberii, ubi necesse est ejus imperii tempus computari antequam solus imperaret. Non multo post Childebertus Rex bellum cum Langobardis qui jam sæpe in Gallias irruperant, feliciter gessit, litteris Pelagii motus, ut par est credere. Quod vero spectat ad Tiberium Augustum, aliis bellis curisque distentus, parum de recuperanda Italia, aut etiam Roma conservanda cogitavit; adeo ut solis piorum, maxime vero ancillarum Dei precibus et sanctorum Apostolorum protectione, tunc et postea Urbs stetisse videatur. *Lib. 1. c. 32.* *Tom. v Conc. Ep. 4.*

VI. Eutychii novam hæresim Gregorius opprimit.

Nihil autem utilius Reipublicæ christianæ præstitit Gregorius Constantinopoli agens, quam cum nascentem Eutychii Constantinop. Patriarchæ hæresim de impalpabili Sanctorum corpore post resurrectionem, oppressit. Integram de hac quæstione concertationem refert ipse libro xiv. Moralium a num. 72. ad 75. unde transcripta apud Johannem Diaconum legitur lib. 1. c. 29. Gregorio victoria cessit; at victoriæ fructus Eutychio, qui errorem ante mortem paulo post secutam ejuravit. Gregorii doctrinam Tiberius August. oraculo suo comprobavit, deliberavitque de libro Eutychii flammis abolendo. Eutychio subrogatus est invitus et reluctans Johannes, cognomento jejunator. *Lib. v. Ep. 18.*

VII. An cum Johanne Eutychii successore jam tum decertaverit.

Utrum vero jam tum Gregorius cum Johanne decertaverit, pro œcumenici titulo quem usurparet, nos latet. Testatur quidem Ep. 68. libri ix. Johannem in Synodo superbum hoc vocabulum usurpasse, ac Pelagium suum decessorem hujus Synodi gesta irritasse, atque adhibita prius in eum *districtissima increpatione, prohibuisse ne suus Diaconus* seu Apocrisiarius *cum Johanne procederet*, hoc est in sacrorum celebratione communicaret. At quis esset ille Diaconus, Gregorius, an qui ei successit Laurentius, silentio præterit. Si tamen de se loqui voluisset, quare non dixisset, sibi a Pelagio preceptum non procedere cum Johanne? alium ergo a se designare videtur.

VIII. Ex tempore collationis habitæ cum Eutychio nova chronologia stabilitur.

Cum legamus apud Gregorium concertationi cum Eutychio Tiberium Imperatorem interfuisse, constanterque asseverent melioris notæ chronographi et historici ipsius mortem contigisse mense Augusto anni 582. inde novum eruitur argumentum contra Baronii opinionem de monastica vita tardius a S. Gregorio suscepta, hoc est vel an. 582. vel 583. quo cum adhuc præturam gessisse contendit. Nostram chronologiam confirmat Gregorius Turon. qui scribit anno octavo Childeberti Regis, Mauricium imperare cœpisse, hoc est an. 582. Nam Sigeberto patre occiso successit Childebertus an. 575. & ejus regni annus decimus quintus scilicet absolutus, teste eodem scriptore, convenit cum an. 590. Accedit venerabilis Bedæ auctoritas. Nam lib. 1. c. 23. Eccl. hist. *Anno*, inquit, *ab incarnatione Domini quinquagesimo octogesimo secundo, Mauricius ab Augusto quinquagesimus quartus, imperium suscipiens, uno & viginti annis tenuit; nimirum viginti annis integris et uno inchoato*. Hac ratione temporum tam inconcussis fundamentis stabilita, interrogare liceat chronologiæ Baronianæ propugnatores, qui possit intelligi Gregorium adhuc laicum & Prætorem fuisse anno 581. postea Monachum induisse, deinde avulsum a monasterio, in quo se diu vixisse passim asserit, Diaconum factum, mox Constantinopolim missum, ibique cum Eutychio Patriarcha disputasse, saltem mense Aprili an. 58.. quandoquidem constat, ut fatetur Baronius, Eutychii obitum, teste Eustathio, qui præsens aderat, antecessisse quatuor mensibus Tiberii Imperatoris mortem, qui ut diximus, e vita migravit mense Augusto an. 582.? sed de his satis. *Lib. vi. historiæ num. 25. & 30. Lib. ...*

IX. De nova alia hæresi fama. Quid de illa senserit Gregorius.

Eodem tempore quo in urbe regia commorabatur Gregorius, rumor invaluit de nova hæresi, sed ut suspicatur ipse Gregorius, imaginaria: de qua agit Epistola 45. libri xi. Illius sectatores dicebantur *sub obtentu religionis conjugia solvere*, & docere *quod baptisma peccata penitus non auferat. Et si de iniquitatibus suis quis in triennium pœnitentiam ageret, postmodum ei perverse vivere liceret. Sed teste conscientia*, inquit Gregorius, *fateor numquam in eis aliquid erroris, aliquid pravitatis, aliquid de his quæ contra eos dicebantur inveni. Unde et eos, opinione contemta, familiariter suscipere, et magis ab insequentibus defendere curabam*; quo exemplo docemur quomodo cum his qui de falso dogmate gratis infamantur, sit agendum.

X. Libros Moralium scribit hortante S. Leandro.

Quidquid temporis a negotiis vacabat, illud sacræ Scripturæ legendæ, piisque studiis impendebatur. Tunc [a] Leander Episcopus Hispalensis legatione & ipse fungens apud Imperatorem, auctor fuit Gregorio exponendi libri Job. Inter præstantissimos illos viros magnam necessitudinem adstrinxerat vitæ monasticæ communis utrique professio, par fere morum sanctitas, eadem studia. De legatione S. Leandri apud Imperatorem pro Hermenegildo Vvisigothorum Rege in Hispania consulendi Hispanici scriptores, & legendum caput 31. libri iii. Dialog. Amicissimi viri, necnon fratrum suorum precibus cedere coactus Gregorius, ad reseranda *tantæ profunditatis mysteria*, quæ in libro Job latent sese accinxit. *Certus*, inquit, *quia impossibile esse non poterat, quod de fraternis cordibus caritas imperabat*. Ve-

[a] De S. Leandro lege Annales Benedict. Mabill. lib. vi. num. 64. & Nicolaum Antonium in Bibliotheca vet. Hispan.

rum de hoc opere quod Leandro nuncupavit sanctus Doctor, legere juvat quæ de ipso præfatur, & admonitionem quam eidem præmisimus.

XI. *Præcipui ejus amici ex aula.* Præter S. Leandrum Gregorius multos alios amicos in urbe regia sibi comparavit, in his præcipua Domitianum Mauricii Augusti consanguineum Melitinæ Episcopum, de quo infra; Theoctistam ejusdem Imperatoris sororem; Narsem Patricium bellis contra Persas feliciter gestis celeberrimum, quem re non satis perspecta, Baronius eumdem esse putavit, qui post multas de Gothis reportatas in Italia victorias, tam præclare gesta invitatis postea Langobardis ad Italiæ direptionem, ulciscendæ privatæ injuriæ gratia, fœdavit & deturpavit. Alios omittimus de quibus in historia Pontificatus Gregorii frequens occurret mentio. Et ut paucis absolvamus, multorum quidem familiaritatem & amicitiam, omnium vero amorem & existimationem est consecutus. At silentio præterire non possumus quod Gregorius Turonensis refert, sanctum Diaconum filium Mauricii Augusti (haud dubie natu majorem) ex lavacro sacro suscepisse, dum Constantinopoli adhuc moraretur: quod quantum ei fuerit perhonorificum nullus est qui non intelligat.

L. 10. c. 1. Filium Imperatoris ex sacro fonte suscipit.

XII. *Quamdiu in urbe regia manserit.* Ex hoc Gregorii historici testimonio possumus facilius statuere quo anno vir sanctissimus Romam redierit. Mauricius non prius Constantinam Tiberii Augusti filiam duxit, quam fieret Imperator: sed simul & uxorem, & dotis nomine imperium accepit, anno scilicet 582. mense Augusto ut jam supra demonstravimus. Itaque nasci ei non potuit filius, nisi anno sequenti mense Aprili aut Maio. Ex iis evidenter probatur Gregorium ex urbe regia prius non discessisse. At ex Epistola Pelagii ad eum scripta quam profert Johannes Diaconus, lib. 1. c. 32. multo longior mora colligitur: nam data legitur hæc Epistola mense Octobri Indict. III. proindeque anno 584. Neque vero hoc anno Constantinopoli discessit Gregorius, quia Maximianum laudata epistola revocatum, ut supra diximus, & hoc anno vel etiam sequenti Constantinopoli profectum, reditum Gregorii antecessisse manifestum est ex libro III. Dialog. c. 36. Hæc quomodo stare possint cum sententia Baronii & [a] Binii satis non video, quibus placet, statim postquam Mauricius renunciatus est Imperator, quod contigisse mense Aug. anno 582. jam ostendimus, Laurentium fuisse a Pelagio missum ut in Apocrisiarii officio succederet.

Diuturnioris mansionis in urbe regia probationem adhuc suppeditat ingens Moralium volumen hac in urbe a Gregorio elucubratum, cui plures anni, maxime tot inter negotia vix potuerunt sufficere. Neque vero S. Leander, neque Gregorii fratres & sodales, eum ad opus illud aggrediendum hortati essent, si Constantinopoli tam brevem moram, ut placet Baronio, fuisset facturus.

XIII. *Romam redit sacris reliquiis ditatus. Ad an. 586. num. 24.* Jam vero de reddendo Romæ Gregorio cogitemus, & quem abeuntem comitati sumus, redeuntem prosequamur. Redit autem magnis muneribus, nimirum sanctissimis reliquiis ditatus, scilicet brachio S. Andreæ Apostoli, & capite S. Lucæ, quæ sacra pignora ab Imperatore impetrata in suo Romano monasterio collocavit; ut refert Baronius ex priori pagina Vatican. cod. signati numero 553. Neque huic narrationi contrarium est quod dicit ipse Gregorius lib. IV. Ep. 30. ad Constantinam Augustam, *consuetudinem non esse, ut quando Sanctorum reliquiæ dantur, quidquam de corpore tangere præsumatur*; nam loquitur de Romanorum & Latinorum, non vero Græcorum more & consuetudine. Italiæ quoque reportavit ab Mauricio Augusto spem proximi auxilii, quod brevi adfuit duce Smaragdo Exarcho Longini successore. Si tamen quis contendat Smaragdum Gregorii reditum prævenisse, de re tam incerta minime pugnabo; neque enim expeditum est certo assignare quo tempore Gregorius repatriaverit. Id vero constat ejus precibus & sollicitationibus impetratum hoc subsidium. Ceterum ex Epistola I. Pelagii ad Eliam Aquileiensem Episcopum, discamus quid Italiæ præstiterit Smaragdi adventus: gratulatur enim summus Pontifex, quod per labores atque sollicitudinem excellentissimi filii Smaragdi Exarchi & Chartularii sacri palatii, pacem & quietem Deus donare dignatus sit.

a In notis ad Ep. Pelagii II inter Concilia.

C A P U T VI.

Ab an. 585. usque 589. *I. S. Gregorius monasterii sui fit Abbas. II. Pelagius eum sibi adjutorem adhibet scribendis Epistolis. III. Argumentum prioris Epistolæ ad Eliam scriptæ contra schisma. IV. De secunda ad eumdem Eliam Epistola. V. De tertia. VI. Schisma ficte ejurant quidam Episcopi. VII. S. Gregorius libros Moralium retractat.*

I. *S. Gregorius monasterii sui fit Abbas. b* Romam reversus Gregorius, in monasterii sui portum, urbis aulæque tumultum exosus, iterum se recepit, ubi Abbatis officium rogantibus, imo cogentibus fratribus [b] exercuit. Quod in monasterio post reditum & ante suam ad Pontificatum assumtionem habitaverit et præfuerit, dubitare non sinit ipse Gregorius narrans lib. IV. Dialog. cap. 55. infelicem Justi Andreani Monachi mortem quam dicit contigisse *ante triennium*, hoc est paulo antequam apostolicam cathedram ascenderet. Ex hoc loco liquet *hunc Monachum medicinali arte imbutum*, *Gregorio in eodem S. Andreæ monasterio constituto, sedulo obsequi atque in assiduis ejus ægritudinibus excubare solitum*. Cum Justus morti proximus deprehensus fuisset reus occultatæ pecuniæ, *mox ut tantum malum* Gregorio *nuntiatum est, id æquanimiter ferre non valuit*. Statimque violatæ regulæ monasterii vindex, quia Abbas, *cogitare cœpit vel quid ad purgationem morientis faceret, vel quid ad exemplum viventibus fratribus provideret. Pretioso igitur ejusdem monasterii Præposito accersito*, jubet ut caveat a rei consortio fratres omnes recedere. Præcipit quoque mor-

b Assumto super ad Syracusanum Episcopatum S. Maximiano S. Andreæ Abbate.

mortuo etsi in extremis pœnitenti stercorariam parari sepulturam, et super ejus cadaver tres occultatos aureos projici, fratribus clamantibus: *Pecunia tua tecum sit in perditione*. Tandem quia Justus piaculi pœnitens diem extremum clauserat; procurat ut Pretiosus Præpositus *per triginta dies continuos pro ipsius absolutione* [a] *sacrificium offerat*. Quantum sapientissimi Abbatis severitas Justo ceterisque fratribus profuerit, lege aut in laudato Dialogorum libro, aut apud Johannem Diaconum. Quæ apud eumdem leguntur de largis eleemosynis a Gregorio factis dum in monasterio degeret, probant quoque eum tunc monasterio præfuisse: alioquin non *præcepisset* [b] Vestiario, ut tot daret *numismata*. Postea multa refert Johannes Diaconus quæ Gregorio Abbatis loco sedente contigisse testatur: qualia sunt miracula et signa quibus Deus quosdam Monachos aut fugientes, aut de fuga cogitantes, aut alterius noxæ reos terruit, et ad saniorem mentem revocavit. Sed fallitur hic scriptor, quandoquidem ipsemet Gregorius scribens ad Rusticianam Ep. 44. libri XI. eadem commemorat, aitque ea sibi narrata fuisse ab Abbate et a Preposito hujus monasterii. Verum quid indigemus aliunde quæsitis argumentis, cum ipse Gregorius coram Synodo diserte professus sit se olim rexisse monasterium, his verbis: *Quam sit necessarium monasteriorum quieti conspicere*... *anteactum nos officium, quod in regimine monasterii exhibuimus informat?*

a Lib. 1. c. 35. Ibid. c. 9.

b

Concil. III. seu Lateran. sub S. Greg.

II. Pelagius eum sibi adhibet adjutorem scribendis Epistolis.

Sancto viro in monasterii recessu otium et latebras quærenti, diu tamen iis prorsus frui non licuit, aut ab omnibus penitus Ecclesiasticis negotiis feriari. Nam ut olim Hieronymus S. Damaso Papæ, Prosper S. Leoni Magno, sic ille Pelagio Juniori in scribendis Epistolis adjutor fuit. Ita sensit Baronius; & sane ipsi tribuit Paulus Warnefridi lib. III. de gestis Langobardorum, *satis utilem Epistolam* a Pelagio Papa Eliæ Aquileiensi Episcopo missam, *quam*, inquit, *beatus Gregorius, cum adhuc esset Diaconus scripsit*. Tres editæ sunt tum a Baronio, tum a Conciliorum collectoribus Pelagii II. Epistolæ, *ad Eliam & ad alios Istriæ Ecclesiæ Episcopos et filios*, pro trium capitulorum causa tumultuantes. Unum est trium illarum Epistolarum argumentum, unus scopus, stylus plane non absimilis; proindeque idem omnium scriptor Gregorius, a quo unam saltem scriptam esse Pauli constat testimonio. Adde quod his in Epistolis quas Gregorius jam Pontifex factus ad eosdem schismaticos scripsit, vel ad alios quos in condemnatione trium capitulorum hærere noverat; eadem pro pacis hostibus caritas ferveat, pro anxiis & scrupulosis eadem indulgentia elucescat. Et de iis quidem postea fusius; nunc autem paucis exponendum quid tribus Epistolis nomine Pelagii II. scriptis potissimum contineatur.

Ad an. 586. num. 26. cap. 10.

III. Argumentum prioris Epistolæ, ad Eliam scriptæ contra schisma.

In prima præfatur piissimus Pater *de viscerum suorum divisione*, nimirum de schismate Ecclesiam scindente, *se non sine gravi fletu doluisse*; ad pacem dissidentes cum lacrymis adhortatur. Vacillantibus in fide, Petri fidem indeficientem opponit; titubantibus, Sedis Petri firmitatem, contra quam portæ inferi prævalere non possint. Ceterum ut omnem præscindat sese calumniandi occasionem, profitetur amplecti quæ ab Apostolis eorumque successoribus tradita sunt, & in quatuor œcumenicis Conciliis explanata & confirmata, maxime in Synodo Chalcedonensi, cujus auctoritatem pulsari & labefactari, trium capitulorum damnatione in quinto post Concilio conclamata schismatici querebantur. Si tamen hæc ad compescendum scandalum sufficere non videantur, rogat eos ut manentes in unitatis caritate eligant transmittantque aliquos e fratribus; ad proponendas & componendas pacifice quæstiones omnes. *Et parati sumus*, inquit bonus ille Pastor ovibus errantibus compatiens, *secundum præceptionem Apostolicam, et cum caritate eos suscipere, et cum humilitate ad placita satisfactionis reddere rationem; et sine aliquo impedimento, cum omni dilectione, quando reverti voluerint, voluntate sincerissima, relegare*.

1. Petri 3.

IV. De secunda ad eumdem Eliam Epistola.

Ut ad hanc Epistolam responderent schismatici, *Scripta diversis infecta contagiis direxerunt*, quibus Patrum testimonia incongrua & ad causam non pertinentia inseruerunt, ordine ita turbato, *ut quod scriptum nomine alterius fuerat, alterius nominis titulo promeretur*, ut observat Pelagius in Ep. 2. ad Eliam ejusque symmystas, unde ipsis hæc ab Apostolo dicta tribuit: *Nescientes neque de quibus dicunt, neque de quibus affirmant*. Itaque ut veris et genuinis falsa et supposititia destrueret, Pelagius curavit schismaticorum legatis ex antiquis *Polyptycis scriniis sanctæ Sedis Apostolicæ* sincera Synodorum acta exhiberi; ipsosque secunda sua Epistola vehementer est cohortatus ad caritatem et unitatem, cujus scissio culpa est ita inexpiabilis, ut ne martyrio quidem purgetur. Postremo invitat eos ad collationem Romæ per legatos habendam; aut si locorum obstent intervalla, rogat ut apud Ravennatem urbem Istriæ finitimam conveniant, quo se Legatos missurum pollicetur, qui vice sui Synodo intersint.

1. Tim. 1. 7.

V. De tertia.

Irrita fuit vigilantissimi Pastoris sollicitudo curaque erga oves extra Ecclesiæ septa et pascua vagantes. Utque suam in schismate pertinaciam tuerentur, pro defensione damnatorum in V. Synodo trium capitulorum, apologiam evulgarunt: ad quam refellendam Pelagius, Gregorii opera rursum usus, tertiam scripsit Epistolam, quam ipse Gregorius librum appellat. Ex hac Epistola intelligimus conjuratos Istriæ vicinarumque regionum Episcopos, eo insaniæ provectos, ut summo Pontifici tam præclara humilitatis et caritatis exempla præbenti, *deliberata judicii sententia imperarent*, a trium capitulorum damnatione resilire. De hac perduellione gemit Pelagius, doletque oves extra caulas, leonis rugientis morsibus patere, palmites a vite rescissos exsiccari et ad combustionem præparari, operarios extra vineam laborantes et desudantes mercede carere; novo diluvio mundum obruente vesanos homines arcam fugere. Ut autem satisfaciat omnibus quæ obtruderant schismatici, primum singillatim expendit ea quibus abutebantur S. Leonis Papæ pro Concilio Chalcedonensi testimonia, quæ soli fidei definitioni favere ostendit; at de ea non agi sed de personis, ut etiam in superiori Epistola luculenter probatum est, contendit. Deinde nodum solvit quem ex Vigilii Papæ aliorumque Latinorum Episcoporum reluctantia adstringebant; qui scilicet prius damnationi trium capitulorum con-

Lib. 11. Ep. 51.

a De sacrificio pro defunctis offerri solito jam diximus in nota *e*, ad libri IV. Dialog. caput 55.

b Sic Johannes vocat Monachum, vestiarii custodiæ præpositum. Porro in chronico Casinensi lib. 1. c. 25. Vestiarium appellatur locus, ubi etiam peculia servabantur. Proprie vestiarium est locus ubi vestes sacræ & vasa ad altaris ministerium aliaque pretiosa reposita custodiebantur; qui cum esset tutior, forte aliquando ad pecuniam asservandam deligebatur. Vide notam 1054 ad librum Sacram.

consentire constantissime recusarant. Ait nimirum Latinos linguæ Græcæ minus peritos, errores in Theodoriti, Theodori & Ibæ scriptis latentes statim non potuisse detegere; quibus tandem cognitis eorum condemnationi ultro subscripserunt; & prius acta retractarunt. Ceterum mirum non esse Petri successorem, in sententia variasse, cum ipse Petrus qui *prius restitit ne ad fidem gentes sancta Ecclesia sine circumcisione reciperet*, postea Paulo reprehendenti cessit, & obstitit ne jugum Mosaicæ legis gentilibus imponeretur. Denique Pelagius multa ex Theodori Mopsuesteni scriptis profert in Christum impiissima, multa quoque ex Ibæ Epistola, quibus palam fit quanta pertinacia Nestorio adhæserit, & in S. Cyrillum impii Nestorii adversarium exarserit; unde manifestum est eorum scripta vel hæretica, vel hæresi faventia, non immerito fuisse damnata. Ad Theodoritum quod spectat, hæc ait Pelagius: *Neque Theodoriti omnia scripta damnamus, sed sola quæ contra duodecim Cyrilli capitula, sola quæ contra rectam fidem aliquando scripsisse monstratur, quæ tamen & ipse damnasse cognoscitur.*

Digna sane est hæc Epistola, quæ ex integro legatur. Nemo autem legens, nisi in S. Gregorii scriptis peregrinus, dubitare poterit, an sit ipsius fetus; quippe sapit Gregorianam phrasim, & explicandæ sacræ Scripturæ methodum. Idem fit de duabus aliis criterium. Hinn eas hoc loco inferendas, aliqua saltem ex parte judicavimus.

VI. Schismatici ... quidam Episcopi ... Lib. ... His armis cum expugnari non potuissent schismatici pertinaces, *Smaragdus Patricius veniens de Ravenna in Gradum, per semetipsum e basilica extrahens Severum* Aquileiensem seu Gradensem Episcopum, *Ravennam cum injuria duxit, cum aliis tribus Episcopis*. (Verba sunt Pauli Vvarnefridi in historia Langobardorum) *quibus comminans exilia, atque violentiam inferens, communicare compulit Johanni Ravennati..... Exacto vero anno ex Ravenna Gradum reversi sunt, quibus nec plebs communicare voluit, nec ceteri Episcopi eos susceperunt*. Severum *incorporatum fuisse in unitatem Ecclesiæ* quam postea deseruit testatur S. Gregorius lib. 1. Ep. 16. ad eumdem scripta.

VII. S. Gregorius libros Moral. retractat. Eo tempore cum paulo liberiori otio frueretur, suam in Job expositionem ad limam revocavit, *multa augens, pauca subtrahens*, ut ipse ait in prævia ad illos libros Epistola, ubi lege cetera, quæ in hac veluti secunda Moralium editione præstitit. Sed amicam illam quietem turbavit pestis gravissima quæ Romam Italiamque devastavit, & Pelagium summum Pontificem interemit; cujus loco Gregorius electus est. De his nunc morosius est agendum.

CAPUT VII.

An. 589. & 590. *I. Tiberis exundatio. II. Mala inde subsecuta. In his pestis. Pelagio peste sublato, Gregorius in ejus locum eligitur. Petitur Imperatoris consensus. III. Jure an injuria. IV. Num ad consensum impetrandum soluta pecunia. V. Acrius desævit pestis, Gregorius Romanos ad pœnitentiam hortatur. VI. Indicit publicas supplicationes. VII. Qua auctoritate. VIII. Fugit & latebras quærit. Indicio columnæ fulgidæ agnoscitur.*

I. Tiberis exundatio. Greg. Turon. lib. ... c. 1. ANno octogesimo nono supra quingentesimum, mense nono seu Novembris *tanta inundatione Tiberis fluvius urbem Romam obtexit, ut ædes antiquæ diruerentur, horrea etiam Ecclesiæ subversa sint, in quibus nonnulla millia modiorum tritici periere*, inquit primus rerum Francicarum scriptor; observatque id contigisse anno XIV. Childeberti Regis; quod de anno hoc non inchoato, sed completo intelligendum est. Nam eodem Gregorio historico teste, medio mense [a] *undecimo* sequenti, hoc est Januario, Pelagius Papa peste percussus est. *Et quia Ecclesia Dei absque Rectore esse non poterat, Gregorium Diaconum plebs omnis elegit*. Gregorium ordinatum esse mense Septembri anni 590. nemo diffitetur. At si decimo quarto anno Childeberti tantum inchoato, Pelagius peste correptus interiisset, hoc est anno 588. per viginti menses vacasset Sedes Romana, scilicet a Januario anni 588. usque ad ordinationem S. Gregorii mense Septembri an. 590. tamdiu autem Romam, imo totam Ecclesiam sine Pastore tunc fuisse nullus ex historiæ scriptoribus litteris consignavit. Itaque inundatio de qua Gregorius Turonensis, accidit mense Novembri an. 589. Januario sequenti pestilentia Pelagium Papam abstulit. Paulo post electus est Gregorius in summum Pontificem. Verum cum reluctaretur, expectandusque foret Imperatoris consensus, ejus ordinatio citius quam ineunte mense Septembri proximo non potuit impleri. His certis terminis definienda fuit & stabilienda chronologia, antequam cetera quæ vel præcesserunt Gregorii electionem, vel subsecuta sunt, prosequeremur.

Inundationis Tiberis meminit ipse Gregorius lib. III. Dialog. cap 19. his verbis: *Ante hoc fere quinquennium, quando apud hanc Romanam urbem alveum suum Tiberis egressus est, tantum crescens ut ejus unda super muros Urbis influeret, atque inde jam maximas regiones occuparet, apud Veronensem urbem Flavius Athesis excrescens, ad beati Zenonis Martyris atque Pontificis Ecclesiam venit*. Hæc magis ac magis confirmant stabilitam a nobis chronologiam. Gregorius enim scripsit Dialogos an. 593. qui erat *fere quintus*, hoc est quintus inchoatus ab anno 589. Tiberis inflatus jam antea Romæ non semel exitialis fuerat; videratque suis temporibus Horatius:

Tiberim retortis
Littore Etrusco violenter undis
Ire dejectum monumenta Regis,
Templaque Vestæ. lib. 1. od. 2.

Inter maximas autem Urbis & orbis clades hujus fluminis exundatio censebatur. Unde Tertullianus Apo-

[a] Cum his legis Januarium esse anni undecimum mensem, intellige Gregorium Turon. annum non inchoasse a Januario, sed a Martio,

Apologetici c. 40. *Si Tiberis*, inquit, *ascendit ad mœnia, si Nilus non ascendit in arva; si cœlum stetit, si terra movit; si fames, si lues: statim Christianos ad leonem*; quasi tot calamitatum suis flagitiis provocatores & auctores.

II. Mala ex ea subsecuta. In his pestis.

Quanta mala intulerit hæc Tiberis prope immensa effusio, narrat Gregorius Francicus his verbis: *Multitudo etiam serpentium cum magno dracone in modum trabis validæ, per hujus fluvii alveum in mare descendit: sed suffocatæ bestiæ, inter salsos maris turbidi fluctus littori ejectæ sunt. Subsecuta est de vestigio clades quam inguinariam vocant*. Primus omnium hoc flagello percussus interiit Pelagius Papa, eodem Gregorio teste, juxta illud quod in Ezechiele Propheta legitur: *A sanctuario meo incipite*. Mox subsecuta est magna populi strages. In tanta ergo calamitate populus Romanus ad Gregorium confugit, eumque in summum Pontificem elegit. *At ille hunc apicem attentius fugere tentans, ne quod prius abjecerat, rursum ei in seculo de adepto honore jactantia quadam subreperet*, Mauricium Augustum, cujus filium ex sacro fonte susceperat, confestim supplicibus litteris oravit, ut consensum eligenti populo seque ad Episcopatum deposcenti denegaret. Scripsisse quoque ad Johannem Constantinopolitanum Patriarcham, ut Imperatori apud quem gratia plurimum pollebat, rescindendæ hujus electionis suasor & auctor esset, conjicitur ex Epistola 4. libri 1. in qua cum ipso expostulat, quod ne ad Episcopatum eveheretur minime obstiterat. Sed Præfectus urbis Romæ [a] germanus ejus, præoccupato nuntio, misit ad Imperatorem solemne electionis decretum. Mauricius Deo gratias agens, quod Diaconus sibi amicitia conjunctissimus, ad tanti honoris culmen populi suffragiis fuisset vocatus, dato ex more præcepto jussit eum institui & ordinari. Hæc ex Gregorio historico excerpta, quæ ipse ab oculato teste Turonensis Ecclesiæ Diacono (quippe qui tunc Romæ ageret) didicerat. Inter optimates qui ad electionem Gregorii suis suffragiis & fortasse consiliis auctoritateque plurimum contulerunt, præcipuam laudem meruerunt Johannes Exconsul & Quæstor vir Patriciæ nobilitatis, necnon Philippus Excubitorum comes, de quibus eam ob rem queritur Epistolis 31. & 32. libri 1.

Ezech. 9. 6. Pelagio peste sublato, Gregorius in ejus locum eligitur.

a Postulat consensus Imperatoris.

Gregorium solummodo Diaconum fuisse cum ad Pontificatum evectus est, ex hoc alterius Gregorii testimonio liquet. Neque vero legimus eum [b] Presbyteratu donatum, antequam in Pontificem ungeretur & consecraretur; quod hodiernis quidem moribus adversari haud diffitemur; sed non ita fortasse antiquis.

III. Jure an injuria.

Nonnullorum quoque mentem hauddubie pulsabit, quod narrat laudatus scriptor, de petito & expectato Imperatoris consensu, antequam Gregorius electus ordinaretur. Sed a Regum Gothorum Italiam obtinentium saltem temporibus usurpatum erat, ut electus Papa non sederet nisi accedente prius Principis confirmatione. Huic juri vel injuriæ quæsitus hic color, quod cum summi Pontificis electio, non solum ad clerum, sed etiam ad Senatum populumque Romanum tunc spectaret, citra auctoritatem Imperatoris aut Principis, qui Senatus populique caput erat, stare non deberet. Neque vero Gregorius, qui [c] sacrum sibi ministerium ab Imperatore commissum agnoscit, hunc morem usquam damnare visus est, aut improbasse. Nam quod affert Baronius ut displicuisse sanctissimo Pontifici morem hunc ostendat, id ex spurio vel saltem dubio commentario in [d] Psalmos Pœnitentiales loco depromsit. Restituto in Occidente Imperio, Carolus Magnus ejusque posteri, hoc jure confirmandi summi Pontificis, nullo repugnante, potiti sunt, ut ex Anastasio Ecclesiæ Romanæ Bibliothecario, & ex aliis passim non iniquis erga Sedem Apostolicam scriptoribus constat.

Lib. 1. Ep. 5.

IV. Num ad consensum imperandum soluta pecunia. Cf. Baluz. lib. 3. Ep. 3.

Idem [e] Eminentissimus Cardinalis existimat Mauricii consensum in Gregorii electionem soluta pecunia comparatum fuisse; quod nescio an in hujus aut inferioris ævi scripto aliquo legatur. Querela enim de sponsa Christi captiva facta & tributo subdita, quæ profertur ex commentario in Psalmos pœnitentiales neque id significat, neque extra suspicionem interpolationis & suppositionis est. Non me fugit Athalaricum Arianum aliquando imperasse tria solidorum millia pro confirmatione *Apostolici Pontificis*, & duo millia pro confirmanda aliorum Patriarcharum, hoc est Metropolitanorum electione; sed Catholicos Principes, liberata a Gothis Italia, idem exegisse, aut Gregorium ab hujusmodi simoniaca pecuniæ pensitatione non abhorruisse nusquam sibi persuadere poterit, qui legerit ejus epistulas quamplurimas contra simoniacam hæresim scriptas. Præterea Rex Arianus pecuniam persolvi non jubet, nisi cum de electione aut ordinatione Præsulum, *ad palatium producta fuerit altercatio populorum*. [f] At in electione Gregorii mirus fuit populorum consensus. Addo insuper obscurum esse locum hunc ex rescripto ad Johannem Papam quæsitum; quandoquidem in eo Rex contra simoniacos, sive qui dant sive qui accipiunt, saluberrima promulgat decreta.

V. Acrius desævit pestis.

Interea dum expectaretur Augusti responsio & assensus, in dies augebatur pestilentia, Romaque continuis funeribus devastabatur. Ab hac lue immune non fuit S. Andreæ cœnobium; tuncque enituit maxime fratrum omnium sollicitudo & caritas erga Theodorum adolescentem hoc morbo correptum, & ad extrema perductum; quem eorum orationibus a duplici morte animæ scilicet ac corporis liberatum refert Gregorius tum homil. 19. & 38. in Evangelia, tum lib. IV. Dialog. c. 38.

Gregorius Romanos ad pœnitentiam hortatur.

Aberat tunc a monasterio sanctus Pater, procurandis afflictæ civitati solatiis totus incumbens. Ut autem pene jam despondentes animum Romanos spe in Deum erigeret, atque ad pœnitentiam tot inter flagella vel invitos provocaret, concionem ad populum habuit, dignam sane quam litteris con-

a Aliqui legunt apud Gregor. Turon. *Præfectus Urbis Germanus*, ejus &c. minime tamen referendum esse *ejus* ad *Germanus*, S. Gregorium fratrem seu germanum habuisse jam supra ostendimus c. 1. num. 3.

b Lege notas ad Ep. 34. lib. x. nota d.

c Qui *virtutis ministerium inferius commisit*.

d Vide censuram de hoc Commentario Tom. III. 2. parte col. 463.

e Ad an. 590. num. v.

f Eodem sensu debet intelligi Justiniani jussio de qua Baronius ad an. 554. num. 1. & 2. & quod legitur apud Anastasium Biblioth. in Agathone: *Hic suscepit divalem jussionem* (Imperatoris constitutionem) *per quam relevata est quantitas quæ solita erat dari pro ordinatione Pontificis facienda, sic tamen, ut si post ejus transitum contigerit electionem fieri, non debeat ordinari qui electus fuerit, nisi prius decretum generale introducatur in regiam urbem secundum antiquam consuetudinem*. Tom. VI. Concil. in Agath. p. 574. Cæterum ista pecuniæ persolutio potius videtur populis eligentibus imperata, at jus eligendi conservarent, quam electis Pontificibus.

Tom. 2. col. 1440. signaverit Gregorius Turonensis. Ejusdem meminerunt Paulus & Johannes Diaconi; necnon alii quamplurimi. In prioribus editis legitur habita Indictione sexta, cujus loco potius legendum, *Indictione viii.* Constat enim Gregorium incipiente Indictione nona fuisse ordinatum. Erroris causa fuit, quod hæc oratio libro Epistolarum olim xt. nunc xiii. fuerit præmissa, cujus videlicet libri Indictio est sexta. [a] Nec minus mendose assignatur dies quarta Kalend. Septembris.

VI. Indicit publicas supplicationes. Post concionem S. Gregorius publicas supplicationes seu litanias indixit, præcepitque ut convenientes ad septem designatas in totidem Urbis regionibus basilicas, omnes Clerici, Monachi, sacræ Virgines, infantes, laici, viduæ, conjugatæ, inde cum singularum regionum Presbyteris, ad sanctæ Dei Genitricis basilicam ex conducto cum precibus & lacrymis procederent. Insuper congregatis Clericorum catervis, præcepit psallere per triduum. *Hora igitur tertia* (nostro more nona) *veniebant omnes chori psallentium ad Ecclesiam, clamantes per plateas, Kyrie eleison.* Ipso autem supplicationis tempore intra unius horæ spatium octoginta homines spiritum exhalarunt. Hæc Gregorius Turonum Episcopus, ex sui Diaconi qui tunc Romæ erat haud dubia relatione memoriæ prodidit, cui subscripsit Paulus Diaconus. Johannes Diaconus vero & alii non parum discrepant ab illis scriptoribus sive in recensendo personarum ordine, sive in assignandis basilicis. Nam Johannes Diaconus assignat pro litania Clericorum Ecclesiam S. Johannis, consentitque charta de litaniis quæ nunc legitur in appendice Epistolarum: Gregorius Tur. vero, basilicam sanctorum Cosmæ & Damiani. Hoc tamen dissidium componi potest si dicamus non semel indictas fuisse supplicationes illas; & in his quidem servatum ordinem a Gregorio Turonico relatum, in aliis alterum a Johanne assignatum; quod ex ritualibus libris potest confirmari, si Emin. Annalium Eccl. parenti fides sit. *Habent*, inquit Baronius, *rituales libri ultimus Litaniis esse processum ad basilicam Apostolorum Principis, atque ab Gregorio sanctam imaginem* [b] *Deiparæ magna veneratione delatam.* Tunc ferunt prope molem Hadriani Tiberi adjacentem visum esse Angelum, in signum reconciliati Numinis, *nudatum gladium in vaginam reponere, eoque symbolo morbum cessasse significare voluisse.* De supplicationibus sæpius habitis, & ultimo loco factis in basilica S. Petri contendere minime volumus, etsi de multiplici, aut etiam duplici processione tempore pestis habita scriptores omnes sileant. At quæ narrantur de viso Angelo, & de sedata peste dubiæ videntur fidei. Si enim id contigit, quonam pacto Gregorius Turon. id a suo Diacono non accepit? si vero ipsum audierit tanta miracula referentem, quomodo ab ipsis commemorandis abstinuit, qui aliquando levissima nec ita certa referre delectatur? Altum est quoque de istis Bedæ, Pauli, & Johannis silentium. Pestilentiam tamen quievisse Paulus & Johannes qui res a Gregorio gestas accuratius prosecuti sunt, non obscure testantur; sed brevi recruduisse postea ostendemus. Cum de supplicationibus iterum aut sæpius tempore pestis habitis, scriptores omnes sileant, felicius fortasse dissidentes scriptores ad concordiam revocabuntur, dicendo unius ejusdemque litaniæ ordinem varie indictum ac præscriptum. Nempe cum prius assignatæ fuissent hæ & illæ basilicæ quo varii convenirent ordines, aliæ postea mutato consilio delectæ sunt, vel quod ampliores, vel quod propiores forent, vel quod in regionibus ubi sitæ erant Ecclesiæ illæ pestis minus grassaretur. Nimirum cavendum erat a locis in quibus acrius morbus desæviebat. Itaque juxta opinionem hanc quam ultro fateor nullibi legisse me, tum Ecclesia S. Johannis, tum sanctorum Martyrum Cosmæ & Damiani designatæ sunt, quo conveniret Litania Clericorum, & unde postea procederet (idem de ceteris in quibus discrimen est, dicendum) sed ad alterutram tantum convenere Clerici.

[a] Ab illis supplicationibus originem traxisse videntur [c] Litaniæ quæ dicuntur majores, & in festo S. Marci quotannis celebrantur, cum illæ quæ in triduo ante Ascensionem Domini fiunt, dicantur minores.

VII. Qua auct. ... Quæri potest quo nomine quave auctoritate Gregorius adhuc Diaconus tantum, electus quidem ad Pontificatum, sed nondum ordinatus, Ecclesiæ Romanæ gubernationem quodam modo præoccupavit, omnia quæ superius retulimus decernendo. Eum quidem jam Presbyterum factum fuisse putant nonnulli, quos inter eminet Baronius, propter illa de eo Gregorii Turonensis dicta: *Sed non desistit Sacerdos tantus prædicare populo &c.* At vero Sacerdotis nomine non solebant veteres designare Presbyterum. Itaque Turonensis Episcopus nostrum Gregorium hic non alia ratione Sacerdotem appellat, quam quod esset ad summum electus Sacerdotium: unde paulò post non obscure innuit eum adhuc in diaconatus gradu positum. Neque vero Presbyteratus ordo jus ipsi contulisset exercendæ in Romanam Ecclesiam potestatis. Subodoramur ergo Gregorium tamquam electum Pontificem, vacantis Sedis administrationem nactum esse cum aliis Ecclesiæ Romanæ vicariis; idque conjicimus ex Epistola Cleri Romani ad Scotos reddita, cum mortuo Severino Papa Sedes Apostolica vacaret anno circiter 640. Illa enim Epistola scripta legitur nomine *Hilarii Archipresbyteri & servantis locum*, scilicet ut auguror Vicarii *sanctæ Sedis Apostolicæ Johannis Diaconi et in Dei nomine electi*, qui fuit Johannes IV. *Johannis primicerii et servantis locum Apostolicæ Sedis, et Johannis servi Dei consiliarii ejusdem Sedis Apostolicæ.* Quod monumentum exhibet Venerab. Beda lib. II. hist. c. 29. unde addiscere licet, quibus demandata foret Ecclesiæ Romanæ administratio, donec qui electus erat Pontifex consecraretur.

VIII. Fugit & latitans quæritur. De concivium suorum salute sollicitus Gregorius, pene sui oblitus fuerat, & propositum fugiendæ Pontificiæ dignitatis intermiserat, Securus forsan dormiebat, quod Mauricium Imperatorem suis supplicibus litteris permotum electioni factæ non consensurum speraret. Ut vero accepit interceptam fuisse suam ad Augustum epistolam, & aliam delatam qua Præfectus Urbis eum de electione unanimi consensu facta, & de incredibili populi totius erga electum studio, certiorem faciebat, sibi maxime timendum ratus, de fuga quamprimum cogitavit. Formidabat enim celsum quidem, at arduum lo-

a Lege notam qua illa priorum editorum errata castigavimus. Tom. 2. col. 1449.
b Quam dicunt a S. Luca factam.
c De litaniis consulenda nota ad librum Sacramentorum.

locum: *Et sic metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicuti avari divites solent perituras divitias custodire*, ut ejusdem Gregorii verba usurpem. Verum *cum latibula fugæ præpararet, capitur, trahitur, et ad beati Apostoli Petri basilicam deducitur, ibique ad pontificalis gratiæ officium consecratus, Papa Urbi datus est*. Hæc Gregorius Turon. cujus ultima verba exscripsit Paulus Diaconus. Addit vero Gregorium, cum ad portas Urbis sollicite excubaretur, ne evaderet, a negotiatoribus impetrasse ut in cratera occultatus educeretur extra Urbem; sicque per triduum delituisse, sed tertia nocte judicio fulgidæ columnæ fuisse detectum & comprehensum. Missa facio cetera quæ tum obtigerunt, mira quidem & stupenda, quia apud Paulum legi queunt. Johannes Diaconus in omnibus fere Paulum secutus, nullius tamen alius signi meminit, quam columnæ fulgidæ. Ipse Gregorius miracula tunc facta, etsi premere silentio, præ modestia & animi demissione (quæ ambæ virtutes in ipso præsertim enituerunt) plurimum optasset, dissimulare tamen omnino non potuit, scribens ad Natalem Salonitanum Episcopum: *Conscientiam nostram indicamus, ipsius honoris onera me ægro animo suscepisse. Sed quia divinis judiciis non poteram resultare*, &c. Et ad Cyriacum Constantinopolitanum Patriarcham: *Ego quoque qui indignus ad locum regiminis veni, infirmitatis meæ conscius, secretiora loca petere aliquando decreveram; sed superna mihi judicia adversari conspiciens, jugo Conditoris subdidi cervicem cordis*. Fugæ latebrarumque suarum meminit quoque initio libri Regulæ Pastoralis. Ita Gregorius vocantis, melius dixerim, cogentis Dei signis, potius quam hominum votis obtemperans; accedente Imperatoris consensu & gratulatione ordinatus est die [a] 3. Septembris an. 590. in ipso Indictionis nonæ principio, quæ dies in tabulis ecclesiasticis consignata, olim fuit celeberrima. Cum enim sanctissimi Pontificis natalis incidat in diem 12. Martii, quo tempore propter Quadragesimam nullæ antiquitus erant Sanctorum solemnes feriæ, anniversaria ejus ordinationis dies, ipsius memoriæ celebrandæ fuit consecrata.

Lib. 1. Dial. c. 4. — §. 10. — Indicio columnæ fulgidæ agnoscitur. — Lib. 1. Ep. 4. (margin)

Nunc vero paululum subsistamus, & admirati pene invictam Gregorii in fugiendo Pontificatu pertinaciam, doleamus Ecclesiæ vicem, cujus dignitates & summa sacerdotia invadunt plerique ambitiosi, ea vel natalium suorum splendori, vel consanguineorum bellicæ fortitudini, vel suis inaulæ obsequiis assiduisque precibus & excubationibus debita existimantes. Tantum e Gallia malum magna jam ex parte depulit Rex christianissimus Ludovicus XIV. cujus exemplo utinam obsequantur omnes quorum interest: *Et tamen nomen Christi etiam per lucrorum sectatores suæ gloriæ retinet potestatem. Et fiunt in talibus causis ministri mercenarii, sicut naves onerariæ...... quarum rectores potius earum quos ducunt pecuniis inhiant, quam saluti: et tamen mare seculi hujus necessarias habet hujusmodi transvectores*.

Arnald. de Bonavalle lib. de Card. Christi oper. c. de Baptis. Christi. (margin)

SANCTI GREGORII PAPÆ VITA.

LIBER SECUNDUS.

Quatuor priores Pontificatus S. Gregorii annos complectens.

CAPUT PRIMUM.

I. S. Gregorius ordinatur, & fidei symbolum emittit. II. Ejusdem Synodica Epistola ad Patriarchas. III. De ipsius inscriptione. IV. Cur dicta Synodica. V. Gratulantibus de suscepto Pontificatu quam humiliter rescripserit. VI. Aliæ præter animi demissionem, detrectandi Episcopatus causæ, gravissima Ecclesiæ mala. VII. Ea magna ex parte sustulit. VIII. Ejus hoc in opere adjutores. Johannes CP. IX. Eulogius Alexandrinus. X. Anastasius Antiochenus. XI. Johan. Jerosolymitanus. XII. Domitianus Arabiæ Metropol. XIII. Dominicus Carthag. XIV. S. Leander in Hispania. XV. Virgilius Arelat. Syagrius &c. in Gallis.

An. 590. & 591. (margin)

Consecrandus de more Gregorius ad Confessionem S. Petri Apostolorum Principis ductus est, (hoc nomine intelligitur apud veteres ejus sepulturæ locus) ubi fidem orthodoxam exposuit, quam intra paucos articulos complexus est. Illud autem symbolum exhibent Registri Epistolarum codices fere omnes manu exarati, vel in capite vel ad calcem, legiturque apud Johannem Diaconum lib. 11. c. 2. idcirco ipsum tamquam genuinum S. Gregorii fetum Epistolis subjiciendum duximus.

I. S. Gregorius ordinatur & fidei symbolum emittit. (margin)

Ut etiam receptæ jamdudum [b] consuetudini morem gereret, Synodicam Epistolam scripsit ad omnes Patriarchas, in qua suscipere ac venerari profitetur quatuor Concilia Nicænum, Constantinopolitanum primum, Ephesinum, & Chalcedonense, *sicut sancti Evangelii quatuor libros*. In eadem Epistola Synodica, ea qua par erat veneratione Gregorius amplectitur quintum Concilium, *in quo Epistola quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur; Theodorus personam Mediatoris Dei et hominum, in duabus*

II. Ejusdem Synodica Epistola ad Patriarchas. Lib. 1. Ep. 4. Ibid. Ep. 25. (margin)

a Hujus ordinationis dies in tabulis Ecclesiasticis consignatur; estque tertia Septembris.
b Hujus consuetudinis meminit Gregorius l. 12. Ep. 52. *Hinc est*, inquit, *ut quotiens in quatuor præcipuis Sedibus, Antistites ordinantur, Synodales sibi invicem Epistolas mittant, in quibus se sanctam Chalcedonensem Synodum cum aliis generalibus Synodis custodire fateantur.*

bus substantiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur; scripta quoque Theodoriti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausa dementia prolata refutantur. Subdit: *Cunctas vero quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo.* Tandem quoslibet aliter sentientes anathemate ferit. In alia rursus Epistola, quatuor Universalis Ecclesiæ Synodis cum totidem libris Evangeliorum collatis summam supremamque tribuit auctoritatem.

Lib. 1. Ep. 25.

III. De ipsius inscriptione.

In hujus Epistolæ Synodicæ ad Patriarchas inscriptione primum omnium occurrit Johannis Constantinopolitani nomen, quod a Gregorianarum Epistolarum collectoribus factum, non ab ipso Gregorio jure censet Baronius. Singulis enim Patriarchis singula misit illius Epistolæ exemplaria, in quibus solum nomen Patriarchæ ad quem unumquodque mittebatur erat inscriptum. Neque enim exemplum quod ad Johannem delatum est, aliud quam Johannis ipsius nomen præferebat. [a] Hinc legitur *Frater carissime*, non *Fratres carissimi*. Nostram sententiam confirmat, quod subjunctum fuerit, *a paribus*, post Patriarcharum nomina, ut in notis observavimus. Nihilo tamen minus jam consentientibus aliis Patriarchis, Constantinopolitanus primum locum post Romanum Pontificem obtinebat.

Ad an. 591.

Tunc duo erant Antiocheni Patriarchæ; nam [b] Anastasio ex hac Sede pulso, Gregorius subrogatus fuerat, quod cum injuria magis quam jure factum fuisset, aliundeque Anastasius præcipua laude pietatis & doctrinæ inter Orientalis Ecclesiæ Antistites fulgeret; noluit sanctus Pontifex pro exauctorato eum habere, sed ad ipsum sicut ad ceteros Patriarchas Synodicam transmisit, jamque ad ejusdem litteras de suscepto summo Pontificatu gratulatorias responderat. Sed quia Gregorius ei successor datus, pro legitimo Pastore in universa Orientis Ecclesia, nemine reluctante agnoscebatur, vir alioquin ob sanctissimos mores, Episcopatu dignus; eum præterire insalutatum non debuit novus Papa, ne pacem turbaret.

Ep. 7.

IV. Cur dicta Synodica. Baron. ibid.

Synodica vel Synodalis dicta est prælaudata Epistola. Simul ac enim quis creatus erat Romanus Pontifex, collectis vicinis Episcopis Synodum habebat, in qua se fidei catholicæ assertorem profitebatur; ex eaque Synodo Epistola Synodica transmitti solebat ad absentes universi orbis Episcopos, potissimum vero ad præcipuarum Ecclesiarum Patriarchas. Hujus sane consuetudinis exempla in antiquis Ecclesiæ monumentis passim sunt obvia. Porro fidei suæ confessionem recens assumtus ad Pontificatum mittebat, non solum ut se orthodoxum probaret, sed etiam *ut sub qua fide vivendum esset secundum statuta patrum*, sibi subditos doceret. Hac etiam in Epistola, primariis Orientalis Ecclesiæ Episcopis, ipse primus Pastor Gregorius, voluit absolutissimam recte regendi & pascendi Christi gregis formam præbere: ad illos enim fusissime ac doctissime scribit de munere Pastorali; adeo ut in ea Epistola suo de Regula Pastorali aureo plane libro prælusisse videatur. Verum nihil magis elucet in ea, quam stupenda viri sanctissimi humilitas, imparem se Episcopali curæ ex animo profitentis.

Ep. 9 Gelasii 1. Tom. 4. Concil. pag. 1169.

V. Gratulantibus de suscepto Pontificatu, aspera lamentatione rescripsit.

Eamdem animi demissionem testatam reliquit in plurimis quas paulo post susceptum Pontificatum rescripsit Epistolis. Quippe statim ac fama de ejus ad summum Pontificatum assumtione percrebuit, illustres viri quamplurimi, maxime qui in urbe regia ejus modestiæ, sapientiæ, pietatis, ceterarumque virtutum testes & conscii fuerant, eum amicis & gratulatoriis litteris compellavere, quibus potius lacrymas & gemitus quam verba, rescribendo reddidit & rependit. Legendæ sunt præ ceteris tertia cum quatuor sequentibus, vigesima prima, & quadragesima tertia lib. 1. in quibus vehementissime dolet imposita sibi immerito & impari Episcopatus pondera: *Tanto*, inquit Narsetem Patricium alloquens, *me percussum mœrore agnoscite, ut vix loqui sufficiam; oculos enim mentis meæ doloris tenebræ obsident. Triste est quidquid aspicitur &c.* Quia vero suas lacrymas, etsi juges, ad deplorandam mutatam sortem, minime sufficere putabat, familiaribus suis pro amicitiæ tessera, fletus eadem ro suspiriaque imperabat.

Johannes Exconsul non parum contulerat tum ad Gregorii electionem, ut jam monuimus, tum ad hujus electionis confirmationem; idcirco in illum amice excandescere videtur. Sed nullibi magis prodit dolorem de amissa vitæ monasticæ tranquillitate, & suscepta pastorali cura, quam hom. xi in Ezechielem. Unde non immerito Johannes Diaconus nonnullorum ex Longobardis vesaniam exagitat, quos non pudebat affirmare Gregorium appetiisse magis Pontificatum, quam fugisse.

Lib. 1. Ep. 31 num. 6.

VI. Aliæ præterea animi lamentationes ... Ecclesiæ mala.

Quid causæ esset cur a Pontificatu tantum abhorreret sanctus vir, præter singularem animi demissionem & vitæ solitariæ amorem, hic investigare operæ pretium videtur. Tunc Roma, totaque Italia cruentissimo Langobardorum bello premebatur, cui accesserunt fidæ comites fames & pestilentia. Verum gravioribus adhuc malis Ecclesia laborabat. De his dolens ita scribit ad amicum Leandrum:

Lib. 1. Ep. 43.

Respondere Epistolis vestris tota intentione voluissem, nisi Pastoralis curæ ita me labor attereret, ut mihi magis flere libeat, quam aliquid dicere. Quod vestra quoque Reverentia in ipso litterarum mearum textu vigilanter intelligit, quando ei negligenter loquor, quem vehementer diligo. Tantis quippe in hoc loco hujus mundi fluctibus quatior, ut vetustam ac putrescentem navem, quam regendam occulta Dei dispensatione suscepi, ad portum dirigere nullatenus possim. Nunc ex adverso fluctus irruunt, nunc ex latere cumuli spumosi maris intumescunt, nunc a tergo tempestas insequitur. Interque hæc omnia turbatus cogor modo in ipsam clavum adversitatem dirigere, modo curvato navis latere, minas fluctuum ex obliquo declinare. Ingemisco, quia sentio quod negligente me crescit sentina vitiorum, & tempestate fortiter obviante, jamjamque putridæ naufragium tabulæ sonant.

Certe si fluctibus obrui potuisset Petri navis, ex sævientibus tunc procellis numquam emersisset. Quippe Longobardi aut [c] idololatriæ addicti, aut impietatis Arianæ sectatores, Romæ totius Christianæ religionis arci imminebant; parumque abfuit quin expugnarent. Nuper Autharis ipsorum Rex Arianus, liberos eorum in fide catholica baptizari prohibuerat, orthodoxisque sese infensissimum ostendebat. Fervebat furebatque in Istria & in finitimis provinciis schisma pro tribus capitulis excitatum. In Hispania, & Gallia Narbonensi Wisigothi Arianam hæresim ad hæc usque tempora dissemi-

Lib. 1. Ep. 17.

narant

a Vide notam a ad hanc Epistolam.
b De illo consule notas ad Ep. 7. lib. 1.
c De stolida illorum idololatria, in caprea capitis adoratione vide lib. III. Dialog. c. 28.

narant & propagarant. Qui Britanniam invaserant Angli, adhuc idolorum cultui mancipati, Christi nomen ignorabant. Pergebant Donatistæ Africanam Ecclesiam scindere vexareque jam pene tribus a seculis. Fœda erat Orientalis Ecclesiæ facies, propter grassantes ubique Nestorii aut Eutychetis errores, quorum plurimi surculi pullularant. His accensebantur Agnoitæ, qui non ita pridem apud Alexandriam fuerant exorti. In Galliis, quæ catholicæ fidei semel receptæ tenacius inhæserant, variæ morum irrepserant corruptelæ, ipsamque disciplinam Ecclesiasticam labefactarant, maxime simoniaca hæresis (sic appellat S. Gregorius) & Neophytorum, hoc est ad ejusdem mentem, laicorum immaturæ præcipitesque ad sacerdotium promotiones.

VII. Ea magna ex parte sustulit.

Tot malis mederi Gregorio incumbebat, cui cum summo Pontificatu Ecclesiarum omnium sollicitudo fuerat demandata. Sed ad tantæ molis opus imparem se præ humilitate judicans, maxime infirma semper attritaque valetudine, magna animi anxietate laborabat. Verum adjutorem expertus est Deum, cui vocanti obsecutus fuerat: ejusque ope qui se servum inutilem existimabat & dictitabat, schismaticos Italiam turbantes coercuit, Langobardos ad fidem catholicam perduxit, Gothos Ecclesiæ reconciliavit, Anglos christianis præceptis imbuit, & sacro lavacro tinxit, repressit Donatistas in Africa tumultuantes, Agnoitas aliosque in Oriente hæreticos debellavit; varios ubique succrescentes, contra fidem aut pios mores, exstirpavit errores: tot denique tantaque intra paucorum annorum spatium præstitit, ut jure omnium gentium consensu magni cognomen sit consecutus. Præcipuos autem quos habuit laboris socios & adjutores, qui scilicet majoribus tunc præerant Ecclesiis, recenseamus.

VIII. Ejus in hoc opere adjutores Johannes CP.

Johannes, propter miram abstinentiam dictus Jejunator, ob insignes virtutes ad Constantinopolitanam Sedem, quæ secundum post Romanam locum jam sibi vendicabat, mortuo Eutychio, assumtus fuerat, ut supra diximus. At usurpato in Synodo CP. œcumenici Patriarchæ titulo, quem deponere numquam consensit, Pelagium Papam, & postea S. Gregorium in se concitavit. De illo deinceps frequenter acturi sumus. Eum summis laudibus efferunt scriptores Græci, propter doctrinam, pietatem, singularemque in pauperes, cum sibimet foret parcissimus, liberalitatem & munificentiam. Diem clausit extremum an. 596. & a Græcis in Sanctorum catalogum est relatus. Hunc excepit Cyriacus in eadem Sede CP.

IX. Eulogius Alexand. c. 147. *Photius; cod.* 182. 208. 225 226. 227.

Eulogius ex Monacho, si auctori Prati spiritualis fides sit, factus Patriarcha, Ecclesiam Alexandrinam rexit ab anno 581. ad an. 608. hæreticorumque hostem acerrimum, & strenuissimum fidei orthodoxæ vindicem se semper probavit. Quinque libros scripsit adversus Novatianos seu contra Novatum, impugnavitque varios temporum illorum hæreticos, contra Concilium Chalcedonense & S. Leonem Papam rebellantes. De ipso ejusdemque lucubrationibus agit Photius multis in locis. S. Gregorio propter eximias quibus præditus erat virtutes & animi dotes, fuit semper acceptissimus, ut ex Epistolis infra commemorandis palam fiet. Post obitum, Sanctorum albo fuit additus.

X. Anastasius Antiochenus. *Lib. 1. ep 26.*

Anastasius, quem Sinaitam esse multis scriptis celebrem plurimi putarunt, ad Sedem Antiochenam assumtus, eamdem Gregorio, monasterii apud montem Sina, ut ajunt, Præfecto, cesserat anno 572. a Justino Imperatore pulsus & dejectus. Ipsum tamen pro legitimo Patriarcha Sedis hujus habuit semper Sanctus Gregorius; unde ad eum scripsit: *Apud me semper hoc estis, quod ex omnipotentis Dei munere accepistis esse, non quod ex voluntate hominum putamini non esse.* Mortuo Gregorio Antiocheno, cujus laudes fuse persequitur Evagrius lib. quarto, propter virtutes multiplices & præstantissimas, recteque administratam Ecclesiam, Anastasius suæ Sedi restitutus est anno 594. vel ut aliis placet 592. quam usque ad ann. 599. quo devixit, sanctissime gubernavit. Quæ scripserit aut scripsisse vulgo sit creditus, lege apud sacrarum Bibliothecarum auctores. Plurimos autem spectatę sanctitatis suę laudatores & admiratores nactus est, inter quos Gregorio Magno primus extra controversiam locus debetur. Non mediocre conceptę de Anastasio existimationis & singularis in eum amoris testimonium exhibuit Sanctus Gregorius, quando statim post sumtum Pontificatum, *suggestionem summis precibus plenam fecit apud piissimos Dominos*, ipso teste, *ut virum beatissimum domnum Anastasium Patriarcham, concesso usu Pallii, ad beati Petri Apostolorum Principis limina secum celebraturum solemnia Missarum transmittere debuissent: quatenus si ei ad Sedem suam minime reverti liceret, saltem secum in honore suo viveret.* Utrum tamen suggestionem hanc vel libellum supplicem miserit, dubios nos facit, quod ibidem additur. Quam tenera vero caritate amicum hunc complecteretur, quę ad ipsum scripsit palam demonstrant. Sic præfatur in Epistola 26. libri 1. [a] *Scripta vestræ Beatitudinis, uti fessus requiem, salutem æger, fontem sitiens, umbram æstuans inveni. Neque enim illa verba per linguam carnis videbantur expressa: quia sic spiritalem amorem suum quem gestabat, aperuit, ac si mens per semetipsam loqueretur.* Quę hoc loco describere voluimus, [b] ut qualem se erga amicos Gregorius ostenderet, quisque possit intelligere.

Lib. 1. ep. 25.

XI. Johann. Jerosolymit. *Evagr. lib. v. c. 16. Niceph. lib. xvii c. 36. Lib. xi. ep. 46*

Ut ab Antiochena Sede ad Jerosolymitanam transeamus, eam obtinuit Johannes IV. ab anno 561. quo Eustochio demortuo subrogatus est, usque ad annum 595 successoremque habuit Amos, cui Nicephorus octo Episcopatus annos tribuit. Verum extat Sancti Gregorii Epistola ad Isachium, qui ei suffectus est, scripta Indictione iv. hoc anno 601. vel 600. Unde erroris arguitur Nicephorus, probaturque jam ab anno 600. Isachium Jerosolymitanum Patriarcham creatum esse, ac Synodicam Epistolam ad Sanctum Gregorium misisse, cui respondit hac Epistola Indictionis quartę.

XII. Domitianus Armeniæ Metropol.

Domitianus, Mauricii Augusti consanguineus, Melitinę Episcopus & Armenię Metropolitanus erat, quando summum Pontificatum auspicatus est vir sanctissimus. Eum ad res maximas gerendas aptissimum, & in consiliis prudentissimum expertus Imperator, multis in negotiis adjutorem adhi-

a Idem pene est Ep. 7. ejusdem libri exordium.
b Idem ex multis aliis Gregorianis Epistolis eruitur. Vide præsertim lib. xii. Ep. 54.

Eusag. lib. vi. c. 16. Simocat. lib. vii. cap. 14. & lib. viii. c. 11.

hibere consueverat, ac liberis suis tutorem designarat. Fuit quoque Gregorio Magno carissimus, ob eximiam vitæ sanctitatem, ut ex litteris ad eum scriptis liquet. Mortuus apud Theophanem in chronographia legitur Indictione v. quæ anno 601. ex modica parte, & 602. respondet. Peragrato Oriente, nunc Occidentalem orbem perlustremus.

XIII. Dominicus Carthag.

Ecclesiæ Carthaginensi totique Africæ a VVandalorum Arianorum jugo non ita pridem vindicatæ præerat Dominicus, ob pastoralem sollicitudinem, strenuamque in coercendis hæreticis navatam operam plurimis S. Gregorii Epistolis celebratus. Ultima ad eum scripta, quinta Indictione ineunte hoc est mense Septembri anni 601. probat eum saltem ad hoc usque tempus superstitem fuisse.

XIV. S. Leander in Hispania.

Quamvis Episcopus Toletanus, qui nunc totius Hispaniæ primas audit, jam tum Primatus titulo, plurimis ejusdem Hispaniæ præesset Ecclesiis; in universa tamen VVisigothorum Monarchia quæ Hispanias & Galliam Narbonensem complectebatur, S. Leander Hispalensis Episcopus, omnium erat Antistitum celeberrimus, quod Recharedum Regem universamque VVisigothorum gentem, Arianis prius erroribus impietatibusque mancipatam, ad catholicam fidem perduxisset. Arianam hæresim a Recharedo, annitente S. Leandro in Concilio Toletano an. 589. aut 590. proscriptam fuisse auctor est Nicolaus Antonius.

Bibliotb. vet. Hisp. tom. 1. lib. iv.

XV. In Galliis. Virgilius Arelat.

Sub Pontificatu Gregorii Virgilius Arelatensis Archiepiscopus, inter ceteros Gallicanos Præsules, non solum dignitate Sedis eminebat, sed morum etiam integritate omnibusque virtutibus quæ Pastorem decent. Ex Monacho Lirinensi Abbas monasterii Augustodunensis primum factus fuerat; dein mortuo Licerio Arelatensi Episcopo an. 588. Syagrius, multæ apud Galliæ Principes auctoritatis & gratiæ Episcopus, cui perspectissimæ erant sancti viri dotes eximiæ, vacanti Ecclesiæ præficiendum eum curavit, quam annis 49. sanctissime rexit. Florebant tunc in eadem Ecclesia Gallicana Etherius Lugdunensis, Desiderius Viennensis, Gregorius Turonensis, Aregius Vapincensis, inprimisque jam laudatus Syagrius, & alii ex Gregorianis Epistolis satis noti.

Syagrius. Etherius &c.

De Britannicis insulis in quibus nunc Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ regna numerantur, de Germania ad Boream vergente, de Polonia seu Sarmatia aliisque septemtrionalibus regionibus nihil hic attinet dicere: quippe quæ Christi suave jugum, nondum excussa idolorum servitute, ad hæc usque tempora detrectarant.

CAPUT II.

I. Orbis Christiani status politicus sub Mauricio Imperatore. II. Status Italiæ. III. Galliarum sub tribus Francorum Regibus. IV. Hispaniæ sub Recharedo. V. Majoris Britanniæ. VI. Quas ad regendam Ecclesiam dotes attulerit Gregorius. VII. Summa ejus humilitas. VIII. Et caritas. IX. Animi constantia.

An. 590. & 591.

I. Orbis Christiani status politicus sub Mauritio Imperatore. *Lib. xi. ep. 46*

DElineato breviter, quantum ad Ecclesiasticum statum, Orbis Christiani quodammodo situ, idem nunc eadem brevitate, quantum ad statum politicum, præstare operæ pretium est. Mauricius ab anno 582. renuntiatus Imperator, iisdem virtutibus, prudentia maxime, fortitudine ac religione Rempublicam administrabat, quibus ad Imperium viam sibi munierat. Post multas de Persis, assiduis Romanorum hostibus, relatas victorias, eorum Regem Chosroem profugum benigne suscepit, & dato exercitu, in regnum pristinamque dignitatem restituit. Cum zelo catholicæ fidei flagraret, eo regnante, ut etiam testis est S. Gregorius, hæreticorum ora continuerunt, & prava quæ sentiebant, eloqui non præsumserunt.

II. Status Italiæ.

De Italiæ Romæque præsertim salute sollicitus, Smaragdum præstantissimum ducem Exarchum constituerat, & bello adversus Langobardos præfecerat. Francos etiam ab ipsis jam lacessitos, missis Legatis, oblataque pecunia, ad ultionem sollicitaverat. Qua re audita Langobardorum duces, de Rege sibi constituendo serio cogitarunt, & * Autharim, Clebi, qui ultimus apud eos regium nomen obtinuerat, filium, virtutis fama nulli secundum elegerunt. Hic [a] Flavii prænomen apud Romanos illustre, quo sibi plus dignitatis & gratiæ apud Italos conciliaret, assumsit. Moxque Brixellum defectione Droctulfi nuper amissum oppugnavit ac recuperavit. Cumque Childebertum Francorum Regem, Alpes cum exercitu superasse, accepisset, belli Langobardis inferendi gratia, æquo vero marte cum ipsis confligere posse diffideret, ducibus suis præcepit ut intra urbium munitarum & arcium muros sese continerent. Interim Legatos ad Childebertum de pace misit, quam demissis precibus, amplissimisque muneribus consecutus est. Ex hac expeditione Childebertum pene adhuc impuberem plurimum gloriæ reportasse scribit Gregorius Turonensis lib. vi. c. 42. Sæpe postea contra eosdem hostes ancipiti plerumque eventu, aut etiam infausto, bellum redintegrarunt Franci, quorum imperium bellicamque virtutem, artibus cunctabundaque prudentia frangere solitus erat Autharis. Anno tandem 590. quo S. Gregorius Pontificatum auspicatus est, Rex Langobardorum pacem supplex oravit, & magno Italiæ detrimento, a Francis impetravit.

* *seu Autharith.*

Superiore anno fœdus cum Bajoariis inierat, ducta in matrimonium Theodelinda Garibaldi eorum Regis filia, quæ cum catholicæ fidei ardore flagraret, ad eam postea totam fere Langobardorum gentem pellexit. Interim Francorum metu soluti Langobardi, tota fere Italia, nimirum ab ultimis Istriæ finibus Rhegium usque in extrema Calabria, libere potiti sunt; vixque caput orbis Roma furorem barbarorum evasit.

Paul. Diac. lib. iii. de gest. Long. cap. 32. & 33.

Quæ

a Observat doctissimus Tillemontius in historia Augustorum in Constantio art. 35. pag. 48. hoc Flavii prænomen a Silvano qui Imperium in Galliis usurparat, fuisse assumtum; maxime vero alienigenas ipso se exornare solitos.

III. *Galliarum sub tribus Francorum Regibus.* Quæ de bellis a Childeberto Italiæ illatis attigimus non sufficiunt, ut quo statu tunc res Francorum essent, intelligatur. Francia omnis tunc in tria regna divisa, totidem parebat Regibus. Clotarius II. Chilperici anno 584. occisi filius ex Fredegunde, Neustriæ seu Franciæ Occidentali adhuc junior imperabat. Childebertus Sigeberti & Brunichildis ex regia VVisigothorum stirpe filius, Austrasiam seu Franciam Orientalem, cui tunc magna Germaniæ pars accensebantur, obtinebat. Guntramnus utriusque Regis patruus, Burgundiam, cujus tunc Provincia portio erat, orbus liberis regebat: sed Childebertum heredem instituit. Hæc Franciæ divisio, & duarum præsertim Reginarum Fredegundis & Brunichildis odia, multorum bellorum seminarium fuere.

IV. *Hispaniæ sub Recharedo.* Hispania longe pacatior erat, ex quo ejurata Ariana hæresi, ad fidem orthodoxam VVisigothi transierant. Antea enim fuerat cum Francis decertandum. Guntramnus etenim indigne ferens Ingundem fratris filiam, Hermenegildi Regis uxorem, ab Leuvigildo & a Gosuuitha Hermenegildi noverca, in odium fidei catholicæ, ad mortem usque vexatam fuisse, duobus missis exercitibus bellum VVisigothis moverat. Sed extincto Leuvigildo, cum Recharedus ejus filius ac successor, amplexatus fidem catholicam, Ecclesiæ reconciliatus fuisset, pacem a Francis impetravit, ac pro pacis & fœderis pignore Clotsindem in uxorem, Ea erat Childeberti soror, quam Authari Langobardorum Regi enixe petenti collocare noluerat. Recharedi laudes abunde persequitur S. Gregorius lib. IX. Ep. 122. & libro III. Dialog. c. 31. ubi ait eum tanto fidei catholicæ ardore flagrasse, *ut nullum in suo regno militare permitteret, qui regni Dei hostis existere per hæreticam pravitatem non timeret:* quod ad conversionem bellicosissimæ gentis non parum contulit.

V. *Majoris Britanniæ.* Britannia vulgo dicta major, ab Anglis idolorum cultoribus occupata, plures in dynastias divisa erat. Qui supererant ex pristinis incolis Britones in VValliæ loca inaccessa, jugum novorum dominorum fugientes sese receperunt, aut in Aremoricam Galliæ provinciam. Hibernia suis Regibus obtemperabat.

VI. *Quas ad Ecclesiam regendam dotes attulerit.* En aperuimus stadium in quo Gregorius decurrens, & decertans, jam spectaculum futurus est mundo, imo & Angelis & hominibus; licet si ipsi credamus, *vilis homuncio, ignavia torpens.* Verum, ut res est, gigas fortissimus, & mollis otii præ ceteris Pastoribus impatientissimus. Quas autem dotes ac virtutes ad Pontificatum attulerit ut eo rite fungeretur, ex jam dictis facile poterit intelligi, & ex dicendis clarius elucebit. Sufficiat hoc observare loco, in sanctissimo Pontifice, ad miraculum & stuporem usque effulsisse humilitatem & caritatem. Per humilitatem sollicitus ubique & semper de circumstantibus periculis, cavebat ne de collato tanto honore sibi blandiretur & assentaretur. Per caritatem, cum jam sibi valuisset, in Deum semper erectus, in supremo illo fastigio subditi gregis necessitatibus & commodis vigilantissime prospiciebat.

VII. *Summa ejus humilitas.* Humilitatis abyssum produnt multa jam ex ejus Epistolis prolata, quibus longe plura addere licuisset. Quo fuisse animo erga supremam, cui alligatus non sponte fuerat, Ecclesiæ dignitatem Gregorium existimamus, quando amico Leandro scribebat octo annis a sua inauguratione jam elapsis: *Summopere esse decreveram opprobrium hominum, & abjectio plebis, atque in ejus forte currere, de quo rursus per Psalmistam dicitur: Ascensus in corde ejus disposuit in convalle lacrymarum; ut videlicet tanto verius intus ascenderem, quanto per convallem lacrymarum foris humilius jacerem. At me multum nunc deprimit honor onerosus, curæ innumeræ perstrepunt, & cum sese ad Deum animus colligit, hunc suis impulsibus quasi quibusdam gladiis scindunt. Nulla cordis quies est. Prostratum in infimis jacet sua cogitationis pondere depressum. Aut rara valde aut nulla hoc in sublimia penna contemplationis levat. Torpet ignava mens, & circumlatrantibus curis temporalibus, jam pene ad stuporem deducta, cogitur modo terrena agere, modo etiam quæ sunt carnalia dispensare.*

Psalm. 83.

Cum Natalis Salonitanus Episcopus moleste tulisset se a Gregorio correptum fuisse, ipse ad eum rescripsit: *ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus sum; & hunc solum mihi amicum æstimo, per cujus linguam, ante apparitionem districti Judicis, mea maculas mentis tergo.* Quod & facto comprobavit: cum enim Anastasius Antiochenus Patriarcha, motam de usurpato œcumenici titulo controversiam parvipendens, ad S. Gregorium summa libertate scripsisset, *pro nulla causa eum dare locum scandalis non debere,* & *maligno spiritui quærenti animas cribrare:* quibus non obscure amico significabat, levem sibi videri quæstionem, in qua zelus ejus ita efferbuerat; sanctissimus pater ad cathedræ suæ primatum non attendens, aculeum apis (ita Anastasium vocat) infixum modestissime ac patientissime tulit, & pro aculeo mel reddidit: Epistolam dico caritate mellifluam, in qua inter cetera rescripsit, *Meliora sibi esse vulnera diligentis, quam inimici blandientis oscula.* Atque ut Anastasio monenti morem gereret, Cyriaci nuper ad Sedem CP. evecti Epistolam Synodicam, in qua œcumenici Patriarchæ titulum sibi vendicabat, sine mora suscepit, ne unitatem Ecclesiæ turbaret.

Lib. II. ep. 14. Lib. VII. ep. 27.

Denique singularem omnibus in Epistolis animi demissionem testatam, & quodammodo insculptam reliquit, cum primus omnium Romanorum Pontificum in ipsis [a] servum se servorum Dei præfari voluit: hanc modestiæ tesseram vano & superbo œcumenici titulo, quo gloriabatur CP. Episcopus, objiciens; simulque non obscure significans Pontificatum duram sibi videri servitutem, cui sola ex caritate collum jubente Deo subdiderit.

a Johan. Diac. lib. 2. cap. 6.

VIII. *Et caritas.* Ad caritatem quod spectat, quanto erga Deum amore flagraret, satis probant continuæ quas singulis fere Epistolis inspergit querelæ de amisso illo præ sollicitudine Pastorali, vel remisso: qui enim de sacri hujus ignis jactura ita est anxius, dolet, lacrymatur, quanto ardore se Deum diligere vel hoc ipso demonstrat. De caritate erga proximum dicere hoc loco nihil attinet, post tot effusæ illius in pauperes liberalitatis argumenta, quæ suppeditant ejusdem Epistolæ, recensetque Johannes Diaconus, præsertim lib. II. capitibus novem, scilicet a 22. ad 30.

IX. *Animi constantia.* Ex utraque illa summa virtute prodiit infracta quædam animi constantia, quæ in arduis, & in gra-

a Lege Præfationem nostram ad Registrum Ep. §. 21.

gravioribus periculis maxime elucebat: quippe, quo magis sibi diffidebat Gregorius per humilitatem, eo majori in Deum fiducia dicebat cum Apostolo: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Ita de se loquitur Ep. 47. libri IV. ad Sabinianum; *Mores meos bene cognitos habes, quia diu porto. Sed si semel deliberavero non portare, contra omnia pericula latus vado.*

Philip. 4. 13.

Verum si velimus nosse qualis ad summum Pontificatum accesserit S. Gregorius, & qualiter in eo vixerit, legamus librum Regulæ Pastoralis, de quo strictim jam loquendum; ut enim de S. Benedicto ait, cum *non potuisse aliter docere* in Regula Monachorum a se promulgata, *quam vixit*, idem quoque de sanctissimo Papa, Regulæ Pastorum auctore, affirmare non veremur.

Lib. II. Dial. c. 36.

CAPUT III.

An. 590. & 591.

I. S. Gregorius librum Regulæ Pastoralis elucubrat. II. Et librum Sacramentorum cum Antiphonario meliorem in formam restituit. III. De sua domo constituenda & ordinanda statim cogitat. IV. Laicis valere jussis, Clericos & Monachos pietate ac eruditione conspicuos, convictores sibi assumit. V. Quanta ei pauperum & peregrinorum cura. VI. Nullos laicos procurandis Ecclesiæ patrimoniis præficit. VII. Dei verbo suum pascit gregem. VIII. Ejus prædicandi ratio. IX. Barbaris nondum christianis prædicatores mittit. X. Episcoporum rigidus censor, sed sui maxime fuit.

I.
S. Greg. librum Regulæ Pastoralis elucubrat.

PAulo post assumtum Pontificatum Sanctus Gregorius librum Regulæ Pastoralis elucubravit, tum ut in Ecclesiæ gubernatione, quidquid ad Pastoris officium spectat, ob oculos haberet semper, tum ut amicorum, præsertim Johannis Ravennatis Episcopi querelis quibus assidue pulsabatur, propter diu recusatum Episcopatum, responderet. In hoc enim opere plane aureo, tot tantaque esse Episcopatus onera, vel validissimis humeris plurimum formidanda probat; ut nullus nisi mentis impos, ad illa attendens possit episcopalem dignitatem ambire, aut etiam oblatam ultro suscipere. Verum cum ea quæ de hoc libro præfati sumus adiri facile possint, ceteris hac de re dicendis nunc supersedemus. Optimum vero foret ipsum opusculum sæpius legere, & assidue terere, ad quæque vitæ christianæ præcepta, quorum refertissimum est promtuarium, animo imbibenda. Nunc quomodo ex perfectissimæ hujus regulæ præscripto S. Gregorius tum vixerit tum rexerit Ecclesiam perspiciamus.

Tom II init.

II.
Et Librum Sacr. cum Antiphon. meliorem in formam restituit.

Omnis Pontifex ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in his quæ ad Deum sunt, ut offerat dona & sacrificia. Quod intelligens S. Gregorius, mox ut Pontificatum iniit, de Liturgia rebusque sacris rite disponendis cogitavit. Ordinem itaque Romanum a Gelasio I. quibusdam aut detractis, aut additis, aut immutatis, meliori forma donavit. Canoni missæ attexuit: *Diesque nostros in tua pace disponas; atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari.* De stationibus & processionibus ad sanctorum Martyrum basilicas & cœmeteria ab ipso institutis, necnon de Missarum solemniis super beatorum Apostolorum Petri & Pauli corpora celebrari jussis, de plurimis olivetis ad basilicarum luminaria concessis, de aucto sacrorum ministrorum qui in his basilicis famularentur numero, consulendus est Johannes Diaconus. Psalmodiam & cantum Ecclesiasticum, quod amplificando divino cultui, & fovendæ in christiana plebe pietati plurimum conferat, ex gravioris musicæ regulis ad accuratiorem harmoniam & modulationem revocavit, instituta Cantorum schola, & ordinato Antiphonario. Verum de iis uberius in præfationibus ad librum Sacramentorum, Antiphonarium, &c.

Hebr. 5. 1.
Joan. Diac. lib. II. c. 17.
Beda lib. II. hist. c. 1. Ibid. c. 9. & 20.
Joan. Diac. lib. II. c. 6.
Tom. III. part. 1.

III.
De domo constituenda & ordinanda statim cogitat.

Cum Apostolus gravi notet censura Episcopos qui domui suæ præesse nesciunt; infidelique deteriorem judicet eum qui curam suorum non habet, maxime domesticorum; Gregorius in regenda domo familiaque sua, præcipuam statim curam adhibuit; & vitam ita suam composuit, ut omnibus exemplum se præberet bonorum operum, & quarumlibet virtutum. Vilis erat ejus supellex, vestimenta juxta [a] monasticam normam simplicia & inculta; pontificalia quoque, quibus rem sacram facturus utebatur, indumenta, modestiæ potius quam magnificentiæ consona. Sciebat enim juxta præceptum Apostoli, ornatum quidem esse debere Episcopum, sed pudicitia, candore morum, caritate, doctrina: pompam autem, luxum, pretiosas aut molles vestes, superbi aulici, aut etiam lascivientis mulierculæ insignia potius esse quam Episcopi, & Apostolorum successoris. Dedit operam in ipso Pontificatus exordio, ut pravæ consuetudines eliminarentur, maxime vero quæ vel tantisper simoniam redolebant.

1. Tim. 3. & 5. 8.
Joan. Diac. lib. II. c. 11. & seq.
Johan. Diac. lib. IV. c. 80.
1. Tim. 3. 2.

IV.
Præsulis laicis, Clericos ac Monachos pietate ac eruditione conspicuos convictores assumit.

Mos apud superioris ætatis Pontifices invaluerat, ut ad ministerium cubiculi sui [b] laicos pueros adhiberent; quem Gregorius exemplo suo prius improbavit, postea vero in Synodo Romana publico decreto damnavit; jussitque ut selecti ex Clericis & Monachis ad cubiculi officia summo Pontifici ministrarent: Nimirum *ut is*, inquit S. Gregorius, *qui loco est regiminis, habeat testes tales, qui vitam ejus in secreta conversatione videant, & ex visione sedula exemplum profectus sumant.* Decreti hujus in Synodo facti meminit Johannes Diaconus lib. II. capp. 5. 11. & 15. Aitque sanctissimum Papam, remotis a suo cubiculo secularibus, sibi prudentissimos consiliarios familiaresque delegisse, ex Clericis quidem Petrum Diaconum, Æmilianum Notarium, Paterium, Johannem defensorem; ex Monachis vero Maximianum, Augustinum, Mellitum, Marinianum, Probum, Claudium. Porro qua-

b Vide ad calcem Ep.

a Vide Mabill. Præf. ad seculum IV. Benedict. par. 2. pag. 93. ubi probat Episcopos, & ipsos summos Pontifices ex Monachis factos, vestes monasticas olim numquam dimisisse.

b Contra morem hunc pulchre Bernardus lib. IV. de Consider. c. 6. ad Eugenium: *Discant a te coepiscopi tui comatulos pueros & comtos adolescentes secum non habere. Certe inter mitratos discurrere calamistratos non decet.*

quales fuerint hi Papæ convictores, & quibus virtutibus, quibus studiis, quibus scriptis gestisve insignes evaserint, disces tum ex Johanne Diacono lib. 11. c. 11. tum ex infra dicendis. Ita Gregorius quidquid statuebat, exemplo magis quam auctoritate confirmabat.

Cum his sociis & commilitonibus Gregorius vitam communem retinuit semper, nihil de monastica perfectione remisit; nihil tamen omisit quod ad Pontificis officium curamque pertineret. Magna sollicitudinis ejus pars fuit in promovendis litterarum & optimarum artium studiis, quæ Romæ præsertim, & maxime in Papæ palatio reflorere visa sunt, cum neminem in famulitium reciperet aut in sodalitium, nisi quem singularis vitæ sanctimonia, vel alicujus artis ex liberalibus non mediocris peritia commendaret. Johan. Diac. Lib. 11. c. 12.

V. Quanta ei pauperum & peregrinorum cura.

Peregrinos tamen & pauperes hospitio excipiebat (quod etiam ut ceteri præstarent [a] Episcopi magno studio curavit) & ad mensam non modo invitabat, sed cogebat. Effusam in egenos liberalitatem condiebat mira quædam affabilitas qua ipsos compellabat, maxime senes, honoris causa [b] patres eos vocans: utque inopia laborantes omni verecundia sive in petendo sive in accipiendo liberaret, dicere solebat non a se sed a sancto Petro dari, quæ tam liberali manu profundebat. quod ex plurimis ejus [c] Epistolis infra recensendis patebit. Ea comitate potissimum utebatur erga nobiles viros aut matronas quos ad inopiam redactos noverat; ne dum eorum sublevaret egestatem, eosdem pudore suffunderet. Monasticam vitam sectantibus omnia ad sumtus necessaria in primis erogari curabat, ut liberiori mente Deo rebusque divinis vacarent. In perquirendis, & quodammodo venandis pauperibus assiduus, latebras omnes explorabat; obscuriora quæque tecta, in quibus tamquam sepulti jacebant, scrutabatur; & si quos offenderet, quorum os metus pressisset ac verecundia, eos serio increpabat, quod sibi beneficentiæ occasionem invidissent. Amplissimos egenorum catalogos, dictos olim [d] *matriculas*, apud se habebat, quibus abunde omnia suppeditabat necessaria.

VI. Nullos laicos procurandis Ecclesiæ patrimoniis præficit.

Quo majori sollicitudine pauperum necessitatibus aut commodis prospiceret, omnia Ecclesiæ patrimonia, quę in toto orbe Christiano plurima erant, solis Clericis procuranda & administranda commendavit. Cum enim sine liberis essent, futurum sperabat ut pauperes in filios adoptarent & susciperent. Si qui autem parcius eleemosynas erogarent, eos acriori censura & vindicta, quam si Ecclesiastici fundi prædatores fuissent, afficere consueverat. Johan. Diac. lib. 11. c. 15

Cum itaque laici omnem sibi aditum ad patrimonia & officia Ecclesiastica præcludi sapientissimis Gregorii decretis moleste ferrent, in hereditatem Christi subdole irrepere tentarunt; & ex optimatibus etiam nonnulli, clericali militiæ per tonsuram adscribi curarunt: at eorum fictæ conversioni sapiens Pontifex nova opposuit decreta, quibus cautum erat ut *qui ad servitium Dei converti desiderarent*, *probarentur prius in laico habitu*, *deinde servire Deo in monasterio permitterentur*. Postquam vero in monastico habitu fuissent exercitati, & *post præfixa sacris canonibus tempora*, ad quodlibet Ecclesiasticum officium licite proveherentur. Ceterum aiebat eum qui secularem habitum deserens ad Ecclesiastica officia venire festinaret, non relinquere seculum sed mutare. Ibid. c. 16. Lib. III. Ep. 65

VII. Dei verbo suum gregem pascit.

De spirituali cibo non minus quam de corporali filiis suis ministrando semper sollicitus fuit optimus Pastor. Sane inter præcipua Episcopi munera merito recenset prædicandi & docendi officium, de quo fusissime agit tota tertia parte libri Regulæ Pastoralis, omnium amplissima. Huic itaque ne deesset, quamdiu per vires corporis licuit, Evangelia & selectos quosdam sacræ Scripturæ libros in publico cœtu exposuit; antecessores suos æmulatus, [e] quibus nihil antiquius erat, quam uti exemplo, ita verbo gregi suo prodesse. Ex ejus autem homiliis adhuc supersunt quas in varias Evangelii certis anni Dominicis diebus aut solemnitatibus assignatas lectiones peroravit, & quæ in Ezechielem Prophetam sunt habitæ.

VIII. Ejus prædicandi ratio.

[f] In his nihil mollius, nihil comtius occurrit: sed pura & casta sine fuco, sine lenocinio fluit eloquentia. Ponderosa verba, graviores sententiæ, quales & Scripturę sanctę majestati, & tanti Sacerdotis dignitati convenirent; magno cum delectu inserta ex divinis libris testimonia, non per vim tracta, sed quasi sponte adducta. Hæc sunt quæ laudatas homilias maxime commendant. Ex priori autem in Evangelia, paucas dumtaxat sententias decerpsimus, hocque loco subjiciendas in ceterarum specimen duximus. Exponens itaque sanctus Doctor illa verba Luc. 21. *His autem fieri incipientibus, respicite & levate capita vestra*, ad diligendum optandumque Christi adventum, ac mortem non formidandam ita nos adhortatur: *Qui Deum diligunt, ex mundi fine gaudere atque hilarescere jubentur: quia videlicet eum quem amant, mox inveniunt, dum transit is quem non amaverunt. Absit enim ut fidelis quisque qui Deum videre desiderat, de mundi percussionibus lugeat, quem finiri eisdem suis percussionibus non ignorat. Scriptum namque est: Quicumque voluerit amicus esse seculi hujus, inimicus Dei constituitur. Qui ergo appropinquante mundi fine non gaudet, amicum se illius esse testatur, atque per hoc inimicus Dei esse convincitur. Sed absit hoc a fidelium cordibus, absit ab his qui & esse aliam vitam per fidem credunt, & eam per operationem diligunt. Ex mundi enim destructione lugere, eorum est qui radices cordis in ejus amore plantaverunt, qui sequentem vitam non quærunt, qui illam neque esse suspicantur.* Jacob. 4. 4.

Q iij

a Vide lib. 11. Ep. 33.

b Quæso te, Pater, num Fortunatum Episcopum nosti? Lib. 1. Dialog. c. 10.

c Vide præsertim lib. 2. Ep. 31. & 47. lib. 11. Ep. 2. lib. XIII. Ep. 19. legendus etiam Johan. Diac. lib. 11. capp. 22. & seqq.

d Hinc pauperes Ecclesiæ sumtibus nutriti, dicti olim matricularii. Greg. Turon. lib. VII. cap. 29. *à matriculariis ceterisque pauperum* &c.

e Inde mendacii aut hallucinationis arguendus Sozomenus, qui lib. VII. cap. 19. asserit in Ecclesia Romana neque Episcopum neque alium prædicare aut docere. Sane Leo magnus prædicare solitus erat, ut ex ejus operum inspectione statim liquet. Nec legimus primum eum fuisse ex Romanis Pontificibus, qui concionandi partes sibi sumserit. Certe Ambrosius lib. tertio de Virgin. multa refert ex concione quam Liberius Papa in basilica S. Petri habuerat ad populum, cum Marcellinam aliasque Virgines sacro velamine donaverat. Cassiodorus quem pro sententia Sozomeni confirmanda Valesius adducit, in Tripartita historia non suos sensus profert, sed eorum Scriptorum quos in compendium redegit, scilicet Sozomeni, Socratis, & Theodoriti. Alioquin quis in mentem inducere possit verbum divinum in Ecclesia Romana per tot secula non fuisse prædicatum? Tot sanctissimos Pastores fuisse canes mutos & maxima sui officii parti defuisse? cum ut ait S. Greg. Ep. 25. lib. 1. *Præconis officium suscipit, quisquis ad Sacerdotium accedit*. Vide dissertationem 1. de vita & rebus gestis S. Leonis Mag. ad an. 440. §. VIII. IX. X. XI. XII.

f Legenda Præfationes quas illis homiliis præmisimus Tomo 1.

tur. Nos autem qui cælestis patriæ gaudia æterna cognovimus, festinare ad ea quantocius debemus. Optandum nobis est citius pergere, atque ad illam breviore via pervenire. Quibus enim malis mundus non urgetur? Quæ nos tristitia, quæ adversitas non angustat? Quid est vita mortalis, nisi via? Et quale sit, fratres mei, perpendite, in labore viæ lassescere, & tamen eandem viam nolle finiri. Et post nonnulla, mundum senescentem describens: *Sicut,* inquit, *in annis senilibus statura curvatur, cervix exsiccata deponitur, frequentibus suspiriis pectus urgetur, virtus deficit, loquentis verba anhelitus intercidit; (nam etsi languor desit, plerumque senibus ipsa sua salus ægritudo est) ita mundus in annis prioribus velut in juventute viguit, ad propagandam humani generis prolem robustus fuit, salute corporum viridis, opulentia rerum pinguis; at nunc ipsa sua senectute deprimitur, & quasi ad vicinam mortem molestiis crescentibus urgetur. Nolite ergo, fratres mei, diligere quem videtis diu stare non posse.* Cetera commodius ex ipso fonte possunt hauriri. Attentius autem has homilias legenti, perspectum erit quam sapienti consilio Ecclesia eas omnes, si unam aut alteram eximas, cursui seu officio suo inseruerit.

Quando in Sanctorum natalitiis concionabatur, non solebat in steriles eorum laudes excurrere; sed quæ ad mores recte componendos conferre poterant, hæc urgere curabat, ut patebit legenti
Hom. 9. 28. & 3. homilias in solemnitatibus S. Andreæ Apostoli, sanctorum Martyrum Nerei & Achillei, sanctæ Felicitatis, &c.

IX. Barbaris nondum Christianis prædicatores mittit. Cum per se non posset, per discipulos suos, maxime per sui monasterii alumnos, Evangelium apud barbaras gentes jugo Christi nondum subditas disseminavit, & propagavit. Et quidem superioris ævi Pontifices idem strenue præstiterant, quippe qui se toti Reipublicæ Christianæ præfectos fuisse intelligerent: hincque ex Romana Sede per totum orbem fides dimanavit. At numquam tanta felicitate, facilitate tanta, quanta Gregorio ad Ecclesiasticæ navis clavum sedente. Audeo dicere Petrum jussum a Domino ducere in altum & laxare retia in capturam, vix umquam majorem, quam tunc piscium multitudinem, intra sagenam conclusisse; quippe Britanniam fere integram, omnium olim notarum insularum maximam, missis semel aut iterum retibus cœpit, & ad littus, hoc est ad veræ fidei stationem tutam traxit.

X. Episcoporum vigilans censor, sed sui severior fuit. Si novis in Ecclesiis Christo congregandis tam sedulam navavit operam Sanctus Gregorius, de antiquis recte ordinandis multo sollicitior fuit; & ut ipsis digni præficerentur Pastores, inprimis curavit. Quos si contingeret aliquando suo deesse officio, paterna caritate admonebat; contumaces autem acrius insequebatur. Verum erga nullum Episcopum severiorem censuram, quam in semetipsum exercuit. Quis non admiretur præstantissimum hunc virum quem suspiciebat orbis universus, publica confessione & quidem ex suggestu facta, leviora in se piacula, ut putabat, redarguentem
Hom. 11. in Ezech. num. 3. & seq. his verbis: *O quam dura mihi sunt ista quæ loquor: quia memetipsum loquendo ferio, cujus neque lingua, ut dignum est, prædicationem tenet, neque inquantum tenere sufficit, vita sequitur linguam. Qui otiosis verbis sæpe implicor, & ab exhortatione atque ædificatione proximorum torpens & negligens cesso. Qui in conspectu Dei factus sum mutus & verbosus: mutus in necessariis, verbosus in otiosis. Sed ecce sermo Dei, speculatoris vita compellit ut loquar. Tacere non possum, & tamen loquendo me ferire pertimesco. Dicam, dicam, ut verbi Dei gladius etiam per memetipsum ad configendum cor proximi transeat. Dicam, dicam, ut etiam contra me sermo Dei sonet per me. Ego reum me esse non abnego, torporem meum atque negligentiam video. Erit fortasse apud pium Judicem impetratio veniæ, ipsa cognitio culpæ.* A reliquis abstineo; nam pauca hæc satis ostendunt Gregorium severitatem plusquam censoriam in semetipso arguendo adhibuisse.

Ista Gregoriani Pontificatus prima veluti lineamenta modo sufficiant. Singulas autem res ab eo gestas, servato annorum & temporum ordine quantum licebit, jam evolvamus.

CAPUT IV.

An. 590. & 591. *I. S. Gregorius in Sicilia Synodum quotannis celebrari jubet. II. Inde frumenta Romam advehi curat. III. Luctuosus Romæ status. Cujus occasione Romanos ad pœnitentiam hortatur S. Gregorius. IV. Ecclesiis destructis qua ratione providerit. Et egenorum Episcoporum necessitatibus. Translationes Episcoporum. V. Gregorii erga monasteria sollicitudo & liberalitas. VI. Vagos & flagitiosos Monachos coercet. VII. Nova monasteria jubet construi. VIII. Viduarum curam suscipit.*

I. S. Gregorius in Sicilia celebrari Synodum quotannis jubet. Lib. 1. ep. 1. PArum fuisset Gregorio seipsum domumque suam recte regere, aut etiam Romanæ Ecclesiæ singulariter spectatæ invigilare, nisi toti simul Christi gregi, cui auctoritate præerat, paterna caritate ac sollicitudine providisset. Prima ejus Epistola ad Episcopos Siciliæ scripta constituitur, ut singulis annis ad Synodum conveniant, cujus moderatorem esse jubet Petrum Subdiaconum Patrimonii S. Petri procuratorem hac in insula; & ideo suas ipsi vices intra provinciam hanc se commisisse significat. Erat enim Sicilia una ex suburbicariis provinciis, quæ Romano Episcopo immediate subjiciebantur, de quibus legendus sextus canon Nicenus ex Rufini translatione. Consulendus etiam vetus codex canonum a Justello editus, in quo sextus canon ex Nicænis, Ecclesiarum [a] suburbicariarum meminit. Utrum tunc forent in Sicilia Metropolitani discrepatur: in partem negantem, quam sequitur & tuetur Rochus Pirrus in notitia secunda Ecclesiæ Messanensis propendemus; eamque sententiam multis gravissimis rationibus confirmavimus in notis ad laudatam Epistolam. Cum fortasse mo-

a De provinciis suburbicariis ævo nostro motæ sunt controversiæ quamplurimæ, a quibus abstinemus. Lege quæ observavimus in Indice Geographico epistolarum S. Gregorii ipso in limine.

molestum foret Siculis Episcopis, Subdiacono apostolicæ Sedis vices agenti obtemperare; S. Gregorius eas anno sequenti S. Maximiano Syracusano Episcopo commisit, ut infra dicemus. Iisdem postea indulsit, ut uno quoque quinquennio tantum Romam ad Synodum convenirent, cum prius intra triennium semel se sistere tenerentur. *Lib. II. ep. 7*

II. Inde frumenta Romam advehi curat.

Romæ totiusque Italiæ horreum erat Sicilia; indeque frumenta Romam transmittere penes insulæ Prætorem erat. Magistratum hunc gerebat Justinus Gregorii familiaris, quem statim ac Pontificatum auspicatus est, rogavit ut debitam & indictam frumenti copiam in Urbem transvehi curaret, ne interitus totius populi Romani reus fieret, id minus strenue implendo; simulque officii sui eum admonuit: *Nulla vos lucra*, inquit, *ad injustitiam pertrahant. Nullius vel minæ vel amicitiæ ab itinere rectitudinis deflectant. Quam sit vita brevis aspicite. Ad quem quandoque ituri estis Judicem, qui judiciariam potestatem geritis, cogitate.* Neque enim verbis adulatoriis amicos palpare consueverat. Eumdem hortatus est ut ab omni adversus *Ecclesiasticos* viros simultate abstineret; cupiens maxime concordiam fovere inter Sacerdotium & Imperium, ac utriusque ministros. *Ibid. ep. 2.*

III. Infelix Romæ status.

Quis tum esset Romæ status, describit S. Gregorius hom. 1. in Evangelia, tempore adventus habita, tribus post initum Episcopatum circiter mensibus, & lib. II. Dialog. c. 15. Pestilentia desæviebat, & multos repentina morte opprimebat; subito turbine annosæ arbores erutæ nuperrime fuerant, destructæ domus, eversæ a fundamentis Ecclesiæ. Sic implebatur hoc S. Benedicti vaticinium, ut ipse Gregorius observat: *Roma a gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus, coruscis, turbinibus ac terræ motu fatigata, in semetipsa marcescet.* Ne ad tot flagella omnium forsan gravius, fames videlicet accederet, merito formidabat piissimus patriæ pater; quæ ad Justinum Prætorem scribendi fuit præcipua ratio. *Ibidem.*

Cujus occasione ad pœnitentiam Romanos hortatur S. Greg.

Tot flagellis castigatos, tot calamitatibus attritos filios ad pœnitentiam flectere tentabat Gregorius, & salutari metu concutere: *Si enim*, inquit, *per tenuissimi venti spiritum Deus terram movit, ædificiorumque fundamenta subruit; si per levissimam nubem ita ferit, qui facturus est cum ipse advenerit Judex ac vindex; cumque in ultionem peccatorum ira ejus exarserit?* *Hom. I. in Evang.*

IV. Ecclesias destructas qua ratione providerit.

Prædicandi studium, quominus Gregorius publicis Ecclesiæ utilitatibus assiduam operam daret, minime obstabat. Destructæ jacebant quamplurimæ in Italia Ecclesiæ, ob continua Gothorum, posteaque Langobardorum bella, occisis aut fugatis Clericis, ceterisque fere in servitutem abductis. Graves præsertim calamitates passæ erant Minturnensis & Populoniensis, in quibus nullus supererat Sacerdos, a quo vel *pœnitentia decedentibus* vel *baptisma posset infantibus dari*. Quocirca viduatas & desertas illas Ecclesias, reliquasque parem calamitatem passas aut proximis Ecclesiis adhuc integris univit, aut vicinis Episcopis visitandas & regendas commendavit. Mauricius Imperator jusserat ut Episcopi, quos a propriis locis hostilitatis furor expulerat, ad eos Episcopos se conferrent, qui suis ab Ecclesiis avulsi non fuerant, & ab eis stipendia vitæque necessaria acciperent. Hoc decretum Gregorius laudavit, hortatusque est Episcopos illos ut fratres & coepiscopos suos sibi convicturos sociarent, eorumque inopiam sublevarent. Aliquos etiam Episcopos suis Ecclesiis depulsos, alios ad Episcopatus transtulit, ut patet ex pluribus ejus Epistolis. Observatione dignum est quod legitur de [a] Paulo Nepesino Episcopo, quem sapientissimus Papa visitatorem & administratorem Ecclesiæ Neapolitanæ, Sede vacante, constituerat, commendata Ecclesiæ Nepesinæ visitatione & cura Johanni Episcopo, maxime ut in solemnibus Paschæ diebus sacra faceret. Paulus dum traditam sibi provinciam exequeretur, gravissimam injuriam passus est in Castro Lucullano prope Neapolim. Eum Gregorius litteris consolatus est; & ne tantum scelus inultum remaneret, misit [b] Epiphanium Subdiaconum, ut simul cum Campaniæ Judice, de perpetrato facinore inquireret, ac sententiam ferret. Ex dictis autem probatur eo tempore Italiæ Episcopos immediate Romano Pontifici tamquam suo Metropolitano subditos, ad ejus nutum a propriis Ecclesiis ad alienas quandoque migrasse, eorumque Ecclesias aliis Episcopis eadem auctoritate fuisse commendatas. *Lib. I. ep. 8. & 15. lib. II. Ep. 45. &c.* *Et Episcoporum egenorum necessitatibus. Lib. I. ep. 45.* *Lib. I. ep. 79. lib. II. ep. 17.* *a Translationes Episcoporum.* *b*

V. Gregorii erga monasteria sollicitudo & liberalitas.

Post primas iis Ecclesiis curas impensas, alteras caris sibi monasteriis servavit. Itaque egestate laborantibus munificentissime subvenit. Ab Episcopis gravari se vexarique conquerentes Monachos in suam tutelam suscepit, *inhumanum* censens eis interdicere suis in monasteriis Missarum celebrationem & mortuorum sepulturam. Ipse spectandum humilitatis & æquitatis exemplum omnibus Præsulibus præbuit, erga Monachos S. Theodori in territorio Panormitano. Gregorius servus Dei Presbyter & Abbas hujus monasterii oblato libello supplici conquestus fuerat fines possessionum suarum ab auctoribus Ecclesiæ Romanæ fuisse pervasos. Quapropter Petro Subdiacono, qui Sedis apostolicæ negotia & Patrimonia tunc in illis oris curabat, præcepit S. Gregorius ut res quas repetebat Abbas, restituere festinaret, si eas continuis annis quadraginta quiete cœnobium possedisse probaretur. Ubi [c] privilegio Ecclesiæ Romanæ, concesso a Justiniano, uti noluit: quo videlicet Abbatem ad centenariam possessionem probandam cogere potuisset. *Lib. I. ep. 12. Ep. 9.* *Cod. de SS. Eccl. lege ut inter.* *c*

VI. Vagos & flagitiosos Monachos coercet.

Aliud erat S. Theodori monasterium apud Messanam, in quo recludi voluit Monachos civitatis Tauri apud Brutios a barbaris fugatos, & per totam Siciliam sine Rectore vagantes. Qua de re scripsit tum ad Felicem Episcopum Messanensem, tum ad Petrum Subdiaconum jam laudatum. Alia sanctissimi Papæ Epistola Monachi quidam Surrentinæ diœcesis eadem vagandi licentia abrepti & peculio insuper studentes, ad officium revocantur. Nonnulli quoque ex istis erronibus, *usque ad tantum nefas prosilierant*, ut uxores publice duxissent, de quibus scribit ad Anthemium Subdiaconum, ut *omni vigilantia perquirantur*, & in monasteriis digna coercitione tanti flagitii pœnas luere cogantur. Usque adeo monasticæ stabilitatis assertor fuit, ut Clericis in monasterio conversis nullam ad Ecclesias in quibus prius militaverant remeandi licentiam relinquendam censuerit, & multo minus ad alias transeundi; nisi eos ad sacerdotia assumendos judicaverit Episcopus. *Ep. 40 & 41. Ep. 42.* *Ibidem.*

Quanta

a Vide lib. III. Epp. 1. 2. & 35.
b Judicem Ecclesiasticum & laicum de eodem negotio conjunctim inquirere, & sententiam ferre video hic; quod novum non esse docet nota c. ad Ep. 1. libri III.
c Vide notam a. ad Ep. 9. lib. I.

Ep. 50. Quanta fuerit sanctissimi Pontificis de ordine monastico sollicitudo & vigilantia probat alia ad eumdem Anthemium Epistola, qua duo pręcipit non leviter pretereunda. Unum est ut mulieres quę hostium metu ad Eumorphianam insulam confugerant, inde amoverentur, ne Monachis hanc insulam incolentibus occasionem lapsus prȩberent. Alterum est ut ante annum ętatis octavum decimum nulli adolescentes ad monasticum habitum hac in insula, in Palmaria, & in aliis insulis susciperentur. *Quia*, inquit providus Pontifex, *dura est in insulis congregatio Monachorum*: hoc est, quia durissimam vitam hic agebant Monachi, propter aeris inclementiam, & rerum ad vitam requisitarum penuriam. Perperam autem ex hoc loco quidam arguunt, hic definitum absolute a S. Gregorio tempus professionis monasticæ; cum ibidem jubeat pueros his in monasteriis repertos infra annum ętatis 18. Romam transmitti, proculdubio ut in monasteriis ubi major esset disciplina possent institui. Verum de his jam diximus libro primo & in nota ad hanc Epistolam 50.

C. 3 § 11. Ad restauranda & construenda etiam nova monasteria, aut his in insulis aut in adjacentibus, usus est Gregorius Horosii Abbatis opera, ut ex variis hoc anno scriptis Epistolis intelligimus. Monachi in insula montis Christi degentes a regulæ monasticæ præceptis penitus exorbitarant: nec qui habitabant in Insula Gorgonia religiosius leges suas observare ferebantur. Ep. 34. & 12. Hæc erat perturbatorum & iniquorum illorum temporum conditio, circumstrepentibus undique armis, inter quę leges etiam sanctiores aut silent aut vix audiuntur. De fratrum tamen illorum emendatione non desperans Gregorius, Horosio Abbati jam laudato in mandatis dedit ut hæc monasteria visitaret, tamquam Sedis apostolicæ [a] Legatus, & quę correctione digna inveniret, ea satageret exstirpare; atque Monachos ad meliorem frugem revocaret.

VII. Nova monasteria construi jubet. Ep. 52. Neque vero propter nonnullorum Monachorum corruptos mores a novis monasteriis excitandis abstinendum judicavit æquus ille rerum æstimator. Quinimmo eidem Horosio & Symmacho defensori præcepit, ut præter monasterium a Labina religiosa femina nuper ædificatum in Corsica insula, ad quod instituendum Monachos a Gregorio postulaverat Symmachus, aliud in loco ejusdem insulę muniro ędificari curarent; *Quatenus*, inquit, *insula ipsa quæ monasterium nunc usque non habuit, etiam in hujus conversationis usu meliorari debeat*. Sed in rebus monasticis diutius non est immorandum.

VIII. Viduarum curam suscipit. Lib. 1. [b] Ut Episcopi *viduas honorent* jubet Apostolus; quod etiam de suppeditando victu ceterisque vitæ necessariis est intelligendum. Idcireo Gregorius non solum eas Episcopis [b] commendavit, sed tueri quoque ac in egestate sublevare semper ipse curavit. Hujus autem paternæ erga eas caritatis argumentum est inprimis Epistola 39. libri 1. qua imperat Anthemio Subdiacono Ecclesiastici Patrimonii curatori in Campania, ut mille modios tritici & octoginta solidos tribus eroget viduis necessitatem patientibus. Annuam fuisse largitionem hanc ex Ep. 59. ejusdem libri conjicimus. Exordium prioris Epistolę nos docet, nihil sancto & pio Pastori cordi magis fuisse, quam pauperum curam: pręcipuumque auctorum & procuratorum ipsius provinciam fuisse, indigentibus subsidium ferre; ad quod & coram & scriptis eos hortabatur. Ac si officio suo negligentius incumberent, & pauperibus præsto non adessent, acrioribus Gregorii increpationibus stimulati suæ socordię statim pœnas dabant.

Ex tribus viduis modo commemoratis erat Pateria *thia* seu amita aut matertera S. Gregorii: quam etsi viduam expresse non dicat, innuit tamen, dum eam aliis viduis annumerat, & de ipsius filiis loquens, de viro tacet. Tanti Pontificis exemplo discere possunt Episcopi consanguineis & proximis suis (etsi ditari bonis Ecclesiæ non debeant) misericordiæ tamen viscera non claudere, sed inter alios pauperes illis locum dare. Si qui autem propinquitate sibi conjunctos pauperes a se repellant, videant ne superbo id pudori adscribi possit.

Munera respuit. Lib. 1. Ep. 64. Cum beneficia conferre, non fœnerare cuperet vir munificentissimus, & beatius esse dare judicaret quam accipere, munera renuebat, ut ex ejus Epistola ad Felicem Messanensem hoc anno scripta potissimum discimus. Nimirum intelligebat se ideo in summo Ecclesię fastigio constitutum, ut a se in subditos dona copiose sponteque defluerent; non, inverso ordine, a subditis ad se refluerent.

a Scripsit S. Gregorius ad illos Monachos: *Quidquid disposuerit (Horosius) velut a me dispositum, cum debita reverentia custodite*. Quod probat ipsi collatam fuisse Legati seu Vicarii apostolici auctoritatem.

b Lib. 2. Epp. 13. & 62.



CA-

C A P U T V.

An. 590. & 591.

I. S. Gregorii misericordia in hæreticos, per prudentiam temperata. II. Quomodo se gesserit erga schismaticos pro tribus capitulis tumultuantes. Damnatio trium capitulorum num in Hispaniis recepta. Et in Galliis. III. Exempla caritatis & æquitatis Gregorii in Judæos. IV. Autharis Langobardorum Rex moritur. Cujus successor Agilulfus Catholicis favet. V. Quid pro fide & pro disciplina restauranda Gregorius decreverit, VI Quid statuerit de Subdiaconorum cælibatu. Putida heterodoxorum fabella exploditur. VII. De Venantio monastici status desertore. VIII. Eum S. Gregorius ad pœnitentiam hortatur. De Monachorum conjugiis quid sentiendum.

I. S. Gregorii misericodia in hæreticos, per prudentiam temperata. *Lib. 1. Ep. 14*

QUa caritate Gregorius suos & Ecclesiæ filios complecteretur, satis superque demonstrant, quæ ex ejus Epistolis primo Pontificatus anno scriptis jam eruimus. Nunc vero de ejusdem in alienos, videlicet hæreticos aut schismaticos, imo etiam in Judæos misericordia, quędam iisdem ex monumentis depromenda: ubi quomodo se gesserit erga omnes illos Christi & ejus sponsæ hostes, simul ostendemus. Mansuetudinem severitati præferendam esse, ut in hæresim lapsi ad veram fidem revocentur, docet Ep. ad Demetrium Neapolitanum Episcopum; ipsosque ad communionem etiam *interpositionis animæ periculo* facile suscipiendos. Ne tamen summa hæc indulgentia in nimiam remissionem declinaret, aderat moderatrix prudentia, quæ maxime eluxit in responsione ad quæstionem de unica aut trina mersione baptismi a S. Leandro Hispalensi propositam. *Lib. 1. Ep. 43* Ritus apud Arianos receptus erat tribus vicibus in conferendo baptismo mergere, sed orthodoxis unica sufficiebat mersio. Nuper ad fidem catholicam conversi Vvisigothi, auctore præsertim Recharedo Rege, & doctore S. Leandro, pristinum ter mergendi morem retinere cupiebant. Obstabant veteres Catholici, sui quoque ritus retinentissimi. De hac controversia consultus Leander, Sedem apostolicam adeundam censuit, eaque inconsulta nihil decernere est ausus, antiquam [a] patrum suorum secutus consuetudinem. Scripsit itaque ad Gregorium & in utramque partem disseruit, varias tum pro unica tum pro trina immersione rationes exponens. Ad quæsitum respondit sanctissimus magister, citra fidei periculum, alterutrum indiscriminatim ritum sequi licere, quia ubi una est fides, nihil officit Ecclesiæ consuetudo diversa. Addit tamen: *Sed quia nunc usque ab hæreticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo, ne dum mersiones numerant, divinitatem dividant; dumque quod faciebant faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur.* Prudentissimum sane responsum. Atque eadem est ratio cur fratribus nostris nuper e pravo Calvini dogmate ad nos reversis, plurima non indulgeamus, quæ alias inter ἀδιάφορα censeri possint.

II. Quomodo se gesserit erga schismaticos, pro tribus capitulis tumultuantes.

Eadem lenitate per prudentiam attemperata usus est Gregorius erga schismaticos, eos maxime qui pro trium capitulorum defensione dissidebant ab Ecclesia. Pro schismate isto soli tunc stabant Istri Episcopi & Veneti. Quamvis enim prius in Africa & Illyrico acrius conflagrasset, his in provinciis jam sopitum fuisse non temere conjicimus, ex tot Epistolis tum ad Illyricanos tum ad Africanos Episcopos a S. Gregorio missis, in quibus nulla schismatis hujus fit mentio. Schismaticis autem non accensemus eos, qui, etsi Concilium V. non reciperent, & trium capitulorum condemnationi minime subscripsissent, tamen ab eorum communione qui Synodum hanc admiserant, & conclamatam in ea trium capitulorum damnationem, nullatenus abstinebant. Certe pro schismaticis eos numquam habuit S. Gregorius, sed illos tantum qui occasione quintæ Synodi secedebant, & aliorum communionem respuebant, ut infra manifestis documentis ostendemus.

Damnatio trium capit. num. in Hispaniis recepta.

Quippe observandum est, in Hispaniis, Galliis, & aliis fere provinciis quæ Romano Imperatori non parebant (quo videlicet cogente, licet Vigilius Papa reluctaretur, damnata sunt capitula hæc) de eorum damnatione decretum nonnisi tardius fuisse receptum. De Hispaniis id luculentissimis argumentis probat Eminentissimus Cardinalis Henricus Norisius, dissertatione historica de Synodo v. cap. IX. §. 2. præsertim ex conciliorum Hispaniæ silentio Synodum hanc suscipiendam nullibi decernentium, atque ex S. Isidoro qui tum in catalogo Scriptorum Eccles. de Theodoro Mopsuesteno loquens, tum in Chronico, Justinianum Imperatorem quod Episcopos intra imperii fines, ad tria capitula damnanda compulerit, liberius redarguit.

Et in Galliis.

De Galliis idem probatur Tomo ij. seu in appendice ad opera S. Leonis Papæ magni, in observatione ad Judicium Chrodoberti Turonensis Episcopi; prolatis etiam Vigilii & Pelagii Pontificum Epistolis id non obscure significantibus. Sane qui diu vixerat in Galliis S. Columbanus, ita sensisse satis aperuit in Epistola ad Bonifacium V. ubi inter cetera hæc contra Vigilium Papam intorquet: *Vigila itaque, quæso Papa, quia forte non bene vigilavit Vigilius, quem caput scandali isti clamant, qui vobis culpam injiciunt.* Etsi vero de Columbani doctrina & ritibus mota sit quandoque in Gallicanis Synodis controversia, numquam tamen in suspicionem erroris aut schismatis adductus est ob trium capitulorum damnationem rejectam. *Ep. 4. Tom. XII. Biblioth. PP. Lugd. pag. 28. & seq.*

Si intra lineas istas sese continuissent Istriæ Antistites, satisque habuissent toties decantatæ damnationi non subscribere, communionis & caritatis vinculum non abrumpendo, minime schismatici audivissent. At numquam tumultuari cessarunt, & in Romanam Sedem debacchari. Eos tamen eo-

a Himerius Tarraconensis Episcopus consuluit Damasum Papam. Cujus successor Siricius scripsit Epistolam decretalem ad Himerium; quam legesis tom. 2. Conciliorum.

rumque antesignanum Severum Aquileiensem seu Gradensem Episcopum relapsum & reversum ad ejuratum prius schisma S. Gregorius affectu paterno ad pacem invitavit, & ad Synodum Imperatoris jussu celebrandam. Johannes Diaconus refert veterum tunc apostolica simul imperialique

Lib. 1. Ep. 16

jussione coactum, & imminente Smaragdo, Ravennam venisse, ubi veritus cum Gregorio Synodalem subire conflictum, mediante Johanne Ravennate Episcopo, ad unitatem Ecclesiæ rediit, a qua paulo post eum resiliisse testatur, *subrepta* quoque Mauricii Augusti jussione qua præcipie-

Lib. 111. de gest. Langob. c. 27.

bat *ut schismatici redire ad unitatem Ecclesiæ nimine cogerentur*. Verum quæ hic narrat Johannes, prius contigerunt, ut patet ex Paulo Diacono. Constat enim Smaragdum Exarchum jam locum cessisse Romano, quando Gregorius Severum litteris suis ad pacem compellavit. In iis quoque S. Gregorius meminit tum reditus Severi ad Ecclesiam, ut ejusdem recidivi lapsus in schisma: *Quantum*, inquit, *incorporatum te jam pridem fuisse in unitate Ecclesiæ gavisi fueramus, abundantius nunc dissociatum a catholica societate confundimur*. Obturavit aures Episcopus, schismatis incentor cum suis sociis; at de paterno erga perduelles affectu nihil remisit sanctissimus vir, ut ex aliis ipsius Epistolis infra ostendemus.

III. Exempla caritatis & æquitatis Gregorii in Judæos.

Ipsos etiam Judæos non solum æquitatis sed etiam caritatis Gregorii periculum fecisse jam demonstremus. Petrus Terracinensis Episcopus, Judæos *de loco in* [a] *quod ad celebrandas festivitates sua convenire consueverant, expulerat*, assignato tamen alio loco, ubi libere possent religionis causa congregari. At paulo post eosdem inde quoque migrare coegerat. De injuria sibi facta Judæi conquesti sunt apud Papam, qui Petro rescripsit: *Si ita est, volumus tua Fraternitas ab hujusmodi se querela suspendat,*

a Lib. 1. Ep. 35

& ad locum quem cum tua conscientia quo congregentur adepti sunt, eos, sicut mos fuit, ibidem liceat convenire. Eos enim qui a religione christiana discordant, mansuetudine, benignitate, admonendo, suadendo, ad unitatem fidei necesse est congregare: ne quos dulcedo prædicationis & præventus futuri Judicis terror ad credendum invitare poterat, minus & terroribus repellantur.

Ibid. Ep. 47 b

Huic sententiæ prorsus consona sunt quæ paulo post ad Virgilium Arelatensem, & ad Theodorum Massiliensem Episcopum scripsit, videlicet Judeos ad baptismum suscipiendum cogi non debere, [b] ne necessitate potius quam voluntate Christiani facti, ad pristinam superstitionem relaberentur, *indeque deterius morerentur, unde renati esse videbantur*.

Delinquentes tamen Judæos, maxime si periculum foret ne contemtui esset Religio Christiana, coercere quantocyus satagebat. Hinc ubi accepit Judæum quemdam Ecclesiæ Venafranæ ministeria seu vasa sacra (quod legibus interdictum) comparasse, præsertimque calices duos; jussit Anthemio Subdiacono, ut emtorem per judicem provinciæ faceret conveniri, & ad sacra illa cimelia restituenda cogeret, relegatis in pœnitentiam Diacono & aliis Clericis sacræ supellectilis impiis venditoribus.

IV. Autharis Langobard Rex moritur. Paul. lib. 111 c. 14. Paul. Diac. lib. 111. c. 36

Nunc Langobardorum res primo Gregoriani Pontificatus anno gestas summatim attingamus. Hoc anno extinctum fuisse Autharim eorum Regem discimus ex Ep. 17. libri 1. prolato Regium usque in extremis Brutiorum finibus Langobardorum imperio. Paulo antea princeps Arianus suæ sectæ propagandæ zelo abreptus, edicto solemni prohibuerat, ne suorum gentilium filii, in fide catholica baptizarentur. At non multo post Deum expertus est vindicem, & pro hac culpa a vivis est sublatus. Eum veneno interiisse narrat rerum Langobardicarum Scriptor, postquam sex annis regnasset. Cognita ejus morte Langobardorum duces & optimates, Papiam convenerunt, de successore eligendo deliberaturi. Quibus in comitiis unanimi sententia decretum est ut Theodelinda spectatæ prudentiæ virtutisque Regina, regni gubernaculo semper assideret, & quem mallet e

Cujus successor Agilulfus favet Catholicis.

ducibus in maritum sibi & in totius gentis Regem deligeret. Illa habito cum majoribus natu consilio Taurinatium ducem, Agonem seu Agilulfum nomine, in regni thalamique consortem adscivit: cui Mediolani in frequenti totius gentis conventu imposita est, ut habent scriptores Mediolanenses, corona aurea ex incluso ferreo circulo dicta ferrea; quæ celeberrima deinceps evasit. Tanto beneficio sibi devinctum Agilulfum Theodelinda catholicæ fidei ardore incensa impulit ad eamdem fidem amplectendam; si Paulo Diacono credimus. Regis vero exemplum secuti magna

Lib. 1v. c. 6.

ex parte Langobardi, Arianismum ejurarunt. Quod tamen de suscepta catholica fide ab Agilulfo Paulus ait, tardius factum intelligimus ex S. Columbani ad Bonifacium Papam Epistola non ante annum 607. scripta, quo tempore Rex Langobardorum adhuc erat Arianus, de eo namque sic loquitur: *Fertur enim dixisse, si certum sciret, & ipse crederet*. Ejus rei causa Columbanus librum contra Arianos composuit, teste Jona. Constat nihilominus Agilulfum, etsi nondum orthodoxam sequeretur fidem, Catholicis multum favisse, ab ipso regni exordio; quod etiam expertus est S. Columbanus ab eodem benigne exceptus.

V. Quid pro fide & pro disciplina restauranda Gregorius decreverit. Lib. 1. Ep. 4

Gregorius audita Regis Autharis morte, scripsit ad universos Italiæ Episcopos, ut Langobardorum parvulos in Ariana baptizatos ad catholicam fidem conciliare, imminente maxime gravi mortalitate, curarent: postea vero ad resarciendam in Italia Ecclesiæ disciplinam, quæ inter barbarorum heterodoxorum gladios pessumdata fuerat, mentem adplicuit. De Sacerdotum aliorumque ex clero lapsorum pœnitentia sollicitus, jussit eos in pauperrima monasteria ubi regularis observantia vigeret, retrudi, eisque sufficientia stipendia suppeditari; ut ex iis etiam subsidium ad victitandum haberent Monachi, qui de eorum emendatione sollicitudinem gererent.

Lib. 1. Ep. 13 & 84 Item lib. 111 Ep. 8 Lib. 1. Ep. 81.

Ambitum in Clericis comprimere satagebat. Unde Liberatum Diaconum ambitionis spiritu inflatum & distentum, in ultimo inter ceteros Diaconos loco stare jussit, quo humilitati & subjectioni assuesceret. Episcopos de crimine postulatos, in Concilio de more judicari, neque alia quam Synodali sententia deponi præcepit. Clericos peregrinos absque Episcopi sui cessione seu litteris dimissoriis non recipiendos aut incardinandos esse statuit. De Subdiaconorum cœlibatu quid decreverit, nunc morosius explorandum.

Pe-

a Cui id factum, docet Ep. decima hujus libri. Nimirum Synagoga ita erat Ecclesiæ proxima, ut inde facile audirentur voces psallentium Judæorum.

b Vide etiam lib. ix. Ep. 6.

Pelagius Papa II. ante triennium legem cœlibatus Siciliæ Subdiaconis, [a] more Romanæ Ecclesiæ impofuerat; jusseratque ut qui jam uxorati essent, ab uxoribus separarentur; quod *durum* Gregorio *incompetensque* visum est, ac plurimis pejus cadendi periculis obnoxium. Hoc itaque decretum ita temperavit sapientissimus Pontifex, ut sineret conjugatos Subdiaconos uxores retinere, ea lege ut ad sacros ordines numquam pervenirent: *Quia nullus debet ad ministerium altari, ascendere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.* De cetero prohibuit ne deinceps Episcopi Subdiaconum ullum ordinarent, nisi qui victurum se caste promitteret. His exploditur fabella quam Centuriatores Magdeburgenses ex conficta nomine S. Udalrici Augustani Episcopi Epistola ad Nicolaum Papam depromserunt; scilicet nostrum Gregorium prius uxores Sacerdotibus solemni decreto ademisse; at cum ex piscina sua capita infantium ad sex millia extracta fuisse a piscatoribus intellexisset, hocque infanticidium sibi tribueret (non dubitabat enim tot infantes ex furtivis Sacerdotum fornicationibus aut adulteriis natos) decretum suum refixisse, & de tanto scelere pœnituisse. VI. Quid statuerit de Subdiaconorum cœlibatu. *Lib. 1. Ep. 44 & lib. IV. Ep. 34.* a

Quot verba hic, tot putida & stolida legis mendacia. Qua ratione in piscinam potius Pontificiarum ædium projecta isthæc infantilia capita, quam in Tiberim, aut in cloacas publicas? Capita inveniuntur & numerantur, quid de reliquis cadaveribus factum est? Quasi verisimilitudinem vel minimam habeat infantium illorum parricidas quorum adeo intererat tantum scelus occultare, projectis ex condicto in piscinam Pontificiam occisorum capitibus, illud ultro quasi per ludum voluisse publicare? Quam perfrictæ vero frontis sunt, qui volunt Gregorium pœnituisse, quod Presbyteros & ministros sacros, legi cœlibatus adstrinxerit, cum nec ipse talis legis umquam auctor fuerit; (quippe quæ semper saltem in Ecclesia Latina fuerit observata, ubi vigebant canones) nec ullum fere sui Pontificatus annum elabi siverit, in quo de majorum Clericorum cœlibatu aliquid non scripserit. Lege præsertim sequentes Epistolas lib. I. Epp. 44. & 52. lib. IV. Epp. 26. & 36. lib. IX. Ep. 60. lib. X. Ep. 62. lib. XI. Ep. 64. ad secundam interrogat. respondendo, ubi de Clericis loquens quibus liberum est uxores accipere, excludit eos qui sacris in ordinibus sunt constituti; denique lib. XIII. Epp. 35. & 36. Putida hereticorum fabula exploditur.

Ceterum operæ pretium non est, pluribus argumentis fabulam hanc explodere, quæ statim evanescit, cum expenditur quo tempore vixit S. Udalricus Episcopus. Neque enim coævus esse potuit aut Nicolai I. aut II. Qua de re consulendus est Em. Card. Baronius ad an. 591. num. 21.

Haud minori zelo Gregorius cavit Monachorum castitati & famæ quam Clericorum, ut præmonuimus cap. superiori num. 6. Et quidem arctissime alligatos illos voto seu proposito castitatis perpetuæ censuit, ut ex ipsius ad Venantium Epistola hoc anno scripta extra dubium ponitur. Venantius Patricio genere in Sicilia, ut videtur, ortus, vitam amplexus erat monasticam; verum relicto postea monasterio uxorem duxerat [b] nomine Italicam, aut ad prius ductam redierat, ex qua duas filias Barbaram & Antoninam suscepit. Tunc temporis aliquos Monachos uxores publice duxisse dolet S. Gregorius lib. I. Ep. 42. jubetque ut ab ipsis avulsi, in monasterium retrudantur, uti jam observavimus. Suspicatur noster Mabillonius Italicam fuisse Venantii parentem, non uxorem; at, quod tanti viri pace dixerim, conjectura hæc ruit lecta inscriptione Epistolæ 123. libri IX. Non firmiori fundamento nititur Cancellarii Italiæ titulus qui gratis huic Patricio confertur, ex corruptis epistolarum inscriptionibus quas habent codices editi, non vero manu exarati. Barbaram & Antoninam ante Venatii lapsum natas nihil cogit dicere. Venantius aliquot annis ante susceptum a Gregorio Pontificatum e monasterio excesserat. Ejus natæ litteris Gregorium compellarunt undecimo ejus Pontificatus anno, una forte duodecim, altera decem annorum. Quid supra illam ætatem? Non magis abhorrebat a sanctissimi Pontificis pietate, virgines nobiles etsi ex iniquis nuptiis natas honorifice salutare ac tueri, quam ad earum parentes Venantium & Italicam reverentissimis & amicis verbis scribere, Johannemque Syracusanum Episcopum ob repulsas Venantii oblationes redarguere. Parumper extra metas excurrimus, viri doctissimi conjecturas expendendo, nunc ad id unde digressi sumus, redeundum. VII. De Venantio monastici status desertore. b *Annal. Benedict. ann. 601. §. 8. 266.* *Lib. XI. Ep. 35. & 78.* *Lib. VI. Ep. 4.*

Gregorius ad Venantium propositi monastici desertorem gravem Epistolam scripsit, ut eum ad penitentiam hortaretur, quæ facile legi potest. Notatu præsertim digna sunt verba hæc: *Ananias pecunias Deo voverat, quas post, diabolica victus persuasione, subtraxit. Sed qua morte mulctatus est, scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat, nummos Deo abstulit: considera quanto periculo in divino judicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo omnipotenti, cui te sub monachali habitu devoveras, subtraxisti? Considera judicium Dei, quod mereatur, qui semetipsum Deo vovit, continuoque mundi desideriis irretitus, mentitus est quod vovit.* Quibus verbis quid expressius ad votorum monasticorum obligationem adstruendam? Incesta Monachorum & Sanctimonialium conjugia diu antea Siricius Papa tamquam publicis legibus & Ecclesiastico juri contraria damnarat, scribens ad Himerium Tarraconensem Episcopum. Suffragantur Concil. Chalced. can. 16. & Cartagin. IV. cui subscripsit Augustinus cap. 104. Docere tamen videtur Augustinus, conjugia eorum qui continentiam voverint, adulteria non esse, quamvis eorumdem lapsum quovis adulterio pejorem censeat. Sed hoc vitium nubentium esse contendit, non ipsarum nuptiarum, quæ sanæ sunt & numquam damnandæ. Ita vero loquitur sanctus Doctor, ne Manichæis nuptias damnantibus consentire videatur. Hanc quæstionem sibi propositam attingit S. Bernardus lib. de præcepto & dispensatione cap. 17. at nihil decernit. VIII. Eum S. Greg. ad pœnitentiam hortatur. *Lib. I. Ep. 34. Al. 5.* De Monachorum conjugiis quid sentiendum. *Ep. I. c. 6. Tom. 2. Concilior. p. 1019 Lib. de Bono vidual. cap. 10. 11. 12. Tom. 6.*

Non resipuit Venantius; neque tamen ab ejus amicitia resiliit Gregorius, sperans opportunius aliquando sibi tempus adfuturum, amicum ad pœnitentiam iterum adhortandi. Sano audita postea gravi qua decumbebat ægritudine, de ejus salute sollicitus scripsit ad Johannem Syracusanum Episco-

a Moris hujus meminit S. Leo Ep. 12. c. 4. *Nec subdiaconis quidem connubium carnale conceditur; ut & qui habent, sint tamquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares.*

b Vide Ep. 123. lib. IX. & lib. XI. Epp. 35. & 78.

Lib. xi. Ep. 30. pium, *ut de anima ejus cogitare debeat, exhortando, rogando, Dei terribile judicium proponendo, ineffabilem ejus misericordiam promittendo, ut ad habitum suum redire vel in extremis debeat, ne ei tanta culpæ reatus in æterno judicio obsistat*. Verum quid inde secutum sit, ignoramus. De Venantio adhuc postea erit agendum. Nunc e Sicilia in Africam transmittamus, ubi Pontificia S. Gregorii auctoritas, & solicitudo pastoralis, primo anno quo Romanam ascendit Sedem, innotuerunt.

CAPUT III.

An. 590. & 591. *I. Quid de Primatibus inter Africanos Episcopos S. Gregorius decreverit. II. Num Columbus tunc Numidiæ Primas esset. III. S. Gregorii labores in Donatistas. Quo successu. IV. Quædam notatu digna de reis Episcopis judicandis. De Ecclesiasticis immunitatibus. De litibus. A quibus Monachos eximit. V. Pravas consuetudines tollit. VI. De Monachorum testamentis. VII. De bonis lapsorum & dejectorum Sacerdotum. VIII. Oratoriorum dedicationes tunc percelebres.*

I. Quid de Primatibus inter Africanos Episcopos S. Gregorius decreverit.

MOs erat apud [a] Africanos Episcopos, ut singulis in provinciis inter eos loco Primatis aut Metropolitani haberetur, qui ordinatione foret antiquior: unde non *primas*, sed *senex*, aut primæ Sedis Episcopus vocabatur. Sola Carthaginensis Ecclesia, inter ceteras diversarum provinciarum Africæ pene innumeras, primatu perpetuo gaudebat. Cum itaque Sedes episcopales etiam in exiguis ignotisque vicis essent institutæ (hinc ignota fere obscuraque Africanæ Ecclesiæ notitia) sæpe fiebat ut ignobilis oppidi Episcopus reliquis provinciæ suæ Episcopis tamquam Primas præesset. Quod cum incongruum S. Gregorio visum fuisset, ut reapse erat, optimum esse judicavit (Lib. 1. Ep. 74) primo eligi Primatem *non ex ordine loci*, videlicet aut propter antiquitatem ordinationis, aut propter Sedis dignitatem concessi; sed habita potius morum ac meritorum ratione. Secundo (Ibid. Ep. 77.) Primatem non passim, sicut moris erat, per villas, sed in una civitatum residere; quo facilius Donatistarum in Africa grassantium insidiis & conatibus resistere valeret. Tertio prohibuit ne hi qui ex Donatistis ad Episcopatum pervenerant, Primatis dignitatem possent adipisci. Loquitur autem de Donatistis ad fidem & unitatem Ecclesiæ reversis: *Sufficiat*, inquit, *illis commissæ sibi plebis tantummodo curam gerere: non autem etiam illos Antistites quos catholica fides in Ecclesia sua & edocuit & genuit, ad obtinendi culmen primatus anteire*. Hæc Gregorius ad Episcopos Numidiæ scribens, [b] & ratas habens reliquas eorum consuetudines, quas sibi servari supplices a Pelagio II. petierant.

II. Num Columbus tunc Numidiæ Primas fuerit. Baron. ad an. 591. num. 4. Lib. xii. Ep. 28. & 49.

Qui Columbum Episcopum, tunc Primatem [c] Numidiæ fuisse cum Baronio asserunt, a vero prorsus aberrant, refelluntur que ab ipsomet Gregorio ad Columbum scribente: *Itaque erga Primatem Synodi tuæ esto sollicitus*. Ad eum scripta est Epistola 49. lib. xii in cujus titulo legitur: *Adeodato Episcopo Primati provinciæ Numidiæ*: eumque hortatur S. Gregorius *ne officium primatus, quod Deo auctore habet, studeat tota intentione sagaciter exhibere*. Paulo infra suadet ut Columbum præ ceteris adjutorem adhibeat in omnibus. Adeodato successit in Primatu Victor de quo in Epistola 28. lib. xii. ad Columbum scripta: *Victori fratri & coepiscopo nostro, qui primatus inter vos locum tenet, curavimus scribendum*. Ad Columbum tamen in præcipuis provinciæ Numidiæ negotiis scribere solet sanctus Papa quasi vicarium S. Sedis eum constituisset, quod nihilominus nullibi factum legitur.

III. S. Greg. labores in Donatistas. Lib. i. Ep. 74. Lib. ii. Ep. 48. Lib. iv. Ep. 5. Lib. i. Ep. 74. Lib. Ep. 82. 30.

Singulari Gregorii erga Ecclesias Africanas diligentia præstitum est ut prius tumultuantes Donatistæ, tandem quiescerent. Nimirum satis non fuit vigilantissimo Pastori adversus illos lupos in gregem Christi sævientes, alios sibi subditos Pastores ad vigilantiam & constantiam excitare, scriptis ad eos plurimis Epistolis, inflictaque negligentibus & mercenariis pœna; sed etiam Gennadium Patricium & Exarchum Africæ, qui multis bello præclare gestis illustris erat, rogavit ut hæreticorum contra Ecclesiam catholicam colla subrigentium conatus comprimeret, ac superbas eorum cervices inflecteret; omnemque adimeret nocendi licentiam. Postea cum rescivisset Pantaleonis Africæ Præfecti nimia in hæreticos indulgentia factum esse, ut eorum audacia in dies cresceret, insolescerentque in Ecclesiæ catholicæ Sacerdotes, ab eis baptizatos iterum baptizando; de socordia Præfectum increpavit, quamque gravi peccato subjaceret, reserpendi occasionem hæresi tribuendo, liberrime admonuit.

Quo successu. Lib. v. Ep. 5.

Tandem frequentibus S. Gregorii monitis tum ad Episcopos, tum ad Præfectos & Magistratus, tum ad ipsummet Augustum, habitum est concilium in quo, annitente præsertim Dominico Carthaginensi Episcopo totiusque Africæ Primate, constitutum est *investigandos* esse ab Episcopis hæreticos, & compescendos: quod decretum qui exequi negligerent, bonorum ac dignitatum privatione esse plectendos. Laudavit Papa Dominici zelum; neque tamen omni ex parte probavit decretum de spoliandis qui negligentius hac in re incumberent Episcopis. Resipuisse tandem Donatistas aut [d] quievisse,

a Loquimur de politia Ecclesiastica apud orthodoxos observata. Quod spectat ad Vvandalos Arianos, suum in Africa Patriarcham habebant. Duos eorum Patriarchas nominat Victor Vitensis, Jocundum & Cyrylam; qui ut puto successive sederunt. Consule tu Victor. Vit. *Histor. Vvandal. persecut. lib.* ii. c. 18.

b Observa sanctæ Sedis apostolicæ auctoritatem, ad quam videlicet pertinet remotissimarum Ecclesiarum confirmare consuetudines. Ea magis eluceat longe ante in S. Leone, qui rogatus Ecclesiæ Alexandrinæ post Romanam secundæ privilegia confirmavit: *Inventa*, inquit, *quorumdam ambitioni, servare unumquemque privilegiorum suorum jure, sollicitos obviavi* ... *teneat fraternitas tua suorum consuetudinem decessorum, & comprovinciales suos Episcopos* ... *congrua sibi auctoritate disponat*.

c Numidia ex septem Africæ provinciis secunda erat, & post provinciam proconsularem cujus caput Carthago, recensetur in notitia Africæ, quam consule in nova edit. Histor. Vvandalicæ persecut.

d Lege Donatistarum historiam novissimæ Optati operum editioni additam & præfixam, in fine.

visse, inde autumamus, quod sanctus Pontifex ad Dominicum & ad alios Africæ tum Episcopos tum Imperatoris ministros deinceps frequentius scribens, nusquam de illis coercendis amplius agat, post Indictionem XIV.

IV. Quædam notatu digna, de reis Episcopis judicandis. Lib. 1 ep. 31. De Ecclesiasticis immunitatibus. De litibus.

Cum cetera quæ primum Gregoriani Pontificatus annum commendant, fusiori stilo prosequi non liceat, quædam tantum ex ejus Epistolis nondum supra delibatis decerpemus notatu digniora. Episcopos nonnisi a Synodo judicari voluit, etiamsi graviorum noxarum rei forent, ut in causa Blandi Hortensis Episcopi non obscuro significavit.

Septa Ecclesiastica tunc habita pro asylis probat Epistola 37. Quæ vero loca per *septa Ecclesiastica* debeant intelligi, docent notæ ad hanc Epistolam.

Cum a strepitu forensi multum abhorreret vir sanctissimus, si qua litigandi occurreret occasio inter Episcopos, Clericos, Monachos, etiam laicos nobiles; suadebat ut pro componenda controversia eligerentur arbitri, qui nullo vel minimo sumtu, præcisis dilationibus frustratoriis, jus cuique litigantium tribuerent. Ipse si qua oriretur quæstio de finibus & fundis, inter actores Ecclesiæ Romanæ qui ejus prædia curabant, & vicinorum agrorum possessores; hujusmodi judices eligi volebat. (Ep. 9.) Quo animo esset erga lites, non potuit melius prodere quam his verbis: *Non solum numquam mota suscitari volumus, verum etiam quæ prava foris admoventur, sopire modis omnibus festinamus.*

A quibus Monachos eximat.

Quanto studio Monachos a forensibus litigiis, & strepitibus curaret submovere testatur ejus Epistola 69. cum enim Johannes Abbas ipsi suggessisset plurima se habere pro monasterio suo negotia, quibus intendere vix posset citra regularis observantiæ dispendium; optimum visum est provido patri ut hujus monasterii tuendi contra litigantes cura commendaretur a quidem Fausto Romani Expretoris Cancellario, eique *salarium* pro impensa opera constitueretur. *Expedit enim*, inquit, *parvo incommodo a strepitu causarum servos Dei quietos existere; ut & utilitates cellæ per negligentiam non pereant, & servorum Dei mentes ad opus Dominicum liberiores existant.* Hæc videtur prima commendatariorum Abbatum origo; qui utinam tales forent ut servos Dei ab omnibus negotiis eximerent; non in lites immergerent.

V. Præceptis colonis injuste oblatis.

In Ep. 44. Petro Subdiacono pleraque Ecclesiæ patrimonia in Sicilia curanti, præcipit emendare plurimas consuetudines, quibus Ecclesiæ colonos vexari noverat, & quæcumque percepta forent injuste rusticis abunde restitui. Quin etiam veritus ne Petrus sibi mandata minus strenue impleret, judicium ultimum ei comminatur, & his verbis Epistolam claudit: *Vide ut omnia absque imminutione custodias: quia de his quæ tibi pro servanda justitia scribo, ego absolvor; & tu si negligis, obligaris. Terribilem Judicem considera venientem, & de adventu illius nunc tua conscientia contremiscat, ne tunc sine causa jam timeat, cum coram illo cælum & terra tremuerint. Audisti quod volo; vide quid agas.*

VI. De Monachorum testamentis.

In eadem Epistola legitur Johannem Monachum morti proximum, Fantinum defensorem heredem in sex uncias, hoc est in dimidiam bonorum partem instituisse. Quod non improbat S. Gregorius. Ne tamen inde inferas licuisse tunc Monachis testamentum condere, lege notam qua locum hunc illustravimus. Consule quoque nostrum Mabillonium in Annal. Bened. an 599. n. 31, & ad an. 601. n. 6.

VII. De lapsorum & dejectorum Sacerdotum bonis.

Ex laudata Epistola compertum habemus quam sollicite S. Gregorius caveret, ne ii quorum ministerio in Ecclesiæ negotiis utebatur, in Sacerdotum & aliorum Clericorum lapsorum e suo gradu dejectorum bona invaderent, unde sane grave scandalum oriri potuisset; hi nimirum ita dejecti haud dubie conquesti fuissent se ideo loco motos, & ad pœnitentiam in monasteria detrusos, ut sua bona, suæ facultates Pontificiorum ministrorum prædæ paterent. Decernit ergo S. Gregorius ut eorum bona, vel monasteriis in quibus pœnitentiam agunt, vel eorum parentibus dentur; *ita tamen ut eorum stipendium, qui in pœnitentiam dati fuerint, sufficienter debeat procurare*: vel si ex Ecclesiasticæ fuerint familia illi lapsi, res eorum Ecclesiastico juri non subtrahantur, servata pœnitentibus alimentaria pensione. Consule notas ad hunc laudatæ Epistolæ locum.

VIII. Oratoriorum dedicationes tunc percelebres. Lib. 1. ep. 54.

Quanta celebritate tunc vel oratoriorum dedicationes fierent, & quæ his in festis esset in pauperes munificentia docet Ep. 59. Dedicationes Ecclesiarum & oratoriorum sine sacris reliquiis quæ in eis conderentur vix fiebant. Nullum autem, ubi collocabantur, [b] corpus prius humatum fuisse constare oportebat; sane optimis de causis; ut explicatur in not. ad Ep. 54 lib. I. In Italiæ provinciis Romanæ Sedi tamquam Metropolitanæ arctius adstrictis nullas tunc factas fuisse templorum consecrationes non audet asserere Mabillonius. In hanc tamen sententiam valde propendet: nec immerito. At de hoc argumento alibi fortasse opportunior erit dicendi locus. Interim lege Ep. 37. lib. V.

a) De hujusmodi procuratore loqui videtur S. Gregor. ad Johannem Abbatem scribens lib. XII. Ep. 3. *In causis istis procuratorem; & tu ad lectionem & ad orationem vaca.*

b Id centies repetit S. Gregorius, scilicet [illegible] in Epistolis, in quibus de templorum consecratione, & reliquiarum collatione agit.

CAPUT VII.

An. 591. & 592.

I. De causa Natalis Episcopi Salonitani. II. Archidiaconus ab eo dejectus apostolicam Sedem appellat. III. Quæ responderit Natalis; Resipiscit, IV. Illo mortuo S. Gregorius de eligendo successore curat. Electus est Honoratus Archidiaconus. V. Mauricius Imperator mitius cum schismaticis agit. VI. Langobardi Romam premunt. VII. S. Gregorius Ezechielem Prophetam exponit. Luctuosus Romæ status.

I. De causa Natalis Salonitani Episcopi. Lib. 11 ep. 17. 19. 20. Lib. 11. ep. 32 Lib. 1 epp. 19 & 20.

NUnc ordo rerum temporumque ratio postulant, ut de Natali Salonitano Episcopo Dalmatiæ Metropolitano loquamur. Qui cum adversus summum Pontificem diu rebellasset, hoc secundo Gregorii anno, ad saniorem mentem, ejus invicta magnanimitate ac patientia debellatus, feliciter tandem rediit. Hic Episcopus ferebatur, Pastorali cura derelicta, solis vacare conviviis; &, quod gravius est, vasa sacra pretiosamque Ecclesiæ suppellectilem, suos ut ditaret, distraxisse. Cui sacrilegio cum obstaret Honoratus Archidiaconus, quod ejus esset res sacras asservare; Natalis eum, ut ab hoc officio removeret, honoris specie, licet renitentem, Presbyterum ordinare voluit; neque enim Presbyter tunc Archidiaconi munere fungi poterat, ut observavimus maxime ex S. Leone & Apoll. Sidonio in notis ad Epistolas indicatas. Sententiam suam de Honorati dejectione ab Archidiaconatu in provinciæ suæ concilio ratam haberi, & gestis Synodicis confirmari curavit. Quibus sane nihil iniquius, nihil insulsius: eodem enim judicio, ab Archidiaconi ministerio tamquam indignus repellebatur Honoratus, & ut dignus ad Presbyteratum assumebatur.

II. Archidiaconus ab eo dejectus Sedem apost. appellat. S. Gregorius excommunicationem Natali comminatur.

De vi sibi illata jam expostulationem fecerat Honoratus, & ad Pelagium Papam confugerat; qui utrumque, Archiepiscopum videlicet Archidiaconumque adesse saltem per procuratores jusserat, ut de ea controversia judicium ferret. Natalem cunctantem & moras nectentem iterum ad causam dicendam vocavit S. Gregorius primo sui Pontificatus anno, præcepitque ut ante omnia Honoratum in pristinum gradum restitueret. Anno vero sequenti comminatus est ei Pallii privationem, si obtemperare abnueret; ac demum excommunicationem, ut a corpore & sanguine Domini esset abstentus, nisi male acta emendaret. De Episcopatu, an in ipso permanere deberet, alio definiendum judicio reservavit. Præterea in locum Honorati ordinatum Archidiaconum depositione plectendum censuit, & si ultra hoc in officio ministrare præsumeret, sacræ communionis exortem esse pronuntiavit.

Ep. 19. & 20.

De his Gregorius certiores fecit universos Dalmatiæ Episcopos, & Antoninum Subdiaconum Ecclesiastici patrimonii rectorem in hac provincia, cui jubet latam in Natalem & in intrusum ab eo Archidiaconum sententiam, utrique præmissis adhortationibus, denuntiare. Ne vero Jobinus Illyrici Præfectus Natali patrocinaretur (sciebat enim eum optimatibus quos conviviis excipiebat esse pergratum) illum scriptis litteris rogavit ne opem reo contra justitiam ferret.

III. Quæ responderit Natalis. Ep. 52. Ep. 36. Resipiscit.

Natalis ægre tulit Papam sibi pœnam excommunicationis esse comminatum, & in sui defensionem ad eum scripsit: convivia non dedecere Episcopum, quæ in sacra Scriptura & apud veteres christianos commendata leguntur & laudata. Sibi *tribulationibus presso* liberum non esse, lectioni sacræ operam dare; at non ideo intermissum prædicationis opus. Quid de vasis sacris distractis, quid de Honorato ab Archidiaconatu avulso responderit, subticetur in Epistola quam ad eumdem Gregorius scribendam judicavit, ut hominem exasperatum de sincera tamen obedientia spondentem pia humilitate mitigaret, ac in spiritu lenitatis, uti docet Apostolus, instrueret. Admiremur eum ita blandis, efficacibus tamen verbis, oleum simul & vinum Natalis vulneribus infundentem: *Ecce*, inquit, *Fraternitas tua ægre tulit se de conviviis esse reprehensam, cum ego, qui etsi hanc non vita, tamen loco transgredior, ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus sim*: Addit post multa: *Quod si quilibet ex quatuor Patriarchis fecisset* (nimirum Sedis apostolicæ despexisset judicia) *sine gravissimo scandalo tanta contumacia transire nullo modo potuisset. Tamen postquam Fraternitas vestra ad suum ordinem rediit, nec ego meæ nec decessoris mei injuriæ memor sum*.

Lib. 11. ep. 52

Magnam Gregorio lætitiam attulit Natalis pœnitentia, de qua his verbis certiorem fecit hoc ipso anno Johannem Ravennatem: *De fratre autem & coepiscopo nostro Natali valde contristabar, quod de illo quædam superba cognoveram: sed quia mores suos ipse correxit, meam tristitiam simul meipsum vincendo consolatus est*.

IV. Eo mortuo curat S. Gregorius de eligendo successore. Lib. 111. ep. 22.

Natali paulo post e vivis sublato, Gregorius ad Antoninum Subdiaconum scripsit, ut de successoris electione sollicitus esset. Et quia ex ejus Epistola quænam electionum tunc esset forma licet intelligere, quædam ex ea decerpta hoc loco subjiciemus. *Experientia tua*, inquit, *omnia instantia omnique sollicitudine clerum & populum ejusdem civitatis admonere festinet; quatenus uno consensu ordinandum sibi debeant eligere Sacerdotem, factoque in personam, quæ fuerit electa, decreto, ad nos transmittere studebis, ut cum nostro consensu, sicut priscis fuit temporibus, ordinetur. Illud quidem præ omnibus tibi curæ sit, ut in hac electione nec datio quibuscumque modis interveniat præmiorum, nec quarumlibet personarum patrocinia convalescant*.

Quid vero curæ impenderent sanctæ Sedis ministri aut legati, qualis erat Antoninus Subdiaconus, ut intacta conservarentur Ecclesiæ bona mortuo Episcopo, discimus ex his verbis: *De rebus vel ornamento ejusdem Ecclesiæ, fideliter rerum inventarium facito te præsente conscribi. Et ne rebus ipsis possit aliquid deperire, Respectum Diaconum atque Stephanum primicerium notariorum, ut ipsarum rerum omnino gerant custodiam admoneto: interminans eis de propria eos satisfacturos esse substantia, si quidquam exinde eorum negligentia fuerit imminutum*. Deinde de suppeditandis omnibus ad electionem necessariis ita monet: *Expensa vero, quæ necessaria fuerit, per œconomum, qui tempore mortis prædicti Episcopi inventus est, erogetur, quatenus rationes suas futuro Episcopo ipse, ut novit, exponat*.

Non

Non leviter prætereunda fuerunt hæc, in quibus tanta elucet Romanæ Sedis auctoritas, etiam in Metropolitanas extra Italiam Ecclesias. Aliquando Gregorius hanc electionum curam dabat Episcopis; aliquando etiam judicibus & magistratibus, ut argumento est Ep. 15. lib. 111. ad Judicem Campaniæ ea de re scripta. Sed laicis nullam in bona Ecclesiæ potestatem tradidit, facta scilicet ipsis tantum copia plebis christianæ ad eligendum Episcopum convocandæ.

Lib. 1. ep. 17. Lib. 11. ep. 38

Electus fuit a clero in Salonitanum Archiepiscopum Honoratus Archidiaconus, de quo jam sæpe dictum: quod pergratum Gregorio fuit; perspectam enim habebat hujus viri probitatem, constantiam, & in rebus gerendis prudentiam. Sed ejus Sedem invasit Maximus auctoritate optimatum fratus, ut infra suo loco dicetur: quæ enim hic de morte Natalis, ejusque successoris electione attigimus, per anteessum dicta sunt, ut una eademque serie, quidquid ad controversiam illum inter & Honoratum motam pertineret contractum ob oculos poneretur. Nunc quo nos revocat ordo temporum redeamus.

Electus est Honoratus Archid.

V. Mauricius mitius agit cum schismaticis. Lib. 11. ep. 46.

Cum in Italia res imperii nutarent, ne schismatici Venetiæ & Istriæ desperatione acti Langobardis deditionem facerent, si ad ejurandum schisma compellerentur, Mauricius Augustus Gregorium admonuit ut a vi & coactione interim abstineret. Nuper Gradus Severi schismaticorum Patriarchæ Sedes incendio vastata fuerat; quod movit Johannem Ravennatem a sancto Pontifice postulare, ut illuc eleemosynas mittere curaret; cui respondit, Severum abunde habere, unde munera in aulicos profunderet, & in suas eos partes contra Sedem apostolicam pertraheret. Misericordiam quidem Ecclesiæ hostibus denegandam non esse, sed prius fidelibus exhibendam. In proximo vero esse civitatem, cujus multi cives in captivitatem abducti, ad quos redimendos mittendum esse cum pecunia Claudium Abbatem.

Hanc Gradi conflagrationem contigisse credimus quando Agilulfus contra tres duces qui rebellaverant profectus est. Ex his Minulfus Dux Insulæ * S. Juliani qui ad Francos defecerat, eorumque partes aperte foverat, victus & interemtus est. * Gaidulfus Pergamensis seu Bergomensis deditione facta in gratiam est receptus, Ulfari autem Tarvisii dux urbe capta in vincula conjicitur.

Paul. Diac. lib. IV. c. 3. * Sive S. Julii. * Al. Gandulfus.

VI. Langobardi Romam premunt. Lib. 11. ep. 46

Hoc anno Ariulfus secundus post Faroaldum dux Beneventanus, agrum Romanum invasit, & e Romana plebe plurimos, *aut occidit aut detruncavit*, inquit Gregorius, qui præ mœstitia in *cholicam molestiam* incidit; choleram forsitan seu bilem, qua intestina laborarent & stomachus, hic significat. Tristitiam augebat Romanus Exarchus, qui etsi bello impar esset, paci nihilominus toto nisu repugnabat, lucrum ex publicis calamitatibus aucupans. Omni fere præsidio vacua erat Roma, & qui ad murorum custodiam relicti fuerant [a] Theodosiani, cum stipendia non acciperent, vix ad excubias aliaque militaria officia poterant cogi. Reliquas copias eduxerat Exarchus, quibus aucto exercitu, receperat subito velut impetu Sutrium, Polimartum, Hortam, Tudertum, Ameriam, Perusium. Hinc queritur Gregorius ad Mauricium scribens, Romam, ut Perusium teneretur, fuisse relictam: maxime vero pacem quam ipse impetraverat a Langobardis Etruriam obtinentibus, temere violatam deflet amare pius ille pacis Angelus. Ita eum tanta spes affulsisset pacandæ totius Italiæ; cum Ariulfus ipse jam in partes Romanorum inclinaret, neque a pace abhorreret Agilulfus Rex, a Theodelinda, quæ Gregorii observantissima erat, mitigatus; atrocius bellum, ob Romani Exarchi perfidiam recruduit. Rex etenim illatam suæ genti mala fide injuriam ulturus, Perusium obsedit expugnavitque, capto Maurisione Langobardorum duce qui ad Romanos defecerat.

Paul. Diac. lib. IV c. 8. Lib. V ep. 40.

Legenda est ex integro jam laudata Epistola, ut exploretur quanta calamitosis illis temporibus esset Papæ cura, ut periclitantibus civitatibus subveniretur, ut bello capti data ex Ecclesiæ ærario pecunia redimerentur, maxime vero ut pax in tam deploratis rebus omnino necessaria æquis conditionibus compararetur. Ex aliis Epistolis hoc anno scriptis liquet in rebus bellicis quam sollicitus, quam peritus foret.

Lib. 11. ep. 46 Ep. 3 ep. 30. 31.

VII. S. Gregorius Ezechielem Prophetam exponit.

In ea de qua locuti sumus Agilulfi expeditione, Langobardi non solum agrum Romanum Perusio vicinum deprecationibus, incendiis, cædibus fœdarunt, sed ad ipsius Urbis muros castrametati sunt. Tunc S. Doctor Ezechielem Prophetam christianæ plebi exponebat eadem animi tranquillitate, ac si nihil ab hoste fuisset metuendum. Neque postquam accepit Regem Padum jam transisse & ad Urbis obsidionem festinare, cœptum opus intermisit, quod merito Bernardus admiratur. Sed ab ejus verbis referendis abstineo, quæ in Præfatione ad homilias in Ezechielem legere licet, uti cetera quæ ad istas homilias pertinent. Hoste tamen Urbi jamjam imminente, finem concionandi facere coactus est, ut ipse ait. Partem hanc homiliæ ultimæ attexo, quod in ea miserabilis Romæ status quasi ob oculos positus conspiciatur: *Ecce hæc, ut Deo largiente potuimus, coram vobis, Fratres carissimi, rimati sumus. Nemo autem me reprehendat, si post hanc locutionem cessavero: quia sicut omnes cernitis, nostræ tribulationes excreverunt: undique gladiis circumfusi sumus, undique imminens mortis periculum timemus. Alii detruncatis ad nos manibus redeunt, alii capti, alii interemti nuntiantur. Jam cogor linguam ab expositione retinere: quia tædet animam meam vitæ meæ.* Alibi testatur visos a se Romanos *more canum in collis funibus ligatos, qui ad Franciam ducebantur venales*. O duram illorum quondam Orbis dominorum sortem!

Lib. 1. de consid. c. 9. Luctuosus Romæ status. Lib. V ep. 40.

Hæc Agilulfi expeditio, inter res anno 595. gestas referri solet; sed ad annum 592. potius pertinere, hæc mihi persuadent. Agilulfus Romam tentavit, quando ad Perusii expugnationem est profectus, ut colligitur ex Paulo Diacono: *Statim Ticino egressus Rex, Perusium petiit . . . . hujus Regis adventu in tantum beatus Gregorius Papa exterritus est, ut ab expositione templi, de quo Ezechiel scripserat desisteret.* Id contigisse statim ac Rex accepit Perusium, cum aliis urbibus jam enumeratis, ab Exarcho fuisse occupatum, idem scriptor clare docet. At Romanum Exarchum Perusio potitum esse saltem anno secundo Pontificatus S. Gregorii, scribit ipse in Epistola hoc anno data, quæ cum alia jam sæpe laudata conferri debet.

Lib. IV c. 8. Lib. 11. ep. 46 Lib. V. ep. 40.

CA-

a Sic dicti milites legionis quæ nomine Theodosii unius ex Imperatoris filiis insigniebatur.

CAPUT VIII.

An. 591. & 592.

I. Roma fame laborat. II. Quid passus sit Gregorius ab adversariis. III. Pacem ab Langobardis impetrat. IV. A turpi lucro quam alienus foret. V. de Judicum rapinis conqueritur. VI. Archidiaconum ob superbiam deponit. VII. Sanctæ Sedis vices Maximiano tribuit. VIII. Varia ab eo constituta. IX. Legum amicitiæ fuit observantissimus. X. Pacem inter Maximianum Episcopum & Eusebium Abbatem conciliat. Prudentissima utrique dat monita. XI. Privilegium Ariminensi Monasterio concessum.

I. Roma fame laborat. *Ibid.* a *Lib. 1. ep. 72.*

EOdem anno ad belli incendium quo Romanus ager conflagravit, famis flagellum accessit, ob quam Gregorium Præfectum Urbis, Castorium magistrum militum, & summum Pontificem negligentiæ criminari ausi sunt apud Augustum eorum inimici & æmuli. Quamquam omnem curam adhibuisset noster Gregorius, [a] ut hanc penuriam depelleret: cum enim superiori anno paucæ ob sterilitatem collectæ essent segetes in Italia, opportuno tempore operam dedit ut a Petro Subdiacono magna frumenti copia compararetur in Sicilia, aut ab ecclesiasticorum prædiorum colonis, absque tamen vexatione suppeditaretur. Deindeque ut multæ, quibus deportaretur, naves onerariæ præsto essent, curaverat: sed hanc egestatis quam passa est Urbs assignat causam, quod videlicet frumenta diu Romæ servari non possunt incorrupta. Hoste autem imminente, obsessisque viis, integrum non erat novis subinde commeatibus Urbi subvenire.

II. Quid passus sit sanctus Gregorius ab adversariis. *Lib. 2. ep. 42.*

Incredibilis tunc enituit Gregorii constantia, tum in perferendis æquo animo calumniis, tum in asserenda illustrium virorum sibi amicitia conjunctorum adversus obtrectatores innocentia. Obscurum non erat Romanum Exarchum rerum infeliciter gestarum invidiam ut a se deprecaretur, in Præfectum Urbis ipsumque summum Pontificem rejecisse. De eo sic loquitur S. Gregorius in Epistola ad Sebastianum Sirmiensem Episcopum: *Quæ, frater sanctissime, de amici vestri domni Romani persona in hac terra patimur, loqui minime valemus. Breviter tamen dico, quia ejus in nos malitia gladios Langobardorum vicit; itaut benigniores videantur hostes, qui nos interimunt, quam Reipublicæ Judices, qui nos malitia sua, rapinis atque fallaciis in cogitatione consumunt. Et uno tempore curam Episcoporum, atque Clericorum, Monasteriorum quoque, & populi gerere, contra hostium insidias sollicitum vigilare, contra ducum fallacias atque malitias suspectum semper existere, cujus laboris, cujus doloris sit, vestra Fraternitas tanto verius penset, quanto me qui hæc patior, purius amat.*

III. Pacem ab Langobardis impetrat. *Lib. 2. ep. 21.*

Paulo póst admota mœniis Urbis castra recessit Agilulfus. Pacem tunc factam, suadente Theodelinda, narrat Paulus Diaconus. Ad ejus consilia Gregorii preces accesserunt & munera, quibus populi Romani libertatem vitamque redimere solebat, ut ipse describit, rerum statum Constantiæ Augustæ exponens: *Viginti autem jam & septem annos ducimus, quod in hac urbe inter Langobardorum gladios vivimus. Quibus quam multa hac ab Ecclesia quotidianis diebus erogantur, ut inter eos vivere possimus, suggerenda non sunt. Sed breviter indico, quia sicut in Ravennæ partibus Dominorum pietas apud primum exercitum Italiæ sacellarium habet, qui causis supervenientibus quotidianas expensas faciat, ita & in hac urbe in causis talibus eorum sacellarius ego sum. Et tamen hæc Ecclesia, quæ uno eodemque tempore Clericis, monasteriis, pauperibus, populo, atque insuper Langobardis tam multa indesinenter expendit, ecce adhuc ex omnium Ecclesiarum premitur afflictione.*

IV. A turpi lucro quam alienus foret.

Ecclesiæ Romanæ facultates (dum ejus patrimonia & prædia ubique prædæ paterent) tot necessitatibus, Gregorio eas dispensante, suffecisse, miraculo videtur proximum, præsertim cum nihil antiquius haberet, quam illata colonis & rusticis a patrimoniorum Ecclesiæ rectoribus & œconomis damna resarcire, ut supra observavimus, atque in posterum cavere. Quantum ab injustis exactionibus abhorreret, indicant verba hæc Ep. 44. lib. 1. *Nos sacculum Ecclesiæ ex lucris turpibus nolumus inquinari*. Quin etiam in Concilio Romano non solum rectores patrimoniorum Ecclesiæ ultra quam par esset illis amplificandis studentes, & alienos fines appositis titulis invadentes, anathematis pœna multandos censuit; sed ipsos etiam Pontifices, si id fieri, aut præciperent, aut non prohiberent.

Olim. ep. 44. lib. 10. nunc ad calcem Epp.

V. De Judicum rapinis conqueritur. *Lib. 4. ep. 41.*

Verum ejus æquitas, integritas, & animi magnitudo nullibi clarius elucent, quam in Epistola ad Constantinam Augustam, ea occasione scripta. Cum Gentilium non paucos adhuc in Sardinia superstites esse cognovisset, ac insulæ Sacerdotes præ torpore de eorum conversione parum esse sollicitos; illuc quemdam Episcopum ex Italia mittere curaverat, cujus prædicatione plurimi ad fidem accesserant, accepto baptismate, idolisque sacrificare desierant. At quia Prætori seu Judici prius nescio quid pretii persolvere soliti erant, ut immolandi copiam consequerentur, Judex hoc turpi lucro carere nolens, etiam a baptizatis, nec amplius alii quam vero Deo servientibus, idem tributum exigebat. Qua de re correptus ab Episcopo, responderat sibi ipsi tantum pecuniæ imperari, ut nisi injusta hæc exigendo, id persolvere non posset. Tam immensis etiam in Corsica insula exactionibus opprimebantur incolæ, ut eis facere satis, etiam venditis liberis, vix possent: nec minoribus depopulationibus vexabatur Sicilia. Quorum scelerum & latrociniorum Gregorius certiorem fecit Augustam, ut de his, explorato commodo tempore, Mauricium commonere curaret. Occupat autem hac in Epistola, quod respondere poterat Imperator: Nimirum *quia in Italiæ expensis transmittebatur quidquid de prædictis insulis aggregabatur*. Ad quod sanctissimus Papa: *Sed ego*, inquit, *suggero ad hoc, ut etsi minus expensæ in Italia tribuantur, a suo tamen imperio oppressorum lacrymas compescat. Nam & idcirco fortasse tan-*

ta

[a] Ea de re statim post suam ordinationem Justinum Siciliæ Prætorem commonefecerat. Vide lib. 1. ep. 2.

te expensæ in hac terra minus ad utilitatem proficiunt, quia cum gravati aliquid admittimus colliguntur. Prospiciant ergo serenissimi Domini, ut cum pactum colligi. Et fine, quia etsi parum Respublica attribuitur utilitatibus, ex eo multum Respublica adjuvatur. Quem etsi fortasse contingat expensis minoribus subtus adjuvari; melius est tamen temporaliter eos non vivere, quam eos ad æternam vitam obstaculum aliquid invenire. Quæ enim mentes, qualia viscera parentum esse possunt, perpendite; quando filios suos distrahimus ne torqueantur. Nunc ad res ecclesiasticas convertamur.

VI. Archidiaconum ob superbiam deponit. Vide ad calcem Ep. Decret. lib. 11. prænotabatur. Cit. ad decretum.

Ineunte hoc anno secundo Gregoriani Pontificatus, Laurentius Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus (is forte qui in locum ipsius Romam revertentis Constantinopoli suffectus fuerat a Pelagio Papa) ob superbiam & alia depositus est. Ejus locum accepit Honoratus in Synodo Presbyterorum Diaconorumque omnium, & universi cleri: ut palam faceret summus Pontifex, quantum sibi cordi esset indignos a sacro ministerio removere: sapientissime scilicet intelligens Rempublicam etiam Ecclesiasticam, *uti præmio, ita pœna contineri*.

VII. Sanctæ Sedis vices Maximiano tribuit. Lib. 11. Ep. 6. Ibid Ep. 29.

Eodem anno Sedis Apostolicæ vices, per cunctas Siciliæ Ecclesias commisit sancto Maximiano Syracusano Episcopo, de quo jam egimus: quam dignitatem non loco tribuit, sed personæ: ex transacta vita probe intelligens, *quid de subsequenti ejus conversatione præsumere liceret*. Majores tamen causas difficilioresque dirimendas ad se deferri voluit. Ex Epistola ad eumdem paulo post scripta liquet quam curiose investigaret, quinam Episcopatu fungi (ubicumque laterent) digni viderentur; ut eos ad Pastoralem curam provehi satageret.

VIII. Varia ab eo constituta. Lib. 11. Ep. 46. Ibid Ep. 30.

Inter cætera observatione digna quæ hoc anno constituit, non obiter prætereundum hoc adversus iteratas ordinationes decretum: *Sicut baptizatus semel iterum baptizari non debet: ita qui consecratus est semel, in eodem iterum ordine non valet consecrari. Sed si quis forsitan cum levi culpa ad sacerdotium venit, pro culpa pœnitentia indici debet, & tamen ordo servari.*

Ibid. Ep. 40.

Attente quoque legenda sunt verba hæc sancti Pontificis: *Absit hoc a me, ut statuta majorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam: quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo.* Quibus ostendit quam religiosus cultor foret instituta a Christo episcopalis potestatis, etiam in subjectis Episcopis. Idem testatur ad Dominicum Episcopum rescribens: *De Ecclesiasticis privilegiis quod vestra Fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat: quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus. Nec cuilibet, favente gratia, ultra quam meretur impertior, nec ulli hoc quod sui juris est, ambitu stimulante derogo, sed fratres meos per omnia honorare cupio.*

IX. Legum amicitiæ late ab sectatur. ...

Epistolam Domitiani de suscepto Pontificatu congratulatoriam detulerant ad Gregorium honoris causa duo Episcopi, quibus duo comites dati, Diaconus unus & alter notarius. Cum honoris vices reddere non posset (hoc enim a suprema ejus dignitate fuisset alienum) amorem certe amori rependit, etiam cum fœnore: non minus videlicet sollicitus amicitiæ quam Episcopatus jura servare. Id pro certo habebit, qui hanc ad Domitianum Epistolam legerit. Quanta enim caritatis fragrantia his in verbis: *Hanc matrem custodemque virtutum (dilectionem) sanctissime Frater, inconcussa stabilitate teneamus. Nulla in nobis eam subdolorum linguæ imminuant: nullæ antiqui hostis insidiæ corrumpant. Hæc namque divisa jungit, & conjuncta custodit. Hæc humilia sine tumore subrigit. Hæc erecta sine dejectione submittit. Per hanc universalis Ecclesiæ unitas, quæ est compago corporis Christi, exæquatione mentis gaudet in singulis, cum sit ei dispar actus in diversitate membrorum. Per hanc eadem membra & alieno gaudio in suis affectibus exiliunt, & alienis mœroribus etiam in suis lætis condolescunt. Teste enim Magistro gentium, dum si quid patitur unum membrum, compatiuntur cætera membra: & si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra: ... de vestra pace gaudere.* Et post multa: *Per caritatis compagem & tua sunt quæ de me loquor, et mea quæ te agere concupisco.*

X. Pacem conciliat inter Maximianum Episcopum, & Eusebium Abbatem. Prudentissime utrique dat monita. Lib. 11. Ep. 32.

Ut de rebus monasticis ad secundum Pontificatus Gregoriani annum pertinentibus pauca delibemus, nihil notatu magis dignum nobis occurrit, quam Papæ sollicitudo ad componendum dissidium inter Maximianum Episcopum Syracusanum, & Eusebium Abbatem. Quantæ sanctitatis foret Maximianus jam non semel a nobis dictum. Sanctæ Sedis vices ipsi commissas a Gregorio, ineunte hoc anno supra commemoravimus. Virum tamen sanctum, & in intimis fore primum, redarguendum censuit S. Pontifex ob inflictam leviori ex causa & ex animi commotione, Eusebio Abbati excommunicationem. Ea de re monendum eum putavit a Petro Subdiacono in Sicilia pro negotiis Romanæ Sedis agente, ad quem ita scribit: *Ægre tulit quod (Maximianus) domnum Eusebium excommunicavit, ... senis ætatis, et tantæ ægritudinis. Unde necesse est ut eidem domno Episcopo secrete dicas: quatenus in proferendis sententiis præceps non sit; quia causæ quæ per sententiam decidendæ sunt, necesse est ut prius studiosa et frequentissima consideratione mensurentur.* Nota domini titulum ab ipso Papa honoris causa semel concessum Abbati. Nec satis fuit Gregorio Maximianum alloqui per Petrum, sed literis eum admonuit

Ibid. Ep. 34.

ut lenire & consolari Eusebium *tanto furore* exasperatum studeret. Hac in Epistola ad Maximiani mentem revocat, quoties eum admonuerit, ut in proferenda sententia præceps non esset. Miratur eum ita furore exarsisse in Abbatem, cujus antiqua conversatio, ætas longa, & ægritudo diuturna, Episcopi animum ab ira deflectere debuissent. *Quilibet enim in eo fuerit excessus*, inquit, *ipsa ægritudinis afflictio ei debuit pro flagello sufficere ... sed fortasse ideo excedere in tali persona permissus es, ut cautior in ... ibus sis.* Utinam hæc sanctissimi Doctoris monita ob oculos haberent semper in suis erga subditos judiciis Antistites & Rectores. Obtemperavit Maximianus, & Eusebio communionem ac gratiam reddere voluit; sed accipere detrectabat Abbas. Unde illum ad officium revocare studuit S. Gregorius hac Epistola: *Credat mihi Caritas tua, quia valde contristatus sum de tristitia tua, ac si in me injuriam ipse pertulissem. Sed cum postmodum agnovi, quia etiam reluctante reverendissimo viro fratre et coepiscopo nostro Maximiano gratiam atque communionem, tua Dilectio ab eo communicare nolebat, cognovi et illud prius justum fuisse quod factum est. Servorum Dei humilitas in afflictionis tempore debet apparere. Qui vero se contra Præpositos suos erigunt, profecto ostenditur, quia servi Dei esse contemnunt. Et quidem*

ab alio hoc quod factum est, minime ferre debuit, a te tamen cum omni debuit humilitate suscipi: & rursum cum gratiam reddebat, tu etiam cum gratiarum actione debuit occurri. Quod quia ita a te factum non est, ad hoc cognosco quia nobis omnino lacrymarum opus est. Non enim grande est iis nos esse humiles, a quibus honoramur, quia & hoc seculares quidam faciunt: sed illis maxime humiles esse debemus, a quibus aliqua patimur. Nam Psalmista dicit: Vide humilitatem meam de inimicis meis. Nos cujus vitæ sumus, qui humiles esse etiam patribus nolumus? Proinde, dilectissime Fili, rogo ut omnis amaritudo de corde tuo transeat, ne fortasse sinis vicinus sit, & antiquus hostis per iniquitatem discordiæ viam regni cælestis intercludat. Integram fere hanc Epistolam plene auream hic recudendam existimavimus, ex qua discant omnes humilitatem, & erga majores etiam iniquius agentes reverentiam. At vero ne Eulogius libera hac increpatione forsitan exacerbaretur, ad eum demulcendum, centum ei solidos a Petro Subdiacono ad ejus monasterii necessaria erogandos curavit: quod summam viri probat simul & liberalitatem & prudentiam.

XI. Privilegium Ariminensi monasterio concessum. Lib. II. Ep. [illegible] Lib. III. Ep. [illegible] Alio modo composuit rixas inter Episcopum Ariminensem, & Monachos monasterii SS. Andreæ & Thomæ apud Ariminum, quibus amplum concessit privilegium, ut his verbis Castorio Ariminensi Episcopo significavit: *Fraternitatem tuam hortamur, ut obeunte Abbate monasterii ipsius, Ecclesia tua in describendis, providendisque acquisitis acquirendisque ejusdem monasterii rebus, nulla se occasione permisceat. Abbatem vero eidem monasterio non alium, sed quem dignum moribus atque aptum monasticæ disciplinæ communi consensu congregatio tota poposcerit, te volumus ordinare.* De aliis privilegiis in gratiam Monachorum datis infra loquemur.

C A P U T IX.

I. Duos Metropolitanos castigat S. Gregorius, causa Thebani Episcopi. II. Episcopum percussorem excommunicat. III. De Isauriæ Monachis a Johanne CP. male habitis. Epistola S. Gregorii ad Johannem ea de causa scripta. IV. Monachos post oblatam fidei confessionem absolvit. De Johanne Presbytero ab hæresi quoque absoluto. V. Johannes CP. hæresim objiciens, in errorem incaute labitur. VI. Johannis Ravennatis fastum comprimit S. Gregorius. VII. De Domitiano Melitinæ Episcopo, Qui prædicat Persis irrito conatu. Eum consolatur S. Pontifex.

I. Duos Metropolitanos castigat S. Gregorius causa Thebani Episcopi. Lib. III. Ep. 6. & 7. QUanta Gregorius caritate complectebatur optimos Episcopos, tanta severitate coercebat eos qui sua potestate non ad ædificationem, sed contemtis ecclesiasticis regulis, ad destructionem utebantur: quod in ipso tertii anni sui Pontificatus exordio contra Johannem primæ Justinianæ, & alterum Johannem Larissæ Archiepiscopum demonstravit.

Hadrianus Thebarum Episcopus, cum duos Diaconos exauctorasset; unum, quod violatæ castitatis esset reus, alterum propter fraudem in rerum ecclesiasticarum administratione factam, ab utroque fuerat apud Mauricium Augustum provocatus, tam de pecuniariis quam de criminalibus causis. Imperator servato canonum ordine, constituit ut a Johanne Larissæ Archiepiscopo Thebarum Metropolitano pecuniaria controversia dirimeretur; de criminibus autem objectis, ad se referretur quidquid habita inquisitione cognitum & exploratum fuisset. Hæc Hadriano impacta legimus, quod Stephanum turpissimæ vitæ Diaconum, loco non movisset, & quod infantes baptizari prohibuisset postea sine baptismate mortuos.

Larissæus Archiepiscopus, insuper habita imperiali jussione, de utroque controversiæ capite judicium tulit, & Hadrianum condemnavit; provocantemque ad Augustum nihilominus in arctissimam custodiam detrusit. Suscepta ejus appellatione Mauricius, quæ gesta erant expendi voluit ab Honorato Diacono sanctæ Sedis Apocrisiario, & ab Sebastiano [a] Antigrapho, quibus auditis eum absolvit. At nescio quibus machinationibus impetratum est postea, ut de hoc negotio Johannes primæ Justinianæ Episcopus Apostolicæ Sedis Vicarius cognosceret ac judicaret: *Qui divino humanoque jure contemto, abruptam in condemnatione Hadriani sententiam protulit.*

Gregorius his ad se relatis Hadrianum injuste depositum, in pristinam dignitatem restituit, eumque ac ejus Ecclesiam a jure Larissæi Episcopi (quod jam a Pelagio II. constitutum fuerat) eximi voluit. Johanni tamen ejusdem urbis Episcopo, pœnam excommunicationis ejus prævaricationum & præsumtioni debitam remisit; ea lege ut nisi abstineret in posterum ab omni jurisdictione in Ecclesiam Thebanam exercenda, ipso facto communione sacra careret: nec illam umquam, excepto mortis articulo, nisi prius judicio Romani Pontificis absolveretur, perciperet. Cum Johanne primæ Justinianæ severius actum; rescissis enim ejus sententiæ decretis, ipse triginta dierum spatio sacræ communionis expers, jussus est pœnitentiam agere.

Hadriani accusatores cum eo in gratiam rediisse docet Epistola 39. lib. III. ad Episcopos Corinthios: vix enim dubitare licet utrum idem sit Hadrianus Episcopus de quo hæc agit Epistola. Sic illatam Episcopo, totique simul ordini episcopali ultus est injuriam S. Gregorius; & qui Episcopos omnes (ipso quidem Romano Pontifice non excepto) *secundum rationem humilitatis æquales esse* putavit, cum culpa nulla in eos animadvertere cogeret; supremam quam obtinebat potestatem, in delinquentes exercere sollicitus fuit, ad quantumlibet gradum in Episcopatu provectus esset, & in quovis orbis christiani loco sederet.

Lib. IX. Ep. 24.

II. Ejus quoque magnanimitas hoc anno exarsit in Andream Tarentinum Episcopum. Illum concubinam

[a] De hac voce consule notas ad Epist. 28. Lib. 2.

binam habuisse compertum erat; & post susceptum sacrum ordinem eam adhuc retinuisse, quibusdam nata fuerat suspicio. Præterea pastoralis mansuetudinis immemor, mulierem quamdam fustibus crudeliter cædi jusserat, quæ migraverat e vita post octo menses; quam ob sævitiam statuit Gregorius eum per duos menses in pœnitentia transigendos a Missarum celebratione *suspensum* feriari debere. Quia vero non ita certum erat, ipsum carnali se flagitio maculasse, cumin rebus dubiis *absolutum judicium* ferre non liceat, eumdem suæ conscientiæ dimittendum ut ab ea judicaretur, censuit: simulque admonuit, ut si tanti flagitii sibi conscius foret, sacerdotii honore abdicato, numquam ad sacrum opus accedere præsumeret. Ut hujusmodi suspicionibus, quibus etiam optimorum Episcoporum fama potest laborare, tolleretur occasio, olim *præceptum fuit*, Ennodio teste, ut omnes Episcopi *cellularios* haberent, occasione fortasse calumniarum quibus vexatus nuper fuerat Symmachus Papa, ut jam diximus in notis ad decreta S. Gregorii col. 1289. nota *g*.

Episcopum percussorem excommunicat. Lib. 113. Ep. 45.

Opusc. 7.

In coercenda etiam Johannis Patriarchæ Constantinopolitani sævitia et immanitate, paterna Gregorii pietas eodem fere tempore laboravit; quod satis probat nullum Episcopum esse, ut alibi docet, qui Sedis Apostolicæ potestati et castigationi, si culpa exigat, non subjiciatur. Ex Isauriæ Monachis unus dignitate sacerdotii insignis, in Ecclesia CP. fustibus cæsus fuerat. Tanti facinoris reus ferebatur juvenis quidam Johannis familiaris, multorum scelerum infamia satis notus; qui, ut ait Gregorius, adhuc de Deo nihil didicerat, qui viscera caritatis nesciebat. Qui insidiari quotidie diversorum mortibus per occulta testamenta dicebatur; nec Deum metuens, nec homines erubescens.

III. De Isauriæ Monachis a olim. CP. male habitis. Lib. 111. Ep. 59. Lib. 111. Ep. 53.

Hanc vim et ignominiam Athanasio illatam (hoc fuisse nomen creditur Presbyteri hujus et Monachi) cum Gregorius accepisset, semel & iterum ad Johannem scripsit, ut criminis perpetrati veritatem exploraret. At ille dissimulans respondit, se qua de re interrogaretur penitus ignorare; sicque violatæ in Monacho & Sacerdote religionis invidiam deprecari volens, culpam augebat: etenim vel ipsam cumulabat mendacio, vel se veterni & socordiæ arguebat. Nimirum, ut objicit Gregorius, *quid deterius esse potest, quam ut agantur talia contra servos Dei, & ipse nesciat qui præsto est? Quæ vero potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & Pastor nescit?* Hæc præfatus Papa, Johannem ad saniora consilia revocat, & ad canones observandos hortatur, qui Episcopos Pastores esse volunt, non percussores. *Nova enim & inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem*, inquit: *si autem canones non custoditis, & majorum vultis statuta convellere, non cognosco qui estis.* Ad extremum suadet ut emendato juvene totius mali artifice, rejectisque ejus consiliis, Monachos a se male habitos in suis ordinibus suscipiat, eisque pacem præbeat. Sabiniano quoque suo apud Mauricium Legato præcepit ut de eodem negotio Patriarcham sui officii admoneret. Illum statim non obtemperasse satis indicat alia Epistola ad Narsem Patricium: *De causa*, inquit, *Presbyterorum, quæ cum fratre meo & coepiscopo, viro reverendissimo Johanne Patriarcha agitur, ipsum, puto, adversarium patimur, quem asseris velle canones custodire. Caritati autem tuæ breviter fateor quia omni virtute & omni pondere eamdem causam, auxiliante omnipotente Deo, exigere paratus sum. In qua si videro Sedi Apostolicæ canones non servari, dabit omnipotens Deus quid contra contemtores ejus faciam.* Athanasium ejusque socios de Manichæorum hæresi infamatos esse docet Epistola 14. libri sexti.

Epistolæ S. Gregorii ad Johannem hac de causa.

Lib. 1v. Ep. 52.

Quid postea factum sit disce ex eadem Epistola & ex 66. ejusdem libri, quam integram hic exhibemus, ut quæ esset Gregorii prudentia in tractandis hujusmodi negotiis ostendamus: *Gregorius Athanasio Presbytero de Isauria: Sicut de eis quos ab unitate Ecclesiæ hæreticæ pravitatis error abscidit, affligimur & dolemus: ita his quos intra sinum suum catholicæ fidei professio continet, congaudemus. Et ut pastorali sollicitudine illorum nos oportet impietatibus obviare: si piis horum professionibus congruit favorem impendere, & sincera esse quæ sapiunt declarare. Atque ideo, dum tibi Athanasio Presbytero monasterii sancti Mile, cui est vocabulum Tamnaco, quod in Lycaonia est provincia constitutum, contraria integræ fidei fuisset orta suspicio; ut professionis tuæ potuisset integritas apparere, ad Apostolicam Sedem cui præsidemus, elegisti recurrere, asserens etiam te corporaliter verberatum aliqua injuste ac violenter fecisse. Et quamquam ea quæ vi impulsionis fiunt, canonum minime censura recipiat, & jure habeantur infirma; quia ipse ea dissolvit qui injustum fateri fierique compellit: sed magis illa suscipienda est & amplectenda confessio, quæ ex spontanea voluntate monstratur procedere, sicut apud nos fecisse dignosceris. Ne quid tamen nobis ambiguum potuisset existere, sanctissimo Johanni quondam fratri & coepiscopo nostro, Constantinopolitanæ civitatis Antistiti, de te prævidimus scribendum,* * *ut suis nos quid actum esset Epistolis informaret. Qui sæpe a nobis admonitus, rescribens* * *innotuit, codicem apud te fuisse inventam in quo plurima continebantur hæretica: & ob hoc se adversus Dilectionem tuam fuisse commotum. Quem quia ad nos studuit pro satisfactione transmittere, priores ejus partes sollicita lectione percurrimus. Et quoniam manifesta in eo hæreticæ pravitatis venena reperimus, ne denuo debuisses legi, vetuimus. Sed quia hunc te simpliciter testatus es legisse, & ad amputandam ambiguæ suspicionis materiam libellum nobis manu tua porrexisti perscriptum, in quo fidem tuam exponens, omnes generaliter hæreses, vel quidquid adversus catholicæ fidei vel professionis integritatem est, apertissime condemnasti: & cuncta quæ sanctæ quatuor universales Synodi recipiunt, te semper recepisse ac recipere, & quæ condemnant, condemnasse, condemnareque professus es; eam quoque Synodum quæ Justiniani Imperatoris temporibus de tribus capitulis facta est, & suscipere & custodire promisisti, & prohibitus a nobis codicem ipsum legere, in quo pestiferæ fraudis virus innexum est, libentissime consensisti: reprobans etiam atque condemnans ea omnia quæ contra catholicæ fidei integritatem in eo dicta vel latenter inserta sunt, nec eum te legere denuo promisisti. Hac ratione permoti, postquam etiam ex probati a te libelli pagina, fides tua nobis catholica Deo custodiente perclaruit, ab omni te hæreticæ perversitatis macula juxta professionem tuam liberum esse decernimus atque catholicum, & sinceræ fidei in omnibus professorem atque sequacem, Christi Jesu Salvatoris gratia claruisse pronuntiamus: liberam quoque tribuimus licentiam ad tuum monasterium in tuo te loco vel ordine nihilominus remeare. De hoc quoque & dilectissimo fratri nostro Constantinopolitanæ civitatis Antistiti, qui in supradicti sancti Johannis loco ordinatus est, nostra volumus scripta transmittere. Sed quia consuetudo non est, ut prius quam ad nos ejus*

IV. Monachus ... hæresi ... absolvit.

* Ibid. x1. Ep. 59. * Ibid. x111. Ep. 18.

Synodica deferatur, debeamus scribere: idcirco distulimus. Sed postquam ea nobis delata fuerit, ei hæc, dum opportunum fuerit, indicabimus.

De Johanne Presbytero ab hæresi quoque absoluto. Lib. VI. Ep. 16. & 17. Ibid Ep. 25.

Huic negotio affinis est causa Johannis Presbyteri Chalcedonensis, quem eodem tempore ab ignaris accusatum de hæresi Marcianistarum, vel potius Marcionitarum, Judices ab eodem Johanne CP. deputati injuste damnaverunt. At Papa facto Concilio eumdem absolvit, maxime quia libellus ab ipso oblatus *fidei sinceritati per omnia concordaret*. De hac sententia Johannem Presbyterum ab hæresis crimine liberum pronuntiante scripsit Gregorius ad Mauricium Augustum & ad Theoctistam. Synodalis quoque judicii hujus certiorem fecit ipsum Johannem CP. Patriarcham. In ea quam ad ipsum scripsit Epistola S. Doctor aperte damnat eos qui falso abrepti zelo, hæreses etiam invitis, & orthodoxam fidem profitentibus obtrudunt. Notanda sunt præ ceteris verba hæc: *Sicut hæreticorum pravitas zelo rectæ fidei comprimenda, ita veræ confessionis est integritas amplectenda. Nam si credi fideliter confitenti despicitur, cunctorum in dubium fides adducitur, atque errores mortiferi ex inc uta districtione generantur. Et hinc non solum errantes oves ad caulas minime Dominicas revocantur: sed etiam intropositæ ferinis dentibus laniandæ crudeliter exponuntur. Hoc ergo, Frater carissime, subtiliter perpendamus, et sub prætextu hæresis affligi quempiam veraciter profitentem fidem catholicam non sinamus: ne, quod absit, hæresim fieri sub emendationis magis specie permittamus.*

V.

Johan. hæresim objiciens in errorem incaute labitur. Lib. VII. Ep. 34.

Quod autem illis obtrectatoribus contingere solet, ut hæresim objicientes, in oppositum ferantur errorem, hoc Johanni CP. evenisse testatur S. Gregorius his verbis: *Ante triennium, cogente causa Monachorum Isauriæ, qui hæretici accusabantur, satisfaciens mihi quondam frater et consacerdos meus domnus Johannes litteras misit, quibus nitebatur ostendere eos Ephesinæ Synodi definitionibus contradixisse, et velut ex eadem Synodo certa nobis quibus ipsi obsisterent, capitula destinavit. Inter alia autem scriptum illic continebatur, de Adæ anima, quia in peccato mortua non fuerit, eo quod diabolus in cor hominis non ingrediatur; et si quis hoc dixisset, anathema esset. Quæ cum mihi relecta fuissent, valde contristatus sum.* Hunc Johannis errorem hæresis Pelagianæ surculum Pelagianorumque in pseudo-Ephesina Synodo fetum refellit doctissimus Papa, tum in laudata Epistola, tum lib. IX. Ep. 49. ubi capitula sub nomine Synodi Ephesinæ ad se ex regia urbe transmissa, asserit esse ipsamet Pelagii & Cælestii prava dogmata. De Monachis Isauriæ consulenda historia monastica Orientis lib. IV. c. 17. p. 753. ubi eos potius in Lycaonia vixisse dicitur, quam in Isauria. Certe lib. IV. Dialogorum c. 38. Gregorius meminit cujusdam Athanasii Presbyteri, & ut conjicere licet, Monachi *Lycaoniæ*, si fides sit plurimis mss. hoc loco in nota designatis. At Isauria & Lycaonia vicinæ erant provinciæ; unde non mirum unam pro alia usurpatam fuisse.

Extat libro V. Ep. 37. ad Heliam Presbyterum & Abbatem in Isauria, cujus discipulum Epiphanium nomine, S. Gregorius Diaconum Ecclesiæ Rom. ordinavit. Petierat Helias 50. solidos ad monasterii sui necessaria; sed misit 72. beneficentissimus pater. Utrum in illo monasterio degerent illi Monachi de hæresis crimine insimulati, prorsus incertum est. Ex commemoratis intelligere licet Johannem CP. non satis a Pelagiana hæresi cavisse (quod de Græcis quamplurimis etiam constat) & in historia scientiaque Ecclesiastica parum exercitatum, quippe qui supposititia & hæretica, pro genuinis Ephesinæ Synodi actis imperite laudabat. Non semel cum hoc regiæ urbis Patriarcha luctandum Gregorio fuit, ut suo dicetur loco.

VI.

Johannis Raven. fastum comprimit S. Greg. Lib. III. Ep. 56. Quis Palli usus.

Quandoquidem de Episcopis officii sui immemoribus a Gregorio correptis & emendatis loqui cœpimus, operæ pretium est de Johanne Ravennate Episcopo, propter fastum & insolentem Pallii usum hoc etiam anno reprehenso pauca subjicere. Hic Exarchorum Ravennæ commorantium auctoritate fretus, nonnulla sibi supra communem Metropolitanorum consuetudinem usurpanda existimavit. Cum enim ceteri Pallio extra Missarum [a] tempus non uterentur, ipse in litaniis solemnibus & supplicationibus publicis, ex pœnitentiæ disciplina institutis, novo cultu palliatus incedebat, qui in cinere potius & in cilicio tunc debuisset humilitatem profiteri. Hoc improbavit Gregorius modestiæ Sacerdotalis præcipuus assertor, cujus illud plane aureum dictum, nihil in Episcopi cervice splendidius fulgere, quam humilitatem.

b Ad Archiepiscopi sui exemplum superbientes Ravennatis Ecclesiæ Clerici, [b] mappulis uti (quod solus sibi vendicabat clerus Romanus) præsumserunt. De his Gregorius ad Johannem scribere quantocyus curavit per Castorium S. Ecclesiæ Rom. notarium. Johannes hæc privilegia sibi suæque Ecclesiæ a summis Pontificibus concessa respondit, & a Gregorio confirmari poposcit; quod etiam flagitarunt Romanus Exarchus, Præfectus, & alii urbis Ravennæ nobiles viri. Iis ergo morem gerens Pontifex annuit, ut Ravennæ Archiepiscopus, donec aliquid certius constaret de privilegiis ipsi concessis, Pallio uteretur in litaniis quatuor tantum dierum solemnium; scilicet S. Johannis Baptistæ, S. Petri Apostoli, S. Apollinaris hujus Ecclesiæ patroni, & in anniversaria suæ ordinationis commemoratione. Lib. V. Ep. 11.

Ibid. Ep. 15.

Non placuit Johanni judicium hoc, ut conjicere licet ex Epistola ad eumdem postea scripta, in qua queritur S. Gregorius de irrisoriis & mordacibus Johannis sermonibus. Ut autem omnem expostulandi occasionem tolleret, scripsit Archiepiscopo exploraturum se per Apocrisiarium suum Constantinopoli agentem, utrum nonnulli ex majoribus Metropolitis, *qui tricenos et quadragenos sub se Episcopos habebant*, in litaniis cum Pallio solerent ambulare; & si qui reperirentur, se libenter Episcopo Ravennati concessurum Pallii in litaniis gestandi privilegium. Sic exasperatum placare conatus est humilis Pontifex. Johannis tamen vitia nequaquam dissimulanda existimavit, sed ipsum sedulo de iis admonuit: præsertim quod amicis præsentibus blandiretur, obloqueretur absentibus; quod in ser-

vos

a Quinetiam in Eccl. Græca Episcopi quibus concessus est Pallii usus, illud non toto Missæ tempore gestant, sed usque ad recitationem Evangelii, ex Isidoro Pelus. lib. 1. Ep. 136. Idem testatur Simeon Thessalonic. lib. de templo & Missa.

b De his lege Cardin. Bona lib. 1. Rerum Liturg. c. 24. n. 5.

vos fureret ac turpia evomeret; quod disciplina ad vitam Clericorum custodiendam nulla esset, sed tantummodo se Clericis suis dominum exhiberet.

Quantum talibus Episcopis infensum se Gregorius exhibebat, tantum erga optimos Pastores, benignum se officiosumque prebebat; quod maxime erga Domitianum Melitinę in Armenia Episcopum & Metropolitanum comprobavit. Is Mauricii Imperatoris consanguineus erat, vir prudens, industrius, verbo & opere potentissimus, & ad res maximas gerendas efficacissimus, inquit Evagrius. Hinc ad plurima & gravissima negotia nunc adjutorem adhibere consueverat Augustus. Quinetiam ejus tutelæ commendarat liberos suos adhuc immaturos, dum anno imperii decimo quinto periculose ægrotaret, ut ait Simocatta, qui in Domitiani laudes latissime excurrit. Cum Cosroes Persarum Rex profugus, Mauricii ope regnum recuperasset, ac paulo post ad Gregorium Antiochenum Patriarcham crucem auream gemmis fulgentem misisset in templo S. Sergii offerendam, ejusdem Martyris basilicam plurimis donis ornasset (quod ejus ope regno se restitutum crederet, conjugemque suam dilectissimam & prolem consecutam esse & valetudinem) magna spes injecta fuerat fidei Christianæ apud Persas disseminandæ ac propagandæ. Hujus rei gratia Domitianus ad Regem perrexerat, quem jam sibi pluribus devinxerat beneficiis; hunc enim Episcopum Regi fugienti & extorri Mauricius obviam honoris causa miserat, ut eum quocumque vellet deduceret. Cosroem Christianum tunc factum fuisse narrant Johannes Biclariensis in chronico, & Paulus Diaconus lib. IV c. 17. [a] At vana specie religionis delusos fuisse Scriptores hos, ob Regis munificentiam erga Christianorum templa, eumque a gentilium cultu non recessisse manifestum est, tum ex Græcis Scriptoribus, qui gesta Mauricii prosecuti sunt, tum præsertim ex Gregorii Epistola consolatoria ad Domitianum hoc anno scripta: *Imperatorem vero Persarum*, inquit, *etsi non fuisse conversum doleo, vos tamen ei Christianam fidem prædicasse omnimodo exulto: quia etsi ille ad lucem venire non meruit, vestra tamen Sanctitas prædicationis suæ premium habebit. Nam & Æthiops in balneum niger intrat, et niger egreditur, sed tamen balneator nummos accipit.* Sic sanctissimi Episcopi sibique amicitia conjunctissimi labores irritos blande ac ingeniose consolatus est Gregorius, ad ejus Epistolam respondens, qua suam ad Persas profectionem prædicationis gratia fructu caruisse dolens Domitianus indicaverat.

VII. De Domitiano Melitinæ Episcopo. *Lib.* VI. c. 18.

De vita Mauric. lib. IV. c. 14. & *lib.* 8. c. 11. *Evagrius lib.* VI. c. 18. & *seq.*

Qui prædicat Persis irrito conatu. *Baron. ad an.* 591.

a

Lib. III. Ep. 67. Eum consolatur S. Greg.

a Ejusdem Regis conversionem refert Fredegarii chronicon c. 9. aitque ipsum cum sexaginta Persarum millibus esse baptizatum, & a Gregorio Antiocheno de lavacro susceptum.

CAPUT X.

I. De lege Mauricii milites in monasteriis recipi prohibente. Hanc improbat S. Gregorius. II. Utrum illam, antequam publicaretur, emendaverit. III. Qua occasione lex illa fuerit lata. Quibus rationibus niteretur. IV. Gregorius de disciplina monastica sollicitus. V. Num Abbatibus & Monachis egredi foras prohibitum. VI. Judæus falso Eliæ cultu Christianis illudit. De eo puniendo scribit Gregorius. VII. Dialogos elucubrat.

An. 592. & 593.

ANtequam ab Oriente recedamus agendum est de lege quadam eodem fere tempore ab Imperatore promulgata, quæ sanctissimum Pontificem ægritudine jam laborantem, gravissimo dolore affecit. Nimirum sanxerat Mauricius non solum ut quisquis publicis administrationibus fuisset implicatus, ad Ecclesiasticum officium pervenire non posset: sed etiam ut ei in monasterio converti non liceret: quod de iis quoque qui militiæ adscripti erant constituerat, quibus deinceps liberum non erat monasteria, pœnitentiæ causa, petere. [b] Curiales quidem & secularibus negotiis adstrictos, ab Ecclesiasticis dignitatibus excludi valde laudavit S. Gregorius, *evidentissime sciens*, inquit, *quia qui secularem habitum deserens ad Ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult seculum, non relinquere.* At iisdem non licere in monasteriis converti, minime probavit. Etsi enim æris alieni debitores forent, ac publicis rationibus implexi, poterat eorum debitis per monasterium satisfieri, inquit sanctus Pontifex. Quod uno eodemque argumento simul demonstrat & dotata fuisse tunc monasteria etiam amplis reditibus, & summam in ipsis viguisse caritatem. Maxime vero damnavit sanctissimus pater legem qua milites ab ingressu monasteriorum prohibebantur, nisi aut expleta militia, aut pro corporis debilitate missionem essent consecuti. Ipsum audiamus de hac lege cum Mauricio expostulantem: *Ad hæc, ecce per me servum ultimum suum et vestrum respondebit Christus, dicens: Ego te de* [c] *notario comitem excubitorum, de comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperatorem: nec solum hoc, sed etiam patrem imperatorum feci. Sacerdotes meos tuæ manui commisi, et tu a meo servitio milites tuos subtrahis? Responde rogo, piissime Domine, servo tuo, quid venienti et hæc dicenti responsurus es in judicio Domino tuo?* Cetera legantur eadem quæ summum decebat Pontificem libertate dicta, quam tamen his postea verbis temperavit humilitatem spirantibus: *Ego quidem jussioni subjectus, eamdem legem per diversas terrarum partes transmitti feci; et quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis Dominis nuntiavi. Utrobique ergo quæ debui exsolvi, qui et Imperatori obedientiam præbui, et pro Deo quod sensi minime tacui.*

I. De lege Mauricii milites in monast. recipi prohibente. Lib. III. Ep. 65. & 66.

b

Hanc improbat S. Greg.

c

Lib. III. Ep. 65.

Hanc Epistolam Gregorius misit ad Theodorum Imperatoris Archiatrum, seu medicorum principem, rogans ut eam captato tempore offerret Mauricio, apud quem gratia plurimum valebat, adhibitisque tum consiliis tum precibus ad hanc legem refingendam aut emolliendam Augustum impelleret.

II. Utrum illam emendarit, antequam publicaretur. *Ibid. Ep.* 66.

b Idem plurimis jam canonibus, & summorum Pontificum decretis statutum fuerat. Vide Epist. 2. Innocentii I. ad Victricium Rotom.

c Ex Cassiodoro lib. I. Var. Ep. 4. colligitur, Notariorum apud Imperatores magnam fuisse dignitatem & potestatem.

Utrum id Theodorus præstiterit ignoramus. Docere tamen videtur sanctus Pontifex Mauricium a lege sancita postea resiluisse. Scribens enim ad plurimos Metropolitas de militibus post triennii probationem ad monasticum habitum suscipiendis, subdit: *Qua de re etiam serenissimus et Christianissimus Imperator, mihi credite, omni modo placatur, et libenter eorum conversionem suscipit, quos in rationibus publicis implicatos non esse cognoscit.*

De concord. lib. 2. c. 11.

Censet etiam E. C. Baronius legem hanc Imperatoriam a Gregorio emendatam & temperatam prius fuisse, quam eam promulgari curaret, transmitteretque ad Metropolitas. Eadem est fera Illustrissimi viri D. de Marca sententia; additque S. Gregorium hanc legem emolliendo eadem auctoritate usum qua Præfecti prætorio, penes quos erat civiles leges ad se ab Imperatoribus directas ut publicarentur, aut tantisper immutare, aut ab earum publicatione abstinere, donec de iis emendandis ad Augustum scripsissent vel ipsum adiissent. Alii vero existimant hanc legem nulla mutatione facta fuisse missam a S. Gregorio qualem acceperat ab Imperatore; idque his Gregorii varbis significari contendunt, *eamdem legem per diversas terrarum partes transmitti feci, et quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce...... nuntiavi.* Ergo, inquiunt, lex qualis a Papa transmissa est nondum fuerat castigata & emendata, quandoquidem voluntati legiqua Dei post emendationem consentanea erat. Utramlibet sententiam eligat lector.

III.
Qua occasione lex hæc lata.

Ceterum legis hujus ferendæ occasionem Imperatori præbuerat frequens pœnitentiam tunc ambientium concursus ad monasteria, itaut plerique seculo & curiæ variis officiis ministeriisque alligati, intentatis tot iræ divinæ flagellis perterriti, rei tum publicæ tum privatæ nuntium remitterent, publicani telonia desererent; militares viri, sive ii gregarii & manipulares, sive centuriones aut tribuni aliique duces, militiæ insignia projicerent, ad conversionem festinantes.

Quibus rationibus niteretur.

Porro non deerant rationes quæ persuaderent milites nonnisi emeritos & dimissos, in monasteriis esse suscipiendos. Quippe can. 4. Concilii Chalced. cautum est, ne quis in monasteriis servus obtentu monasticæ professionis recipiatur, præter Domini sui conscientiam: transgredientes autem hanc definitionem excommunicantur. Et in Concilio Gangrensi can. 3. legimus: *Si quis servum prætextu divini cultus doceat Dominum contemnere proprium, ut discedat ab ejus obsequio.... anathema sit.* At milites toto militiæ tempore non secus ac servi, ad Reipublicæ obsequium adstringebantur; unde etiam in manu signati tunc erant tamquam mancipia quibus notæ quædam inurebantur. De his legendus Vegetius lib. II. c. 23. Ipse Gregorius in præfata ad Mauricium Ep. milites appellat *manu signatos*. Juxta morem hodiernum etsi militibus nulla inurantur stigmata, statim tamen ac sacramento dato militiam professi sunt, eam deserere, etiam sanctioris militiæ amplectendæ causa, impune non possunt. Hæc dicta sint ut eam legem ostendamus nec impie ab Augusto latam, nec a Gregorio temere promulgatam. Licet enim contra pietatem pugnare videretur, quod in sacra Monachorum acie mereri prohiberentur milites (quapropter Gregorius Mauricium liberius increpavit) re tamen propius perspecta, bonique publici habita ratione, ita statuendum esse prudentia consultissimorum fortasse suadebat.

IV.
Gregorius de disciplina monastica sollicitus.

Cum de conscribendis Christo militibus ita sollicitus esset vir sanctissimus, ut inter eos disciplina vigeret magis ac magis allaborabat, præsertim vero ut fratrum suorum saluti custodiæque Abbates invigilarent admonere satagebat. Unde statim ac audivit [a] Johannem Abbatem sua socordia *opinionem sui monasterii inquinasse* ac labefactasse, ad eum scripsit in hæc verba: *De fratrum animabus omnino esto sollicitus. Sufficiat jam quod opinio monasterii per vestram negligentiam inquinata est. Non frequenter foras egrediaris. In causis istis procuratorem institue, & tu ad lectionem atque orationem vaca.... In ipsis autem fratribus monasterii tui quos video, non invenio eos ad lectionem vacare. Unde considerare necesse est quantum peccatum est, ut ex aliena oblatione Deus vobis alimoniam transmiserit, & vos mandata Dei discere negligatis.* Non solum autem Clericis & Monachis lectionem sacram imperabat peritissimus animarum rector, sed etiam laicis & militiæ addictis, ut liquet ex Epistola ad Maurentium Magistrum militum scripta, quem ob id laudat quod *humana conventicula cavens* sacris libris evolvendis incumbat; dolet vero quod in hoc pio lectionis studio nullum socium habeat.

a Lib. III. Ep. 3.
Lib. VIII. Ep. 27 & lib. XI. Ep. 78.

V.
Num Abbatibus & Monachis egredi liceat.

Ceterum ex his verbis Gregorii ad Johannem, *non frequenter egrediaris*, immerito asserit novæ bibliothecæ Eccles. Gallice conscriptæ [b] parens prohibitum esse, tum Abbatibus tum Monachis, foras progredi: cum Gregorius frequentes tantum egressus in publicum vituperet. Sane qui suos alumnos vitæ solitariæ addictos esse voluit S. Benedictus, in duobus Regulæ suæ capitibus clara significat, non eis interdictum extra monasterium exire, & negotiis vacare. Ipse vero Gregorius multis negotiis tum Ecclesiasticis, tum etiam politicis non solum adhibuit Abbates & Monachos, ut infra sæpe dicemus, sed etiam præfecit. Anno superiori scripserat Johanni Ravennati, mittendum esse in urbem Fanum cum aliquanta pecunia Claudium monasterii Classensis Abbatem, ad captivos redimendos. Postea cum Theodolinda Regina sese a communione Constantii Mediolanensis Episcopi *suspendisset*, propter damnata ab eo tria capitula, misit ad eam Johannem Abbatem & Hippolytum notarium, qui damnatione hac minime pulsatam fuisse (quod schismatici vociferabantur) Concilii Chalcedonensis auctoritatem Reginæ persuaderent, eamque ad Constantii communionem revocarent. Quin etiam Secundini Monachi & Probi Abbatis opera usus est, ad pacem cum Agilulfo Langobardorum Rege componendam; quod feliciter cessit. Commemorandos hoc loco non existimamus tot Monachos a S. Gregorio Evangelii prædicandi gratia missos, de quibus postea fiet mentio. Secessum tamen & ab omni negotio feriationem, quibus solitaria vita maxime commendatur, quamdiu his frui licet, amplecti debent Monachi ac prosequi, exemplo S. Gregorii potissimum id suadente, qui a monasterii quiete abstractus, & ad summi Pontificatus fastigium evectus, tamquam ablactatus a materno ubere infantulus, tot fere vagitus emisit, quot scripta edidit.

b Capp. 51. & 67.
Lib. II. Ep. 46. Lib. IV. Epp. 3. & 4.
Lib. IV. Ep. 30. & lib. IX. Epp. 4. & 43.

Ut

a Is est fortasse cui inscribitur Ep. 50. lib. V.
b Tom. IV. pag. 277. & 279.

Ut de iis etiam qui foris sunt, & ad Ecclesiam non pertinent obiter agamus, Judæi non semel experti Gregorii clementiam, hoc anno ejusdem impigra sollicitudine zeloque indefesso repressi sunt. Nimirum cum quidam ᵃ Nasas inter eos *sceleratissimus*, sub honore beati Eliæ altare construxisset, multosque Christianorum illuc orationis causa pertraxisset ac seduxisset; scripsit vigilantissimus Pontifex ad Libertinum Siciliæ Præfectum, ubi facinus admissum fuerat, superstitioque vigebat; ut *districtissime & corporaliter* in Judæum hunc, si de reatu constaret, animadverteret, nec socordiam eaque pejorem avaritiam Justini ejusdem insulæ Prætoris imitaretur. Is enim Judæorum delinitus muneribus, Dei injurias vindicare non curabat, uti Gregorius scriptis ad se litteris didicerat. Idem Judæus Christiana sibi mancipia comparasse ferebatur, quod contra legem a Constantino Magno latam ne Judæis famularentur Christiani, pugnabat. Quia vero eadem lege cautum erat, ut si quos Judæi Christianos in obsequio & famulitio haberent, ii extemplo in libertatem assererentur; id executioni mandari strenue ac sine mora Papa postulat. Idem fere est argumentum alterius Epistolæ ad Venantium Lunensem Episcopum scriptæ anno sequenti.

VI. Judæus falso Eliæ cultu Christianos illudit. Lib. III. Ep. 38.

a De ipso puniendo Gregorius scribit.

Euseb. lib. 4. vita Const. c. 27. Lib. IV. Ep. 21.

S. Gregorium hoc tertio sui Pontificatus anno de conscribendis Dialogis cogitasse, testatur Epistola ad Maximianum Episcopum Syracusanum, in qua etiam subodoramur eum paulo post iis elucubrandis incubuisse. Verum de tempore quo scripti sunt lege Præfationem nostram Tom. ij. maxime num. xvii. ac sequentibus. Ex eadem Præfatione omnia repetenda sunt quæ ad hos libros pertinent. Id unum hic observabo, egregium hoc opus fuisse solitudinis fructum, ad quam frequenter anhelabat Gregorius, ut a Pastoralis vitæ molestiis & sollicitudinibus levaretur, & amissæ quietis, tum piis deflendo lacrymis, jacturam utcumque resarciret. Qualis autem esset in secessu, quibusve meditandis tunc animum intenderet, disce ex ipso Dialogorum exordio.

VII. Dialogos elucubrat. Lib. III. Ep. 51.

a Hoc nomine forsitan intelligendus Præses seu Princeps Synagogæ qui a Judæis Nasi dicitur.

CAPUT XI.

I. In Ecclesia Salonitana turbæ propter Maximum, invito Papa, ordinatum Episcopum. II. Gregorii hoc in negotio constantia & patientia. III. Maximi audacia in sanctum Pontificem. IV. Maximi ordinationem asserit Imperator. V. Maximi pœnitentia & satisfactio. VI. Quid de Honorato Archidiacono definitum. VII. Constantina Augusta S. Pauli reliquias postulans fert repulsam. Mos antiquus Sanctorum corpora loco non movendi. VIII. Antiquiores tamen factæ nonnullæ translationes.

An. 593. & 594.

Vix in tranquillo monasterii secessu Gregorius otium & quietem tantisper degustaverat, cum ad consueta Pontificatus onera redeundum fuit, & Salonitanæ Ecclesiæ totique Dalmatiæ subveniendum, atque consulendum. Provinciæ hujus Episcopi, Natalis olim sui Metropolitani de quo supra diximus, pravis exemplis corrupti a Sacerdotalis honoris tramite deflexerant: sæcularibus enim negotiis immersi, abjecerant omnem Dei metum; neque quid Deo, sed quid sibi placeret exquirere ac explere jamdudum consueverant. Hinc mortuo Natali, cum Honoratus Archidiaconus vir inculpatæ vitæ, incredibilisque constantiæ, quam non semel ostenderat adversus Natalem bona Ecclesiæ dilapidantem, in Salonitanum Episcopum electus fuisset: illi plurimum sibi a tam severo censore, morumque magistro formidantes, Maximo qui ᵃ sæculari potestate fretus hanc Sedem invaserat, favere dicebantur. His acceptis, Gregorius ad universos Dalmatiæ Episcopos scribendum duxit; ut nullum in Salonitanum Episcopum, nisi consulta prius & annuente Apostolica Sede, ordinare præsumerent. Secus facientes, excommunicatos & a participatione corporis & sanguinis Domini abstentos denuntiavit; ordinationemque futuram irritam declaravit. Præsertim vero Maximo manus imponere prohibuit. Attamen aut nondum accepta Pontificia jussione (quod vero propius videtur) aut insuper habita, ut Papæ significatum est, Maximus cæsis Presbyteris, Diaconibus, omnique clero, militari manu in Ecclesiam deductus est, et tunc forsitan Episcopus consecratus; si tamen consecratio dici possit, quæ ab excommunicatis celebrata, et excommunicato dirisque devoto collata fuerat. Aderat tunc Antonius Subdiaconus Ecclesiastici patrimonii in Dalmatia Rector; qui cum summi Pontificis jussu adlaborasset ut Salonitanus Episcopus juxta canones eligeretur, ea ratione Maximo prævaricatori exosus, & ab ejus satellitibus ad mortem quæsitus, fuga sibi consulere coactus est. Præcipuus mali auctor erat Marcellus Dalmatiæ Proconsul, ut habemus ex Ep. 5. lib. ix.

I. In Ecclesia Salonitana turbæ propter Maximum, invito Papa, ordinatum Episcopum. Lib. III. Ep. 10.

Ibid. Ep. 20.

Lib. III. Ep. 22. Lib. IV. Ep. 47.

Gregorius ad tantam offensionem ab Ecclesia Salonitana removendam, non minus prudentiam quam constantiam necessariam ratus, litteris monuit Maximum, ut ipse ordinatoresque ipsius *attrectare quidquam Sacerdotalis officii non præsumerent*, donec explorare posset utrum vera an suppositiția Imperatoris jussione fuisset ordinatus, quidve sibi visum foret rescriberet. Si vero contra interdictum aliquid agere non vereretur, ei anathema comminatur a Deo & a B. Petro Apostolorum Principe.

II. Gregorii hoc in negotio constantia, & prudentia. Lib. IV. Ep. 20.

Maximum jam ab anno superiori Salonitanam Sedem invasisse, nimirum labente undecima Indictione, docet quod legimus de ejus pœnitentia in fragmento huno ad Epistolarum calcem rejecto, prius vero præmisso Epistolis Indict. primæ. Quocirca constat nondum ad eum aut ad Episcopos Dalmatiæ tunc pervenisse Epistolas 10. & 20. hoc anno quarto Pontificatus Gregorii, duodecima Indict.

a Milites & lictores Romani Patricii conduxerat. ex lib. iv. Ep. 47.

dict. datas, quod etiam ex ipsa Epistola 20. elici potest. Idque forsan in causa fuit ut cum eo postea Gregorius mitius egerit, ejusdemque ordinationem tandem ratam habuerit.

Ibidem. Non me latet renuntiatum Gregorio fuisse, post interdictionem ab ipso prolatam, *deductum in medium fuisse militari manu Maximum*, quod in ejus ordinatione contigisse debuit. At illa *deductio* potuit etiam fieri aliquo post ordinationem intervallo. Ad hæc, plurima de hoc Episcopo, ejusdemque corruptis moribus acceperat Papa, quæ nullo legitimo testimonio nitebantur, quæque postea diluit, ut quod subreptitio Imperatoris diplomate usus fuisset, quod per simoniam ad Episcopatum pervenisset, quod violatæ castitatis reus foret. Quidni ergo dicamus, incerto aut etiam falso rumore pervenisse ad summum Pontificem, Maximum spretis ejus litteris ordinatum fuisse? Sane Gregorius ad Constantinam Augustam postea scribens, anno videlicet sequenti, quasi de omnibus certior factus, tantum conqueritur Maximum *se suoque Responsali nesciente* fuisse ordinatum.

Lib. v. ep. 21.

III. Maximi audacia adversus Pontif. Lib. iv. ep. 47. Quæ postea subsecuta sunt docet S. Gregorius in Epistola ad Sabinianum Sedis Apostolicæ Apocrisiarium seu Legatum apud Mauricium Imperatorem. Nimirum seculari & aulica auctoritate fretus Maximus, eo venit audaciæ ut Papæ litteras excommunicationem, ni subderetur et resipisceret, intentantes, publice scindi fecerit, ipsumque apud Augustum accusarit, quod [a] Malchum Episcopum aliquantæ pecuniæ sibi debitorem in custodia occidisset.

Calumniam hanc ita diluit vir sanctissimus: *de qua re*, inquit Sabiniano, *unum est quod breviter suggeras serenissimis Dominis nostris, quia si ego servus eorum in morte Langobardorum me miscere voluissem, hodie Langobardorum gens, nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset divisa. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido. Malchus autem Episcopus neque in custodia fuit, neque in aliqua afflictione, sed die qua causam dixit, & addictus est, nesciente me, a Bonifacio notario in domum ejus ductus est, ubi & prandium factum est, ibique prandit, & honoratus est ab eo; & nocte subito mortuus est*. Itaque statim evanuit falsa hæc Maximi criminatio.

IV. Maximi ordinationem asserit Imperator. Nihilo tamen minus Mauricius ordinationem ejus asseruit, Præfectorum & Ducum qui publicæ in Dalmatia rei præerant, ut conjicere licet, impulsu; quibus nimirum, denudata sua Ecclesia, *præmia multa præbere* dicebatur. Et de re ad Constantinam Augustam scribens, vehementer expostulat S. Gregorius: *Et si*, inquit, *Episcoporum causæ mihi commissorum apud piissimos Dominos aliorum patrociniis disponuntur, infelix ego in Ecclesia ista quid facio? Sed* [b] *ut Episcopi mei me despiciant, & contra me refugium ad seculares judices habeant, omnipotenti Deo gratias ago, peccatis meis deputo. Hoc tamen breviter suggero, quia aliquantulum expecto; & si ad me diu venire distulerit, in eo exercere districtionem canonicam nullo modo cessabo*.

Jusserat Mauricius ut Maximus Papæ se sisteret, eumque cum honore Gregorius exciperet; quod ei grave visum est; nempe quo honore dignus erat *is de quo tanta & talia nuntiabantur*, antequam discussa causa, insontem se probasset? neque vero de ipsius ordinatione inscio Romano Pontifice facta erat amplius quæstio: eam enim ut Imperatori morem gereret, ita ratam habere consensit, ac si se auctore hic Episcopus ordinatus fuisset; quamvis sub anterioribus Principibus nullus ad hæc usque tempora Salonæ Episcopus, prætermissa Romani Antistitis auctoritate fuisset constitutus. At multa supererant crimina diluenda, nimirum quod flagitiose ac impudice vixisset, quod data pecunia fuisset electus, quod excommunicatus Missas facere præsumsisset.

Callide egerat Maximus, ut Gregorii litteras quibus a Missarum celebratione cessare jubebatur, ad se non pervenirent. Ideoque iterata jussione rem ei sacram interdixit. Qua de re clero & optimatibus cum Salonæ tum Jaderæ scripsit, ut a communione Maximi recederent: neque enim

Lib. v. ep. 27 et 29. ullus adhuc ejus communionem responerat, præter Paulinum Episcopum, & Honoratum Archidiaconum, cujus electionem de qua supra egimus, non amplius tuebatur sanctus Pontifex; quandoquidem eum Archidiaconum tantum appellat, non Episcopum.

V. Maximi pœnitentia & satisfactio. Lib. vii. ep. 17 lib. viii. ep. 10. Tandem paternis adhortationibus & infracta constantia consecutus est Gregorius, ut Maximus ad saniorem rediret mentem. Ab ejus communione jam plerique recesserant; & Sabinianus Jaderæ Episcopus pœnitentia ductus, quod invasori & perduelli adhæsisset, in monasterium abjecto Episcopatu sese receperat, ut tantam culpam lacrymis dilueret. At S. Gregorius eum ad suam communionem & amicitiam receptum, ut pastoralem curam resumeret hortatus est, ceterisque ad Ecclesiam revertendi præberet exemplum, quod futurum sperabat. Neque vero spes fefellit; ipse enim Maximus rediit tandem ad cor & jugo se debitæ obedientiæ subdidit. Urgente Papa ut Romam judicandus accederet, obsessas ab hostibus vias causari poterat, & Imperatoris præceptum, qui jusserat ut Salonæ aut in Dalmatia mota hæc quæstio finiretur; quod etiam sacris canonibus erat consentaneum. Præterea plebem & Præfectos militari manu suæ profectioni, suo itineri obstitisse respondere in promtu erat. Quibus rationum momentis prudenter perpensis, accedentibus quoque Callinici Exarchi precibus

Lib. ix. ep. 79 80. 81. Gregorius annuit ut Maximus Ravennæ coram Mariniano Archiepiscopo, & Castorio sanctæ Ecclesiæ Chartulario, se purgaret tam de simoniaca hæresi, quam de ceteris objectis criminibus, præstito ad corpus S. Apollinaris Martyris sacramento. Cum autem inobedientiæ & perduellionis in Sedem apostolicam reus esset manifeste (constabat enim eum post intentatam a summo Pontifice excommunicationem, ad sacrum altare accessisse) judicio Mariniani reliquit statuendum, qua satisfactione talis deberet culpa purgari. Ex cujus forsitan Antistitis consilio & sententia prostratus per

In appendice epist. tres horas Maximus jacuit, gravis luctus & pœnitentiæ causa clamans: *peccavi Deo & beatissimo Papæ Gregorio*. Sublevatus a Mariniano, juvantibus Callinico Exarcho & Castorio Chartulario cœpit vehementius dolere: at in reconciliationis & absolutionis argumentum, Castorius ei Epistolam a S. Gre-

a Patrimonium aliquod Ecclesiæ Rom. procuraverat in Dalmatia, ut patet ex Ep. 26. lib. 11.
b Sic appellat eos quos jure Patriarchali regebat, & quorum ordinationes ad eum aliquatenus pertinebant; cum universis quidem præesset Episcopis & Patriarchis, propter singularem Ecclesiæ Rom. principalitatem.

Gregorio scriptam obtulit, qua significabat redditam ipsi fraternæ caritatis gratiam, pollicebaturque se ad eum quantocyus Pallium esse missurum.

VI. Quid de Honorato, ibid. d. 8. i. tom. Ibid. ep. 125.

Cum Sabinianus Jadertinus Episcopus, Honoratus Archidiaconus Salonitanus, & alii plurimi, Sedis apostolicæ jura contra Maximum asseruissent, jussit sapientissimus Pontifex ut eos qua decebat caritate susciperet. Optabat Gregorius ut Honoratus ab Archidiaconi munere ac dignitate, de qua jam a Natalis Archiepiscopi temporibus fuerat quæstio, non repelleretur: verum obstabat illius Ecclesiæ consuetudo, quæ Archidiaconos expleto quinquennio a suo removere ministerio cogebat. Id in Ecclesia Salonitana pro lege haberi asseveravit Maximus, confirmavitque Castorius Chartularius; quin etiam adjecit tres superiores Archidiaconos ab ipso Honorato, postquam per quinquennium ministrassent cedere compulsos. Quapropter sententia Gregorii fuit *non flagitandum ab Honorato judicium de causa, quam ipse jam judicarat*. Hunc exitum habuit diuturna illa de Maximi ordinatione contentio, in qua vicit tandem infracta sancti Pontificis patientia & constantia, ex adversis augeri solita. Quas animi dotes ac virtutes optime describit in Epistola ad Sabinianum Diaconum: *Paratior sum*, inquit, *mori, quam beati Petri Ecclesiam meis diebus degenerare. Mores etiam meos bene cognitos habes; quia diu porto; sed si semel deliberavero non portare, contra omnia pericula lætus vado.* Lib. 10 ep. 43

VII. Constantina Augusta reliquias S. Pauli a S. Gregorio postulans repulsam fert. Lib. 13 ep. 34

In hoc toto negotio Gregorius adversarium apud Imperatorem expertus est Johannem Constantinopolitanum, ut par est credere; quippe quem ob usurpatum œcumenici Patriarchæ titulum redarguendo & increpando, infensum sibi fecerat. Antequam vero de hac disceptatione fusius & enucleatius agatur, quod paulo post fiet, ratio temporis postulat ut qua arte idem Johannes Constantinæ Augustæ mentem a Gregorio alienam efficere molitus sit aperiamus. Ipsum enim digito monstrare videtur sanctissimus Pontifex his verbis: *Sed quidam homines contra me pietatem vestram excitare voluerunt, ut mihi, quod absit, voluntatis vestræ gratiam subtraherent.*

Piissima Augusta basilicam in honorem S. Pauli Apostoli ædificandam curaverat in ipso regiæ urbis palatio, quam ut sacris ejusdem reliquiis ditaret, postulavit a Gregorio ut sibi transmittere *vel beatissimi Apostoli caput, vel aliud quid de ipsius corpore* festinaret. Cujus jussioni respondit se obtemperare nec posse nec audere, quod sanctorum Apostolorum corpora nequidem loco moveri impune, vel tangi possent; idque multis miraculis ibidem commemoratis confirmat. Petierat etiam Constantina beati Apostoli *sudarium*, quo fortasse nomine intelligi debet linteum aliquod ejus cruore sacro tinctum, & in sepulcro inclusum. Sed quia extrahi non poterat nisi corpus Apostoli detegendo, & loco movendo, quod nefas erat, piæ Augustæ precibus annuere non potuit Papa. In Epistola quam Gregorius ad eam misit, ait: *Quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore: sed tantummodo in pixide brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora Sanctorum ponitur. Quod levatum, in Ecclesia quæ est dedicanda, devota cum veneratione reconditur.* Addit plurima iis in locis, ac si Sanctorum corporibus potirentur, patrari solita miracula. Insuper docet in totius Occidentis partibus omnino *intolerabile esse ac sacrilegum, si Sanctorum corpora tangere quisquam fortasse voluerit*. Utinam vero piam hanc & Sanctorum reliquiarum venerationi consentaneam consuetudinem perpetuo retinuissemus. Cum Græcorum contrarius mos posset objici, quibus videlicet nulla erat sacra corpora levandi ac alio transferendi religio, respondit S. Gregorius dubiæ fidei sibi videri, quas transferebant & distrahebant reliquias; suspicionemque suam hoc exemplo confirmat. Nimirum quidam Græci Monachi ante biennium Romæ deprehensi fuerant nocturno silentio juxta Ecclesiam beati Pauli, corpora mortuorum in campo jacentia effodientes, atque ipsorum ossa recondentes. Qui cum interrogati fuissent quo id consilio facerent, confessi sunt *quod illa ossa ad Græciam essent tanquam Sanctorum reliquias portaturi*. Apud Gregorium Turonensem & alios passim [a] Scriptores, occurrunt tales, non piæ (ut vulgo vocari solent) sed sacrilegæ fraudes, quæ dubias effecerunt plurimas alioquin genuinas Sanctorum reliquias. Unde liquet nullam majorem aut certiorem Sanctis venerationem procurari posse, quam eorum sacra pignora, in prioribus sepulcris (quæ tamen ornari decet) integra & intacta relinquendo; quod etiam [b] civilibus cavetur legibus.

[a] Id est, velamen.

Mos antiquus Sanctorum corpora loco non movendi.

VIII. Antiquitus tamen factæ nonnullæ translationes. Hieronym. contra Vigilant. Præfat. ad Tom. 4. Act. SS. observ. 8.

Absit tamen a nobis, ut omnes Sanctorum translationes damnemus pio consilio factas. [c] Tempore Constantii Augusti legimus Constantinopolim delatum fuisse S. Timothei corpus Ephesi prius sepultum, ac in basilica sanctorum Apostolorum collocatum esse. Paulo post etiam reliquiæ sanctorum Andreæ Apostoli & Lucæ Evangelistæ delatæ sunt ex Achaia, & eodem in loco depositæ; quod refert ac laudat Hieronymus. Lege apud Mabillonium plurimas Sanctorum translationes quarto & quinto seculo in occidente, ipsaque in Italia factas, quas Gregorius ignorare minime potuit. De his quoque consule notas ad Ep. 30. libri quarti, verum his in translationibus e tumulis suis educebantur sacra illa pignora, ut in aliquo decentiori loco quiescerent, neque procul deferebantur.

Lib. 2 ep. 7. & 13.

Haud improbavit quidem sanctus Doctor Episcopum & clerum urbis Euriæ inde commigrantes corpus S. Donati secum abstulisse, & in Cassiopi Castro insulæ Corcyræ deposuisse. At vero migrationem istam necessariam effecerant barbaricus gladius & hostiles incursus. Metuentes ergo Sacerdotes & Clerici civitatis hujus, ne sacræ S. Donati reliquiæ in Ecclesia deserta & patente, aliquam a barbaris injuriam paterentur, maluerunt eas secum asportare.

Quæ de sanctis corporibus loco non movendis, ad mentem S. Gregorii diximus, de eorum vestibus aut aliis rebus ad ipsos Sanctos pertinentibus, minime intelligi debent: nam cum accepisset a Johanne Abbate tunicam S. Johannis repertam, ut eam ad se transmittere curaret rogavit. Tunicam

a Vide Goibertum de Novigento lib. de pignoribus Sanctorum.
b Lege ultima de sepulcrorum violat. eisque Theodosii Magni an. 386.
c Consule Tillemontium in Constantio art. 4. pag. 415. Translationem hanc factam vigesimo Constantini Magni anno, dicit Hieronymus.

Lib. III. ep. 57. 58. 59. hanc fuisse S. Johannis Apostoli & Evangelistæ, positamque Romæ in basilica Constantiniana, docet Johannes Diaconus, ubi eam asserit multis coruscasse miraculis. Utrum hæc Papæ responsio Constantinæ Augustæ satisfecerit, compertum non habemus. Extant tamen plurimæ sancti Pontificis Epistolæ ad eamdem postea scriptæ, ex quibus intelligitur eam quod sibi denegatæ fuissent S. Pauli reliquiæ, non indigne tulisse; sed erga Sedem apostolicam pio semper flagrasse studio.

CAPUT XII.

An. 593. & 594. *I. Theodelinda Constantio Mediolanensi Episcopo infensa pro causa trium Capitulorum. II. Gregorius ad eam Legatos mittit & Epistolas. III. Quo eventu. IV. Idololatris convertendis incumbit. V. Januarii & aliorum Sardiniæ Episcoporum socordia. VI. De licentia chrismate consignandi Presbyteris Sardis data. VII. Res hoc anno in Monachorum gratiam a S. Gregorio gestæ. VIII. Mulieres a monasteriorum ingressu arcet. IX. Monialium honestati & tranquillitati prospicit. X. De Abbatissarum ætate decernit. XI. Ejusdem decretum de Clericis Abbatibus explicatur.*

I. Theodelinda Constantio Mediol. Episcopo infensa. Lib. III. ep. 29. 30. 31. EOdem fere tempore S. Gregorius ad Theodelindam Langobardorum Reginam scribere coactus est, ut ejus animum Constantio Mediolanensi Episcopo infensum, ad pacem & concordiam revocaret. Laurentio Mediolanensi Episcopo e vivis sublato anno superiori, Constantius ejusdem Ecclesiæ Diaconus unanimi totius cleri consensu successor datus fuerat, Gregorio dudum probe cognitus, cui etiam dum Constantinopoli moraretur, longo tempore adhæserat. Et quamvis *in ejus moribus nihil quod reprehendi potuisset, invenisset*; quia tamen in animum suum pridem induxerat, *ad suscipienda pastoralis curæ onera, pro nullius umquam misceri persona*, ab ejus electione promovenda penitus abstinuerat: ipsam solis apud Deum precibus prosequi contentus; assidue orans ut summus Pastor talem Mediolanensibus Pastorem præberet, *in cujus lingua & moribus exhortationis divinæ pascua valerent invenire: in cujus mente & humilitas cum rectitudine fulgeret, & severitas cum pietate: qui eis viam vitæ non solum loquendo, sed etiam vivendo posset ostendere; quatenus exemplo illius discerent ad æterna patriæ desiderium suspirare*. Itaque quando sapientissimus Pontifex aliquas Episcoporum electiones sibi vendicavit, nonnisi gravissimis rationibus coactus, a priori proposito recessit. Nimirum satis habebat, ut antiquam servaret consuetudinem, aliquem mittere Ecclesiæ Romanæ *militem* (hoc nomine Clericos, Ecclesiæ militantes & servientes significat) qui electioni interesset, & ab Episcopis provincialibus, cum assensu tamen summi Pontificis, consecrari procuraret. Pro causa trium capitul. Lib. IV. ep. 2. & 4. Constantius in ipso episcopatus exordio suam fidei confessionem, ut moris erat, Papæ obtulit; in qua condemnata fuisse tria capitula, læsamque ac pulsatam Concilii Chalcedonensis auctoritatem tres Episcopi pervulgarunt; quorum malis artibus decepta Theodelinda Langobardorum Regina, Constantium statim aversata est ut legitimæ fidei desertorem. Brixiensem Episcopum unum ex tribus iis schismaticis Præsulibus fuisse, non obscure indicat Epistola 39. ejusdem libri, ex qua habemus ipsum & Brixiæ cives importune postulasse ut Constantius jurejurando affirmaret se tria non damnasse capitula.

II. Ad eam Greg. mittit Legatos & Epistolas. Hæc audiens Gregorius, ut opem utrique ferret, scilicet Archiepiscopo calumniam passo, & Reginæ ob spretam ejus communionem de salute periclitanti, misit ad Theodelindam Hippolytum Notarium & Johannem Abbatem, qui eam revocarent ab errore; quod & litteris suis præstare conatus est. Priores quidem ipsius litteras Reginæ offerendas non censuit Constantius, quod in eis rerum tempore Justiniani Augusti gestarum, & quintæ Synodi mentionem injecisset, qua offendi potuisset ejus animus. Alteras vero misit in quibus Constantio suadenti morem gerens, de illa Synodo siluit, & quatuor priores tantum laudavit, inprimisque Chalcedonensem, cujus auctoritati detractum iri per trium capitulorum damnationem schismatici causabantur. Amoto itaque hoc scrupulo, sanctissimus Pontifex hortatur piissimam Reginam, ut imperitis stultisque hominibus minime credat, caveatque ab Catholicæ Ecclesiæ communione separari; ne tot ejus lacrymæ, tantaque bona opera perirent, si a vera fide aliena invenirentur. *Decet ergo*, inquit, *Gloriam vestram, ad reverendissimum fratrem & coepiscopum meum Constantium, cujus & fides, & vita bene olim mihi approbata est, sub omni celeritate transmittere, eique directis vestris Epistolis indicare ordinationem ejus quam benigne suscepistis, & quia ab ejus Ecclesiæ communione in nullo separamini.*

III. Quo eventu. Redut ad unitatem Ecclesiæ prudentissima & christianissima Regina, quamvis ad condemnanda tria capitula minime adduci potuerit; aut certe id si aliquando impetratum est ab ea, tardius contigit. At schisma occasione condemnationis illorum capitulorum exortum, non in eo positum erat, quod ab illis condemnandis abstineretur, sed quod a condemnantium communione secessio fieret. Gregorius enim pro veris Ecclesiæ filiis semper habuit [a] eos, qui cum tria illa capitula rejicere formidarent, in Ecclesiæ tamen unitate permanserunt, & cum ipsis benignius egit semper, quos inter, præter Theodelindam, erat Secundinus eximiæ sanctitatis Monachus, Reginæ acceptissimus.

Redeunte ad Constantii communionem Regina, tres de quibus jam locuti sumus Episcopi, ut vero simile est, quieverunt; nec ultra eum a Brixiensibus civibus vexatum fuisse ut sacramentum de tribus capitulis a se numquam damnatis præstaret, inde potest colligi, quod plurimis in Epistolis ad ipsum deinceps scriptis, ea de re plane sileat sanctus Pontifex.

IV. Idololatris Non minori labore ac studio in vocandis ad Ecclesiam infidelibus, quam in revocandis schismaticis

a Vide supra cap. v. num. 11.

convertendis incumbit.

cis desudabat. Sardiniæ partem incolebant quidam populi, Barbaricini dicti, qui ad hæc usque tempora cultum idolorum retinuerant. Eos a VVandalis pulsos ex Africa, in Sardiniam migrasse, conjectura potius quam certis rationum momentis habetur. Barbarorum illorum mores exprimit his verbis Gregorius: *Ut insensata animalia vivunt, Deum verum nesciunt, ligna autem & lapides adorant.* Arduum igitur erat eos ad veram fidem protrahere: quod tamen aggressus est sanctissimus Papa, cujus caritati nihil erat difficile; atque ad hoc opus elegit Felicem quemdam Episcopum, & Cyriacum servum Dei Abbatem S. Andreæ. Ab iisdem postea didicit non solos Barbaricinos, sed rusticos fere omnes in Sardinia idololatriæ deditos. Quapropter scripsit confestim ad nobiles & ad ceteros in Sardinia *possessores*, ut rusticis a cultu idolorum avertendis & retrahendis invigilarent; significans nihil sibi gratius aut jucundius ab ipsis posse nuntiari, quam quot quisque idololatras ad Christum perduxisset. Strenuam ad hoc operam navavit Zabarda Sardiniæ dux, de quo Felix & Cyriacus ad Gregorium scripserant, eum cum Barbaricinis eo pacto facere pacem disponere, ut Christi fidem & servitutem amplecterentur. Ea de causa pissimo duci gratias egit Pontifex sanctissimus, & prædicatores a se missos commendavit. Tunc Hospitonem Barbaricinorum ducem jam christianum factum, patet ex Epistola ad ipsum scripta, qua Gregorius de recta fide ab eo suscepta eum laudavit; admonuit autem veram fidem bonis operibus esse comprobandam: insuper ejus officii esse ut quoscumque posset ex subditis, ad Christum adduceret, ac prædicatores eorum conversioni insudantes solatiis foveret necessariis.

Lib. 10. ep. 23. & 24. — *Ibid. ep. 23.* — *Ibid. ep. 24.* — *Ibid. ep. 23.*

Quid illi tunc profuerint, satis non liquet. Ex alia Epistola diu postea scripta constat multos adhuc barbaros in Sardinia idololatriam tunc minime abjecisse, quos tamen ad fidem Christianam amplectendam festinare scribit Insulæ Præsidi. Eodem tempore jussit ut Vitalis in Sardinia defensor Barbaricina mancipia compararet; an ut ea in fide erudienda curaret, iisdemque postea uteretur ad eorum populares Christiana fide imbuendos? Eodem sane consilio legimus pueros Anglos *ab annis decem & septem, vel decem & octo* ejus cura & munificentia emtos, ac in monasteriis, ut in Christiana religione instituerentur, positos; quorum postea ministerio usus est, ad totius Anglorum gentis conversionem, de qua infra.

Lib. 14. ep. 22. — *Ibid. ep. 24.* — *Lib. 11. ep. 10.*

V. Januarii & aliorum Sardiniæ Episcoporum socordia.

Ideo Gregorius Felici & Cyriaco partes imposuit annuntiandi in Sardinia Evangelii barbaris & rusticis, quia insulæ hujus Episcopi, parum de eorum salute solliciti videbantur. His verbis increpat Januarii Calaritani Episcopi, & totius Insulæ Metropolitani socordiam & segnitiem: *Accidit*, inquit, *aliud valde lugendum: quia ipsos rusticos, quos habet Ecclesia tua, nunc usque in infidelitate remanere negligentia Fraternitatis vestræ permisit. Et quid vos admoneo ut extraneos ad Deum adducatis, qui vestros ab infidelitate corrigere negligitis? Unde necesse est vos per omnia in eorum conversionem vigilare. Nam si cujuslibet Episcopi in Sardinia insula paganum rusticum invenire potuero, in eumdem Episcopum fortiter vindicabo.*

Lib. 10. ep. 26.

VI. De licentia chrismandi Presbyteris concessa.

Januarium despiciebant ejus ministri & Clerici, quod nimiæ esset simplicitatis; unde oriebatur Ecclesiasticæ disciplinæ neglectus & remissio. Hinc fortasse data Presbyteris occasio præsumendi, sacro chrismate parvulos in fronte signare, quod ne ultra fieret prohibuit Gregorius. Quia tamen accepit postea quosdam ob hanc prohibitionem valde offensos, aliud promulgavit decretum in hæc verba: *Pervenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse quod Presbyteros chrismate tangere eos qui baptizandi sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizandos chrismate tangere debeant, concedimus.* De hujus decreti sensu digladiantur theologi, aliis permissum Presbyteris ut sacramentum confirmationis administrent contendentibus, aliis negantibus. Mentem nostram circa quæstionem & controversiam hanc satis aperuimus in notis ad laudatas Epistolas, quas diligentem lectorem consulere non pigeat.

Ibid. ep. 9. — *Ibid. ep. 26.*

VII. Res hoc anno in Monachorum gratiam a Gregorio gesta.

Ut res monasticas, quæ Gregorio semper cordi fuerunt, nunc attingamus, ad quartum ejus Pontificatus annum pertinere videtur quod de ipsius erga monasterium Sublacense olim a S. Benedicto conditum, & Honoratum Abbatem, munificentia legitur: nimirum eum cum sua matre Silvia huic cœnobio Castrum Apollonium & alia multa bona contulisse.

Mabillon, Annal. Benedict. lib. 8. n. 44. p. 231. — *Lib. 14. ep. 18.*

Neque prætereunda quæ hoc anno contigit, admissio Monachorum in Ecclesiam S. Pancratii, quæ Romæ via Aurelia etiam nunc extat. In ea prius ministraverant & rem sacram curaverant Clerici seculares & Presbyteri, sed ita negligenter, ut etiam die Dominico nullus adesset Presbyter qui Missarum solemnia celebraret. Murmurantibus hac de re populis, qui istuc devotionis gratia confluebant, Gregorius matura deliberatione judicavit socordes illos Clericos inde amovendos, & in monasterio huic Ecclesiæ cohærente instituendam esse Monachorum *congregationem*, cui Abbatem præfecit Maurum. Legenda est ea de re Epistola ad eumdem Maurum qua ei terrarum, redituum, oblationum illius Ecclesiæ summam administrationem tribuit sive ad Monachorum victum, sive ad sarta tecta. Observat hoc loco Mabillonius ad fidelium ædificationem aliquando conducere, ut Monachi in locis frequentibus instituantur.

Vid. Mabill. loco laud. ad an. 594.

VIII. Mulieres a monasteriorum ingressu arcet.

Aliunde tamen sollicite cavebat vigilantissimus pater [a] ne ex mulierum consortio, regularis apud Monachos disciplina labefactaretur. Unde Valentinum Abbatem increpat quod mulieres in monasterium suum *ascendere* sineret, ac fieri Monachorum commatres; idque ne ulterius contingat, eum severissimæ ultionis comminatione prohibet. Utrum arcendas mulieres ab Ecclesiarum ubi Monachi observabant & sacras laudes persolvebant introitu, censuerit Gregorius, hocque ad Valentinum præcepto sanxerit, exploratum non est. Sane in Epistola 41. libri secundi frequentiorem tantum feminarum accessum ad monasteriorum Ecclesias videtur interdicere. Præterea basilicam S. Pancratii Martyris frequentabat promiscuus sexus, in cujus gratiam singulis Dominicis ibidem Missarum solemnia celebranda decrevit; in qua tamen Monachos maluit militare, quam Clericos.

a Lib. 10. ep. 42.

a Vide lib. 11. Ep. 25. olim 20. libri 12.

IX. *Monialium honestati & tranquillitati prospicit.* *Lib. IV. ep. 9.*

Erga Moniales, ob sexum fragiliorem, majorem sollicitudinem & severiorem custodiam adhibendam ratus, hæc ad Januarium Caralitanum, hoc fere ineunte anno scripsit: *Pervenit ad nos minus te monasteriis ancillarum Dei in Sardinia sitis tuitionis impendere: & cum dispositum a tuis prudenter fuisset decessoribus, ut quidam de clero probati viri curam gerentes, earum se necessitatibus adhiberent: nunc ita funditus esse neglectum, ut per publicas personas pro tributis aliisque muniis ipsæ per se principaliter Deo dicatæ feminæ compellantur ire, necessitatemque habeant pro supplendis fiscalibus per villas prædiaque discurrere, atque viribus incompetenter se miscere negotiis. Quod malum Fraternitas tua facili correctione removeat, ut unum probatum virum vita moribusque, cujus ætas atque locus nihil de se pravæ suspicionis objiciat, sollicite deputet, qui sic monasteriis ipsis cum Dei timore possit assistere: quatenus ulterius eis pro quibuslibet causis privatis, vel publicis extra venerabilia loca contra regulam vagari non liceat: sed quid quid pro his agendum est, per eum quem deputaveris, rationabiliter peragatur. Ipsæ vero referentes Deo laudes, atque coercentes semetipsas in monasteriis suis, nullam occasionem ulterius fidelium mentibus pravæ suspicionis injiciant.*

X. *De Abbatissarum ætate decernit.* a *Lib. IV. ep. 11*

Ad eamdem sanctissimi Papæ sollicitudinem erga Moniales spectat quoque quod constituit ad Maximianum Syracusanum Episcopum scribens: *Juvenculas Abbatissas fieri vehementissime prohibemus.* Addit nullas [a] velandas & benedicendas ab Episcopis in Abbatissas nisi sexagenarias virgines, quarum ætas hoc atque mores exegerint.

Moral. lib. XXIII. n. 21. & lib. II. Dial. c. 2.

Mirum fortasse videbitur Gregorium tantam in Abbatissis ætatis maturitatem requisisse. Verum alibi docet, eos qui impugnantium vitiorum certamina adhuc tolerant, quod in juventute & in virili ætate sæpe fit, aliorum curam suscipere non debere. Statim autem ac domita sunt vitia, etiam juvenes, inculpate possunt morum magistri judicio Episcoporum & Prælatorum constitui, aliisque regendis præfici. Unde S. Gregorius minime improbavit Beatum Benedictum in juvenili ætate, post superatam carnis tentationem, extinctamque spinarum aculeis omnem voluptatis sensum, in virtutum magisterio multis præfuisse discipulis.

XI. *Ejusdem decretum de Clericis Abbatibus explicatur.*

In eadem Epistola ubi de Abbatissis hæc edixit Gregorius, quædam de Abbatibus præscribit observatione digna: *Presbyteros*, inquit, *Diaconos, ceterosque cujuslibet ordinis Clericos, qui Ecclesiis militant, Abbates per monasteria esse non permittas, sed aut omissa clericatus militia, monachicis provehantur ordinibus: aut si in Abbatis loco permanere decreverint, clericatus nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est, si cum unum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad utrumque judicetur idoneus: sicque invicem & Ecclesiasticus ordo vitæ monachicæ, & Ecclesiasticis utilitatibus regula monachatus impediat.*

Lib. XII. ep. 35.

Ex hoc loco quidam probare nituntur, S. Gregorium Clericos ab amplectenda professione monastica deterrere ac prohibere voluisse; sed contra ipsius mentem, cum alibi Desiderium Episcopum hortetur, ut Pancratio Ecclesiæ suæ Diacono *gratiam monasticæ conversationis appetenti, minime impedimento sit; sed eum potius pastorali admonitione succendat, ne hujus desiderii fervor in eo tepescat.* Præterea sanctissimus Doctor beati Benedicti Regulam impense laudat commendatque, cujus c. 60. Sacerdotes in monasterio suscipi rogantes, ea lege admitti jubentur, *ut omnem regulæ disciplinam observaturos se spondeant.* Hinc Concilii Toletani IV. patres [b] can. 50. statuunt, ut Episcopi Clericis Monachorum propositum appetentibus, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos in monasteriis largiantur ingressus. Cavet igitur sapientissimus Papa laudata Epistola, ut Presbyteri, Diaconi, aut alii Clerici, Abbates in monasteriis non fiant & ordinentur, nisi post legitimam probationem, & diutinam in monastica vita exercitationem, *omissaque prius clericatus militia*, hoc est relicto illo Ecclesiæ titulo, cui per suam ordinationem erant alligati, & ut aliquando loquitur Gregorius, incardinati. Eadem ratione alibi vetat eos, qui clericalem militiam cum monastica mutaverint, pro arbitrio ad suam reverti denuo Ecclesiam. Ubi obiter notandum dari a sancto Papa Clericis copiam amplectendæ vitæ monasticæ his verbis: *Si quos autem qualibet occasione a clericatu in monachicam conversionem venire contigerit* &c.

Lib. I. ep. 42.

Ex Ep. 11. lib. IV.

Perperam quoque nonnulli prohibitum Monachis & Abbatibus putant Gregorianis verbis superius allatis, ne Presbyteri ordinentur, aut clericali adscribantur militiæ: quia videlicet *ordo Ecclesiasticus vitæ monasticæ* obest, & vicissim *Regula monastica Ecclesiasticis utilitatibus*. Sed ne ita interpretemur Gregorius ipse intercedit, cum sæpius Monachos presbyteratu insigniendos censuerit & jusserit, Vide Epistolam 42. libri sexti, in qua Victorem Panormitanum Episcopum hortatur, ut unum e Monachis S. Hermæ Presbyterum ordinet absque mora, postulante Urbico Abbate, quem sacerdotio quoque insignitum legimus. Ea de re sane nullus remanebit scrupulus legenti notam *e.* ad Epistolam ex qua ita cavillandi sumta occasio.

Mabill. ad an. 594. p. 233.

Scopus ergo vigilantissimi Pastoris eo loci est, repellere a monasticis prælaturis Clericos, ut nunc audiunt, seculares, aliarum jam Ecclesiarum titulis addictos, pro illorum temporum more; tum quod clericalis & monastica militia in diversis Ecclesiis ita sociari non possint, tum potissimum quod per Clericorum illorum qui monasticis inhiabant dignitatibus, ambitionem, & remissiorem vitam (ne quid pejus dicamus) monasteria destruenda, quod etiam postea contigit, prævideret: *Dumque hi*, inquit vir sanctus, quasi vaticinans, *fingunt se religiose vivere, monasteriis præponi appetunt, & per eorum vitam monasteria destruuntur*; quibus quoque verbis id se jam experimento didicisse significat.

Lib. V. ep. 1.

a Consule notam f. ad hunc laudatæ Epistolæ locum
b Juxta Loaisam, aut 49.

SAN-

SANCTI GREGORII PAPÆ VITA.

LIBER TERTIUS.

Complectens historiam Pontificatus S. Gregorii ab annis 594. & 595. ad annos 598. & 599. seu ab Indict. 13. ad Indict. 2.

CAPUT PRIMUM.

I. Oecumenici titulus a CP. Patriarcha assumtus. II. Quæ Concilia œcumenica dicta. III. Oblatum hunc titulum Papa respuit. IV. Hujus vocis significatus. V. S. Gregorii studium in explodendo hoc titulo propugnatur. VI. Quibus gradibus ascenderit Patriarcharum CP. ambitio. VII. Quanta fuerit in Johanne. VIII. An ex Monacho factus sit Patriarcha. IX. Epistolæ S. Greg. de illa controversia expenduntur. De prima ad Mauricium scripta. Et ad Augustam. X. Scribit ad Patriarchas. XI. Quid ab Eulogio Alexand. responsum. XII. Et ab Anastasio Antioch. XIII. De interpolatis S. Ignatii Epistolis. XIV. Summa Epistolæ ad Johannem CP. scriptæ. XV. Irriti S. Papæ conatus in Johan. & in ejus successorem. XVI. Hujus controversiæ finis. XVII. Refelluntur heretici S. Gregorii modestiam ejus successoribus objicientes.

An. 594. & 595.

I. Oecumenici titulus a CP. Patriarcha assumtus.

EXordium hujus libri sumimus a controversia quæ Gregorium inter & Johannem CP. Patriarcham exarsit, ob superbum œcumenici Patriarchæ titulum a Johanne assumtum, & favente huic injustæ usurpationi Mauricio, dissimulantibusque illatam sibi invidiosa hac appellatione injuriam ceteris Patriarchis, assertum & conservatum. Quamvis vocis hujus insolentia turbas & gravissimam offensionem diu ante Gregorii Pontificatum excitasset, de illa tamen e medio tollenda serio non cogitavit ante hunc annum Pontifex prudentissimus, qui nihil nisi maturo cum consilio aggredi solebat.

II. Quæ Concilia dicta œcumenica. In notis ad ep. 32 lib. iv.

Quod spectat ad ipsum œcumenici titulom, constat eum Concilia generalia sibi longe antea tribuisse. Ante Synodum tamen Chalcedonensem nullam aliam hoc titulo donatam fuisse tradit P. Gussanvillæus, & Legatos S. Leonis Papæ hujus esse nominis auctores. At hæc ipsi incauto aliudque agenti excidisse fatebitur, quisquis Ephesinum Concilium attente legerit: etenim par. 2. actione 3. occurrit *Exemplum Epistolæ &c. sancta & magna & œcumenica Synodus*. Act. 4. in Epistola Cyrilli & Memnonis ad Synodum: *Contra hujus œcumenicæ Synodi præsides*. In relatione Synodi *piissimis christianissimisque Theodosio &c. sacra œcumenica Synodus*. In Relatione de subscriptione: *Piissimis &c. sancta & œcumenica Synodus*. Tam graviter aberrantem Gussanvillæum nihilominus secutus est Ludovicus Membourg histor. Pontif. S. Gregorii Magni lib. 11.

III. Oblatum hunc titulum respuit Papa. Lib. iv. ep. 30.

Oblatum Romano Pontifici, nimirum S. Leoni Magno, *pro beati Petri Apostolorum Principis honore* œcumenici titulum *per venerandam Chalcedonensem Synodum* testatur S. Gregorius; *sed nullus*, inquit, *eorum unquam hoc singularitatis nomen assumsit, nec uti consensit*. In Chalcedonensi tone Concilio lecti sunt nonnulli libelli supplices Papæ oblati, in quibus hoc honorifico vocabulo insignitur. Et in Act. sexta Paschasinus Episcopus unus ex S. Leonis Legatis, habita coram sancta Synodo oratione, summum Pontificem *œcumenicum* appellavit; quibus cum non intercesserint Synodi patres, ea probare & rata habere visi sunt: maxime cum hæc acta in Synodi tabulas relata fuerint.

IV. Hujus vocis significatus.

Quod spectat ad vocis hujus significationem, idem est œcumenicum, ac universale; & Concilium œcumenicum dicitur, quod ex omnibus mundi partibus habitabilibus, ad quas religionem Christianam credimus pervenisse, convocatur & congregatur. Et quamvis has ad Synodos ex omni Orbe Christiano Episcopi aut eorum legati fortasse non convenerint; aliquando quæ in convocatione & congregationa non erat Synodus universalis, facta est generalis & œcumenica, nimirum accedente postea orthodoxorum omnium consensu.

Si ex hoc significatu quid sit œcumenicus Episcopus aut Patriarcha constituamus, statim quale in Religione Christiana monstrum foret hujusmodi Episcopus manifestum fiet. Nullus enim universalis Episcopus fieri proprie potest, nisi exclusis ceteris aliis Episcopis; etenim si totius orbis Christiani unus quispiam foret Episcopus, cui alteri locus relinqueretur? Id vero sacræ Scripturæ diserte adversatur, quæ non obscure nos docet Spiritum sanctum posuisse non unum sed plures Episcopos regere Ecclesiam Dei. Unus quidem est grex Christi, sed plures gregis hujus Pastores sunt, qui singuli unam hujus gregis portionem pascendam & regendam susceperunt. Act. 20.

V. S. Gregorii studium in explodendo

Non inficior aliquo sensu nec a fidei regula exorbitante, Romanos Pontifices œcumenicos dici potuisse, propter singularem quam obtinent in tota Ecclesia jurisdictionem; cui singuli subjiciuntur etiam Episcopi. At cum ab illo titulo modeste abstinere voluissent, qua fronte Constantinopolitani

hoc titulo propugnatur.

Episcopi eumdem sibi vendicare non verebantur? Quasi vero extra sui Patriarchatus fines aliquam episcopalem auctoritatem exercere possent; aut Patriarchatus Constantinopolitanus, pro toto Orbe Christiano non insulse intelligeretur & sumeretur? Satis ergo mirari non possum quosdam scriptores, licet orthodoxam fidem profitentes, Gregorii magni studium in oppugnando hoc superbo titulo vellicasse, vel etiam aperte damnasse: quasi de nomine tantum & non de re gravis momenti acrius quam par erat decertaverit. Ipsis equidem ultro concessurus sum, huic voci & nomenclaturæ nonnullos affingi & accommodari potuisse sensus innocuos. At cum longe pluribus noxiis & a fide alienis subjacent, iisque obviis, dum econtrario qui sani sunt, aliunde accersiti videntur, quis nisi temere improbare audeat tantum Pontificem de novo insolentique vocabulo & a modestia episcopali prorsus alieno profligando sollicitum?

Aiunt Aristarchi nostri eamdem esse *œcumenici* significationem ac *generalis*, cujus titulus tot Præfectis sive militaribus, sive civilibus & politicis, sive etiam ecclesiasticis ac monasticis tribuitur. At longe latius patet œcumenici significatus. Illi autem ministri aut Præfecti in exemplum adducti, generales dicuntur, ut a particularibus, quorum minor est auctoritas, discernantur. Verum hoc sensu Patriarchæ Constantinopolitani nequaquam generales dici poterant. Peto enim qui fuerint illi Patriarchæ particulares a quibus hoc vocabulo secerni debuerint?

Præterea cum in ancipiti foret, quo sensu œcumenicos esse se jactarent, metuendum erat ne ipsorum ambitio satis nota, illum qui latius pateret, hoc est pessimum & hæreticum assumeret: quis modo sanus, vituperet sanctum virum, quod cum ipse in præstantissima summaque Ecclesiæ dignitate humilitatem adeo coleret, superbientes Episcopos ad eam virtutem quam Christus a se nos discere potissimum voluit, provocare & revocare conaretur?

VI. Quibus gradibus ascenderit Patriarcharum CP. ambitio.

Hic operæ pretium est observare quibus gradibus Constantinopolitanus Episcopus ad tantæ dignitatis fastigium pervenisset, ut nulli alii quam Romano Pontifici haberetur inferior. Primum itaque Episcopo Heracleensi subditus, postea jus Metropoliticum & Exarchicum in Heracleensem aliosque plurimos Episcopos exercuit. Deinde antiquis Patriarchis annumeratus est; ac non multo post fultus Imperatorum potestate, consentireque coactis Episcopis & ipsis etiam Patriarchis, qui ejus opera & gratia apud Augustos, in variis Ecclesiarum suarum negotiis indigebant, id consecutus est in Concilio Constantinopolitano secundo generali, & in Chalcedonensi, ut secundo post Romanum Pontificem loco sederet; repugnante licet S. Leone, qui canonem Chalcedonensem ea de re promulgatum, tamquam supposititium, & absoluto jam Concilio per fraudem adjectum reprobavit. Neque hoc in gradu stare & quiescere potuit ambitus hujus Præsulis de cathedra sua in regia urbe quæ nova Roma dicebatur, constituta, ultra modum sibi blandientis & superbientis: nam œcumenici titulum aut sponte assumserunt, aut ab adulatoribus oblatum ambabus manibus acceperunt retinueruntque Johannes III. Epiphanius, Mennas, œcumenicus Patriarcha sæpe a Synodo Constantinop. sub ipso habita vocatus, aliique deinceps ejusdem urbis Episcopi; universalem præfecturam forsitan in totum Orbem Christianum & in ipsam Romanam Ecclesiam sibi vendicaturi, nisi eorum superbiæ quæ semper ascendebat Romani Pontifices obstitissent.

VII. Quanta fuerit in Johanne. Lib. v. Ep. 43

Ex omnibus autem Constantinopolitanis Episcopis nullus tanta cupiditate aucupari visus est œcumenici nomenclationem, quanta Johannes cognomento Jejunator, qui ea de causa, licet aliam simularetur, Synodum totius Orientis habuit Constantinopoli, ut docent nos Scriptores non pauci, præsertimque S. Gregorius. *Quod mox*, inquit, *idem decessor meus* (Pelagius) *ut agnovit, directis litteris ex auctoritate S. Petri Apostoli ejusdem Synodi* [a] *acta cassavit. Quarum videlicet Epistolarum Sanctitati vestræ exemplaria studui destinare. Diaconum vero qui juxta morem pro responsis Ecclesiæ faciendis piissimorum Dominorum vestigiis adhærebat, cum præfato consacerdote nostro Missarum solemnia celebrare prohibuit*. Hæc Gregorius, qui cum Pelagio successor datus fuisset, Johannem per Sabinianum Legatum suum rogavit, ut ab hoc titulo abstineret. At nihil his precibus lucratus, alia tentavit remedia.

VIII. An ex Monacho factus Patriarcha. Lib. III. c. 52 Liturg. S. J. Chrysost. Tom 4 oper. p. 131.

Antequam de Epistolis in hanc rem a sancto Pontifice scriptis loquamur, quisnam fuerit Johannes Jejunator, explorandum est. Vulgaris est opinio eum fuisse Monachum, nititurque tum Johannis Diaconi testimonio, tum inscriptione cujusdam Sermonis de pœnitentia, qui ipsi tribuitur, & in titulo præfert nomen Johannis Monachi Patriarchæ CP. cognomento Jejunatoris. Additur eum Liturgiam quæ Chrysostomi creditur, meliori ordine disposuisse, atque in ea se nomine sacri Monachi aut Sacerdotis Monachi ἱερομοναζοντος designasse. At illa oratio in qua vocabulum hoc legitur, abest a Liturgia S. Chrysostomi quam exhibet doctissimus Jacobus Goar. Neque constat Liturgiam hanc Johannis Jejunatoris opera fuisse ordinatam. Fuerunt autem plurimi Episcopi CP. qui cum prius vitam monasticam essent amplexi, ἱερομοναζοντες aut sacri Monachi dici potuerunt. Ex Græcorum Menæis Johannes Jejunator Constantinopoli ortus [b] erat, ubi primum statuariam (melius χαράκτης sculptoriam) artem exercuit. At ob præstantes virtutes a Patriarcha hujus urbis in clerum fuit cooptatus & Diaconus factus. Mortuo tandem Eutychio, ad suscipiendam Patriarchalem dignitatem invitus cogitur, quam mira abstinentia, largis eleemosynis, aliisque piis operibus decoravit. Ejus vitæ sanctitas sive sincera fuerit, ut Græci contendunt, sive fucata, ut plerisque Latinis placet, quod humilitas virtutum omnium fundamentum ei defuisse videatur; hæc, inquam, sanctitas aut sanctitatis species, non parum contulit ad conciliandum ei Mauricium Imperatorem, quem in tota illa de œcumenici titulo controversia infensissimum expertus est S. Gregorius.

IX. Epistolæ S. Gregorii de hac controversia.

In prima quam de hoc argumento scripsit Epistola, apud Mauricium Augustum conquestus est de Johannis superbia, qua pax inter Episcopos turbata & labefactata fuerat; quave dicit barbarorum gladios in Rempublicam exacui. Eum vero his verbis mire depingit: *Ossa jejuniis atteruntur, & mente turgemus. Corpus despectis vestibus tegitur, & elatione cordis purpuram superamus. Jacemus in cinere, &*

ex-

a Exceptis tamen his quæ in causa Gregorii Antiocheni hac in Synodo absoluti & restituti gesta fuerant, ut patet ex Ep. 68. lib. xx.
b S. Isidorus lib. de viris illust. c. 26. docet tamen eum fuisse Cappadocem.

excelsa despicimus. Doctores humilium, duces superbiæ, ovina facie lupinos dentes abscondimus. Et multo manifestius de eodem loquens infra: *Ille ergo*, inquit, *magis est piissimorum Dominorum præceptione flectendus, qui præceptis canonicis obedientiam præbere contemnit. Ille coercendus est, qui sanctæ universali Ecclesiæ injuriam facit, qui corde tumet, qui gaudere de nomine singularitatis appetit, qui honori quoque Imperii vestri se per privatum vocabulum superponit.* Objicit Johannis fastui Apostolorum Principis modestiam, qui etsi totius Ecclesiæ curam a Christo accepisset, numquam tamen universalis Apostolus vocari voluit; cujus exemplo adhæserunt ejus dignitatis hæredes Romani Pontifices: postea exclamat: *O tempora, o mores! Ecce cuncta in Europæ partibus Barbarorum juri sunt tradita, destructæ urbes, eversa castra, depopulatæ provinciæ, nullus terram cultor inhabitat: sæviunt & dominantur quotidie in necem fidelium cultores idolorum; & tamen Sacerdotes, qui in pavimento & cinere flentes jacere debuerunt, vanitatis sibi nomina expetunt, & novis ac profanis vocabulis gloriantur.*

versa expenduntur. De prima ad Mauricium scripta. Lib. v. ep. 20.

Tandem hunc titulum arietat multis rationum momentis, præsertim ex pravo sensu cui subest, deductis. Præcipua quibus Johannem urget argumenta, tum in hac Epistola tum in aliis, ea sunt: repugnat humilitati christianæ quæ in Episcopis magis fulgere debet, novum œcumenici nomen; caritatem turbat, unitatem scindit, ceteros Episcopos sua dignitate spoliat, ut unum tantum faciat Episcopum, quo ruente tota ruit Ecclesia. Cumque plurimos Constantinopolitanos Episcopos in hæresim lapsos esse legamus, inde sequeretur a vera fide sæpius excidisse Ecclesiam. Denique Romani Pontificis titulum hunc ultro sibi oblatum respuerunt.

Papam hortatus fuerat Imperator ut cum Johanne pacifice ageret; ad quod respondit: *Ad vitam rectam revertatur auctor scandali, & omnia Sacerdotum jurgia cessabunt. Ego enim cunctorum Sacerdotum servus sum, inquantum ipsi sacerdotaliter vivunt: nam qui contra omnipotentem Dominum per inanis gloriæ tumorem, atque contra statuta Patrum suam cervicem erigit, in omnipotenti Domino confido, quia meam sibi nec cum gladiis flectit.*

Idem fere est argumentum Epistolæ ad Constantinam Augustam scriptæ. Vehementius tamen insurgit in Johannem, cujus immensam superbiam ait prænuntiare propinqua Antichristi tempora; illum quippe imitatur, *qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, dicens*: Super astra cæli exaltabo solium meum.

Et ad Augustam. Ibid. ep. 21. Isa. 14. 13

X. Ad patriarchas scribit. Ibid. ep. 43.

Cum Episcoporum omnium, maxime vero Patriarcharum honor, hac usurpatione pulsaretur, sanctus Gregorius ad Eulogium Alexandrinum, & ad Anastasium Antiochenum Patriarcham, communem scripsit Epistolam, cui adjunxit omnia litis hujus instrumenta, & exemplaria litterarum tum a Pelagio II. tum a se ad Johannem scriptarum; ut intelligerent de summa Episcopatus, adeoque totius Ecclesiæ, agi hac in controversia. Tum eos hortatur ut neminem umquam suis in Epistolis universalem nominent Episcopum, ne sibi debitum detrahant, cum alteri honorem offerunt indebitum. Quia vero pacis & unitatis amor intercedere poterat quominus Johanni resisterent, docet qua ratione fovenda sit pax, ex Apostolo dicente: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: Vidit enim*, inquit, *pacem bonos cum malis habere non posse: & idcirco, sicut nostis, præmisit*, si fieri potest.... *Quam videlicet pacem tunc veraciter tenemus, cum superborum culpas, caritate simul & justitia insistente prosequimur; cum eos diligimus, & eorum vitia odio habemus.* Hoc animo ait bellum superbiæ Johannis indicendum esse, & pro tuendo suarum Ecclesiarum honore, per hanc superbiam pessumdato illis esse decertandum: *State*, inquit, *fortes; state securi. Scripta cum universalis nominis falsitate, nec dare umquam, nec recipere præsumatis..... Si qua autem adversa subsequantur, unanimiter persistentes, etiam moriendo debemus ostendere quia in damnando generalitatis nomine, nostrum specialiter aliquid non amamus.*

Rom. 12. 18.

XI. Quid ab Eulogio responsum. Lib. vi. ep. 60. Lib. viii. ep. 30.

Responsum Eulogii diu expectavit Gregorius, qui de tanta mora cum eo expostulavit amice alia in Epistola, ubi commemorat *beatum Evangelistam Marcum a sancto Petro Apostolo magistro suo Alexandriam fuisse transmissum*; unde infert Ecclesiam Alexandrinam arctius Romanæ esse adstrictam. Postea tamen Eulogius Papæ respondit, se ut jussus fuerat, scribendo ad Johannem abstinuisse a superbis vocabulis, quæ ex vanitatis radice prodierant, eaque se amplius non usurpaturum. At læserunt summam Gregorii modestiam verba hæc, *sicut jussistis: Quod verbum jussionis*, inquit, *peto a meo auditu removete; quia scio qui sum, qui estis. Loco enim mihi fratres estis, moribus Patres.* Magis ægre tulit se ab illo universalem Papam in Epistolæ inscriptione appellatum. *Recedant*, inquit, *verba quæ vanitatem inflant, & caritatem vulnerant.*

XII. Et ab Anastasio. Lib. viii. ep. 27.

Quod spectat ad Anastasium, non probavit vir pius tantam pro œcumenici titulo motam controversiam, ut patet ex alia ad ipsum scripta Epistola. Mira autem eluxit Gregorii modestia, & humilitas in excipienda libera hac amici admonitione, pene dixerim increpatione; his enim verbis caritatem spirantibus orditur Epistolam qua Anastasio monenti respondet: *Desideratam suavissimæ vestræ Sanctitatis Epistolam communi filio Sabiniano Diacono deferente suscepi, in qua non linguæ, sed animæ verba profluebant. Et non mirum si bene loquitur qui perfecte vivit.*

Et quamvis ab insectando œcumenici vocabulo numquam cessaverit, quod illud profanum, & Episcopis omnibus injuriosum putaret; nihilominus a communione Patriarchæ CP. non recessit: & mortuo Johanne, Cyriaci ejus successoris Epistolam synodicam, in qua œcumenicum se Patriarcham præfatus fuerat, suscepit, ne unitatem Ecclesiæ scinderet. Qua vero de causa patienter ferendum hoc vocabulum senserit Anastasius, haud difficile est subodorari. Nuper enim, e vivis sublato Gregorio Antiocheno Patriarcha, ab exilio revocatus fuerat Anastasius, & pristinæ Sedi restitutus; qua de re gratulatus ei fuerat noster Gregorius. Cum igitur post longa bella, pace tandem frueretur, atque Imperatoris beneficio, annitente quoque forsan Johanne CP. Patriarcha, quem Augustus de negotiis Ecclesiasticis consulere solebat, suam Sedem recuperasset, iterum adire pericula metuens, e re magis esse judicavit benigne œcumenici titulum interpretari, quam pro illo usurpato tumultuari & contendere.

Lib. 5. ep. 39.

Hac

XIII. De S. Ignatii Epistolis interpolatis.

Hac in Epistola observatione dignum videtur, hæc verba *Amen gratia*, laudari tamquam sancti martyris Ignatii Antiocheni Episcopi, priusque usurpata etiam ab Anastasio fuisse velut ab Ignatio suis inserta Epistolis: ea tamen in germanis & sinceris ejusdem martyris Epistolis minime reperiri, sed dumtaxat in corruptis; unde constat eas jam tunc fuisse depravatas.

XIV. Summa Epistolæ ad Johannem scriptæ. Lib. v. ep. 18.

In discutiendis ceteris Gregorii eam ob rem scriptis Epistolis non immoramur; at silentio prætereunda non est ea qua ipsum Johannem ad saniorem mentem revocare tentavit. In ea statim de pace Ecclesiæ ab ipso turbata conqueritur, miraturque quod cum ad Episcopatum invitus accesserit, in eo tamen, postquam adeptus est ita se gerere videatur, ac si ambitione ad sacram illam dignitatem viam sibi parasset. Omnia contra eum gesta tempore Pelagii II. ad mentem revocat, quæque ipse ingravescenti malo lenia primum per Legatos suos remedia conatus sit adhibere, antequam *ad districta & canonica* pervenire cogeretur. *Et quia*, inquit, *resecanda vulnera prius leni manu palpanda sunt, rogo, deprecor, & quanta possum dulcedine exposco, ut Fraternitas vestra cunctis sibi adulantibus atque erroris nomen deferentibus contradicat, nec stulto ac superbo vocabulo appellari consentiat*. Sileo rationes quibus hoc vocabulum impugnat; eædem enim sunt quas jam attigimus.

XV. Irriti S. Greg. conatus in Johannem, & in ejus successorem. Lib. vii. ep. 4. Ibid. ep. 6.

Irriti fuerunt tot conatus; Johannes enim assumtum titulum usque ad mortem retinuit, quæ paulo post acceptam hanc Epistolam contigit. Data est enim Kalendis Januarii Indictionis 13. scilicet anni 595. quo anno Johannem e vivis excessisse docent qui de ipso scripsere. Cyriaci successoris ejus dati synodicam Epistolam recepit quidem sapientissimus Papa; cum tamen admonuit, ut profanum nomen deponeret tot scandalorum seminarium. In Epistola ad Mauricium scripta, in qua de Cyriaci electione gratias agit, Johannem sanctæ memoriæ Episcopum appellat, quod satis probat eum numquam a Sedis apostolicæ communione fuisse [a] rejectum. Imperator de successore Johannis diu deliberaverat; unde non mirum est Cyriacum tardius, integro etiam anno elapso, fuisse ordinatum.

XVI. Finis hujus controversiæ.

Paulo post sancti Gregorii transitum ad superos, Bonifacius tertius qui ab ipso ad Phocam Imperatorem Apocrisiarius fuerat missus, cumque sibi demeruerat, [b] ab eo impetravit sanctionem, qua cavebatur ne in posterum Cyriacus, cui Phocas infensus erat, aut alii deinceps CP. Patriarchæ, œcumenicos ultra se profiterentur. Diu tamen hæc lex non viguit; nam in Synodis generalibus sexta & septima hoc titulo, non secus ac Romani Pontifices, insigniuntur, illoque gaudet adhuc Constantinopolitanus Antistes.

De illa voce contigit, quod de multis aliis, quę statim ob novitatem periculosę visę sunt, & idcirco rejiciendę; paulatim vero cum eas veneno carere, & ad legitimum sensum inflecti posse exploratum fuit, iis assuefieri cœptum. Neque tamen vituperari debet illud Gregorii studium quo voci dubiæ, novę, peregrinę, fastum redolenti, multisque pravis sensibus & significatibus obnoxię obstitit. Certe morosi illi censores, qui eum pro vocula tamdiu digladiatum esse criminantur, quantis laudibus extollerent Episcopum quempiam qui Romano Pontifici, hunc aut similem titulum æque insolentem ambienti & sectanti totis viribus intercessisset, utque dignitatem episcopalem tueretur, lubens omnibus se periculis exposuisset?

XVII. Refelluntur hæretici, sancti Gregorii modestiam ejus successoribus objicientes.

Immerito vero heterodoxi apostolicæ Sedis hostes infensissimi, ad se trahunt quod sanctus Gregorius docet, œcumenici nomen ne Romano quidem Pontifici concedi posse, cujus primatum & amplissimam in omnis Ecclesię jurisdictionem hac sententia pulsari contendunt. Sic ex sancti viri modestia & humilitate fragrantibus illis floribus non mel ut apes, sed venenum conficiunt ut araneæ. At non attendunt œcumenicum eo sensu quo sanctus Gregorius vocem hanc interpretatur, significare unicum in tota Ecclesia Episcopum, quod ultro fatemur Papę non congruere, & ad supremam ejus dignitatem ac potestatem minime convenire. Cęcutiunt autem qui non vident Gregorium ipsum de se suaque auctoritate tam modeste sentientem, jurisdictionem tamen in tota Ecclesia exercuisse; in Africa, Ægypto, Asia, intra ipsos CP. Patriarchatus fines, ut ex causa Monachorum Isaurię liquet. Libro III. Ep. 30. ait: *Apostolica Sedes, Deo auctore, cunctis prælata constat Ecclesiis*. Libro v. Ep. 13. *Curæ*, inquit, *nobis fuit, quæ universis Ecclesiis a nobis impenditur*. Lib. VII. Ep. 19. *Quia cunctarum Ecclesiarum injuncta nos sollicitudinis cura constringit*, &c. lib. IX. Ep. 59. Occasione Primatis Byzaceni in Africa, qui se apostolicæ Sedi subditum profitebatur, hęc scribit Johanni Syracusano: *Si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus subjectus non sit*. Hoc jure usus est in Episcopos, cum Petri Africani Episcopi causam Columbo in Numidia Episcopo judicandam commisit: Ursicini Taurinę civitatis Episcopi, Syagrio Augustodunensi: & Januarii Malacitani Episcopi, alteriusque Episcopi nomine Stephani Johanni Defensori. Paulum in Africa Episcopum a Gennadio Patricio accusatum, cum ipse ut judicio Papę se sisteret, venisset Romam, nec adfuissent accusatores idonei, remisit. Johannis, Episcopi primę Justinianę in Illyrico Episcopi & Primatis, ordinationem, petentibus provincię Episcopis sua auctoritate confirmavit, eumque Pallio donavit. Plurima alia jurisdictionis hujus exempla jam exhibuimus, & infra occurrent.

Lib. III. ep. 7. Lib. IX. ep. 114. Lib. XIII. ep. 47. Lib. VII. ep. 2. Lib. XI. ep. 22 & 23.

a A sancto Isidoro multum laudatur Johannes: secus autem fecisset si in schismate diem clausisset extremum.
b Vide Baronium ad annum 606. §. 2.

CAPUT

CAPUT II.

I. Gregorii pro pace facienda sollicitudo. II. Non auditur ab Imperatore. Falsæ contra eum criminationes. III. Luget S. Maximianum vitâ defunctum. Cui successorem dat Johannem virum sanctissimum. IV. Johannes Ravennas moritur. V. Cura S. Gregorii pro monasteriis. VI. Marinianus Ravennæ fit Episcopus. VII. Romanæ Synodi Decreta. VIII. De Mariniano querelæ. IX. Maxime quod monasteria vexari pateretur. X. Privilegium Monachis concessum. — An. 594. & 595.

I. Gregorii pro pace facienda sollicitudo. Lib. v. ep. 36

PRo pace Romanos inter & Langobardos facienda, & coagmentanda, hoc anno Gregorius adlaboravit. Ab ea non adhorrebat Agilulfus Rex; at postulabat ut quæ tempore pacis ablata sibi per dolum fuerant, restituerentur: vicissimque *se modis omnibus satisfacturum pollicebatur, si quid a partibus suis constiterit esse commissum*. Id æquitati consentaneum esse judicavit sanctus Pontifex, & ne ab Exarcho respueretur, ad Severum ejusdem Scholasticum scripsit, ut ipsi persuaderet oblatas illas pacis conditiones non repudiare. Romæ quidem, agroque Romano pacem privatim procurare in promtu erat, ad eam enim concedendam propendebat Agilulfus. At Gregorius, ut communis pater, de pace generali conficienda solicitus erat, quia nisi bellum cum Langobardis componeretur, *diversæ insulæ & loca alia procuildubio peritura erant*.

II. Non auditur ad Imperatore. Ibid. ep. 40.

At de pace minime cogitabat Exarchus, qui bellum toti Reipublicæ exitiosum, sibi utilissimum esse futurumque perspiciebat: ex detrimentis enim alienis lucra captare non verebatur. Illius itaque aliorumque similium publicæ rei administratorum suasionibus & consiliis deceptus Mauricius, non solum bello finem imponere minime consensit; sed etiam Gregorium ad odia deponenda, & ineundum fœdus hortantem, *nimiæ simplicitatis* arguit, maxime quod de Ariulfo Spoletano duce scripsisset, eum *toto corde venire ad Rempublicam paratum esse*; hoc est, ad pacem & societatem cum Romanis faciendam pronum. Sicque dum Papæ sanioribus consiliis non credebatur, vires hostium immaniter excrescebant, & Italia quotidie sub Langobardorum jugo captiva ducebatur. Hęc deplorat pius Pastor, & clades tum Italię, tum precertim Romę illatas enumerat. Cumque nihilominus a suadenda petendaque pace non cessaret, adhibita Castorii Notarii opera, quem Ravennę Responsalem habebat apud Exarchum: *Quidam maligni spiritus consilio repletus, contra hunc nocturno silentio, in civitatis loco contestationem posuit in ejus crimine loquentem, & Gregorio etiam de facienda pace callide contradicentem*. Adversus libelli hujus famosi auctorem excommunicationis sententiam tulit Papa, nisi prodiret, ac ea quæ in contestatione objiciebantur, probaret: aut facti pœnitens, publica confessione suam agnosceret culpam, pœnamque debitam deprecaretur. Eadem excommunicatione multavit eos, qui *consensum in tantæ iniquitatis consilio præbuissent*. — Falsæ contra eum criminationes. Lib. vi. ep. 31

III. Luget S. Maximianum vita functum. Lib. v. ep. 17.

Gregogis dolorem de publicis calamitatibs conceptum, auxit luctus de amici morte, nimirum S. Maximiani, qui ex Monacho & Abbate S. Andreæ creatus fuerat Episcopus Syracusanus. Tanto viro de se optime merito his verbis justa persolvit, & parentavit sanctissimus pater, ad Cyprianum Diaconum scribens: *Amarissimas tuæ Dilectionis Epistolas de domni Maximiani obitu mense Novembris suscepi. Et quidem ille ad præmia desiderata pervenit, sed infelix populus Syracusanæ civitatis lugendus est, qui Pastorem talem diu habere non meruit. Proinde Dilectio tua sollicitudinem gerat, ut in eadem Ecclesia talis debeat ad ordinandum eligi, qui post domnum Maximianum ejusdem regiminis locum non videatur immerito sortiri*. Ex hac Epistola intelligimus Maximianum diem clausisse extremum mense circiter Novembri an. 594. Nobiles Syracusani *electionis onera sapienter declinantes*, Gregorii arbitrio commiserant, quibus gratias agens scripsit, se quem ipsis daret Pastorem Maximiano similem non habere. Cypriano Diacono tamen indicavit Johannem Catanensis Ecclesiæ Archidiaconum tamquam magis idoneum; cui, si eligeretur, voluit a Leone Catanensi Episcopo *cessionem*, sive ut modo loquimur, dimissorias litteras dari, antequam ordinaretur. Deinde electo & ordinato Pallium misit. — Ibid. ep. 22.

Johannes in episcopatu virtutibus omnibus fulsit, præsertim effusa in pauperes liberalitate, itaut, *& si innumeros apud se pauperes haberet*, pro explenda tamen largitate misericordiæ, etiam loca alia & longe posita requireret, inquit sanctus Gregorius, ipsi gratias referens pro eleemosynis ad se missis. Ideo fortasse in egenos ita beneficum se præbuit, quod ad sanctissimi Doctoris præcepta sese componeret, eaque assidua scriptorum ejus lectione imbibere curaret: Hanc lectionem suæ mensæ, etiam *coram extraneis* adhibebat, qua cibos quodammodo condiret. Id ægre omnino tulit vir summæ humilitatis & modestiæ, auctorque fuit ut saltem coram peregrinis ab hac lectione Johannes abstineret, ac *antiquiorum* Patrum *dicta* legi juberet, *ex quorum auctoritate valerent informari*. — Cui successorem dat Johannem virum sanctissimum. Lib. vi. ep. 18 Lib. vii. ep. 9

IV. Johannes Raven. moritur. Lib. v. ep. 25. 48. 56. Ibid. ep. 21. & 25.

Eodem quoque anno quo Maximianus, Johannes Ravennatum Archiepiscopus e vita migravit, nondum sopita de usu Pallii controversia, ut ex nonnullis Gregorii Epistolis ad eum paulo antea scriptis perspicuum est. Imminentem mortem ei prænuntiasse visus est sanctissimus Pater his verbis, Ep. 25. *Hæc ergo omnia, quæ superius dixi, Frater carissime, recogita. Diem tuæ vocationis attende, quas rationes de sarcina episcopatus redditurus es, considera. Emenda illos mores notarii. Vide quid in lingua, quid in actu Episcopum deceat. Esto totus purus fratribus tuis. Non aliud loquaris, & aliud in corde habeas. Nec appetas ultra videri quam es, ut possis ultra esse quam videris*. Prius eum increpaverat quod irrisoriis verbis uteretur; quod servis suis, cum fureret, turpia imponeret crimina; quod se dominum tantummodo Clericis exhiberet, quos nulla coercebat disciplina.

V. Cura Gregorii

Ejusdem socordiæ forsitan tribui debet, quod Clerici multa monasteria pervasissent. Nimirum *fingentes religiose vivere, monasteriis præponi appetebant; verum per eorum vitam monasteria destruebantur*,

inquit S. Gregorius: qui enim in clericatu militat, arctam monasterii disciplinam ipse servare non potest. Quo itaque pacto qui monasticam regulam non implet, ad strictius observandam alios cogere poterit? Proinde non immerito providus pater tanto malo mederi quantocius curavit, *loca sacra per Clericorum ambitum destrui* minime patiens.

Nonnulli hac usi sunt Epistola; ut probarent monasticæ vitæ statum a clericatu prorsus esse alienum. Verum quantum id a mente S. Doctoris abhorreat, ipse manifeste ostendit cum ad sacros ordines, imo ad episcopatum Monachos quamplurimos tum e suo tum ex aliis monasteriis assumsit, & apostolicis etiam præfecit muniis. Quid quod monachatum aliquando assignat ut gradum & dispositionem præviam ad episcopatum? *Hortandus est*, inquit, *Opportunus, ut vel Monachus, vel a vobis Subdiaconus fiat; ut post aliquantulum temporis, si Deo placuerit, ipse ad pastoralem curam debeat promoveri*. At consulendus est doctissimus Mabillonius tum seculi IV. Benedictini Tomo I. in Præfat. tum in Annalibus. Mens igitur sancti Doctoris fuit [a] quantum ex laudata libri quinti prima Epist. & ex aliis assequi possumus, monasteriorum præfecturam minime Clericis esse commendandam; quia cum disciplinæ laxiori serviant, nec severioribus Monachorum moribus sint innutriti, de regulæ monasticæ observantia minus solliciti sunt. Præterea quandoquidem aut ambitus, aut avaritia, aut pravus quispiam alius affectus, iis Clericis quos Gregorius insectatur, viam ad abbatialem dignitatem muniebat, secularium vivendi modum sectabantur, in epulis, in suppellectili, in vestibus, quibus sibi procurandis ut pares esse possent, monasteria expilabant.

VI. Mortuo Johanne, de eligendo successore sollicitudinem gessit sanctus Pontifex. Donatum Archidiaconum postulabat Exarchus; eum enim designari credimus his verbis: *Excellentissimi viri domini Patricii voluntatem in persona Donati Archidiaconi impleri volumus*. Sane periculosum erat summi hujus Præfecti postulationi morem non gerere; qui cum Ravennæ Sedem haberet, in Episcopi illius urbis electione plurimum sibi vendicabat. Verum cum non pauca innotuissent in vita & moribus Donati quæ ab episcopatu repellendum eum suaderent, ejus ordinationi consensum non præbendum censuit Gregorius. Johannem quoque Presbyterum ad episcopalem dignitatem promoveri non est passus, quod Psalmorum nescius foret, ac in officio sacerdotali minus strenuus. Tandem unanimi consensu electus est Marinianus, invitus & reluctans. Hic diu in monasterio cum Gregorio vixerat; qui eum Andreæ Scholastico sibi familiari commendavit.

Gratum erga suum archipræsulem animum testaturus Andreas, apud S. Gregorium postea precibus egit, *de usu Pallii secundum antiquam consuetudinem in Ravennati Ecclesia restituendo*. Verum antequam annueret, ut quibusdam in Litaniis & diebus solemnibus Pallio uteretur Marinianus, jussit sapiens Pontifex ea de re explorari Archidiaconi & seniorum urbis testimonia, præstito prius a singulis sacramento.

VII. Ravennatem Ecclesiam regere cœpit Marinianus ante quintam Julii diem hujusce anni quo interfuit Synodo Romæ a Gregorio celebratæ. Hujus autem Synodi gesta & decreta quæ prius in Epistolarum serie habebantur, nunc legere licet in Appendice ad Epistolas. Præcipua sunt, de Diaconorum officio, de amovendis a pontificalis cubiculi ministerio laicis pueris, de coercendis rectorum Ecclesiastici patrimonii deprædationibus, de sacris ordinibus Pallioque gratis & absque ullo pretio conferendis, &c. In hac Synodo sancita unanimi consensu corroborarunt & subscriptionibus munierunt viginti tres Episcopi ac plurimi Presbyteri qui præcipuis Urbis titulis seu Ecclesiis præerant, non autem Diaconi & ceteri Clerici. In subscriptionibus secundo loco legitur Mariniani nomen, scilicet post Gregorium. De hoc cœtu loqui creditur sanctus Papa, ubi plurimis in Epistolis testatur Johannem Ecclesiæ Chalcedonensis Presbyterum de quo * jam dictum, in Synodo, Episcoporum judicio fuisse ab hæresis crimine liberatum.

VIII. Ceterum non multo post, susceptus episcopatus, & amissæ monasticæ tranquillitatis pœnituit Marinianum, calumniantibus schismaticis eum minus quam deceret Concilium Chalcedonense venerari. Qua de re scripsit S. Gregorius ad clerum & plebem Ravennatem, asserens Marinianum *a cunabulis in sanctæ universalis Ecclesiæ gremio nutritum, rectam fidei prædicationem tenuisse*, nec aliter quam par esset de Chalcedonensi sentire Synodo. *Proinde*, inquit, *satisfactionem plenissimam recipientes, caritate integra, puro corde, Pastorem vestrum diligite, ut apud Deum purius fusa ejusdem vobis valeat prodesse intercessio Pastoris*. Hæc pro Mariniano Gregorius.

Postea cum accepisset eum in pauperes esse nimis parcum, & litteris suis ejus tenacitatem increpavit, & per * Secundum sanctissimum Monachum hæc ad eum secreto monita deferenda curavit. *Non sibi credat solam lectionem & orationem sufficere, ut remotus studeat sedere, & de manu minime fructificare; sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat: quia si hæc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet.*

IX. Aliæ fuerunt postea de Mariniano querendi occasiones, maxime quod Monachis ipse Monachus iniquiorem se præberet; unde ad ipsum scripsit S. Gregorius: *Miramur cur sibi in brevi Fraternitatis tuæ fuerit immutata discretio, ut ea quæ postulat, non advertat: ex qua re dolemus, quia manifestum præbes judicium, plus apud te verba male suadentium valuisse, quam divinæ lectionis studium profecisse. Cumque monasteria te oporteat defensare, & religiosos illic summopere congregare, ut lucrum de animarum congregatione possis efficere; in eorum te e diverso gravamina, sicut litteræ tuæ testantur, desideras exercere: &, quod est deterius, nos tuæ culpæ studes fieri debere participes, scilicet, dum cum nostro consensu monasterium, quod decessor tuus condidit, cupis sub curandarum rerum atque causarum nomine prægravare. Debes enim recolere, quia te præsente, diversis etiam Presbyteris & Diaconis, Clericisque tuis præsentibus, contra testamentum ipsius præceptum, sicut postulavere, concessimus. Ubi tamen ejusdem decessoris tui dispositio, quam fecerat de monasterio ipso, firmata est; tu nunc ista dissimulans, contraria nos*

poscis

[a] Vide supra lib. 11. cap. ultimo

poscit debere præcipere. Cujus monasterii defensionem hac in Epistola Gregorius susceperit, non clara constat. Loqui tamen optimum Monachorum patrem pro Classensi S. Apollinaris monasterio a Mariniani prędecessore constructo conjicimus. Nec alia monasteria in Ravennati diœcesi posita Archiepiscopum magis beneficum experiebantur, ut ex fine laudatę Epistolę liquet. *Præterea*, inquit, *pervenit ad nos, quia monasteria, quæ sub Fraternitate tua sunt constituta, Clericorum importunitatibus, & diversis eorum molestiis prægraventur; quod ne de cetero fiat, districta hoc interminatione compesce: quatenus Monachis illic degentibus, libere in Dei nostri laudibus liceat exultare.*

Cumque pius pater audisset, insuper habita sua admonitione, Monachos adhuc a Ravennatibus Clericis, dissimulante Archiepiscopo, non secus ac antea vexari, iterum scribendum putavit, & vehementius instandum. Epistolam suam his verbis claudit: *Hæc itaque omnia vigilanti cura emendare jam secundo commonita Sanctitas vestra non differat; ne si post hac negligentes vos esse, quod non credimus, senserimus, aliter monasteriorum quieti prospicere compellamur. Nam vobis notum sit, quia tantæ necessitati servorum Dei congregationem amplius subjacere non patimur.* Lib. VII. Ep. 43.

X. Privilegium Monachis concessum.

Dum hæc scriberet S. Gregorius, jam fortasse meditabatur tranquillitati monasteriorum prospicere, celebri illo [a] privilegio, quod in Concilio Romano tertio promulgavit. Simile jam concesserat monasterio sanctorum Johannis & Stephani in urbe Classitana, cujus erat Abbas Claudius S. Gregorii discipulus. Inter Archiepiscopos Ravennates & Abbatem hunc motam litem Romæ judicari voluerat sanctissimus Pontifex. Cumque nonnulli ex elero & ex populo contra *clamitassent*, id legibus & canonibus adversari; rescripsit Papa: *Hoc poterat fortassis opponi, si non ad majorem recurreret, & apud eum causa sua peteret meritum terminari. Numquid non ipse nosti quia causa, quæ a Johanne Presbytero contra Johannem Constantinopolitanum fratrem & coepiscopum nostrum orta est, secundum canones ad Sedem apostolicam recurrit, & nostra est sententia definita? Si ergo de illa civitate ubi Princeps est, ad nostram causa cognitionem deducta est: quanto magis negotium quod intra vos est, hic est veritate cognita terminandum?* Ut igitur controversiam hanc radicitus amputaret omnemque litigandi occasionem, sapiens Pontifex monasterium hoc amplo munivit [b] privilegio, quod ita incipit: *Quam sit necessarium monasteriorum quieti prospicere* &c. Similibus quoque munivit [c] privilegiis Monialium cœnobia. Quis autem S. Papæ scopus esset has immunitates concedendo, non obscure aperit ad Luminosum Abbatem scribens: *His autem ita perfectis, in Dei opere estote solliciti, & assidue operam orationi date, ne non videatur magis vobis quæsita mentis in oratione securitas, sed male, quod absit, degentibus episcopalis evitata districtio.* (Lib. VII. Ep. 24.; Lib. II. Ep. 42.)

a Vide illud. in Appendice.
b Legitur lib. VIII. Ep. 15.
c Lib. VII. Ep. 12. & lib. XIII. Ep. 9.

CAPUT III.

I. S. Gregorius simoniam, & neophytorum ordinationes in Galliis insectatur. II. Arelatensi Episcopo suas vices committit. Eccl. Gallicana Romanæ filia. III. De primatu Arelatensi. IV. S. Gregorii de Franciæ Regibus oraculum. V. De laudibus a S. Greg. Brunichildi datis. VI. Quantum ab adulatione abhorruerit. VII. Gregorius Turonicus Papam invisit. Quo tempore. VIII. Quomodo ab ipso exceptus. IX. Quædam pro Monachis constituta. X. Et pro Sanctimonialibus. XI. Erga heterodoxos quomodo se gesserit S. Gregorius. (549. 594. & 595.)

I. S. Gregorius simoniam & neophytorum ordinationes in Galliis insectatur.

PAulo post profligatam in Sinodo Romæ hoc anno habita simoniam, cum inaudisset vigilantissimus Pastor *in Galliarum vel* [a] *Germaniæ partibus* plerosque Episcopos ejusdem esse reos, nullumque iis in provinciis *ad sacrum ordinem sine commodi datione pervenire*; tanto Ecclesiæ Gallicanæ morbo mederi volens, ad Virgilium Arelatensem Episcopum, & ad universos in regno Childeberti Præsules, necnon ad ipsum Childertum Regem scripsit: rogavitque ut de hac corruptela quamprimum eliminanda solliciti forent. In his etiam Epistolis laicorum & neophytorum præcipites ac immaturas [b] ordinationes damnat, tamquam a recto ordine prorsus dissentaneas. Quid enim? *Qui discipulus non fuit, inconsiderata ambitione magister efficitur*, inquit S. Gregorius; *& quoniam quod possit docere non didicit, sacerdotium tantum gerit in nomine. Quomodo vero pro aliorum peccatis intercessurus est, qui sua primitus non deflevit?* (Lib. V. Epp. 53. 54. 55.)

Quod supra de simonia in Galliis grassante Gregorium querentem audivimus, confirmat alter Gregorius, Turonicus videlicet, de re sibi nota loquens in Vitis patrum c. 6. *Jam tunc*, inquit, *germen illud iniquum cœperat fructificare, ut Sacerdotium aut venderetur a Regibus, aut compararetur a Clericis*. Neque ad tantum malum averruncandum satis fuit sancto Pontifici, semel aut iterum scribere. Imo plurimis deinceps Epistolis vel ad Brunichildem Reginam, vel ad Reges & ad Episcopos missis, vix ita profecit, ut a tanta labe Gallicanam nonnihil Ecclesiam repurgaret. Tales enim sunt hujusmodi corruptelæ ex cupiditate ortæ, ut continuis curentur remediis, sanentur numquam.

II. Arelatensi Episcopo suas

Virgilio probis moribus & virtutibus ornatissimo suas vices, juxta antiquum morem Gregorius concessit intra regni Childeberti fines, & Pallii usum, ab ipso Rege & ab Archiepiscopo rogatus. Qua

a Galliæ est seu Franciæ, quam Germaniam vocat, fortasse quod Franci e Germania sint oriundi. Eodem modo sæpe loquitur Johan. Diac. in vita S. Greg. superius edita. Apollinaris Sidonius provinciam Lugdunensem, appellat Lugdunensem Germaniam lib. v. Ep. 7. Etiamnum Archiepiscopus Senonensis, Primatis Galliarum & Germaniæ titulo gloriatur.
b Vide codicem Canonum Eccl. Romanæ can. 3. *Ne neophyti Presbyteri vel Episcopi fiant*. Et c. 39. *Ne laici fiant Episcopi*.

vices commisit.

vero in subjectos Episcopos auctoritate tamquam S. Sedis vicarius polleret, explicatur in Epistola 54. jam laudata. Ad ipsum causæ omnes, nisi forte majores aut de fide forent, quæ pro sui magnitudine judicio Sedis apostolicæ indigebant, finiendæ & judicandæ referebantur. Concilia cogebat & coactis præerat, *nullus Episcoporum ad longinquiora loca sine ejus auctoritate proficisci* poterat.

Eccl. Gallicana Romanæ filia. *Ep. 51. Tom II. Concil. Lab. Ep 54.*

Non prætereundum quod Gregorius docet in Ep. ad Virgilium, Ecclesiam Gallicanam Romanæ esse sobolem; & quidem, ad mentem Innocentii I. scribentis ad Decentium Eugubinum, *in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus aut ejus successores constituerunt Sacerdotes.* Arelatensis autem Ecclesia præsertim hac illustri origine gloriatur. Ejus sane antiquæ nobilitatis meminit S. Gregorius, quando ait antiquam se consuetudinem secutum esse, quando suas Virgilio vices commisit.

III. De primatu Arelatensi.

Urbem Arelatensem a Valentiniano & Honorio Galliarum matrem appellatam referunt qui de ea scripserunt, Sedemque constitutam Præfecti prætorio, in qua septem provinciarum Galliæ conventus quotannis celebrabatur. Ab ea dignitate politica Primatus & Exarchatus Ecclesiasticus initium duxisse videtur. Placuit enim Zozimo aliisque deinceps Romanis Pontificibus, nobilissimæ civitatis Episcopos, vicaria sanctæ Sedis potestate insignire: quorum tanta erat auctoritas, ut septem provinciarum Synodo præessent, litteras formatas Clericis peregrinantibus, ipsisque Episcopis abeundi licentiam darent; si quæ vero in Galliis & in Hispania orirentur de fide aut moribus controversiæ, ad illos tamquam Primates Romanique Pontificis vicarios dirimendæ referrentur. At cum ab Hilario Arelatensi Episcopo pervasa fuisse Metropolitanorum jura & usurpatas quæ ipsis deberentur ordinationes accepisset S. Leo, primatum amplissimum inter ipsum Episcopumque Viennensem [a] divisit.

Collatam aut confirmatam Virgilio vicariam Sedis apostolicæ potestatem Gregorius Magnus postea imminuit, quando, ut infra dicetur, Syagrio Augustodunensi Episcopo, suas intra Childeberti regnum vices demandavit. Ita Romani Pontifices, in argumentum summæ qua pollent, non precariæ potestatis, hujusmodi honores, ut magis e re Christiana videbatur, ad nutum aut conferebant aut auferebant.

IV. De Franciæ Regibus sancti Gregorii oraculum. *Lib. VI. ep. 6*

Ad ulteriora progredi non licet, nisi observato prius hoc celeberrimo Franciæ Regum encomio, quod oraculo simile Gregorius in Epistola ad Childebertum Regem cecinit: *Quanto ceteros homines regia dignitas antecedit, tanto ceterarum gentium regna regni vestri profecto culmen excellit. Esse autem Regem, quia sunt & alii, non mirum est; sed esse Catholicum, quod alii non merentur, hoc satis est. Quidquid autem Reges se ceteri gloriantur habere, habetis*, &c. Plurimi aliis laudibus quas subticeo subjecit sapiens pater præstantissimam de sectanda justitia ceterisque virtutibus colendis adhortationem. *Ut ergo sicut fide, ita & actione vincantur*, (ceteri Reges) *benignam se Excellentia vestra suis subjectis semper exhibeat. Et si qua sunt quæ ejus animum offendere valeant, ea indiscussa non puniat. Tunc enim vere Regi Regum, id est omnipotenti Domino amplius placebit, si potestatem suam restringens minus sibi crediderit licere quod potest.*

V. De laudibus a S. Greg. Brunichildi datis. *Ibid. Ep. VI.*

Laudes ab eodem pio Pontifice in Brunichildem Reginam effusas, nonnulli paulo iniquius ferunt. Nimirum non ob id solum quod *incolumem* filio suo Childeberto *rerum temporalium gloriam provida sollicitudine conservavit*, eam laude dignam existimat; verumetiam quod ipsi *æternæ vitæ præmia pia institutione providerit*. Ubique pietatem ejus & [b] summum erga res divinas studium honorifice commemorat. *Inter alia bona*, inquit ad eam scribens, *hoc apud vos præ ceteris tenet principatum, quod in mediis hujus mundi fluctibus, qui regentis animos turbulenta solent vexatione confundere, ita cor ad divini cultus amorem & venerabilium locorum disponendam quietem reducitis, ac si nulla vos alia cura sollicitet. Unde quia hujusmodi præpositorum actio, subjectorum magna solet esse munitio, præ aliis gentibus gentem Francorum asserimus felicem, quæ sic bonis omnibus præditam meruit habere Reginam.* Hæcne, inquiunt Brunichildis criminatores, hæcne citra adulationem dici potuerunt de Regina flagitiosissima, tot bellorum & discordiarum flabello, tot Regum interfectrice, tot scelerum artifice?

Si excutimus Gregorianas ad Brunichildem Epistolas, laudesque in illam collatas perpendamus, eam ob regnum summa prudentia gubernatum, & filiis assertum, necnon propter Christianam & Catholicam fidem vel apud Francos conservatam, vel in exteris gentibus propagatam, & propter insignia quædam in xenodochiorum ac monasteriorum aut aliorum locorum constructione pietatis opera commendatam fateri cogemur, dumtaxat a Gregorio, nec immerito fuisse liquido constabit. Sane Brunichildis Childebertum filium quinque annorum, mortuo patre Sigiberto, e Fredegundis manibus ereptum, ab Austrasiæ optimatibus Regem Metis renuntiari, quod summæ fuit prudentiæ ac industriæ argumentum; & a Gunthramno patruo Burgundionum Rege heredem postea institui curaverat rejecto Clothario Chilperici filio. Post Childeberti obitum, utriusque regni Austrasiæ scilicet ac Burgundiæ administrationem, & Theodeberti ac Theoderici nepotum adhuc in tenera ætate tutelam, quibus optime defuncta est, suscepit. Cum summa rerum potiretur, missos a S. Gregorio ad Anglorum conversionem Monachos fovit, & suppeditatis omnibus necessariis sanctum hoc opus mire promovit. In construendis sacris locis iisque ornandis ac ditandis munificentiam ostendit plane regiam. Quis tot tantisque prudentiæ, religionis ac liberalitatis operibus debitas laudes invideat?

Quod spectat ad crimina huic Reginæ impacta, aut post Epistolas ad eam a Gregorio scriptas admissa sunt, aut plane nulla fuere; ab ejus videlicet adversariis conficta, ut non immerito putant ex recentioribus Scriptoribus Carolus Cointius in Annalibus Francicis, & Cordemoyus in historia Regum Francorum quam Gallice scripsit. Nimirum cum tandem Brunichildis Clothario Chilperici filio quo nullum magis infensum hostem habebat, fuisset ab Austrasiæ & Burgundiæ optimatibus tradita; ut cru-

a Ante S. Leonem Bonifacius I. & Cælestinus I. de Arelatensium Episcoporum privilegiis jam quædam detraxerant.
b Vide lib. XI, Ep. 62. & 63. necnon lib. XIII. Ep. 6.

crudelissimam cui addicta est, mortem juste meruisse crederetur, u d que conquisitis criminibus est impetita: itaut ei etiam objicerentur cædes, quas vel Clotharius imperaverat; vel qui ejus partes sectabantur, patrarant.

VI. Quantum ab adulatione alienus.

Ut autem ostendamus quantum ab adulatione S. Gregorius alienus fuerit in Epistolis ad Brunichildem scriptis, indicare sufficiat [a] Epistolas in quibus eam de nonnullis emendandis in ejus regno admonet; scilicet de simoniaca labe, de laicorum immaturis ordinationibus, de idololatria in Galliis adhuc superstite, de Sacerdotibus flagitiose viventibus. Legenda præsertim sunt hæc increpatoria verba quibus Dei judicia non obscure intentat Brunichildi ejusque nepotibus: *Cum scriptum sit: Justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum; tunc regnum stabile creditur, cum culpa quæ cognoscitur, citius emendatur. Multorum igitur ad nos relatione pervenit, quod dicere sine afflictione cordis nimia non valemus, ita quosdam Sacerdotes in illis partibus impudice ac nequiter conversari, ut & audire nobis opprobrium & lamentabile sit referre.* Addit libera & pene prophetica voce: *Nec enim sunt dissimulanda quæ dicimus: quia qui emendare potest & negligit, participem se proculdubio delicti constituit. Providete ergo animæ vestræ, providete nepotibus, quos cupitis regnare feliciter, providete provinciis: & priusquam Creator noster manum suam ad feriendum excutiat, de correctione hujus sceleris studiosissime cogitate; ne tanto postmodum acrius feriat, quanto modo diutius & clementer expectat.* Hæc sane hæc satis superque demonstrant Gregorium cum Apostolo dicere potuisse: *Ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra; neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis.*

Prov. 14. 34. Lib. xi. ep. 69.

I. Thess. 2. 4.

VII. Greg. Turonicus Papam invisit: quo tempore.

E Galliis discedentes Italiam repetituri, Gregorium Turon. comitemur Romam euntem ad visitanda sanctorum Apostolorum limina, visendumque nostrum Gregorium: hanc enim sacram peregrinationem cujus meminit S. Odo in ejus vita, vix licuit aut citius referre, aut serius morari. Tardius quidem non potuit Romam proficisci Gregorius Turonicus; quippe S. Odone teste mortuus est an. 21. suæ ordinationis, quem ipse cum anno quinto Pontificatus S. Gregorii concurrere testatur in fine libri decimi historiæ. Multa vero persuadent Gregorium Gallicum haud citius Romam advenisse. Romæ quidem non erat anno 590. Gregorii Romani Pontificatus primo: quandoquidem quæ Romæ tunc contigerant, didicerat, & retulit ex sui Diaconi testimonio; quod aperte liquet ex lib. x. hist. c. 1. Anno sequenti, Regis Childeberti decimo sexto in Galliis erat, & Turonis excepit Episcopum quemdam Armenum, nomine Simonem, ex eodem lib. hist. c. 24. Hoc ipso anno ad Childeberti Regis aulam perrexit, & per pagum Remensem transivit, ex lib. iv. de miraculis S. Martini c. 26. Anno 592. Plato ejus Archidiaconus, cujus meminit eodem libro c. 32. ad episcopatum Pictaviensem vocatus est, cui cathedram hanc ascendenti adfuit, ut testis est Fortunatus Platonis postea successor. Anno nonagesimo-tertio supra quingentesimum, mense Januario, S. Leobardum *reclausum* in majori monasterio prope Turonum invisit; qui paulo post, hoc est die 18. ejusdem mensis die Dominica efflavit animam. Anno assignato dies 10. Januarii Dominica erat, quod nobis persuadet obitum S. Leobardi hoc ipso contigisse, non quinque aut sex annis prius. Quippe cum Gregorius ultimo loco de S. Leobardo egerit in libro de vita patrum, conjicere licet eum non multis ante suum obitum annis hæc sanctissimi hujus Monachi acta litteris consignasse. Eodem anno 593. quo Childebertus Rex Aurelianensium urbem adiit, & Gunthramni defuncti regnum est adeptus, Gregorius in ejus aula erat, ex lib. iv. de miraculis S. Martini c. 37. Turonique S. Martini solemnitatem annuam celebravit mense Novemb. ex ejusdem libri c. 38. Cum itaque S. Greg. Turon. e vivis excesserit Turoni, ut probabilius videtur, mense Novembri an. 595. ejusdem adventui in Urbem & reditui assignari debet annus nonagesimus quartus supra quingentesimum aut sequentis initium.

De hac professione Gregorius historicus omnino silet, quod argumento est ipsum morte occupatum statim ac Turones revisit, nihil novi scripsisse aut jam scriptis adjecisse. Quippe si diutius incolumis in Galliis postea vixisset, de tot Sanctorum sacris reliquiis Romæ visis eorumque miraculis auditis diu silere non potuisset.

VIII. Quomodo ab ipso acceptus.

Quidquid sit de tempore quo Gregorius Turon. sanctorum Apostolorum limina visitavit, eum a sanctissimo Papa magna cum reverentia exceptum fuisse narrat S. Odo. *Quem*, inquit, *ad beati Petri * Confessionem introducens, e latere constitit præstolans quoad surgeret. Interim autem ut erat ingenio profundissimus, secretam dispensationem admirans considerabat in hujusmodi hominem (erat enim statura brevis) tantam gratiam cælitus profluxisse. Quod ille mox divinitus persentiens, & ab oratione surgens, placidoque ut erat vultu ad Papam respiciens:* Dominus, *inquit*, fecit nos, & non ipsi nos; idem in parvis qui & in magnis. *Cumque ad sua cogitationi sanctus Papa responderi cognosceret, ipsa sua deprehensione gavisus, gratiam quam hactenus in Gregorio mirabatur, in magna veneratione deinceps habere cœpit; Sedemque Turonicam ita nobilitavit, ut auream ei cathedram donaret, quæ apud præfatam * Sedem in posterum servaretur.*

* Al. ad altare.

* Al. Urbem.

Monitur. Lib. vi. ep. 5

Paulo post reditum suum sanctus Episcopus e vivis excessit die 15. Novembris. Extat S. Gregorii Epistola ad ejus successorem Pelagium scripta Indict. xiv. quæ respondet an. 595. & 596. Verum cum inter ultimas hac Indictione currente scriptas legatur, ad finem hujus Indictionis, proindeque ad annum 596. pertinere debet.

IX. Quædam pro Monachis constituta. Lib. vi. ep. 18

Etsi non pauca in monasteriorum commodum hoc anno a S. Gregorio constituta jam observaverimus, aliqua tamen adhuc supersunt observatione digna, quæ breviter hic recensere non pigebit. Monachorum qui ad sacerdotium seu potius ad presbyteratum assumebantur, alii Ecclesiis regendis præficiebantur, alii pro monasteriis ordinabantur, quibus addicti & alligati permanebant. Et illi quidem nisi consentiente Abbate, non poterant ab Episcopo e monasterio tolli; ut manifeste probant quæ leguntur in Epistola ad Candidum Episcopum *de Urbe veteri* scripta. [b] Idque con- b

a Vide præsertim lib. ix. Ep. 109. & lib. xi. Ep. 60.
b *Propterea præsentibus vobis licentiam damus Epistolis, Monachos de monasteriis in tua parochia positis, cum consensu Abbatis sui tollere & Presbyteros ordinare.*

Lib. VIII. ep. 15. firmat quod biennio post scripsit ad Marinianum Ravennatem Episcopum: *Pariter autem custodiendum est, ut invito ejusdem monasterii Abbate, ad ordinanda alia monasteria, aut ad ordines sacros, vel clericatus officium, tolli exinde Monachi non debeant.*

Ad sacrum ministerium ordinari non debebant, nisi præmisso de vita & moribus serio examine. Et hi quidem velut emancipati, ulterius in monasterio nec habitabant nec habitandi potestatem habebant aut licentiam: *Ne monasteria hujus occasionis velamine, ea quæ prohibemus, sustinere onera compellantur*, inquit S. Greg. lib. VII. ep. 43. Qui vero pro monasteriis Presbyteri constituebantur, adhuc juris Abbatum erant, neque obedientiæ jugum excutere poterant; quod etiam Regulæ S. Benedicti c. 62. cautum est: eosque tantum ordinabat Episcopus, quos ad hoc officium Abbas ejusque congregatio elegissent. Ad summum tamen sacerdotium, non expectato Abbatum aut congregationum consensu, sola cleri populique voluntate ac postulatione rapi poterant. Tunc enim ex [a] Clericis & ex Monachis indiscriminatim assumebantur, qui episcopali fungerentur cura.

Etsi nondum lege fuisset constitutum, ut Abbates essent Presbyteri, non raro tamen presbyterali dignitate tunc insignes erant, qui regendis monasteriis præficiebantur, ut ex plurimis S. Gregorii Epistolis exploratum habemus, & ex variis aliis Ecclesiæ monumentis. Qui propter lapsum a sacro ministerio cessare jussi fuerant Abbates Presbyteri, licet ad sacerdotale officium resurgere numquam possent, ad monasteriorum tamen præfecturas redire, ex sanctissimi Pontificis indulgentia passi sunt.

X. Et pro Sanctimonialibus. Si omnia vellem hic recensere quæ hoc anno in monasteriorum gratiam a S. Gregorio sunt constituta, vix numerando essem. Non minus curæ erant pio patri Sanctimoniales, quam Monachi; quas utpote infirmioris sexus, legibus muniendas severioribus existimavit. Quapropter cum accepisset *per Anastasium medicum* in quodam Virginum cœnobio *multa mala contigisse*, ei monasterii hujus, & ceterorum quæ sacræ Virgines incolerent, fores occludendas esse censuit, de animæ potius quam de corporis salute sollicitus.

Romanum Exarchum Sanctimonialibus ad seculum reversis & conjugio sociatis auxilium patrociniumque impendentem, ab hoc peccato deterruit, ei libere significans se nullatenus amicum ejus esse posse, qui tanto flagitio, quod inultum remanere numquam passurus erat, tantisper faveret.

XI. Erga heterodoxos quomodo se gesserit S. Greg. A se constituta mutare & fixa refigere non verebatur humilis Gregorius, quando experientia compertum habebat, ea Reipublicæ Christianæ non amplius prodesse. Itaque quamvis plurimis in Epistolis docuisset cum heterodoxis & ipsis Judæis mitius esse agendum, religionemque Christianam, non minis & terroribus, sed benignitate ac *prædicationis suavitate*, persuaderi debere: postea tamen mutato consilio frequenter scripsit Manichæos & Judæos qui in possessionibus Romanæ Ecclesiæ erant (cum mansuetudine pellici non potuissent) summopere esse insectandos & tributis onerandos: conversos autem ad fidem, remissis ex parte pensionum oneribus confirmandos. *Et si*, inquit, *ipsi minus fideliter veniunt*, (ad Ecclesiam) *hi tamen qui de eis nati fuerint, jam fidelius baptizantur. Aut ipsos ergo, aut eorum filios lucramur.*

Quantum lucrandis animabus inhiaret S. Gregorius potissimum ostendit, missis ad Anglos adhuc idolorum cultui deditos prædicatoribus; de qua sacra expeditione nunc agendum.

Marginal references: Lib. VI. ep. 43. — Lib. VI. ep. 42. — Lib. … ep. 18. — Lib. … ep. 9. Lib. V. ep. 4. 7. 38. Lib. V. ep. 3. 4. & 7. — Lib. VI. ep. 6. Ibid. ep. 24. — Lib. I. epp. 35 & 47. — Lib. V. ep. 8.

a *De clero Ecclesiarum ipsarum, vel ex monasteriis, si qui digni ad sacerdotalem locum possunt inveniri.*

CAPUT IV.

An. 595. & 596.

I. S. Gregorius mittit S. Augustinum in Angliam. II. Christianæ fidei exordium in Britannia. III. Angli idololatræ hanc occupant insulam. IV. Quando profecti Augustinus & socii Monachi. V. De reditu cogitantes a S. Gregorio corroborantur. VI. Quo loco subsistierint. VII. Eorum iter per Galliam describitur. VIII. De Cantii quo appulsi sunt regno, Rege, Regina. IX. Augustinus Regem adit. X. Ejusdem ad Regem oratio. XI. Responsum Edilberthi. XII. Cantuariam ingreditur cum sociis. Quo apparatu.

I. S. Gregorius mittit S. Augustinum in Angliam. ANglorum salutem jam a longo tempore sitiebat Gregorius, quod ex [a] antea dictis liquet, ac Britanniam cogitabat. Ut verbi Dei præcones illuc brevi profecturi aliquos adjutores haberent, jussit sapientissimus Pontifex a Candido Gallicani patrimonii Rectore, ex Anglorum gente comparari adolescentes, *ab annis decem & septem, vel decem & octo*, & in monasteriis de fide ritibusque Christianis edoceri ac erudiri, quorum postea ministerio ad gentis totius conversionem uteretur. Etsi nondum tanto labori & operi maturi viderentur hi pueri (sexto enim anno sui Pontificatus ineunte, de ipsis emendis scripsit S. Gregorius ad Candidum Presbyterum, & eodem exeunte, Augustinum in Galliam misit, unde in Angliam postea transmitteret) hanc tamen expeditionem diutius procrastinandam non est ratus: sive quod morte, quam ex assiduis morbis vicinam esse suspicabatur, præveniri metueret, sive potius quia, ut ipse innuit ad Gallicanos Episcopos scribens, Anglorum gentem velle fieri Christianam inaudierat; Bertha Edilberthi Cantiorum Regis uxore Christiana, virum proculdubio ejusque subditos ad Christi fidem amplexandam pelliciente.

II. Christianæ fidei exordia. Insula illa omnium quæ Europæ adjacent amplissima, Britannia tunc dicta, & ab Anglis incolis Anglia postea magna ex parte nuncupata, longe antequam ab hac gente occuparetur, fidem Christianam su-

Marginal references: Lib. VI. ep. 7. — Ibid. epp. 52. 53. & 58. 59.

a Vide lib. I. c. 5. n. 5.

susceperat; & [a] ab ipsis quidem (si Eusebius Cæsariensis Episcopus audiatur) Christi Salvatoris discipulis. Quinam illi fuerint non audemus asserere; vulgo tamen creditur Josephum ab Arimathæa [b] Britannis Christum annuntiasse. Sanctos Apostolos Petrum & Paulum in Britanniam trajecisse, prædicandi Evangelii causa nonnullorum est sententia, ut apud Spelmannum legere licet; ad quod probandum adducunt testimonium Theodoriti. Qui Britannicæ & Anglicæ gentis historiam texuit Venerabilis Beda, de Lucii Regis conversione agit, sedente Romæ Eleutherio, a quo Lucius verbi divini præcones petiit & impetravit, circa annum Christi 177. aut 180. Sane Tertullianus Eleutherii suppar lib. adversus Judæos, quem circa an. 208. elucubravit, docet cap. 7. Britannorum inaccessa Romanis loca Christo patuisse & subdita fuisse; cui suffragatur vix ætate & auctoritate inferior Orig. hom. 6. in Lucam.

In Britannia. *Beda lib. 1. hist. c. 4.*

Diocletiani persecutio multorum Martyrum sanguine Britanniam purpuravit consecravitque; quos inter eminet S. Albanus, ex celeberrimo tota insula monasterio ejus nomine insignito notissimus. Pace Ecclesiæ reddita, plurimi e Britannia Episcopi, variis quarto ineunte & decurrente seculo habitis conciliis interfuerunt; Arelatensi anno 314. Sardicensi anno 347. & paulo post Ariminensi: unde profecta hæresis Ariana, corrupto pene toto Orbe, hanc etiam insulam velut extra Orbem positam infecit; *dum illius incolæ novi semper aliquid audire gaudent, & nihil certi firmiter obtinent*, inquit Beda de populis sibi notis suisque gentilibus. Postea regnantibus Arcadio & Honorio, *Pelagius Brito contra auxilium gratiæ supernæ, venena suæ perfidiæ longe lateque dispersit*; quæ per Agricolam Severiani Episcopi Ariani filium, apud Britannos illata & propagata, Gallicanorum Antistitum ope repressa est ac extincta. Hi etenim supplicantibus Britannis, qui se ad superandas hæreticorum versutias, impares sentiebant, duos doctrina & sanctitate præcipuos in subsidium Episcopos miserunt, Lupum Trecensem & Germanum Antissiodorensem Episcopum, cujus præsertim miraculis & prædicatione, qui perseverarant in fide, confirmati sunt; debellatique heterodoxi. Britannicam postea Ecclesiam a ceteris pene divisit Scotorum error & singularis in celebrando paschate ritus, quem doctissimus Petavius ortum putat ex Anatolii loco falsa Rufini interpretatione corrupto. Sane Anatolium, qui fuit Laodicenus tempore Diocletiani & Maximiani Episcopus, mire laudat S. Columbanus in [c] Epist. ad S. Gregorium; in qua pro hoc suorum Scotorum ritu decertat.

Ibid. c. 8. *Pelagiana hæresis inficitur.*

III. *Anglo-Saxones insulam occupant.*

Christianam Religionem in insula pene oblitterarant Angli & Saxones, aliique barbari nondum ab idolorum servitute liberati; quos Britones adversus Pictos & Scotos assiduos hostes, ab extrema Germania, malis avibus accersiverant. Ab his potior insulæ pars occupata est, & in septem Ethnarchias, pro gentium diversitate divisa; Pictis interim e Scythia & Scotis ex Hibernia oriundis septentrionalem partem, Britonibus vero magis Australem retinentibus.

In tanta rerum perturbatione, neque Britones oppressi de serendo apud hostes infensissimos Evangelico semine cogitabant; neque, etiamsi de Christiana lege prædicanda solliciti fuissent, Angli eam erant amplexuri, ne victis victores deditionem fecisse viderentur. Gallicanorum Episcoporum oscitantiam in accuranda eorum conversione carpit S. Gregorius ad Theodericum & Theodebertum Francorum Reges scribens: *Pervenit ad nos Anglorum gentem ad fidem Christianam Deo miserante desideranter velle converti, sed Sacerdotes e vicino negligere, & desideria eorum cessare sua adhortatione succendere.*

Lib. IV. ep. 58.

IV.

Ceterum tantæ molis, utilitatisque majoris opus Gregorio debebatur, quod etiam anno sexto sui Pontificatus aggressum esse testis est Beda: *Anno*, inquit, *decimo-quarto Mauritii Augusti*, Christi juxta eumdem 596. *Misit servum Dei Augustinum & alios plures cum eo Monachos timentes Dominum, prædicare verbum Dei genti Anglorum.* Præcipui Augustini adjutores fere Laurentius Presbyter, & Petrus. De tempore cœptæ hujus expeditionis validius argumentum eruitur ex Epistolis ea de re scriptis, quæ omnes ad Indictionem XIV. pertinent, & libro VI. Registri continentur.

Lib. 1. hist. c. 23.

Ex iisdem Epistolis liquet Augustinum fuisse Monachum & quidem [d] monasterii S. Andreæ cujus Præpositus erat. Ipsius socios ex eodem monasterio sumtos & delectos, probant ista verba: *Remeanti Augustino Præposito vestro, quem & Abbatem vobis constituimus, in omnibus humiliter obedite.*

Lib. VI. ep. 51.

V. *De reditu cogitantes a S. Gregorio corroborantur.*

At cum profecti essent, & aliquantum itineris confecissent, perculsi timore inerti, redire domum, potius quam barbaram, feram, incredulamque gentem, cujus ne linguam quidem nossent, adire decreverunt; quod tamen exequi minime ausi sunt inconsulto sancto Pontifice. Ad eum itaque miserunt Augustinum ipsum Gregorio supplicaturum, ut sibi sodalibusque suis revertendi copiam concederet, ne se suamque gentem, imo summum ipsum Pontificem Francorum Anglorumque ludibrio exponerent, ob tentatam temere nulloque fructu incertam aleæque ac laboris plenam peregrinationem. At Gregorius ut titubantes confirmaret, Augustinum ad socios redire jussit, quibus scripsit in hæc verba: *Quia melius fuerat bona non incipere, quam ab his quæ cœpta sunt, cogitatione retrorsum redire, summo studio, dilectissimi Filii, oportet ut opus bonum, quod auxiliante Domino cœpistis, impleatis. Nec ergo vos labor itineris, nec maledicorum hominum linguæ deterreant: sed omni instantia, omnique fervore quæ inchoastis Deo auctore peragite*, &c. quæ legi possunt tum apud Bedam, tum in Registro Epistolarum. Ex tempore quo scripta est hæc Epistola (data legitur decima die Kalend. Augusti) conjici potest quando Augustinus & socii profecti fuerint. Eodem die & anno scriptam Epistolam 52. ex Beda præsertim eam referente intelligimus. Eamdem quoque ætatem esse ceterarum Epistolarum, quibus Papa prædicatores a se missos commendavit Galliæ tum Regibus & optimatibus, tum Episcopis, facile in animum indu-

Lib. VI. ep. 51.

a Lib. III. demonstrat. Evang. pag. 12. ἐπὶ τὰς καλουμένας Βρεττανικὰς νήσους.

b Vide Spelmanni Præfationem in Concilia Angliæ §. de exordio Christianæ Relig. in Britanniis, & Danielem Langhornium in Antiquitatibus Albionensibus. Londini an. 1673.

c Vide lib. IX. Epp. S. Greg. Ep. 127.

d S. Greg. in Ep. 3. lib VIII. scribens Eulogio, Augustinum appellat monasterii sui Monachum.

duxerim. Quippe cum illos nutantes cognovisset, ac viso eminus tantum periculo territos, atque ad longam inter ignotas gentes peregrinationem minus expeditos, ad procuranda ipsis subsidia, quibus magna laboris pars levaretur, animum adjecit. Hoc autem consilio scriptam fuisse Epistolam 52. cum duabus immediate subjectis, necnon 57. duasque sequentes libri sexti, satis intelligitur ex argumento singulis præfixo.

VI. Quo loco substiterint. Lib. 1. c. 23. tom. 1. Act. SS. Ord. S. Bened.

Quo loco substiterint hi verbi sacri præcones non legimus. Apud Bedam & in vita S. Augustini tantum habetur eos *postquam aliquantum itineris confecissent*, seu emenso *aliquot dierum itinere*, cursum repressisse, & donec rediret Augustinus ad S. Gregorium ab ipsis missus, moram fecisse. Conjicitur tamen, nec immerito, eos in Provincia, non longe ab insula Lirinensi consedisse. Id sane significant verba hæc Ep. 56. lib. VI. ad Stephanum Abbatem Lirinensem: *Lætos nos relatio Augustini servi Dei præsentium portitoris effecit, quod Dilectionem tuam, ut oportet, vigilantem esse narravit.* Quomodo enim Augustinus Romam ex suscepto itinere reversus, hæc de Lirinensi Abbate retulisset, si longe antequam ingressus esset Provinciam, patriam revisisset? Idem Augustinus adierat quoque Protasium Aquensem Episcopum, & Arigium Patricium, de quibus multa Gregorio tamquam oculatus testis narravit in Urbem redux. Itaque quando legitur apud Bedam *aliquantum itineris* tantum progressos fuisse Augustinum ejusque sodales, id intelligendum non simpliciter, sed comparate ad multo longius quod conficiendum supererat. Eadem ratione debet explicari scriptor vitæ S. Augustini, dum post iter *aliquot dierum* de reditu cogitasse Monachos illos asserit. Nunc ipsos alacriter viam iterum carpentes videamus.

Lib. VI. ep. 53 & 57.

VII. Eorum iter per Gallias describitur. Ep. 52. Ep. 53. Ep. 54.

Ex commendatitiis quas Augustinus deferendas acceperat Epistolis descriptum habemus ejus iter per Gallias. Primo quidem appulerunt Massiliam, ubi Serenum Episcopum salutarunt; ex Gregorii nomine data ei Epistola. Postea pervenerunt Arelate, inviseruntque Virgilium Archiepiscopum sanctæ Sedis Vicarium, cui eos potissimum commendarat Papa. Deinde adeunda Vienna cujus Episcopus erat Desiderius, unus ex his ad quos Gregorius scripsit. Tum petendum Lugdunum, etsi ad Etherium hujus urbis Episcopum nullæ extant litteræ tunc ea de re scriptæ. Inde tetenderunt Cabilonem, ubi Theodericus Rex cum Brunichilde avia residere consueverat. Utrique Papa suis commendarat Epistolis Augustinum ejusque adjutores. Tum Augustodunum perrexerunt Syagrii Episcopi opem imploraturi, litterasque Papæ oblaturi. Multis peragratis locis vel Divodurum-Mediomatricum pervenerunt, vel Durocortorum-Remorum Theodeberti Austrasiæ Regis Sedes, quem commendatos habere suos Monachos verbi divini præcones, litteris plurimum rogabat S. Gregorius. Ab hujus Regis aula Cæsarodunum-Turonum venerunt, tum ut S. Martini tumulum sacrasque reliquias venerarentur, tum ut Pelagio Episcopo S. Gregorii litteras redderent. Utrum ex itinere deflectentes Mediolanum-Santonum adierint ad salutandum Palladium Episcopum, ad quem Papa scripserat, difficile est statuere. Fortasse cum plurimum gratia polleret apud Francorum Reges, eum in aula invenerant, eique sanctissimi Pontificis, qui eumdem jam beneficio devinxerat, litteras reddiderunt. Augustinum per Andegavos transiisse auctor est Goscelinus in ipsius vita; narratque miraculum non longe a *Ponte Sai*, sive ut alii dicunt, *Ponte Cæsaris*.

Ep. 58 & 59.

Ep. 55.

Ep. 52.

VIII. De Cantii quo appulsi sunt regno, Rege, Regina. Lib. 1. c. 25.

His omnibus omissis Beda scribit: *Roboratus ergo confirmatione beati Patris Gregorii Augustinus, cum famulis Christi qui cum eo erant, redit in opus verbi; pervenitque in Britanniam;* & in insulam Tanetos dictam appulit regni Cantii portionem ad Orientalem plagam. In Cantio regione Britanniæ Gallis objecta usque ad Humbrum fluvium, tunc regnabat [a] Edilberthus, cujus uxor erat Bertha Chariberti Francorum Regis filia & Clotharii primi neptis: Anglo Regi hac lege in matrimonium data, ut fidem Christianam retineret ac libere profiteretur; quapropter Ludhardum Silvanectensem Episcopum secum duxit, ac in aula sacrorum ministrum habuit. Ab illa præsertim pellectum fuisse Regem ad ejurandum idolorum cultum credimus, ex S. Gregorii consilio, qui conversionem gentis Anglorum ejus mercedi reservatam asserit, atque ad tantum opus perficiendum eamdem vehementissima adhortatione accendit: quasi Regiæ Francorum stirpis filiæ veram fidem pro dote viris suis afferre consuevissent. Sic enim Chlodesuinda Chlotarii Regis filia Alboinum Langobardorum Regem Christianum effecit; & Ingundis filia Sigiberti & Childeberti Regis soror, Hermenegildo Ariano tradita, eum ad Catholicam inflexit fidem, & ad martyrium inflammavit.

Lib. XI. ep. 29

IX. Ad adeundum Regem ad se. Beda ibid.

Augustinus ab insula Taneto misit ad Edilberthum ex suis sociis, qui dicerent se Roma profectos *nuntium* ad eum *ferre optimum, qui sibi obtemperantibus æterna in cælis gaudia & regnum sine fine cum Deo vivo & vero futurum, sine ulla dubitatione promitteret.* Eos perhumaniter excipiens Rex, jussit eos in eo quo appulsi erant loco aliquandiu morarentur, donec quid facto opus esset decerneret; suppeditatis interim cunctis necessariis. Post dies aliquot venit ad insulam Rex, & sub dio residens, Augustinum ac socios ad colloquium accersivit: *Caverat autem ne in aliquam domum ad se introirent, vetere usus augurio*, inquit Beda, *ne superventu suo, si quid maleficæ artis habuissent, eum superando deciperent. At illi non dæmoniaca, sed divina virtute prædìti, veniebant, crucem pro vexillo ferentes argenteam, & imaginem Domini Salvatoris in tabula depictam, Letaniasque canentes.*

X. Ejus ad Regem oratio. Beda ibid. Acta S. Augustini die 26. Maii apud Bolland.

Augustinus, impetrata loquendi licentia, Regi aperuit se sociosque suos eo consilio advenisse, ut ipsum docerent, qua ratione post mortem gloriosius regnaret, immortalitatisque coronam consequeretur. Ipsam credentibus in se Jesum Christum sua morte promeruisse, regnumque cælorum reserasse. Nimirum tanto Deum amore flagrasse erga homines, ut ad eorum salutem procurandam filium suum unigenitum turpissimæ morti, crucis videlicet supplicio tradiderit. Ita crucis scandalum minime dissimulandum putavit egregius prædicator; quo magis divinam ejus virtutem ad hominem a mortis peccatique servitute liberandum commendaret. *Quid enim tam dignum Deo quam salus hominis?* Eumdem Christum post mortem resurrexisse, regnum cælorum conscendisse, atque ad dexteram patris se-

a Sic legendum, non *Adilberthus*. Edil lingua Saxonica significat gloriosum, honoratum juxta Spelmannum.

sedere adjecit; venturum autem in extrema mundi consummatione ad ferendum de cunctis mortalibus judicium. Atque ut fidem faceret, miracula enarravit innumera & stupenda, quæ divinitatis Christi certa argumenta sunt; præ ceteris vero gentium fere omnium in suscipienda Christiana religione, idolisque rejiciendis miram conspirationem; licet renitentibus pravis hominum affectibus ac vitiis, quibus ita favebat Ethnicismus, ut divinos etiam honores pro eis decerneret ac rependeret: cum e contra mortem æternam corruptelæ morum stipendium esse doceat lex Evangelica. Subjunxit Augustinus Orbem ita Christianum factum a Gregorio Romano Pontifice sapientissime gubernari: qui salutem Regis, Anglorumque omnium sitiens, libenter hæc ipsis prædicaturus advolasset, nisi tot sibi creditarum ovium curam deserere formidasset optimus pastor: se vero pro ipso legatione fungi.

Ad hæc Rex inter inoliti erroris tenebras, & affulgentem veritatis lucem anceps & cunctabundus, *respondit ut æger, favens quidem medicis, sed necdum patiens curationis*, pulchra sibi videri verba & promissa; *sed quia nova sunt & incerta*, inquit, *non possum assensum tribuere, relictis eis quæ tanto tempore cum omni Anglorum gente servavi. Verum quia de longe huc venistis, ut quæ vera & optima vobis videntur, ea nobis communicaretis, pergratum habemus; annuimusque ut quicumque Christo nomen dare voluerint, a vobis suscipiantur, & pro vestro more instituantur*. Præterea locum assignavit in civitate [a] Dorrobernia, totius regni metropoli, ubi commode manerent; & quæ ad vitam necessaria forent abunde suppeditari jussit. XI. Responsum Edilberti.

Urbem regiam ingressi sunt, crucem & imaginem Christi Servatoris more suo præferentes, & litaniam hanc voce consona modulantes: *Deprecamur te, Domine, in omni misericordia tua, ut auferatur furor tuus & ira tua a civitate ista, & de domo sancta tua, quoniam peccavimus, alleluja*. In concessa sibi sede Augustinus ejusque commilitones, apostolicam nascentis Ecclesiæ vitam imitari cœperunt, cuncta mundi hujus velut aliena spernendo, & ea tantum quæ victui necessaria forent, ab eis quos docebant, accipiendo: ut exemplis potius quam verbis, legis Christianæ sanctitatem commendarent. His innoxiis illecebris allecti ad veritatis retia non pauci, fidem in Christum amplexi sunt; quibus in antiqua sancti Martini juxta urbem Ecclesia, sola tum superstite, synaxes agere concessum est. At postquam Rex ipse credidit & baptismo initiatus est, [b] miraculorum quibus Deus servorum suorum doctrinam sanctitatemque confirmabat, invicto testimonio ultra reluctari non ferens: vetera templa diruta restaurare, ac nova extruere mira cœperunt alacritate neophyti. Nimirum tanta tunc Ecclesiæ nascenti facta est accessio, Anglis Regis exemplum certatim sequentibus (licet ad religionem neminem cogeret) ut eos prior Ecclesia minime caperet. XII. Cantuariam ingressus cum sociis. Quo apparatu. Beda ibid. c. 26.

a Postea *Cantuaria* dicta.

b De patratis ab Augustino sodalibusque ejus miraculis, non semel eorum narrata loquuntur, solertiam Beda loco laudato, & ipse Gregorius, præcipue in Ep. 30. lib. VIII. ad Eulogium: *Tantis*, inquit, *miraculis vel ipse (Augustinus) vel hi qui cum eo transmissi sunt, in gente eadem coruscant, ut Apostolorum virtutes in signis quæ exhibent, imitari videantur. In solemnitate autem Dominicæ Nativitatis, quæ hac prima Indictione transacta est, plus quam decem millia Angli ab eodem nunciati sunt fratre & coepiscopo nostro baptizati*.

C A P U T V.

I. Augustinus ordinatur Episcopus. II. Baptizat decem Anglorum millia. Romam mittit & Papam consulit. III. A quo novum prædicatorum subsidium accipit. Et alia plurima. IV. Epistolæ S. Gregorii ad Regem. Ad Reginam. Et ad Augustinum. V. De monasterio prope Cantuariam condito. Et monastica vita in Ecclesia Cantuariensi instituta. Luculentum ea de re Bedæ testimonium. VI. Alterum ex Beda sumtum argumentum ineluctabile.

DAtam sibi a S. Gregorio provinciam tam feliciter auspicatus Augustinus, ejusdem jussu in Galliam trajecit ubi *a Germaniarum Episcopis factus est Episcopus*. Per Germanias Gregorius intelligit Gallias tunc a Francis e Germania oriundis & profectis occupatas. Forsitan quoque Germaniis inter Arelatensem censuit provinciam ob Burgundiones ejus incolas origine Germanos. Eadem enim ratione Apollinaris Sidonius provinciam Lugduno subditam, Lugdunensem Germaniam appellat. Ab Episcopo Arelatensi ordinatum fuisse Augustinum refert Beda; quem memoria lapsus Etherium nominat. I. Augustinus ordinatur Episcopus. Lib. VIII. ep. 30. Lib. V. ep. 7. Ibid. c. 27.

In insulam reversus novus Apostolus ipso [a] Natalis Domini die plus quam decem Anglorum millia lustralibus aquis tinxit. Quod Indict. 1. contigisse testatur Gregorius ad Eulogium scribens, hoc est Pontificatus sui anno octavo. Mox Augustinus duos ex sodalibus, Laurentium & Petrum Romam misit, ut de omnibus quæ gesta fuerant certiorem facerent sanctum Pontificem, eumque de nonnullis quæstionibus interrogarent & consulerent; quas cum ipsius responsis ad singulas legimus tum apud Bedam, tum in Epistolarum Registro. Præcipuæ sunt de quatuor Ecclesiasticorum redituum & oblationum portionibus faciendis; de Clericis post susceptum clericatum conjugatis; de consanguinitatis affinitatisque gradibus matrimonium impedientibus; de ordinatione Episcoporum. Canonibus quidem cautum erat, ut Episcopo alterum consecranti duo alii adessent Episcopi; saltem II. Baptizat decem Anglorum millia. a Lib. VIII. ep. 30. Romam mittit & Papam consulit. Lib. XI. ep. 64.

a Siricius papa in Ep. ad Himerium Tarracon. can. 2. damnat quidem eos qui passim baptizant in Natalitiis Christi aliisque solemnitatibus; solumque Paschale tempus ac Pentecosten assignat ad celebrandum baptismum. Ab hac tamen eximit lege necessitatis casus. Sane Clodovæus qui primus ex Francorum Regibus Christo nomen dedit, die Natalis Domini baptizatus est cum multis aliis, ex Epistola S. Aviti Viennensis Episcopi ad eundem Clodovæum. Quod confirmatur Anastasii II ad ipsum scribentis Ep. 2. Tuum, *glorioso Fili, in Christiana fide cum exordio nostro in Pontificatu contigisse gratulamur*. Porro Anastasius paulo ante Natalem Christi diem Pontificatum auspicatus est.

tamquam testes. Verum quia in Anglorum Ecclesia Augustinus solus tunc erat Episcopus, annuit Papa ut ab illo solo Episcopi possent ordinari.

III. A quo novum prædicatorum subsidium acceperit. Quandoquidem ab Augustini legatis acceperat Gregorius messem in Anglia multam esse, operarios autem paucos (cum quadraginta tamen circiter sociis in insulam hanc appulsus fuerat) novum subsidium, plurimos videlicet selectos ad verbi divini altarisque ministerium Monachos, Laurentio & Petro adjunxit; quorum præcipui fuerunt Mellitus, Justus, Paulinus, Rufinianus. a Transituris per Galliam a litteras dedit commendatitias ad Brunichildem Reginam, ad Reges, & ad præcipuos Galliarum Episcopos, in quibus omnibus Mellitum Abbatem, ceteros vero Monachos vocat. Ex monasterio Sancti Andreæ prodiisse supplementum hoc prædicatorum, unde etiam priores educti, significare videntur illa verba Epistolæ ad Mellitum Abbatem: *Post discessum congregationis nostræ quæ tecum est* &c. (Lib. xi. ep. 76) Quod argumento est quantum floreret Gregorianum hoc cœnobium.

Et alia plurima. Beda lib. 1. c. 29. Lib. xi. ep. 28. Beda lib. 1. c. 31. Per eos Papa misit ad Augustinum quæque erant ad cultum divinum & ad ministerium Ecclesiasticum necessaria; vasa sacra videlicet, pallia vestiendis & ornandis altaribus, sacerdotalia indumenta, Martyrum reliquias, & codices plurimos. Addidit pallium & Epistolam qua novo Apostolo de Anglorum conversione, ac de patratis ab ipso miraculis ita gratulabatur, ut ad humilitatem & de acceptis donis formidinem nihilominus discipulum suum provocaret, a reprobis facta miracula ei objiciens.

IV. Epistolæ sancti Gregorii ad Regem. Lib. xi ep. 66. Scripsit quoque Edilbertho Regi, gratias agens pro fide Christiana quam susceperat, & velut alter Constantinus propagaverat; qua in Epistola Augustinum impense laudat, quod in monasterii regula doctus sit, sacræ Scripturæ scientia repletus, & bonis, auctore Deo, præditus operibus: dignus proinde quem Rex monentem audiat, cui suadenti morem gerat.

Ad Reginam, ibid. ep. 29. Ante illam Edilbertho Regi scriptam Epistolam, Gregorius Berthæ ipsius uxori scripserat, ei gratulatus quod tamquam altera Helena Constantini Imperatoris mater, zelo fidei accensa, conversioni Anglorum operam daret; eam tamen tacite neglectus arguens ob Odilberthum ad Christianam fidem nondum ejus cura & prudentia inflexum, qui paulo post Christo se subdit.

Et ad Augustinum. Lib. 1 c. 29. Lib. xi. ep. 65. Præter Epistolam ad Augustinum missam, cujus meminimus supra, exhibet aliam venerabilis Beda, in qua legimus Augustino jus Pallii concessum, potestatemque datam duodecim Episcopos ordinandi, qui ejus ditioni subjacerent; ea lege ut Londoniensis Episcopus in posterum semper a propria Synodo consecraretur, Palliumque ab apostolica Sede acciperet. Eboracensem quoque Episcopum ab ipso ordinandum, constituit deinceps Metropolitano jure Palliique honore potiturum; a quo, si finitimæ urbes verbum Dei reciperent, duodecim Episcopi instituerentur. Post Augustini mortem, quem quamdiu viveret, voluit Gregorius Angliæ primatum obtinere, decrevit ut ex Londoniæ ac Eboracæ civitatis Episcopis ille Primas haberetur, qui prior fuisset ordinatus. Ex hac Epistola conjicere licet summo Pontifici prius placuisse, ut Augustinus Londoniæ potius quam Doroberniæ cathedram haberet. Aliter vero visum est postea; primaque Sedes episcopalis Angliæ, Doroberniæ seu Cantuariæ remansit.

V. De monasterio prope Cantuariam condito. Beda lib. 1. c. 33. Augustinus prope eamdem civitatem monasterium construxit, in quo, ipso auctore, Rex Ecclesiam beatorum Apostolorum Petri & Pauli nomine ædificari curavit, ac diversis ditavit donis; quæ ejusdem Augustini & omnium deinceps Episcoporum Dorobernensium, necnon Regum Cantii conditorium fuit. Hoc monasterium primum Abbatem habuit Petrum b Monachum & Presbyterum, cujus jam meminimus. De ejusdem sanctitate, morte, editisque post mortem ad ejus sepulcrum miraculis legendus venerabilis Anglicanæ historiæ scriptor.

Et monastica vita in Ecclesia Cantuar. instituta. Lib. xi. ep. 64. In Ecclesia quoque Metropolitana Cantuariensi S. Augustinus vitam observavit cœnobiticam cum suis sociis, & observandam deinceps instituit, ex Gregorii consilio vel præcepto his verbis dato: *Quia*, inquit, *tua Fraternitas monasterii regulis erudita, seorsum vivere non debet a Clericis suis in Ecclesia Anglorum, quæ auctore Deo nuper ad fidem perducta est, hanc debet instituere conversationem, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.*

Luculentum de re Bedæ testimonium. Equidem haud inficior his verbis æque significari posse vitam cœnobiticam & communem, qualis est Canonicorum, ut vocant, Regularium, ac monasticam. Verum de conversatione monastica in Ecclesia Cantuariensi instituta qualis decebat Augustinum ejusque socios Monachos, id interpretatur venerabilis Beda, sane hac in re audiendus. Cum enim historiam Ecclesiasticam suæ gentis texendam suscepisset accuratissimus & doctissimus scriptor, S. Augustini aut ejus discipulorum fere suppar, (eodem nempe seculo florere cœpit quo Augustinus Christianæ religionis in Anglia fundamenta jecit, & tanto operi est immortuus) non potuit eum fugere, quale vitæ genus in primaria Anglorum Ecclesia, Clericorum an Monachorum instituerit vir sanctissimus. Bedam igitur audiamus lib. iv. hist. Ecclesi. c. 27. *Quia nimirum*, inquit, *Aidan qui primus hujus loci (Lendisfarnensium) Episcopus fuit, cum Monachis illuc & ipse Monachus adveniens, Monachicam in eo conversationem instituit. Quomodo & prius beatus Pater Augustinus in Cantia fecisse noscitur, scribente ei beatissimo Papa quod supra posuimus*: sed quia tua fraternitas, *inquit*, monasterii regulis erudita, seorsum fieri non debet a Clericis suis, &c. Unde patet minus fidos esse mentis S. Gregorii interpretes, qui ex his verbis extundunt clericalem vitam quam Canonici Regulares vulgo dicti sectantur, a beato Augustino fuisse in primaria Anglorum Ecclesia institutam: nisi fateri velint Monachos eosdem esse atque Canonicos communis vitæ sectatores.

VI. Alterum ex Beda sumtum. Mentem suam clarius explicat venerabilis Beda in vita S. Cutberthi cap. 16. *Neque aliquis miretur*, inquit, *quod in eadem insula Lendisfarnea, cum permodica sit, & supra Episcopi, & nunc Abbatis &*

a Lege lib. xi. Ep. 54. 55. & septem immediate sequentes.
b Hic Romam cum Laurentio missus fuit a Beda quidem eum vocat tantum Presbyterum loco indicato: verum c. 27 ejusdem libri eumdem fuisse Monachum clare docet.

& Monachorum esse locum diximus. Re vera enim ita est. Namque una eademque servorum Dei habitatio utrosque simul tenet. Imo omnes Monachos tenet. Aidanus quippe qui primus ejusdem loci Episcopus fuit, Monachus erat, & Monachicam cum suis omnibus vitam semper agere solebat. Unde ab illo omnes loci ipsius Antistites, usque hodie sic episcopale exercent officium, ut regente monasterium Abbate, quem ipsi cum consilio fratrum elegerint, omnes Presbyteri, Diaconi, Cantores, Lectores ceterique gradus Ecclesiastici monachicam per omnia cum ipso Episcopo Regulam servent. Quam vivendi normam multum se diligere probavit beatus Papa Gregorius, cum sciscitanti per litteras Augustino, quem primum genti Anglorum Episcopum miserat: qualiter Episcopi cum suis Clericis conversari debeant: respondit inter alia: Sed quia tua Fraternitas monasterii regulis erudita seorsum fieri non debet a Clericis suis, in Ecclesia Anglorum, quæ Deo auctore nuper adhuc ad fidem perducta est; hanc debet conversationem instituere, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit patribus nostris, &c. ut supra.

argumentum ineluctabile,

Ex tam perspicuis verbis pene oculati ac indubitatæ fidei testis patet Dorobernensem Ecclesiam, æque ac Lendisfarnensem, pro clero suo solos habuisse Monachos. Unde mirari subit nuperi scriptoris commentum, qui de ordine Canonicorum Regularium scribens, Augustinum ejusque socios exhibet tamquam primum exemplum Clericorum communiter canoniceque viventium: cumque tam apertis testimoniis quæ ipsos fuisse mansisseque Monachos luce clarius probant, effugium non inveniret: ipsos fingit ea lege in clerum cooptatos fuisse, ut monachismum ejurarent. Quibus rationibus fulcire conetur hoc paradoxum, nunc expendamus, licet paulo extra Gregorianæ historiæ metas, hac in disceptatione excurrere videamur.

Cap. 12. art. 1 & seq. pag. 79.

CAPUT VI.

I. Objecta ex Gregor. Epistolis dissolvuntur. II. Respondetur alteri objectioni. III. An Monachus ad clericatum promotus, ultra non dicatur Monachus, apud S. Gregorium. IV. Monachi olim Clerici passim dicti. V. Utrum Canonicos Reg. instituerit S. Gregorius. Johannes Diaconus explicatur. VI. Num vita communis Canonicum potius innuat, quam Monachum. VII. Objectorum Johannis Diaconi verborum genuinus statuitur sensus. An Canonicis Regularibus annumerandi Clerici omnes qui juxta canones vivunt. VIII. De discrimine Canonicorum secul. & Regul. IX. Novum de S. Augustini sociis Monachis numquam ordinatis commentum. X. Laurentius & alii S. Augustini sodales omnes fuere Monachi. XI. De Presbyteris Arelatensibus Augustinum secutis aliud figmentum. XII. Gregorii ad August. Responsio explicatur. XIII. Urbani II. testimonium expenditur. XIV. Decretum Bonifacii IV. Pro Monachis Ecclesiastica munia obeuntibus. XV. Ejusdem Epistola pro Monachis in Ecclesia Cantuar. militantibus. Male a nupero scriptore intellecta.

DUæ nobis opponuntur S. Gregorii Epistolæ. In priori, quæ libri quarti prima est, legitur: *Nemo potest & Ecclesiasticis officiis deservire, & in monachica Regula ordinate persistere*, &c. Ergo admissis in clerum Augustini sociis integrum non fuit monastica retinere instituta. Huic loco jam multoties responsum est tum a Mabillonio nostro, tum a nobis, lib. II. c. 12. §. 11. & in notis ad hanc Epistolam, ubi genuinum verborum illorum sensum aperuimus. Jam dictis tamen addendum, fateri nos perlibenter Monachos qui nonnullis Ecclesiasticis officiis deserviunt, qualia sunt verbi divini assidua prædicatio, sacramentorum administratio, Ecclesiarum gubernatio, quæque Gregorius his verbis significat: *Qui quotidie in obsequio Ecclesiæ cogitur permanere*, non posse ad amussim omnia Regulæ monasticæ instituta districtius observare, in silentio, vigiliis, jejuniis, aliisque similibus; quod est Gregorio, *districtionem monasterii tenere*. Unde Abbates aliique cœnobiorum præfecti, a quorum verbo & exemplo pendet vigor omnis regularis observantiæ, non possunt simul Ecclesiastica implere munia, & monasteriis præesse. Ceteri vero Monachi, si Ecclesiarum plebiumque curam gerant, aliquid de rigore disciplinæ remittere coguntur. At idem dicere sive de Canonicis Regularibus, maxime severioris & arctioris observantiæ, qualis adhuc viget apud Præmonstratenses Reformatos, sive de eorum præfectis quid prohibet? Ideone vero somniabit quis eos non posse Clericorum simul obire munus, & Ecclesiasticis officiis addici, nisi prius Canonicorum Regularium instituto valedicant. Adhibita forsan distinctione respondebunt illi, duo in suo Canonicorum Regularium instituto conjuncta; vota scilicet quæ ad sui status essentiam pertinent, & pias quasdam asceses, quales sunt certis horis in choro psallere, lectioni, orationi, meditationi operam dare, in communi cœnaculo cibum sumere, ab hominum consortio secedere, silentioque studere, eodem loco & tempore decumbere &c. Et quidem horum dispendium pati eos qui aut lucrandis aut regendis animabus incumbunt; vota vero illibata permanere. At eamdem simul responsionem suppeditabunt Monachis, Sacerdotale munus obeuntibus, nodique solutionem quem ex priori Gregorii testimonio adstringere conantur.

I. Objecta ex Greg. Epistolis dissolvuntur.

Ad posteriorem locum jam veniamus. Sanctus Doctor lib. VII. Epist. 43. hæc decernit: *Si quispiam Abbatum aut Monachorum ex quocumque monasterio ad clericatus officium vel ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam habeat ulterius, ut diximus, potestatem*; ergo hoc ipso quod ad curam Ecclesiæ sustinendam ordinabatur Monachus, monachatus auferebatur, inquit nuperus scriptor. Mira sane consequentia. Quasi vero idem esset potestas in monasterio, & monasticus status, qui obedientia & subjectione potius quam potestate ac auctoritate constat. Scopum autem S. Gregorii hæc scriben-

II. Respondetur alteri objectioni.

Sup. c. 21. num. 9. Pag. 10.

tis jam ostendimus. Ceterum ut tam dubiis, ne dicam plane falsis, certissima & invictissima opponamus argumenta, breviter ostendamus primo Gregorium Magnum non *sic ubique Clericum a Monacho sejunxisse, ut quem semel Clericum appellaverit, is hoc ipso quisquis est, nequaquam sit pro Monacho putandus*, quod forte aliud cogitans dixit ille scriptor: secundo Monachos passim Clericos etiam dictos in celeberrimis scriptoribus Gregorio synchronis.

III. An Monachus ad clericatum promotus ultra non dicatur Monachus apud S. Gregorium. Lib. viii. ep. 30.

Sane Clericus jam erat, & ecclesiasticis, imo apostolicis officiis addictus Sanctus Augustinus, cum eum ad Anglorum conversionem misit sanctissimus magister. Eumdem tunc aut Presbyterum aut Diaconum saltem fuisse pene liquet, quod Gregorius illum, nulla alterius ordinis collati facta mentione, ordinatum Episcopum testetur. Nihilotamenminus eumdem Monachum adhuc appellat ad Eulogium scribens: *Dum gens Anglorum in mundi angulo posita, in cultu lignorum ac lapidum perfida nuncusque remaneret, ex vestra mihi orationis adjutorio placuit, ut ad eam monasterii mei Monachum in prædicationem transmittere Deo auctore debuissem. Qui, data a me licentia, a Germaniarum Episcopis Episcopus factus.*

Lib. xi. ep. 58.

Idem de Sancti Augustini sociis & in Anglorum conversione adjutoribus dicendum est, quos Sanctus Gregorius, etsi ad prædicandum missos & ad apostolica opera, numquam non Monachos appellat: *Quia*, inquit, *Redemptoris nostri gratia cooperante, tanta de Anglorum gente ad Christianæ fidei gratiam multitudo convertitur, ut reverendissimus communis frater & coepiscopus noster Augustinus eos qui secum sunt, ad hoc opus exequendum, per diversa loca asserat non posse sufficere: aliquantos ad eum Monachos cum dilectissimis & communibus filiis Laurentio Presbytero, & Mellito Abbate prævidimus transmittendos.* Idem repetit ad nauseam usque in Epistolis aliis ea de re scriptis. Brevi audiemus Bonifacium IV. non secus ac antecessor Gregorius loquentem in Epistola ad Edilberthum Regem: *Ut ipsi vestræ salutis prædicatores Monachi, Monachorum gregem sibi adsocient.* Non puder Bonifacium appellare Monachos, illos prædicatores haud dubie Clericos, imo Episcopos, Presbyteros, Diaconos.

Ibid. ep. 54. 55. 56. 57. 58. 60. 61. 6v.

IV. Monachi olim Clerici passim dicti

Ex coævis scriptoribus sufficiat nobis Gregorius Turonicus ut ostendimus tunc temporis Monachos passim Clericos dictos. In lib. 1. de gloria Mart. c. 76. qui in monasterio Agaunensi Deo laudes persolvebant, indiscriminatim vocantur modo Clerici, modo Monachi. *Mulier*, inquit Gregorius, *quædam filium suum unicum ad hoc monasterium adducens, Abbati tradidit erudiendum, videlicet ut factus Clericus sanctis manciparetur officiis. Verum cum jam spiritalibus eruditus esset in litteris, & cum reliquis Clericis in choro canentium psalleret*, &c. En Clerici dicuntur Agaunenses; at paulo infra Monachi appellantur: *Audiens vocem ejus inter choros psallentium Monachorum.* Et paulo post: *Ubi . . . Antiphonam caterva suscepit Monachorum, audit genitrix, parvuli vocem agnoscit.* Idem Gregorius libro de miraculis S. Juliani c. 28. *Clericus autem quidam Aredii Lemovicini Abbatis*, &c. Multa omitto quibus narrat Clericum hunc miraculo in basilicam S. Juliani fuisse introductum. Et subdit: *Quod ne quis dubitet, testor omnipotentem Deum, quia ab ipsius Abbatis ore hæc omnia cognovi apud cujus Monachum gesta sunt.* Vides hic Monachum, quem supra Clericum legisti. At vice versa cap. 35. quem prius Monachum dixit, statim Clericum appellat. Etsi vero Monachus ad ecclesiasticas curas & dignitates assumtus Monachus ultra non diceretur, esse tamen minime desinaret, quod contendit vir doctus, at in lectione Gregorii Magni pene peregrinus. Cum enim denominatio a nobiliori gradu desumatur, quid mirum si quis Monacho superinduens Episcopum, exempli gratia, non amplius Monachus vocitetur, licet Monachum non deposuerit, & in monasticis etiam institutis, in vigiliis, jejuniis, orationibus perseveret? De his quæ delibamus tantum, legendi sunt noster Mabillonius tum in Præfat. ad seculum IV. Bened. n. 27. tum in Resp. 1. ad scriptum Canonicorum Reg. de sessionibus in Burgundiæ Comitiis, Hadrianus Valesius in disceptatione de basilicis, & in ejus defensione, necnon Thomassinus Disciplinæ Eccles. par. 1. lib. 1.

V. Utrum Canonicos Reg. instituerit sanctus Greg. C. 17. art. 2. p. 77. & seq.

Magnum sane opinatorem esse virum eruditum cujus nunc argumenta expendimus, inficiabitur nemo, qui ad ea ponderanda liber ab omnibus præjudiciis accesserit: quo videlicet proponere, refellere est, ut ex mox dicendis palam fiet. Non stat per ipsum quominus persuasum habeamus Gregorium Magnum Canonicos Regulares instituisse, posteaque decrevisse ut ex eodem instituto Clerici primam Anglorum Ecclesiam Centuariæ conditam occuparent: tandemque reliquas Angliæ Sedes Pontificales Canonicis similiter obvenisse.

Primum quidem probare nititur ex Johanne Diacon. lib. II. vitæ S. Greg. cap. 11. *Videbantur*, inquit, *passim cum eruditissimis Clericis adhærere Pontifici religiosissimi Monachi: & in diversis professionibus habebatur vita communis: ita ut talis esset tunc sub Gregorio penes urbem Romam Ecclesia, qualem hanc fuisse sub Apostolis Lucas, & sub Marco Evangelista penes Alexandriam Philo commemorat.*

Johannes Diac. explicatur. Ibidem.

Hic agnosco nostrum Gregorium monasticæ vitæ cultorem, & monastici sui instituti retinentissimum, Monachos habentem convictores, *cum quibus dum sollicitus versatus, nihil monastica perfectionis in palatio . . . dereliquit*, inquit Johannes. Video quoque ipsi adhærere Clericos, qui libere nullis adstricti votis, nulla lege obligati, cum Monachis communem ducebant vitam. Ceterum de Canonicorum Regularium instituto cujus fuerit parens S. Gregorius, neque hoc in loco quidquam legitur, neque ullis in Epistolis aut lucubrationibus Gregorianis. Num ergo Clerici statim ac vitæ victusque communitatem habebunt, continuo evadent Canonici Regulares?

At inquies cum docto viro, poeta nescio quis meminit Canonicorum ordinis Gregoriani: ergo Gregorius Magnus Canonicorum Regularium ordinem instituit: *Et quidni*, ait, *nos Gregorianos Canonicos honoris causa nominemus?*

Absit ut pios ac religiosos viros Gregoriani ordinis Canonicos eodem sensu appellemus, quo ab illo Poeta dicuntur, quos refert e S. VValarici monasterio ejectos his verbis:

Ap. Mabill. secul. v. Bened. p. 560. Ibidem.

Ordine Dux Hugo vetabat mox Gregoriano
Templum, normalem statuit normam Monachalem.

Nam ex historia relationis S. VValarici discimus Canonicos illos seculares fuisse: *Tunc præfatus Dux ma-*

magna sollicitudine prœcurans S. VValarici locum, abjecit ab eo secularem congregationem, & aggregavit in eo regularem Ordinem Monachorum. Ita Scriptor suppar, quem latere non potuit qui & quales fuerint isti Canonici ut sal infatuatum foras projecti, forte ideo Gregoriani Ordinis dicti, quod in psalmodia Ordinem Romanum a Gregorio concinnatum sequerentur, non monasticum qualem præscribit S. Benedictus, & postea observarunt qui Canonicis successerunt in S. VValarici Ecclesia Benedictini Monachi.

Id fallit virum nimio in Ordinem suum studio æstuantem, quod ubicumque vitæ communis juxta prioris & apostolicæ Ecclesiæ morem occurrit mentio, id ad probandum Canonicorum Regul. institutum trahat; non attendens cœnobiticam & communem Monachorum vitam, etiam ad ejusdem antiquioris ab Apostolis institutæ Ecclesiæ modum normamque præscriptam fuisse, & in omnibus pene monasticis regulis exemplum veteris illius Ecclesiæ Jerosolymitanæ sub Apostolis, in medium adduci: *Omniaque omnibus sint communia*, inquit S. Benedictus, *sicut scriptum est* (Act. 4.) *nec quisquam suum aliquid dicat vel præsumat*. Et cap. 34. *si omnes æqualiter debeant necessaria accipere*. *Sicut scriptum est, dividebatur singulis prout cuique opus erat*. Cum sancto Benedicto vero hac in parte concinunt omnes fere monasticarum regularum conditores, ut videre est in concordia regularum auctore S. Benedicto Anianæ Abbate, cap. 4. & 43. proindeque potiori jure Monachi sibi vendicare possunt veterum de vita cœnobitica & communi testimonia. | VI. Num vita communis Canonicorum potuit [illegible], quam Monachorum. Cap. 33. Act. 10. 33.

Quod spectat ad Ecclesiam Alexandrinam sub Sancto Marco sanctitate florentissimam, plerique veterum qui de rebus monasticis egerunt, in ipsa & in therapeutis Philonis a Johanne Diacono commemoratis propositum esse statum politiamque Monachorum exemplar, non Canonicorum censuerunt.

Exploso falso verborum Johannis Diaconi fictitioque sensu, sincerum jam & genuinum aperimus. S. Gregor. qui Monachis convictoribus usus fuerat, cum Constantinopoli Apocrisiarium ageret, *ut eorum exemplo semper ad orationis placidum littus quasi anchoræ fune restringeretur*, eosdem voluit habere contubernales, postquam ad Pontificatum invitus raptus est, palatiumque suum velut in aliquod monasterium convertit, ubi familiariter ipsi assidebant selecti quidam ex Monachis: Sex Monachos pietate ac sanctitate insignes recenset Johannes Diaconus. Quattuor quoque Clericos nominat prudentia & eruditione conspicuos, quorum operam & consilium sive in Ecclesiæ negotiis, sive in studiis adhibebat. Præterea cum a cubiculo suo sæculares omnes removisset (quod etiam ut fieret a Pontificibus imposterum decrevit Romana Synodus ipso auctore) quosdam ex Clericis & ex Monachis indiscriminatim accersierat qui sibi ministrarent. Quorum omnium unanimitatem, licet in diversa professione, vitamque socialem & communem admiratus Johannes Diaconus, non dubitavit dicere in ea societate & concordia visas esse veluti redivivas fundatas ab Apostolis apud Jerosolymam, & Alexandriæ a S. Marco Ecclesias. Cæterum de Canonicis Regularibus a Gregorio institutis, ne quidem per somnium cogitavit, quippe cum nulli fuerint sive S. Gregorii sive etiam Johannis temporibus. Neque enim iis adscribendi sunt Clerici omnes juxta canones & regulas Ecclesiæ mores componentes suos, quos ab exordio extitisse constat, nisi votis fuerunt alligati. Sane ab undecimo seculo Canonicorum Regularium, qui Monachorum more iisdem fere votis obligati, sub Abbatibus aut Præpositis obedientes sub arcta disciplina viverent, sæpe fit mentio apud Fulbertum, Bernardum, Petrum Blesensem & alios auctores coævos: abbatiarum aut aliorum monasteriorum pro hujusmodi Canonicis tunc extructorum origines novimus, vel aliorum jam extantium quæ ipsis cesserunt mutationes) ipsis enim præpositure non paucæ Ordinis S. Benedicti sunt concessæ; quas inter eminet celeberrimum S. Victoris apud Parisios monasterium) de his vero ante illud seculum nihil occurrit. Nam Aquisgranenses Canonici aut qui Chrodegangi Regulam sectabantur, vel etiam Eugenii II. & Leonis IV. non solum a religiosis & solemnibus votis soluti vivebant, sed etiam ex Regularum suarum præscripto nonnihil proprii habebant & peculii; [a] fatente ipso Canonicorum Regul. oratore, quem hic impugnamus. Porro vel hæc sola proprii retentio, ex ipsomet regulæ instituto, a Canonici Regularis statu adeo abhorret, ut evertat, & secularem eum efficiat. | VII. Objectum ex Joh. Diac. verborum genuinus sensus [illegible]. In Prolog. Moral. Decreto 1. An Clerici Regulares dicendi Clerici omnes qui juxta canones vivunt. Gall. christ. Alberic. ad an. 1029. a

Scio equidem minimum discriminis inter Canonicum Secularem & Regularem agnosci a Disquisitionum auctore apud quem non absque stupore legi c. 1. art. 2. pag. 8. *Cæterum qui meminerit Monachos Benedictinos in Ordinem Cluniacensem, aut Tyronensem, in Ordinem majoris monasterii atque in alios bene multos Ordines fuisse XI. seculo atque XII. distributos, is facile intelliget quomodo id tempus Regularium Ordo & secularium Ordo Canonicorum, tametsi utrique ejusmodi esse debuisset, inter se distingui ac secerni potuerint*. Unde infert: *sed neque dolebit quispiam si viderit regulares Canonicos Secularibus abundantes diu Regularibus caruisse, inde quidquam eliceret ad impugnandam Canonicis Regularibus novitatem. Alioquin simili argumento necesse est ut conficiat a Cluniacensibus aut æqualibus Monachis esse Benedictini Ordinis sumenda primordia*. Itaque ad mentem nuperi Scriptoris, in ordine Canonicorum haud majus est discrimen Regulares inter ac Seculares, quam in ordine Benedictino inter Cluniacenses, Tyronenses, &c. qui cum omnes magistram sequerentur regulam S. Benedicti, eorumdemque votorum lege tenerentur, penes minutissimos ritus distingui tantum poterant, ut ajunt, accidentaliter: indeque consequens est nihil esse quod secernat Canonicum Regularem a seculari quoad essentiam, ad quam proinde neque vota neque religiosæ vitæ instituta pertinent, sed velut inter adiaphora debent amandari, levissimamque tantummodo constituunt differentiam. | VIII. De discrimine Canonicorum secul. & Regul.

Ad hæc, fateor, expavi; & nisi nota Scriptoris ejusque sodalium religio securum me fecissent, valde veritus fuissem, ne forte iis defectio transitusque ad Canonicos seculares pararetur, quos adeo vicinos, & vix levissima differentia discretos ostendit *Disquisitionum* parens. Verum hæc ipsi incaute, inconsultisque maxime suæ Congregationis religiosissimis Præpositis, excidisse credere maluerim, quam ultra urgere. His itaque omissis, postquam probavimus plane fictitium esse quod excogitavit hic scriptor de Canonicis Regularibus in Ecclesia Romana a Gregorio Magno formatis, expenda-

a Pag. 50. 305. 312. 313. 315.

mus utrum melius divinarit; quando eosdem, jubente sanctissimo Pontifice, in Cantuariensi Ecclesia institutos asserit.

IX. *Nemum de S. Augustini sociis, nisi quem ordinatis commentum.* Primo quidem fingit ex Monachis ad Anglorum conversionem procurandam delectis, a S. Gregorio nullum aut ordinatum aut ordinandum ex ejusdem sententia fuisse, præter Augustinum: *Necdum scilicet*, inquit, *Gregorius cogitabat de Monachorum ordinatione: tantummodo Augustinum eis Episcopum ordinandum, si ab Anglis susciperentur, disposuerat.* Ergo eos non ad verbi divini prædicationem aut ad sacrum ministerium (quod tamen ipse ubique clamat, [a] consentientibus Beda, Bonifacio IV. scriptore Vitæ S. August. &c.) sed fortasse ad olera serenda, aut ad coquinæ curam habendam. Cui enim sapienti veniat in mentem, mittere ad opus apostolicus laicos etiam numquam ordinandos; maxime cum sacrorum ministrorum adest copia? *Lib. 1. cap. 58. & seq.*

Haud equidem diffiteor a Gregorio solum Augustinum ad episcopalem dignitatem, statim, cum adhuc anceps esset de eventu, delectum fuisse. Verum de aliis ordinibus aut nondum collatis, aut numquam conferendis Augustini sodalibus altum ubique silentium. Imo ex Monachis ejus adjutoribus fere quotquot novimus, Episcopi facti, ut Mellitus Londoniensis, Justus Roffensis: qua de re legendus Beda.

X. *Laurentius & alii S. Augustini socii omnes Monachi.* Secundo placet Canonicorum Regularium patrono, Laurentium Presbyterum unum ex Augustini sociis, ex numero & censu Monachorum expungere, suisque adscribere. Quo vero jure, cum eos omnes Monachos clament S. Gregorius, Beda, & alii qui de ipsis loquuntur? Num quia Presbyter erat? quasi tunc nulli extitissent in monasteriis Presbyteri, contra quam probant tot S. Gregorii [b] Epistolæ. Gotselinus in vita S. Augustini eum ejusque symmystas, *a materiis visceribus monasterialis Ecclesiæ avulsos fuisse* dicit; additque *tot Dominicæ legationis manipulares, ad quadraginta numeratos* quot videlicet Beda narrat ad insulam Tanetum appulisse. Ergo nullus locus relinquitur Presbyteris non Monachis sive ex Italia, sive ex Gallia assumtis, nequidem Arelatensibus quos suo Ordini liberalissime tribuit Disquisitor: fingitque religionem Canonicam ad Anglicam Ecclesiam detulisse. Injunxerat quidem Papa Augustino ejusque sociis ut *ad agenda hæc e vicino secum deberent Presbyteros ducere*. Verum fortasse nullus adfuit qui ad legationem & peregrinationem hanc paratus esset; quandoquidem docet Beda accepisse eos *de gente Francorum interpretes*, at de assumtis Presbyteris omnino silet, quod si factum foret, non fuisset dissimulaturus. Adde Augustinum coactum fuisse novos ex Romano S. Andreæ monasterio verbi divini præcones advocare; haud dubie quia in Galliis parum subsidii nactus esset. *Lib. 1. cap. 25.*

XI. *De Presbyteris Arelatensibus Augustinum secutis. Lib. 1. cap. 25.* Esto tamen secuti sint eos nonnulli Arelatenses Presbyteri; quidni dicamus eos fuisse simul Monachos, & forsitan ex illis Lirinensis monasterii Presbyteris quos laudat S. Gregorius? nimirum ne professionis diversitas aliquid dissidii, ut fit, in hoc sancto cœtu generaret, Monachos Monachis sociare debuit Virgilius Arelatensis Episcopus, maxime cum Lirinensis Monachus fuisset; uti ex ejus prædecessoribus quamplurimi.

Demus etiam Presbyteros aliquos monasticis legibus nullatenus adstrictos Augustino sociatos esse; quid inde eliciet vir doctus, ad Canonicorum Regularium institutionem in Cantuariensi Ecclesia probandam? quasi vero Clerici ac Presbyteri omnes, illis temporibus ad eorum Ordinem pertinerent? Difficultatem omnem, si qua occurreret, tolleret unicum venerabilis Bedæ testimonium supra relatum. Solus est qui Responsionem S. Gregorii ad Augustini quæsita de vita communi in Cantuariensi Ecclesia servanda nobis transmiserit; cujus proinde legitimus est interpres. At vero de vita cœnobitica Monachorum eamdem intellexit. Neque sane ignorare potuit Scriptor diligentissimus & doctissimus, pene que suppar, quinam & quales ab initio hac in Ecclesia notissima totius Anglorum gentis primaria Deo inservierint, Clerici seu Canonici Regulares, an Monachi; cum etiamnunc haud ignoremus quænam Ecclesiæ cathedrales, quæ a trecentis annis Canonicis secularibus cesserunt, olim aut a Canonicis Regularibus, aut a Monachis fuerint occupatæ. Quis autem nisi temere credat, virum sinceritate conspicuum, fingere voluisse nullum alium præter Monachos clerum in Ecclesia Cantuariensi extitisse; quod falsi revincere facile potuisset quilibet in Anglia natus?

XII. *Gregorii ad Augustinum Responsio explicatur.* Igitur ut jam fusius dicta colligamus, & ex præmissis interpretemur S. Gregorium Augustino interroganti [c] respondentem (ex ejus enim Responsionis intelligentia pendet hujus controversiæ compositio.) Primo S. Gregorius discipulum suum meminisse vult vitæ monasticæ quam Romæ professus est in S. Andreæ ascetcrio: *Quia*, inquit, *Fraternitas tua monasterii regulis erudita*, &c. Secundo eum hortatur ad vitam cœnobiticam & communem cum Clericis suis ducendam, *seorsum fieri non debet a Clericis suis*; quo nomine significantur tum Monachi ad prædicandum adjutores ei dati, & in partem laboris vocati, tum etiam juniores Clerici quos instituebant, tamquam Seminarii episcopalis præfecti & administratores. Tertio providet victui Clericorum illorum, quibus, cum in sacris ordinibus constituti non essent, uxores ducere licebat: *Si qui vero sunt Clerici extra sacros ordines constituti, qui se continere non possunt, sortiri uxores debent, & stipendia sua exterius recipere.*

XIII. *Urbani II. testimonium expenditur. Diss. ord. Can. Reg. p. 62.* His omnibus argumentis imo demonstrationibus, unicum nobis objicitur Urbani II. testimonium, certe grave, & a Benedictinis non nisi respuendum, quod ipse ex S. Benedicti familia fuerit ad summum Pontificatum assumtus. Is itaque in quadam ad Canonicos Regulares scripta Epistola testatur, Gregorium *vitam Canonicam Augustino Anglorum Archiepiscopo instituendam præcepisse*; haud dubie quando ad eum scripsit ut communiter cum suis viveret Clericis.

Quidquid sit de hac Epistola cui Conciliorum collectores nequidem in appendice Epistolarum Urbani II. locum dederunt; Respondeo his verbis tantummodo significari S. Gregorium Canonicis Regularibus instituendis in sua ad Augustinum Responsione prælusisse; quemadmodum (ut in ea-dem

a Vide sup. & inf. §. 24. & 25.
b Vide præsertim lib. vi. ep. 56.
c Vide sup. c. v. §. 5.

dem Urbani Epistola legitur) Apostoli in Ecclesia Jerosolymitana communia esse omnia instituendo, & Urbanus Papa & Martyr suis decretis (quæ tamen pro spuriis habent omnes eruditi) Canonicorum Regularium disciplinam prævie delineasse dicuntur: neque enim exempli gratia de eorum institutione priore dicta intelligi possunt quæ de Ecclesia Jerosolymitana scribit S. Lucas, in qua præter Apostolos, Discipulos, Clericos, erant uxorati laici, viduæ, mulieres omnis ætatis & conditionis.

Sane ex veteribus non pauci nec infimi ordinis Scriptores, monasticæ vitæ institutionem, ad Heliam, Johannem Baptistam, & Apostolos revocandam censuerunt. Cassianus Heliam & Elisæum professionis hujus fundasse primordia docet lib. I. institut. c. 2. quod etiam asserit Hieronymus Epist. 13. ad Paulinum. *Monachorum Princeps Johannes Baptista est*, inquit Chrysostomus hom. I. in Marcum, cui suffragatur Sozomenus lib. I. hist. c. 12. Monasticum Ordinem commendat Bernardus in Apolog. ad Guillelmum Abbatem, quod *primus fuit in Ecclesia, imo a quo cœpit Ecclesia, quo nullus in terra similior angelicis ordinibus; cujus Apostoli institutores; cujus hi quos Paulus tam sæpe sanctos appellat, inchoatores exstiterunt.* Hæc Bernardus confirmat allato Lucæ testimonio Act. 4. de vita communi a primis Christi discipulis observata. Innumera possemus adducere sive ex sanctis Patribus, sive etiam ex Conciliis loca idem significantia.

Neque tamen idcirco de Monachis instituendis aliquando cogitasse Apostolos asserimus, aut de talibus auctoribus nobis blandimur: adumbratam solummodo in eorum exemplis ac institutis monasticam & cœnobiticam vitam dicimus; idque significare voluisse Scriptores laudatos, cum ad Monachorum commendationem eos ab Apostolis prodiisse ortum ducere pronuntiarunt. Sic explicari quoque debet, quod Urbanus II. & alii de Canonicis dixere quos videbant cœnobiticam vitam spectari & Monachos æmulari; prorsusque nutat quidquid pro eorum antiquitate stabilienda inde petit vir doctus.

Ex dictis ergo planissime liquet in Ecclesia Cantuariensi, ab ipsius exordio, solos militasse Monachos, non puros Clericos. Unde licet in adversarium hoc argumentum retorquere: *Si unam hanc Sedem recte Canonicis Clericis adjudicavero*, inquit (dicam ego, Monachis) *non immerito concludam reliquas Angliæ Sedes Pontificales: .... Canonicis Clericis* (dicam Monachis Cleriis) *similiter obvenisse*.

Hæc Monachorum in ecclesiastico ministerio præcipua auctoritas cum eorum æmulos commovisset, *Mellitus* unus ex Augustini sociis *Londoniæ Episcopus Romam venit, de necessariis Ecclesiæ Anglorum causis cum apostolico Papa Bonifacio tractaturus. Et cum idem Papa reverendissimus cogeret Synodum Episcoporum Italiæ, de vita Monachorum & quiete ordinaturus; & ipse Mellitus inter eos assedit, .. ac in Britanniam rediens secum Anglorum Ecclesiæ mandata atque observanda detulit; una cum Epistolis quas idem Pontifex Deo dilecto Archiepiscopo Laurentio, & Clero universo, similiter & Ediberthо Regi, atque genti Anglorum direxit*. Inter laudata mandata, celeberrimum est Decretum quod ita incipit: *Sunt nonnulli fulti nullo dogmate* (vel, sunt nonnulli stulti dogmatis) *magis zelo amaritudinis quam dilectionis inflammati, asserentes, Monachos, quia mundo mortui sunt & Deo vivunt, Sacerdotalis officii potentia* (vel, Sacerdotali officio) *indignos*, &c. Eos refellit summus Pontifex, maxime exemplis Gregorii Magni & Augustini ejus discipuli, qui licet Monachi, pontificali dignitate fulserunt; additque: *Neque enim Benedictus Monachorum præceptor, hujus rei aliquo modo fuit interdictor*.

XIV. Decretum Bonifacii pro Monachis ecclesiastica munia obeuntibus. Beda lib. I. hist. c. 29. Tom. Concil. lib. I p. 1618

Epistolam ad Edilberthum Regem, cujus Beda meminit, habemus in novissima collectione Conciliorum, ex qua quæ ad nostrum propositum faciunt satis erit exscribere: *Quapropter, gloriose Fili, quod ab apostolica Sede per coepiscopum nostrum Mellitum postulastis, libenti animo concedimus; id est, ut vestra benignitas in monasterio in Dorovernensi civitate constituto, quod sanctus Doctor vester Augustinus beatæ memoriæ Gregorii discipulus sancti Salvatoris nomini consecravit, cui ad præsens præesse dignoscitur dilectissimus frater noster Laurentius; licenter per omnia Monachorum regulariter viventium habitationem statuat: apostolica auctoritate decernentes, ut ipsi vestræ salutis prædicatores Monachi, Monachorum gregem sibi adsocient*. Ex his liquet Metropolitanam S. Salvatoris Ecclesiam ab exordio Monasterium fuisse dictam propter inhabitantes Monachos. Non solum autem ratum habuit summus Pontifex traditam fuisse Monachis hanc Ecclesiam, sed etiam apostolica auctoritate decrevit ut prædicatores Monachi, alios sibi Monachos sociarent, a quibus ad posteros monasticum institutum propagaretur. Non ergo contendimus Monachos ad Ecclesiam Christi Cantuariensem, ex Bonifacii litteris admissos esse, ut credere videtur Canonicorum Regularium patronus, sed ejusdem Papæ auctoritate in hujus Ecclesiæ possessione confirmatos & assertos. Somniare autem eumdem causæ prorsus desperatæ actorem pene dixerim, dum fingit Bonifacii consensu aut decreto adjunctos Canonicis Regularibus fuisse Monachos, *qui psalmodiam quotidianam absolverent dum illi Clerici, quos alio publica utilitas vocabat, libere fungerentur omni Ecclesiastico munere*. Nugæ sane: quasi vero priores hujus Ecclesiæ prædicatores & habitatores, non Monachi a Bonifacio appellarentur sed Clerici; aut ullum post ea quæ diximus, receptorum ab initio in Ecclesia Cantuariensi Clericorum non Monachorum vestigium appareret.

XV. Ejusdem in Epistola pro Monachis in Eccles. Cant. militantibus. Ibidem.

Pag. 81. Male a nupero Scriptore intellecta.

CA-

CAPUT VII.

I. Angliæ Monachi fuere ab initio Benedictini. Unde jam dicta confirmantur de S. Gregorio S. Benedicti legibus adstricto. II. Prima ratio ex Aldhelmo. III. Secunda ex S. Vvilfridi vitæ Scriptore coævo. IV. Tertia ratio ex veteribus litaniis, quibus S. Benedicti nomen insertum. V. Cloveshovianæ Synodi silentium frustra nobis objectum. VI Et venerabilis Bedæ. VII. Aliud argumentum ex S. Benedicti Regula per Monachos Anglos in Germaniam delata. VIII. Bollandianorum ea de re sententia. IX. Mareshamus aliter sentiens refellitur.

I. Angliæ Monachi fuere ab initio Benedictini.

COmmemoratum S. Benedicti nomen a summo Pontifice Bonifacio, addito etiam præceptoris Monachorum titulo, ubi maxime de Monachorum Anglicanorum tranquillitate agebatur, non obscure nobis conjiciendum præbet Angliæ Monachos tunc fuisse Benedictinos; sive ii essent Augustini socii superstites, sive illi quos sibi post legitimam probationem suæque Congregationi sociarunt. Verum quid opus est conjecturis, ubi tot adsunt demnonstrationes? hoc sane nomine dignæ sunt rationes, quas doctissimus Mabillonius in hoc argumentum congessit tum in Præfat. ad Seculum I. Benedict. §. 8. tum in observationibus præviis ad S. Vvilfridi vitam I. parte Seculi IV. Benedict. tum Analectorum tomo II. dissertatione de S. Gregorii monachatu parte 11. §. 8 pag. 173. & seq. tum denique Annalium Benedict. lib. x. §. 18. ac in appendice 1. pag. 655. & seq. Præcipuas autem delibare ad nostrum satis erit institutum; unde consequens erit (quod jam quoque diximus) S. Gregorium Benedictinam Regulam observasse, observandamque suis commendasse.

Unde jam dicta confirmantur de S. Gregorio S. Benedicti legibus adstricto. *Lib. 1. c. 1. §. 3. &c. & 10.*

II. Prima ratio ex Aldhelmo.

Prima ducitur ex indubitato S. Aldhelmi testimonio, qui ab Hadriano Abbate monasterii S. Petri apud Cantuariam primum eruditus, deinde Monachus & Abbas in cœnobio Maildunensi seu Malmesburiensi apud Vvest-Saxones, quorum etiam Episcopus fuit, in Carmine de virginitate, S. Benedictum hoc elogio designat:

Primus qui statuit nostræ certamina vitæ,
Qualiter optatam teneant cœnobia normam,
Quoque modo propter directo tramite sanctus,
Ad superos scandens cælorum culmina cultor
Cujus præclaram pandens ab origine vitam
Gregorius Præsul chartis descripserat olim.

Hic manifeste S. Aldhelmus Monachus & Abbas, qui eodem seculo quo S. Augustinus ejusque socii Anglos ad fidem Christianam adduxerunt, floruit (devixit enim tantum an. 709. teste Beda) palam testatur Benedictum vitæ monasticæ, quam professus fuerat observabantque Anglicana monasteria, primum fuisse institutorem.

III. Secunda ratio ex vitæ S. Vvilfridi scriptore coævo. *Secul. IV. Bened. I. part. 1 in Appendice.*

Secundam rationem suppeditat vitæ S. Vvilfridi scriptor coævus Eddius Stephanus, apud quem S. Vvilfridus ita loquitur ad Synodum ejus causa congregatam: *Nonne* (al. necnon) *ego primus post obitum primorum procerum a S. Gregorio directorum curavi ut Scotticæ virulenta plantationis germina eradicarem ..... vel quomodo vitam Monachorum secundum Regulam S. Benedicti patris, quam nullus prior invexit constituerem*; scilicet apud Ultra humbrenses: nam in regno Cantii jam receptam fuisse S. Benedicti Regulam, indeque ad Nordam-humbrorum cœnobia vel instituenda vel restituenda a S. Vvilfrido delatam fuisse probant hæc Eddii verba c. 14. *Ecbertus quoque Rex Cantuariorum religiosus, Pontificem nostrum ad se accersivit, & illic Presbyteros multos.... ordinavit...... omnibus carus episcopalia officia per plura spatia agens, cum cantoribus Ædde & Æona, & comentariis.... in regionem suam revertens cum Regula Benedicti, instituta Ecclesiarum bene melioravit.*

IV. Tertia ratio ex veteribus litaniis S. Benedicti nomen continentibus.

Tertia ratio petitur ex veteribus litaniis Anglicanis, quas a mille saltem annis, & ante seculum VIII. concinnatas probat doctissimus Mabillonius, tum ex pervetusti codicis characteribus semi-Saxonicis; tum maxime quod in eis nullus invocetur aut commemoretur sanctus medio seculo VII. inferior; non Mellitus, non Paulinus, Cuthbertus, Vvilfridus, Aidanus & alii plurimi, multis recensitorum in litaniarum serie Beatorum sanctitate & doctrina longe illustriores; qui sane prætermissi non fuissent, si diem jam clausissent extremum, & de eorum sanctitate, quemadmodum postea seculo VIII. constitisset. In his autem litaniis S. Benedicti nomen bis inclamatur post S. Hieronymum, ante SS. Hilarium & Martinum; quod argumentum est validissimum, S. Benedictum apud eos qui hujusmodi litaniis utebantur, patroni locum obtinuisse: alioquin cur hic solus commemoraretur omissis Pachomio, Antonio, Basilio, Columbano? Cur bis invocaretur, quod nulli alteri concessum, præterquam S. Stephano & S. Mariæ ter appellatæ? Porro usitatas fuisse litanias illas in Anglia; imo pro Anglia concinnatas, probat hæc supplicatio: *Ut clerum & plebem Anglorum conservare digne ris, te rogamus, audi nos* nullius alterius gentis facta mentione.

V. Cloveshovianæ Synodi silentium frustra nobis objectum.

His æqua lance ponderatis, Cloveshovianę Synodi & venerabilis Bedæ silentium de Regula S. Benedicti, quod ab adversariis olim objectum nobis est, minime causę nostrę nocere posset, etiamsi nulla illis aut S. Benedicti, aut promulgatę ab eo Regulę fieret mentio. Verum ne illud quidem licet nobis opponere; nam in Synodo Cloveshovię legitur: *Vicesimo quarto sancitum est capitulo, ut si quis secularium sanctæ professionis famulatum subire desiderat, non antea tonsuræ habitum suscipiat, quam illius conversatio & morum qualitas secundum monasticæ regulæ definitionem manifestius probetur, juxta apostolicum præceptum*: Probate spiritus, si ex Deo sunt; *nisi aliqua rationabilis causa, ut ante suscipiantur in Congregationem, rite persuadeat*. Quænam, rogo, mediante octavo seculo, quo

tempore

tempore Concilium Cloveshoviæ celebratum est, Regula monastica ita celebris erat, ut simpliciter nulloque addito, nomine Regulæ monasticæ designaretur; præter S. Benedicti Regulam in cujus cap. 58. legitur: *Noviter veniens quis ad conversionem, non ei facilis tribuatur ingressus, sed sicut ait Apostolus:* Probate spiritus si ex Deo sunt? Deinde præscriptis omnibus ab probationem & receptionem novitiorum, subjungitur: *Et jam ex illa die in congregatione reputetur*. Neque silentio prætermittendum videtur in utroque conteatu S. Johannem, præter solitum, vocari Apostolum simpliciter, quod soli Paulo ex more tribuitur; unde suspicari liceret (si alia non suppeterent argumenta) Synodum Cloveshoviensem, Johannem laudando sub Apostoli nomine, morem gessisse S. Benedicto. 1. Johan. 4.

Quod spectat ad venerabilem Bedam, in [a] historiæ Abbatum Vviremutensium & Girvvensium ab ipso editæ libro 1. legimus S. Benedictum Biscopum quartam profectionem Romam aggressum esse, post compositum *juxta Regulam* monasterium. Quam Regulam intelligit nisi Benedictinam, præter quam nulla fuit in Occidente late propagata? Verum hanc ipsam postea clare designat Beda referens in fine libri 1. hæc Abbatis sui verba in oratione extrema ad discipulos habita: *Multum cavetote, fratres, ne deforis aliunde vobis patrem quæratis; sed juxta quod Regula magni quondam Abbatis Benedicti, juxta quod privilegii vestri continent decreta, in conventu vestræ congregationis, communi consilio perquiratis, qui secundum vitæ meritum & sapientiæ doctrinam, aptior ad tale ministerium perficiendum, dignior que probetur*. Hæ sunt dotes quas in eligendo Abbate postulat S. Benedictus Regulæ cap. 64. VI. Et venerabilis Bedæ.

Ceolfridus Abbas Biscopi successor mare transmissurus, eadem suis fratribus præcepit. *Utilius decrevit*, inquit Beda ejusdem congregationis Monachus lib. 2. *dato fratribus præcepto, ut juxta sui statuta privilegii, juxtaque Regulam S. Abbatis Benedicti, de suis ipsis patrem qui aptior esset eligerent*.

Cum idem venerabilis scriptor asserat lib. 1. Biscopum eam discipulis suis Regulam tradidisse, quam in decem & septem monasteriis a se perlustratis invenerat, quorum unum erat Cantuariense S. Petri cœnobium, evidentissime patet longe ante ipsum S. Benedicti Regulam in Angliæ monasteriis receptam fuisse & viguisse.

Non minus validum depromitur argumentum, ex propagatione Regulæ Benedictinæ in Germania & vicinis regionibus septentrionalibus, auctore S. Bonifacio aliisque Monachis ex Anglia profectis, ad fidem Christianam disseminandam: qui videlicet plurima cœnobia condiderunt, in his maxime Fuldense monasterium tota Europa nedum Germania celeberrimum, ubi ritus Benedictinos ab exordio viguisse inficiatur nemo. Nimirum quam a majoribus suis Augustino ejusque sodalibus Gregorii Magni discipulis Romanique monasterii alumnis acceperant hi sacri verbi præcones, camdem in erectis a se asceteriis observandam tradiderunt, & in ipsius institutis ad amussim sectandis ad mortem usque perseverarunt. Huc revocanda sunt quæ libro 1. diaimus cap. III. de S. Benedicti Regula in Romano S. Andreæ monasterio suscepta, & ab ipsomet S. Gregorio servata. VII. Aliud argumentum ex Regulæ Bened. per Monachos Anglos in Germaniam delata.

His rationibus victi Bollandiani socii, contrariam olim secuti sententiam, tandem ultro confessi sunt Benedictinos *maxima cum verosimilitudine ac propemodum evidentia* Augustinum ejusque sodales inter suos numerare. Quibus si videre contigisset laudatam supra Eddii lucubrationem de S. Vvilfridi vita (nondum enim eam e tenebris erueret noster Mabillonius, cum hæc docti viri scriberent) remota omni dubitatione ac fluctuatione, S. Augustinum Anglorum Apostolum ejusque socios Benedictinæ familiæ adjudicassent. VIII. Bollandianorum eadem sententia.

Aliter sane sentit Johannes Mareshamus in propylæo ad Monasticum Anglicanum: qui licet fateatur maximam apud Anglos olim fuisse Regulæ S. Benedicti reverentiam, eamdem tamen ab anno tantum 965. in Anglicanis monasteriis receptam esse contendit, ob Synodi Cloveshoviæ ac venerabilis Bedæ hac de Regula silentium. Verum negantia hæc argumenta jam sufficienter diluimus, prolatis tum ex laudata Synodo, tum ex venerabili scriptore non dubiis de Benedictina Regula testimoniis. Aliunde vero ab historiæ veritate prorsus aberrat Mareshamus, cum ante seculum x. S. Benedicti Regulam Anglicanis monasteriis ignotam asserit: quod quam sit temere dictum, vel unus Johannes Diaconus ostendit lib. IV. vitæ S. Gregorii cap. 82. *Quod vero*, inquit, *Monachi, qui a Gregorio in Saxoniam* (transmarinam scilicet seu Angliam) *missi sunt, S. Benedicti Regulæ fuerint mancipati: inter alia etiam illud ostendit, quod ex ipsius discipulis vix potest in illis partibus Monachus inveniri, a quo non observetur tam in proposito quam in habitu Regula S. Benedicti*. Scribebat Johannes Diaconus oono seculo, centum pene annis ante Concilium Vvintoniense habitum an. 965. in quo de S. Benedicti Regula in Anglicanis monasteriis admittenda actum censet Mareshamus; & jam eo tempore ita passim S. Benedicti Regula in Angliæ monasteriis obtinuerat, ut vix in tota reperiretur Anglia vel unus Monachus, qui S. Benedicti leges non observaret. Neque vero id levius assertum a Johanne vitæ S. Gregorii scriptore suspicabitur, qui adducta supra ex Aldhelmo, Beda, Eddio, & Cloveshoviensi Concilio testimonia non oscitanter legerit. Præterea Johannem, ut de S. Gregorii rebus gestis, ac præsertim de Anglicana Ecclesia ab ejus discipulis fundata, gubernata, propagata scriberet, non perfunctoriam Anglicanarum rerum notitiam sibi comparasse constat: unde ignorare non potuit quibus adstringerentur legibus Angliæ monasteria. Verum de hoc argumento plusquam satis; maxime cum illud occupaverit doctissimus Mabillonius. Nunc ad S. Gregorium redeamus, de conversis Anglis in Domino exultantem, ac de absolvendo tanto opere sollicitum. IX. Mareshamus aliter sentiens refellitur.

[a] Hanc historiam cujus meminit Guillelmus Malmesbur. lib. 1. c. 3. primus edidit Jacobus Vve eque, auratus Dublini 1664.

CAPUT VIII.

I. Sanctus Gregorius debitas sibi pro Anglorum conversione laudes in alios regerit. II. Quantum floreret tunc religio in Anglia. III. Quædam recens conversis indulget Papa. IV. Idolorum templa christiano ritu consecrari jubet. V. Quas neophytis epulas, & agapes concesserit. VI. Augustinus frustra Britones diffidentes ad pacem invitat. Qui pervicaciæ pœnas dant. Augustini obitus, & post obitum cultus sacer. VII. Quantum ejus successores pro reconciliandis Britonibus & Scottis laboraverint. VIII. In Anglos christianos persecutio desævit. Quæ tandem sedatur. IX. Britones Ecclesiæ Romanæ doctrinam ritusque suscipiunt. Pro hodiernorum Anglorum conversione votum.

I. S. Gregorius laudes sibi pro Anglorum conversione debitas, in alios regerit. *Lib. VIII. Ep. 30.*

ACceptis quę in Anglicana expeditione feliciter ab Augustino ejusque fratribus in dies gerebantur, Gregorius amicos suos ad gratias Deo pro tanto beneficio agendas litteris suis provocavit. Ad S. Eulogium, a quo nuper lętum de hæreticorum conversione, & de Catholicorum concordia nuntium acceperat, ita scribit: *Quoniam vere in bonis quæ agitis scio quod & aliis congaudetis, vestræ vobis gratiæ vicem reddo, & non dissimilia nuntio: quia dum gens Anglorum in mundi angulo posita, in cultu lignorum ac lapidum perfida nuncusque remaneret, ex vestræ mihi orationis adjutorio placuit, ut ad eam monasterii mei Monachum in prædicationem transmittere Deo auctore debuissem.* Narrat postea quot quantisque miraculis Augustinus ejusque socii apud Anglos coruscarent; itaut Apostolorum virtutes, in signis quæ exhibebant, imitari viderentur. *Quod idcirco narravi*, inquit, *ut cognoscatis quid in Alexandrino populo loquendo, & quid in mundi finibus agitis orando. Vestræ enim orationes sunt in eo loco ubi non estis, quorum operationes sanctæ monstrantur in eo loco in quo estis.* Sic debitas sibi laudes pro tanto opere deprecari conabatur humilis Pontifex, ac in quoslibet alios regerere.

II. Quantum floreret tunc religio in Anglia. *Moral. l. 27. num. 21.*

Quam tunc floreret in Britannia religio christiana, his verbis exprimit: *Ecce lingua Britanniæ, quæ nil aliud noverat, quam barbarum frendere, jam dudum in divinis laudibus Hebræum cœpit Alleluya resonare. Ecce quondam tumidus, jam substratus Sanctorum pedibus servit Oceanus, ejusque barbaros motus, quos terreni principes edomare ferro nequiverant, hos pro divina formidine Sacerdotum ora simplicibus verbis ligant: & qui catervas pugnantium infidelis nequaquam metuerat, jam nunc fidelis humilium linguas timet. Quia enim perceptis cælestibus verbis, clarescentibus quoque miraculis, virtus ei divinæ cognitionis infunditur, ejusdem divinitatis terrore refrenatur, ut prava agere metuat, ac totis desideriis ad æternitatis gratiam pervenire concupiscat.*

III. Quædam recens conversis indulget Papa. *Lib. XI. Ep. 64. in responsf. ad 6. interrog. L. XIV. Ep. ult.*

Quædam tamen in gratiam neophytorum indulsit, quæ antiquitus receptæ in Ecclesia leges prohibebant; maxime de contrahendo intra certos consanguinitatis & affinitatis gradus matrimonio: ut paulatim Christi jugo assuescerent in ipso recens geniti: & a fide quam susceperat gens Anglorum, recedere non cogerent austeriora. Hanc rationem concessæ indulgentię affert ipse respondens Felici Messanensi Episcopo de hoc sacræ legis laxamento pene expostulanti. Sic summam in Ecclesia nactus auctoritatem, & premere & laxas dare habenas, ut e re videbatur, noverat Pontificum prudentissimus.

IV. Idolorum templa ritu christiano consecrari jubet. *Lib. XI. Ep. 66. Ibid. Ep. 76.*

Prius statuerat ut idolorum templa everterentur; qua de re etiam ad Edilbertum scripserat: sed mutato consilio satius putavit, ea destructis ejectisque idolis, aspersione aquæ benedictæ lustrare, atque ritu christiano consecrare: ut Angli nuper ad fidem vocati, familiarius ad loca consueta concurrerent.

V. Quas neophytis epulas & agapes concesserit. *Ibid. Ep. 76. pag. 574.*

Consuetudo erat Gentilium multos, cum suis idolis offerrent sacrificia, boves occidere, atque ex eis epulari. Quod ut in piam solemnitatem transferret sanctissimus Papa, annuit *ut in die dedicationis Ecclesiæ, vel natalitio sanctorum Martyrum*, quorum reliquiæ in novis templis conditę fuerant, Angli nuper christiani facti *tabernacula sibi, circa easdem Ecclesias quæ ex fanis erant commutatæ, de ramis arborum facerent, & religiosis conviviis solemnitatem celebrarent. Nam duris*, inquit, *mentibus simul omnia abscindere impossibile esse non dubium est: quia is qui locum summum ascendere nititur, necesse est, ut gradibus vel passibus, non autem saltibus elevetur.* Eadem pia industria usum olim legimus S. Gregorium cognomento Thaumaturgum erga neophytos, ut refert alter Gregorius Nyssenus dictus in ejusdem vita; quod idcirco judicavimus observandum, ne Gregorius noster illa Paganis nuper conversis ad fidem christianam concedendo & facile indulgendo, humanum aliquid passum esse ac secundum carnem sapuisse videatur. Hic una eademque serie quæcumque ad Anglorum conversionem annitente S. Gregorio facta, & ad nascentis Anglicanę Ecclesię constitutionem pertinebant contraximus, etsi diversis annis contigerint. Quę tam faustis initiis successerint, breviter delineare, & ob oculos contracta ponere operæ pretium est.

VI. Augustinus frustra Britones diffidentes ad pacem invitat. *Bed. l. 2. c. 2.* Qui pervicaciæ pœnas dant.

Quamvis nihil antiquius haberet Augustinus, quam Anglos ad christianam fidem perducere, Britones tamen antiquos insulæ incolas, ad Ecclesiæ Romanæ unitatem, a qua penes nonnullos ritus diffidebant, revocare sollicitus fuit, coacta semel & iterum in hanc rem Synodo. Quibus reluctantibus, etsi quæ verbis prædicarat, miraculo confirmasset, *vir Domini fertur minitans prædixisse, quod si pacem cum fratribus accipere nollent, bellum ab hostibus forent accepturi.* Nec vaticinium effectu caruit; nam Edilfridus Nordan-Humbrorum rex fortissimus, post Augustini obitum Britones ingenti strage profligavit; nec Sacerdotibus pepercit, qui frequentes convenerant, maxime ex monasterio [a] Bancor, in

a

a In Vuallia Angliæ provincia situm erat, & distingui debet ab alio ejusdem nominis monasterio in Ultonia Hiberniæ provincia posito, cujus S. Bernardus meminisse videtur in vita S. Malachiæ c. 6.

in quo cantus fertur fuisse numerus Monachorum, ut cum in septem portiones esset cum præpositis sibi rectoribus divisum, nulla harum portio minus quam trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum suarum vivere solebant. Hujus internecionis invidia Augustinum onerare conati sunt ex heterodoxis nonnulli, quasi ipse belli Britonibus inferendi Edilfrido auctor fuerit. Verum id minime apud Bedam, aut alios e veteribus legitur Scriptoribus. Imo cæsos eos, *ipso jam multo ante tempore ad cælestia regna sublato,* expresse docet venerabilis Beda. Quæ verba prætermisit quidem Alvredus in versione Saxonica; sed ea repræsentant exemplaria omnia Latina. Ad superos autem transit Augustinus an. 607. die 26. Maii, qui feriatus fuit apud Anglos hoc Synodi Cloveshoviensis ann. 747. decreto: *Septem-decimo constitutum est præcepto, ut dies natalitius beati Papæ Gregorii, & dies quoque depositionis (qui est septimo Kalend. Junii) S. Augustini Archiepiscopi & confessoris, qui genti Anglorum missus est a præfato Papa, scientiam fidei, baptismi sacramentum, & cælestis patriæ notitiam primus attulit, ab omnibus sicut decet honorifice venerentur: itaut uterque dies ab Ecclesiasticis, & Monasterialibus feriatus habeatur; nomenque ejusdem B. Patris & Doctoris nostri Augustini in Letaniæ decantatione post sancti Gregorii vocationem semper dicatur.*

Ibid.

Spelman. Tom. I. Concil. Angl. p. 252. Augustini obitus, & post obitum facti cultus.

VII. Quantum ejus successores pro reconciliandis Britonibus & Scottis laboraverint.

Evocato ad superos Augustino, qui ab ipso ordinati fuerant Episcopi, Mellitus Londoniæ, Justus [a] Roffæ, & Laurentius ipsius in Dorovernensi Cathedra successor, de revocandis a schismate tum Britonibus, tum Scottis Hiberniæ insulæ habitatoribus plurimum sategerunt, scriptis ad eos Epistolis caritatem & humilitatem christianam spirantibus. Missæ ad Scottos seu Hibernos hæc erat inscriptio quam refert Beda: *Dominis carissimis fratribus Episcopis vel Abbatibus per universam Scotiam.* Ubi Episcopi & Abbates iidem fuisse videntur.

VIII. In Anglos christianos persecutio defertur. Bed. lib. 2. c. 5. Quæ tandem sedatur.

Nec minus pro novæ Ecclesiæ profectu, & incremento allaborarunt vigilantissimi Episcopi: at vita functis Regibus Edilbertho & Saberctho ejus sororis filio, qui christianam fidem impense coluerant & asseruerant, adeo grave bellum in Anglicanam Ecclesiam exarsit, moventibus persecutionem in fideles eorum successoribus, ut Mellitus & Justus in Galliam trajicere coacti sint; quos brevi sequi parabat Laurentius, nisi gravissima objurgatione acrioribusque flagellis ab Apostolo Petro fuisset deterritus. Adiens ergo Eadbaldum Regem, & inflicta sibi verbera ostendens, eum ad idololatriam ejurandam, amplectendamque christianam fidem, cui postea ex animo favit in omnibus, adduxit. Sabercthi autem filii qui Mellitum, & quod prædicabat Evangelium rejecerant, perduellionis suæ pœnas dederunt, in prælio adversus Gevissorum gentem cum omni exercitu cæsi. Revocati itaque ex Galliis ab Laurentio Mellitus & Justus, ad intermissum prædicationis opus redierunt. Hæc fusius apud Bedam.

IX. Britones Ecclesiæ Romanæ doctrinam ritusque suscipiunt. Pro Anglorum hodiernorum conversione.

S. Laurentio laboribus apostolicis & vita defuncto successor datus est Mellitus; Mellito postea successit Justus; Justo Honorius. Hunc excepit Deusdedit, post quem sedit Theodorus a Vitaliano Papa missus, qui Britones tandem ad Ecclesiæ Romanæ ritus omnes feliciter perduxit. Hic subsistendum putamus, ut ad S. Gregorii gesta redeat oratio. Quæ de Anglorum conversione congessimus, recolant eorum posteri: interrogent Patrem suæ fidei S. Gregorium, & annuntiabit eis; majores Augustinum ejusque adjutores Monachos, & dicent ipsis, quam ab exordio fidem sint amplexi, quantam apostolicæ Sedi reverentiam exhibuerint & obedientiam, quibus olim usi sacramentis, quos ad Dei cultum ritus adhibuerint. Heu! altaria quæ illi erexerant, destruxerunt heterodoxi; & avitam catholicamque religionem, admissis omnibus erroribus & impietatibus, repulerunt. *Det Deus illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* 2. Tim. 2. 25.

a Rochester apud Bedam vocatur, quod nomen adhuc retinet.

CAPUT IX.

I. Gregorii Decretum de Episcoporum hereditate. II. Ejus misericordia præsertim in captivis redimendis, III. Hujus redemtionis gratia vasa sacra distrahi laudat. IV. Quosdam Ecclesiæ famulos libertate donat. V. Schismæ deserentium sustentationi providet. VI. Quæ tunc essent Ecclesiæ Romanæ opes & patrimonia. Plurimæ urbes ejus dominio subditæ. Priorum Rom. Pontificum largæ eleemosynæ. Quibus S. Gregorius addidit. VII. Ejus de residentia Episcoporum sententia. VIII. Clerici extranei sine dimissoriis Episcoporum suorum litteris non recipiendi. IX. De Missis privatis, & altarium pluralitate tempore S. Gregorii. X. Causæ etiam Episcoporum ubi judicandæ. XI. A quibus causæ Clericorum. Privilegia Ecclesiarum illibata servat S. Gregorius. De Ecclesiarum consecratione. XII. Quem in laudandis amicis modum tenuerit.

Anno ... 597

I. Gregorii Decretum de Episcoporum hereditate.

GRegorius tanto labore ac studio in aggregandis colligendisque intra Ecclesiam iisqui foris erant, incumbens, nihil tamen de pastorali sollicitudine remisit erga gregem jamdudum suæ curæ a summo Pastore commendatum. Periculum erat ne Episcopi proximorum cupiditati servientes, eorumque pravis abducti consiliis, ex Ecclesiæ reditibus prædia, quæ ipsis hereditario relinquerent jure, compararent: unde eleemosynæ aut nullæ, aut parciores in egenos. Id quidem [a] sacris legibus jam prohibitum fuerat; sed Joannes Ravennas Episcopus eas spreverat, & *condito Testamento, diversa in Ecclesia sua gravamina conscripserat;* qua de re expostulantes, Papam adierunt Presbyteri, Diaco-

Lib. VI. Ep. 10

a Vide notas ad hanc Epist.

Diaconi, omnisque Ravennæ clerus: a quo judicatum, [a] ut ea quæ de Ecclesiæ suæ, vel de acquisitis in episcopatus rebus contra legum statuta testamento sancivisset, hæc irrita censerentur; *Si quid autem de propriis rebus quas ante episcopatum habuit, quod quidem prius Ecclesiæ suæ non contulit, fieri voluit vel decrevit, firmum per omnia robur obtinere necesse est*, inquit æquissimus Pontifex. Idem iterato postea decrevit, jussitque insuper Scholastico Defensori, ut a vestibus & a quibuslibet inventis in domo patris ejus Episcopi nuper demortui prorsus abstineret: volebat enim omnia quæ Episcoporum aliorumque Clericorum parsimonia pauperibus fortasse substraxerat, eisdem postmodum cedere, egenorum vere pater.

L. xi. Ep. 20.

II. Ejus misericordia præsertim in redimendis captivis. Lib. vi. Ep. 4. Ibid. Ep. 35.

Cum sciebat Episcoporum reditus ad pauperes alendos minime posse sufficere, libentissime quæ satis essent eis suppeditabat. Legenda Epistola ad Cyprianum, qua præcipit ut ex Ecclesiæ patrimonio quod regebat, usque ad duo modiorum millia, si tot collegerit, Zenoni det Episcopo egenis distribuenda. Largum se præsertim ostendebat in redimendis captivis, cui pio operi strenue incumbere jubebat, quos Ecclesiæ negotiis præfecisset. [b] Ita scribit ad Anthemium Subdiaconum Campaniæ patrimonium curantem: *Quantus dolor, quantaque sit nostro cordi afflictio de his, quæ in partibus Campaniæ contingerunt, dicere non possumus: sed ex calamitatis magnitudine potes ipse colligere. Ea de re pro remedio captivorum qui tenti sunt, solidos Experientiæ tuæ per horum portitorem Stephanum virum magnificum transmisimus, admonentes ut omnino debeas esse sollicitus, ac strenue peragas, & liberos homines, quos ad redemtionem suam sufficere non posse cognoscis, tu eos festines redimere. Qui vero servi fuerint, & dominos eorum ita pauperes esse compereris, ut eos redimere non assurgant, & hos quoque comparare non desinas*. Hoc etiam anno Crotona ad mare Adriaticum jacens, a Langobardis capta est; *& multi viri ac multæ mulieres nobiles in prædam ductæ sunt; & filii a parentibus, parentes a filiis, & conjuges a conjugibus divisi*; quibus in libertatem restituendis, & propriam, & ab aliis oblatam pecuniam impendit piissimus pater.

Lib. vii. Ep. 26.

III. Hujus redemtionis gratia distrahi vasa sacra laudat. Lib. vii. Ep. 13.

Pro redimendis captivis vasa sacra distrahi non solum permittebat, sed laudabat; ut ex plurimis ejus Epistolis liquet. Fortunatus Fanensis Episcopus copiam petierat eam vendendi, ut mutuam pecuniam quam captivorum redemtioni impenderat, solveret, cum alias solvendo non foret; cui rescripsit: *Quia Fraternitate vestra indicante comperimus ad redemtionem captivorum mutuam se fecisse pecuniam, & eam unde solveret non habere, atque ob hoc cum nostra vos auctoritate sacrata velle vasa distrahere: in hac re, quia & legum & canonum decreta consentiunt, nostrum consensum præbere curavimus, & in distrahendis sacratis vasis vobis licentiam indulgemus*. Hic annuit; at in alia præcipit, ad Donum Messanensem Episcopum scribens: *Fraternitas vestra debet esse sollicita, ut si quidem de prædicta Ecclesia usuale argentum est, suprascriptam quantitatem accipiat: alioquin de sacratis vos vasis hac in re eam quam prædiximus quantitatem præbere necesse est. Nam sicut omnino grave est frustra ecclesiastica ministeria venumdare, sic iterum culpa est, imminente hujusmodi necessitate, res maxime desolatæ Ecclesiæ captivis suis præponere, & in eorum redemtione cessare*.

Ibid. Ep. 8. Lib. vii. Ep.

IV. Servos Ecclesiæ bonos libertate donat. Lib. vi. Ep. 12. Lib. ii. Ep. 10.

Eadem pietate ac munificentia quandoque Ecclesiæ Romanæ famulos de ipsa bene meritos libertate donabat, & cives Romanos efficiebat, concesso ipsis omni peculio, additis etiam donis. Hujusmodi manumissionis exemplum & formulam habes in Epistola ad Montanam & Thomam scripta. Solemniter ab Episcopis in Ecclesia celebrari manumissiones alibi nos docet, ad Paulum Episcopum scribens.

V. Schismaticorum reversorum sustentationi providet. Ibid. Ep. 39. & 47.

Misericordiam Gregorii præ ceteris experiebantur, qui a schismate aut ab heresi ad Ecclesiam reversi, suos Gentiles adhuc in perduellione pertinacius herentes patiebantur adversarios. Hanc sanctissimi & sapientissimi Pontificis liberalitatem imitatus Ludovicus Magnus Francorum Rex Christianissimus, annuis pensionibus fovere curavit erroris Calviniani sectatores, ad Ecclesiæ sinum reversos; ut in piæ matris gremio eadem saltem vitæ necessaria nanciscerentur, quæ noverca heresis prius abunde suppeditabat.

VI. Quæ tunc essent Ecclesiæ Romanæ opes, & patrimonia. Lib. i. Ep. 75. Lib. ii. Ep. 72. Lib. ix. Ep. 19. Lib. vi. Ep. 22. L. xii. Ep. 22. Ibid. Ep. 33. Lib. i. Ep. 55 & 65. Lib. iv. c. 28.

Cum multoties jam de effusa in omnes S. Gregorii liberalitate verba fecerimus, operæ pretium est paucis ostendere quæ tunc essent Ecclesiæ Romanæ opes, unde ad sumtus tantos & pene immensos hauriret. Multa & maxima jam a priscis temporibus latifundia possidebat in toto orbe ChristianoEcclesia hæc ceterarum princeps, quæ S. Petri patrimonia vocabantur. Nota sunt ex sancti Pontificis Epistolis Africanum; Siculum multiplex, ut ex Epist. 44. lib. i. & ex plurimis ad Siciliæ defensores & rectores missis, quas in indice geographico sub Siciliæ titulo collegimus, manifestum est; Corsicum, Dalmaticum, Gallicanum. De iis quæ intra Italiam, in Campania præsertim Ecclesia Romana possidebat loqui foret supervacaneum. Amplissimas possessiones a Constantino Magno concessas auguramur, cujus in ditandis Ecclesiis munificentiam præsertim laudat Eusebius in ejus vita.

Plurimæ urbes ejus dominio subditæ.

Nepesinam civitatem in Etruria juri Romani Pontificis subditam fuisse conjicimus ex Ep. 11. libri secundi, qua *Leontio viro clarissimo curam sollicitudinemque civitatis injunctam a se fuisse* significat, *ut in cunctis invigilans, quæ ad utilitatem civium, vel Reipublicæ pertinere dignoscet*, ipse disponat. Eadem Epistola clerum, ordinem Senatorium, & plebem urbis hujus admonet, ut a se constituto Præfecto in omnibus obedientiam exhibeant: *Quia quisquis*, inquit, *incongrue ordinationi ejus restiterit, nostræ resultare dispositioni cognoscetur. Quicumque vero eum in iis, quæ supra retulimus, audierit, nos audiet. Si quis autem, quod non credimus, eum post hanc admonitionem nostram contemnendum putaverit, ad suum proculdubio sciat pertinere periculum*. Quia auctoritate & potestate Gregorius, tum Leontio viro clarissimo custodiam Nepesinæ urbis demandasset, tum civibus ut ipsi obsequerentur, additis etiam minis præcepisset, nisi juris fuisset Ecclesiæ? Ad eamdem pertinuisse Hydruntum & Callipolitanum castrum aliunde colligitur. Id quoque dicendum de Neapoli, cum legamus Papam ad hujus civitatis custodiam Tribunum deputasse, ac militibus qui in hujus urbis præsidio erant, im-

Lib. ix. Epp. 69. & 100. Lib. ii. Ep. 31.

a Idem etiam statuitur lib. xi. Epist. 77.
b Vide etiam lib. viii. Ep. 24. 28.

imperasse; non alia proculdubio ratione, quam quia ejus dominio foret [a] subdita, non excusso tamen penitus Imperatorum jugo. Jam diu antea summos Pontifices ad amplissimam dignitatem evectos fuisse, testis est Ammianus Marcellinus; quam etiam suæ præferendam non dubitaret Prætextatus Urbis Præfectus; etsi secularis tantum potestatis rationem haberet. a Lib. xxvii. c. 3.

Dionysius Corinthiorum Episcopus, qui seculo secundo inclinante floruit, ita scribit ad Romanos, & ad Soterem Papam, apud Eusebium: *Hoc*, inquit, *vobis consuetudo est, jam inde ab ipso religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, & Ecclesiis quamplurimis, quæ in singulis urbibus constitutæ sunt, necessaria vitæ subsidia transmittatis; & hac ratione tum egentium molestiam sublevatis, tum fratribus qui in metallis opus faciunt necessaria suppeditatis .... Atque hunc morem beatus Episcopus vester Soter non solum servavit, verum etiam adauxit.* Alter Dionysius, scilicet Alexandrinus in Epistola Stephano Papæ medio circiter seculo tertio nuncupata, [b] testatur ipsum omnibus Syriæ provinciis cum Arabia, necessaria suppeditare solitum; quæ omnia tum summæ potestatis, tum optime dispositæ sunt, argumenta. Piam hanc in sublevandis egenis decessorum suorum consuetudinem adeo non abrogavit, vel imminuit Gregorius, ut etiam auxerit plurimum. Primum Rom. Pont. mos in largiendis eleemosynis. Lib. iv c. 23. b Ibid. Lib. vii. c. 5.

Inter inopes quibus libentissime necessaria ministrabat, numerat tria Monialium millia in urbe Roma: neque vero sibi ab ipsis quidquam ob tam amplas eleemosynas deberi putabat; quin potius se Romanosque omnes iisdem debitores esse profitebatur: *Harum*, inquit, *talis vita est, atque in tantum lacrymis, & abstinentia districta, ut credamus quia si ipsæ non essent, nullum nostrum jam post tot annos in loco hoc subsistere inter Langobardorum gladios potuisset.* Quibus Gregorius addidit.

VII. Quo suis ovibus præsto semper adessent pastores, ut quæque ad vitam, sive animæ, sive corporis forent necessaria suppeditarent, eos ab Ecclesiis suis abesse, aut vagari non sinebat. Quapropter cum audisset Pimenium Amalphitanum Episcopum, *in Ecclesia sua non residere*, de ipso minacibus litteris ad Anthemium scripsit, ut eum ad residendum sacerdotali more cogeret: si vero non emendaretur, eum in monasterium detruderet. Episcopalis residentiæ gratia, Siciliæ Episcopis indulsit ut unoquoque quinquennio tantum semel Romam convenirent, cum prius singulis triennis sistere se cogerentur; qua in re ipsorum etiam labori minuendo consulebat. Felix Messanensis Episcopus magno videndi Gregorii desiderio flagrabat: sed quia ex diuturna forsitan absentia pastoris, grex ipsius aliquid damni pati potuisset, rogavit amicum ne tanti itineris laborem assumeret: *Sed, ora*, inquit, *pro nobis, ut quanto nos itineris intervalla dissociant, tanto animos nostris ad invicem Christo adjuvante; simus in caritate conjuncti.* Ejus de residentia Episcoporum sententia. Lib. vi ep. 23 Lib. viii. ep. 240. Lib. x ep. 64.

VIII. Non solum Episcopos, sed etiam Presbyteros & alios Clericos fixos in suis Ecclesiis permanere, non de parochia in parochiam migrare, ac vagari volebat, quod etiam Ecclesiæ canonibus cautum erat. Si qui vero Episcopi extraneorum Clericorum nonnullos, in suo clero promovendos, & certis ministeriis addicendos postularent, eos prius [c] dimittere debebat proprius Episcopus, facta cessione; nec citra ipsius consensum poterat incardinari. Ipsi etiam qui in Episcopos electi fuerant, hujusmodi litteris, ut ajunt, dimissoriis Episcopi sui indigebant ut ordinarentur. Eadem quoque ratione Monachos absque Abbatis sui consensu ab Episcopis assumi ad presbyteratum, aut alia ecclesiastica munia obeunda prohibitum erat. Ubi adverte quantus hac in parte sit hodiernæ disciplinæ cum veteri consensus. Clerici extranei sine dimissoriis Episcoporum suorum alteri non ascripti. c Lib. vi. ep. 20 Lib. ep. 17. Lib. vi ep. 18

IX. Hanc ipsam consensionem juvat ostendere in Missis privatis, & in altarium multitudine intra eamdem Ecclesiam, ut refellantur heterodoxi de novitate litem importune nobis moventes. Johannes Episcopus Syracusanus Venantii Patricii oblationes repulerat, quod ille indigne ferens hostiliter in episcopium armatos immisit satellites. Hæc ubi accepit Papa, scripsit ad Venantium de injuria Episcopo illata expostulans; cum ob notam gravitatem, sanctitatem & mansuetudinem, a vi & insultatione tanta tutus esse debuisset. *Unde necesse est*, inquit, *ut & vos sacerdotalem illi reverentiam exhibere, sicut decet filios, debeatis: nec ejus ad iracundiam animos provocetis. Nam cum quo fidam estis gratiam habituri, si vobis, quod absit, cum Sacerdote fuerit discordia?* Alia Epistola Johannem ad concordiam & pacem cum Venantio habendam hortatus est; cujus gratia placuit Gregorio non solum ut Patricii oblationes susciperet, sed etiam ut in domo ipsius Missarum peragi Mysteria permitteret; imo etiam ipse, si voluerit Venantius, celebraret. Quippe ob hæc duo denegata ortum præsertim hoc jurgium. Quis nisi lippus hic non videat clare usitatas & approbatas Missas privatas, & in privatis ædibus? De Missis privatis & altarium pluralitate tempore S. Gregorii. Lib. ii ep. 40. Ibid. ep. 41.

Quod spectat ad altarium pluralitatem intra ejusdem Ecclesiæ septa, eruitur ex Epistola hoc anno quoque scripta ad Palladium Santonensem in Galliis Episcopum. Construxerat ille Ecclesiam in honorem beatorum Apostolorum Petri & Pauli, sanctorum Laurentii & Pancratii martyrum; inqua tredecim altaria collocarat, miseratque Romam Leuparicum Presbyterum, ad petendas sacras reliquias, in quatuor altaribus nondum dedicatis ponendas. Annuit pius Pontifex, misitque Palladio laudatorum Apostolorum ac Martyrum reliquias, quas summa cum reverentia suscipi & collocari postulavit. Consulat studiosus lector notas ad hanc Epistolam, ex quibus discet longe ante Gregorium plurima erecta esse altaria. Etsi vero Græcorum hodiernus mos hanc altarium multitudinem non admittat, olim tamen ab ipsis minime reprobatam esse ostenditur ex Theodoro Studita Epist. 219. [d] interrogat. 15. Ex altaris voce, si cum heterodoxis digladiandi esset animus, facile urgeri possent; quip- Ibid. ep. 49. d.

 pe

a Vide lib. ix. Ep. 69. ubi arguit Maurentium magistrum militum, quod Episcopum Neapolitanum ea quæ patroni erant hujus urbis usurpantem non cohiberet: non alia, ut opinamur, ratione, quam quia dominium temporale Neapolis, ad Rom. Sedem pertinebat. In Ep. 105. ejusdem libri vocatur *Major Urbis*, qui dicitur hic Patronus Gallice *Maire*.

b Vide quoque Ep. 220. S. Basilii magni ad Dionysium Papam.

c S. Leo Ep. 12. c. 9. *Alienum Clericum, invito Episcopo ipsius, nemo suscipiat.* Ibid. *Transfugam Clericum ad suam Ecclesiam Metropolitanus redire compellat.* Et Ep. 13. c. 4. *Ut nullus Episcopus, alterius Episcopi Clericum sibi audeat vindicare, sine illius ad quem pertinet cessione, quam tamen evidentia scripta contineant.*

d *Sunt Ecclesiæ*, inquit Theodorus, *quæ duas aut tres habent ædiculas.* (græce κόγχας.) *Ex his autem una est quam novus consecravit, utrum fas ibi sacrum facere an non.*

pe altare Græce θυσιαςήριον, sacrificium & hostiam in lege nova cogit admittere, quod tamen procul rejiciunt. Altaris autem vox in scriptoribus Apostolorum supparibus frequentatur. Unus pro omnibus sit Martyr Ignatius: *Omnes*, inquit in Ep. ad Magnes. n. 7. *velut in unum templum Dei concurrite, velut ad unum altare*. Et in Ep. ad Trall. num. 7. *Qui intra altare est, mundus est; qui vero extra altare est, non est mundus*. Accinit [a] Paulo & Johanni Apostolis, apud quos, etiam post reprobatum vetus altare, sæpe altaris alterius occurrit mentio. Sed his omissis, ad reliqua S. Gregorii gesta huic anno debita festinemus.

X. *Causæ etiam Episcoporum ubi judicandæ. Lib. VI. ep. 37.* Summa ejus in supremi Pontificatus administratione modestia elucet in Epistola ad Columbum in Numidia Episcopum. Petrus hujus provinciæ quondam Episcopus, ut ajebat, adierat Sedem apostolicam, ejusque judicium postulaverat. *Sed quia*, inquit sapientissimus Papa, *causa ipsius interna subtiliter nequaquam addiscere tam longo itineris intervallo disjuncti potuimus, eam, incerti quippe, definire nequivimus*. Quapropter optimum ei visum est ut Columbus Episcopus judex sederet inter Petrum & ejus accusatores, *quia præsens causam subtilius poterat scire*. Aliquando etiam accusatos Episcopos, ut se purgarent, regiam urbem petere, & Imperatori se sistere permittebat.

XI. *A quibus causæ Clericorum. Ibid. ep. 11. Lib. VII. ep. 4.* Quam strenue jura Episcoporum propugnaret, probat Epistola ad Fortunatum Neapolitanum Episcopum, cujus hæc verba sunt: *Quia pervenit ad nos Clericos, aliasque civitatis ac parochiæ tuæ religiosas personas ab aliis conveniri, fieri hoc de cetero prohibemus: & neque Clericum tuum, neque Monachum vel quamlibet civitatis aliam religiosam personam parochiæ tuæ conveniri a quoquam, vel ad alterius volumus judicium exhiberi. Sed si quis contra hujusmodi personas cujuslibet negotii movere voluerit quæstionem, Fraternitatem tuam noverit adeundam. Aut si forte, ut assolet, aliqua illis quolibet modo fuerit nata suspicio, & electorum desideraverint fortasse judicium, sub tua executione eligendi fas habeant cognitores; quatenus hoc modo nec tu amisisse jurisdictionem, nec actor apud suspectum litigando videatur præjudicium sustinere*. Hæc exscribere non piguit, quod judiciorum Ecclesiasticorum formam continere videantur.

Privilegia Ecclesiarum illibata servat S. Greg. Ibid. epp. 9. & 15. Ut Episcoporum, ita Ecclesiarum jura & privilegia illibata permanere volebat æquissimus Pontifex, ut palam profitetur, ad Donum Messanensem & Johannem Syracusanum Episcopum Pallium mittens. In Epistolis ad utrumque missis quæ sunt omnino similes, deprehendere mihi videor communem & usitatam Pallii concedendi formulam.

De Ecclesiarum consecratione. Notatu dignum est nullas Ecclesias provinciarum Siciliæ & Italiæ, Romano Pontifici tamquam Metropolitano subditarum, tunc fuisse consecratas absque ipsius licentia; quod non solum ex [b] Epistola 45. hoc anno scripta eruitur, sed etiam ex aliis plurimis. In [c] baptisteriis consecrandis eadem erat ratio.

XII. *Quem in laudandis amicis modum tenuerit. Lib. VI. ep. 56.* Exemplum nobis præbet modi in laudandis amicis tenendi Epistola ad Stephanum Abbatem Lirinensem scripta. De concordia ejus congregationis, in qua plures erant Presbyteri & Diaconi, certiorem fecerat Papam Augustinus Romam rediens. Quanto cum gaudio id acceperit Gregorius testatur, Stephanum Abbatem amicis compellans litteris, laudatque ejus vigilantiam, & pro donis ab eo acceptis ad ministerium pauperum gratias agit. Attamen præmissis laudibus subdit hanc adhortationem: *Quia vero humani generis inimicus insidiari nostris actibus non quiescit, sed assidua calliditate hoc nititur, ut Deo servientes animas in qualibet parte decipiat: ideo, dilectissime Fili, hortamur ut sollicitudinem tuam vigilanter exerceas, & ita commissos oratione & cura providenti custodias, ut lupus circumiens nullam dilaniandi occasionem inveniat*.

a Hebr. 13. 10. Apocal. 6. 9.
b Lib. VI. Ep. 45. lib. XII. Ep. 11. lib. XIV. Ep. 9.
c Lib. XIII. Ep. 20.

CAPUT X.

An. 596. & 597. I. *Cyriacus Patriarcha CP. mittit ad S. Gregorium legationem & Epistolam. Cui respondet.* II. *Cyriaci encomium.* III. *Corripiuntur qui sacram Scripturam usurparant ad eum laudandum.* IV. *Legati Cyriaci erroris arguuntur a Papa.* V. *Fabula de Trajano S. Gregorii precibus liberato inde explosa. Sed præsertim ex Dialogis.* VI. *Objectiones contra pœnarum inferni æternitatem solvuntur.* VII. *Cur finita culpa puniatur sine fine.* VIII. *Cur Sancti pro damnatis non orent. Eadem ratione probatur S. Gregorium orare non potuisse pro Trajano.* IX. *Johannis Diaconi effugium exploditur.* X. *Petitæ ex S. Perpetuæ actis objectioni occurritur.*

I. *Cyriacus Patr. CP. mittit ad S. Greg. Legatos & Epistolam. Cap. 9. n. 15. Cui respondet. Lib. VII. ep. 4.* Etsi Johannes CP. e vivis excessisset mense Januario an. 595. ut jam supra monuimus, ejus tamen successoris Cyriaci legationem & Epistolam Synodicam, de sua electione ac ordinatione scribentis, nonnisi post viginti fere menses excepit S. Gregorius. Cyriaci Epistolas honoris causa detulerunt Georgius Presbyter, & Theodorus Diaconus. His respondens Papa, laudat quidem Cyriacum pro amore quietis pastoralem sollicitudinem fugisse, sed inde probat ipsum ad episcopalem promovendum fuisse dignitatem: *Quia sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus*. Monet itaque internæ tranquillitati caritatem erga proximum esse præferendam, quod suo quoque ostendit exemplo: & qua ratione caveri possit ne curæ Pastoris animum penitus obruant, docet. Quod spectat ad fidei confessionem a Cyriaco datam, ipsam ap-

pro-

probat Papa; dubitat nihilominus utrum quidam [a] Eudoxius inter hæreticos a quatuor Synodis œcumenicis damnatos referri debuerit : at ejus dubitationem & hæsitationem postea sustulit Eulogius. De œcumenici titulo respuendo quædam attingit.

In alia breviori ad Cyriacum Epistola testatur ipsius bona jampridem sibi perspecta, dum scilicet in urbe regia moraretur. Animo despondentem ex infirmitatis conscientia, erigit dicens : *Scimus quia prima virtus est cognitio infirmitatis, atque ex eo colligimus posse vos bene susceptum ministerium implere, quia vos videmus infirmitatem propriam ex humilitate cognoscere. Omnes enim infirmi sumus, sed ille est infirmior, qui suam considerare non valet infirmitatem.* *Ibid. ep. 5.*

II. Cyriaci encomium. *Ibid. ep. 6. Lib. vii. ep. 34.*

De Cyriaci electione gratulatus est Imperatori vir sanctissimus, quod de optimo Pastore Ecclesiæ Constantinopolitanæ dando adeo fuerit sollicitus. Quædam ex Epistola ad Mauricium subjiciemus, ex quibus intelligetur quis esset Cyriacus, & qua ratione tardius Johanni, qui non parum laudatur, fuerit successor datus : *Non parvæ*, inquit, *potuit esse mercedis, quod Johanne sanctæ memoriæ de hac luce subtracto, ad ordinandum Sacerdotem Pietas vestra diu hæsitavit, tempus paulo longius distulit, cum metu omnipotentis Domini consilium quæsivit, ut videlicet causa Dei cum magno debuisset timore disponi. Unde & aptum valde existere in pastorali regimine fratrem atque consacerdotem meum Cyriacum existimo, quem ad eumdem ordinem Pietatis vestræ consilia longa genuerunt. Qui in administrandis dudum rebus ecclesiasticis quam sollicitus & quomodo fuerit exercitatus, cuncti novimus. Unde & superna gestum dispensatione non ambigo : ut qui bene minima gesserat, congrue majora susciperet, atque a cura rerum, ad animarum regimina transiret.*

III. Corripiuntur qui in eum Scripturam usurparant ad eum laudandum. *Ps. 117. 24. Ibid. ep. 7.*

In ordinatione Cyriaci, Episcopi quidam immoderatius exultantes exclamarant : *Hæc dies quam fecit Dominus ; exultemus & lætemur in ea.* Quasi sol esset hic Patriarcha cujus lumine dies illuxisset. Hanc verborum sacræ Scripturæ usurpationem, in sermone adulatorio prorsus damnavit S. Gregorius, uti suis ad illos Episcopos litteris significavit. Ne vero putaretur zelotypia laborasse, laudesque Cyriaco collatas ad se potius trahere voluisse, statim culpam immoderatæ laudationis hujus elevare conatur. Quantum autem alienus esset a nimiis & immodicis, imo a quibuslibet laudibus appetendis & aucupandis, certe millies, & hoc præsertim anno testatum reliquit, dum redarguit Johannem Syracusanum Episcopum ob adhibitam suæ mensæ coram extraneis lucubrationum suarum lectionem. *Ibid. ep. 9.*

IV. Legati Cyriaci erroris arguuntur a Papa. *Ibid. ep. 15.*

Legati Cyriaci, testibus Ecclesiæ Rom. Diaconis, dixerant, *Jesum Christum ad inferos descendentem, omnes qui illic confiterentur eum Deum, salvasse atque a pœnis debitis liberasse. De qua re*, inquit S. Doctor, *volo ut Caritas vestra longe aliter sentiat. Descendens quippe ad inferos, solos illos per gratiam suam liberavit, qui eum & venturum esse crediderunt, & præcepta ejus vivendo tenuerunt. Constat autem quia post incarnationem Domini, nullus etiam ex his salvari potest, qui fidem illius tenent, & vitam fidei non habent* ; quod multis sacræ Scripturæ testimoniis demonstrare pergit.

V. Fabula de Trajano S. Gregorii precibus liberato inde explosa.

Solus hic locus sufficeret ad explodendam fabellam de Trajano ab inferni pœnis Gregorii precibus liberato, quam referunt Paulus & Johannes Diaconus in ejus vita lib. 11. c. 44. Quid enim? potuit scilicet pro Trajani cultoris idolorum, Christianorumque persecutoris usque ad mortem liberatione preces ad Deum fundere, qui noverat, *trahi ad Deum post mortem non posse ; qui se a Deo male vivendo separasset* ; id enim conceptis verbis dicit egregius Doctor. Sed longe validius refellitur commentum hoc ex asserta in Dialogis doctrina lib. iv. cap. 44.

Sed præsertim ex Dialogis.

Quæstio eo loci proposita, est : *Si semper ardeant qui gehennæ incendiis deputantur* ; ad quam respondet Sanctus Gregorius : *Constat nimirum, & incunctanter verum est, quia sicut finis non est gaudio bonorum, ita finis non erit tormento malorum. Nam cum Veritas dicat : ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam : quia verum est quod promisit, falsum proculdubio non erit quod minatus est Deus.* *Matt. 25. 46.*

VI. Objectiones contra pœnarum inferni æternitatem solvuntur.

Petrus his opponit : *Quid si quis dicat : idcirco peccantibus æternam pœnam minatus est, ut eos a peccatorum perpetratione compesceret?* At illa diluit S. Doctor respondens in hæc verba : *Si falsum est quod minatus est, ut ab injustitia corrigeret : etiam falsa est pollicitus, ut ad justitiam provocaret. Sed quis hoc dicere vel insanus præsumat? Et si minatus est quod non erat impleturus, dum asserere eum misericordem volumus, fallacem, quod dici nefas est, prædicare compellimur.*

VII. Cur finita culpa puniatur sine fine.

Petrus hac responsione sibi factum satis intelligens, alium nodum proponit solvendum : *Scire vellem*, inquit, *quomodo justum sit, ut culpa quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur.* Cui respondet sapientissimus magister, *hoc recte diceretur, si districtus judex non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent utique si potuissent sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper vivere cupiunt ; qui numquam desinunt peccare dum vivunt. Ad magnam ergo justitiam judicantis pertinet, ut numquam careant supplicio, qui in hac vita numquam voluerunt carere peccato.* Egregia sane ratio qua pœnarum probetur æternitas, adversus religionis contemtores, qui solent hoc de dogmate, ut liberius peccent, cavillari. Petrus tamen argumenti hujus pondere nondum oppressus, adhuc subtilius instat : *Sed nullus justus crudelitate pascitur, & delinquens servus a justo domino idcirco cædi præcipitur, ut a nequitia corrigatur. Ad hoc ergo vapulat, ut emendari debeat. Iniqui autem gehennæ ignibus traditi, si ad correctionem non perveniunt, quo fine semper ardebunt?* Respondet vero Doctor discipulo : *Omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur : quia vero justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio deputati, sua quidem iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid ardebunt, scilicet, ut justi omnes, & in Deo videant gaudia quæ percipiunt, & in illis respiciant supplicia quæ evaserunt : quatenus tanto magis in æternum gratiæ divinæ debitores se esse cognoscant, quanto in æternum mala puniri conspiciunt, quæ ejus adjutorio vicerunt.*

Ista

a Vide ep. 31. sequentem & notas ad eamdem.

VIII. Cur Sancti pro damnatis non orent.

Ista perpendenti quonam pacto venire potest in mentem, Gregorium ita sapientem, ita docentem, preces aliquando fudisse pro Trajano Imperatore, quem ob infidelitatem, & motam in Christianos persecutionem (ut alia interim dissimulemus) æternis pœnis addictum non dubitabat? At quæ sequuntur, ne levinsculam quidem relinquunt ea de re difficultatem. Quærit enim Petrus: *Et ubi est quod sancti sint, si pro inimicis suis quos tunc ardere vident, non orabunt; quibus utique dictum est: Pro inimicis vestris orate?* Cui respondet ita sapientissimus Doctor: *Pro inimicis suis orant eo tempore, quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda convertere, atque ipsa conversione salvare. Quid enim aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc quod Apostolus ait: Ut det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem? Et quomodo pro illis tunc orabunt, qui jam nullatenus possunt ad justitiæ opera ab iniquitate commutari? Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus igni æterno damnatis, quæ nunc etiam causa est, ut non oretur pro diabolo Angelisque ejus æterno supplicio deputatis. Quæ nunc etiam causa est ut non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impiisque defunctis, nisi quia pro eis utique quos æterno deputatos supplicio jam noverunt, ante illum Judicis justi conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt. Quod si nunc quoque viventes justi mortuis & damnatis injustis minime compatiuntur; quando adhuc aliquid judicabile de sua carne sese perpeti etiamsi ipsi noverunt; quanto districtius tunc iniquorum tormenta respiciunt, quando ab omni vitio corruptionis exuti, ipsi jam justitiæ vicinius atque arctius inhærebunt? Sic quippe eorum mentes per hoc quod justissimo Judici inhærent, vis districtionis absorbet, ut omnino eis non libeat quidquid ab illius æternæ regulæ subtilitate discordat.*

Matth. 5.44. *2 Tim. 2.25.*

Eadem ratione probatur sanctum Gregorium pro Trajano non potuisse orare.

Hæc legenti num dubia aut obscura esse potest S. Gregorii sententia, tum de pœnarum inferni æternitate, tum de negandis precibus iis quos citra ullam hæsitationem scimus hujusmodi pœnis addictos?

IX. Johannis Diac. effugium exploditur.

Ut vim argumenti hujus eludat aut elevet Johannes Diaconus, hoc excogitavit effugium: Nempe *Gregorium pro Trajano liberando non exorasse, sed flevisse*. Quasi lacrymæ coram Deo fusæ alicujus rei obtinendæ gratia, preces non sint, & quidem efficacissimæ. Addit Trajanum ita liberatum fuisse ab inferni cruciatibus, ut in inferno tamen remanserit, non autem sit evectus ad superos. At sancti Doctoris ratiocinatio, uti & testimonia omnia sacræ Scripturæ ab ipso prolata, non solum probant æternam damnatorum in inferno mansionem, sed etiam exustionem. Neque fingere licet S. Doctorem duplicem habuisse diversis temporibus de hac quæstione sententiam; nam primo non potuit ignorare quæ esset sacrarum litterarum Ecclesiæque hac de re doctrina: secundo constanter idem in omnibus pene operibus, diversis licet temporibus elucubratis; nimirum in Moralibus lib. 34. n. 34. in Dialogis, & in Epistola jam laudata, quæ huic dissertatiunculæ occasionem præbuit, ob errorem Legatorum Cyriaci in ea refutatum. Ceterum opinionem hanc quæ Origeni tribui solet, impugnarant jam Augustinus & Basilius Magnus.

Lib. reg. de reg. Dei & Reg. brev. qu. 267.

X. Objectioni ex actis S. Perpetuæ petitæ occurritur.

Quod legitur in actis S. Perpetuæ, nimirum illam pro fratre Dinocrate orasse, sicque ipsum a pœnis quibus in loco tenebroso plectebatur liberasse, minime favet opinioni quam post Gregorium impugnamus. Probat enim tantummodo mortuos purgatorii cruciatibus addictos ob levia peccata post baptismum admissa, posse fidelium precibus ab iis eximi. Quam responsionem suppeditat Augustinus lib. 1. de origine animæ c. 10. & lib. III. c. 9. ubi ait Dinocratem propter peccata quædam commissa post baptismum aliquas pertulisse pœnas. Quippe cum septennis esset, potuit mentiri, aut alio levi piaculo animam maculare. Quod autem ante mortem fuisset baptizatus negari nequit, Perpetua ipsa testante totam familiam suam, excepto patre, Christi coluisse religionem.

Ad Martyr. in S. Perpet. n. 7. & 8. pag. 83. & seq.

CAPUT XI.

An. 596. & 597.

I. S. Gregorius in moribus efformandis doctor eximius. Quid doceat contra nimiam securitatem & de duplici compunctione. II. Theoctistæ sororis Imperatoris pietas. III. S. Gregorius amicis denegat opem ad obtinenda secularia officia. IV. Quales amicis mœrentibus adhiberet consolationes. V. Laudat laicos divini verbi cibum quærentes. VI. Ariminensi Episcopo infirmo successor datur. VII. Et Corneliensi ob lapsum dejecto. Laudatur a Greg. Stephanus Episcopus. VIII. Res quædam monasticæ. IX. Insulæ Corsicæ prospicit Papa. X. Quædam de servilium personarum conjugio observantur.

I. S. Gregorius in moribus efformandis doctor eximius.

Mox vidimus S. Gregorium Theologorum optimum pro fidei puritate ac integritate fortissime decertantem; nunc miremur ipsum tamquam in moribus informandis magistrum eximium pietatis perfectionisque Christianæ exquisitissima subministrantem consilia. Gregoria Augustæ cubicularia scripserat ei se numquam ab importunis precibus cessaturam, donec ab ipso certo sciret, nimirum ex divina revelatione, peccata sua esse dimissa. Cui sic respondit modestissime simul ac prudentissime: *Rem difficilem etiam, & inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum cui revelatio fieri debeat. Inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime valebis. Quæ dies quousque veniat semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare. Certe Paulus Apostolus jam ad tertium cælum ascenderat, in paradisum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non liceret: & tamen adhuc trepidans dicebat: Castigo corpus meum, & servituti subjicio, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Adhuc timet qui jam ad cælum ducitur, & jam timere non vult qui adhuc in terra conversatur? Perpende, dulcissima Filia, quia mater negligentiæ solet esse securitas. Habere ergo in hac vita non debes securitatem,* per

Lib. VII. Ep. 25. Quid doceat contra nimiam securitatem. *2. Cor. 12.* *1. Cor. 9.27.*

per quam negligens reddaris. Scriptum est enim. Beatus vir qui semper est pavidus. Et rursus scriptum est: Psal. 2. 11. Prov. 28. 14. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. In pauco ergo hujus vitæ tempore mentem vestram necesse est ut tremor teneat, quatenus per securitatis gaudium sine fine postmodum exultet.*

I.

Quid opportunius hoc loco, ad exsufflandas larvatæ cujusdam pietatis fallacias quæ sub mentito purioris amoris nomine omnem timorem de salute æterna, sollicitudinem omnem excutit? In Epistola quidem ad Theoctistam Patriciam, quæ proxime sequitur, explicat Sanctus Doctor duo genera compunctionis, *unum quod æternas pœnas metuit*, alterum quo longa mœroris formidine & anxietate consumta, quædam jam de præsumtione veniæ securitas nascitur. At hic status non excludit omnem salutis curam; neque enim adest *plena* securitas, sed inchoata, non omnem expellens timorem sed nimis anxium. Hoc in statu, inquam, anima de *cælestibus præmiis suspirat. Qui prius flebat, ne duceretur ad supplicium, postmodum flere amarissime incipit, quia differtur a regno.*

Lib. VII. ep. 26. Et de duplici compunctione.

II. Theoctistæ sororis Imperatoris pietas.

Ex hac Epistola intelligimus Theoctistam Imperatoris sororem, sacri verbi ubertate plenam suisse, ad æterna gaudia incessanter suspirasse, ad repromissionis patriam inter undas seculi siccis vestigiis properasse; nimirum inter hominum tumultus & in ipsa aula solitudinem colendo; quod pro miraculo habet Sanctus Gregorius, comparatque cum filiorum Israel transitu per mare rubrum. Piissimæ sorori nutriendorum liberorum provinciam dederat Mauricius Augustus; hinc eam hortatur Papa ut illos optimis moribus imbuere conetur, & eunuchos ipsorum custodiæ ac obsequiis deputatos admoneat, quem caute coram ipsis loqui debeant: *Verba si quidem nutrientium*, inquit, *aut lac erunt si bona sunt, aut venenum, si mala.* In eadem Epistola Gregorius ostendit se de salute Constantinæ Augustæ, & de ipsius profectu in virtute sollicitum: quos enim amabat, a terrenis cupiditatibus abstrahere, & in amore cælestium succendere conabatur; hæcque erant ejus amicitiæ symbola & argumenta.

III. S. Gregorius amicis suis denegat opem ad obtinenda secularia officia. Ibid. ep. 29.

Andreas vir clarissimus ejus familiaris postularat ab eo Imperatori commendari, ad aliquod officium in Republica obtinendum, quod sanctissimum patrem non mediocri mœrore perculit. *Multos novi*, inquit amico, *qui in servitio Reipublicæ positi vehementer affliguntur; quia eis non licet vacare, & peccata sua plangere; & vos quare, nescio, implicari desideratis?* multa permitto de mundi contemtu, digna tamen quæ legantur, & serio animis insculpantur. Epistolam ista claudunt: *Hoc ipsum vero esse in obsequio piissimi Principis, quanta est mentis occupatio in appetitu terrenæ gratiæ, & quantus est timor ne hac eadem gratia perdatur, si adepta fuerit? Perpende ergo quæ pœna sit; aut prosperitatis desiderio fatigari, aut adversitatis timore pavescere. Unde magis suadeo, ut Magnitudo vestra in suo proposito quondam, in pauco tempore delectabili receptaculo peregrinationis vivere studeat, & quietum ac tranquillam vitam ducere, sacris lectionibus vacare, cælestia verba meditari, in æternitatis amore se accendere, de terrenis rebus secundum vires bona opera agere, & regnum perpetuum in eorum remuneratione sperare. Sic autem vivere, jam in æternitatis vita partem habere est. Hæc, magnifice Fili, loquor, quia multum te diligo. Et quia in procellas & fluctus tendis, verborum meorum funibus te ad littus revoco; & si trahentem sequi volueris, quæ pericula evaseris, quæ gaudia inveneris, in ipso quietis tuæ littore positus agnosces.*

IV. Quales amicis mœrentibus consolationes adhiberet. Ibid. ep. 29. Ibid. ep. 30.

Quando amicorum animos fatiscere sub ærumnarum pondere observabat, litteris consolatoriis eos erigebat, vel ipsa animi magnitudine qua supra humana omnia in iis eminere videbatur. De amicorum nostrorum liberis, aut aliqua ratione propinquis morte præreptis immature, solemus dolere; idque de eorum amissione lugentibus significare. At Gregorius nihil humani sapiens, ad Andream amicitia sibi conjunctissimum scribit: *Quod domna Constantia clarissima puella, priusquam nuptias faceret, ab hujus mundi illecebris est erepta, vehementer exulto.* Et ad Narsam: *Per scripta vestra mihi transitum domnæ Esychiæ nuntiastis: & magna exultatione gavisus sum, quia illa bona anima ad suam patriam pervenit, quæ in patria laborabat aliena.* Noverat fortasse haud ingratum fore hoc genus consolationis, Narsæ viro *religioso* (sic appellatur in Epistolæ inscriptione) qui cum Patriciæ dignitatis esset, ut ex Ep. 32. lib. IV. colligitur, seculo nuntium tunc remisisse videtur, & quibusdam monasteriis præfuisse. Filie ejus Dominica virgo doctissima, quæ *Latina* cum esset, Græce tamen scribebat, aulam quoque fugiens, monasterium ingressa fuerat, ibique postea facta Præposita. Quæ de Dominica in Græcis litteris erudita diximus eo magis mirari debemus, quod S. Gregorius ad ejusdem patrem scribens, asserat tunc non fuisse Constantinopoli satis doctos interpretes, *qui de Græco in Latinum & de Latino in Græcum dictata bene transferrent?*

Lib. IV. ep. 32. Lib. VII. ep. 30. Ibidem.

V. Laudat laicos divini verbi cibum quærentes.

Laudabat maxime Sanctus Gregorius si amici, etiam [a] laici, in verbo divino solatium & animæ cibum quærerent. Id potissimum liquet ex Epistola hoc anno ad Dynamium & Aureliam Gallos scripta, ubi eis gratulatur, quia sacræ lectionis pabula quærebant; subditque optimam hujus Evangelicæ sententiæ expositionem: *Omnis qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur. Petamus*, inquit, *orando, quæramus legendo, pulsemus operando.* At de his satis; ad alia transeamus.

a Ibid. ep. 36. Matth. 7. 8. Luc. 11. 12.

VI. Ariminensi Episcopo infirmo successor datur.

Post diutinam in Oriente moram factam, in Occidentem revertamur, ubi potissimum vigilabat ad Ecclesiarum gubernationem pastoralis Gregorii sollicitudo. Ariminensis Ecclesia diu sine Episcopo fuerat, ob infirmem Castorii valetudinem. Qui cum per quadriennium abfuisset, nec melius haberet, *data scriptis supplicatione petiit a Papa, ut quia ad ejusdem Ecclesiæ regimen vel susceptum officium, pro eadem qua detinebatur molestia assurgere nullatenus posset, Ecclesiæ ipsi ordinare Episcopum deberet.* Ejus votis annuens summus Pontifex, *quia cunctarum Ecclesiarum injuncta eum sollicitudinis cura constringebat*, datis de more præceptis clerum & populum ad eligendum sibi Antistitem hortatus est, quem Mariniano Ravennati examinandum sisti voluit.

Lib. VII. ep. 19

VII. Et Cornelien.

Paulo post ad eumdem Marinianum scripsit, ut dejecto ex Corneliensis Ecclesiæ Sede Episcopo in cri-

a Vide sup. Ep. 26. & infra lib. XI. Ep. 78.

Si ob lapsum dejectio. Ibid. ep. 41. a

crimen lapso, in ejus locum alius ordinaretur Episcopus; quia nec lapso spes ulla superesse posset ad pristinam redeundi dignitatem, nec ultra tres menses Ecclesiam vacare sacri permitterent a canones. Dum vero legis supra, Gregorium cunctas in Ecclesias sollicitudinis curam sibi tribuere; ne suspiceris ipsum ultra modum Pontificiam protulisse potestatem, quod ab ejus modestia & animi demissione prorsus abhorrebat. Certe qui 150. circiter annis ante ipsum sedit Leo Magnus ad Ep. Thessalonicensem scribens ut ei vices suas committeret, ait eum *in partem vocatum esse sollicitudinis non in plenitudinem potestatis*; quam proinde sibi vendicare non dubitabat.

Ep. 12. c. 1.

Lmdatur a Gregorio Stephanus Episcopus. Lib. VII. ep. 8

Quemadmodum Gregorius Episcopos qui officio suo deerant, dignis pœnis afficiebat, ita optimos Pastores debitis laudibus & præmiis remunerare satagebat. Quapropter Stephanum Episcopum impense laudat quod assidua prædicatione Mariam Patriciam ab hæresi aut schismate ad Ecclesiæ sinum revocarit, aliosque non paucos. Ex hoc fortasse numero erat Dominica gloriosa femina; Johannis cujusdam uxor Gregorio intimi; ad quem scripsit se non mediocriter lætatum, cum ipsam cognovisset unitati Ecclesiæ sociatam.

Ibid. ep. 37.

VIII. Res quæd. in monast. ex. Ibid. ep. 12. Ibid. ep. 18.

Ut res monasticas breviter attingamus, hoc anno Papa privilegiis donavit monasterium S. Cassiani apud Massiliam, cui præerat Respecta. De hoc monasterio consule notas ad Epistolam hæc privilegia continentem.

In alia Epistola legimus Martinum quemdam Diaconum & Abbatem, de quo *aliqua Papæ fuerant nuntiata, quæ officii ejus propositum non leviter macularent*, nec tamen sedula inquisitione facta probari potuerant; ne qua de iis suspicio remaneret, ad sacratissimum beati Petri Apostolorum Principis corpus *districta sacramenta præbuisse*, quibus insontem se assereret. Quapropter eum absolvit S. Gregorius & suo loco restituit.

Epist. 32. scripta est ad Anastasium Presbyterum, quem multis & præclaris virtutibus ornatum depingit; vituperat tamen ob docatum in monasterio quod vocabatur *Neas* asinmtum, quod hoc in cœnobio *multa sub sanctitatis habitu secularia agerentur*. Hortatur autem illum ad contentionem quæ inter ejusdem monasterii patrem, & Amos Jerosolymorum Patriarcham exorta erat, tollendam & componendam.

Ibid. ep. 39.

Magna erat altercatio inter Cæsarium Abbatem monasterii sancti Petri apud Bajas, & Johannem Abbatem S. Luciæ, in Syracusana urbe; de qua dirimenda Gregorius ad Johannem Syracus. Episcopum scripsit, rogans ut ipse eum Fantino defensore, adhibito Johanne Agrimensore (erat enim quæstio de finibus) accederet, ac sententiam ferret: *Ne religiosorum virorum corda secularium rerum intentio a mutua disjungeret caritate*. De servanda monastica disciplina in Africa sollicitus, Dominicum Carthaginensem Episcopum rogavit, ut coerceret Monachos impune vagantes, eosque obedientiæ jugo, quod excusserant, rursum subdi curaret; Episcoposque quos audierat iis erroribus patrocinium ferre, ab eorum defensione modis omnibus interminando compesceret.

Ibid. ep. 37.

IX. Gregorius insulæ Corsicæ prospicit. Ibid. ep. 3.

Alia occasione ad Gennadium Africæ Præfectum scripsit, nimirum ut ei Ruferium Comitem ejusque concivas ac ipsam Corsicam insulam commendaret. Unde intelligimus insulam hanc ad Africæ Præfecturam seu Exarchatum pertinuisse; fortasse quod Sardiniæ adjaceat, quæ tunc inter Africæ provincias accensebatur septima & ultima. Hostium incursionibus patebat Corsica; nec satis erat illuc exercitum transmittere, nisi huic præesset dux peritissimus. Ideoque rogat Gregorius præfici Anastasium Tribunum, qui jam eadem provincia strenue defunctus fuerat, & ab ipsa dein amotus, magnam sui existimationem omnibus insulæ incolis, majusque reliquerat desiderium.

X. Quomodo de conjugio servilium personarum observantur. Ibid. lib. 7. Ep. 1.

Septimum hunc Gregoriani Pontificatus annum claudemus observatione de conjugio, si alter conjugum servilis sit conditionis, dirimendo; quod a sanctissimo Pontifice nequaquam reprobatum, ut patet ex Epistola ad Fortunatum Neapolitanum Episcopum. Ejus Ecclesiæ Clericus uxorem a suo consortio removerat, quod illa fuisset *de servili condition: pulsata*. Contendit vero mulier ejecta se liberam esse; & summum Pontificem adiit, rogans viro suo restitui. Benignas aures præbuit supplicanti pius Pater; eumque in ea *nulla servilis macula* inventa esset, jussit ut ille Clericus conjugem injuste repudiatam reciperet; si vero abnueret, districtæ vindictæ subjiceretur. Unde liquet non alia ratione coactum fuisse Claricum illum ad uxorem denuo accipiendam, quam quia falso fuerat *de servili conditione pulsata*. Itaque si nupsisset ut libera, & postea probata fuisset ejus conditio servilis, propter conditionis vitium, irritum fuisset matrimonium.

a Ex can. 25. Chalcedon. in codice canonum Eccl. Rom.



CAPUT XII.

I. Corsorum Idololatrarum conversio. II. Et Judæorum Agrigentinorum. III. Alios Judæos injuste vexari probibet S. Gregorius. IV. Anastasium Antiochenum variis persecutionibus oppressum consolatur. V. Moritur Anastasius. Ejus successor ad S. Gregorium scribit. Hæreticorum falsam Ephesi Synodum pro verao prudentium fraudem ex veteribus codd. detegendam censet S. Doctor. VI. Eulogio Alexandrino gratulatur. VII. De Martyrologii Rom. antiquitate. Opinio Henrici Valesii expenditur. VIII. Suspicio ae Vaticanorum codicum suppositione injecta exsufflatur. IX. Episcopum Numidiæ injuriam passum protegit S. Pontifex. X. Africana Ecclesia ducit originem a Romana. XI. Quid de pretio pro sepultura dato senserit sanctus Gregorius. XII. Quid de redituum Eccles. partitione statuerit. XIII. Et de Campagis. XIV. Septem defensores fecit Regionarios. XV. Res monasticæ hujus anni attinguntur. An. 597. & 598.

I. Corsorum idololatrarum conversio. Lib. VIII. ep. 1.

OCtavum sui Pontificatus annum auspicatus est Sanctus Gregorius magno cum gaudio, propter Corsorum conversionem, de qua nuperrime perscripserat Petrus Aleriensis Episcopus. Gratiis Deo de more actis ob lætum nuntium, eumdem Petrum hortatus est ut cœptum feliciter opus perficeret, ac ceteros qui necdum baptizati erant, aut post susceptum baptismum, sive negligentia sive necessitate, ad idolorum cultum reversi fuerant, congregare, & ad fidem perducere pergeret. *Quod enim*, inquit, *opus utilius & sublimius acturus es, quam ut de animarum vivificatione & collectione cogites, & tuo Domino, qui sibi locum prædicandi dedit, immortale lucrum reportes?* Adhortationi liberalitatem, ut solebat, adjunxit; transmisit enim huic Episcopo quinquaginta solidos, ad vestimenta eorum qui baptizandi erant, comparanda: & Presbytero Episcopi adjutori qui regebat Ecclesiam non ita pridem jussu Papæ in possessione Rom. Ecclesiæ constructam cum baptisterio, prædium aliquod pro stipendio assignavit & concessit. Laudavit insuper consilium Petri Episcopi de alio Episcopo in eadem insula ordinando, non procul a monte, quem plurimi adhuc idolorum cultores incolebant. Non in sola Corsica exulabat & latitabat idololatria, nam ex Ep. 18. hoc anno scripta ad Agnellum Terracinensem Ep. discimus quosdam hoc in pago tunc arbores adhuc coluisse. Et biennio post Brunichildem Reginam hortatus est ut ab idolorum cultu sibi subditos populos coerceret. *Quia*, inquit, *pervenit ad nos, quod multi Christianorum & ad Ecclesias occurrant, &, quod dici nefas est, a culturis dæmonum non abscedant*. Quodnam esset idololatriæ genus explicat his verbis: *Cultores arborum non existant, de animalium capitibus sacrificia non exhibeant*. Quæ in notis ad hunc locum exposuimus. Alia in Epistola idolorum cultoribus jungit aruspices atque sortilegos.

Lib. VIII. ep. 23. Lib. IX. ep. 11. Ibid. ep. 65.

II. Et Judæorum Agrigentinorum. Lib. VIII. ep. 23.

Lætitiam pro conversis idololatris excepit gaudium de Judæis Agrigentinis ad fidem Christianam venire festinantibus. Ne vero longiori mora desiderium eorum deferveseret (nam a mense Junio quo ea de re scripta est Epistola Sancti Gregorii, usque ad proximum Pascha, novem ad minus menses computabantur,) indulsit Papa ut ante solemnitatem Paschalem, [a] extra quam & festum Pentecostes baptismus dari non solebat in Ecclesia Latina, lustralibus aquis tingerentur, indicta prius quadraginta dierum abstinentia & pœnitentia. Cumque ex illis plurimi pauperes essent, itaut ad emendam sibi [b] candidam vestem a recens baptizatis gestari solitam, ob rei domesticæ angustias, pares esse non viderentur; jussit Fantino defensori ut Ecclesiæ sumtibus compararentur hæ vestes, quas egestate laborantibus distribuere curaret. Interim Episcopum Agrigentinum monitum esse voluit, ut illos Christianæ religionis candidatos Catechumenos aceret, ac eos fide quam suscepturi erant mature docere, necnon Evangelicæ legis præceptis imbuere sollicitus foret.

III. Alios Judæos injuste vexari probibet S. Gregorius. Ibid. ep. 25.

Ut facilius Judæos alios clementia & mansuetudine ad fidem pertraheret sapientissimus Pontifex, prohibuit ne locis juxta leges sibi concessis depellerentur, aut aliis afficerentur injuriis. Id liquet ex Epistola Victori Panormitano Episcopo in gratiam Judæorum hac in urbe degentium scripta, [c] paullo post superiorem de Judæis Agrigentum incolentibus ad Fantinum directa. Si qui tamen Judæorum insolescerent adversus Christianos, eorum audaciam frangere & coercere quantocius satagebat, & Episcopos ut eorum pravis consiliis resisterent, hortabatur.

IV. Anastasium Antioch. variis persecutionibus oppressum consolatur. Ibid. ep. 21. Ibid. ep. 2.

Lætum de tot infidelibus ad fidem conversis nuntium turbarunt Anastasii Antiocheni Episcopi Epistolæ, *quæ pro verbis lacrymas fluebant*. Amici dolorem lenire, animumque pene sub adversitatum pondere deficientem erigere conatus est Gregorius. A quibus tunc vexaretur hic Patriarcha, non explicatur in Epistola consolatoria summi Pontificis. Hæreticos tamen qui tunc in Oriente grassabantur plurimi, sub variis Acephalorum, Severianorum, Theodosianorum nominibus, adversariorum ejus antesignanos extitisse vix dubitamus. Præter commemoratos heterodoxos, alia monstra nuper consurrexisse queritur vigilantissimus Papa; novos videlicet errones, *qui Prophetas, Evangelia, & dicta Patrum evacuare moliebantur: sed permanente*, inquit Gregorius ad Anastasium, *vita vestræ Sanctitatis*,

a Vide notas ad hanc Ep.
b Consule notam 30. ad Librum Sacramentorum.
c Lege etiam Ep. 6. libri IX. & 55.

tatis, in protectoris nostri gratia speramus, quod eorum ora citius obmutescant, quæ contra soliditatem veritatis aperta sunt; quia & quamlibet acuti gladii immittantur, cum saxum feriunt, fracti resiliunt. Optima sane ratio, cur tot hæreticorum tela in Ecclesiæ firmissimam petram intorta, retusa tandem in ipsos reciderint auctores. Aliunde spes affulgebat victoriæ de his Ecclesiæ hostibus reportandæ, scilicet ab eorum divisione: *Quia*, inquit sanctus Doctor, *in ipsis, qui a sanctæ Ecclesiæ doctrina divisi sunt, unitas non est.*

Inter eos qui sancto Anastasio infensi erant, S. Gregorius designare videtur Patriarcham CP. quem ait addidisse onera, cum sublevare debuisset; sub ovium vestitu intus fuisse lupum rapacem; *& solum præ aliis habere appetiisse, quod dignus non fuerat vel cum fratribus habere*, ob usurpatum scilicet œcumenici Patriarchæ titulum.

V. Moritur Anastasius. Ejus successor ad S. Greg. scribit. Lib. xi. Ep. 49. Hæreticorum falsam Eph. si Synodum pro vera obtrudentium fraus ex veteribus codd. detegendam censet S. Doctor.

Paulo post acceptas a Gregorio litteras, Anastasius ad tranquilliorem & meliorem vitam[a] transiit, & successorem habuit alium Anastasium dictum juniorem; qui cum ad Papam scripsisset de sua provectione, ac fidei professionem ut moris erat misisset, responsum ab ipso tulit pergratum & caritatis melle conditum. Ut Sedis Anastasii majoris successor fuit ille Patriarcha, ita etiam molestiarum & persecutionum; nam post novem episcopatus annos, in seditione martyr occubuisse dicitur. In Epistola Sancti Gregorii qua respondet Anastasio nuper ad Sedem Antiochenam assumto, id præ ceteris observatione dignum, pseudo Ephesinam Synodum a Nestorianis habitam, in qua impia Cælestii & Pelagii dogmata sunt approbata, tunc sæpius pro ipsamet œcumenica Synodo Ephesina, versipellium hæreticorum fraude fuisse obtrusam. Cui errori ut occurratur, suadet doctissimus pater, in scriniis præcipuarum Ecclesiarum Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ, sincera Ephesinæ Synodi acta perquiri: ubi vides veterum codicum fidem & auctoritatem assertam.

VI. Eulogio Alexandrino pro subactis hæreticis gratulatur. Lib. viii. Ep. 29.

Tumultuantes adversus Anastasium hæreticos mox vidimus in Oriente. Pacatior autem erat Ægyptus, & Alexandrina Ecclesia sub Eulogio Patriarcha, qui plerosque hæreticos Ecclesiæ reconciliaverat, & concordiam inter fideles firmarat. Hæc ut accepit S. Gregorius, arrepto calamo statim amico gratulatus est; vicissimque de conversis nuper Anglis eum certiorem fecit. At de his jam diximus. Erat inter utrumque sanctissima consuetudo mutuis confirmata beneficiis & officiis: Eulogius postularat a summo Pontifice, *ut sibi cunctorum Martyrum gesta, quæ pro memoria Constantini temporibus ab Eusebio Cæsariensi collecta sunt transmitteret*. At ille respondit se de hac[b] Eusebiana collectione nihil umquam ante acceptam Eulogii Epistolam audiisse. Addit: *Præter illa quæ in ejusdem Eusebii libris de gestis sanctorum Martyrum continentur, nulla in archivio hujus nostræ Ecclesiæ, vel in Romanæ urbis bibliothecis esse cognovi, nisi pauca quædam in unius codicis volumine collecta. Nos autem pene omnium Martyrum distinctis per dies singulos passionibus collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus. Non tamen in eodem volumine quis qualiter sit passus indicatur; sed tantummodo nomen, locus, & dies passionis ponitur. Unde fit, ut multi ex diversis terris atque provinciis per dies, ut prædixi, singulos cognoscantur martyrio coronati.*

VII. De Martyrologii Romani antiquitate.

Hinc habemus Martyrologii Romani prima veluti rudimenta. Ipsius meminit Synodus Cloveshoviensis an. 747. habita, in qua decretum ut *per gyrum totius anni natalitia Sanctorum uno eodemque die juxta Martyrologium Ecclesiæ Romanæ, cum sua sibi convenienti psalmodia & cantilena venerentur.* Martyrologiorum origo a fastis Ecclesiarum repetenda nobis videtur. Singulæ enim habebant Martyrum suorum aliorumque Sanctorum Catalogum, quorum in memoriam festi celebrabantur dies. Hinc Cyprianus; *Denique*, inquit, *& dies eorum quibus excedunt annotate; ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.* De hoc argumento lector studiosus consulat Henricum Valesium, qui singularem edidit de Martyrologio Romano dissertationem, & suis in Eusebium Cæsariensem annotationibus adtexit; perpendatque rationes queis adstruere conatur vir doctissimus nullum umquam fuisse proprium ac peculiare Martyrologium Ecclesiæ Romanæ ante illud quod jussu Xisti V Pontificis maximi editum est hoc titulo, & Baronii annotationibus illustratum. Præcipua ducitur ex veterum Scriptorum silentio, quæ tamen ruit lecto Synodi Cloveshoviensis allato supra testimonio. Non inficiatur quidem Valesius Ecclesiam Romanam & alias saltem insigniores habuisse sua Kalendaria suosque fastos, quibus inscripta propriorum Martyrum ac sanctorum Episcoporum nomina continebantur; sed nullatenus Martyrologia, *quæ non unius*, inquit, *loci propria, sed totius Ecclesiæ fuere communia, quippe quæ totius Orbis Martyres Confessoresque generaliter continerent.* Certe si ex allata definitione controversiam dirimamus, Valesius lite casurus videtur. Quippe non alicujus Kalendarii meminit S. Gregorius, in quo Martyrum tantum Romæ passorum nomina continerentur, sed codicis *in quo pene omnium Martyrum distinctis per singulos dies passionibus collecta nomina.* Ut autem agi de Martyribus ubique terrarum passis ostendatur, subdit: *In eodem volumine . . . nomen, locus, & dies passionis ponitur. Unde fit ut multi ex diversis terris atque provinciis, per dies . . . singulos cognoscantur martyrio coronati.* Hic quid sentiamus de Valesii opinione aperire operæ pretium judicavimus; ne quis forte crederet notam quamdam quæ Valesio favet subjectam laudatæ Epistolæ ex Gussanvillæo, fuisse a nobis adoptatam. Absit enim ut omnia quæ in Gregorianas Epistolas observavit vir doctus, nobis appropientur.

Ep. 15. nova edit. olim 37.

Opinio Henrici Valesii expenditur.

VIII. Suspicio de Vaticanorum codicum suppositione injecta eufatilatur.

Certe hoc loco suspicionem injicit de manu exaratorum codicum Vaticanorum suppositione, quam diluere nostri est officii. Ait enim: *Romæ nulla vel pauca tunc fuisse Martyrum gesta, nullas de Martyrum passionibus narrationes, id certe est mirabile, & novis auctoribus qui Vaticanos codices passim ingerunt, incommodum.*

At primo sanctus Gregorius minime dicit non extitisse in archivo Ecclesiæ Romanæ codicem quem

a De Anastasio legendus Evagrius lib. iv. hist. Eccles. c. 4. & lib. v. cap. 5.
b Lege notas ad hanc Epistolam.

quem sibi communicari postularat Eulogius, sed tantum non inventum; unde subdit: *Quærentes quidem non invenimus, sed adhuc non invenientes quærimus: & si potuerint inveniri transmittemus.*

Secundo etiamsi *cunctorum Martyrum gesta, quæ... Constantini temporibus ab Eusebio Cæsariensi collecta fuerant*, in archivis & bibliothecis Romanis tunc locum non obtinuissent, inde temere colligitur *tunc Romæ nulla vel pauca fuisse Martyrum gesta, nullas de Martyrum passionibus narrationes*. Fatetur fortasse Gregorius caruisse suo tempore bibliothecas Romanas collectaneis in quibus acta Martyrum omnia aut pleraque reperirentur, quasi in unum corpus redacta; sed ditatæ nihilominus erant actis singularibus Martyrum, maxime in Italia, & præsertim Romæ martyrio coronatorum. Taceo de veteribus codicibus ad alia quam ad Martyrum historias pertinentibus, quorum poterat esse Romæ maxima copia: de his enim silet sanctus Doctor.

Tertio quid vetat etiam post sanctissimi Pontificis obitum multos aliunde codices Romam fuisse allatos, quos nunc laudare nos non puderet, etiamsi non essent Gregorio antiquiores? Qua etenim veneratione dignæ sunt membranæ plusquam centum annorum supra mille? Nunc ad historiæ Gregorianæ seriem revocemus gradum.

IX. Episcopum Numidiæ injuriam patientem protegit S. Pontifex. Lib. VIII. Ep. 6. Lib. IX Ep. 1. Ibid. Ep. 12. Lib. XI Ep. 73. Lib. VI. Ep. 61. Lib. VII Ep. 2. Lib. VIII. Epp. 14. & 15.

Bellum hoc anno in Italia exarsisse innuit sanctus Gregorius, dum deflet mala quæ a Barbarorum gladiis perpeti cogebatur. Ipsos in Sardiniam descensionem fecisse colligitur ex Epistola sequenti Indictione scripta. Idcirco fortasse voluit S. Gregorius ut nullus etiam Clericus a vigiliis & excubiis ad urbium custodiam necessariis excusaretur: eademque lege tenebantur Monachi. Non minus dolet vir sanctus de Judicum & Magistratuum *perversitate* & iniquitate, quam de ferocitate hostium. Inter arma enim silentibus legibus omnia sibi licere existimabant. Gennadius Africæ Patricius Paulum Episcopum in Numidia multis ab annis vexabat. Cumque Sedem apostolicam appellasset, variis calumniis impetitus Præsul, quominus Romam veniret obstiterat Patricius, penes quem in administratione hujus provinciæ summa erat auctoritas. Consensit Papa ut Episcopus ad Comitatum pergeret atque ad Augustum suas deferret querelas. Tandem Paulus in Numidiam redire jussus est, ut ab Episcopis hujus provinciæ judicaretur. Cujus innocentiam cognoscens Gregorius, ipsius causam Episcopis Adeodato, qui tunc [a] primatum gerebat, Maurentio, & præsertim Columbo commendavit; hunc enim noverat Ecclesiæ a beato Petro fundatæ addictissimum, & recti tenacissimum. Nihilominus tamen eum adhuc munire curat contra optimatum sollicitationes & impulsus, quibus ejus virtus labefactari potuisset. *Nulla ergo*, inquit, *vos res ab æquitatis studio, nulla suspendat potentia personarum. Sed mentens præceptis Dominicis, omnia quæ sunt rectitudini adversa, contemne. In defendendis partibus justitiæ constanter assiste. Odia pro veritate, si qua sunt, sustinere non renuas: ut tanto majorem in adventu Redemptoris nostri fructum mercedis invenias, quanto ejus mandata non negligens, in favorem justitiæ & defensionem impenderis.*

X. Africana Ecclesia ducit originem a Romana. Ibid. Ep. 33.

Præter communem sollicitudinem quam de tota Ecclesia gerere debebat summus Pontifex, singulari studio & cura Ecclesiæ Africanæ prospicere tenebatur, quod a Romana suam traheret originem, ut docet S. Gregorius ad Dominicum Carthaginensem Episcopum scribens: *Scientes unde in Africanis partibus sumserit ordinatio sacerdotalis exordium, laudabiliter agitis quod Sedem apostolicam diligendo, ad officii vestri originem prudenti recordatione recurritis.* Hinc ad fovendam mutuam caritatem teneri utriusque Ecclesiæ Antistites probat; excurritque hac occasione in laudes caritatis, his verbis plane aureis: *Magna autem caritatis virtus est, dilecte Frater, quæ sinceritatis suæ vinculo alterna mutuo affectu corda constringit, & ea a gratiæ non sunt compage dissoluta disjuncta conjungit, unita custodit, & ignotos sibi imagine reddit cognitos per amorem. Quisquis igitur in hujus cardine mentem figit, eum de superna patriæ habitaculo cujuslibet adversitatis impulsio non evellit: quoniam quocumque se verterit, a mandatorum limine non excedit.* Ita sapientissimus ille pietatis Christianæ magister omnibus Epistolis suis exquisitas [b] inspergebat sententias de caritate, de mundi contemtu, de adversis patienter ferendis, de studio sacrarum litterarum, & de ceteris virtutibus ad cælestem vitam pertinentibus; eoque veluti sale quidquid scriberet condire curabat.

XI. Quid de pretio pro sepultura dato senserit S. Gregorius. Lib. VIII. Ep. 3. Lib. IX Ep. 3.

Episcopos, aliosque sacris ministeriis addictos a turpi lucro & avaritia verbo & exemplo avertere potissimum satagebat sanctissimus Pontifex. Hinc moleste tulit Donum Episcopum Messanensem pro sepultura tantum pretium accepisse, ut ejus qui sepulturæ jus comparaverat, heredes ad inopiam redacti viderentur. Suadet igitur Episcopo ut quæ accepit restituat, maxime cum ea esse juris alieni Palumbi Episcopi Consentini testimonio probaretur. Etsi vero non prohibeat aliquid pro sepultura accipere, fateaturque antiqua ex consuetudine id factum; ait tamen in sua Ecclesia vetitum a se fuisse, nec cuiquam assensum se præbiturum, *ut loca humani corporis pretio possint adipisci. Nos*, inquit, *qui Episcopi dicimur, de humandis fidelium corporibus pensa facere quid debemus?* Postea scribens ad Januarium, indulsit tantum ut pro luminaribus acciperetur quod quisque offerre vellet. *Peti vero*, inquit, *aut aliquid exigi omnino prohibemus; quod valde irreligiosum est, ne aut venalis fortasse, quod absit, dicatur Ecclesia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus studeatis quærere quolibet modo compendium.*

XII. Quid de redituum Eccles. partitione decreverit. Lib. VIII. Ep. 7. Lib. XI. Ep. 64.

Leo Catanensis Episcopus ferebatur quartam redituum ecclesiasticorum partem non ex integro sed cum aliqua diminutione suis Clericis dividere, quod cupiditatis argumentum erat. Inde Acolythorum & aliorum de clero querelæ ad Papam pervenerunt. Ex tribus aliis bonorum Ecclesiæ portionibus una cedebat *Episcopo & familiæ ejus, propter hospitalitatem & susceptionem: alia pauperibus: alia denique reparandis Ecclesiis servabatur.* Ut autem omnis querelarum calumniarumque in Episcopum tolleretur occasio, hæc decrevit sapientissimus & æquissimus judex: *Volumus ut quidquid Ecclesiæ tuæ ex reditu vel quolibet alio titulo fortassis accesserit, quartam exinde portionem sine diminutione aliqua debeas segregare; atque eam secundum Dei timorem Presbyteris, Diaconis, ac clero, ut tibi visum fuerit,*

Z iij

a Vide quæ supra diximus lib. II. c. VI. num. 2.
b Vide Ep. 27. ac 35. lib. ejusdem VIII.

rit, discrete dividere: ita sane ut unicuique sicut meritum laboris exegerit, libera tibi sit, juxta quod præviderit, largiendi licentia: quatenus & hi qui merentur, etiam temporali se sentiant hoc commodo consolari, & alii, adjuvante Domino, eorum ad melius contendant imitatione proficere.

XIII. Et de Campagis. Lib. VIII. Ep. 27. a

Qui justis Catanensium Clericorum querelis pulsatus, hanc sententiam tulit contra Episcopum, eorumdem superbiam & inanem gloriolam repressit paulo post, ob usurpatos[a] campagos, quod est genus calceamenti ad usum Prælatorum solemniter Missam celebrantium. Ita ut, cum solis in tota Sicilia Diaconis Messanensis Ecclesiæ a Romanis Pontificibus concessum olim fuisset, Catanenses tamen Diaconi calceati campagis procedere præsumserant. Quem temerarium ausum exosus Papa scripsit ad Johannem Syracusanum ut ex de se inquireret, ac utrùm a se vel alicujus auctoritate id præsumsissent exploraret; posteaque decerneret ipse quid facto esset opus: *Nam si negligentèr*, inquit, *ea quæ male usurpantur omittimus, excessus viam aliis aperimus.*

XIV. Septem defensores facit regionarios. Ibid. Ep. 24.


Quemadmodum superbe insolenterque agentes coercebat, ita etiam utiliter pro Ecclesia militantibus debita honoris premia rependere satagebat. Idque defensores hoc anno sunt experti; nam septem ex ipsorum collegio Regionarios constituit, ob strenue navatam in causis Ecclesiæ & Pontificum obsequiis operam. Olim ex solis Diaconis assumebantur Regionarii; postea quorumdam Pontificum concessione, ex schola notariorum & Subdiaconorum nonnulli constituti sunt. Tandem ad defensores hic honor pervenit, S. Gregorii beneficio.

XV. Res monasticæ hujus anni attinguntur. Lib. VIII. Ep. 15. b

Etsi hoc præsertim anno S. Gregorius quantum sibi curæ essent res monasticæ[b] plurimis Epistolis palam fecerit, pauca tamen ex his delibabimus. Insigne præ ceteris est privilegium concessum monasterio sanctorum Johannis & Stephani in urbe Classitana constituto, de quo scripsit ad Marinianum Ravennatem Episcopum. Quid hoc privilegio cautum esset in gratiam Monachorum, inde repetendum.

Ex Epistolis 31. & 34. liquet Castelliense monasterium olim a magno Cassiodoro fundatum, non solum tunc perseverasse, sed etiam floruisse, aliaque monasteria sibi unita obtinuisse. Nam priori Epistola Secundinus Tauromenitanus Episcopus in Sicilia; monetur ne patiatur monasterium suæ diœcesis ad Castellienses Monachos pertinens, in laicæ personæ potestatem venire. Alia Epistola S. Gregorius increpare videtur Johannem Episcopum Scillitanum, in cujus civitate positum erat illud Castelliense cœnobium, quod ipsi concessa privilegia longo usu firmata tentares labefactare. Hac ex Epistola constat ipsum Scillacium Castrum in solo juris monasterii fuisse fundatum, cujus incolæ Castelliensibus persolvere censum tenebantur.

a Vide notas ad laudatam Ep.
b Vide Epp. 4. 8. 9. 22. 25. 31. 34.



CA-

SANCTI GREGORII PAPÆ VITA.

LIBER QUARTUS ET ULTIMUS,

Quidquid superest historiæ vitæque S. Gregorii exhibens.

CAPUT PRIMUM.

An. Christi 592. & 595.

I. Pax fit Romanos inter & Langobardos, annitente S. Gregorio. II. Prædicit eam non fore diuturnam. III. Bellum redintegratur ab Exarcho. IV. Schismatici ad Ecclesiam redeunt. Quid pro ipsis in unitate Ecclesiæ confirmandis præstiterit S. Gregorius. V. Schismaticorum Episcoporum depravati mores. VI. S. Gregorii caritas erga schismaticos. VII. De Secundino Monacho celeberrimo. Scribit contra tria capitula, etsi minime schismaticus. VIII. Secundini humilis confessio. Eum consolatur S. Gregorius. IX. S. Doctoris sententia de usu & cultu sacrarum imaginum expenditur. Ab Ecclesiæ doctrina nunc recepta non exorbitat. X. Objectionibus occurritur. S. Gregorius in Epistolis ad Serenum prohibet solum ne imaginibus latriæ cultus tribuatur. XI. Laudat imaginum usum, tamquam antiquitus receptum. Sed non adorationem proprie dictam. XII. Ejusdem veneratio erga Sanctorum reliquias.

I. Pax fit Romanos inter & Langobardos, annitente S. Greg.

JAm a longo tempore S. Gregorius de pace Romanos inter & Langobardos facienda confirmandaque cogitabat; quam ut impetraret egit tum apud Imperatorem, tum apud Agilulfum Regem ejusque uxorem Theodelindam, missis non solum Epistolis, sed etiam Legatis. Tam utili necessarioque Reipublicæ consilio semper obstiterat Romanus Exarchus; quamvis viribus impar, aliundeque belli & rei militaris non satis peritus esset, ut a Langobardis Italiam liberaret. Nuper Hunnorum Rex ab Agilulfo Mediolani sedente pacem impetrarat. Rebus itaque compositis cum bellicosissima gente, Langobardi ferocius imminebant urbibus adhuc intactis. Non ita pridem Crotonam in extrema parte Italiæ expugnarant, abductis in captivitatem civibus. Nuperrime Sardiniam populabundi invaserant; quod futurum prænuntiarat Gregorius, monueratque tum Gennadium Africæ Præfectum, tum Januarium Caralitanum Episcopum, ut insulæ defensioni prospicerent. Quis tunc ausus fuisset pacem sibi polliceri? At Deus in cujus manu sunt corda Regum, Agilulfum ad arma deponenda & accipiendas pacis conditiones a Papa oblatas flexit. Usus ille fuerat Probi [a] Abbatis ministerio, quem jam ante multum temporis ad Regem Reginamque miserat, ut de pace ageret; irrito tamen semper conatu, quamdiu vixit Romanus Exarchus hostis pacis infensissimus. Eo itaque mortuo cum Callinicus pro Reipublicæ bono melius affectus summa rerum potitus esset in Italia, spes denuo pacis resarciendæ affulsit. Tandemque facta est annitente præsertim Theodoro Ravennæ curatore, quem adjutorem expertus est in omnibus Probus pro pace concilianda Legatus. Pacta conditionesque pacis Agilulfus Rex optima fide sacramento confirmavit, qua de re Gregorius tum ipsi gratias egit, tum Theodelindæ Reginæ, quam studiosius pro concordia laborasse, a Probo Abbate acceperat. In Epistola ad Agilulfum eum rogat *ut suis ducibus per diversa loca, & maxime in Romanis partibus constitutis* præcipiat pacem *sicut promissum erat* custodire. Metuebat enim ne redintegrandi belli occasionem quærerent. Neque vanus fuit timor; Ariulfus enim Dux Beneventanus pacem servaturum se jurare noluit, nisi adhibitis certis conditionibus in quibus latenter ac subdole opportunitatem quærebat Romanos incautos ob fidem datam opprimendi. Suspicionem augebat, quod VVarnilfrida, ex cujus arbitrio & consilio Ariulfus cuncta faciebat, *omnino jurare despexisset*.

Paul. Diac. lib. IV. hist. c. 13.

Lib. VII. ep. 3. Lib. IX. ep. 4. & 43.

Ibid. ep. 98.

II. Prædicit eam non fore diuturnam.

Alia ex parte Agilulfus & Langobardi urgebant Gregorium ut *pacto subscriberet*, quod negabat; quia *medius* & sequester erat Regem inter ac Exarchum. Itaque cum res in ancipiti essent, bellumque sub specie pacis periculosius imminere videretur: ne ignis doloso cineri suppositus erumperet, Romanis nihil tale cogitantibus, suasit Gregorius ut in ipsa pace, belli agitarentur consilia; scripsitque præsertim ad Januarium Caralitanum primo de conciliandis inter se hostium metu civium animis, *quia*, inquit, *hoc maxime tempore, quando de hoste formido est, divisum populum habere non debetis*. Deinde vero de Caralitana urbe aliisque insulæ locis muniendis. *Unde necesse est*, inquit, *ut Fraternitas vestra, dum licet, civitatem suam vel alia loca fortius muniri provideat, atque immineat ut abundanter in eis condita procurentur: quatenus dum hostis illuc Deo sibi irato accesserit, non inveniat quod lædat,*

Ibid. ep. 6.

a Quis fuerit ille Probus Abbas quærit Mabill. Annal. Benedict. lib. 9. n. 26. p. 252.

dat, sed confusus abscedat. Sed & nos pro vobis quantum possumus cogitamus, & iis quorum interest, ut se ad obsistendum Deo auctore præparare debeant, imminemus: quia sicut vos nostras tribulationes vestras attenditis, ita quoque nos vestras afflictiones nostras similiter reputamus.

III. Bellum redintegratur ab Exarcho.

Metus de brevi futuro bello non fefellit Papam; nam paulo post recruduit, & ferocius desævit. Nuper Agilulfus *pacem perpetuam* cum Theoderico Francorum Rege fœdusque constituerat: Tres duces, in his Veronensem, & Pergamensem cui jam bis pepercerat, cum rebellassent, oppressos jusserat morte affici, ut hac severitate ceteros in officio contineret. De pace paulo antea cum Hunnorum rege facta, supra diximus. Hæc perpendens Callinicus, ob reportatas de Sclavis victorias forte ferox, metuensque ne liber ab omnibus bellis Agilulfus conjunctis viribus in Romanos ex improviso irrueret, ipsum occupare constituit. Collecto itaque exercitu, tractisque ad Imperii partes nonnullis Langobardorum ducibus, Parmam urbem munitissimam obsidione cinxit ac expugnavit. Captos in hac expugnatione Godiscalcum ducem & ejus uxorem Regis filiam, Ravennam duxit Exarchus. At illatam sibi injuriam ulcisci cupiens Agilulfus vicemque rependere, cum tentare velle Cremonam, Mantuam, Montem Silicis in agro Patavino simulasset, ipsum adorsus est Patavium, quo potitus urbem solo æquavit; præsidium tamen Ravennam se recepit, populi autem pars maxima ad loca Venetorum palustria confugerunt. Ne obsessis opem ferre posset Exarchus, Rex imperavit Ariulfo & Longobardis Etruriam obtinentibus, ut Romam, ipsamque Ravennam continuis excursionibus lacesserent. Interim Avares Langobardorum & Sclavorum copiis juncti, ferro igneque Histriam vastavere. Patavio capto, Mons Silicis expugnatur, & duo Langobardorum duces Tridentinus ac Forojuliensis, qui a Rege defecerant, veniam ob violatam fidem petunt, atque in gratiam recipiuntur. Ita turbatæ pacis religione sacramenti paulo antea sancitæ & consecratæ Callinicus pœnas dedit.

Paul. Diac. lib. IV. c. 31.

Paul. Diac. Ibid. capp. 24 & 25.

IV. Schismatici ad Ecclesiam redeunt. Lib. IX. ep. 7.

Id quam moleste tulerit S. Gregorius, qui pro pace adeo laboraverat, quamque amare jacturam illius fleverit hic pacis Angelus, facilius est cogitare quam verbis exponere. Dolorem tantisper lenivit reditus ad Ecclesiam [a] Capritanæ insulæ, quæ schismati pro tribus capitulis conflato diu adhæserat. Quandoquidem Capritanos ad schisma ejurandum a Callinico impulsos audierat Papa, ipsi gratias egit, laudavitque consilium de revocandis ad sinum Ecclesiæ diffidentibus, & tumultuantibus populis sibi subditis. Ne tamen in hoc proposito perseveraret, obstare videbatur jussio Mauricii Augusti, *pro schismaticorum defensione ad ipsum transmissa*; sed eam ita interpretatur Gregorius: *Quod autem exemplar jussionis quæ ad vos pro schismaticorum defensione transmissa est, mihi ostendi voluistis, pensare sollicite dulcissima mihi vestra Excellentia debuit: quia quamvis jussio ipsa subrepta est, non tamen in ea vobis præceptum est ut venientes ad unitatem Ecclesiæ repellatis, sed ut venire nolentes hoc incerto tempore minime compellatis. Unde necesse est ut hæc ipsa piissimis Imperatoribus nostris suggerere festine debeatis: quatenus cognoscant quod eorum temporibus schismatici cum omnipotentis Dei solatio & labore vestro, sua sponte reverti festinant.* In eadem ad Exarchum Epistola conqueritur S. Gregorius, tum de majore ejus domus, tum de Justino cujus consilio utebatur; qui nimirum non obscure hæreticis favebant atque schismaticis.

Quid pro ipsis in unitate Ecclesiæ confirmandis præstiterit Sanctus Gregorius.

Quia hujus insulæ Episcopus, postquam petitione oblata Callinico, postularat ut sibi cum omni populo ad unitatem Ecclesiæ reverti liceret, mentem deinde mutaverat, & se ad schismaticos iterum contulerat: placuit Papæ ut Marinianus Ravennas Episcopus Capritanæ Ecclesiæ ordinaret Episcopum, qui ad suam Metropolim pertineret; donec Histrici Episcopi ad fidem catholicam redissent, quorum scilicet provinciæ tribuebatur insula Capritana. Nihilotamenminus ante novi Episcopi ordinationem visum est sapientissimo Pontifici, ut mitteretur prius ad schismaticum Episcopum, qui de reditu ad Ecclesiæ catholicæ unitatem, & ad propriam plebem eum admoneret. Scripsit etiam Gregorius ad hujus insulæ habitatores, laudans amorem unitatis quo flagrabant, & de iis quæ Mariniano scripserat eos certiores faciens. Pauca ex hac Epistola quasi flosculos quosdam excerpenda duximus, & apponenda; mulcebunt enim, & odore, & aspectu: *Redemtor noster*, inquit, *....sic imis summa conjungit, ut ipse in æternitate permanens, ita temporalia occulto instinctu pia consulens moderatione disponat: quatenus de ejus manu antiquus hostis nullatenus rapiat quos ante secula intra sinum matris Ecclesiæ coadunandos esse præscivit. Nam etsi quisquam eorum inter quos corporaliter degit, flatibus motus, ad tempus ut palmes titubet: radix tamen rectæ fidei, quæ ex occulto prodit, divino judicio virens manet; qua accepto tempore fructum de se ostentare valeat qui latebat. Quod in vobis nunc ex desiderio vestro gestum esse superni respectus illustratione cognoscimus, qui schismaticorum inter quos habitatis, pertinaciam refutantes, coadunari ovili Dominico mente promtissima ipsa rei operatione monstratis. Quibus enim scissura displicet, sanos se velle esse testantur, & reprobantes errorem, ostenditis vos amare quod rectum est, vitare quod devium.* De aliis Histriæ populis qui schisma deseruerant, agitur in aliis plurimis hujusce anni Epistolis. In illis ad Ecclesiam revocandis eluxerat maxime Gulfaris magistri militum studium, de quo ipsi gratulatur, & gratias agit piissimus Pastor; eumque ad perseverantiam, & ad protectionem a schismate redeuntibus impendendam adhortatur.

Ibid. ep. 10.

Ibid. ep. 97.

Ibid. epp. 63. 94. 95. 99.

V. Episcoporum schismaticorum depravati mores. Ibid. ep. 66.

Qui ex schismaticis illis ad ovile reversi fuerant, *de pravitate Episcoporum* Histriæ multa narrabant: quæ ut Mauricio Imperatori significarent, medelamque flagitarent, Constantinopolim se contulerunt, & Anatolio Sedis apostolicæ Legato commendari postularunt. Id cum illis denegare non posset sanctissimus Pontifex, scripsit Anatolio ut eis, *salva ratione*, præberet auxilium. Non dubitabat enim quin hæreticis & schismaticis, haud secus ac ceteris, æquum reddi deberet.

VI. Gregorii caritas erga schismaticos.

Hoc sane proprio probavit exemplo, erga Comensis Ecclesiæ Clericos, qui ab Ecclesia Romana secesserant, ut Histricorum schisma sequerentur. Constantius Mediolanensis Archiepiscopus, studio sacerdotali eos monuerat ut ad Ecclesiæ unitatem redirent: At illi responderunt se a multis injuriam passos, & præsertim ab Ecclesia Romana, quæ suæ Ecclesiæ prædium quoddam usurparat, potius hac

a In intimo recessu maris Adriatici, non longe a littore provinciæ Forojuliensis.

hac iniqua prorsus agendi ratione a Romanorum societate repelli, quam caritate allici. Hæc ut accepit a Constantio Gregorius, respondit possessionem quam illi ablatam Comenses causabantur, contra rationis ordinem ultra detineri se minime passurum, si eis jure competeret, quamvis ad communionem redire different; sed, cognita veritate, restitui jussurum. Porro *si ad unitatem Ecclesiæ se converterint*, prædium de quo erat controversia, quamvis illis non competeret, libenter concessurum.

VII. Schismaticis, uti jam diximus, accenseri non debere Secundinum Monachum, qui tamen trium capitulorum damnationi non consenserat, vel ex Epistolâ hoc anno ad ipsum scripta satis intelligitur. Magna erat Secundini fama, præsertim in aula Regis Langobardorum, & apud Theodelindam summa auctoritas, ob ipsius eruditionem & sanctitatem. Unde voluit Regina ut filium suum Adaloaldum e fonte sacro susciperet, Paulo rerum Longobardicarum scriptore teste, apud quem vocatur [a] *Secundus servus Christi de Tridento*. In inscriptione Epistolæ dicitur inclusus; & ex Epistolæ serie ubi *Monomanus* appellatur, ob solitariam quam colebat vitam, liquet ipsum non Cœnobitam, sed Eremitam & Anachoretam fuisse. Ejus autem reclusionis districtio tanta non erat, ut e cella egredi non liceret, aut etiam de gravissimis negotiis tractare. Profert Mabillonius exemplum Sigoberti reclusi apud S. Dionysium, in agro Parisiaco, qui cum Grimone Abbate Corbeiensi ad Gregorium Papam eo nomine quartum, a Carolo Francorum Principe missus est. Cum adhuc hæreret pia Regina, & adduci non potuisset Gregorii adhortationibus aut precibus, ut trium capitulorum damnationem amplecteretur, Secundinus qui cum ipsa idem sentiebat, libellum scripsit quo suam tuebatur sententiam, rogavitque Gregorium Theodelinda, ut ad singula libelli ad se a Secundino missi responderet argumenta. Deprecatus est hunc laborem Gregorius ob podagræ dolores qui eum decumbere cogebant, & ab omni lucubratione feriari: *Sed si omnipotente Deo disponente, convaluero*, inquit, *ad cuncta quæ mihi scripsit* (Secundinus) *subtiliter respondebo*. Id tamen præstare sanctissimo Doctori numquam licuit ob assiduas infirmitates.

De Secundino Monacho. Ibid. Ep. 52.

Lib. IV. c. 28. Scribit contra tria capitula, sed minime schismaticus. Ann. Bened. pag. 251.

Lib. XIV. Ep. 12.

VIII. Diu ante libellum hunc in quo de fide rebusque ecclesiasticis disputabat pius ille Monachus, scripserat ad S. Gregorium, ab ipso postulans erudiri, & contra hostis insidias ejus monitis muniri. Qua in Epistolâ humili aperuerat confessione, se quamvis quinquagenario majorem, juvenilibus adhuc desideriis teneri & subjacere. Molestissime id ferentem ac pene animo despondentem erigit peritissimus vitæ cælestis magister, illi respondens mirum non esse si majores insidias callidi hostis patiatur, qui majora contra eum bella præparavit: *Tanto quippe ille deprecationis molimina ardentius exquirit*, inquit, *quanto te cælesti patriæ ferventius inhiare cognoscit .... Et nos quidem qui inter homines vivimus, sæpe per homines a callido hoste tentamur. Vos autem qui viam vitæ præsentis, extra hominum frequentiam ducitis, tanto majora certamina pati necesse est, quanto ad vos ipse tentationum magister accedit*. Cætera omitto sane eximia, & maxime a Monachis assidue legenda, ut inde discant nimiam de suo statu securitatem abjicere, & ex ea nasci solitam socordiam excutere, majorique contra latentes hostis insidias excubare vigilantia.

Secundini humilis confessio. Eum consolatur sanctus Gregorius.

IX. At in fine laudatæ Epistolæ occurrit locus de imaginibus, cujus occasione quid senserit S. Gregorius de sacrarum imaginum usu & cultu inquirendum & expendendum censemus. Postularat pius Monachus a Pontifice sanctas imagines, cui morem gerens misit *surtarias duas imaginem Dei Salvatoris, & sanctæ Dei Genitricis Mariæ, beatorumque Apostolorum Petri & Pauli continentes*. Præmonuerat discipulum de usu imaginum his verbis: *Valde nobis tua postulatio placuit, quia illum toto corde, tota intentione quæris, cujus imaginem præ oculis habere desideras, ut te visio corporalis quotidiana reddat exercitatum: ut dum picturam illius vides, ad illum animo inardescas, cujus imaginem videre desideras*. Et infra: *Scio quidem quod imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem filii Dei in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre desideras. Et nos quidem non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus quem per imaginem aut natum, aut passum, sed & in throno sedentem recordamur. Et dum nobis ipsa pictura quasi scriptura ad memoriam Filium Dei reducit, animum nostrum aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet*. Hic habemus omnem de usu cultuque imaginum Ecclesiæ catholicæ doctrinam, & ipsam ante illas prostrationem. Neque de hac parte laudatæ Epistolæ amplius disputandum, postquam eam Gregorio nostris in notis vindicavimus. Præterea idem docet sanctissimus Pater aliis in locis indubitatis. In Epistola ad Januarium paulo antea scripserat ut a Synagoga Judæorum crux & imago Dei genitricis, *cum ea qua dignum est veneratione auferrentur*.

Sancti Doctoris sententia de usu, & cultu sacrarum imaginum expenditur.

Ab Ecclesiæ doctrina nunc recepta non exorbitat. Lib. IX. Ep. 6.

X. Neque vero quæ paulo post scripsit ad Serenum Episcopum Massiliensem, imagines quidem non esse frangendas, aut ex Ecclesiis projiciendas, imo potius in templis habendas, *ut hi qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant quæ legere in codicibus non valent*; at minime adorandas; hæc, inquam, venerationem imaginibus debitam non tollunt aut impugnant, sed damnant iconolatras, eos videlicet qui imaginem *quasi Deum colunt*, ut supra legimus in Epistola ad Secundinum. Id liquet ex ipsis Gregorii ad Serenum scribentis verbis: *Fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores aspiciens; easdem in Ecclesiis imagines confregit atque projecit. Et quidem zelum vos, ne quid manu factum adorari posset, habuisse laudavimus, sed frangere easdem imagines non debuisse indicamus*. Subdit quæ jam ex parte retulimus, imagines litteras nescientium codices esse, in quibus legant & discant, quæ ex libris addiscere non possunt.

Objectionibus occurritur. Ibid. Ep. 105. Sanctus Gregorius in Epistolis ad Serenum prohibet tantum, ne imaginibus latriæ cultus tribuatur. Lib. XI. Ep. 13.

Cum Serenus admonitionem summi Pastoris insuper habuisset, aliam is Epistolam scripsit, qua ipsius temere factum acrius increpavit: *Perlatum*, inquit, *ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus, Sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuisses, omnino laudavimus: fregisse vero reprehendimus. Dic, frater, a quo factum Sacerdote aliquan-*

a Idem Paulus docet ipsum historiam Langobardorum compendiose elucubrasse lib. III. de gestis Langobar. cap. 30. & lib. IV. cap. 42.

de auditum est quod fecisti. Si non aliud, vel illud te non debuit revocare, ut despectis aliis fratribus, solum te sanctum & esse crederes sapientem? Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. Infra docet *vetustatem* non sine ratione imagines admisisse. Unde ait Sereni facinus gravissimum in Ecclesia scandalum generasse, ita ut maxima *filiorum* ejus pars ab ejus communione se suspendisset. *Proinde hortamur*, inquit, *ut vel nunc studeas esse sollicitus, atque ab hac te præsumtione compescas, & eorum animos quos a tua disjunctos unitate cognoscis, paterna ad te dulcedine, omni annisu, omnique studio revocare festines. Convocandi enim sunt dispersi Ecclesiæ filii, eisque Scripturæ sacræ est testimoniis ostendendum, quia omne manufactum adorari non licet; quoniam scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* (Luc. 4. 8.) *Ac deinde subjungendum, quia picturas imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi fuerant factæ, ut nescientes litteras ipsam historiam intendentes quid actum sit discerent, quia transisse in adorationem videras: idcirco commotus es, ut eas imagines frangi præciperes.* Ex his constat

XI. *Laudat imaginum usum, tamquam antiquitus receptum. In Natali 9. de S. Felice.*

Primo, S. Gregorium laudasse imaginum usum, tamquam antiquitus in Ecclesia receptum. Neque tamen putamus ab ipsis religionis christianæ incunabulis, hunc cœpisse usum, cum & Judæis recens conversis potuissent immagines esse offensioni, & Gentiles nuper factos Christianos ad idololatriam revocare. Sed ubi sine periculo potuerunt recipi, statim visæ sunt in Ecclesiis maxime ad ornatum, & ad illiteratorum eruditionem, ut docet sanctus Paulinus Nolanus Episcopus, qui quarto sæculo florabat.

Sed non adorationem proprie dictam. Lib. xi. Ep. 13.

Secundo, sanctum doctorem per adorationem quam vetat imaginibus exhiberi, intelligere supremum illum cultum soli Deo debitum. Unde adducit hoc Scripturæ testimonium, *Dominum Deum tuum adorabis, &c.* Et infra quærens aliquam Sereni facto excusationem, ait non alio consilio fractas ab eo, & projectas fuisse imagines, quam ne adorarentur, quod jam a nonnullis admissum observarat. Certe *inter Gentes* degebat Serenus, ut ait S. Gregorius. In Galliis hoc ævo multas adhuc idololatriæ reliquias superstites fuisse jam observavimus. Hinc nonnullos ante imagines prostratos videns Massiliensis Episcopus, temere judicavit eos imagines tamquam Deum colere; ac majori temeritate, quia ad communionem ejus deserendam plerosque compulit, easdem imaginas fregit & projecit.

XII. *Ejusdem veneratio erga Sanctorum reliquias.*

S. Gregorii mens erga cultum sanctarum imaginum agnosci quoque potest ex singulari veneratione quam sacris reliquiis exhibendam ubique docet; etiam linteis & pannis, [a] qui super sanctorum Apostolorum, aut Martyrum tumulos positi fuerant, aut similibus. Qui sub ejus disciplina instituti erant Augustinus ejusque socii, cum Doroberniam ingressi sunt, uti supra narravimus, crucem & imaginem Salvatoris pro sacro vexillo præferre constituerunt; ut publice, quantum iis cultum, quantam deferrent reverentiam, testarentur. At quæ a discipulis hic facta legimus, doctrinæ magistri sunt argumentum.

a Vide lib. iv Epist. 30. lib. vii. Epist. 26. lib. ix. Epist. 122.

C A P U T II.

An. 598. & 599.

I. Cyriacus Abbas in Galliam Legatus mittitur. II. Massiliam venit, ubi a Sereno male exceptus. III. Inde Arelatum. De privilegiis ab apostolica Sede ad Regum postulationem concessis. IV. Desiderio Viennensi pro suæ Ecclesiæ privilegiis supplicanti quid responderit S. Gregorius. V. Usum dalmaticarum Aregio Vapincensi concedit. VI. Et Pallium Syagrio Augustodunensi. Quibus conditionibus. VII. Epistolæ ad Galliarum Reges, de emendandis cleri Gallicani corruptelis. Quo successu. VIII. De Mauriennensi Episcopo. IX. Cyriaci legatio in Hispaniam. X. Felix tunc Hispaniæ status. De Claudio regni administro a Papa laudato. XI. Argumentum Epistolæ ad Leandrum scriptæ. Pallio donatur. XII. Recaredi Regis encomium. Respuit pecuniam a Judæis oblatam. XII. Eximia Regi data monita.

I. *Cyriacus in Galliam Legatus mittitur. a Lib. ix. Ep. 105. & 110. Mabill. an. Benedict. lib. 10. p. 296. b*

Ecclesia Gallicana Gregorio nostro semper carissima, hoc præsertim anno paternam ipsius experta est sollicitudinem. Cum enim de variis vitiis & corruptelis in [a] Gallia grassantibus certior factus esset, non satis habuit de his emendandis Reges & Episcopos admonere; sed etiam Legatum eo mittendum existimavit: qui, ut quantocius concilium celebraretur ad hæc rescecanda strenue apud Principes ac Antistites ageret. Is fuit Cyriacus Abbas S. Andreæ ad Clivum Scauri; qui prius in Sardiniam missus fuerat ut in [b] Barbaricinorum conversione Felici Episcopo collaboraret. Unde intelligimus quantum floreret tum istud Romanum S. Gregorii Monasterium; ex quo videlicet eodem tempore tot assumti sunt verbi sacri præcones ad Anglorum conversionem missi; & Sedis apostolicæ Legatus delectus, qui tum in Galliis, tum in Hispaniis gravissima negotia pertractaret.

II. *Massiliam venit, ubi a Sereno male exceptus. Cap. 1. n. 10. Lib. xi. Ep. 13.*

Cyriacus multis Papæ Epistolis munitus, Massiliam primum venit maritimo itinere, ubi salutato Sereno Episcopo, nomine Pontificis, litteras de fractione imaginum commonitorias dedit, quarum supra meminimus. Legatum ab Episcopo non ea qua par erat caritate ac reverentia exceptum fuisse inde conjicimus, quod, ut liberius stomachari liceret, finxerit Serenus Pontificias litteras a Cyriaco sibi oblatas, supposititias esse. Hanc falsi suspicionem Legato injuriosam graviter postea redarguit S. Gregorius, ita scribens ad Serenum: *Ex illo autem quod de scriptis nostris, quæ ad te misimus, dubitastis*

a Maxime in regno Burgundiæ extra quod non extendebatur Cyriaci legatio, & Syagrio collata potestas cogendarum Synodorum.
b Vide lib. iv. Ep. 24. 25. 26.

bitasti, quam sis incautus apparuit. Nam si diligenter ea quæ fraterno amore monuimus, attendisses, non solum minime dubitasses, sed immo quid te sacerdotali gravitate oporteret agere, cognovisses. Neque enim Cyriacus quondam Abbas, qui scriptorum nostrorum portitor exstitit, illius disciplinæ vel eruditionis fuit, ut vel ipse aliud facere, sicut putas, auderet, vel istam de ejus tibi persona suspicionem falsitatis assumeres. Sed dum monita salubria pensare postponis, contigit ut jam non solum actu, verumetiam esse interrogatione culpabilis.

III. Inde Arelatem. Lib. IX. Ep. 111.

Massilia relicta Cyriacum Arelatem venisse credimus, & ad Virgilium detulisse summi Pontificis Epistolam, qua confirmabat privilegia [a] cuidam monasterio virorum olim a Vigilio Papa concessa. De privilegiis huic cœnobio indultis nihil aliud scimus quam quod nos docet S. Gregorius; scilicet gloriosæ memoriæ [b] Childebertum Francorum Regem intra muros Arelatensis civitatis monasterium virorum constituisse, & quædam pro habitantium sustentatione concessisse: cujus ne voluntas duceretur in irritum, & ea quæ pro quiete Monachorum disposita fuerant, turbarentur, Epistolis suis hæc apostolica petiisse auctoritate firmari. *Subjunxerat petitioni suæ ut eidem monasterio tam in dispositione rerum, quam in ordinatione Abbatis quædam pariter privilegia largirentur: sciens quippe eam apostolicæ Sedi reverentiam a fidelibus exhiberi, ut quæ ejus fuissent decreto disposita, nullius deinceps illicitæ usurpationis molestia quaterentur.* Annuerat Regiæ postulationi Vigilius Papa, & ea de re scripsit ad Aurelium seu Aurelianum Episcopum. Verum ne lapsu temporis, quæ indulserat Vigilius oblivione delerentur, & ab Arelatensibus Episcopis convellerentur, S. Gregorius exemplum privilegii ab antecessore suo concessi misit ad Virgilium, & omnia in ipso contenta rata se habere significavit. *Nam licet*, inquit, *ea quæ semel apostolicæ Sedis auctoritate sancita sunt, nil egeant firmitatis; ex abundantia tamen cuncta, quæ pro hujus rei quiete a prædecessore nostro statuta sunt, nostra iterum auctoritate in omnibus roboramus. Fraternitas ergo vestra ita se in custodiendis eis exhibeat: quatenus & omnem occasionem inquietudinis excludat, & aliis hæc operari suadeat, dum se in custodienda [c] defuncti piissima voluntate, sollicitam, ut decet, exhibuerit & devotam.* Adeo cautum esse servorum Dei tranquillitati cupiebat optimus pater. Ceterum hæc & similia [d] privilegia sæpe Gallicanis monasteriis, postulantibus etiam Regibus, concessa Romanis a Pontificibus, jam tunc summam eorum etiam in Galliis auctoritatem fuisse probant, citra quam videlicet nihil ratum habebatur: qua vero accedente inconcussa omnia stabant.

Te privilegiis ab apostolica Sede ad Regum postulationem concessis.

a b c d

IV. Desiderio Viennensi pro suæ Ecclesiæ privilegiis supplicanti quid responderit S. Gregorius. Lib. IX. Ep. 112. L. 01. Ep. 58

Arelate discedens Cyriacus fortasse Viennam pervexit, Desiderioque Archiepiscopo obtulit S. Gregorii Epistolam, qua ipsi etiam pro privilegiis supplicanti respondet. Aiebat hic Præsul Ecclesiæ suæ quædam olim privilegia esse ab apostolica Sede concessa, usumque Pallii suos antecessores antiquitus habuisse: quæ sibi aliisque in posterum Viennensibus Antistitibus restitui magnopere cupiebat. Sed nihil repertum in Ecclesiæ Romanæ scrinio, quo de concessis aliquando privilegiis illis fides fieret, testatur S. Gregorius; unde monet Archiepiscopum ut in requirendis Ecclesiæ suæ chartis sit sollicitus; & si quæ reperiantur quibus quod contendebat probari possit, Romam curet transmittere. *Nam qui nova concedimus*, inquit, *vetera libentissime reparamus.* Unde liquet non omnibus olim Metropolitanis concessum Pallium. Eadem fere scripsit postea Ætherio Lugdunensi.

V. Usum dalmaticorum Aregio Vapincensi concedit. Ibid. Ep. 107

Cyriacum Vapincum petiisse testis est Epistola ad [e] Aregium Episcopum Vapincensem scripta, qua sanctissimus Pontifex tum amicum de suorum obitu mœrentem consolatur, tum rogat ut Synodo per Syagrium cogendæ intersit, ac se de omnibus in ea gestis reddat certiorem; quod tanti viri sanctitatem compertam haberet. Aregius non ita pridem Romam profectus fuerat ad invisenda sanctorum Apostolorum limina, & ad salutandum S. Gregorium; postularatque ut sibi atque Archidiacono suo licentia daretur utendi dalmaticis. Iis enim tunc non utebantur Diaconi promiscue, sed tunicis quæ erant strictis manicis, dalmaticæ vero amplis. Legimus in [f] vita S. Cæsarii Arelatensis Symmachum Papam, *tanta ejus meritorum dignitate permotum .... Diaconos ipsius ad Romanæ instar Ecclesiæ dalmaticarum fecisse habitu præeminere.* Aregius *hominum suorum infirmitate compulsus festinanter abscesserat*, nondum obtento dalmaticis utendi privilegio. Quod per Cyriacum ad eum misit, additis etiam ipsis dalmaticis.

e

f Iohan. Diac. lib. III. vita c. 59.

VI. Et Pallium Syagrio Augustodunensi.

Tot perlustratis urbibus, Legatus tandem Augustodunum pervenit, ubi maxime cum Syagrio Episcopo de negotiis ecclesiasticis tractandum erat. Duas ad eum S. Gregorii Epistolas detulit Cyriacus, unam velut encyclicam & Syagrio Augustodunensi, Etherio Lugdunensi, Virgilio Arelatensi, Desiderioque Viennensi Episcopo communem, qua grassantia in Gallicanis Ecclesiis mala enumerat, videlicet simoniam, neophytorum seu laicorum nondum probatorum præproperam provectionem ad sacerdotia, mulierum cum Clericis cohabitationem; necnon Synodorum quæ quotannis haberi debent, neglectum; de quibus eliminandis in Concilio deliberandum censet: alteram, qua prius gratiis actis ob navatam Augustino operam, ipsi [g] Pallii usum concedit, decernitque ut Ecclesia Augustodunensis primum in provincia locum post Lugdunensem obtineat. Deinde Syagrio tamquam apostolicæ Sedis vices gerenti curam congregandæ Synodi demandat. Magna erat hujus Epis-

g

a De hoc monasterio consule notam ad laudatam Epistolam, & Annales Bened. Mabill. lib. v. pag. 128. ubi refellit conjecturam Auctoris Pontific. Arelat. de hoc monasterio.

b Multa alia monasteria construenda curavit & amplissimis ditavit donis Childebertus, maxime celeberrimum S. Germani apud Parisios asceterium.

c Ex his discimus non solum Aurelium privilegiis ab apostolica Sede indultis consensisse, sed etiam ut concederentur optasse; quod persuadere videtur prælatum monasterium, præter Childebertum Regem, fundatorem etiam habuisse Aurelium, fortasse quod ipsi Regulam dederit ad cujus præscriptum viverent Monachi. Eam lege Cod. Reg. part. 2. pag. 69.

d Vide præsertim lib. XIII. Epp. 8. 9. 10.

e Sive Aredium: hic successerat Sagittario, qui cum Salonio plurimis in Conciliis fuerat depositus. Tandem uterque in basilicam B. Marcelli Cabil. sub custodia detruditur, teste Greg. Turon. lib. v. histor. c. 28.

f Tom. 1. act. SS. a Mabillonio edit. pag. 665.

g Supra observavimus non omnibus Metropolitanis datum olim Pallium. Neque illis solis concessum probat exemplum Syagrii, Pluribus etiam Siciliæ Episcopis, aut Panormitanis concessum legitur in Gregorianis Epistolis.

Lib. 12. Ep. 11. Quibus conditionibus.

copi auctoritas apud Brunichildem Reginam ejusque nepotes Theodericum & Theodebertum. Nec immerito, nam *Sacerdotis nomen*, Johannis Regionarii aliorumque multorum testimonio, *etiam moribus implebat*. Jam pridem erat ex quo Brunichildis de Pallio ipsi concedendo apud Papam egerat. Quid autem causæ fuerit, ut tardius hoc honore donaretur, disce ex laudata mox ad eamdem Reginam Epistola. Imo quando illi utendi Pallio ad sacra tantum Missarum solemnia celebranda potestatem fecit, adjecit conditionem: *Quod*, inquit, *ita tibi dandum esse decrevimus, si prius per Synodi definitionem emendare promiseris quæ corrigenda mandavimus*. Et infra: *Unde quia præcellentissimos filios nostros Francorum Reges magnam vobis novimus dilectionem impendere, omni vos studio omnique agere annisu necesse est, ut quod de Synodo congreganda mandavimus, Fraternitatis vestræ vigilantia compleatur, atque omnia illic quæ pro animarum salute scripsimus censeantur; quatenus per hoc, & vos zelum vestrum, & qualiter vobis illicita displiceant ostendatis, & nos utiliter providisse, qui vestram ad hoc præ ceteris personam elegimus, videamur*.

VII. Epistolæ ad Galliarum Reges de emendandis cleri Gallic. corruptelis.

De eodem argumento scripserat Papa cum ad Brunichildem, tum ad Reges Theodericum & Theodebertum. Summa ejus Epistolarum est, multos per simoniam ordinari, & ex laicis repente fieri Episcopos. Synodum ad hæc emendanda celebrari curent; insuperque constituant ne Judæis Christiana liceat habere mancipia. De Synodo celebranda iterum scripsit multas [a] Epistolas duobus annis elapsis.

a Lib. 12. Epp. 109 & 110. quo fusce lis.

Concilium tamen pro extirpandis & eliminandis e clero Gallicano hujusmodi corruptelis, quod sanctissimo Pontifici adeo cordi erat, nullum his temporibus habitum in Galliis legimus, fortasse quod Syagrio sibi prælato Episcopi, Metropolitani maxime, obtemperare detrectaverint.

VIII. De Taurinensi Episcopo. Ibid. Epp. 115 & 116. b

Non feliciorem exitum habuit quod postularat ab iisdem Regibus pro Ursicino Taurinensi Episcopo, nimirum, ut ejus Ecclesiæ subtractæ quædam parochiæ restituerentur. Controversia præsertim erat de Mauriennensibus & Segusiensibus; quas cum occupasset Guntramus Rex, noluit amplius Taurinensi subesse Episcopo, quia hæc urbs erat in Langobardorum ditione. Itaque proprium habere cœpit Episcopum urbs [b] Maurienna, qui primo Tarentasiensi Metropolitano attributus est, postea Viennensi, quod hodie perseverat.

IX. Cyriaci legatio in Hispaniam.

Cyriaco apud Hispanos felicius legatio cessit: etenim ipso annitente, ut par est credere, celebratum est hoc anno Kalendis Novembris Barcinonense Concilium, cujus cum quatuor sint tantum Canones, duo simoniacam labem insectantur, tertius adversus præmaturas Neophytorum ordinationes conditus est. Hoc nomine, ut diximus, intelliguntur laici, qui nondum assidua exercitatione probati, auspice ambitu, sæculari potestate duce, ad sacerdotia, & ad ipsos prosilire audebant episcopatus.

X. Felix tunc Hispaniæ status. De Claudio Regni administro a Papa laudato Lib. 10. Ep. 120.

Felix tunc erat Hispaniæ status sub Recharedo Rege optimo, qui ad Regni sui administrationem adjutores adhibuerat probos viros; in his Claudium, & Leandrum Hispalensem Episcopum de quo sæpe jam dictum est. Claudius vero quis & qualis esset, non potest melius agnosci quam ex Gregoriana Epistola cujus lator fuit Cyriacus: *Quia unguenti more bonorum fragrat opinio, vestræ Gloriæ de Occidentalibus partibus huc usque odor tetendit. Cujus profecto auræ suavitate respersus, multum fateor quem nesciebam dilexi, atque intra sinum cordis amoris manu te rapui: nec jam eum nesciens diligebam, cujus bona cognoveram. Qui enim mihi magna intentione notus, sed corporis visione manet incognitus, de eo procul dubio veraciter dicere possum, quia personam illius scio, sed domum nescio. Magna autem vestræ laudis datur assertio, quod excellenti Gothorum Regi vestra Gloria sedulo adhærere perhibetur: quia dum malis boni semper displiceant, bonos vos esse certum est, qui bono placuistis*. Postea optimum virum ad perseverantiam hortatur; & in fine Epistolæ commendat Cyriacum, *ut peractis quæ ei injuncta erant, nulla eum remeandi mora præpediret*. De duabus aliis Epistolis ab hoc Legato in Hispaniam delatis, una ad Leandrum, altera vero ad ipsum Regem, quæ sane sunt eximiæ, tacere non est integrum.

XI. Argumentum Epistolæ ad Leandrum scriptæ Ibid. Ep. 121.

In priori Gregorius mire laudat litteras quas nuper a sancto viro acceperat. *Boni*, inquit, *sapientesque viri, cum legeretur* (hæc Epistola) *adfuerunt, quorum statim viscera in compunctionem commota sunt. Cœpit quisque amoris manu in suo corde te rapere, quia in illa Epistola tuæ mentis dulcedinem non erat audire, sed cernere. Accendebantur & mirabantur singuli, atque ipse ignis audientium demonstrabat, qui fuerat ardor dicentis*. Quæ sane magnum deperditæ hujus Epistolæ desiderium generant. Unum in ea vituperat Pontifex incredibilis humilitatis, & dolet ab amico scriptum; nimirum *vitam suam cunctis esse imitabilem*. His provocatur ad lacrymas de amissa priori vitæ tranquillitate, adeptoque Pontificatu: *Quasi enim*, inquit, *prospero flatu navigabam, cum tranquillam vitam in monasterio degerem. Sed procellosis subito motibus tempestas exorta, in sua perturbatione me rapuit, & prosperitatem itineris amisi: quia quiete perdita mentis naufragium pertuli. Ecce nunc in undis versor, & tuæ intercessionis tabulam quæro, ut qui navi integra dives pervenire non merui, saltem post damna ad litus per tabulam reducar*.

Pallio donatur.

In fine Epistolæ significat missum ad Leandrum ex S. Petri benedictione Pallium, quod & antiquæ consuetudini, & ipsius gravitati ac bonitati, & Recharedi Regis, qui hunc honorem suo in fide catholica patri & magistro concedi rogarat, optimis moribus jure debeatur.

Ibid. Ep. 122. XII. Recharedi Regis encomium. Ibid. Ep. 122. Psal. 76. 11. c

In Epistola qua [c] litteris a Rege acceptis respondet S. Gregorius, non minus elucet summa animi demissio. Nam postquam de conversis ad fidem catholicam Recharedi opera omnibus Gothis, prius Arianis, exclamavit stupens: *Hæc est immutatio dexteræ excelsi*; subdit: *cujus enim vel saxeum pectus tanto hoc opere cognito, non statim in omnipotentis Dei laudibus, atque in tuæ Excellentiæ amore mollescat? Hæc me, fateor, quæ per vos acta sunt, sæpe convenientibus filiis meis dicere, sæpe cum eis pariter admirari delectat. Hæc me plerumque etiam contra me excitant, quod piger ego & inutilis tunc inerti otio torpeo, quando in animarum*

a Vide lib. 11. ab Ep. 58. ad 63.
b Dicta postea etiam ipsa valle S. Johannes de Maurienne, ob miraculorum S. Johannis Baptistæ celebritatem hoc in loco, ubi insignes ejus extant reliquiæ; de quibus vide Greg. Turon. lib. 1. de glor. Mart. c. 14. & seq.
c Habentur Tom. 2. col. 977.

marum congregationibus pro lucro cælestis patriæ Reges elaborant. Quid itaque ego in illo tremendo examine Judici venienti dicturus sum, si tunc illuc vacuus venero, ubi tua Excellentia greges post se fidelium ducet, quos modo ad veræ fidei gratiam per studiosam & continuam prædicationem traxit?

Postea gratias agit pro muneribus regiis ad beatum Petrum missis: (in his erat calix aureus) & maxime laudat Regem ob rejectam ingentem pecuniæ summam, quam Judæi obtulerant, ut legem contra ipsos latam resigeret: quo facto, auro innocentiam prætulit, & Davidem æmulatus est, imo superavit. Nam *si ab armato Rege in sacrificium Dei versa est aqua contempta, pensemus quale sacrificium omnipotenti Deo Rex obtulit, qui pro amore illius non aquam, sed aurum accipere contemsit? Itaque, Fili excellentissime, fidenter edicam, quia libasti aurum Domino, quod contra eum habere noluisti. Magna sunt hac, & omnipotentis Dei laudi tribuenda.*

Lib. IX. Ep. 61.
Respuit pecuniam a Judæis oblatam.

Quanto præstantiora erant quæ de juveni Rege narrabat Gregorius, tantò majus imminebat a superbiæ spiritu periculum. *Neque enim*, inquit, *latrunculi in via capere viatores vacuos expetunt, sed eos qui auri vascula vel argenti ferunt*. Itaque contra dolosi hostis latentes insidias eum eximiis monitis & præceptis muniendum putavit. *Sæpe namque*, inquit, *malignus spiritus ut bona destruat quibus prius adversari non valuit, ad operantis mentem post peractam operationem venit, eamque tacitis cogitationibus in quibusdam suis laudibus excutit; itaut decepta mens admiretur ipsa, quam sint magna quæ fecit. Quæ dum per occultum tumorem apud semetipsam extollitur, ejus qui donum tribuit, gratia privatur: ...... Quid ergo in his agendum est, nisi ut malignus spiritus cum nobis ad elevandam mentem reducit bona quæ egimus, nos semper ad memoriam mala nostra revocemus: quatenus & nostra cognoscamus esse quæ peccando fecimus, & solius omnipotentis Dei munera, cum peccata declinamus?*

XIII.
Eximia Regi data monita.

Pro acceptis a Rege muneribus sacras reliquias rependit S. Gregorius. Longe ampliora dona Recharedus miserat diu antea per Legatos qui erant *Abbates ex monasteriis; at quibusdam scopulis prope Massiliam inhærentes, vix suas potuerunt animas liberare*. Sed de Gregoriana ad hunc Regem Epistola satis, maxime cum in notis ad ipsam, ejus excellentia commendetur. *Ibid. ep. 61.*

C A P U T III.

I. Gregorius ægrotans, nihil remittit de cura pastorali. II. Crementius Byzacenæ provinciæ Primas ad ejus judicium confugit. III. Metropolitanorum in suæ provinciæ Episcopos auctoritas. IV. Vagantes absque Metropolitani licentia Episcopos ad eos remitti jubet S. Gregorius. V. Forma judiciorum in Episcopos, in condemnatione Episcopi Melitensis. VI. Defensorum officium usurpantes puniuntur. VII. Humilis responso S. Gregorii ad injustas querelas. VIII. In variis ejus decretis quanta eluceat prudentia. IX. Quanta ejus de Monachis sollicitudo. X. S. Columbanus eum consulit. An. 598. & 599.

ETsi compertum habemus hoc præsertim anno Gregorium infirma usum esse valetudine, ac podagra laborasse, numquam tamen strenuum se magis ostendit in exequendis quæ sui erant officii, uti probant tot variis de negotiis ad universi pene Orbis Christiani Episcopos ab eo scriptæ Epistolæ: adeout perpensis quæ pro Ecclesia & Republica gessit dicere libeat, ægrotante Gregorio, semper valuisse ac viguisse Pontificem.

I.
Gregorius ægrotans, nihil remittit de cura pastorali.
Lib. IX. Ep. 121.

Extrema ex Africa, nimirum ex Byzacena provincia Crementius ipsius Primas ad Papæ judicium tandem confugere coactus est. Is de quodam crimine fuerat accusatus, & Imperator eum juxta canonica statuta voluerat a Romano Pontifice judicari, sed Theodorus Magister militum, acceptis decem auri libris, *obstitit ut minime fieret*. Urgebat tamen Augustus ut Papa *transmitteret* aliquem, *& quidquid esset canonicum faceret*. Crementius itaque a suis collegis & coepiscopis impetitus, instante aliunde Imperatore, misit in Siciliam Martinum scholasticum ad Johannem Syracusanum, quem sciebat Gregorio gratissimum & familiarem, ut eo favente facilius posset summo Pontifici obrepere. Profitebatur hic Primas se apostolicæ Sedi subjectum esse: sed dubium erat utrum pure an ficte. Quod autem se dicebat Sedi apostolicæ subjici, *si qua culpa in Episcopis invenitur*, inquit S. Doctor, *nescio quis ei Episcopus subjectus non sit*.

Lib. x. Ep. 35
II.
Byzacenæ Primas ad ejus judicium confugit.
L. vi. Ep. 59

Crementius ejusque patronus Martinus Scholasticus, ut Byzacenorum Episcoporum criminationes facilius diluerent & in eos regererent, de ipsis varias querelas ad summum Pontificem detulere; maxime quod ex illis aliqui sine Primatis sui Epistolis ad Comitatum profecti essent, & conventus illicitos celebrarent. Id minime sibi probari significavit Gregorius, at in hoc negotio sententiam ferre noluit: *Quia*, inquit, *causarum origo, vel qualitas omnino nobis ignota est*: [a] *pronuntiare aliquid definitive non possumus; ne, quod reprehensibile nimis est, de rebus non bene cognitis proferre sententiam videamur*. Scripsit vero ad Johannem Syracusanum, ipsius arbitrio permissum ea de re colloqui cum Martino, & quid facto esset opus judicare. Causam Crementii postea in Synodo Byzacenæ provinciæ agitatam non docet Epistola 32. libri XII. ad eamdem Synodum scripta.

L. vi. Ep. 58

Ex querela Crementii de suæ provinciæ Episcopis sine sua licentia & litteris commendatitiis *ad Comitatum*, hoc est ad aulam profectis, datur intelligi quantum tunc a suis Metropolitanis aut Primatibus penderent eorum suffraganei. Idem probatur ex alia S. Gregorii Epistola Sardiniæ Episcopis directa, qua arguit tum eos qui diem paschalis festivitatis a suo Metropolita non dignabantur addiscere,

III.
Metropolitanorum auctoritas in provinciæ suæ Episcopos.

a Eadem prudentia elucet in Ep. 29. lib x. ubi de causa Pompeii Episcopi agitur. In ea videtur minime probare confessionem criminis tormentis extorqueri. *Hæc, inquit, gesta esse poterant ad definiendum idonea, si accusati ea confessio sequeretur, si tamen eamdem confessionem subtilitas examinis ex occultis eliceret, & non afflicti o vehemens extorqueret, quæ frequenter hoc agit, ut noxios sese fateri cogantur etiam innoxii,*

L. 11. Ep. 5. cere, tum illos qui pro emergentibus Ecclesiæ suæ causis *transmarina* petentes, sine sui Metropolitani *cognitione vel Epistolis*, sicut canonum ordo constituit, audebant ambulare. *Hortamur ergo*, inquit, *Fraternitatem vestram, ut antiquam Ecclesiarum vestrarum consuetudinem exequentes, tam de suscipienda Paschali denuntiatione, quam etiamsi quemdam vestrum pro causis propriis ubicumque compulerit ambulare necessitas, ab eodem Metropolitano vestro secundum indictam vobis regulam petere licentiam debeatis, nec eum postponere in aliquo præsumatis; excepto si, quod non optamus, contra eumdem Metropolitanum vestrum habere vos aliquid causæ contingat, ut ob hoc Sedis apostolicæ judicium requiratis.*

IV. Vagantes absque Metropolitani licentia Episcopos, ad eos remitti jubet S. Greg. Ibid. Ep. 113.

Vagos Episcopos Metropolitanis inobedientes ipsis reddi præcipiebat, ut dignis afficerentur pœnis. Unde scribit Syagrio Theodorum quemdam Episcopum *diœcesis* Mediolanensis, qui disciplinam Constantii Archiepiscopi devitans morabatur in Gallia, diligentissime requirendum & ad Metropolitanum suum reducendum. Jubet eadem in Epistola Menatem quoque Episcopum, *de diœcesi Romanæ Ecclesiæ*, cui episcopatus nomen non amplius *in honore* erat, e Galliis pelli, & Romam transmitti; *Ut sub ea qua dignum erat observantia refrenatus, seculares mores, ad sacerdotalem studeret convertere gravitatem*;

V. Forma judiciorum in Episcopos in condemnatione Episcopi Melitensis. Ibid. Ep. 63.

Forma judiciorum in Episcopos reos, describitur in Epistola ad Johannem Episcopum Syracusanum. Commota querela adversus Lucillum Melitæ civitatis Episcopum, Johannes inquisitionem de ipsius crimine instituerat, quam perscriptam ad summum Pontificem miserat postea. Qua lecta Gregorius Johanni rescripsit: *Quia tanti facinoris ultio nulla debet dilatione differri: Fraternitas vestra tres vel quatuor de fratribus ac consacerdotibus nostris sibi adhibeat, ut ipsis quoque præsentibus prædicta ac satisfacta veritate, prædictum Lucillum de episcopatus ordine; quem hujuscemodi sceleris contagio maculavit, studeat sine ambiguitate deponere.* Criminis Episcopi conscii & participes esse dicebantur quidam sive Diaconi sive Presbyteri; quos, præmissa sedula indagatione si rei reperiantur, vult Pontifex ab honoris sui gradu dejici, & in monasteria pœnitentiæ causa detrudi. Quod spectat ad laicos, ejusdem peccati societate maculatos, decernit eos, *qui rei esse claruerint*, Dominici corporis ac sanguinis participatione privandos, indictis insuper *litaniis & orationibus*. [a] Tempus hujus pœnitentiæ definiendum relinquit Johannis arbitrio; quem admonet providere, ut iis qui mortis

Lib. 2. Ep. 1. urgerentur periculo viaticum non negetur. In locum dejecti Episcopi cum suffectus esset Trajanus Abbas monasterii Syracusani, S. Gregorius præcepit ipsi restitui a Lucillo & a Petro ejus filio res Ecclesiæ Melitensis cujus deprædator fuerat flagitiosus hic Episcopus, non rector aut pater. Petiit novus Episcopus ut quatuor aut quinque Monachos e suo monasterio assumere sibi liceret, quos adjutores & convictores haberet; quod etsi æquum judicaverit sapientissimus Pontifex, tamen illos concedere propria auctoritate noluit; sed id Johannis permisit arbitrio, ne jura Episcopi minuere videretur.

VI. Defensorum officium usurpantes puniuntur.

Hoc ipso anno æquissimi Pontificis vindicta exarsit in eos qui defensorum nomen & auctoritatem asciscere sibi audebant in Sicilia. De iis inquirendis & coercendis ad Romanum defensorem scripsit. Quia vero unus ex illis Martianus nomine, Johanni Episcopo patrimonii Romani curam gerente obedientiam exhibere *distulerat*, contumacem [b] in exilium deportari jubet.

VII. Humilis responsio S. Greg. ad injustas querelas. L. 11. Ep. 12.

Qui inflexam erectamque mentem in his omnibus judiciis exercendis ostendit, quam demissi tamen esset animi probavit, maxime respondendo Johanni Syracusano jam sæpe commemorato, de nonnullis querelis contra se, ut a Johanne audierat, publicatis. In ordinandis quibusdam ritibus ad Missam pertinentibus, Gregorium consuetudinibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ obsecutum esse ægre ferebant, qui falso pro Ecclesia Romana zelo abrepti, ejus honorem mutuatis ab inferiori Ecclesia ceremoniis læsum causabantur. Ad hæc respondet Pontifex humilitate quam dignitate præstantior, primo se nullius alterius Ecclesiæ ritus in his quæ constituit, imitatum esse: secundo se non pudere imitari quidquid boni in inferioribus Ecclesiis repererit; *Stultus est enim*, inquit, *qui in eo se primum existimat, ut bona quæ viderit, discere contemnat.* Quæ sane tam sapiente Pontifice sunt dignissima.

VIII. In variis ejus decretis quanta eluceat prudentia. Ibid. Ep. 34. Ibid. Ep. 36.

Sancti viri summa prudentia præsertim enituit, in his quæ adversus Judæos negotiatores constituit, ne mancipia Christiana ipsis retinere liceret, quod maxime cupiebant & variis artibus obtinere quærebant: sed omnes elusit vir perspicacissimus & in mira simplicitate sagacissimus. Ejusdem prudentiæ deputandum quod, etsi suis eleemosynis nullos terminos præscribi sineret, decrevit tamen haud patiendum ut concessa per aliquot annos in eleemosynam, postea quasi debitum quid exigerentur. Quamquam ea quæ ad Ecclesiæ jura perveniunt alienari legis ratio non permittat, ut ipse S. Doctor præfatur in Epistola ad Romanum defensorem, temperandam tamen aliquando legis hujus severitatem censuit intuitu misericordiæ. Quapropter donatam ab Ammonia Romanæ Ecclesiæ domum, Calixeno ejus nepoti paupertate laboranti restitui jussit: maxime cum contenderet aviam suam hujus domus alienandæ nullam habuisse potestatem; etsi id minime probaret.

Ibid. Ep. 27.

Eumdem Romanum alia admonuit Epistola, caveret ne patrocinium Ecclesiæ facilius impendendo flagitiosos defenderet, ac sic fieret conscius eorum facinorum: unde nec litterarum suarum, si quas forte commendatitias incaute dedisset, rationem ullam haberi voluit. Nunc breviter perstringamus quæ in ordinis monastici gratiam hoc anno ab æquissimo patre decreta sunt.

Ibid. Ep. 69. IX. Quanta ejus de Monachis sollicitudo. Ibid. Ep. 7.

Primo irritum declaravit testamentum cujusdam Abbatissæ, & quæ aliis illicite legarat, restitui ejus monasterio jussit: *Quia*, inquit, *ingredientibus monasterium convertendi gratia, ulterius nulla est testandi licentia*, etiamsi monachica vestis non sit assumta. De his legenda libri decimi Epistola prima.

Ep. 28.

Secundo controversiam inter Antonium Subdiaconum suum cujusdam xenodochii præpositum, & Do-

a De excommunicatione Episcopi, Presbyterorum & Diaconorum nulla fit mentio, quia suorum graduum privatione sufficientes pœnas dabant. Quando aderant sufficientia criminis indicia, Presbyteros aliosque Clericos in *districtam custodiam* conjici jubebat S. Pontifex Vide lib. x. Ep. 4.

b Vide lib. xi. Ep. 71. & lib. xiii. Ep. 45 ubi etiam fit mentio pœnæ exilii inflictæ aut infligendæ Clericis, ipsis quoque Episcopis in foro Ecclesiastico.

& Domitium Presbyterum & Abbatem monasterii SS. Maximi & Agathæ composuit, & quæ inter illos pacta erant confirmavit.

Tertio Massam Veneris ad Ecclesiæ Romanæ actoribus injuste occupatam reddi jussit monasterio sancti Marci apud Spoletum. Ep. 30.

Quarto cum questus esset Valentinus Presbyter & Abbas, Monachos a se exigente culpa [a] communione privatos, in diœcesi Spoletana nihilominus ad communionem recipi: S. Gregorius Chrysanto Episcopo Spoletano scripsit, ne confugientibus ad ejus Ecclesiam Monachis communionem indiscrete reddi pateretur. De privilegiis monasterio Arelatensi concessis diximus capite superiori. Ep. 32.

X. S. Columbanus eum consulit. Ibid. Ep. 127

Fama summæ ejus benignitatis in Monachos, impulit fortasse celeberrimum Abbatem Columbanum, ut ad ipsum confugeret, dum in Galliis exagitaretur, ob singulares quosdam Scottorum ritus, maxime in celebratione Paschatis quorum erat retinentissimus. Ea de causa scripsit ad nostrum Gregorium. Summa ejus Epistolæ est, in celebratione Paschæ, rejectori Victorii cyclo, Scottorum morem amplectendum, cui Anatolius ab Hieronymo laudatus favit. Consulit etiam S. Gregorium de Episcopis, aut per simoniam ordinatis, aut post lapsum tempore Diaconatus; necnon de Monachis monasterium suum deserentibus. Laudat librum Regulæ Pastoralis, petitque expositiones in Ezechielem, & in Cantica. Anno sequenti habitum est in Gallia Concilium in quo Scottorum ritus a Columbano observatus proscriptus fuit. E Gallia pulsus sanctissimus Abbas, ad Agilulfum Langobardorum Regem perrexit, & in ejus ditione Bobiense monasterium celeberrimum construxit. Cur autem in regno Langobardorum Sedem figere maluerit, quam in aliis Italiæ locis, id forte in causa fuit, quod apud Langobardos nollet damnationem trium capitulorum non esse receptam. Huic enim damnationi adversabatur pius aliunde Abbas, ut ex ejus Epistola ad Bonifacium IV. liquet. Annal. Benedict. lib. IX. pag. 287.

a De excommunicatione Monachorum pro culpis, consule Reg. sancti Benedicti capp. 23. 24. 25. 26. & 27.

CAPUT IV.

I. Gregorii in infirmitatibus patientia. Et assiduus labor. II. Qua sollicitudine exortam Agnoitarum hæresim opprimere conatus sit. Laudat scripta sancti Eulogii adversus illos. Occurrit errori nascenti Thessalonicæ. III. Sclavi in Italiam irrumpunt. Pacta ad annum induciæ cum Langobardis. IV. Eorum Regi nascitur filius. Langobardorum vestes & cultus. V. Augustus reos repetundarum punit. Asyla in Ecclesiis. Gregorii pro amicis accusatis sollicitudo. VI. Judicem ad clementiam flectere conatur. VII. Amicum fortunis exutum consolatur, & liberalitate recreat. Ejusdem consolatoriæ litteræ ad Dominicum. VIII. Prosperis rebus utentes ad earum contemptum accendit. IX. Amicorum vitia minime dissimulat. X. Fortunatus Neapolitanus Episcopus moritur. De ipsius successore diu deliberat sanctus Gregorius. XI. Ducem Campaniæ ob vexatos Monachos arguit. An. 599. & 600.

I. Gregorii in infirmitatibus patientia.

Gregorii ægritudines in dies ingravescebant; at dicere poterat cum Apostolo: *Cum infirmor, tunc potens sum*. Summam animi sui æqualitatem inter tot morborum cruciatus optime adumbrat his ad amicum Eulogium verbis: *Ecce*, inquit, *jam biennium pene expletur, quod lectulo teneor, tantisque podagræ doloribus affligor, ut vix in diebus festis usque ad horarum trium spatium surgere valeam, Missarum solemnia celebrare. Mox autem cum gravi pellor dolore decumbere, ut cruciatum meum possim, interrumpente gemitu tolerare. Qui dolor interdum mihi lentus est, interdum nimius. Sed neque ita lentus, ut recedat, neque ita nimius ut interficiat. Unde fit ut qui quotidie in morte sum, quotidie repellar a morte. Nec mirum, quia peccator gravis talis corruptionis carcere diu teneor inclusus. Unde compellor exclamare: Educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo. Sed quia meis hoc precibus adhuc obtinere non mereor, rogo vestra Sanctitatis oratio suæ mihi intercessionis adjutorium præbeat, meque a peccati & corruptionis pondere liberum reddat in illam quam bene nostis libertatem gloriæ filiorum Dei*. 2. Cor. 12. 10. Lib. X. Ep. 35. Psal. 141. 8.

Æstivi calores qui ad podagræ cruciatus mitigandos conferre posse videbantur, quod apti essent ad noxium & morbidum humorem dispellendum, aliunde corpori ejus valde contrarii erant, ut ipse ait, quia lentis & continuis febribus urebatur. Alius procul dubio Pontifex nihil aliud cogitans quam de levandis incommodis, de adhibendis remediis accersendisque medicis ad eorum nutum negotiis ecclesiasticis nuntium remisisset, omnesque Pontificatus curas Vicariis credidisset. Non desunt summis Antistitibus & Episcopis, qui succedere oneri pastorali, sive ex caritate, sive ex cupiditate ambiant. At sanctissimus Pastor omnium Christi ovium, in alienos & vicarios humeros rejiciendum non putavit jugum sibi a Christo impositum, ita enim appellabat pontificale munus. Hom. 34. in Evang. n. 1. Et assiduus labor.

II. Qua sollicitudine exortam Agnoitarum hæresim opprimere conatus sit.

Præcipua autem ejus sollicitudo fuit insurgentes errores, mox ut innotescerent, discutere & opprimere. Non ita pridem exorta erat Alexandriæ hæresis Agnoitarum, cujus initia quidam referunt ad Themistium Diaconum; unde dicti sunt Themistiani. Hanc heresim excitasse quosdam Monachos ex Palæstina auctor est S. Eulogius Alexandrinus, qui adversus hujusmodi hereticos decertavit. Hi vero Christo ignorantiam tribuebant; ex nonnullis Evangelii locis, male intellectis. Nimirum Christo de Lazaro, sepulto, inquirente, *Ubi posuistis eum?* & alibi dicente: *De die autem illo vel hora, nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius*; inde asserendum putabant ipsum ea ignorasse. Contra hunc Joan. Damascen. de Hæres. apud Photium Biblioth. cod. 230. Joannis 11. 34. Marci 13. 32.

errorem

errorem scripsit Eulogius, & ad Gregorium [a] lucubrationem suam approbandam curavit mittere; quam Papa valde laudavit, ut doctrinæ Ecclesiæ prorsus consentaneam: *De doctrina vestra*, inquit, *contra hæreticos, qui dicuntur Agnoitæ, fuit valde quod admiraremur; quod autem displiceret, non fuit. In eodem autem sensu jamdudum communi filio nostro Anatolio Diacono plurima scripseram. Ita autem doctrina vestra per omnia Latinis Patribus concordavit, ut mirum mihi non esset quod in diversis linguis spiritus non fuerit diversus. Nam hoc quod de ficulnea dixistis, in eo sensu propriæ beatus Augustinus loquitur, quia cum Evangelista subjunxit: Nondum enim erat tempus ficorum; aperte cognoscitur, quod per ficum Dominus in Synagoga fructum quæsierat, quæ folia legis habuit, sed fructum operis non habebat. Non enim poterat Creator omnium nescire, quia fructum ficus non habuit, quod dum tempus ficorum non esset, omnes poterant scire*. Pergit sanctus Pater ostendere mirum consensum doctrinæ Eulogii cum Augustiniana, quam ipse sitibundus hauserat, & inebriatus eructabat. Certe sufficit Gregoriana hæc Epistola, ad Agnoitarum somnia refellenda; in ea enim occurritur omnibus, unde Christo qualiscumque ignorantia posset affingi. De hoc argumento scribendi occasionem habuerat doctissimus Papa. Quippe ante biennium Jerosolymitani quidam Monachi Constantinopolim venerant, & ea de quæstione, ut conjicere licet, Anatolium sanctæ Sedis Apocrisiarium interrogarant. At ille Diaconus respondere distulit, donec Gregorium consuluisset. *Cui*, inquit ipse ad Eulogium, *ego ante longum tempus quam vestra scripta susciperem, contra eamdem hæresim ipsa respondi, quæ postmodum in Epistola vestræ Sanctitatis inveni; atque omnipotenti Deo magnas gratias retuli, quia de cunctis inquisitionibus Romanorum atque Græcorum Patres, quorum nos sequaces sumus, uno spiritu sunt locuti*. Agnoitas Nestorianos fuisse Gregorius docet esse *manifestum*; unde me latet qua ratione contrarius Eutychianorum error ipsis a [b] doctissimo Theologo tribuatur. Certe neque Gregorius, neque Eulogius qui cum ipsis & coram & scriptis congressus fuerat, ipsos Eutychianis umquam accensuerunt. Eodem tempore vigilantissimus Ecclesiæ Pastor cum accepisset in Ecclesia Thessalonicensi non leve ortum scandalum, Luca Presbytero & Petro Concilium Chalcedonense suscipere nolentibus, ea de re statim scripsit ad Eusebium Thessalonicensem Archiepiscopum, ut ad removendam offensionem sedulo incumberet. Qua ex Epistola præsertim docemur, quid sit præstandum ab iis de quorum fide suborta est suspicio. De Luca eadem adhuc præcepit Sanctus Gregorius anno sequenti.

Lib. x. Ep. 19. Scripta S. Eulogii contra illos laudat. Ma, 1143. Ibid. Ep. 31. Ibid. Ep. 39. Occurrit errori nascenti Thessalonicæ.

III. Ecclesiam turbantibus hæreticis, res Imperii non erant pacatiores. Nam Sclavi per Histriæ aditum jam in Italiam intrare cœperant, quando S. Gregorius Maximum Salonitanum qui de Barbarorum irruptione monuerat, rescripsit. Ad eumdem quoque annum refert Baronius quæ de Chagano Avarum Rege Venetiam provinciam invadente, Faroque Lilii insidiis Ramildæ potito narrat Paulus Diaconus. Utrum his Barbaris faverint Langobardi, dum imperii provincias depopulati sunt, non audemus asserere; nam hoc eodem tempore factam fuisse pacem cum Rege Langobardorum, aut potius pactas inducias usque ad mensem Martium Indictionis quartæ, testatur S. Gregorius ad Innocentium Africæ Præfectum scribens. Hac in Epistola occurrit insigne humilitatis ejus, & summæ erga Augustinum observantiæ non prætereundum argumentum: *Quod*, inquit, *in expositionem sancti Job transmitti vobis codicem voluistis, de vestro omnino studio gaudemus; quoniam illi rei Eminentiam vestram studere conspicimus, quæ nec totos foras vos exire permittat, & ad cor iterum secularibus curis dispersos recolligat. Sed si delicioso cupitis pabulo saginari, beati Augustini patriotæ vestri opuscula legite, & ad comparationem siliginis illius nostrum furfurem non quæratis*.

Sclavi in Italiam irrumpunt. Ibid. Ep. 36. Lib. iv. c. 12. Pactæ ad annum induciæ cum Langobardis. Lib. x. Ep. 37

IV. Ex eadem Epistola intelligimus, Romæ nuntiatam fuisse Regis Langobardorum mortem. Id incertum esse scribit Gregorius, quod postea falsum comperit. Imo pro luctu de morte Principis, maxima fuit in tota gente lætitia de nato ipsi filio nomine Adaloaldo. Editus est in lucem Modiciæ non procul a Mediolano, qui locus Theodelindæ Reginæ carus. Ibi enim basilicam S. Johannis Baptistæ totius gentis patroni ædificavit, ornamentis auri & argenti decoravit, & amplissimis ditavit prædiis. Olim hac in Ecclesia quæ adhuc stat, ministrarunt Monachi Benedictini. Ibidem extruxit regia munificentia celebre palatium, ubi depicta præcipua Langobardorum gesta videbantur.

Fortasse non erit injucundum lectori hoc describere ex Paulo Diacono quis tunc esset Langobardorum cultus, quæ vestes, ut ex Modiciani Palatii pictis tabellis deprehendebatur. Cervicem radentes nudabant usque ad occiput; capillos a facie usque ad os demissos habentes, quos in utramque frontis partem discriminabant. Vestimenta eorum erant laxa, & maxime linea, ornata institis varii coloris. Calcei erant usque ad summum pollicem pene aperti, & alternatim laqueis corrigiarum retenti. Postea cœperunt [c] hosis uti, super quas equitantes subrugos birreos mittebant. Sed hæc de Romana consuetudine trahebant.

Regi nascitur filius. Paul. Diac. Lib. iv. c. 26. Ibid. cap. 22. & 23. Mabil. Mus. Ital. p. 222. & seq. Langobardorum vestes & cultus. Ibid. c. 23.

V. Interim Mauricius Imperator brevi pacis intervallo uti constituit ad rationes exigendas ab iis qui pecunias publicas dispensandas acceperant, ac in proprios convertisse usus ferebantur. Eo consilio misit Romam Leontium Exconsulem, quem S. Gregorio commendavit Domitianus Melitinæ Metropolitanus, Augusti, ut jam dictum est, cognatus; rogans insuper ut in iis quæ ei pro publica utilitate serenissimorum Dominorum jussione mandata erant, inquantum ratio sineret, suffragari dignaretur. Id libentissime se præstiturum pollicitus est Papa; nec id implere distulit, nam cum Gregorius Exprætectus & alii qui repetundarum accusabantur, in septa Ecclesiastica se recepissent, quod pro inviolabili haberentur asylo, S. Gregorius eis persuasit ut exirent, & rationes suas exponere curarent. Egressi sunt itaque, & Marco Scriboni *qui ad exhibitionem eorum venerat* traditi, accepta prius sponsione, nullam se violentiam passuros. Gregorium Expræfectum amicitia sibi conjunctissimum commendavit

Augustus reos repetundarum punit. Lib. x. Ep. 50. Asyla in Ecclesiis. Gregorii pro amicis accusatis sollicitudo.

a Forte ipsa est quam exhibet Photius loco assignato. In ea omnem a Christo etiam homine amovet ignorantiam. Aliter sensisse videtur Athanas. lib de Incarn. contra Arian. n. 7. *Cum dicit de ultimo die*, inquit, ... *neque Filius ... secundum humanitatem loquitur*. Qua de re legendæ Disquisitiones Reverendorum PP. Congreg. S. Vitoni 2. parte pag. [illegible] ubi alia proferunt S. Athanasii testimonia ex Ep. ad Serap. & ex orat. 4 contra Arian.

b Vide Natal. Alexand. seculo vi. cap. 4. art. 3.

c Hosa, tibiale, caliga. Galli olim dixerunt *housses*. Affines sunt voces Germanicæ, Italicæ &c. idem significantes.

davit Papa tum [a] plurimis in Sicilia Episcopis, tum Leontio Exconsuli & aliis quos in ea, ex provincia vel adjutores & consiliorum participes habebat, vel ministros. Cum diu post indictum & constitutum tempus a Marco seu Azimarcho Scribone, Gregorius Expræfectus in Siciliam venisset, ut se coram Exconsule sisteret judicandum, S. Gregorius eidem Scriboni significavit moræ ac procrastinationis causam fuisse gravem infirmitatem, non dilationem spontaneam. Quid de illo judicatum sit assequi non possumus. Hunc tamen Expræfectum a pristino statu non excidisse, sive quoad honores, sive quantum ad fortunas, conjicere licet ex Epistola duobus post annis ad eum scripta.

Lib. xii. Ep. 22.

VI. Judicem ad clementiam flectere conatur.

Libertinus quondam Siciliæ Præfectus, S. Gregorii familiaris, longe durius habitus est. Rogaverat Exconsulem pius Pontifex ut amicum haberet commendatum; & de ipso ad plurimos alios eodem consilio scripserat. Sed Leontius Exconsul vir sane nimiæ severitatis, misit ad Gregorium exemplar cujusdam cautionis plane *execrabilis*, quæ fidem faciebat quam perversa mente ad præfecturæ dignitatem Libertinus accessisset. Tacite exprobranti quod scelestissimum hominem commendasset respondit Papa, se de nemine umquam ad ipsum scripsisse, nisi ut protectionem suam, *favente justitia* præstaret. De Libertino Præfecto Siciliæ dato provinciam universam gratias retulisse, quod sufficiens videbatur ejus probitatis argumentum. Ceterum quis esset, aut quales causas habuerit, quidve ad impactas criminationes responderet, sibi prorsus incognitum: *Unum hoc tamen*, inquit, *bene atque constanter novi: quia & si quam in rebus publicis fraudem fecit, substantia ejus cædi debuit, non libertas. Nam in hoc quod liberi cæduntur, ut taceam quod omnipotens Deus offenditur, ut taceam quod vestra opinio vehementer gravatur: piissimi tamen Imperatoris nostri omnino tempora fuscantur. Hoc enim inter Reges gentium, & Imperatores Romanorum distat: quia Reges gentium domini servorum sunt, Imperator vero Romanorum dominus liberorum. Unde & vos quidquid agitis, prius quidem servata justitia, deinde custodita per omnia libertate agere debetis.*

Lib. x. Ep. 51.

Pergit vir sanctissimus increpare nimiam judicis austeritatem, & ad eam emolliendam eximia sane præcepta dare, ex quibus pauca hæc decerpere placuit: *Quoties* [b] *ira animum invadit, mentem edoma, vince te ipsum. Differ tempus furoris, & cum tranquilla mens fuerit, quod placet judica. Ira enim in vindictam malorum sequi debet rationem animi, non præire, ut quasi ancilla justitiæ post tergum veniat, & non lasciva ante faciem prorumpat. Aliquando vero ostendenda est, & non exhibenda: aliquando exhibenda est, sed numquam sequenda. Quando enim in executione justitiæ placata mente irascimur, iracundiam & non sequimur, & exhibemus.*

Pro Libertino commendando scripserat quoque Gregorius ad Amandinum Domesticum, quod moleste ille tulit, etsi nihil *asperi* haberet Epistola. Jamque Gregorio rescribere asperis verbis parabat, sed ne id exequeretur prohibitus est per somnium. Testatus est enim se in somnis vidisse Papam ea de causa reprehendentem & increpantem.

Ibid. Ep. 52.

VII. Amicum fortunis exutum consolatur, & liberalitate recreat.

Ad Libertinum omnibus pene fortunis exutum Gregorius Epistolam scripsit consolatoriam, & ut adversa patienter sustineret amicum hortatus est. Verbis addidit liberalitatem, quam solita urbanitate condivit: *Peto autem*, inquit, *ne injuriosum ducatis, quod viginti a nobis vestitus ad pueros vestros per Romanum defensorem scripsimus præberi; quia de beati Petri Apostoli rebus, quamvis parva sint quæ offeruntur, pro magna semper benedictione suscipienda sunt.*

Ibid. Ep. 31.

Ejusdem consolatoriæ litteræ ad Dominicum.

Non uni duntaxat amico, sed plurimis impendendum fuit a Gregorio consolandi officium, præsertim Dominico Carthaginensi Episcopo, ob pestilentiam in Africa desævientem, quem docet quinam fructus ex hoc flagello sint colligendi. Tunc Italiam a tali percussione non fuisse liberam asserit, ad quam plurimæ quasi acervatim accedebant calamitates.

Ibid. Ep. 63.

VIII. Prosperis rebus utentes ad earum contemtum accendit.

Quos noverat rebus uti prosperis, & nulla afflictione magistra erudiri, ad bonorum temporalium contemtum, & æternorum amorem magis ac magis accendebat. Ita scribit ad illustrem quamdam feminam: *Magnam nobis lætitiam Gloriæ vestræ ingessit Epistola, quæ æternæ vitæ desiderium vos habere signavit: sed quia hujusmodi studium fugitiva solet mundi gloria præpedire; hortamur ut mentis vestræ saluberrimam deliberationem res qualibet transitoria non revocet, nec ab incepto eam tramite deviet. Sed magis supernæ patriæ amor accendat, præmia mansura sollicitent, & ad venturi Judicis promissionem certa semper aspiret, atque ex temporalibus æterna mercetur: ut ex hoc & in vera gloria esse, & inter matronas possitis cælestes adscribi: Reducite ad animos prosperitates temporum, multitudinem hominum, dignitatum pompas, matronarum gloriam, divitiarum abundantiam. Attendite hæc omnia ubi vel quid facta sunt; & ex hoc pensate quam nulla sint, & quia qui ista diligit, somnium vigilans videt.*

Ibid. Ep. 49.

IX. Amicorum vitia non dissimulat.

Amicorum vitia minime dissimulabat ad eos scribens. Ita Clementinam patriciam alloquitur: *Nuntiatum mihi est quod si quando vos quisquam offenderit, dolorem irremissibiliter retinetis. Quod si verum est, quia quantum vos diligo, tantum contristor: peto ut hoc a vobis vitium nobiliter excludatis, & secus boni operis segetem inimici semen crescere non sinatis. Dominicæ orationis verba ad memoriam reducantur, & non apud vos plus valeat culpa quam venia. Excessus Gloriæ vestræ bonitas superet, & magis salubriter ignoscendo devotum faciat, quem potest persistens facere asperitas indevotum. Relinquatur illi unde verecundiam habeat, & non servetur quod doleat. Nam plerumque plus virium habet discreta in correctione remissio, quam in exequenda ultione districtio.*

Si contingeret amicos ex libertate corripiendi quandoque offendi & exacerbari, amicabilibus verbis eos delinire satagebat; ut intelligerent aspera verba non ex odio, sed ex caritate fluxisse.

Ibid. Ep. 58.

X. Fortunatus Neapol. Episcopus moritur.

Hoc anno mortuus est Fortunatus Episcopus. Eum paulo ante obitum redarguerat Gregorius, tum de minima sollicitudine erga monasteria, tum de occupatis Urbis portis & aquæductu, quorum cura & custodia pertinebat ad Theodorum Majorem populi & ad Rusticum Seniorem. Proindeque jussit æquissimus Pontifex usurpata restitui. Erat hic *Major populi* fere idem magistratus ac apud nos modo *Ma-*

Ibid. Epp. 24. & 25.

a Vide Epist. libri x. a 54. usque ad 60. inclusive.

b Noverat fortasse Leontium iræ impatientem. De eodem argumento vide Ep. 21. ejusdem libri.

do *Major urbis*. Amplissima jam tum erat civitas Neapolis. Ibi artifices in diversa corpora, pro unaquaque arte quam profitebantur, coaluisse discimus ex querelis Saponariorum adversus Johannem Palatinum, qui *nova plurima eorum corpori præjudicialiter nitebantur imponere, & sibi proficere volebat quidquid commodi de introitu ejus accederet*, hoc est quidquid persolvebant qui huic ordini aut corpori sociari impetrabant.

Lib. ep. 26

De ipsius successore diu deliberat S. Gregorius.

De successore Fortunati diu deliberatum. Pars populi favebat Johanni Diacono; sed a Papa rejectus est, quia cum parvulam haberet filiam, ejus continentia nondum sufficienti tempore probata erat & explorata. Pars altera Petrum item Diaconum elegerat, qui nec Pontifici placuit propter nimiam simplicitatem. Præterea dicebatur olim pecuniam ad usuram dedisse. Neuter itaque factus est Episcopus, sed Paschasius, ad quem plurimæ Gregorianæ Epistolæ.

XI. Ducem Campaniæ ob vexatos Monachos arguit. ibid. ep. 11

Nunc de rebus monasticis ad hunc annum pertinentibus agendum foret, sed brevitatis gratia, unicam duntaxat S. Gregorii Epistolam in defensionem Monachorum scriptam expendemus. Ex monasterio S. Archangeli apud Neapolim, Monachus quidam *abierat ad hostes*; quod Godescalum Campaniæ ducem in tantum furorem abripuit, ut januas monasterii frangi jusserit, & quidquid ibi inventum est, diripi. Fuscus monasterii Abbas discrimen fuga evaserat; sciens ducem ipsi fugitivi Monachi crimen impingere. Quod quam absurdum esset ostendit S. Gregorius, eum ad saniorem revocans mentem proprio exemplo: *Numquid & diebus Magnitudinis tuæ*, inquit, *multi de civitate in qua consistis, ad Langobardos milites fuga non lapsi sunt? Et quis tantæ indiscretionis, tantaque possit stultitia reperiri, ut eorum iniquitatem tibi æstimet applicandam?*

Ibid. ep. 14

Vis huic monasterio illata fortasse occasionem dederat Constantio Monacho & Presbytero transmigrandi in Siciliam, & secum auferendi monasterii sui vela & codices. Qui cum ibi diem clausisset extremum, Gregorius a Fusco Abbate rogatus ad Fantinum defensorem scripsit, ut ablata restitui curaret.

CAPUT V.

An. 600. & 601.

I. S. Gregorius obstat ne is Mediolani esset Episcopus, quem Agilulfus elegerat. Ordinatur Deusdedit. Somnium cujusdam heterodoxi de æqualitate Ecclesiæ Mediol. cum Romana. II. Amos Patriarchæ Jerosolymitano mortuo succedit Isacius. III. Multiplex & gravissimus S. Gregorii morbus. IV. De amicorum salute magis quam de sua sollicitus. V. Amicos ægrotantes ad pœnitentiam hortatur. Præsertim Venantium. Quo mortuo de ipsius filiabus sollicitudinem gerit. VI. Hostes imminent Siciliæ: Fides in Sardinia propagatur. VII. S. Grogorius Theoctistam de hæresi infamatam consolatur. VIII. Scandalum tollere debemus, quando possumus. IX. Hæresis objectæ Theoctistæ capita refelluntur. X. Calumniatores gravibus pœnis addicit S. Gregorius. XI. Falsarium punit. XII. De rebus eccle-siasticis. XIII. Et monasticis. XIV. Recharedi Regis mors & successores.

I. S. Gregorius obstat ne is Mediolani esset Episcopus quem Agilulfus elegerat. Lib. xi ep. 4. Ordinatur Deusdedit.

MOrtuo Constantio Mediolanensi Episcopo, periculum schismatis in Ecclesia Mediolanensi imminebat. Nam clerus & populus unanimes elegerant in ejus successorem *Deusdedit* Diaconum. At Rex Agilulfus in cujus ditione Mediolanum erat, alium postulabat ordinari; & ea de re scripserat ad Mediolanenses. Hæc ut rescivit Gregorius, ad eos in priori proposito corroborandos, ne fortasse minacibus Regis litteris cederent, scribendum quantocius putavit. Suam Epistolam exorditur a Constantii laudibus. Commemorat maxime ejus tum sollicitudinem in servanda Ecclesiastica disciplina, tum vigilantiam in tuenda civitate. Laudat postea Mediolanenses ob electum unanimi consensu Deusdedit, & electionem factam sua auctoritate confirmat. De electo a Langobardis & ab ipso Rege ita constanter loquitur: *Illud autem quod vobis ab Agilulfo indicastis scriptum, Dilectionem vestram non moveat. Nam nos in hominem qui non a catholicis, & maxime a Langobardis eligitur, nulla præbemus ratione consensum. Nec si alicujus præsumtionis usurpatione factum fuerit, in locum vel ordinem illum Sacerdotis suscipimus: quia Vicarius sancti Ambrosii indignus evidenter ostenditur, si electus a talibus ordinatur*. Scripsit quoque ad Pantaleonem Notarium, ut

Ibid. ep. 8.

pergens ad Genuensem urbem Deusdedit Episcopum solemniter faceret ordinari. Agilulfum nondum tunc amplexum fuisse Catholicam fidem, vel ex hac Epistola liquet. Noluit tamen cum Gregorio contendere, suadente forsan Theodelinda, quæ tum Catholicam fidem, tum sanctissimum Pontificem impense colebat; & electus a Mediolanensibus Deusdedit, nemine reluctante est ordinatus. Quod hoc in loco, & prius [a] in ordinatione Constantii factum legimus, proculdubio sufficit ad refellendum somnium Jacobi Gothefridi in dissertat. 2. de suburbicariis Regionibus & Ecclesiis, in qua contendit Mediolanensis & Romani Episcoporum summam æquamque potestatem.

Somnium cujusdam heterodoxi de æqualitate Eccl. Med. cum Romana.

II. Amos Patriarchæ Jerosol. mortuo succedit Isacius. Ibid. ep. 46

Hoc etiam anno luxit Ecclesia Jerosolymitana Patriarcham Amos, cujus Cathedram accepit Isacius, & paulo post ad Gregorium Synodicam misit Epistolam. Fidem quam in ea profitebatur Isacius probavit Papa, & gratias exsolvit Deo, *qui & immutatis gregis sui Pastoribus, fidem quam semel sanctis Patribus tradidit, etiam post eos immutabilem custodit*. Gratiarum actionibus addidit preces pro Imperatore, cujus *temporibus*, inquit, *hæreticorum ora conticescunt, quia etsi eorum corda in insania perversi sensus ebulliant, orthodoxi tamen Imperatoris tempore prava quæ sentiunt, eloqui non præsumunt*. At quia

a Vide lib. 11. Ep. 29. 30. & 31.

quia audierat in Orientis Ecclesiis nullum ad sacrum ordinem, nisi ex præmiorum datione pervenire, ad tam nefariam simoniam eliminandam novum hortatur Patriarcham. Monet quoque de compescendiis jurgiis quædam mansuete corrigendo, quædam quæ corrigi nequeunt, æquanimiter tolerando.

III. Multiplex & gravissimus S. Greg. morbus. *Ibid. Ep. 32.*

Hoc anno quoque parum absfuit quin Orbis omnis Christianus præstantissimum suum amitteret Pontificem: His verbis, quam male se haberet describit: *Multum jam tempus est quod surgere de lectulo non valeo. Nam modo me podagræ dolor cruciat, modo nescio quis in toto corpore cum dolore se ignis expandit; & fit plerumque ut uno in me tempore ardor cum dolore confligat, & corpus in me animusque deficiat. Quantis autem aliis necessitatibus extra hæc quæ retuli infirmitatis afficiar, enumerare non valeo. Sed breviter dico, quia sic me infectio noxii humoris imbibit, ut vivere mihi pœna fit, & mortem desideranter expectem, quam gemitibus meis solam esse credo posse remedium. Proinde, Frater sanctissime, divinæ pro me pietatis misericordiam deprecare, ut percussionis suæ erga me flagella propitius mitiget, & patientiam tolerandi concedat: ne nimio, quod absit, tædio in impatientiam cor erumpat, & ea quæ bene curari per plagam poterat, culpa crescat ex murmure.*

IV. De salute amicorum magis est sollicitus quam de sua. *Ibid. Ep. 33.*

Attamen in tot tantisque doloribus positus vir summæ patientiæ, quid toleraret vix cogitans, de amicorum suorum valetudine sollicitudinem gerebat. Id expertus est Marinianus Ravennæ Episcopus, quem cum vomitu sanguinis laborare audivisset piissimus pater, ad se accersivit ut curam ejus ageret. Interimque ut a jejuniis & vigiliis temperaret præcepit. Aliud tamen simul in animo habebat, Marinianum ad se vocans. Etenim *proximum se morti* intelligens, inter amici manus animam efflare cupiebat.

Lib. 11. Ep. 24. & 25.

Eamdem paternam caritatem expertus olim fuerat Castorius Ariminensis Episcopus, quem diu ob infirmitatem retinuerat apud se, de ejus valetudine restituenda anxius & sollicitus: Tenerum ejus animum erga ægrotantes amicos, maxime demonstrat Epistola hoc anno ad Rusticianam patriciam scripta, in qua licet asserat *corpus suum tamquam in sepultura ita siccatum* esse, tamen ut piæ feminæ dolori compatiatur, proprii videtur oblivisci. *Ibid. Ep. 44.*

V. Amicos ægrotantes ad pœnitentiam hortatur. *Ibid. Ep. 30.*

At præcipua ipsius cura erat in amicorum infirmitatibus, ut eos hujusmodi flagellis attritos ad pœnitentiam provocaret. Sic urget Venantium podagra laborantem, de cujus lapsu jam locuti sumus: *Inter quos* (dolores) *quid aliud debemus nisi semper delicta nostra ad memoriam revocare, atque omnipotenti Deo gratias agere? Quoniam qui ex carnis blandimento multa peccavimus, ex carnis afflictione purgamur. Sciendum quoque est nobis, quia pœna præsens, si animum afflicti convertit, finis est culpæ præcedentis. Si autem ad timorem Domini minime convertit, initium est pœnæ sequentis. Curandum igitur nobis est, & summopere in fletibus tota mentis conversione vigilandum; ne de tormento ad tormenta transeamus. Considerandum quoque est, quanta erga nos dispensatione pietatis agat Conditor noster, quod morte dignos assidue percutit, & tamen adhuc minime occidit.*

Præsertim Venantium. *Ibid. Ep. 36.*

Hæc in Epistola silet S. Gregorius de Venantii Apostasia, nec de reditu ad monasticum statum quem deseruerat ipsum hortatur, quia malebat in ægroto suggeri ab ejus Episcopo, scilicet Johanne Syracusano, ad quem scribit primam ejus curam esse debere hortando, rogando, Dei terribile judicium proponendo, ineffabilem ejus misericordiam promittendo, suadere Venantio *ut ad habitum suum vel in extremis redeat; ne ei tantæ culpæ reatus in æterno judicio obsistat.* Eidem Johanni Venantii filias Barbaram & Antoninam commendavit, quibus etiam scripsit litteras consolatorias, & patrocinium suum adversus pravorum hominum consilia pollicitus est, quod præstitit. Venantium ex hoc morbo non assurrexisse, sed occubuisse satis probant aliæ S. Gregorii litteræ; utrum prius acta pœnitentia, res est divino relinquenda judicio. Italica ejus uxor jam obierat; nam si vixisset graviter decumbente & postea e vivis sublato marito, ad eam potius quam ad ejus filias scripsisset Gregorius, aut saltem iis in litteris aliqua matris injecta esset mentio. Hinc facilior erat Venantio reditus ad Monachi statum, dissolutis conjugii vinculis.

Quo mortuo de ipsius filiabus sollicitudinem gerit. *Ibid. Ep. 78.*

VI. Hostes imminent Siciliæ. *Ibid. Ep. 51.*

Cupiebat Gregorius nobiles virgines e Sicilia Romam migrare, forte quod cognovisset hostes ad hujus insulæ invasionem festinare, ut alias rationes interim taceam. De impetu hostili jamjam imminente, vigilantissimus Pontifex admonuit universos Siciliæ Episcopos, & hortatus est ut litanias omni hebdomada feriis quarta & sexta indicerent, & ita *contra barbaricæ crudelitatis incursus supernæ protectionis auxilium implorarent*. Precibus autem addere bona opera jubet, *quia*, inquit, *inanis fit oratio ubi prava est actio*. Idem periculum Sardiniæ non longe dissitæ insulæ, ab hostibus impendisse supra diximus. At pacem ac tranquillitatem ipsi restitutam esse autumamus ex felici religionis Christianæ propagatione apud Sardos aut advenas & Barbaros seu Barbaricinos, aut indigenas. Ea de causa S. Gregorius rogavit insulæ Præsidem, ut Victori Episcopo in gentilium conversione laboranti opem ferret. Aderat enim omnibus qui ejus opera & commendatione indigebant.

Fides in Sardinia propagatur.

VII. S. Gregorius Theoctistam de hæresi infamatam consolatur. *Lib. 1. c. 5. num. 9. Lib. 11. Ep. 4.*

Præsentissimum eum experta est hoc anno Theoctista Mauricii Augusti cognata, pia fœmina de qua jam alibi actum, a nonnullis temere hæresis infamata. Jam diximus, Gregorio in urbe regia commorante, rumorem sparsum de nova hæresi, cujus notam incurere nobilissimæ ac sanctissimæ matronæ non sunt veriti sycophantæ; unde in populo, sua levitate ad atrociora maxime in Principes credenda satis prono, magnus subortus est tumultus. Statim autem atque id Papæ fuit indicatum, scripsit ad Theoctistam, cui multiplici ratione ostendit ejus mentem obtrectationibus turbari minime debere: *Si enim laudibus lætamur*, inquit, *& detractionibus frangimur, gloriam nostram non in nobis, sed in aliorum ore posuimus .... In omne autem quod extra de nobis dicitur, recurrere ad arcana mentis debemus. Etsi omnes vituperent, liber est tamen quem conscientia non accusat.* Aliam longe post ea subdit rationem. *Sunt autem plurimi*, inquit, *qui vitam bonorum fortasse amplius quam debent, laudant; & ne qua elatio de laude surripiat, permittit omnipotens Deus malos in obtrectationem & objurgationem prorumpere: ut si qua culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur.*

Calumniæ patienter tolerandæ.

Simile pertractat argumentum scribens ad Palladium Presbyterum de Monte Sina, qui etiam oblo- *Ibid. Ep. 2.*

quentium linguis stimulabatur; ubi hæc inter cetera notatu digna dicit: *Inter verba laudantium sive vituperantium ad mentem semper recurrendum est, & si in ea non invenitur bonum quod de nobis dicitur, magna tristitia generari debet. Et rursum si in ea non invenitur malum quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam prosilire. Quid enim si homines laudent, & conscientia accuset? Aut quæ* *bet esse tristitia, si omnes accusent, & sola conscientia nos liberos demonstraret?* Ac infra: *Quid aliud detrahentes faciunt, nisi in pulverem sufflant, atque in oculos suos terram excitant, ut unde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant?*

VIII. Scandalum tollere debemus, quando possumus.

Attamen in utraque Epistola docet qua ratione tolli possit scandalum, quod negligere circa peccatum non possumus. Proponitque S. Petri Apostolorum Principis exemplum, qui fidelium querelæ arguentium quod intrasset ad gentiles & manducasset cum eis, eosque ad baptismum recepisset, non ex potestate, sed ex ratione respondit, causamque per ordinem exposuit: *Si enim*, inquit, *cum a fidelibus culparetur, auctoritatem quam in sancta Ecclesia acceperat, attendisset, respondere poterat ut pastorem suum oves..... reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profecto doctor mansuetudinis non fuisset. Humili ergo eos ratione placavit .... Si ergo Pastor Ecclesiæ Apostolorum Princeps, signa & miracula singulariter faciens, non dedignatus est in causa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere, quanto magis nos peccatores, cum de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros humili ratione placare debemus.*

IX. Impactæ Theoctistæ hæresis capita refelluntur.

Non poterat efficaciori exemplo humilitatem illustri feminæ persuadere sanctissimus Doctor. Postea hæresis ipsi impactæ capita omnia recenset, ac confutat & conterit. Primo ostendit religionis causa conjugia non dissolvenda. Secundo peccata omnia in baptismate penitus dilui & dimitti. Tertio post actam per triennium pœnitentiam, licentiam peccandi minime concessam. Quarto etiam illum anathematis vinculo teneri, qui etsi necessitate compulsus, id de quo reprehenditur anathematizaverit. Ad ultimum testatur plerosque falso de quatuor illis capitulis imperito zelo accusatos; placandos tamen esse illos accusatores tum ratione, tum mansuetudine.

X. Calumniatores gravibus pœnis addicit S. Greg. Lib. IX. Ep. 62.

Etsi vero calumnias patienter tolerandas doceret summus ille morum magister, calumniatores tamen gravibus pœnis coerceri jubebat. Unde cum accepisset Hilarum Subdiaconum qui Johanni Diacono crimen ingesserat, a judicibus nulla fuisse pœna castigatum, præcepit ut virgis publice cæderetur, & in exilium deportaretur. Jam supra observavimus hanc exilii pœnam judicio Ecclesiastico decretam in desensionem Episcopo non obedientem.

XI. Falsarium punit. Lib. XI. Ep. 74.

Non minus in falsarios, qui calumniatoribus affines sunt, indignabatur Gregorius veritatis studiosissimus cultor. Hinc graviter exarsit in Andream Monachum, ut conjicere licet, Græcum; qui non solum Epistolam Eusebii Thessalonicensis Episcopi ipsius fidei commendatam, ut latinam eam faceret, corruperat, & hæreticis infecerat; sed etiam sermones aliquos Græce evulgarat, quibus præfixerat Papæ nomen. Eos diligentissime requiri jussit Gregorius & aboleri. Præterea Concilium habuit in quo de pœna falsario aliunde flagitiosissimo infligenda deliberaretur; at vero quæ decreta fuerit nos latet. Epistola ex qua hæc habemus, humilitatis & modestiæ Gregorii argumentum est. In ea enim simpliciter profitetur Græcarum se litterarum nescium.

XII. De rebus Ecclesiasticis. Ibid. Ep. 4.

Ut res ad hunc annum spectantes absolvamus, notanda sunt summatim quæ ad illustrandam Ecclesiasticam disciplinam aut historiam conferre possunt nondum a nobis delibata. Imperatori Johannem primæ Justinianæ Episcopum pro ægritudine capitis ab Episcopatu amovere cupienti, consentire noluit æquissimus Pater, nisi ægrotus ipse, dato libello supplici, hoc peteret. Sed suasit ut quæreretur *dispensator*, qui munus Episcopale obire posset.

Ibid. Ep. 67. Quiricus & alii Iberiæ Episcopi summum Pontificem consuluerant de diversorum hæreticorum baptismo & ordinationibus. Quibus respondit baptizatos in hæresi cum Trinitatis invocatione, non iterum baptizandos quando ad Ecclesiam revertuntur, sed aut impositione manuum, aut chrismatis unctione, aut professione fidei reconciliandos. Redeuntes vero Nestorianos de incarnatione edocendos: & si Nestorium anathematizaverint, receptasque ab Ecclesia Synodos recipere profiteantur, in propriis ordinibus admittendos.

Ibid. Ep. 54. Cum audisset Desiderium Viennensem Episcopum grammaticam & litteras humaniores quibusdam exponere, id gravissime tulit, *quia*, inquit, *in uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes non capiunt*. Postea tamen Candidus Presbyter ex Galliis rediens, Desiderium apud Papam excusavit, negavitque ipsum in his nugis tempus terere.

Ibid. Ep. 77. & 37. Deferendas ad Episcopos Clericorum causas sæpe docet, ne Episcopalis jurisdictio pessumdetur. Clericos ab Episcopo, exigente culpa, in pœnitentiam missos Romanus defensor, Episcopo inconsulto & nesciente, auctoritate propria *ejecerat* e loco ubi ad pœnitentiam traditi fuerant. At jussit Papa Clericos Episcopo sine mora restitui, & Romano prius increpato, gravia comminatus est, si talia deinceps committeret.

Ibid. Ep. 38. Quæ ad obtinendum defensoris officium conditiones requirerentur, qualia forent eorum munia, quave formula constituerentur, habemus in Epistola ad Vitum.

Ibid. Ep. 56. Gesta vel scripta S. Irenæi diu a se quæsita, sed ex eis aliquid invenire non valuisse testatur maximus Doctor. Nec de rebus monasticis pauca attingenda.

XIII. Et monasticis. Ibid. Ep. 50.

Cum Agathosa questa esset maritum suum, se invita, Monachum factum, quod ad culpam invidiamque Urbici Abbatis in cujus monasterio conversus fuerat, pertinebat: edixit Papa reddendum eum petenti, licet jam tonsuratum, nisi constaret ipsam prius mariti conversioni consensisse, suamque promisisse, aut ipsam adulterii esse ream.

Vide in Append. col. 1157. In eodem Concilio a quo damnatus est Andreas falsorum scriptorum artifex, concessa est Probo Monacho & Abbati testandi facultas de bonis ante susceptum habitum monasticum ad ipsum pertinentibus. Tanti enim erat momenti facultatem hanc dare, ut Synodi totius consensum requirendum judicaverit sapientissimus Pontifex. Neque vero facta fuisset Probo testamenti condendi licentia, nisi li-

quido

quido constitisset ipsum jussum fuisse & quasi coactum a S. Gregorio monasterium subito introire, *non indulto ad deliberandum vel tractandum spatio*. Unde non integrum ipsi fuerat de rebus suis disponere. Periculum autem ne erat bonis ipsius monasterio cedentibus, filius ejus summa egestate laboraret.

Laudavit Januarium Caralitanum, quod monasterium virorum in domo ancillarum Dei monasterio cohærente construi noluerit. Voluit tamen alium quæri locum, ubi constitueretur. *Ibid. Ep. 25.*

Omitto beneficia, quæ in monasteria, etiam remotissima, contulit hoc anno optimus pater, præsertim in cœnobium montis Sina; sed quibuslibet muneribus & beneficiis præstantiora mihi videntur monita Cononi Lirinensi Abbati data, quibus eum docet quanta cura, qua solertia monasterium sibi commissum regere debeat; maxime ob ejus decessoris incautam remissionem: *Dilectionis tuæ*, inquit, *vigilantia ardentiori se semper cura succendat; & ita cuncta, Deo adjuvante præmuniat, ut lupus sæviens huc illucque discurrens, in oves Dominicas ingrediendi locum non habeat*. Et post aliqua: *Itaque boni te dulcem, pravi sentiant correctorem. In qua videlicet correctione hunc esse ordinem noveris observandum, ut personas diligas, & vitia persequaris: ne si aliter agere fortasse volueris, transeat in crudelitatem correctio, & perdas quos emendare desideras. Sic enim vulnus debes abscindere, ut non possis ulcerare quod sanum est: ne si plus quam res exigit ferrum impresseris, noceas cui prodesse festinas. Ipsa enim in te dulcedo cauta sit, non remissa: correctio vero diligens sit, non severa. Sed sic alterum condiatur ab altero, ut & boni habeant amando quod caveant, & pravi metuendo quod diligant.* *Ibid. Ep. 1.* *Lib. XI. ep. 12.*

Hoc anno e vivis excessisse pium Regem Recharedum fidei Catholicæ in Hispania restauratorem tradunt Hispanicarum rerum scriptores. Arianos ob studium quo flagrabat in religionem orthodoxam semper expertus est infensissimos, maxime vero Gosuintham Leuvigildi Regis viduam, cujus auctoritate audaciores facti, non semel in Regem conspirarunt. Horum antesignani fuerunt quidam Episcopi hæresi Ariana polluti. Ex his duo in exilium ejecti sunt, etsi gravioribus pœnis digni forent. Recharedo successit Liuba II. qui duobus tantum annis regno potitus. Hunc excepit VVitericus. *XIV. Recharedi Regis mors & successores. Joan. Biclarens.*

CAPUT VI.

I. S. Gregorius de instaurandis SS. Apostolorum basilicis cogitat. Ejus munificentia in illas basilicas. II. Bellum redintegratum infeliciter cedit Imperatori. III. Hæreticorum & schismaticorum conversio. Quid redeuntes e schismate spponderent. IV. Firminum Episcopum reversum, & ob hoc ab aliis vexatum schismaticis tuetur S. Gregorius. V. Docleatinæ Ecclesiæ pacandæ providet. De Paulo flagitioso Episcopo & prædone judicium. VI. De rebus Africanis curat. Causa Paulini Episcopi. Et alterius nomine Victoris. VII. Auctoritatis Rom. Pontificis in Africa argumenta. VIII. Gregorii summa in potestate major humilitas & modestia. IX. De ejus homiliis in varios sacræ Scripturæ libros a Claudio exceptis. De Claudio inquiritur. X. S. Gregorii in eligendis dignis Abbatibus, & tuenda monastica disciplina sollicitudo. XI. Utrum monachorum loco Subdiaconatus esse putaverit. XII. Diaconum factum Monachum e monasterio avelli non patitur. *An. 601. & 602.*

CUm imminere sibi mortem præsciret S. Gregorius, jam conceptum de reparandis SS. Apostolorum Petri & Pauli basilicis consilium non ultra differendum judicavit. Idcirco præcepit Sabino Subdiacono res Ecclesiæ in Lucania & Brutiis curanti, ut his in provinciis trabes ad id operis necessarias pararet, atque ad mare advehendas curaret, unde navibus impositæ Romam deportarentur. Ea de causa scripsit ad [a] Arogem, quem Beneventanum ducem Zotone mortuo constituerat Langobardorum Rex, rogavitque ut Sabino Subdiacono in hujus materiæ vectura opem ferret; promittens duci *dignum xenium*. Idem est argumentum epistolarum quas ad Gregorium Expræfectum & ad Stephanum Episcopum scripsit. Biennio post paulo ante mortem assignavit multa prædia basilicæ S. Pauli pro [b] luminaribus, *ne minus illic habere luminaria præco fidei cerneretur, qui totum mundum lumine suæ prædicationis implevit*, quam S. Petrus. De olivetis & aliis fundis a S. Gregorio concessis ad basilicæ S. Petri lumina nutrienda & augenda, legenda tabula donationis quam vitæ S. Gregorii subjiciendam duximus. Legitur alibi fecisse *ad beatum Petrum Apostolum super altare ciborium cum columnis quatuor ex argento puro*. De fastigiis ex argento purissimo fabricatis in basilicis sanctorum Apostolorum Petri & Pauli legendus Johannes Diac. *I. S. Gregorius de instaurandis basilicis SS. Apostolorum cogitat. Lib. XII. Ep. 20.* *a Ibid. Ep. 21.* *b Ep. 22. & 23. Ejus munificentia in illas basilicas. Pontific. Roman. Lib. 4. c. 68.*

Ex Epistola ad Arogem scripta datur conjiciendum pacem aut inducias tunc fuisse Romanos inter & Langobardos. Attamen hoc anno rursus bellum conflagravit in Italia, ubi res infeliciter pro Imperatore gestæ sunt. Nec felicius in Oriente cesserunt; quasi jam omnia vergerent ad Mauricii de solio dejectionem & cædem. Longobardi cum Sclavorum auxiliis ab Avarum Rege missis Cremonam primum obsidione cinxerunt, & occuparunt, quam Agilulfus æquari solo jussit. Deinde Mantuam expugnavit idibus Septembris, quæ vix clementiorem victorem est experta. Romanorum præsidium Brixellum incendit & deseruit. Hostilibus armis prementibus Exarchus pacem impetravit, ea lege ut redderet Godiscalcum ducem ejusque uxorem filiam Agilulfi, ipsorumque liberos in expugnatione Parmæ captos. Quamvis tot annis inter hostiles gladios vivere consuevisset S. Gregorius, de hoc tamen bel- *II. Bellum redintegratum infeliciter cedit Imperatori. Paul. Diac. lib. IV. c. 29.* *Ibid. c. 21.*

 lo ve-

a Apud Paulum Diacon. lib. IV. c. 29. & alibi dicitur *Arigis*, aut *Arechis*. Arigis significat *honore fortem*.

b De Ecclesiæ luminaribus legendus Athanasius in Ep. encyclica ad Episcopos Tom. 1. p. 114. num. 4. ubi describens ingressum Gregorii Alexandrinæ Ecclesiæ invasoris cum militari manu, ait tunc et ablatum a militibus oleum et Ecclesiæ luminaria repositum; adeoque insanijsse qui pseudo Episcopum comitabantur, ut candelabra ad parietem statim reponerent, & Ecclesiæ ceceos idolis accenderent.

Lib. XII. Ep. 50.

lo vehementer ingemuit, & cum amicis expostulavit, eorumque precum opem sibi adesse rogavit supplex, maxime S. Eulogii.

III. Hæreticorum & schismaticorum conversio.

In Epistola huic inscripta Patriarchæ, quæ omnium hoc anno scriptarum est ultima, meminit Papa Monophysitarum seu hæreticorum unicam in Christo naturam confitentium, qui errorem hunc nuper ejurarant. Hi cum in Siciliam venissent, fama sanctissimi doctoris invitati Romam perrexerant, ubi in fide confirmati, litteras a summo Pontifice testimoniales petierunt. Eos commendat sanctissimus pater amico Eulogio, ipsisque restitui monasterium ab hæreticis occupatum petit, nisi forte maluerint ipsius invasores ad Ecclesiæ redire sinum. Eodem tempore Firminus Tergestinæ urbis Episcopus in Istria, prius in schismate ob tria damnata capitula conflato pertinax, venenum evomuit, & relictis schismaticorum partibus, ad unitatem Ecclesiæ se contulit. De ipsius reditu Gregorius lætus, gratulatoriam scribendam Epistolam censuit, in qua revocatum & resipiscentem hortatur, ut satanæ jaculis constantiæ scutum opponat, aliisve secum revocandis insudet. Insuper vitæ subsidia pollicetur: Nobis, inquit, *omnino curæ erit de Fraternitatis tuæ quiete, ut dignum est, cogitare; quia postquam nobiscum, jam Deo protegente unus es, non aliter utilitates tuas, quam nostras attendimus.*

Qui redeuntes a schismate spondêrent.

* Olim lib. 2 Ep. 32, nunc in appendice col. 1300.

Extat promissio cujusdam Episcopi ad unitatem Ecclesiæ reverentis, quam a Firmino datam non immerito putant eruditi. Sine observatione præteriri non debet Episcopum hunc schisma deserentem omnino silere de Concilio V. & de trium capitulorum condemnatione; sed spondere tantum & jurare se prona & spontanea voluntate ad unitatem Sedis apostolicæ redeuntem, ad schisma numquam reversurum, sed semper in unitate sanctæ Ecclesiæ Catholicæ & communione Romani Pontificis permansurum. Quod sane argumento est, ut jam non semel a nobis dictum, illud Istricorum schisma non in eo positum esse, quod tria capitula non damnarentur, sed quod ea condemnantes a communione repellerentur, fieretque sic ab Ecclesia catholica secessio.

IV. Firminum Episcopum reversum & ob hoc ab aliis vexatum schismaticis tuetur S. Gregorius. Lib. XIII. Ep. 33.

Quod Firmino prænuntiarat vir sanctissimus, ejus videlicet constantiam terroribus & blandimentis tentatam iri ab hoste, ut retro redire compelleretur, paulo post accidit. Nam Severus Gradensis Episcopus ejurati a Firmino schismatis caput, audita ejus reversione, *eum diversis pravorum suasionibus cœpit, si posset, a bono revocare proposito. Quod cum perficere Deo auctore minime valuisset, seditionem illi suorum civium excitare non timuit.* Periclitanti Episcopo manum porrigere & subvenire constituit Gregorius. Quapropter Smaragdum Exarchum rogavit, ut nulla mora Firminum Episcopum ab illatis molestiis tutari studeret, ac *quietem illius multis ad imitandum profuturam modis omnibus procuraret*: *Excellentiam*, inquit, *vestram paterno salutantes affectu, petimus ut zeli vestri in hac causa olim exhibiti, nunc vehementius fervor incandeat; tantoque vos contra hostes Dei vindices defensoresque repeiant, quanto apud Deum pretiosior est anima quam defensio corporis. Armet vos contra devios ipsa quæ in vobis fides viget rectitudo, redintegretur vestris temporibus quod in illis est partibus scissum corpus Ecclesiæ. Habetis in hac causa retributorem vestri operis, rectitudinis ac integritatis auctorem.*

V. Diocleatinæ Ecclesiæ pacandæ providet. Lib. XII. Ep. 31.

Cum non minus pateret sanctissimi Papæ sollicitudo, quam auctoritas & potestas, providendam censuit hoc anno Ecclesiæ Diocleatinæ rebus perturbatissimis. Paulus hujus urbis Episcopus, inter alia mala in corporale crimen lapsus, a suis Clericis accusatus fuerat, & convictus; *itant ipse libellum, in quo ea de quibus accusatus fuerat vera esse confitebatur, obtulisset.* Qua de re sententia episcopali depositus est, & in locum ejus ordinatus fuit Nemesion, consentiente Johanne primæ Justinianæ Episcopo, ad quem tamquam Primatem tunc pertinebat Dioclea, cum tamen Ecclesiæ Scodritanæ subesset, jure Metropolitico. At Paulus facti postea mali pœnitens, auxilio secularium judicum fretus, episcopium more prædonis ingressus, ablatisque violenter Ecclesiæ rebus, recens ordinatum Episcopum ejecerat summa cum injuria, magnoque vitæ periculo. Nemesion Romam veniens de vi sibi illata questus est apud summum Pontificem, qui scripsit tum ad Constantinum Scodritanum Episcopum, quem ª Metropolitam fuisse satis indicant S. Gregorii verba, tum ad Johannem primæ Justinianæ Primatem, insuperque sanctæ Sedis vicarium, ut si res ita sese habuissent, cogerent Paulum ad reddenda confestim omnia quæcumque abstulerat. Quæ si probaret non esse Ecclesiæ, sed ipsius propria; tamen ex his retinendum satis ad resarcienda bonis Ecclesiasticis illata detrimenta; nam ea dilapidasse ferebatur. *Si autem differre tentaverit, quousque omne quod dilapidavit, vel de substantia tulit Ecclesiæ restituat, in monasterium mittendus est, ut saltem coactus reddat quod male auferre non timuit*, inquit S. Gregorius. *Qui si forte, quod non credimus, post depositionem suam inverecunde ac mente perversa aliquid de episcopatu loqui, atque rursus ad hoc qualibet aspirare præsumtione tentaverit; Fraternitatis vestræ se contra improbitatem ipsius omnino vigor accendat, atque Dominici corporis ac sanguinis communione privatum, in monasterium eum usque ad diem obitus sui ad agendam curet pœnitentiam retrudendum: quatenus perpetrati sceleris maculas dignis discat fletibus emundare, quas magis in interitu animæ suæ nequiter augere desiderat.* De Nemesio vero decrevit ei locus ejus & episcopatus restitueretur.

De Paulo flagitioso Episcopo & ejusdem judicium.

VI. De rebus Africanis statuit. Lib. XII. Ep. 28. Causa Paulini Episcopi.

Eodem tempore Gregorio cogitandum fuit de rebus Africanæ Ecclesiæ, ubi ex Episcopis & ex aliis ecclesiasticis viris nonnulli ad officium erant revocandi. Multæ præsertim erant querelæ de Paulino Tegesis civitatis in Numidia Episcopo, *quem clerus & qui etiam in sacro ordine erant constituti, se corporaliter excessisse perhibebant.* Causam hanc inter Episcopum ejusque Clericos judicandam S. Gregorius detulit ad Victorem Numidiæ Primatem & ad Columbum Episcopum, quibus in mandatis dedit, ut quos vellent e suis Coepiscopis assumerent ad sententiam de reo vel de accusatoribus ferendam. Idem Paulinus dicebatur Ecclesiasticos ordines simoniace dare, vel potius vendere, quod omni studio explorandum dicit sanctissimus Pontifex, ut tam dans quam accipiens præmium, uterque canonicæ ultionis sententia feriatur. Verum ne simoniæ radix mortifera coalesceret, ac plures interimeret,

ª Hunc scribit S. Greg. ad Johannem: *quamvis grave & iniquum fuerit ut non a vobis vel a Metropolitano ejus hoc pateret*, scilicet Paulus. Ergo Johannes non erat Pauli Metropolitanus, sed Constantinus. Competebat tamen Johanni jus aliquod in Paulum; unde conjicimus eum fuisse Primatem vel Exarchum. Ex his emendanda videntur quæ ad hanc Epistulam post Gussanvillæum annotavimus.

meret, cupit communi totius Concilii definitione prohiberi, ne nullus umquam pro quovis ordine accipiat aut det, neve quisquam ex gratia promoveatur, sed ex merito.

Ex alterius nomine Victoris. Ibid. Ep. 8.

Paulo antea oblatum a Donadeo Diacono libellum supplicem, quo se querebatur a suo Episcopo Victore injuste depositum, ad eumdem Columbum miserat, ut una cum Primate Concilii aliisque Coepiscopis de hac querela judicaret. Episcopus contendebat Donadeum ob corporale peccatum de ordine suo dejectum, Quod si probari possit, Gregorius vult Diaconum in pœnitentiam detrudi, ut commissi flagitii vinculum lacrymis valeat absolvere. At vero si constet Episcopum in insontem sævii sse, decernit in ipsum canonici rigoris districtionem exercendam. De Crementio provinciæ Byzacenæ Primate graviter accusato, quem a totius provinciæ Concilio judicandum censuit hoc anno vigilantissimus Pontifex, jam paulo supra dictum; quapropter nihil hoc loco addendum videtur. *Ibid. Ep. 32.*

VII. *Auctoritatis Rom. Pontificis in Africa argumenta.*

In his eo magis elucet Romani Pontificis auctoritas, quod ei diversa statuenti omnes obtemperaverint, ipsa Concilia, Primates, etiam Carthaginensis Episcopus, penes quem in totam Africanam Ecclesiam summa erat potestas. Certe Dominicus qui Cathedram Carthaginensem Gregorio Romæ sedente obtinebat, numquam questus est Romanum Antistitem falcem misisse in messem alienam, numquam pro tuenda sua auctoritate cum eo contendit, sed ejus amicitiam semper coluit. Noverant videlicet Africani Patres Gregorium suo tantum uti jure, suorumque decessorum insistere vestigiis. Nondum obliterata erat Leonis Magni memoria qui Potentium commissis ipsi Sedis apostolicæ vicibus miserat in Africam, ut labefactatam Vvandalicis bellis Ecclesiasticam disciplinam resarciret, nonnullosque Episcopos contra canones ordinatos, exauctoraret. Tempore quoque Augustini, licet de appellationibus ad sanctam Sedem quæstio esset orta cum Zosimo, quanta esset Africanorum erga Romanum Pontificem reverentia probant Conciliorum acta, Epistolæ ad ipsum scriptæ, aliaque monumenta. Ipse Cyprianus apostolicæ Cathedræ sententiam de lapsorum restitutione sciscitatus est; quem Africani Patres diversis temporibus secuti sunt, summos Pontifices de variis Ecclesiasticæ disciplinæ capitibus [a] consulendo. Et quamvis magnus Cyprianus aliud senserit de baptismo hæreticorum quam Stephanus Papa, aliosque Africanos Episcopos ad suas partes traxerit, vicit tamen sententia Stephani, etiam in Africa, rescissis Conciliorum sub Cypriano habitorum decretis. Hæc paulo extra metas observavimus contra nonnullos, qui Africanam Ecclesiam vel *acephalam* audent dicere, vel *authocephalam*; quod proprii Primatis, hoc est Carthaginensis auctoritate sola regeretur: *Quasi vero ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse non sit omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui undique sunt fideles*, ut ait Irenæus. *Lib. III. adv. haeres. Valent. c. 3.*

VIII. *Gregorii summa in potestate major humilitas & modestia.*

Summa hæc Gregorio demandata potestas, ejus modestiæ ac humilitati minime officiebat; quarum virtutum argumentum sane maximum est Epistola hoc anno ad Johanem Subdiaconum Ravennæ commorantem scripta. Etenim in ea pene indignabundus queritur de Mariniano Archiepiscopo Ravennate, quod legi publice faceret ad vigilias *commenta beati Job*, quia, inquit, illud opus non est populare, & rudibus auctoribus impedimentum magis quam provectum generat. Addit: *Neque enim volo dum in hac carne sum, si qua dixisse me contigit, ea facile hominibus innotesci. Nam quia dilectissimæ memoriæ Anatolius Diaconus quærenti ac jubenti Domno Imperatori librum Regulæ Pastoralis dedit, ægre suscepi: quem sanctissimus frater & Coepiscopus meus Anastasius Antiochenus in Græcam linguam transtulit. Et, sicut mihi scriptum est, ei valde placuit, sed mihi valde displicuit, ut qui meliora habent, in minimis occupentur.* *Lib. XII. Ep. 24.*

IX. *De ejus homiliis in plurimos sanctæ Scripturæ libros a Claudio exceptis.*

Eadem in Epistola S. Gregorius meminit suarum homiliarum de Proverbiis, de Canticis canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum, & de Heptateuco, quas exceperat Claudius Abbas. Quo mortuo jubet Papa requiri omnes etiam chartulas de his superstites, & ad se mitti, igne, ut ex ejus humilitate suspicari licet, fortasse abolendas. De his autem legendæ sunt præfationes aut admonitiones præviæ ad Commentarium in librum 1. Regum; ad Expositionem in Cantica, & ad aliam septem psalmorum pœnitentialium Expositionem. Sed quia forsan parcius illic diximus de Claudio Abbate, nunc colligendum quidquid in Epistolis Gregorianis de ipso sparsum legitur. *Tom. 3 2. part.*

Monachum fuisse in Gregoriano Romæ monasterio, & quidem sub ejus disciplina, probat filii titulus ipsi a Gregorio datus. Jam assumtus fuerat ad regendum Classense SS. Johannis & Stephani monasterium, anno secundo Pontificatus sancti viri; ejus enim tamquam Abbatis meminit hoc tempore ad Johannem Ravennatem scribens: *Videtur mihi ut Claudium Abbatem cum aliquanta pecunia illuc transmittere debeatis.* *De Claudio inquiritur. Lib. II. Ep. 46.*

Romam venit, tum ut jura monasterii sui adversus Marinianum Ravennatem ejusque Clericos tueretur, pro quo impetravit privilegium; tum ut studiorum S. Gregorii adjutor foret ac particeps. In Urbe diu moram fecit, S. Gregorio eum retinente, *quia magnum* ipsi *erat in verbo Dei solatium*. At quia monasterium suum repetere & revisere festinabat; aliundeque non latebat vigilantissimum Pastorem, congregationi fratrum præsentiam sancti Abbatis esse summe necessariam, ei redire permisit, eumque commendavit Mariniano; quem rogavit ut paternam illi monasterioque ipsius caritatem, uti decebat, impenderet. Mortuum eum fuisse suspicamur paulo ante scriptam ad Johannem Subdiaconum Epistolam, cujus jam meminimus, hoc est anno 601. desinente. *Lib. VII. Ep. 45. Lib. VIII. Ep. 15. Ibid. Ep. 16. Lib. XII. Ep. 24.*

X. *S. Gregorii in eligendis dignis Abbatibus, & tuenda monastica disciplina sollicitudo.*

Post ejus obitum *Monachi ejus monasterii venientes Romam petierunt sibi Constantium Monachum Abbatem constitui*. At eum minime probavit sanctissimus pater, quod peculiaritati studere diceretur, & in Piceni provinciam perrexisset *sine aliquo fratrum suorum*. Eo itaque rejecto consensit ordinari Maurum cellerarium, modo quæ de ipsius vita & industria testabantur qui elegerant, vera esse probarentur. De his scripsit ad Johannem Subdiaconum; insuperque præcepit ut Marinianum Episcopum admoneret, peculiaritatem a quatuor aut a quinque Monachis monasterii resecare.

Hæc

a Vide Ep. Papæ Dynamio & Sabilio Consulibus datam an. 488. & consule histor. Vandal. persecut. par. 2. c. 12. n. 9.

XI. Utrum monachorum loco subdiaconatus esse putave it. Ibid. Ep. 12.

Hæc sane sunt argumenta sollicitudinis & curæ singularis quam gerebat de statu monastico. Quanti autem illum faceret præsertim hoc anno demonstravit duabus in Epistolis. Ex priori scripta ad Passivum Episcopum Firmanum, colligit Thomassinus Monachatum tunc loco subdiaconatus fuisse. Quippe cum Aprutium Castrum Firmensis territorii Pastore careret, indicavit S. Gregorius Opportunum quemdam, ob morum innocentiam, psalmodiæ studium, amoremque orationis a multis laudatum, quem hortandum dicit ut *vel Monachus fiat vel Subdiaconus*; & post aliquantulum temporis, ad pastoralem curam eum suadet promovendum. Cur hic monachatus fieret mentio sicuti subdiaconatus, quando de promovendo ad sacerdotium Oppurtuno agitur, nisi æque ad sacros ordines disponeret? Et ideo fortasse S. Benedictus qui de Monachis ad presbyteratum & diaconatum assumendis loquitur, de subdiaconatu ipsius conferendo prorsus silet. Sed legendus ea de re noster Mabillonius, maxime Annal. Benedict. lib. x. an. 602. num. 20. col. 277.

Part. 3 lib. 2 n. 34.

XII. Diaconum factum Monachum ex monasterio avelli non patitur.

In altera Epistola scripta ad Desiderium Viennensem Episcopum, pro Pancratio Diacono qui Monachus factus fuerat, sanctissimus pater hortatur Desiderium, *ut tam prompta Diaconi devotioni, quam in sancto studebat habere proposito minime impedimento sit. Magis autem*, inquit, *quibus valetis adhortationibus pastorali admonitione* (eum) *succendite, ut fervor hujus desiderii in eo non tepescat: ut qui a turbulento curarum secularium tumultu se segregans, quietis desiderio portum monasterii appetiit, rursum in Ecclesiasticarum curarum non debeat perturbationibus implicari.*

CAPUT VII.

An. 602. & 603.

I. Mauricii Imper. dejectio & cædes. II. De qua divinitus præmonetur. III. Phocas eligitur Imperator ab exercitu. Qui Constantinopolim advolat. Mauricii filios ipsumque occidi jubet. Necnon Constantinam Augustam ejusque tres filias. IV. S. Gregorius ad Phocam scribit. Ejus Epistola expenditur. De alia ad eumdem Epistola: V. Cur S. Gregorius durius de Mauricio scripserit. VI. Apocrisiarium mittit ad novum Imperatorem. VII. Miserabilem Italiæ statum exponit. VIII. Legatio Theoderici Francorum Regis & Brunichildis ad Papam. Illum consulunt de Episcopo amente. Papæ responsum. Bigamum arcet a sacris ordinibus. IX. Petit Regina mitti Legatum in Gallias, ad Concilium celebrandum. X. Papæ sollicitudo de Ecclesi. disciplina in Italia. XI. Conductorum Ecclesiæ fraudibus injuste ablata restituit. XII. Ejus in facienda eleemosyna studium. XIII. Urbicus Abbas eligitur in Panorm. Episcopum. Cur hanc electionem respuerit S. Gregorius. XIV. Scribit contra nuper exortos Romæ errores.

I. Mauricii Imp. dejectio & cædes.

ANnus hic Pontificatus S. Gregorii decimus-tertius insignis est ob Mauricii Augusti causam ipsiusque ac filiorum cædem, necnon Phocæ Centurionis provectionem ad imperium. Iram odiumque militum in se concitaverat Imperator, nolens modico pretio redimere captos ab Avaribus, quos barbari interfecerunt; sive id avaritiæ causa factum, ut vulgo creditur, sive voluerit eos hostili gladio perire, quia seditionem fecerant. Ipse vero tanti criminis conscientiam pondusque diutius ferre non valens, Dominum precatus est ut in hac vita debitas sibi pœnas infligeret, æternisque suppliciis se non reservaret. Postulavit autem ab omnibus Patriarchis Monachisque, maxime Jerosolymitanis, ut eadem quoque a Deo suis precibus exorare satagerent. Vota ex animo facta Deus audivit, ut Theodoro Siceotæ ostensum est ac ipsimet Augusto, qui fuerat admonitus ut caveret ab homine cujus nomen a duobus his litteris *ph* inciperet, & ab eo se occidendum sciret.

II. De qua divinitus præmonetur.

Statim suspicatus est Mauricius a Philippico sororis suæ marito sibi insidias & necem parari. At in somnis vidit se Judici Christo adstare cum turba militum captivorum ipsum accusantium, uti narrant scriptores Græci; nec mora statim jussum esse, ut cum uxore sua & liberis totaque familia Phocæ militi trucidandus traderetur. Expergefactus Imperator, statim misit qui Philippicum ad se producerent. Ille vocari se nocte videns, mortem sibi imminere non dubitavit; noverat enim se apud Imperatorem in suspicionem adductum esse. At Mauricius statim ac illum vidit, ad ejus pedes provolutus ait: *Ignosce mihi, frater, quas tibi innocenti calumnias imposui. Rogo autem ut si quem in exercitu militem Phocam nomine noveris, indices mihi. Novi*, inquit ille, *quemdam, qui pridem ab exercitu missus, cum majestate tua jurgavit*. Non dubitavit Mauricius ipsum esse quem in somnis viderat.

III. Phocas eligitur Imperator ab exercitu.

Sub id tempus Petrus Imperatoris frater ejus jussu misit litteras ad exercitum, quibus jubebatur Istrum trajicere ac ibidem hyemare; quod cum milites moleste ferrent, quia iis in hybernis assidue cum barbaris erat prœliandum; cœperunt de novo Imperatore creando agere; moxque Phocam centurionem, quem audacem noverant, super scutum de more elevantes, Imperatorem acclamarunt salutaruntque. His auditis Petrus confestim Constantinopolim veniens eorum certiorem fecit Imperatorem, qui paulo post navem conscendit cum uxore ac liberis; sed tempestate repulsus delatus est ad S. Antonomum; eademque nocte podagræ doloribus correptus, quæ fuit grave fugæ impedimentum.

Qui Constantinopolim advolat.

Interim Byzantium advolat novus Imperator, cumque jam pervenisset ad Hebdomum, facti sunt ei obviam Patriarcha Senatusque; mox urbem regiam ingressus insignia sumpsit Imperatoria. Biduo post curru advectus Imperatorio, venit in regiam; quinta vero die Leontiam uxorem corona imposita,

sita, Augustam pronuntiavit. Ad Phocæ adventum celebrandum edita sunt plurima spectacula. Cumque de pompa & solemni apparatu ad excipiendam Leontiam deliberaretur, de loco stationis inter Venetos & Prasinos (duæ erant factiones) orta contentione, Veneti ab æmulis male habiti clamarunt: *Adhuc vivit Mauritius*, quem Prasinis infensum sciebant. His cognitis Phocas missis militibus jussit adduci Mauricium ad Eutropii portum ubi ante oculos ejus primum interfecti sunt ejus [a] filii; patre interim hæc Davidica usurpante: *Justus es, Domine, & rectum judicium tuum*. Quin etiam cum loco natu minoris adhuc lactentis nutrix proprium filium obtulisset, Mauricius infantem prodidit. Eadem constantia mortem excepit; sicque calicem iræ Dei convertit in medicinæ poculum, quod ipsi ad peccatorum purgationem, & ad perfectam animæ salutem consequendam profuit. Constantiam Augustam cum tribus filiabus, in privatam domum Leonis dictam inclusit tyrannus, uti narrat Simocatta lib. VIII. c. 15. quas tamen elapsis paucis mensibus interfici jussas, alii referunt scriptores. Petrum Mauricii fratrem & aliquos procerum simul interfectos esse docet fragmentum de Phoca coronato; unde etiam habemus nomina quinque filiorum Imperatoris, & tempus quo ista contigerunt, scilicet Indict. VI. die 25. Novembris.

a Mauricii filios ipso necque occidi jubet. Ps. 118. Ne non Constantinam August. & tres filias. ad eadem Epistol.

Ex eodem scripto docemur venisse Romam icones Phocæ & Leontiæ Augustorum Kalendis Maii, & acclamatum esse eis in Lateranis in basilica Julii ab omni clero & Senatu. Postea jussisse S. Gregorium imagines illas reponi in oratorio S. Cæsarii Martyris intra palatium.

Non erat integrum Papæ abstinere a scribendis ad Phocam litteris, quibus ipsi gratularetur adeptum imperium. Iis qui Gregorium arguunt quod de Mauricio iniquius, de Phoca vero adulatorie locutus sit jam [b] respondimus. Sane quæ dicuntur adulationes & assentationes, potius vota sunt pro Imperatore a quo summus Pontifex optime gubernari Rempublicam optat, ut legenti palam fiet: *Lætentur*, inquit, *cæli & exultet terra, & de vestris benignis actibus universus Reipublicæ populus nunc usque vehementer afflictus hilarescat. Comprimantur jugo dominationis vestræ, superbæ mentes hostium. Releventur vestra misericordia contriti ac depressi animi subjectorum. Virtus cælestis gratiæ inimicis terribiles vos faciat, pietas subditis benignos. Quiescat felicissimis temporibus vestris universa Respublica, prolata sub causarum imagine præda pacis. Cessent testamentorum insidiæ, donationum gratiæ violenter exactæ. Redeat cunctis in rebus propriis secura possessio, ut sine timore habere se gaudeant, quæ non sunt eis fraudibus acquisita. Reformetur jam singulis sub jugo imperii pii libertas sua. Hoc namque inter Reges gentium, & Reipublicæ Imperatores distat, quod Reges gentium domini servorum sunt, Imperatores vero Reipublicæ, domini liberorum. Sed melius hæc orando quam suggerendo dicimus.* Quæ sequuntur usque ad finem Epistolæ, sunt preces quibus vir sanctus a Deo postulat auxilium gratiæ Augusto necessarium.

S. Gregorius ad Phocam scribit. Lib. XIII. Ep. 31. Ejus Epistola expenditur. b

De alia ad eumdem Epistola. Ibid. Ep. 38 & 39.

In alia ad eumdem Phocam Epistola nullæ laudes occurrunt, quæ sermonem adulatorium redoleant. In ea qua Leontiam salutavit, vota quoque nuncupat, non verbis lenocinatur, ut legendo quisque observare potest.

V. Cur S. Gregorius durius de Mauricio scripserit.

Quod spectat ad quædam in Mauricium Augustum durius a Sancto Gregorio scripta iis in Epistolis, constat hunc Imperatorem iniquiorem sese fere semper ostendisse sanctissimo Pontifici, Romæ, totique Italiæ, ut ex tot Gregorianis Epistolis liquet. De duro itaque ipsius jugo quando conqueritur (dissimulato tamen ejus nomine) scribens ad Phocam aut ad Leontiam, non injustis querelis quærit Imperatoris demortui famam obscurare. Vero propius autem videtur sancti viri propositum esse novi Imperatoris animum ad misericordiam & clementiam erga subditos inflectere. Mauricii avaritiam carpit quidem latenter, & cetera mala quæ ex hoc vitio solent oriri. At ipse Simocatta, etsi erga hunc Imperatorem indulgentior, non inficiatur ipsum avaritia laborasse, dum ait ea ratione Mauricium voluisse exercitum trajecto Istro hyemare, ut barbarorum regionem incursaret, inde comparatis alimentis victitaret, ne annonam militi præbere cogeretur; unde occasio rebellandi data, & alterius Imperatoris eligendi.

Lib. VIII. cap. II.

Bellica Mauricii virtus etsi laudetur, attamen vix ullum bellum post assumptum imperium gessit, nisi per duces. Quamvis autem quamdiu imperavit, bellandum ei fere semper fuerit, maxime contra Avares vel Abaros, vario tamen eventu & sæpe infelici pugnatum esse constat ex eodem Theophylacto Simocatta. Interea Italiam, Siciliam, Sardiniam, Dalmatiam Langobardi aliique barbari depopulabantur, Imperatore vix curante. Hoc moleste ferebat Sanctus Gregorius, unde expostulandi contra Mauricium in Epistolis ad Phocam & Leontiam data occasio.

VI. Apocrisiarium mittit ad novum Imper. Lib. XI. Ep. 47. Lib. XIII. Ep. 40.

Ut ad novum Imperatorem redeat oratio, cum nullum in palatio invenisset Ecclesiæ Romanæ Apocrisiarium, id minime gratum habuit. Anatolius hoc munere fungebatur adhuc Indict. IV. an. 601. ut patet ex Epistola ad eum scripta: quo vero tempore urbe regia excesserit, quave occasione, divinare non possumus. Gregorius excusaturus se apud Phocam, scripsit: *Quod permanere in palatio, juxta antiquam consuetudinem, apostolicæ Sedis Diaconum vestra Serenitas non invenit, non hoc meæ negligentiæ, sed gravissimæ necessitatis fuit: quia dum ministri, omnes hujus nostræ Ecclesiæ tam contrita asperaque tempora cum formidine declinarent, atque refugerent, nulli eorum poterat imponi, ut ad urbem regiam in palatio permansurus accederet. Sed postquam vestram Clementiam, omnipotentis Dei gratia disponente, ad culmen imperii pervenisse cognoverunt, ipsi quoque suadente lætitia ad vestra vestigia venire festinant, qui prius illuc accedere valde timuerant.* Postea significat ad id muneris delectum fuisse Bonifacium primum defensorum, quem ait sibi *longa assiduitate compertum, vita, fide ac moribus approbatum*, idcirco Dia-

a Alii dicunt quinque, alii tantum tres. In fragmento a nobis laudato inter occisos numeratur Theodosius qui jam Cæsar fuerat a Patre renuntiatus. Abfuisse tamen quando hæc gesta sunt vulgaris est sententia, quia missus fuerat a Mauricio ad Persarum Regem, ejus opem postulaturus: eumdemque aiunt Niceæ in Bithinia postea comprehensum capite truncatum esse. Sed Theophylactus Simocatta scriptor pene coævus, quem propterea cæteris duximus anteponendum, diserte dicit Theodosium a fuga revocatum a patre Mauricio ad mactationem adfuisse.

b In notis ad Ep. 31. lib. XIII.

conum effectum, ut hanc legationem ac provinciam obiret. Is est Bonifacius ex plurimis Gregorianis Epistolis satis notus qui postea electus est in summum Pontificem & dictus est Bonifacius tertius; at ad breve tempus Ecclesiam rexit. Quam acceptus fuerit Phocæ inde colligimus, quod Pontifex creatus obtinuerit, [a] ut Constantinopolitanus Patriarcha œcumenicum se dicere desineret.

VII. Miserabilem Italiæ statum exponit. Lib. XIII. Ep. 33.

In Epistola ad Phocam cujus lator fuit novus Apocrisiarius, miserabilem Italiæ statum deplorat: *Qualiter*, inquit, *quotidianis gladiis & quantis Langobardorum incursionibus, ecce jam per triginta quinque annorum longitudinem premimur, nullis explere suggestionis vocibus valemus.*

Sane ex Epistola ad Smaragdum Exarchum hoc anno scripta compertum habemus bellum adhuc fuisse cum Langobardis, etsi quandoque induciis paucorum dierum intermitteretur. Eadem Epistola pene persuadet Pisanos jam tunc fuisse sui juris, potuisseque pro arbitrio pacis fœdera inire aut bellum indicere. De eorum *dromonibus ad egrediendum jam paratis* ibidem S. Gregorius meminit: unde discimus eos mari fuisse præpotentes. Eosdem ad pacem cum Romanis ineundam hortatus fuerat summus Pontifex misso Legato, sed obtinere nihil potuit, quod nuntiandum putavit Exarcho.

VIII. Legati Theoderici Franc. Regis & Brunichildis ad Papam.

Paulo antea Theodoricus Francorum Rex in Burgundia, miserat Legatos ad Papam illustres viros Burgoaldum & Varmaticarium, ut eo adjutore pacem cum Imperatore ac Republica Romana facere ac stabilire posset. Laudavit ejus consilium sapientissimus pater, operamque suam ad id præstandum pollicitus est. Forsasse jam diffidebant duo fratres; Theodebertus Austrasianorum Rex, & Theodoricus, qui prudenter amicitiam Romanorum ambiebat. Favebat huic Brunichildis avia, infensa Theodeberto nepoti, qui tandem duplici prælio fusus fugatusque, a suis occisus est victoris gratiam ejus capite mercari volentibus.

Illum consuluit de Episcopo amente. Ibid. Ep. 5. Papæ responsum.

Præfati Legati jussi fuerant a Brunichilde, consulere Papam de quodam Episcopo quem capitis infirmitas administrare suum officium non sinebat. *Alienata mente* fuisse hunc Episcopum docet nos Epistola ad Etherium Lugdunensem ea de re scripta, in qua sic ad quæstionem propositam respondet: *Quia vivente Episcopo quem ab officio suo necessitas infirmitatis non crimen abducit, alium in locum ejus nisi recusante eo, nulla sinit ratio ordinari: si intervalla ægritudinis habere est solitus, ipse data petitione non se ulterius ad hoc ministerium, intellectualia nempe officia subvertente infirmitate, posse fateatur assurgere, & alium loco suo expetat ordinandum. Quo facto, omnium solemniter electione, alter qui dignus fuerit Episcopus consecretur: sic tamen ut quousque eumdem Episcopum in hoc seculo vita tenuerit, sumtus ei debiti de eadem Ecclesia ministrentur. Enimvero si nullo tempore ad sanæ redit mentis officium, persona fidelis ac vitæ probabilis est eligenda, quæ ad regimen Ecclesiæ idonea possit existere, atque ad animarum utilitatem cogitare, inquietos sub disciplinæ vinculo constringere, Ecclesiasticarum rerum curam gerere, & maturam atque efficacem se in omnibus exhibere. Qui etiam si Episcopo, qui nunc ægrotat, superstes extiterit, loco ejus debeat consecrari. Ordinationes vero Presbyterorum vel Diaconorum, seu alterius ordinis, si fieri in eadem Ecclesia causa poposcerit, Fraternitati tuæ noveris reservandum: quatenus si tuæ est diœceseos de ejus qui ad hoc eligitur vita, moribus, actuque perquiras. Et si placuerit, nec est quod in eo canonicæ districtionis judicium reprehendat, ad destinatum ordinem non aliter nisi te ordinante perveniat.*

Bigamum a sacris ordinib. arcet.

Consultus ab eadem Regina S. Gregorius de bigamo, *an ad sacrum ordinem posset accedere*, respondit id juxta canonicam regulam minime fieri debere. Postulanti autem ut privilegiis munire dignaretur monasterium S. Martini in suburbio Augustodunensi, aliud monasterium ancillarum Dei, & xenodochium quæ in eadem urbe construenda curaverat, libenter [b] annuit pius Pontifex.

IX. Petit Regina mitti Legatum in Gallias ad celebrandum Concilium.

Gratum se facturam vigilantissimo totius Ecclesiæ Pastori putavit Regina, ipsum rogando ut Legatum mitteret in Gallias, qui *facta Synodo, cuncta quæ contra sacratissimos canones perpetrabantur, posset corrigere*. Nam id ipsi maximo in voto erat, ut liquet ex tot Epistolis quas ea de re superioribus [c] annis scripserat ad eamdem Reginam, Reges, & Episcopos Galliarum quamplurimos. Itaque Gregorius actis Reginæ gratiis, respondet apto tempore se missurum aliquem qui Synodum cogeret; ejusque pia desideria se impleturum pollicitus est. Nulla tamen coacta est Synodus in Gallis quæ cleri corruptelis mederetur, nisi post annos fere triginta, civilibus bellis bonum hoc opus impedientibus.

X. Papæ sollicitudo de Eccl. disciplina in Italia. Ibid. Ep. 36. & 35. Ibid. Ep. 27 & 28.

De resarcienda in Italia ecclesiæ disciplina majorem adhuc sollicitudinem gerebat sanctissimus pater. De amovendis a Sacerdotum aliorumque Clericorum contubernio mulieribus extraneis scripsit ad Chrysantium Spoletanum Episcopum & ad plurimos alios; atque ad id Optati defensoris operam adhibuit. Præcepit Anthemio Subdiacono ut Campaniæ Episcopos convocaret, admoneretque officii sui, cujus immemores esse videbantur. Si vero postea semel admonitus negligens extiterit ac desidiosus, vult ut Romam transmittatur, distinctius puniendus. Paschasius Episcopus præ ceteris otio torpere ferebatur; unde jubet Anthemio ut eum de negligentia coram selectis testibus corripiat. Si vero desidiam non excutiat, Romam transmitti præcipit severius castigandum.

XI. Conductorum Ecclesiæ fraudibus injuste ablata restituit. Ibid. Ep. 34.

In Ecclesiæ Romanæ actoribus & conductoribus fraudes omnes non modo vindicabat sed etiam damna eorum fraudibus colonis illata resarciebat. Hinc laudavit Pantaleonem patrimonii Syracusani rectorem, quod fregisset modium, quo coloni frumenta dare compellebantur, quia debitam mensuram excedebat; jussitque pecuniam ex injusto modio perceptam colonis pauperibus secreto distribui.

XII. Ejus in facienda eleemosyna studium. Ibid. Ep. 19.

Certe quam alienus esset ab invadendis pauperum bonis, probat ejus studium incredibile in facienda eleemosyna. Sic expostulat cum Juliano viro illustri ob dissimulatam ex verecundia inopiam: *Certum est*, inquit, *quia minus amatur qui adhuc erubescitur. Atque omnimodo contristatus sum, quia me a vobis comperi minus quam æstimaverim amari. In hoc autem valde me continetis, si mercedis causas*

a Vide quæ diximus supra lib. III. c. 11 n. 16.
b Extant hæc privilegia in Epp. 8. 9. 10.
c Maxime anno Pontificatus sui nono.

ſas mihi aſſidue providendas ſtudioſe requiritis. Nec vobis debet eſſe verecundia ei aliquid de eleemoſynis importune dicere, quem conſtat non res ſuas, ſed ad diſpenſandum, res pauperum habere. De cauſis itaque mercedis apud Episcopum libere agere debuiſtis, etiamſi meum animum qualis in amore veſtro exiſteret neſciretis. Poſtquam enim & nos omnino Gloriam veſtram diligimus, & diſpenſatoris locum in rebus, ſicut ſcitis, pauperum tenemus; veſtra, fateor, verecundia valde accuſabilis fuit. Quam ideo tot verbis increpando inſequor, ut hanc a corde veſtro funditus repellam. Ex Epiſtola ad Pantaleonem diſcimus patrimoniorum rectores apud ſacratiſſimum corpus beati Petri jusiurandum olim præbuiſſe.

Cum propria auctoritate Imperatoris miniſtros privatorum bonis, utilitatis publicæ nomine, inſidiantes coercere non poſſet, de eorum malis artibus & rapinis certiorem fieri Auguſtum curabat. Hoc anno admonuit Ruſticianam patriciam veniſſe Romam quemdam *Beatorem*, qui ſe Comitem privatarum dicebat, & multa inique agebat, maxime adverſus ipſam & ejus neptes, ſcilicet [a] Antoninam & Barbaram Venantii filias, de quibus alibi. a

XIII. Urbicus Abbas eligitur in Panormitanum Epiſcopum. Cur hanc electionem reſpuerit S. Gregorius.

Hoc anno mortuo Victore Panormitano Epiſcopo, Venantius Patricius Panormitanus, alius a Syracuſano exmonacho, de cujus morte jam diximus, Urbicum Abbatem monaſterii S. Hermetis curavit eligi in hujus urbis Epiſcopum. Laudavit hanc electionem S. Gregorius, quod Urbicum noſſet *vigilantem, ſollicitum, & divinæ Scripturæ ſcientia, quod maxime in Sacerdotibus eligendum eſt, inſtitutam*. Quietem tamen hujus Abbatis turbare noluit Papa, *ne eum ad altiora producendo, minorem ſeipſo fieri miſſum in fluctibus compelleret*. [b] Urbicus erat quaſi Præfectus aut Præpoſitus generalis omnium monaſteriorum in Sicilia, ut jam obſervavimus; quod fortaſſe in cauſa fuit ut eum a tali præfectura, ut fieret Epiſcopus, amoveri non ſit paſſus Gregorius. Panormitanam Sedem obtinuit Johannes, quem S. Gregorius monuit de reditibus Eccleſiæ quartam in integro portionem ſuo clero tribuere, & tabularium inſtituere qui ſingulis Clericis debita diſtribueret juxta tabulam ſeu matriculam. Eidem, eximia præbet præcepta ad optimam Eccleſiæ gubernationem. Ad Johannem Pallium jam paulo antea fuerat miſſum. In Epiſtola qua ſanctiſſimus Pontifex recens ordinatum Epiſcopum jure utendi Pallio donavit, ait eum ſpeculatoris Eccleſiæ Panormitanæ officium ſuſcepiſſe; nomen Epiſcopi probe interpretatus.

b Ibid. Ep. 44.

Lib. XIII. Ep. 37.

XIV. Scribit contra nuper exortos Romæ errores.

Certe ſpeculatorem indefeſſum ac vigilantiſſimum ſeſe probabat ipſe Gregorius, aſſidue excubans, licet graviſſimis morbis decumberet, ut a grege ſuo, quidquid immineret mali arceret. Unde cum intellexiſſet quoſdam in ipſa urbe Roma perverſi ſpiritus homines die Sabbati aliquid operari prohibere, ad cives Romanos ſcripſit, Judaicum hunc errorem explodens, cujus auctores Antichriſti prædicatores appellat, *qui veniens*, inquit, *diem Sabbatum atque Dominicum ab omni faciet opere cuſtodiri*. Iidem, aut alii *perverſi homines*, prædicabant, Dominico die nullum debere lavari. *Et quidem*, inquit, *ſi pro luxu animi atque voluptate quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. Si autem pro neceſſitate corporis, hoc nec Dominicorum die prohibemus.*

[a] Ita auguratur Baronius.
[b] Vide Mabillon. Annal. Bened. lib. 8. n. 35. & 59.

CAPUT VIII.

An. 603. & 604. Indict. VI. & VII.

I. S. Gregorius mittit defenſorem in Hiſpaniam, ut judex ſit cauſarum Epiſcop. Judicium Johannis defenſoris. II. Eidem injungit Papa viſitationem monaſterii inſulæ Caprariæ. Ejuſdem pro aliis monaſteriis ſollicitudo. III. Quid ſtatuerit de Epiſcopo Miſſæ ſacrificium ob infirmitatem intermittente. IV. Pro pace inter Epiſcopos concilianda quam fuerit ſollicitus. V. S. Gregorii ad Theodelindam Reginam Epiſtola & munuſcula. VI. Ultimi S. Gregorii labores pro Eccleſia. Quid conſulenti Epiſcopo Meſſanenſi reſponderit. VII. Conſilia ab ipſo amicis data. Ejus obitus. Sepultura. Sacer cultus. Tranſlationes.

I. S. Gregorius mittit defenſorem in Hiſpaniam, ut judex ſit cauſarum Epiſc. Lib. XIII. Ep. 45. & duæ ſequuntur uſque ad Ep. 46.

EX editiſſima Eccleſiæ ſpecula S. Gregorius conſpiciens turbatas Hiſpaniarum Eccleſias, ob injuſtam Presbyteri & quorumdam Epiſcoporum dejectionem, eo miſit Johannem defenſorem, qui auctoritate ſibi a ſummo Pontifice delegata judex ſedit inter Presbyteros Epiſcopoſque vim paſſos, & alios qui aut ipſos injuſte dejecerant, aut eorum Sedem invaſerant, aut eorum invaſores ordinarant; necnon inter glorioſum Comitiolum Bæticæ, ut par eſt credere, Præfectum, quo præſertim auctore tanta mala hac in provincia perpetrata ſunt. Johannis defenſoris legationi occaſionem dedit Januarii Malacitani Epiſcopi *petitio* ſeu libellus ſupplex Papæ oblatus, quo querebatur unum e ſuis Presbyteris ab officio ſuo amotum, & in exilium deportatum fuiſſe. In eodem haud dubie libello de ſimili quoque pœna ſibi inflicta conqueſtus eſt Januarius. Alius incerti loci Epiſcopus nomine Stephanus cum Januario depoſitus & in exilium ejectus, ad ſanctam quoque Sedem appellaverat. Ut in his Epiſcoporum & Presbyterorum cauſis recte ſententiam ferret Johannes, dedit ipſi Papa duplex capitulare ſeu commonitorium, quorum unum præſcribit, quidquid facto opus ſit in his litibus tum inſtruendis tum judicandis; alterum continet leges Imperiales de Clericorum immunitate. In ſententia Johannis defenſoris, quem omnes partes pro legitimo ſuo judice agnoverunt, nulla fit mentio Stephani Epiſcopi & Presbyteri Malacitani, ſed tantum Januarii Epiſcopi hujus urbis, qui hoc ſolemni judicio fuit Eccleſiæ ſuæ reſtitutus: *Nullam*, inquit Johannes, *in antedicto Januario culpam quæ exilio vel depoſitione digna eſſet puniri, ſed magis illum ejectum de Eccleſia violenter inveni*. Et

Judicium Johannis defenſoris.

quamquam hujusmodi temeritatem legum censura districtissime feriat; ego tamen legum vigorem sacerdotali moderatione temperans, mediis sacrosanctis Evangeliis, quibus præsentibus ab initio in hoc cognitor resedi judicio, ea quæ contra eum statuta sunt, licet jure non teneant, nec alicujus sint momenti, injusta tamen & infirma esse pronuntio, atque illos & illos memoratos Episcopos, qui postposita consideratione sacerdotali, in fratris sui præjudicium atque condemnationem injuste & contra Dei timorem versati sunt, condemnans, in monasterio recipiendos ad agendam in tempus pœnitentiam statuo atque decerno: Illum vero qui locum antedicti sanctissimi Januarii contra sacrorum canonum statuta nequiter præsumpsit invadere condemnans, privari sacerdotio & ab omni Ecclesiastico ordine removeri statuo: ut & hoc quod male est adeptus amittat, nec ad officium quod ante indigne gesserat, revertatur. Sæpedictum autem sanctissimum Januarium Episcopum absolutum loco suo in episcopatus gradu Deo auctore reverti.

II. Eidem injunxit Papa visitationem monasterii insulæ Capraria. *Ibid. Ep.* 46. Eiusdem pro aliis monasteriis sollicitudo. *Lib.* x, v. *Ep.* 6.

Eidem defensori S. Gregorius in mandatis dedit, monasterium Capricanæ, seu Caprariæ insulæ prope Majoricam visitaret, & Monachorum corruptos mores emendaret. Nam ita perverse agere dicebantur; ut non Deo sed antiquo potius hosti se militare ostenderent. Sic studium suum pro conservanda aut resarcienda monastica disciplina ubique demonstrabat sanctissimus Pater. Anno ejus pontificatus decimo-quarto ineunte, ipsi curæ fuit providere monasterio sanctorum Laurentii, & Zenonis in Cæsanati castro, quod Concordius hujus loci Episcopus turbarat injusta Fortunati Abbatis depositione. Ab ejus antecessore Natali Cæsenæ Episcopo Fortunatus ordinatus fuerat Abbas hujus monasterii; Et si nulla existente causa novus Episcopus eum ab hoc amoverat officio, aliumque instituerat Abbatem. Fortunatus de sua dejectione querelam ad summum detulit Pontificem, qui, quamvis ex ipso Concordii Diacono Abbatem injuste spoliatum cognovisset, de hoc negotio tamen Marinianum Ravennatem Archiepiscopum voluit inquirere, *quia*, inquit, *certior in partibus ubi res acta est, potest esse probatio*. Et si nulla manifesta causa depositionis extitisset, jussit Fortunatum in pristinum gradum restitui, increparique Episcopum, qui decessoris sui, nullis provocatus excessibus, destruere ordinationem molitus sit.

Ibid. Ep. 3.

De quibusdam Abbatibus Monasteriorum Sardiniæ scripsit eodem fere tempore S. Gregorius ad Vitalem hujus insulæ defensorem, eos qui cum adhuc *in monachico & minori essent ordine*, lapsi fuerant, Abbatis officium suscipere minime debuisse, *nisi omnino correcta vita & digna præcedente pœnitentia*: sed quia jam Abbates facti erant, voluit sapientissimus Pater ut de eorum vita, moribus ac sollicitudine curam gereret Vitalis. Et si actus eorum inventi contra officium non fuissent, in accepto perseverarent ordine & officio. *Alioquin remotis*, inquit, *eis alii qui commissis sibi animabus prodesse valeant ordinentur*.

III. Quid statuerit de Episcopo Missæ sacrificium ob infirmitatem intermittente.

In epistola ad Vitalem ea de re scripta respondet S. Gregorius quæstioni propositæ de Januario Caralitano Archiepiscopo, qui *tempore quo sacrificium celebrabat, tantam frequenter angustiam patiebatur, ut vix post longa intervalla ad locum canonis redire valeret*. Inde multis offensionis data occasio, itaut dubitarent, *si communionem de ejus consecratione deberent percipere; sed admonendi sunt*, inquit sanctus Doctor, *ut nullatenus pertimescant, sed cum omni fide & securitate communicent; quia ægritudo personæ sacri mysterii benedictionem nec mutat nec polluit*. Voluit nihilominus a Vitali suggeri Januario, ut quoties aliquam sentiret molestiam, *non procederet*; ne ex hoc & se despicabilem præberet, & infirmorum animis generaret scandalum.

Infirma Januarii valetudo in provecta ætate, magna Ecclesiis, xenodochiis, & monasteriis damna intulerat in Sardinia. Xenodochiorum curam habere Ecclesiæ Caralitanæ œconomum & Archipresbyterum jussit Papa, de neglectu, si quis deinceps esset, pœnas daturos.

IV. Pro pace inter Episcopos quam fuerit sollicitus. *Lib.* xiv. *Ep.* 8.

Gregorii sollicitudinem pro tota Ecclesia, neque ingravescens ætas, neque assidui acrioresque in dies morbi qui mortem prænuntiabant, proximam, potuerunt imminuere; maxime cum de pace restituenda inter Episcopos agebatur. Quod ipse significat in Epistola hoc anno scripta: *Quoties*, inquit, *nos eorum discordia tristes facit, qui pacis prædicatores esse debuerant, magna sollicitudine studendum est, ut litigii ablata materia, ad concordiam redeant, qui diversa ab invicem voluntate discordant*. Hæc ait occasione litis inter Alcysonem Corcyræ, & Johannem Euriæ in Epiro Episcopum, qui ex hac urbe fugere coactus a Barbaris una cum clero, ablatoque secum sancti [a] Donati corpore in Cassiopi castro sacras illas reliquias deposuerat, sibique ac suis Clericis sedem fixerat, annuente Alcysone Corcyræo Episcopo ad cujus diœcesim pertinebat castrum.

De lite inter Johannem Euriæ, & Alcysonem Corcyræ Episcopum. *Lib.* xiv. *Ep.* 7.

At *contra Ecclesiasticam ordinationem, contra Sacerdotalem modestiam, contra sacrorum Canonum statuta, prædictum castrum de jurisdictione Alcysonis abducere, ac suæ molitus est potestati subjicere: ut fierent quodammodo Domini, ubi prius suscepti fuerant peregrini*. De ingrato Episcopi animo, injustaque castri usurpatione expostulavit Alcyson tum apud Imperatorem, tum apud Andream Nicopolitanum Episcopum utriusque Metropolitam, qui tum ex officio, tum ex Principis præcepto lata sententia, decrevit Cassiopi castrum sub jurisdictione Corcyritanæ Ecclesiæ *debere persistere*. Metropolitani sententiam comprobavit Papa. Et quamvis *districtionem contra se non modicam* hujus litigii culpa videretur exigere, propter quod mala pro bonis sunt reddita: *studendum est*, inquit clementissimus Pater, *ut excessu benignitas non vincatur, nec illud quod extraneis debetur, fratribus etiam necessitatem patientibus denegetur . . . . . oportet ergo ut Sacerdotes vel clerus Euriæ civitatis ab antefati Cassiopi castri habitatione nullatenus repellantur, sed & beati Donati sanctum ac venerabile corpus, quod secum detulerunt, in una Ecclesiarum antedicti loci quam elegerint, sive intus, sive foris habeant recondendi debita cum veneratione licentiam. Sic tamen ut Dilectioni tuæ in cujus parochia castrum ipsum est positum, emissa procuretur cautione munitio, per quam promittat Episcopus Euriæ nullam sibi in eo potestatem, nullum privilegium fore, nullam jurisdictionem, nullam tamquam Cardinalis Episcopus ulterius auctoritatem defendere: sed pace Deo propitio reddita, ablato vene-*

[a] A quo hæc urbs nomen accepit, vocaturque etiam nunc *San-Donato*.

venerabili sancti Donati, si maluerint, corpore, ad propria se modis omnibus reversuros.

Huic judicio non statim acquievit Episcopus Euriæ, sed ab Imperatore subreptitiam obtinuit jussionem, qua in castrum Cassiopi omnem sibi vendicabat potestatem. Id ægre tulit S. Gregorius; ne tamen contra Augusti præceptum aut in despectum ipsius aliquid facere videretur, nulli partium data ex juris formulis sententia; satis habuit eum admonere Bonifacii Legati sui opera, de jussionis ab ipso surreptæ iniquitate, rogareque ut contrariam daret, qua Metropolitæ judicium a sancta Sede ratum habitum confirmaretur. Resipuisse Euriæ Episcopum nos docet scripta ad Alcysonem Epistola. Nam *capitulare* obtulit quo supplex petebat a Corcyritano Antistite, ut in Ecclesia S. Johannis intra castrum Cassiopi posita, licentia recondendi corporis beati Donati sibi daretur; paratumque se asserebat ad *emittendam munitionem*, qua locum hunc Corcyritanæ diœcesi esse ultro agnosceret, nullumque sibi jus in illum unquam vendicaturum polliceretur. Alcysonem hortatus est Papa ut accepta cautione postulata concederet, sponderetque cum Episcopo Euriæ tum ejus Clericis, restituta pace, cum ad propriam redire liceret Ecclesiam; ipsos auferendi secum corpus sancti Donati *fas* habituros.

Ibid. Ep. 8. — Summa S. Gregorii prudentia in hac causa. — Ibid. Ep. 13.

V. S. Gregorii ad Theodelindam Reginam Epistola & munuscula. — Ibid. Ep. 10.

Euriæ Episcopum ad propriam Ecclesiam deserendam coactum esse a Sclavis aut Avaribus suspicamur, non vero a Langobardis, cum quibus nullum tunc fuisse bellum conjicimus ex litteris & munusculis a S. Gregorio ad Theodelindam Reginam hoc anno missis. Ipsa scripserat summo Pontifici, ut eum sui gaudii participem efficeret ob Adaloaldum filium in lucem editum, quem in fide Catholica baptizari curaverat, licet Agilulfus Rex ejus pater nondum Arianismum ejurasset. Regio puero ejusque sorori Papa misit sacra quædam dona & alia munuscula, de quibus legenda Epistola ad Reginam scripta. Ipsam rogavit ut suo nomine Regi conjugi de facta pace gratias agere dignaretur, atque ejus animum, sicut consueverat, ad pacem de futuro provocaret.

In eadem Epistola, cum rogatus esset a Theodelinda respondere scripto Secundini Abbatis pro tribus capitulis decertantis, excusatum se haberi postulat ob *infirmitatem*, cujus testes fuerant Reginæ Legati; quandoquidem ipsum discedentes in summo vitæ periculo ac discrimine reliquerant.

VI. Ususmi S. Gregorii labores pro Ecclesia. — Ibid. Ep. 14. — Ibid. Ep. 17. — a — Quid consulenti Episcopo Messanensi respondeat.

Neque tamen pro Ecclesia sollicitudinem gerere intermisit. Nam eodem tempore, cum vacasset Pastore Anconitana Ecclesia, de ordinando Episcopo qui dignus esset diu deliberavit, animi dotes, virtutes, mores trium qui electi fuerant explorans; & ad plurima quæsita Felicis Messanensis Episcopi amplissime respondit, scilicet de consanguinitatis gradibus intra quos nubere licet, de vexatione quam Episcopi patiebantur a laicis sibi subditis, & de Ecclesiis de quarum dedicatione dubitabatur. Ad primum dicit, ea quæ indulsit, [a] Anglis neophytis, nimirum ut matrimonium in gradibus prohibitis contrahere possent, non esse omnibus a se concessa; imo nec ipsismet Anglis nisi ad tempus, videlicet donec in eis coalesceret religio Christiana. Ad secundum quæsitum respondet: *Si David Regum justissimus in Saul, quem constabat jam a Domino reprobatum esse, manum mittere non præsumsit: quanto magis cavendum est ne manum detractionis aut vituperationis, sive indiscretionis aut dehonorationis, quidam mittant in unctum Domini, vel in prædicatores sanctæ Ecclesiæ? quia eorum vexatio sive detractio ad Christum pertinet, cujus vice in Ecclesia legatione funguntur. Unde summopere cavendum est omnibus fidelibus, ne clanculo aut publice Episcopum suum, id est unctum Domini, detractionibus aut vituperationibus dilanient.* Ad tertiam vero interrogationem ait: *De dedicationum vero Ecclesiarum dubitatione, super qua inter cetera nos consulere voluistis, hoc vos rite tenere debetis, quod ab antecessoribus nostris traditum accepimus: id est, ut quoties tam de baptismo aliquorum vel confirmatione, quam de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, & nec scriptis, nec testibus ratio certa habetur utrum baptizati, vel confirmati, sive Ecclesiæ consecratæ sint: ut baptizentur tales ac confirmentur, atque Ecclesiæ canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum.*

VII. Consilia ab ipso amicis data. — Ibid. Ep. 1.

His responsis totam informare Ecclesiam curabat sanctissimus Doctor, nec ab admonendis privatim amicis, ubi e re Ecclesiæ esse videbatur, cessabat. Gratulatus est Paulo Scholastico, tum de ipsius sollicitudine in coercendis puniendisque maleficis, tum de ejus cum Leone Catanensi Episcopo reconciliatione; & utrumque hortatus est ad diligendam pacem, fovendamque caritatem; quatenus reciprocum affectum, quasi mutuum aliquod fœneratores, semper ab invicem possent exigere.

Ibid. Ep. 20. — Ibid. Ep. 15.

Audiens abductam a quodam milite ancillam Dei, de tanto facinore puniendo scripsit ad Guduinum Neapolitanum Ducem in hæc verba: *Cum inter multa bona quæ nobis de Magnitudine vestra sæpius nuntiantur, illud in vobis plus laudabile dicatur existere, quod castitatem diligitis, & disciplinam, sicut dignum est, custoditis: satis mirati sumus quod in milite illo qui ancillam Dei diabolica instigatione perdiderit, districtissima hactenus vindicta facta non fuerit. Nam & moribus & bonitati vestræ valde conveniens fuit, ut ante ad nos ultio quam perpetratæ culpæ iniquitas perveniret*, &c. Pro Exarcho sollicitus, cum sciret eum ex linguæ incontinentia ea sæpe loqui *quæ omnes qui illum amabant, ad inimicitias illius valerent provocare*, ad quemdam ejus familiarem scripsit ut ea de re amicum commonere studeret.

VIII. Ejus obitus. — b — Sepultura. Lib. IV. c. 68.

His assiduis laboribus non minus quam continuis morbis absumtus Gregorius, tandem ad optatam quietem transivit IV. Idus Martias anno Phocæ Imperatoris secundo [b] Indict. VII. Christi anno 604. & sepultus est in extrema porticu basilicæ beati Petri Apostoli ante vetus secretarium. De his ac de ejus epitaphio legendus Johannes Diaconus, qui ait venerabile ejus corpus a Gregorio IV. Papa tran-

a Vide lib. XI. Ep. 64.

b Ejus tamen obitum Beda consignat Indict. VIII. quem secutus est Paulus Diaconus in Historia Langob. at uterque fallitur, ut probat Baron. ad hunc an.

Ibid. c. 20. Sacerdotum. translatum ante novellum secretarium constructis absidibus sub altari sui nominis collocatum, ubi ejus anniversaria solemnitas cunctis certatim pernoctantibus celebrabatur. Honores ei sacri ab Anglicana Ecclesia decreti sunt in Concilio Cloveshoviæ an. 747. can. 17. *Ut dies natalitius beati Papæ Gregorii, & dies quoque depositionis S. Augustini Archiep. ab omnibus, sicut decet, honorifice venerentur; itaut uterque dies ab Ecclesiasticis & Monasterialibus feriatus habeatur.* Non a solis Latinis coli meruit vir sanctissimus, sed etiam a Græcis, quorum menologio sacrum ejus nomen inscribitur ad diem xi. Martii, cum amplissimo encomio quod refert Bollandus.

Translationes. Saeculo iv. Bened. par. 3. p. 383. Bolland. die xii Mart. Joan. Diac. iv. c. 84. De translatione sacrarum reliquiarum S. Gregorii in celeberrimum S. Medardi cœnobium legendi Mabillonius & Bollandus, qui agit etiam de translato ejusdem sancti capite ad monasterium S. Petri vivi apud Senonas, circa an. 876. ex dono Johannis Papæ, favente Carolo Calvo Francorum Rege & Imperatore, postulanteque Ansegiso Senonensium Archiepiscopo.

Staturam sancti Pontificis, vultus lineamenta, capillamentum, barbam, & quæcumque ad formam spectant, satis accurate depingit Johannes Diaconus. At præstantissimi animi statum, flagrantissimum amorem in Deum, immensam erga proximum caritatem, demississimam humilitatem, fortitudinem infractam in adversis, modestiam, temperantiam, vigilantiam, prudentiam ceterasque virtutes quæ Gregorium nostrum certatim ornaverunt, quis describere valeat? Ut enim cum S. Hildefonso loquar, *Lib. de viris illustr. c. 1.* VICIT SANCTITATE ANTONIUM, ELOQUENTIA CYPRIANUM, SAPIENTIA AUGUSTINUM.



IN-

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS,

Ejus historiam ab ortu ad summum Pontificatum complectens.

LIBER SECUNDUS,

Quatuor priores Pontificatus S. Gregorii anno complectens.

LIBER TERTIUS.

Complectens historiam Pontificatus S. Gregorii ab annis 594. & 595. ad annos 598. & 599. seu ab Indictione 13. ad Indict. 2.

Ca-

LIBER QUARTUS.

Quidquid superest historiæ vitæque S. Gregorii exhibens.

IMA-

IMAGINES
BEATI GREGORII MAGNI
EJUSQUE PARENTUM,

a Johanne Diacono descriptæ lib. iv. in ejusdem Sancti Vita, Cap. lxxxiij.
& lxxxiv. & ab Angelos Rocca apostolici sacrarii Præfecto notis illustratæ.

De imagine B. Gregorii, *Cap.* lxxxiv. A

a IN[a] absidicula Gregorius in rota gypsea pictus
ostenditur, statura juxta & bene formata, fa-
cia de paternę faciei longitudine, & materna ro-
tunditate, ita medie temperata, ut cum rotundi-
tate quadam decentissime videatur esse deducta: bar-
ba paterno more subfulva, & modica: ita cal-
vaster, ut in medio fronte gemellos cincinnos ra-
rusculos habeat; & dextrorsum reflexos: corona
rotunda, & spatiosa, capillo subnigro & decen-
ter intorto, sub auriculę medium propendente:
fronte speciosa, elatis & longis, sed exilibus su-
* al. fulvis. porciliis: oculis pupilla * fulvis, non quidem ma-
b gnis, sed patulis, [b] subocularius plenis: naso
a radice vergentium superciliorum subtiliter di- B
recto, circa medium latiore; deinde paululum re-
curro, & in extremo patulis naribus pręminente:
ore rubeo, crassis & subdividuis labiis, genis
compositis, mento a confinio maxillarum decibi-
* al. virido. liter prominente: colore [c] aquilino, & * livido,
c nondum, sicut ei postea contigit, cardiaco: vul-
tu mitis, manibus pulchris, teretibus digitis, &
habilibus ad scribendum. Prętérea planeta super
dalmaticam castanea, Evangelium in sinistra, mo-
d dus crucis in dextra: [d] Pallio mediocri a dextro
videlicet humero sub pectore super stomachum
circulatim deducto: deinde sursum per sinistrum
humerum post targum deposito, cujus pars altera
super eumdem humerum veniens propria rectitu-
dine, non per medium corporis, sed ex latere C
e pendet: circa verticem vero [e] tabulę similitudi-
nem, quod viventis insigne est, pręferens, non
coronam. Ex quo manifestissime declaratur, quia
Gregorius, dum adhuc vivaret, suam similitudi-
nem depingi salubriter voluit: in qua posset a suis
Monachis, non pro elationis gloria, sed pro co-
gnitę [f] districtionis cautela frequentius intueri.
Ubi hujusmodi distichon ipse dictavit:

Christe potens, Domine, nostri largitor honoris,
Indultum officium solita pietate guberna.

A *De imagine Gordiani.* *Cap.* lxxxiij.

In venerabilis[g] Monasterii atrio jussu Gregorii g
juxta Nymphium duæ iconæ veterrimæ artifi-
cialiter depictæ usque hactenus videntur. In qua-
rum altera beatus Petrus Apostolus sedens cons-
picitur, stantem Gordianum [h] Regionarium, vi- h
delicet patrem Gregorii, manu dextera per dex-
teram nihilominus suscepisse. Cujus Gordiani
habitus castanei coloris planeta est; sub plane- i
ta dalmatica, in pedibus [i] caligas habens, sta-
tura longa, facies deducta, virides oculi, barba
modica, capilli condensi, vultus graves.

De imagine Silviæ, eodem Cap.

B In altera icona mater Gregorii sedens depicta
est Silvia, candido velamine a dextro humero ta-
liter contra sinistram revoluto contecta, ut sub
ao manus tamquam de planeta subducat, & circa
pectus sub gula inferior tunica [k] pseudolactini k
coloris appareat, quę magno sinuamine super pe-
des defluat: duabus [l] zonis ad similitudinem dal- l
maticarum, sed latioribus, omnino distincta: sta-
tura plena, facies rotunda quidem & candida,
sed senio jam rugosa, quam ipsa quoque senectus
pulcherrimam fuisse significat: oculis glaucis &
grandibus, superciliis modicis, labellis venustis,
vultu hilaris, ferens in capite matronalem [m] mi- m
tram candentis brandei raritata niblatam, duobus
C dexterę digitis signaculo crucis se munire velle
prętendens: in sinistra vero patens Psalterium re-
tinens, in quo hoc scriptum est: *Vivit anima mea,*
& laudabit te, & judicia tua adjuvabunt me. A
dextero vero cubito usque ad sinistrum circa sca-
pulas, versus ascendens reflectitur, qui ita se ha-
bet: *Gregorius Silviæ matri fecit.*

Diaconi, omnisque Ravennæ clerus: a quo judicatum, [a] ut ea quæ de Ecclesię suę, vel de acquisitis in episcopatus rebus contra legum statuta testamento sancivisset, hæc irrita censerentur; *Si quid autem de propriis rebus quas ante episcopatum habuit, quod quidem prius Ecclesiæ suæ non contulit, fieri voluit vel decrevit, firmum per omnia robur obtinere necesse est*, inquit æquissimus Pontifex. Idem iterato postea decrevit, (L. XI. Ep. 20.) jussitque insuper Scholastico Defensori, ut a vestibus & a quibuslibet inventis in domo patris ejus Episcopi nuper demortui prorsus abstineret: volebat enim omnia quę Episcoporum aliorumque Clericorum parsimonia pauperibus fortasse substraxerat, eisdem postmodum cedere, egenorum vere pater.

II. Ejus misericordia præsertim in redimendis captivis.

Cum sciebat Episcoporum reditus ad pauperes alendos minime posse sufficere, libentissime quæ satis essent eis suppeditabat. Legenda Epistola ad Cyprianum, qua præcipit ut ex Ecclesiæ patrimonio quod regebat, usque ad duo modiorum millia, si tot collegerit, Zenoni det Episcopo egenis distribuenda. Largum se presertim ostendebat in redimendis captivis, cui pio operi (Lib. VI Ep. 4.) strenue incumbere jubebat, quos Ecclesiæ negotiis præfecisset. [b] Ita scribit ad Anthemium Subdiaconum Campaniæ patrimonium curantem: (Ibid. Ep. 35.) *Quantus dolor, quantaque sit nostro cordi afflictio de his, quæ in partibus Campaniæ contingerunt, dicere non possumus: sed ex calamitatis magnitudine potes ipse colligere. Ea de re pro remedio captivorum qui tenti sunt, solidos Experientiæ tuæ per horum portitorem Stephanum virum magnificum transmisimus, admonentes ut omnino debeas esse sollicitus, ac strenue peragas, & liberos homines, quos ad redemtionem suam sufficere non posse cognoscis, tu eos festines redimere. Qui vero servi fuerint, & dominos eorum ita pauperes esse compereris, ut eos redimere non assurgant, & hos quoque comparare non desinas.* Hoc etiam anno Crotona ad mare Adriaticum jacens, a Langobardis (Lib VII. Ep. 26.) capta est; *& multi viri ac multæ mulieres nobiles in prædam ductæ sunt; & filii a parentibus, parentes a filiis, & conjuges a conjugibus divisi*; quibus in libertatem restituendis, & propriam, & ab aliis oblatam pecuniam impendit piissimus pater.

III. Hujus redemtionis gratia distrahi vasa sacra laudat.

Pro redimendis captivis vasa sacra distrahi non solum permittebat, sed laudabat; ut ex plurimis ejus Epistolis liquet. Fortunatus Fanensis Episcopus copiam petierat eam vendendi, ut mutuam pecuniam quam captivorum redemtioni impenderat, solveret, cum alias solvendo non foret; cui rescripsit: (Lib. VII. Ep. 13.) *Quia Fraternitate vestra indicante comperimus ad redemtionem captivorum mutuam se fecisse pecuniam, & eam unde solveret non habere, atque ob hoc cum nostra vos auctoritate sacrata velle vasa distrahere: in hac re, quia & legum & canonum decreta consentiunt; nostrum consensum præbere curavimus, & in distrahendis sacratis vasis vobis licentiam indulgemus.* Hic annuit; at in alia precipit, ad Donum Messanensem Episcopum scribens: (Ibid. Ep. 8.) *Fraternitas vestra debet esse sollicita, ut si quidem de prædicta Ecclesia usuale argentum est, suprascriptam quantitatem accipiat: alioquin de sacratis vos vasis hac in re eam quam prædiximus quantitatem præbere necesse est. Nam sicut omnino grave est frustra ecclesiastica ministeria venumdare, sic iterum culpa est, imminente hujusmodi necessitate, res maxime desolatæ Ecclesiæ captivis suis præponere, & in eorum redemtione cessare.* (Lib. VI. Ep. 13.)

IV. Curtidem Ecclesiæ famulos libertate donat.

Eadem pietate ac munificentia quandoque Ecclesiæ Romanæ famulos de ipsa bene meritos libertate donabat, & cives Romanos efficiebat, concesso ipsis omni peculio, additis etiam donis. Hujusmodi manumissionis exemplum & formulam habes in Epistola ad Montanam & Thomam scripta. (Lib. VI Ep. 12.) Solemniter ab Episcopis in Ecclesia celebrari manumissiones alibi nos docet, ad Paulum Episcopum scribens. (Lib. II Ep. 10.)

V. Schismaticorum et hereticorum sustentationi providet.

Misericordiam Gregorii prę ceteris experiebantur, qui a schismate aut ab heresi ad Ecclesiam reversi, suos Gentiles adhuc in perduellione pertinacius herentes patiebantur adversarios. Hanc sanctissimi & sapientissimi Pontificis liberalitatem imitatus Ludovicus Magnus Francorum Rex Christianissimus, annuis pensionibus fovere curavit erroris Calviniani sectatores, ad Ecclesiæ sinum reversos; ut in pię matris gremio eadem saltem vitę necessaria nanciscerentur, quę noverca heresis prius abunde suppeditabat. (Ibid. Ep. 39. & 47.)

VI. Quæ tunc essent Ecclesię Romanæ opes, & patrimonia.

Cum multoties jam de effusa in omnes S. Gregorii liberalitate verba fecerimus, operæ pretium est paucis ostendere quæ tunc essent Ecclesiæ Romanę opes, unde ad sumtus tantos & pene immensos hauriret. Multa & maxima jam a priscis temporibus latifundia possidebat in toto orbe Christiano Ecclesia hec ceterarum princeps, quę S. Petri patrimonia vocabantur. Nota sunt ex sancti Pontificis Epistolis Africanum; Siculum multiplex, ut ex Epist. 44. lib. I. & ex plurimis ad Sicilię defensores & rectores missis, quas in indice geographico sub Sicilię titulo collegimus, manifestum est; Corsicum, Dalmaticum, Gallicanum. De iis quę intra Italiam, in Campania presertim Ecclesia Romana possidebat loqui foret supervacaneum. Amplissimas possessiones a Constantino Magno concessas auguramur, cujus in ditandis Ecclesiis munificentiam presertim laudat Eusebius in ejus vita. (Lib. I. Ep. 75. Lib. II. Ep. 72. Lib. IX. Ep. 18. Lib. VI. Ep. 22. L. III. Ep. 22. Ibid. Ep. 31. Lib. I. Ep. 55 & 65. Lib. IV. c. 28.)

Plurimæ urbes ejus dominio subditæ.

Nepesinam civitatem in Etruria juri Romani Pontificis subditam fuisseconjicimus ex Ep. 11. libri secundi, qua *Leontio viro clarissimo curam sollicitudinemque civitatis injunctam a se fuisse* significat, *ut in cunctis invigilans, quæ ad utilitatem civium, vel Reipublicæ pertinere dignoscet*, ipse disponat. Eadem Epistola clerum, ordinem Senatorium, & plebem urbis hujus admonet, ut a se constituto Præfecto in omnibus obedientiam exhibeant: *Quia quisquis*, inquit, *incongrue ordinationi ejus restiterit, nostræ resultare dispositioni cognoscetur. Quicumque vero eum in iis, quæ supra retulimus, audierit, nos audiet. Si quis autem, quod non credimus, eum post hanc admonitionem nostram contemnendum putaverit; ad suum proculdubio sciat pertinere periculum.* Qua auctoritate & potestate Gregorius, tum Leontio viro clarissimo custodiam Nepesinę urbis demandasset, tum civibus ut ipsi obsequerentur, additis etiam minis precepisset, nisi juris fuisset Ecclesię? Ad eamdem pertinuisse Hydruntum & Callipolitanum castrum aliunde colligitur. (Lib. IX. Epp. 69. & 100.) Id quoque dicendum de Neapoli, cum legamus Papam ad hujus civitatis custodiam Tribunum deputasse, ac militibus qui in hujus urbis presidio erant, (Lib. II. Ep. 31.)

im-

a Idem etiam statuitur lib. IX. Epist. 77.
b Vide etiam lib. VIII. Ep. 24. 28.

imperasse; non alia proculdubio ratione, quam quia ejus dominio foret [a] subdita, non excusso tamen penitus Imperatorum jugo. Jam diu antea summos Pontifices ad amplissimam dignitatem evectos fuisse, testis est Ammianus Marcellinus; quam etiam suæ præferendam non dubitaret Prætextatus Urbis Præfectus; etsi secularis tantum potestatis rationem haberet.

a

Lib. xxvii. c. 3.

Primum Rom. Pontificum larga eleemosyna. Lib. iv c. 23.

Dionysius Corinthiorum Episcopus, qui seculo secundo inclinante floruit, ita scribit ad Romanos, & ad Soterem Papam, apud Eusebium: *Hic*, inquit, *vobis consuetudo est, jam inde ab ipso religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, & Ecclesiis quamplurimis, quæ in singulis urbibus constitutæ sunt, necessaria vitæ subsidia transmittatis; & hac ratione tum egenorum molestiam sublevatis, tum fratribus qui in metallis opus faciunt necessaria suppeditatis .... Atque hunc morem beatus Episcopus vester Soter non solum servavit, verum etiam adauxit.* Alter Dionysius, scilicet Alexandrinus in Epistola Stephano Papæ medio circiter seculo tertio nuncupata, [b] testatur ipsum omnibus Syriæ provinciis cum Arabia, necessaria suppeditare solitum; quæ omnia tum summæ potestatis, tum optime dispensatæ sunt, argumenta. Piam hanc in sublevandis egenis decessorum suorum consuetudinem adeo non abrogavit, vel imminuit Gregorius, ut etiam auxerit plurimum.

b

Ibid. Lib. vii. c. 5.

Quibus Gregorius addictus.

Inter inopes quibus libentissime necessaria ministrabat, numerat tria Monialium millia in urbe Roma: neque vero sibi ab ipsis quidquam ob tam amplas eleemosynas deberi putabat; quin potius se Romanosque omnes iisdem debitores esse profitebatur: *Harum*, inquit, *talis vita est, atque in tantum lacrymis, & abstinentia districta, ut credamus quia si ipsæ non essent, nullum nostrum jam post tot annos in loco hoc subsistere inter Langobardorum gladios potuisset.*

VII. Ejus de residentia Episcoporum sententia. Lib. iii ep. 13. Lib. viii. ep. 10.

Quo suis ovibus præsto semper adessent pastores, ut quæque ad vitam, sive animæ, sive corporis forent necessaria suppeditarent, eos ab Ecclesiis suis abesse, aut vagari non sinebat. Quapropter cum audisset Pimenium Amalphitanum Episcopum, *in Ecclesia sua non residere*, de ipso minacibus litteris ad Anthemium scripsit, ut eum ad residendum sacerdotali more cogeret: si vero non emendaretur, eum in monasterium detruderet. Episcopalis residentiæ gratia, Siciliæ Episcopis indulsit ut unoquoque quinquennio tantum semel Romam convenirent, cum prius singulis trienniis sistere se cogerentur; qua in re ipsorum etiam labori minuendo consulebat. Felix Messanensis Episcopus magno videndi Gregorii desiderio flagrabat: sed quia ex diuturna forsitan absentia pastoris, grex aliquid damni pati potuisset, rogavit amicum ne tanti itineris laborem assumeret: *Sed, ora*, inquit, *pro nobis, ut quanto nos itineris intervalla dissociant, tanto animis nostris ad invicem Christo adjuvante, simus in caritate conjuncti.*

Lib. ii ep. 68.

VIII. Clerici extranei sine dimissoriis Episcoporum litteris non recipiendi.

Non solum Episcopos, sed etiam Presbyteros & alios Clericos sitos in suis Ecclesiis permanere, non de parochia in parochiam migrare, ac vagari volebat, quod etiam Ecclesiæ canonibus cautum erat. Si qui vero Episcopi extraneorum Clericorum nonnullos, in suo clero promovendos, & certis ministeriis addicendos postularent, eos prius [c] dimittere debebat proprius Episcopus, facta cessione; nec citra ipsius consensum poterat incardinari. Ipsi etiam qui in Episcopos electi fuerant, hujusmodi litteris, ut ajunt, dimissoriis Episcopi sui indigebant ut ordinarentur. Eadem quoque ratione Monachos absque Abbatis sui consensu ab Episcopis assumi ad presbyteratum, aut alia ecclesiastica munia obeunda prohibitum erat. Ubi adverte quantus hac in parte sit hodiernæ disciplinæ cum veteri consensus.

c

Lib. vi. ep. 40. Lib. . ep. 17. Lib. ix ep. 18.

IX. De Missis privatis & altarium pluralitate tempore S. Gregorii. Lib. ix ep. 43.

Hanc ipsam consensionem juvat ostendere in Missis privatis, & in altarium multitudine intra eamdem Ecclesiam, ut refellantur heterodoxi de novitate litem importune nobis moventes. Johannes Episcopus Syracusanus Venantii Patricii oblationes repulerat, quod ille indigne ferens hostiliter in episcopium armatos immisit satellites. Hæc ubi accepit Papa, scripsit ad Venantium de injuria Episcopo illata expostulans; cum ob notam gravitatem, sanctitatem & mansuetudinem, a vi & insultatione tanta tutus esse debuisset. *Unde necesse est*, inquit, *ut & vos sacerdotalem illi reverentiam exhibere, sicut decet filios, debeatis: nec ejus ad iracundiam animos provocetis. Nam enim quo fidam estis gratiam habituri, si vobis, quod absit, cum Sacerdote fuerit discordia?* Alia Epistola Johannem ad concordiam & pacem cum Venantio habendam hortatus est; cujus gratia placuit Gregorio non solum ut Patricii oblationes susciperet, sed etiam ut in domo ipsius Missarum peragi Mysteria permitteret; imo etiam ipse, si voluerit Venantius, celebraret. Quippe ob hæc duo denegata, ortum præsertim hoc jurgium. Quis nisi lippus hic non videat clare usitatas & approbatas Missas privatas, & in privatis ædibus?

Ibid. ep. 44.

Ibid. ep. 49.

Quod spectat ad altarium pluralitatem intra ejusdem Ecclesiæ septa, eruitur ex Epistola hoc anno quoque scripta ad Palladium Santonensem in Galliis Episcopum. Construxerat ille Ecclesiam in honorem beatorum Apostolorum Petri & Pauli, sanctorum Laurentii & Pancratii martyrum; in qua tredecim altaria collocarat, miseratque Romam Leuparicum Presbyterum, ad petendas sacras reliquias, in quatuor altaribus nondum dedicatis ponendas. Annuit pius Pontifex, misitque Palladio laudatorum Apostolorum ac Martyrum reliquias, quas summa cum reverentia suscipi & collocari postulavit. Consulat studiosus lector notas ad hanc Epistolam, ex quibus discet longe ante Gregorium plurima erecta esse altaria. Etsi vero Græcorum hodiernus mos hanc altarium multitudinem non admittat, olim tamen ab ipsis minime reprobatam esse ostenditur ex Theodoro Studita Epist. 219. [d] interrogat. 15. Ex altaris voce, si cum heterodoxis digladiandi esset animus, facile urgeri possent; quippe

d.

a Vide lib. ix. Ep. 69. ubi arguit Maurentium magistrum militum, quod Episcopum Neapolitanum ea quæ patroni erant hujus urbis usurpantem non cohiberet: non alia, ut opinamur, ratione, quam quia dominium temporale Neapolis ad Rom. Sedem pertineat. In Ep. 125. ejusdem libri vocatur *Magister Urbis*, qui dicitur his Patronus Gallice *Maire*.

b Vide quoque Ep. 220. S. Basilii magni ad Dionysium Papam.

c S. Leo Ep. 12. c. 9. *Alienum Clericum, invito Episcopo ipsius, nemo suscipiat.* Ibid. *Transfugam Clericum ad suam Ecclesiam Metropolitanus redire compellat.* Et Ep. 13. c. 4. *Ut nullus Episcopus, alterius Episcopi Clericum sibi audeat vendicare, [illegible]*

d *Sunt Ecclesiæ*, inquit Theodorus, *quæ duas aut tres habent ædiculas.* (græce ἀδύτα.) *Ex his autem una est quam nemo ingressus est; utrum fas sibi sacrum facere an non.*

pe altare Græce θυσιαστήριον, sacrificium & hostiam in lege nova cogit admittere, quod tamen procul rejiciunt. Altaris autem vox in scriptoribus Apostolorum supparibus frequentatur. Unus pro omnibus sit Martyr Ignatius: *Omnes*, inquit in Ep. ad Magnes. n. 7. *velut in unum templum Dei concurrite, velut ad unum altare* Et in Ep. ad Trall. num. 7. *Qui intra altare est, mundus est; qui vero extra altare est, non est mundus*. Accinit [a] Paulo & Johanni Apostolis, apud quos, etiam post reprobatum vetus altare, sæpe altaris alterius occurrit mentio. Sed his omissis, ad reliqua S. Gregorii gesta huic anno debita festinemus.

X. *Causæ etiam Episcoporum ubi judicandæ. Lib. vi. ep. 37*

Summa ejus in supremi Pontificatus administratione modestia elucet in Epistola ad Columbum in Numidiæ Episcopum. Petrus hujus provinciæ quondam Episcopus, ut ajebat, adiarat Sedem apostolicam, ejusque judicium postulaverat. *Sed quia*, inquit sapientissimus Papa, *causæ ipsius interna subtiliter nequaquam addiscere tam longo itineris intervallo disjuncti potuimus, eam, incerti quippe, definire nequivimus*. Quapropter optimum ei visum est ut Columbus Episcopus judex sederet inter Petrum & ejus accusatores, *quia præsens causam subtilius poterat scire*. Aliquando etiam accusatos Episcopos, ut se purgarent, regiam urbem petere & Imperatori se sistere permittebat.

XI. *A quibus causæ Clericorum. Ibid. ep. 11. Lib. vii. ep. 2*

Quam strenue jura Episcoporum propugnaret, probat Epistola ad Fortunatum Neapolitanum Episcopum, cujus hæc verba sunt: *Cum pervenit ad nos Clericos, aliasque civitatis ac parochiæ tuæ religiosas personas ab aliis conveniri, fieri hoc de cetero prohibemus: & neque Clericum tuum, neque Monachum vel quamlibet civitatis aliam religiosam personam parochiæ tuæ conveniri a quoquam, vel ad alterius volumus judicium exhiberi. Sed si quis contra hujusmodi personas cujuslibet negotii movere voluerit quæstionem, Fraternitatem tuam noverit adeundam. Aut si forte, ut assolet, aliqua illis quolibet modo fuerit nata suspicio, & electorum desideraverint fortasse judicium, sub tua executione eligendi sat habeant cognitores: quatenus hoc modo nec tu amisisse jurisdictionem, nec actor apud suspectum litigando videatur præjudicium sustinere*. Hæc exscribere non piguit, quod judiciorum Ecclesiasticorum formam continere videantur.

Privilegia Ecclesiarum illibata servat S. Greg. Ibid. epp. 9. & 18. De Ecclesiarum consecratione.

Ut Episcoporum, ita Ecclesiarum jura & privilegia illibata permanere volebat æquissimus Pontifex, ut palam profitetur, ad Donum Messanensem & Johannem Syracusanum Episcopum Pallium mittens. In Epistolis ad utrumque missis quæ sunt omnino similes, deprehendere mihi videor communem & usitatam Pallii concedendi formulam.

Notatu dignum est nullas Ecclesias provinciarum Siciliæ & Italiæ, Romano Pontifici tamquam Metropolitano subditarum, tunc fuisse consecratas absque ipsius licentia; quod non solum ex [b] Epistola 45. hoc anno scripta eruitur, sed etiam ex aliis plurimis. In [c] baptisteriis consecrandis eadem erat oratio.

Aliqua... Qui... in laudandis amicis tenendus sit modus. Lib. vi. ep. 56

Exemplum nobis præbet modi in laudandis amicis tenendi Epistola ad Stephanum Abbatem Lirinensem scripta. De concordia ejus congregationis, in qua plures erant Presbyteri & Diaconi, certiorem fecerat Papam Augustinus Romam rediens. Quanto cum gaudio id acceperit Gregorius testatur, Stephanum Abbatem amicis compellans litteris, laudatque ejus vigilantiam, & pro donis ab eo acceptis ad ministerium pauperum gratias agit. Attamen præmissis laudibus subdit hanc adhortationem: *Quia vero humani generis inimicus insidiari nostris actibus non quiescit, sed assidua calliditate hoc nititur, ut Deo servientes animas in quolibet parte decipiat: ideo, dilectissime Fili, hortamur ut sollicitudinem tuam vigilanter exerceas, & ita continuis oratione & cura providenti custodias, ut lupus circumiens nullam dilaniandi occasionem inveniat*.

a Hebr. 13. 10. Apocal. 6. 9.
b Lib. vi. ep. 45. lib. vii. Ep. 12. lib. xiv. Ep. 9.
c Lib. viii. ep. 20.

CAPUT X.

An. 596. & 597.

I. Cyriacus Patriarcha CP. mittit ad S. Gregorium legationem & Epistolam. Cui respondet. II. Cyriaci encomium. III. Corripiuntur qui sacram Scripturam usurparant ad eum laudandum. IV. Legati Cyriaci erroris arguuntur a Papa. V. Fabula de Trajano S. Gregorii precibus liberato inde explosa. Sed præsertim ex Dialogis. VI. Objectiones contra pœnarum inferni æternitatem solvuntur. VII. Cur finita culpa punitur sine fine. VIII. Cur Sancti pro damnatis non orent. Eadem ratione probatur S. Gregorium orare non potuisse pro Trajano. IX. Johannis Diaconi effugium exploditur. X. Petitæ ex S. Perpetuæ actis objectioni occurritur.

I. *Cyriacus Patr. CP. mittit ad S. Greg. Legatos & Epistolam. Cap. 1. n. 15. Cui respondet. Lib. vii. ep. 4*

Etsi Johannes CP. e vivis excessisset mense Januario an. 595. ut jam supra monuimus, ejus tamen successoris Cyriaci legationem & Epistolam Synodicam, de sua electione ac ordinatione scribentis, nonnisi post viginti fere menses excepit S. Gregorius. Cyriaci Epistolas honoris causa detulerunt Georgius Presbyter, & Theodorus Diaconus. His respondens Papa, laudat quidem Cyriacum pro amore quietis pastoralem sollicitudinem fugisse, sed inde probat ipsum ad episcopalem promovendum fuisse dignitatem: *Quia sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus*. Monet itaque internæ tranquillitati caritatem erga proximum esse præferendam, quod suo quoque ostendit exemplo; & qua ratione caveri possit ne curæ Pastoris animum penitus obruant, docet. Quod spectat ad fidei confessionem a Cyriaco datam, ipsam approbat

pro-

probat Papa; dubitat nihilominus utrum quidam [a] Eudoxius inter hæreticos a quatuor Synodis œcumenicis damnatos referri debuerit: at ejus dubitationem & hæsitationem postea sustulit Eulogius. De œcumenici titulo respuendo quædam attingit.

In alia breviori ad Cyriacum Epistola testatur ipsius *bona* jampridem sibi perspecta, dum scilicet in urbe regia moraretur. Animo despondentem ex infirmitatis conscientia, erigit dicens: *Scimus quia prima virtus est cognitio infirmitatis, atque ex eo colligimus posse vos bene susceptum ministerium implere, quia vos videmus infirmitatem propriam ex humilitate cognoscere. Omnes enim infirmi sumus, sed ille est infirmior, qui suam considerare non valet infirmitatem.* Ibid. ep. 5.

II. Cyriaci encomium. Ibid. ep. 4. Lib. VII. ep. 14.

De Cyriaci electione gratulatus est Imperatori vir sanctissimus, quod de optimo Pastore Ecclesiæ Constantinopolitanæ dando adeo fuerit sollicitus. Quædam ex Epistola ad Mauricium subjiciemus, ex quibus intelligetur quis esset Cyriacus, & qua ratione tardius Johanni, qui non parum laudatur, fuerit successor datus: *Non parvæ*, inquit, *potuit esse mercedis, quod Johanne sanctæ memoriæ de hac luce subtracto, ad ordinandum Sacerdotem Pietas vestra diu hæsitavit, tempus paulo longius distulit, cum metu omnipotentis Domini consilium quæsivit, ut videlicet causa Dei cum magno debuisset timore disponi. Unde & aptum valde existere in pastorali regimine fratrem atque consacerdotem meum Cyriacum existimo, quem ad eumdem ordinem Pietatis vestræ consilia longa genuerunt. Qui in administrandis dudum rebus ecclesiasticis quam sollicitus & quomodo fuerit exercitatus, cuncti novimus. Unde & superna gestum dispensatione non ambigo: ut qui bene minima gesserat, congrue majora susciperet, atque a cura rerum, ad animarum regimina transiret.*

III. Corripiuntur qui iram Script. usurparant ad eum laudandum. Ps. 117. 24. Ibid. ep. 7.

In ordinatione Cyriaci, Episcopi quidam immoderatius exultantes exclamarant: *Hæc dies quam fecit Dominus; exultemus & lætemur in ea.* Quasi sol esset hic Patriarcha cujus lumine dies illuxisset. Hanc verborum sacræ Scripturæ usurpationem, in sermone adulatorio prorsus damnavit S. Gregorius, uti suis ad illos Episcopos litteris significavit. Ne vero putaretur zelotypia laborasse, laudesque Cyriaco collatas ad se potius trahere voluisse, statim culpam immoderatæ laudationis hujus elevare conatur. Quantum autem alienus esset a nimiis & immodicis, imo a quibuslibet laudibus appetendis & aucupandis, certe millies, & hoc præsertim anno testatum reliquit, dum redarguit Johannem Syracusanum Episcopum ob adhibitam suæ mensæ coram extraneis lucubrationum suarum lectionem. Ibid. ep. 9.

IV. Legati Cyriaci errores reguantur a Papa. Ibid. ep. 15.

Legati Cyriaci, testibus Ecclesiæ Rom. Diaconis, dixerant, *Jesum Christum ad inferos descendentem, omnes qui illic confiterentur eum Deum, salvasse atque a pœnis debitis liberasse. De qua re*, inquit S. Doctor, *volo ut Caritas vestra longe aliter sentiat. Descendens quippe ad inferos, solos illos per gratiam suam liberavit, qui eum & venturum esse crediderunt, & præcepta ejus vivendo tenuerunt. Constat autem quia post incarnationem Domini, nullus etiam ex his salvari potest, qui fidem illius tenent, & vitam fidei non habent*; quod multis sacræ Scripturæ testimoniis demonstrare pergit.

V. Fabula de Trajano S. Gregorii precibus liberato inde explosa.

Solus hic locus sufficeret ad explodendam fabellam de Trajano ab inferni pœnis Gregorii precibus liberato, quam referunt Paulus & Johannes Diaconus in ejus vita lib. II. c. 44. Quid enim? potuit scilicet pro Trajani cultoris idolorum, Christianorumque persecutoris usque ad mortem liberatione preces ad Deum fundere, qui noverat, *trahi ad Deum post mortem non posse; qui se a Deo male vivendo separasset*; id enim conceptis verbis dicit egregius Doctor. Sed longe validius refellitur commentum hoc ex asserta in Dialogis doctrina lib. IV. cap. 44.

Sed præsertim ex Dialogis.

Quæstio eo loci proposita, est: *Si semper ardeant qui gehennæ incendiis deputantur*; ad quam respondet Sanctus Gregorius: *Constat nimirum, & incunctanter verum est, quia sicut finis non est gaudio bonorum, ita finis non erit tormento malorum. Nam cum Veritas dicat: ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam: quia verum est quod promisit, falsum proculdubio non erit quod minatus est Deus.* Matt. 25. 46.

VI. Objectiones contra pœnarum inferni æternitatem solvuntur.

Petrus his opponit: *Quid si quis dicat: idcirco peccantibus æternam pœnam minatus est, ut eos a peccatorum perpetratione compesceret?* At illa diluit S. Doctor respondens in hæc verba: *Si falsum est quod minatus est, ut ab injustitia corrigeret, etiam falsa est pollicitus, ut ad justitiam provocaret. Sed quis hoc dicere vel insanus præsumat? Et si minatus est quod non erat impleturus, dum asserere eum misericordem volumus, fallacem, quod dici nefas est, prædicare compellimur.*

VII. Cur finita culpa puniatur sine fine.

Petrus hac responsione sibi factum satis intelligens, alium nodum proponit solvendum: *Scire vellem*, inquit, *quomodo justum sit, ut culpa quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur.* Cui respondet sapientissimus magister, *hoc recte diceretur, si districtus judex non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent utique si potuissent sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper vivere cupiunt; qui numquam desinunt peccare dum vivunt. Ad magnam ergo justitiam judicantis pertinet, ut numquam careant supplicio, qui in hac vita numquam voluerunt carere peccato.* Egregia sane ratio qua pœnarum probetur æternitas, adversus religionis contemtores, qui solent hoc de dogmate, ut liberius peccent, cavillari. Petrus tamen argumenti hujus pondere nondum oppressus, adhuc subtilius instat: *Sed nullus justus crudelitate pascitur, & delinquens servus a justo domino idcirco cædi præcipitur, ut a nequitia corrigatur. Ad hoc ergo vapulat: ut emendari debeat. Iniqui autem gehennæ ignibus traditi, si ad correctionem non perveniunt, quo fine semper ardebunt?* Respondet vero Doctor discipulo: *Omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur: quia vero justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio deputati, sua quidem iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid ardebunt, scilicet, ut justi omnes, & in Deo videant gaudia quæ percipiunt, & in illis respiciant supplicia quæ evaserunt: quatenus tanto magis in æternum gratiæ divinæ debitores se esse cognoscant, quanto in æternum mala puniri conspiciunt, quæ ejus adjutorio vicerunt.*

Ista

a Vide ep. 31. sequentem & notas ad eamdem.

VIII. Cur Sancti pro damnatis non orent.

Ista perpendenti quonam pacto venire potest in mentem, Gregorium ita sapientem, ita docentem, preces aliquando fudisse pro Trajano Imperatore, quem ob infidelitatem, & motam in Christianos persecutionem (ut alia interim dissimulemus) æternis pœnis addictum non dubitabat? At quæ sequuntur, ne leviusculam quidem relinquunt ea de re difficultatem. Quærit enim Petrus: *Et ubi est quod sancti sint, si pro inimicis suis quos tunc ardere vident, non orabunt, quibus utique dictum est: Pro inimicis vestris orate?* Cui respondet ita sapientissimus Doctor: *Pro inimicis suis orant eo tempore, quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda convertere, atque ipsa conversione salvare. Quid enim aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc quod Apostolus ait: Ut det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem? Et quomodo pro illis tunc orabunt, qui jam nullatenus possunt ad justitiæ opera ab iniquitate commutari? Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus igni æterno damnatis, quæ nunc etiam causa est, ut non oretur pro diabolo Angelisque ejus æterno supplicio deputatis. Quæ nunc etiam causa est ut non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impiisque defunctis, nisi quia pro eis utique quos æterno deputatos supplicio jam noverunt, ante illum Judicis justi conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt. Quod si nunc quoque viventes justi mortuis & damnatis injustis minime compatiuntur, quando adhuc aliquid judicabile de sua carne sese perpeti etiamsi ipsi noverunt; quanto districtius tunc iniquorum tormenta respiciunt, quando ab omni vitio corruptionis exuti, ipsi jam justitiæ vicinius atque arctius inhærebunt? Sic quippe eorum mentes per hoc quod justissimo Judici inhærent, vis districtionis absorbet, ut omnino eis non libeat quidquid ab illius æternæ regulæ subtilitate discordat.*

Matth. 5. 44.
2. Tim. 2. 25.

Eadem ratione probatur sanctum Gregorium pro Trajano non potuisse orare.

Hæc legenti num dubia aut obscura esse potest S. Gregorii sententia, tum de pœnarum inferni æternitate, tum de negandis precibus iis quos citra ullam hæsitationem scimus hujusmodi pœnis addictos?

IX. Johannis Diac. effugium exploditur.

Ut vim argumenti hujus eludat aut elevet Johannes Diaconus, hoc excogitavit effugium: Nempe *Gregorium pro Trajano liberando non exorasse, sed flevisse*. Quasi lacrymæ coram Deo fusæ alicujus rei obtinendæ gratia, preces non sint, & quidem efficacissimæ. Addit Trajanum ita liberatum fuisse ab inferni cruciatibus, ut in inferno tamen remanserit, non autem sit evectus ad superos. At sancti Doctoris ratiocinatio, uti & testimonia omnia sacræ Scripturæ ab ipso prolata, non solum probant æternam damnatorum in inferno mansionem, sed etiam exustionem. Neque fingere licet S. Doctorem duplicem habuisse diversis temporibus de hac quæstione sententiam; nam primo non potuit ignorare quæ esset sacrarum litterarum Ecclesiæque hac de re doctrina: secundo constanter idem in omnibus pene operibus, diversis licet temporibus elucubratis; nimirum in Moralibus lib. 34. n. 34. in Dialogis, & in Epistola jam laudata, quæ huic dissertatiunculæ occasionem præbuit, ob errorem Legatorum Cyriaci in ea refutatum. Ceterum opinionem hanc quæ Origeni tribui solet, impugnarant jam Augustinus & Basilius Magnus.

Lib. xxi. de civ. Dei c. 11. Reg. brev qu. 267.

X. Objectioni ex actis S. Perpetuæ petitæ occurritur.

Quod legitur in actis S. Perpetuæ, nimirum illam pro fratre Dinocrate orasse, sicque ipsum a pœnis quibus in loco tenebroso plectebatur liberasse, minime favet opinioni quam post Gregorium impugnamus. Probat enim tantummodo mortuos purgatorii cruciatibus addictos ob levia peccata post baptismum admissa, posse fidelium precibus ab iis eximi. Quam responsionem suppeditat Augustinus lib. 1. de origine animæ c. 10. & lib. III. c. 9. ubi ait Dinocratem propter peccata quædam commissa post baptismum aliquas pertulisse pœnas. Quippe cum septennis esset, potuit mentiri, aut alio levi piaculo animam maculare. Quod autem ante mortem fuisset baptizatus negari nequit, Perpetua ipsa testante totam familiam suam, excepto patre, Christi coluisse religionem.

Ad Martyr. in S. Perpet. n. 7. & 8. pag. 89. & seq.

CAPUT XI.

An. 596. & 597.

I. S. Gregorius in moribus efformandis doctor eximius. Quid doceat contra nimiam securitatem & de duplici compunctione. II. Theoctistæ sororis Imperatoris pietas. III. S. Gregorius amicis denegat opem ad obtinenda secularia officia. IV. Quales amicis mœrentibus adhiberet consolationes. V. Laudat laicos divini verbi cibum quærentes. VI. Ariminensi Episcopo infirmo successor datur. VII. Et Corneliensi ob lapsum dejecto. Laudatur a Greg. Stephanus Episcopus. VIII. Res quædam monasticæ. IX. Insulæ Corsicæ prospicit Papa. X. Quædam de servilium personarum conjugio observantur.

I. S. Gregorius in moribus informandis doctor eximius.

MOx vidimus S. Gregorium Theologorum optimum pro fidei puritate ac integritate fortissime decertantem; nunc miremur ipsum tamquam in moribus informandis magistrum eximium pietatis perfectionisque Christianæ exquisitissima subministrantem consilia. Gregoria Augustæ cubicularia scripserat ei se numquam ab importunis precibus cessaturam, donec ab ipso certo sciret, nimirum ex divina revelatione, peccata sua esse dimissa. Cui sic respondit modestissime simul ac prudentissime: *Rem difficilem etiam, & inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum cui revelatio fieri debeat. Inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime valebis. Quæ dies quousque veniat semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare. Certe Paulus Apostolus jam ad tertium cælum ascenderat, in paradisum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non liceret: & tamen adhuc trepidans dicebat: Castigo corpus meum, & servituti subjicio, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Adhuc timet qui jam ad cælum ducitur, & jam timere non vult qui adhuc in terra conversatur? Perpende, dulcissima Filia, quia mater negligentiæ solet esse securitas, Habere ergo in hac vita non debet securitatem,*

Lib. VII. Ep. 25.
Quid doceat contra nimiam securitatem.
2. Cor. 12.
1. Cor. 9. 27.

per

per quam negligens reddaris. Scriptum est enim. Beatus vir qui semper est pavidus. Et rursus scriptum est: Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. In pauco ergo hujus vitæ tempore mentem vestram necesse est ut tremor teneat, quatenus per securitatis gaudium sine fine postmodum exultet. Psal. 2. 11. Prov. 28. 14.

Quid opportunius hoc loco, ad exsufflandas larvatæ cujusdam pietatis fallacias quæ sub mentito purioris amoris nomine omnem timorem de salute æterna, sollicitudinem omnem excutit? In Epistola quidem ad Theoctistam Patriciam, quæ proxime sequitur, explicat Sanctus Doctor duo genera compunctionis, *unum quod æternas pœnas metuit*, alterum quo longa mœroris formidine & anxietate consumta, quædam jam de præsumtione veniæ securitas nascitur. At hic status non excludit omnem salutis curam; neque enim adest *plena* securitas, sed inchoata, non omnem expellens timorem sed nimis anxium. Hoc in statu, inquam, *anima de cælestibus præmiis suspirat. Qui prius flebat, ne duceretur ad supplicium, postmodum flere amarissime incipit, quia differtur a regno.* Lib. VII. ep. 26. Et de duplici compunctione.

II. Theoctistæ sororis Imperatoris pietas.

Ex hac Epistola intelligimus Theoctistam Imperatoris sororem, sacri verbi ubertate plenam fuisse, ad æterna gaudia incessanter suspirasse, ad repromissionis patriam inter undas seculi siccis vestigiis properasse; nimirum inter hominum tumultus & in ipsa aula solitudinem colendo: quod pro miraculo habet Sanctus Gregorius, comparatque eum filiorum Israel transitu per mare rubrum. Piissimæ sorori nutriendorum liberorum provinciam dederat Mauricius Augustus; hinc eam hortatur Papa ut illos optimis moribus imbuere conetur, & eunuchos ipsorum custodiæ ac obsequiis deputatos admoneat, quam caute coram ipsis loqui debeant: *Verba si quidem nutrientium*, inquit, *aut lac erunt si bona sunt, aut venenum, si mala.* In eadem Epistola Gregorius ostendit se de salute Constantinæ Augustæ, & de ipsius profectu in virtute sollicitum: quos enim amabat, a terrenis cupiditatibus abstrahere, & in amore cælestium succendere conabatur: hæcque erant ejus amicitiæ symbola & argumenta.

III. S. Gregorius amicis suis denegat opem ad obtinenda secularia officia. Ibid. ep. 29.

Andreas vir clarissimus ejus familiaris postularat ab eo Imperatori commendari, ad aliquod officium in Republica obtinendum, quod sanctissimum patrem non mediocri mœrore perculit. *Multos novi*, inquit amico, *qui in servitio Reipublicæ positi vehementer affliguntur: quia eis non licet vacare, & peccata sua plangere; & vos quare, nescio, implicari desideratis?* multa permitto de mundi contemtu, digna tamen quæ legantur, & serio animis insculpantur. Epistolam ista claudunt: *Hoc ipsum vero esse in obsequio piissimi Principis, quanta est mentis occupatio in appetitu terrenæ gratiæ, & quantus est timor ne hæc eadem gratia perdatur, si adepta fuerit? Perpende ergo quæ pœna sit; aut prosperitatis desiderio fatigari, aut adversitatis timore pavescere. Unde magis suadeo, ut Magnitudo vestra in suo proposito quondam, in pauco tempore delectabili receptaculo peregrinationis vivere studeat, & quietam ac tranquillam vitam ducere, sacris lectionibus vacare, cælestia verba meditari, in æternitatis amore se accendere, de terrenis rebus secundum vires bona opera agere, & regnum perpetuum in eorum remuneratione sperare. Sic autem vivere, jam in æternitatis vitæ partem habere est. Hæc, magnifice Fili, loquor, quia multum te diligo. Et quia in procellas & fluctus tendis, verborum meorum funibus te ad littus revoco: & si trahentem sequi volueris, quæ pericula evaseris, quæ gaudia inveneris, in ipso quietis tuæ littore positus agnosces.*

IV. Quales amicis mœrentibus consolationes adhiberet. Ibid. ep. 29. Ibid. ep. 30.

Quando amicorum animos fatiscere sub ærumnarum pondere observabat, litteris consolatoriis eos erigebat, vel ipsa animi magnitudine qua supra humana omnia in iis eminere videbatur. De amicorum nostrorum liberis, aut aliqua ratione propinquis morte præreptis immatura, solemus dolere; idque de eorum amissione lugentibus significare. At Gregorius nil humani sapiens, ad Andream amicitia sibi conjunctissimum scribit: *Quod domna Constantia clarissima puella, priusquam nuptias faceret, ab hujus mundi illecebris est erepta, vehementer exulto.* Et ad Narsam: *Per scripta vestra mihi transitum domnæ Esychiæ nuntiastis: & magna exultatione gavisus sum, quia illa bona anima ad suam patriam pervenit, quæ in patria laborabat aliena.* Noverat fortasse haud ingratum fore hoc genus consolationis, Narsæ viro *religioso* (sic appellatur in Epistolæ inscriptione) qui cum Patriciæ dignitatis esset, ut ex Ep. 32. lib. IV. colligitur, seculo nuntium tunc remisisse videtur, & quibusdam monasteriis præfuisse. Filia ejus Dominica virgo doctissima, quæ *Latina* cum esset, Græce tamen scribebat, aulam quoque fugiens, monasterium ingressa fuerat, ibique postea facta Præposita. Quæ de Dominica in Græcis litteris erudita diximus eo magis mirari debemus, quod S. Gregorius ad ejusdem patrem scribens, asserat tunc non fuisse Constantinopoli satis doctos interpretes, *qui de Græco in Latinum & de Latino in Græcum dictata bene transferrent?* Lib. IV. ep. 32. Lib. VII. ep. 30. Ibidem.

V. Laudat laicos divini verbi cibum quærentes.

Laudabat maxime Sanctus Gregorius si amici, etiam [a] laici, in verbo divino solatium & animæ cibum quærerent. Id potissimum liquet ex Epistola hoc anno ad Dynamium & Aureliam Gallos scripta, ubi eis gratulatur, quia sacræ lectionis pabula quærebant; subditque optimam hujus Evangelicæ sententiæ expositionem: *Omnis qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur. Petamus*, inquit, *orando, quæramus legendo, pulsemus operando.* At de his satis; ad alia transeamus. a Ibid. ep. 36. Matth. 7. 8. Luc. 11. 10.

VI. Ariminensi Episcopo infirmo successor datur.

Post diutinam in Oriente moram factam, in Occidentem revertamur, ubi potissimum vigilabat ad Ecclesiarum gubernationem pastoralis Gregorii sollicitudo. Ariminensis Ecclesia diu sine Episcopo fuerat, ob infirmam Castorii valetudinem. Qui cum per quadriennium abfuisset, nec melius haberet, *data scriptis supplicatione petiit a Papa, ut quia ad ejusdem Ecclesiæ regimen vel susceptum officium, pro eadem qua detinebatur molestia assurgere nullatenus posset, Ecclesiæ ipsi ordinare Episcopum deberet.* Ejus votis annuens summus Pontifex, *quia cunctarum Ecclesiarum injuncta eum sollicitudinis cura constringebat*, datis de more præceptis clerum & populum ad eligendum sibi Antistitem hortatus est, quem Mariniano Ravennati examinandum sisti voluit. Lib. VII. ep. 19

VII. Et Corneliensi.

Paulo post ad eumdem Marinianum scripsit, ut dejecto ex Corneliensis Ecclesiæ Sede Episcopo in

a Vide sup. Ep. 26. & infra lib. 12. Ep. 78.

Si ob lapsum dejectio. Ibid. ep. 41. a

crimen lapso, in ejus locum alius ordinaretur Episcopus; quia nec lapso spes ulla superesse posset ad pristinam redeundi dignitatem, nec ultra tres menses Ecclesiam vacare sacri permitterent a canones. Dum vero legis supra, Gregorium cunctas in Ecclesias sollicitudinis curam sibi tribuere; ne suspiceris ipsum ultra modum Pontificiam protulisse potestatem, quod ab ejus modestia & animi demissione prorsus abhorrebat. Certe qui 150. circiter annis ante ipsum sedit Leo Magnus ad Ep. Thessalonicensem scribens ut ei vices suas committeret, ait eum *in partem vocatum esse sollicitudinis non in plenitudinem potestatis*; quam proinde sibi vendicare non dubitabat.

Ep. 12. c. 1.

Laudatur a Gregorio Stephanus Episcopus. Lib. VII. ep. 8.

Quemadmodum Gregorius Episcopos qui officio suo deerant, dignis pœnis afficiebat, ita optimos Pastores debitis laudibus & præmiis remunerare satagebat. Quapropter Stephanum Episcopum impense laudat quod assidua prædicatione Mariam Patriciam ab hæresi aut schismate ad Ecclesiæ sinum revocarit, aliosque non paucos. Ex hoc fortasse numero erat Dominica gloriosa femina; Johannis cujusdam uxor Gregorio intimi; ad quem scripsit se non mediocriter lætatum, cum ipsam cognovisset unitati Ecclesiæ sociatam.

Ibid. ep. 17. VIII. Res quædam monast. car. Ibid. ep. 12. Ibid. ep. 15.

Ut res monasticas breviter attingamus, hoc anno Papa privilegiis donavit monasterium S. Cassiani apud Massiliam, cui præerat Respecta. De hoc monasterio consule notas ad Epistolam hæc privilegia continentem.

In alia Epistola legimus Martinum quemdam Diaconum & Abbatem, de quo *aliqua Papæ fuerant nuntiata, quæ officii ejus propositum non leviter macularent*, nec tamen sedula inquisitione facta probari potuerant; ne qua de iis suspicio remaneret, ad sacratissimum beati Petri Apostolorum Principis corpus *districta sacramenta præbuisse*, quibus insontem se assereret. Quapropter eum absolvit S. Gregorius & suo loco restituit.

Epist. 32. scripta est ad Anastasium Presbyterum, quem multis & præclaris virtutibus ornatum depingit; vituperat tamen ob ducatum in monasterio quod vocabatur *Neas* assumtum, quod hoc in cœnobio *multa sub sanctitatis habitu secularia agerentur*. Hortatur autem illum ad contentionem quæ inter ejusdem monasterii patrem, & Amos Jerosolymorum Patriarcham exorta erat, tollendam & componendam.

Ibid. ep. 30.

Magna erat altercatio inter Cæsarium Abbatem monasterii sancti Petri apud Bajas, & Johannem Abbatem S. Luciæ, in Syracusana urbe; de qua dirimenda Gregorius ad Johannem Syracus. Episcopum scripsit, rogans ut ipse cum Fantino defensore, adhibito Johanne Agrimensore (erat enim quæstio de finibus) accederet, ac sententiam ferret: *Ne religiosorum virorum corda secularium rerum intentio a mutua disjungeret caritate*. De servanda monastica disciplina in Africa sollicitus, Dominicum Carthaginensem Episcopum rogavit, ut coerceret Monachos impune vagantes, eosque obedientiæ jugo, quod excusserant, rursum subdi curaret; Episcoposque quos audierat iis erronibus patrocinium ferre, ab eorum defensione modis omnibus interminando compesceret.

Ibid. ep. 37.

IX. Gregorius insulæ Corsicæ prospicit. Ibidem. Ep. 3.

Alia occasione ad Gennadium Africæ Præfectum scripsit, nimirum ut ei Ruserium Comitem ejusque concivas ac ipsam Corsicam insulam commendaret. Unde intelligimus insulam hanc ad Africæ Præfecturam seu Exarchatum pertinuisse; fortasse quod Sardiniæ adjaceat, quæ tunc inter Africæ provincias accensebatur septima & ultima. Hostium incursionibus patebat Corsica; nec satis erat illuc exercitum transmittere, nisi huic præesset dux peritissimus. Ideoque rogat Gregorius præfici Anastasium Tribunum, qui jam eadem provincia strenue defunctus fuerat, & ab ipsa dein amotus, magnam sui existimationem omnibus insulæ incolis, majusque reliquerat desiderium.

X. Quæ dam de conjugio servilium personarum observantur. Ibid. lib. 7. Ep. 1.

Septimum hunc Gregoriani Pontificatus annum claudemus observatione de conjugio, si alter conjugum servilis sit conditionis, dirimendo; quod a sanctissimo Pontifice nequaquam reprobatum, ut patet ex Epistola ad Fortunatum Neapolitanum Episcopum. Ejus Ecclesiæ Clericus uxorem a suo consortio removerat, quod illa fuisset *de servili condition: pulsata*. Contendit vero mulier ejecta se liberam esse; & summum Pontificem adiit, rogans viro suo restitui. Benignas aures præbuit supplicanti pius Pater; cumque in ea *nulla servilis macula* inventa esset, jussit ut ille Clericus conjugem injuste repudiatam reciperet; si vero abnueret, districtæ vindictæ subjiceretur. Unde liquet non alia ratione coactum fuisse Clericum illum ad uxorem denuo accipiendam, quam quia falso fuerat *de servili conditione pulsata*. Itaque si nupsisset ut libera, & postea probata fuisset ejus conditio servilis, propter conditionis vitium, irritum fuisset matrimonium.

a Ex can. 25. Chalcedon. in codice canonum Eccl. Rom.



CAPUT XII.

I. Corsorum Idololatrarum conversio. II. Et Judæorum Agrigentinorum. III. Alios Judæos injuste vexari prohibet S. Gregorius. IV. Anastasium Antiochenum variis persecutionibus oppressum consolatur. V. Moritur Anastasius. Ejus successor ad S. Gregorium scribit. Hæreticorum falsam Ephesi Synodum pro vera obtrudentium fraudem ex veteribus codd. detegendam censet S. Doctor. VI. Eulogio Alexandrino gratulatur. VII. De Martyrologii Rom. antiquitate. Opinio Henrici Valesii expenditur. VIII. Suspicio de Vaticanorum codicum suppositione injecta exsufflatur. IX. Episcopum Numidiæ injuriam passum protegit S. Pontifex. X. Africana Ecclesia ducit originem a Romana. XI. Quid de pretio pro sepultura dato senserit sanctus Gregorius. XII. Quid de redituum Eccles. partitione statuerit. XIII. Et de Campagis. XIV. Septem defensores fecit Regionarios. XV. Res monasticæ hujus anni attinguntur. An. 597. & 598.

OCtavum sui Pontificatus annum auspicatus est Sanctus Gregorius magno cum gaudio, propter Corsorum conversionem, de qua nuperrime perscripserat Petrus Aleriensis Episcopus. Gratiis Deo de more actis ob lætum nuntium, eumdem Petrum hortatus est ut cœptum feliciter opus perficeret, ac ceteros qui necdum baptizati erant, aut post susceptum baptismum, sive negligentia sive necessitate, ad idolorum cultum reversi fuerant, congregare, & ad fidem perducere pergeret. *Quod enim*, inquit, *opus utilius & sublimius acturus es, quam ut de animarum vivificatione & collectione cogites, & tuo Domino, qui tibi locum prædicandi dedit, immortale lucrum reportes?* Adhortationi liberalitatem, ut solebat, adjunxit; transmisit enim huic Episcopo quinquaginta solidos, ad vestimenta eorum qui baptizandi erant, comparanda: & Presbytero Episcopi adjutori qui regebat Ecclesiam non ita pridem jussu Papæ in possessione Rom. Ecclesiæ constructam cum baptisterio, prædium aliquod pro stipendio assignavit & concessit. Laudavit insuper consilium Petri Episcopi de alio Episcopo in eadem insula ordinando, non procul a monte, quem plurimi adhuc idolorum cultores incolebant. Non in sola Corsica exulabat & latitabat idololatria, nam ex Ep. 18. hoc anno scripta ad Agnellum Terracinensem Ep. discimus quosdam hoc in pago tunc arbores adhuc coluisse. Et biennio post Brunichildem Reginam hortatus est ut ab idolorum cultu sibi subditos populos coerceret. *Quia*, inquit, *pervenit ad nos, quod multi Christianorum & ad Ecclesias occurrant, &, quod dici nefas est, a culturis dæmonum non abscedant.* Quodnam esset idololatriæ genus explicat his verbis: *Cultores arborum non existant, de animalium capitibus sacrificia non exhibeant.* Quæ in notis ad hunc locum exposuimus. Alia in Epistola idolorum cultoribus jungit aruspices atque sortilegos.

I. Corsorum idololatrarum conversio. Lib. VIII. ep. 1. Lib. VIII. ep. 23. Lib. IX. ep. 11. Ibid. ep. 65.

Lætitiam pro conversis idololatris excepit gaudium de Judæis Agrigentinis ad fidem Christianam venire festinantibus. Ne vero longiori mora desiderium eorum defervesceret (nam a mense Junio quo ea de re scripta est Epistola Sancti Gregorii, usque ad proximum Pascha, novem ad minus menses computabantur,) indulsit Papa ut ante solemnitatem Paschalem, [a] extra quam & festum Pentecostes baptismus dari non solebat in Ecclesia Latina, lustralibus aquis tingerentur, indicta prius quadraginta dierum abstinentia & pœnitentia. Cumque ex illis plurimi pauperes essent, itaut ad emendam sibi [b] candidam vestem a recens baptizatis gestari solitam, ob rei domesticæ angustias, pares esse non viderentur; jussit Fantino defensori ut Ecclesiæ sumtibus compararentur hæ vestes, quas egestate laborantibus distribuere curaret. Interim Episcopum Agrigentinum monitum esse voluit, ut illos Christianæ religionis candidatos Catechumenos acceret, ac eos fide quam suscepturi erant mature docere, necnon Evangelicæ legis præceptis imbuere sollicitus foret.

II. Et Judæorum Agrigentinorum. L. 8. ep. 23.

Ut facilius Judæos alios clementia & mansuetudine ad fidem pertraheret sapientissimus Pontifex, prohibuit ne locis juxta leges sibi concessis depellerentur, aut aliis afficerentur injuriis. Id liquet ex Epistola Victori Panormitano Episcopo in gratiam Judæorum hac in urbe degentium scripta, [c] paullo post superiorem de Judæis Agrigentum incolentibus ad Fantinum directa. Si qui tamen Judæorum insolescerent adversus Christianos, eorum audaciam frangere & coercere quantocius satagebat, & Episcopos ut eorum pravis consiliis resisterent, hortabatur.

III. Alios Judæos injuste vexari prohibet S. Gregorius. Ibid. ep. 25.

Lætum de tot infidelibus ad fidem conversis nuntium turbarunt Anastasii Antiocheni Episcopi Epistolæ, *quæ pro verbis lacrymas fluebant.* Amici dolorem lenire, animumque pene subadversitatum pondere deficientem erigere conatus est Gregorius. A quibus tunc vexaretur hic Patriarcha, non explicatur in Epistola consolatoria summi Pontificis. Hæreticos tamen qui tunc in Oriente grassabantur plurimi, sub variis Acephalorum, Severianorum, Theodosianorum nominibus, adversariorum ejus antesignanos extitisse vix dubitamus. Præter commemoratos heterodoxos, alia monstra nuper consurrexisse queritur vigilantissimus Papa; novos videlicet errones, *qui Prophetas, Evangelia, & dicta Patrum evacuare moliebantur: sed permanente*, inquit Gregorius ad Anastasium, *vita vestræ Sancti-*

Ibid. ep. 21. IV. Anastasium Antioch. variis persecutionibus oppressum consolatur. Ibid. ep. 2.

 tatis,

a Vide notas ad hanc Ep.
b Consule notam 327. ad Librum Sacramentorum.
c Lege etiam Ep. 6. libri IX. & 55.

tatis, in protectoris nostri gratia speramus, quod eorum ora citius obmutescant, quæ contra soliditatem veritatis aperta sunt; quia & quamlibet acuti gladii intmittantur, cum saxum feriunt, fracti resiliunt. Optima sane ratio, cur tot hæreticorum tela in Ecclesiæ firmissimam petram intorta, retusa tandem in ipsos reciderint auctores. Aliunde spes affulgebat victoriæ de his Ecclesiæ hostibus reportandæ, scilicet ab eorum divisione: *Quia*, inquit sanctus Doctor, in ipsis, *qui a sancta Ecclesiæ doctrina divisi sunt, unitas non est.*

Inter eos qui sancto Anastasio infensi erant, S. Gregorius designare videtur Patriarcham CP. quem ait addidisse onera, cum sublevare debuisset; sub ovium vestitu intus fuisse lupum rapacem; *& solum pro aliis habere appetiisse, quod dignus non fuerat vel cum fratribus habere*, ob usurpatum scilicet œcumenici Patriarchæ titulum.

V. Moritur Anastasius. Eius successor ad S. Greg. scribit. Lib. IX. Ep. 49.

Paulo post acceptas a Gregorio litteras, Anastasius [a] ad tranquilliorem & meliorem vitam transiit, & successorem habuit alium Anastasium dictum juniorem; qui cum ad Papam scripsisset de sua provectione, ac fidei professionem ut moris erat misisset, responsum ab ipso tulit pergratum & caritatis melle conditum. Ut Sedis Anastasii majoris successor fuit ille Patriarcha, ita etiam molestiarum & persecutionum; nam post novem episcopatus annos, in seditione martyr occubuisse dicitur. In Epistola Sancti Gregorii qua respondet Anastasio nuper ad Sedem Antiochenam assumto, id præ ceteris observatione dignum, pseudo Ephesinam Synodum a Nestorianis habitam, in qua impia Cælestii & Pelagii dogmata sunt approbata, tunc sæpius pro ipsamet œcumenica Synodo Ephesina, versipellium hæreticorum fraude fuisse obtrusam. Cui errori ut occurratur, suadet doctissimus pater, in scriniis præcipuarum Ecclesiarum Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ, sincera Ephesinæ Synodi acta perquiri: ubi vides veterum codicum fidem & auctoritatem assertam.

Hæreticorum falsam Ephesi Synodum pro vera obtrudentium fraudem ex veteribus codd. detegendam censet S. Doctor.

VI. Eulogio Alexandrino pro subactis hæreticis gratulatur. Lib. viii. Ep. 30.

Tumultuantes adversus Anastasium hæreticos mox vidimus in Oriente. Pacatior autem erat Ægyptus, & Alexandrina Ecclesia sub Eulogio Patriarcha, qui plerosque hæreticos Ecclesiæ reconciliaverat, & concordiam inter fideles firmarat. Hæc ut accepit S. Gregorius, arrepto calamo statim amico gratulatus est; vicissimque de conversis nuper Anglis eum certiorem fecit. At de his jam diximus. Erat inter utrumque sanctissima consuetudo mutuis confirmata beneficiis & officiis: Eulogius postularat a summo Pontifice, *ut sibi cunctorum Martyrum gesta, quæ pie memoriæ Constantini temporibus ab Eusebio Cæsariensi collecta sunt transmitteret*. At ille respondit se de hac [b] Eusebiana collectione nihil umquam ante acceptam Eulogii Epistolam audisse. Addit: *Præter illa quæ in ejusdem Eusebii libris de gestis sanctorum Martyrum continentur, nulla in archivo hujus nostræ Ecclesiæ, vel in Romanæ urbis bibliothecis esse cognovi, nisi pauca quædam in unius codicis volumine collecta. Nos autem pene omnium Martyrum distinctis per dies singulos passionibus collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus. Non tamen in eodem volumine quis qualiter sit passus indicatur; sed tantummodo nomen, locus, & dies passionis ponitur. Unde fit, ut multi ex diversis terris atque provinciis per dies, ut prædixi, singulos cognoscantur martyrio coronati.*

VII. De Martyrologii Romani antiquitate.

Hinc habemus Martyrologii Romani prima veluti rudimenta. Ipsius meminit Synodus Cloveshoviensis an. 747. habita, in qua decretum *ut per gyrum totius anni natalitia Sanctorum uno eodemque die juxta Martyrologium Ecclesiæ Romanæ, cum sua sibi convenienti psalmodia & cantilena venerentur*. Martyrologiorum origo a fastis Ecclesiarum repetenda nobis videtur. Singulæ enim habebant Martyrum suorum aliorumque Sanctorum Catalogum, quorum in memoriam festi celebrabantur dies. Hinc Cyprianus; *Denique*, inquit, *& dies eorum quibus excedunt annotate; ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus*. De hoc argumento lector studiosus consulat Henricum Valesium, qui singularem edidit de Martyrologio Romano dissertationem, & suis in Eusebium Cæsariensem annotationibus adtexit; perpendatque rationes queis adstruere conatur vir doctissimus nullum umquam fuisse proprium ac peculiare Martyrologium Ecclesiæ Romanæ ante illud quod jussu Xisti V Pontificis maximi editum est hoc titulo, & Baronii annotationibus illustratum. Præcipua ducitur ex veterum Scriptorum silentio, quæ tamen ruit lecto Synodi Cloveshoviensis allato supra testimonio. Non inficiatur quidem Valesius Ecclesiam Romanam & alias saltem insigniores habuisse sua Kalendaria suosque fastos, quibus inscripta propriorum Martyrum ac sanctorum Episcoporum nomina continebantur; sed nullatenus Martyrologia, *quæ non unius*, inquit, *loci propria, sed totius Ecclesiæ fuere communia, quippe quæ totius Orbis Martyres Confessoresque generaliter continerent*. Certe si ex allata definitione controversiam dirimamus, Valesius lite casurus videtur. Quippe non alicujus Kalendarii meminit S Gregorius, in quo Martyrum tantum Romæ passorum nomina continerentur, sed codicis *in quo pene omnium Martyrum distinctis per singulos dies passionibus collecta nomina*. Ut autem agi de Martyribus ubique terrarum passis ostendatur, subdit: *In eodem volumine . . . nomen, locus, & dies passionis ponitur. Unde fit ut multi ex diversis terris atque provinciis, per dies . . . . singulos cognoscantur martyrio coronati*. Hic quid sentiamus de Valesii opinione aperire operæ pretium judicavimus; ne quis forte crederet notam quamdam quæ Valesio favet subjectam laudatæ Epistolæ ex Gussanvillæo, fuisse a nobis adoptatam. Absit enim ut omnia quæ in Gregorianas Epistolas observavit vir doctus, nobis appropientur.

Ep. 5 nova edit. olim 37. Opinio Henrici Valesii expenditur.

VIII. Suspicio de Vaticanorum codicum suppositione injecta diluitur.

Certe hoc loco suspicionem injicit de manu exaratorum codicum Vaticanorum suppositione, quam diluere nostri est officii. Ait enim: *Romæ nulla vel pauca tunc fuisse Martyrum gesta, nullas de Martyrum passionibus narrationes, id certe est mirabile, & novis auctoribus qui Vaticanos codices passim ingerunt, incommodum*.

At primo sanctus Gregorius minime dicit non extitisse in archivo Ecclesiæ Romanæ codicem quem

[a] De Anastasio legendus Evagrius lib. iv. hist. Eccles. c. 4. & lib. v. cap 5.
[b] Lege notas ad hanc Epistolam.

quem sibi communicari postularat Eulogius, sed tantum non inventum; unde subdit: *Quærentes quidem non invenimus, sed adhuc non invenientes quærimus; & si potuerint inveniri transmittemus.*

Secundo etiamsi *cunctorum Martyrum gesta, quæ... Constantini temporibus ab Eusebio Cæsariensi collecta fuerant*, in archivis & bibliothecis Romanis tunc locum non obtinuissent, inde temere colligitur *tunc Romæ nulla vel pauca fuisse Martyrum gesta, nullas de Martyrum passionibus narrationes*. Fatetur fortasse Gregorius caruisse suo tempore bibliothecas Romanas collectaneis in quibus acta Martyrum omnia aut pleraque reperirentur, quasi in unum corpus redacta; sed ditatæ nihilominus erant actis singularibus Martyrum, maxime in Italia, & præsertim Romæ martyrio coronatorum. Taceo de veteribus codicibus ad alia quam ad Martyrum historias pertinentibus, quorum poterat esse Romæ maxima copia: de his enim silet sanctus Doctor.

Tertio quid vetat etiam post sanctissimi Pontificis obitum multos aliunde codices Romam fuisse allatos, quos nunc laudare nos non puderet, etiamsi non essent Gregorio antiquiores? Qua etenim veneratione dignæ sunt membranæ plusquam centum annorum supra mille? Nunc ad historiæ Gregorianæ seriem revocemus gradum.

Bellum hoc anno in Italia exarsisse innuit sanctus Gregorius, dum deflet mala quæ a Barbarorum gladiis perpeti cogebatur, Ipsos in Sardiniam descensionem fecisse colligitur ex Epistola sequenti Indictione scripta. Idcirco fortasse voluit S. Gregorius ut nullus etiam Clericus a vigiliis & excubiis ad urbium custodiam necessariis excusaretur: eademque lege tenebantur Monachi. Non minus dolet vir sanctus de Judicum & Magistratuum *perversitate* & iniquitate, quam de ferocitate hostium. Inter arma enim silentibus legibus omnia sibi licere existimabant. Gennadius Africæ Patricius Paulum Episcopum in Numidia multis ab annis vexabat. Cumque Sedem apostolicam appellasset, variis calumniis impetitus Præsul, quominus Romam veniret obstiterat Patricius, penes quem in administratione hujus provinciæ summa erat auctoritas. Consensit Papa ut Episcopus ad Comitatum pergeret atque ad Augustum suas deferret querelas. Tandem Paulus in Numidiam redire jussus est, ut ab Episcopis hujus provinciæ judicaretur. Cujus innocentiam cognoscens Gregorius, ipsius causam Episcopis Adeodato, qui tunc [a] primatum gerebat, Maurentio, & præsertim Columbo commendavit; hunc enim noverat Ecclesiæ a beato Petro fundatæ addictissimum, & recti tenacissimum. Nihilominusminus ipsum adhuc muniré curat contra optimatum sollicitationes & impulsus, quibus ejus virtus labefactari potuisset. *Nulla ergo*, inquit, *vos res ab æquitatis studio, nulla suspendat potentia personarum. Sed innitens præceptis Dominicis, omnia quæ sunt rectitudini adversa, contemne. In defendendis partibus justitiæ constanter insiste. Odia pro veritate, si qua sunt, sustinere non renuas: ut tanto majorem in adventu Redemtoris nostri fructum mercedis invenias, quanto ejus mandata non negligens, in favorem justitiæ & defensionem impenderis.*

IX. Episcopum Numidiæ injuriam patientem protegit S. Pontifex. Lib. VIII. Ep. 2. Lib. 12 Ep. 8. Ibid. Ep. 13. Lib. 12 Ep. 73. Lib. VI. Ep. 61. Lib. VII. Ep. Lib. VIII. Epp. 12. & 13. a

Præter communem sollicitudinem quam de tota Ecclesia gerere debebat summus Pontifex, singulari studio & cura Ecclesiæ Africanæ prospicere tenebatur, quod a Romana suam traheret originem, ut docet S. Gregorius ad Dominicum Carthaginensem Episcopum scribens: *Scientes unde in Africanis partibus sumserit ordinatio sacerdotalis exordium, laudabiliter agitis quod Sedem apostolicam diligendo, ad officii vestri originem prudenti recordatione recurritis.* Hinc ad fovendam mutuam caritatem teneri utriusque Ecclesiæ Antistites probat; excurritque hac occasione in laudes caritatis, his verbis plane aureis: *Magna autem caritatis virtus est, dilecte Frater, quæ sinceritatis suæ vinculo alterna multo affectu corda constringit, & ea a gratiæ non sinit compage dissolvi: disjuncta conjungit, unita custodit, & ignotos sibi imagine reddit cognitos per amorem. Quisquis igitur in hujus cardine mentem figit, eum de supernæ patriæ habitaculo cujuslibet adversitatis impulsio non evellit; quoniam quocumque se verterit, a mandatorum limine non excedit.* Ita sapientissimus ille pietatis Christianæ magister omnibus Epistolis suis exquisitas [b] inspergebat sententias de caritate, de mundi contemtu, de adversis patienter ferendis, de studio sacrarum litterarum, & de ceteris virtutibus ad cælestem vitam pertinentibus; eoque veluti sale quidquid scriberet condire curabat.

X. Africana Ecclesia ducit originem a Romana. Ibid. Ep. 33. b

Episcopos, aliosque sacris ministeriis addictos a turpi lucro & avaritia verbo & exemplo avertere potissimum satagebat sanctissimus Pontifex. Hinc moleste tulit Donum Episcopum Messanensem pro sepultura tantum pretium accepisse, ut ejus qui sepulturæ jus comparaverat, heredes ad inopiam redacti viderentur. Suadet igitur Episcopo ut quæ accepit restituat, maxime cum ea esse juris alieni Palumbi Episcopi, Consentini testimonio probaretur. Etsi vero non prohibeat aliquid pro sepultura accipere, fateaturque antiqua ex consuetudine id factum; ait tamen in sua Ecclesia vetitum a se fuisse, nec cuiquam assensum se præbiturum, *ut loca humani corporis pretio possint adipisci. Nos*, inquit, *qui Episcopi dicimur, de humandis fidelium corporibus pensa facere quid debemus?* Postea scribens ad Januarium, indulsit tantum ut pro luminaribus acciperetur quod quisque offerre vellet. *Peti vero*, inquit, *aut aliquid exigi omnino prohibemus; quod valde irreligiosum est, ne aut venalis fortasse, quod absit, dicatur Ecclesia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus studeatis quærere qualibet modo compendium.*

XI. Quid de pretio pro sepultura dato senserit S. Gregorius. Lib. VIII. Ep. 3. Lib. IX Ep. 3.

Leo Catanensis Episcopus ferebatur qua tam redituum ecclesiasticorum partem non ex integro sed cum aliqua diminutione suis Clericis dividere, quod cupiditatis argumentum erat. Inde Acolythorum & aliorum de clero querelæ ad Papam pervenerunt. Ex tribus aliis bonorum Ecclesiæ portionibus una cedebat *Episcopo & familiæ ejus, propter hospitalitatem, & susceptionem: alia pauperibus; alia denique reparandis Ecclesiis servabatur.* Ut autem omnis querelarum calumniarumque in Episcopum tolleretur occasio, hæc decrevit sapientissimus & æquissimus judex; *Volumus ut quidquid Ecclesiæ tuæ ex reditu vel quolibet alio titulo fortassis accesserit, quartam exinde portionem sine diminutione aliqua debeas segregare; atque eam secundum Dei timorem Presbyteris, Diaconis, ac clero, ut tibi visum fuerit,*

XII. Quid de redituum Ecclesiæ partitione statuerit. Lib. VIII. Ep. 7. Lib. XI. Ep. 64.

a Vide quæ supra diximus lib. II. c. VI. num. 2.
b Vide Ep. 27. ac 35. lib. ejusdem VIII.

rit, discrete dividere: ita sane ut unicuique sicut meritum laboris exegerit, libera tibi sit, juxta quod prævideris, largiendi licentia: quatenus & hi qui merentur, etiam temporali se sentiant hoc commodo consolari: & alii; adjuvante Domino, eorum ad melius contendant imitatione proficere.

XIII. Et de Campagis. Lib. VIII. Ep. 27. [a]

Qui justis Catahensium Clericorum querelis pulsatus, hanc sententiam tulit contra Episcopum, eorumdem superbiam & inanem gloriolam repressit paulo post, ob usurpatos [a] campagos, quod est genus calceamenti ad usum Prælatorum solemniter Missam celebrantium. Is ut cum solis in tota Sicilia Diaconis Messanensis Ecclesiæ a Romanis Pontificibus concessum olim fuisset, Catanenses tamen Diaconi calceati campagis procedere præsumserant. Quem temerarium ausum exosus Papa scripsit ad Johannem Syracusanum ut ea de re inquireret, ac utrum a se vel alicujus auctoritate id præsumsissent exploraret; posteaque decerneret ipse quid facto esset opus: *Nam si negligenter*, inquit, *ea quæ male usurpantur omittimus, excessus viam aliis aperimus.*

XIV. Septem defensores facit regionarios. Ibid. Ep. 24.

Quemadmodum superbe insolenterque agentes coercebat, ita etiam utiliter pro Ecclesia militantibus debita honoris premia rependere satagebat. Idque defensores hoc anno sunt experti; nam septem ex ipsorum collegio Regionarios constituit, ob strenue navatam in causis Ecclesiæ & Pontificum obsequiis operam. Olim ex solis Diaconis assumebantur Regionarii; postea quorumdam Pontificum concessione, ex schola notariorum & Subdiaconorum nonnulli constituti sunt. Tandem ad defensores hic honor pervenit, S. Gregorii beneficio.

XV. Res monasticæ hujus anni attinguntur. Lib. VIII. Ep. 15. [b]

Etsi hoc presertim anno S. Gregorius quantum sibi cure essent res monastice [b] plurimis Epistolis palam fecerit, pauca tamen ex his delibabimus. Insigne pre ceteris est privilegium concessum monasterio sanctorum Johannis & Stephani in urbe Classitana constituto, de quo scripsit ad Marinianum Ravennatem Episcopum. Quid hoc privilegio cautum esset in gratiam Monachorum, inde repetendum.

Ex Epistolis 31. & 34. liquet Castelliense monasterium olim a magno Cassiodoro fundatum, non solum tunc perseverasse, sed etiam floruisse, aliaque monasteria sibi unita obtinuisse. Nam priori Epistola Secundinus Tauromenitanus Episcopus in Sicilia monetur ne patiatur monasterium sue diœcesis ad Castellienses Monachos pertinens, in laice persone potestatem venire. Alia Epistola S. Gregorius increpare videtur Johannem Episcopum Scillitanum, in cujus civitate positum erat illud Castelliense cœnobium, quod ipsi concessa privilegia longo usu firmata tentaret labefactare. Hac ex Epistola constat ipsum Scillacium Castrum in solo juris monasterii fuisse fundatum, cujus incole Castelliensibus persolvere censum tenebantur.

a Vide notas ad laudatam Ep.
b Vide Epp. 4. 8. 9. 21. 25. 31. 34.



SANCTI GREGORII PAPÆ VITA.

LIBER QUARTUS ET ULTIMUS,

Quidquid superest historiæ vitæque S.Gregorii exhibens.

CAPUT PRIMUM,

An. Christi 598. & 599.

I. Pax fit Romanos inter & Langobardos, annitente S. Gregorio. II. Prædicit eam non fore diuturnam. III. Bellum redintegratur ab Exarcho. IV. Schismatici ad Ecclesiam redeunt. Quid pro ipsis in unitate Ecclesiæ confirmandis præstiterit S. Gregorius. V. Schismaticorum Episcoporum depravati mores. VI. S. Gregorii caritas erga schismaticos. VII. De Secundino Monacho celeberrimo. Scribit contra tria capitula, etsi minime schismaticus. VIII. Secundini humilis confessio. Eum consolatur S. Gregorius. IX. S. Doctoris sententia de usu & cultu sacrarum imaginum expenditur. Ab Ecclesia doctrina nunc recepta non exorbitat. X. Objectionibus occurritur. S. Gregorius in Epistolis ad Serenum prohibet solum ne imaginibus latriæ cultus tribuatur. XI. Laudat imaginum usum, tamquam antiquitus receptum. Sed non adorationem proprie dictam. XII. Ejusdem veneratio erga Sanctorum reliquias.

I. Pax fit Romanos inter & Langobardos, annitente S. Greg. *Paul. Diac. lib. IV. hist. c. 13.*

JAm a longo tempore S. Gregorius de pace Romanos inter & Langobardos facienda confirmandaque cogitabat; quam ut impetraret egit tum apud Imperatorem, tum apud Agilulfum Regem ejusque uxorem Theodelindam, missis non solum Epistolis, sed etiam Legatis. Tam utili necessarioque Reipublicæ consilio semper obstiterat Romanus Exarchus; quamvis viribus impar, aliundeque belli & rei militaris non satis peritus esset, ut a Langobardis Italiam liberaret. Nuper Hunnorum Rex ab Agilulfo Mediolani sedente pacem impetrarat. Rebus itaque compositis cum bellicosissima gente, Langobardi ferocius imminebant urbibus adhuc intactis. Non ita pridem Crotonam in extrema parte Italiæ expugnarant, abductis in captivitatem civibus: Nuperrime Sardiniam populabundi invaserant; quod futurum prænuntiarat Gregorius, monueratque tum Gennadium Africæ Præfectum, tum Januarium Caralitanum Episcopum, ut insulæ defensioni prospicerent. Quis tunc ausus fuisset pacem sibi polliceri? At Deus in cujus manu sunt corda Regum, Agilulfum ad arma deponenda & accipiendas pacis conditiones a Papa oblatas flexit. Usus ille fuerat Probi [a] Abbatis ministerio, quem jam ante multum temporis ad Regem Reginamque miserat, ut de pace ageret; irrito tamen semper conatu, quamdiu vixit Romanus Exarchus hostis pacis infensissimus. Eo itaque mortuo cum Callinicus pro Reipublicæ bono melius affectus summa rerum potitus esset in Italia, spes denuo pacis resarciendæ affulsit. Tandemque facta est annitente præsertim Theodoro Ravennæ curatore, quem adjutorem expertus est in omnibus Probus pro pace concilianda Legatus. Pacta conditionesque pacis Agilulfus Rex optima fide sacramento confirmavit, qua de re Gregorius tum ipsi gratias egit, tum Theodelindæ Reginæ, quam studiosius pro concordia laborasse, a Probo Abbate acceperat. In Epistola ad Agilulfum eum rogat *ut suis ducibus per diversa loca, & maxime in Romanis partibus constitutis* præcipiat pacem *sicut promissum erat* custodire. Metuebat enim ne redintegrandi belli occasionem quærerent. Neque vanus fuit timor; Ariulfus enim Dux Beneventanus pacem servaturum se jurare noluit, nisi adhibitis certis conditionibus, in quibus latenter ac subdole opportunitatem quærebat Romanos incautos ob fidem datam opprimendi. Suspicionem augebat, quod VVarnilfrida, ex cujus arbitrio & consilio Ariulfus cuncta faciebat, *omnino jurare despexisset*.

Lib. VIII. ep. 7. Lib. IX. ep. 4. & 43.

Ibid. ep. 98.

II. Prædicit eam non fore diuturnam.

Alia ex parte Agilulfus & Langobardi urgebant Gregorium ut *pacto subscriberet*, quod negabat; quia *medius* & sequester erat Regem inter ac Exarchum. Itaque cum res in ancipiti essent, bellumque sub specie pacis periculosius imminere videretur: ne ignis doloso cineri suppositus erumperet, Romanis nihil tale cogitantibus, suasit Gregorius ut in ipsa pace, bella agitarentur consilia; scripsitque præsertim ad Januarium Caralitanum primo de conciliandis inter se hostium metu civium animis, *quia*, inquit, *hoc maxime tempore, quando de hoste formido est, divisum populum habere non debetis*. Deinde vero de Caralitana urbe aliisque insulæ locis muniendis. *Unde necesse est*, inquit, *ut Fraternitas vestra, dum licet, civitatem suam vel alia loca fortius muniri provideat, atque immineat ut abundanter in eis condita procurentur: quatenus dum hostis illuc Deo sibi irato accesserit, non inveniat quod laedat,*

Ibid. ep. 4.

a Quis fuerit ille Probus Abbas quærit Mabill. Annal. Benedict. lib. 9. n. 26. p. 252.

dat, sed confusus abscedat. Sed & nos pro vobis quantum possumus cogitamus, & iis quorum interest, ut se ad obsistendum Deo auctore præparare debeant, imminemus: quia sicut vos nostras tribulationes vestras attenditis, ita quoque nos vestras afflictiones nostras similiter reputamus.

III. Bellum redintegratur ab Exarcho.

Metus de brevi futuro bello non fefellit Papam; nam paulo post recruduit, & ferocius deferbuit. Nuper Agilulfus *pacem perpetuam* cum Theoderico Francorum Rege fœdusque constituerat: Tres duces, in his Veronensem, & Pergamensem cui jam bis pepercerat, cum rebellassent, oppressos jusserat morte affici, ut hac severitate ceteros in officio contineret. De pace paulo antea cum Hunnorum rege facta, supra diximus. Hæc perpendens Callinicus, ob reportatas de Sclavis victorias forte ferox, metuensque ne liber ab omnibus bellis Agilulfus conjunctis viribus in Romanos ex improviso irrueret, ipsum occupare constituit. Collecto itaque exercitu, tractisque ad Imperii partes nonnullis Langobardorum ducibus, Parmam urbem munitissimam obsidione cinxit ac expugnavit. Captos in hac expugnatione Godiscalcum ducem & ejus uxorem Regis filiam, Ravennam duxit Exarchus. At illatam sibi injuriam ulcisci cupiens Agilulfus vicemque rependere, eum tentare velle Cremonam, Mantuam, Montem Silicis in agro Patavino simulasset, ipsum adorsus est Patavium, quo potitus urbem solo æquavit; præsidium tamen Ravennam se recepit, populi autem pars maxima ad loca Venetorum palustria confugerunt. Ne obsessis opem ferre posset Exarchus, Rex imperavit Ariulfo & Longobardis Etruriam obtinentibus, ut Romam, ipsamque Ravennam, continuis excursionibus lacesserent. Interim Avares Langobardorum & Sclavorum copiis juncti, ferro igneque Histriam vastavere. Patavio capto, Mons Silicis expugnatur, & duo Langobardorum duces Tridentinus ac Forojuliensis, qui a Rege defecerant, veniam ob violatam fidem petunt, atque in gratiam recipiuntur. Ita turbatæ pacis religione sacramenti paulo antea sancitæ & consecratæ Callinicus pœnas dedit.

Paul. Diac. lib. 4. c. 21.

Paul. Diac. Ibid. capp. 24 & 25.

IV. Schismatici ad Ecclesiam redeunt. Lib. 12. ep. 7.

Id quam moleste tulerit S. Gregorius, qui pro pace adeo laboraverat, quamque amare jacturam illius fleverit hic pacis Angelus, facilius est cogitare quam verbis exponere. Dolorem tantisper lenivit reditus ad Ecclesiam [a] Capritanæ insulæ, quæ schismati pro tribus capitulis conflato diu adhæserat. Quandoquidem Capritanos ad schisma ejurandum a Callinico impulsos audierat Papa, ipsi gratias egit, laudavitque consilium de revocandis ad sinum Ecclesiæ dissidentibus, & tumultuantibus populis sibi subditis. Ne tamen in hoc proposito perseveraret, obstare videbatur jussio Mauritii Augusti, *pro schismaticorum defensione ad ipsum transmissa*; sed eam ita interpretatur Gregorius: *Quod autem exemplar jussionis quæ ad vos pro schismaticorum defensione transmissa est, mihi ostendi voluistis, pensare sollicite dulcissima mihi vestra Excellentia debuit: quia quamvis jussio ipsa subrepta est, non tamen in ea vobis præceptum est ut venientes ad unitatem Ecclesiæ repellatis, sed ut venire nolentes hoc incerto tempore minime compellatis. Unde necesse est ut hæc ipsa pissimis Imperatoribus nostris suggerere festine debeatis: quatenus cognoscant quod eorum temporibus schismatici cum omnipotentis Dei solatio & labore vestro, sua sponte reverti festinant.* In eadem ad Exarchum Epistola conqueritur S. Gregorius, tum de majore ejus domus, tum de Justino cujus consilio utebatur; qui nimirum non obscure hæreticis favebant atque schismaticis.

Quid pro ipsis in unitate Ecclesiæ confirmandis præstiterit sanctus Gregorius.

Quia hujus insulæ Episcopus, postquam petitione oblata Callinico, postularat ut sibi cum omni populo ad unitatem Ecclesiæ reverti liceret, mentem deinde mutaverat, & se ad schismaticos iterum contulerat: placuit Papæ ut Marinianus Ravennas Episcopus Capritanæ Ecclesiæ ordinaret Episcopum, qui ad suam Metropolim pertineret; donec Historici Episcopi ad fidem catholicam rediissent, quorum scilicet provinciæ tribuebatur insula Capritana. Nihilotamenminus ante novi Episcopi ordinatione visum est sapientissimo Pontifici, ut mitteretur prius ad schismaticum Episcopum, qui de reditu ad Ecclesiæ catholicæ unitatem, & ad propriam plebem eum admoneret. Scripsit etiam Gregorius ad hujus insulæ habitatores, laudans amorem unitatis quo flagrabant, & de iis quæ Mariniano scripserat eos certiores faciens. Pauca ex hac Epistola quasi flosculos quosdam excerpenda duximus, & apponenda: mulcebunt enim, & odore, & aspectu: *Redemtor noster*, inquit, ...*sic imis summa conjungit, ut ipse in æternitate permanens, ita temporalia occulto instinctu pia consulens moderatione disponat: quatenus de ejus manu antiquus hostis nullatenus rapiat quos ante secula intra sinum matris Ecclesiæ coadunandos esse præscivit. Nam etsi quisquam eorum inter quos corporaliter degit, flatibus motus, ad tempus ut palmes titubet: radix tamen rectæ fidei, quæ ex occulto prodit, divino judicio virens manet; quæ accepto tempore fructum de se ostentare valeat qui latebat. Quod in vobis nunc ex desiderio vestro gestum esse superni respectus illustratione cognoscimus, qui schismaticorum inter quos habitatis, pertinaciam refutantes, coadunari ouili Dominico mente promtissima ipsa rei operatione monstratis. Quibus enim scissura displicet, sanos se velle esse testantur, & reprobantes errorem, ostenditis vos amare quod rectum est, vitare quod devium.* De aliis Histriæ populis qui schisma deseruerant, agitur in aliis plurimis hujusce anni Epistolis. In illis ad Ecclesiam revocandis eluxeres maxime Gulfaris magistri militum studium, de quo ipsi gratulatur, & gratias agit pissimus Pastor; cumque ad perseverantiam, & ad protectionem a schismate redeuntibus impendendam adhortatur.

Ibid. ep. 10.

Ibid. ep. 7.

Ibid. epp. 65. 94. 95. 99.

V. Episcoporum schismaticorum depravati mores. Ibid. ep. 66.

Qui ex schismaticis illis ad ovile reversi fuerent, *de pravitate Episcoporum* Histriæ multa narrabant: quæ ut Mauricio Imperatori significarent, medelamque flagitarent, Constantinopolim se contulerunt, & Anatolio Sedis apostolicæ Legato commendari postularunt. Id cum illis denegare non posset sanctissimus Pontifex, scripsit Anatolio ut eis, *salva ratione*, præberet auxilium. Non dubitabat enim quin hæreticis & schismaticis, haud secus ac ceteris, æquum reddi deberet.

VI. Gregorii caritas erga schismaticos.

Hoc sane proprio probavit exemplo, erga Comensis Ecclesiæ Clericos, qui ab Ecclesia Romana secesserent, ut Histricorum schisma sequerentur. Constantius Mediolanensis Archiepiscopus, studio sacerdotali eos monuerat ut ad Ecclesiæ unitatem redirent: At illi responderunt se e multis injuriam passos, & præsertim ab Ecclesia Romana, quæ suæ Ecclesiæ prædium quoddam usurparat, potius

hac

a In intimo recessu maris Adriatici, non longe a littore provinciæ Forojuliensis.

hac iniqua prorsus agendi ratione a Romanorum societate repelli, quam caritate allici. Hæc ut accepit a Constantio Gregorius, respondit possessionem quam illi ablatam Comenses causabantur, contra rationis ordinem ultra detineri se minime passurum, si eis jure competeret, quamvis ad communionem redire differrent; sed, cognita veritate, restitui jussurum. Porro *si ad unitatem Ecclesiæ se converterint*, prædium de quo erat controversia, quamvis illis non competeret, libenter concessurum.

Schismaticis, uti jam diximus, accenseri non debere Secundinum Monachum, qui tamen trium capitulorum damnationi non consenserat, vel ex Epistola hoc anno ad ipsum scripta satis intelligitur. Magna erat Secundini fama, præsertim in aula Regis Langobardorum, & apud Theodelindam summa auctoritas, ob ipsius eruditionem & sanctitatem. Unde voluit Regina ut filium suum Adaloaldum e fonte sacro susciperet, Paulo rerum Longobardicarum scriptore teste, apud quem vocatur [a] *Secundus servus Christi de Tridento*. In inscriptione Epistolæ dicitur inclusus; & ex Epistolæ serie ubi *Monomaenus* appellatur, ob solitariam quam colebat vitam, liquet ipsum non Cœnobitam, sed Eremitam & Anachoretam fuisse. Ejus autem reclusionis districtio tanta non erat, ut e cella egredi non liceret, aut etiam de gravissimis negotiis tractare. Profert Mabillonius exemplum Sigoberti reclusi apud S. Dionysium, in agro Parisiaco, qui cum Grimone Abbate Corbeiensi ad Gregorium Papam eo nomine quartum, a Carolo Francorum Principe missus est. Cum adhuc hæreret pia Regina, & adduci non potuisset Gregorii adhortationibus aut precibus, ut trium capitulorum damnationem amplecteretur, Secundinus qui cum ipsa idem sentiebat, libellum scripsit quo suam tuebatur sententiam, rogavitque Gregorium Theodelinda, ut ad singula libelli ad se a Secundino missi responderet argumenta. Deprecatus est hunc laborem Gregorius ob podagræ dolores qui eum decumbere cogebant, & ab omni lucubratione feriari: *Sed si omnipotente Deo disponente, convaluero*, inquit, *ad cuncta quæ mihi scripsit* (Secundinus) *subtiliter respondebo*. Id tamen præstare sanctissimo Doctori numquam licuit ob assiduas infirmitates.

VII. De Secundino Monacho Ibid. Ep. 52.

a Lib. IV. c. 26. Scribit contra tria capitula, etsi minime schismaticus. Ann. Bened. pag. 252.

Lib. XIV. Ep. 12.

Diu ante libellum hunc in quo de fide rebusque ecclesiasticis disputabat pius ille Monachus, scripserat ad S. Gregorium, ab ipso postulans erudiri, & contra hostis insidias ejus monitis muniri. Qua in Epistola humili aperuerat confessione, se quamvis quinquagenario majorem, juvenilibus adhuc desideriis teneri & subjacere. Molestissime id ferentem ac pene animo despondentem erigit peritissimus vitæ cælestis magister, illi respondens mirum non esse si majores insidias callidi hostis patiatur, qui majora contra eum bella præparavit: *Tanto quippe ille deprecationis molimina ardentius exquirit*, inquit, *quanto te cælesti patriæ ferventius inhiare cognoscit* .... *Et nos quidem qui inter homines vivimus, sæpe per homines a callido hoste tentamur. Vos autem qui viam vitæ præsentis, extra hominum frequentiam ducitis, tanto majora certamina pati necesse est, quanto ad vos ipse tentationum magister accedit*. Cætera omitto sane eximia, & maxime a Monachis assidue legenda, ut inde discant nimiam de suo statu securitatem abjicere, & ex ea nasci solitam socordiam excutere, majorique contra latentes hostis insidias excubare vigilantia.

VIII. Secundini humilis confessio.

Eum consolatur sanctus Gregorius.

At in fine laudatæ Epistolæ occurrit locus de imaginibus, cujus occasione quid senserit S. Gregorius de sacrarum imaginum usu & cultu inquirendum & expendendum censemus. Postularat pius Monachus a Pontifice sanctas imagines, cui morem gerens misit *surtarias duas imaginem Dei Salvatoris, & sanctæ Dei Genitricis Mariæ, beatorumque Apostolorum Petri & Pauli continentes*. Præmonuerat discipulum de usu imaginum his verbis: *Valde nobis tua postulatio placuit, quia illum toto corde, tota intentione quæris, cujus imaginem præ oculis habere desideras, ut te visio corporalis quotidiana reddat exercitatum: ut dum picturam illius vides, ad illum animo inardescas, cujus imaginem videre desideras*. Et infra: *Scio quidem quod imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem filii Dei in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre desideras. Et nos quidem non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus quem per imaginem aut natum, aut passum, sed & in throno sedentem recordamur. Et dum nobis ipsa pictura quasi scriptura ad memoriam Filium Dei reducit, animum nostrum aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet*. Hic habemus omnem de usu cultuque imaginum Ecclesiæ catholicæ doctrinam, & ipsam ante illas prostrationem. Neque de hac parte laudatæ Epistolæ amplius disputandum, postquam eam Gregorio nostris in notis vindicavimus. Præterea idem docet sanctissimus Pater aliis in locis indubitatis. In Epistola ad Januarium paulo antea scripserat ut a Synagoga Judæorum crux & imago Dei genitricis, *cum ea qua dignum est veneratione* auferrentur.

IX. Sancti Doctoris sententia de usu, & cultu sacrarum imaginum expenditur.

Ab Ecclesiæ doctrina nunc recepta non exorbitat. Lib. IX. Ep. 6.

Neque vero quæ paulo post scripsit ad Serenum Episcopum Massiliensem, imagines quidem non esse frangendas, aut ex Ecclesiis projiciendas, imo potius in templis habendas, *ut hi qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant quæ legere in codicibus non valent*; at minime adorandas; hæc, inquam, venerationem imaginibus debitam non tollunt aut impugnant, sed damnant iconolatras, eos videlicet qui imaginem *quasi Deum colunt*, ut supra legimus in Epistola ad Secundinum. Id liquet ex ipsis Gregorii ad Serenum scribentis verbis: *Fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores aspiciens, easdem in Ecclesiis imagines confregit atque projecit. Et quidem zelum vos, ne quid manu factum adorari posset, habuisse laudavimus, sed frangere easdem imagines non debuisse indicamus*. Subdit quæ jam ex parte retulimus, imagines litteras nescientium codices esse, in quibus legant & discant, quæ ex libris addiscere non possunt.

X. Objectionibus occurritur. Ibid. Ep. 105. Sanctus Gregorius in Epistolis ad Serenum prohibet tantum, ne imaginibus latriæ cultus tribuatur.

Cum Serenus admonitionem summi Pastoris insuper habuisset, aliam is Epistolam scripsit, qua ipsius temere factum acrius increpavit: *Perlatum*, inquit, *ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus, Sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuisses, omnino laudavimus: fregisse vero reprehendimus. Dic, frater, a quo factum Sacerdote aliquando au-*

Lib. XI. Ep. 13.

a Idem Paulus docet ipsum historiam Langobardorum compendiose elucubrasse lib. III. de gestis Langobar. cap. 32. & lib. IV. cap. 42.

do auditum est quod fecisti. Si non aliud, vel illud te non debuit revocare, ut despectis aliis fratribus, solum te sanctum & esse crederes sapientem? Aliud est enim picturam adorare, aliud per pictura historiam quid sit adorandum addiscere. Infra docet *vetustatem* non sine ratione imagines admisisse. Unde ait Sereni facinus gravissimum in Ecclesia scandalum generasse, ita ut maxima *filiorum* ejus pars ab ejus communione se suspendisset. *Proinde hortamur*, inquit, *ut vel nunc studeas esse sollicitus, atque ab hac te præsumtione compescas, & eorum animos quos a tua disjunctos unitate cognoscis, paterna ad te dulcedine, omni annisu, omnique studio revocare festines. Convocandi enim sunt dispersi Ecclesiæ filii, eisque Scripturæ sacræ est testimoniis ostendendum, quia omne manufactum adorari non licet; quoniam scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Ac deinde subjungendum, quia picturas imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi fuerant sanctæ, ut nescientes litteras ipsam historiam intendentes quid actum sit discerent, quia transisse in adorationem videras: idcirco commotus es, ut eas imagines frangi præciperes.* Ex his constat

Luc. 4. 8.

XI. Laudat imaginum usum, tamquam antiquitus receptum. In Natali 9. de S. Felice. Sed non adorationem proprie dictam.

Primo, S. Gregorium laudasse imaginum usum, tamquam antiquitus in Ecclesia receptum. Neque tamen putamus ab ipsis religionis christianæ incunabulis, hunc cœpisse usum, cum & Judæis recens conversis potuissent immagines esse offensioni, & Gentiles nuper factos Christianos ad idololatriam revocare. Sed ubi sine periculo potuerunt recipi, statim visæ sunt in Ecclesiis maxime ad ornatum, & ad illiteratorum eruditionem, ut docet sanctus Paulinus Nolanus Episcopus, qui quarto seculo florebat.

Secundo, sanctum doctorem per adorationem quam vetat imaginibus exhiberi, intelligere supremum illum cultum soli Deo debitum. Unde adducit hoc Scripturæ testimonium, *Dominum Deum tuum adorabis, &c.* Et infra querens aliquam Sereni facto excusationem, ait non alio consilio fractas ab eo, & projectas fuisse imagines, quam ne adorarentur, quod jam a nonnullis admissum observarat. Certe *inter Gentes* degebat Serenus, ut ait S. Gregorius. In Galliis hoc ævo multas adhuc idololatriæ reliquias superstites fuisse jam observavimus. Hinc nonnullos ante imagines prostratos videns Massiliensis Episcopus, temere judicavit eos imagines tamquam Deum colere; ac majori temeritate, quæ ad communionem ejus deserendam plerosque compulit, easdem imagines fregit & projecit.

Lib. 11. Ep. 13.

XII. Ejusdem veneratio erga Sanctorum reliquias.

S. Gregorii mens erga cultum sanctarum imaginum agnosci quoque potest ex singulari veneratione quam sacris reliquiis exhibendam ubique docet; etiam linteis & pannis, [a] qui super sanctorum Apostolorum, aut Martyrum tumulos positi fuerant, aut similibus. Qui sub ejus disciplina instituti erant Augustinus ejusque socii, cum Doroberniam ingressi sunt, uti supra narravimus, crucem & imaginem Salvatoris pro sacro vexillo præferre constituerunt; ut publice, quantum iis cultum, quantam deferrent reverentiam, testarentur. At quæ a discipulis hic facta legimus, doctrinę magistri sunt argumentum.

a Vide lib. IV Epist. 30. lib. VII. Epist. 26. lib. IX. Epist. 122.

CAPUT II.

An. 598. & 599.

I. Cyriacus Abbas in Galliam Legatus mittitur. II. Massiliam venit, ubi a Sereno male exceptus. III. Inde Arelatum. De privilegiis ab apostolica Sede ad Regum postulationem concessis. IV. Desiderio Viennensi pro suæ Ecclesiæ privilegiis supplicanti quid responderit S. Gregorius. V. Usum dalmaticarum Aregio Vapincensi concedit. VI. Et Pallium Syagrio Augustodunensi. Quibus conditionibus. VII. Epistolę ad Galliarum Reges, de emendandis cleri Gallicani corruptelis. Quo successu. VIII. De Mauriennensi Episcopo. IX. Cyriaci legatio in Hispaniam. X. Felix tunc Hispaniæ status. De Claudio regni administro a Papa laudato. XI. Argumentum Epistolæ ad Leandrum scriptæ. Pallio donatur. XII. Recaredi Regis encomium. Respuit pecuniam a Judæis oblatam. XII. Eximia Regi data monita.

I. Cyriacus in Galliam Legatus mittitur.

Ecclesia Gallicana Gregorio nostro semper carissima, hoc præsertim anno paternam ipsius experta est sollicitudinem. Cum enim de variis vitiis & corruptelis in [a] Gallia grassantibus certior factus esset, non satis habuit de his emendandis Reges & Episcopos admonere; sed etiam Legatum eo mittendum existimavit: qui, ut quantocius concilium celebraretur ad hæc resecanda strenue apud Principes ac Antistites ageret. Is fuit Cyriacus Abbas S. Andreæ ad Clivum Scauri, qui prius in Sardiniam missus fuerat ut in [b] Barbaricinorum conversione Felici Episcopo collaboraret. Unde intelligimus quantum floreret tum istud Romanum S. Gregorii Monasterium; ex quo videlicet eodem tempore tot assumti sunt verbi sacri præcones ad Anglorum conversionem missi; & Sedis apostolicę Legatus delectus, qui tum in Galliis, tum in Hispaniis gravissima negotia pertractaret.

a Lib. IX. Ep. 105. & 110. Mabill. an. Benedict lib. IX. p. 256.

II. Massiliam venit, ubi a Sereno male exceptus. Cap. I. n. 10. Lib. XI. Ep. 13.

Cyriacus multis Papæ Epistolis munitus, Massiliam primum venit maritimo itinere, ubi salutato Sereno Episcopo, nomine Pontificis, litteras de fractione imaginum commonitorias dedit, quarum supra meminimus. Legatum ab Episcopo non ea qua par erat caritate ac reverentia exceptum fuisse inde conjicimus, quod, ut liberius stomachari liceret, finxerit Serenus Pontificias litteras a Cyriaco sibi oblatas, supposititias esse. Hanc falsi suspicionem Legato injuriosam graviter postea redarguit S. Gregorius, ita scribens ad Serenum: *Ex illo autem quod de scriptis nostris, quæ ad te misimus, dubitastis*

a Maxime in regno Burgundiæ extra quod non extendebatur Cyriaci legatio, & Syagrio collata potestas cogendarum Synodorum.
b Vide lib. IV. Ep. 24. 25. 26.

bitasses, quam sis incautus apparuit. Nam si diligenter ea quæ fraterno amore monuimus, attendisses, non solum minime dubitasses, sed immo quid te sacerdotali gravitate oporteret agere, cognovisses. Neque enim Cyriacus quondam Abbas, qui scriptorum nostrorum portitor exstitit, istius disciplinæ vel eruditionis fuit, ut vel ipse aliud facere, sicut putas, auderet, vel istam de ejus tibi persona suspicionem falsitatis assumeres. Sed dum monita salubria pensare postponis, contigit ut jam non solum actu, verumetiam esses interrogatione culpabilis.

III. Inde Arelatem. Lib. IX. Ep. 111.

Massilia relicta Cyriacum Arelatem venisse credimus, & ad Virgilium detulisse summi Pontificis Epistolam, qua confirmabat privilegia [a] cuidam monasterio virorum olim a Vigilio Papa concessa. De privilegiis huic cœnobio indultis nihil aliud scimus quam quod nos docet S. Gregorius; scilicet gloriosæ memoriæ [b] Childebertum Francorum Regem intra muros Arelatensis civitatis monasterium virorum constituisse, & quædam pro habitantium sustentatione concessisse; cujus ne voluntas duceretur in irritum, & ea quæ pro quiete Monachorum disposita fuerant, turbarentur, Epistolis suis hæc apostolica petiisse auctoritate firmari. *Subjunxerat petitioni suæ ut eidem monasterio tam in dispositione rerum, quam in ordinatione Abbatis quædam pariter privilegia largirentur: sciens quippe eam apostolicæ Sedi reverentiam a fidelibus exhiberi, ut quæ ejus fuissent decreto disposita, nullius deinceps illicitæ usurpationis molestia quaterentur.* Annuerat Regiæ postulationi Vigilius Papa, & ea de re scripsit ad Aurelium seu Aurelianum Episcopum. Verum ne lapsu temporis, quæ indulserat Vigilius oblivione delerentur, & ab Arelatensibus Episcopis convellerentur, S. Gregorius exemplum privilegii ab antecessore suo concessi misit ad Virgilium, & omnia in ipso contenta rata se habere significavit. *Nam licet*, inquit, *ea quæ semel apostolicæ Sedis auctoritate sancita sunt, nil egeant firmitatis; ex abundantia tamen cuncta, quæ pro hujus rei quiete a prædecessore nostro statuta sunt, nostra iterum auctoritate in omnibus roboramus. Fraternitas ergo vestra ita se in custodiendis eis exhibeat: quatenus & omnem occasionem inquietudinis excludat, & aliis hæc operari suadeat, dum se in custodienda [c] defuncti piissima voluntate, sollicitam, ut decet, exhibuerit & devotam.* Adeo cautum esse servorum Dei tranquillitati cupiebat optimus pater. Ceterum hæc & similia [d] privilegia sæpe Gallicanis monasteriis, postulantibus etiam Regibus, concessa Romanis a Pontificibus, jam tunc summam eorum etiam in Gallis auctoritatem fuisse probant, citra quam videlicet nihil ratum habebatur; qua vero accedente inconcussa omnia stabant.

Ta privilegiis ab apostolica Sede ad Regum postulationem concessis.

IV. Desiderio Viennensi pro suæ Ecclesiæ privilegiis supplicanti quid responderit S. Gregorius. Lib. IX. Ep. 112.

Arelate discedens Cyriacus fortasse Viennam perrexit, Desiderioque Archiepiscopo obtulit S. Gregorii Epistolam, qua ipsi etiam pro privilegiis supplicanti respondet. Aiebat hic Præsul Ecclesiæ suæ quædam olim privilegia esse ab apostolica Sede concessa, usumque Pallii suos antecessores antiquitus habuisse: quæ sibi aliisque in posterum Viennensibus Antistitibus restitui magnopere cupiebat. Sed nihil repertum in Ecclesiæ Romanæ scrinio, quo de concessis aliquando privilegiis illis fides fieret, testatur S. Gregorius; unde monet Archiepiscopum ut in requirendis Ecclesiæ suæ chartis sit sollicitus; & si quæ reperiantur quibus quod contendebat probari possit, Romam curet transmittere. *Nam qui nova concedimus*, inquit, *vetera libentissime reparamus.* Unde liquet non omnibus olim Metropolitanis concessum Pallium. Eadem fere scripsit postea Ætherio Lugduensi.

L. XI. Ep. 56

V. Usum dalmaticarum Aregio Vapincensi concedit. Ibid. Ep. 107

Cyriacum Vapincum petiisse testis est Epistola ad [e] Aregium Episcopum Vapincensem scripta, qua sanctissimus Pontifex tum amicum de suorum obitu mœrentem consolatur, tum rogat ut Synodo per Syagrium cogendæ intersit, ac se de omnibus in ea gestis reddat certiorem; quod tanti viri sanctitatem compertam haberet. Aregius non ita pridem Romam profectus fuerat ad invisenda sanctorum Apostolorum limina, & ad salutandum S. Gregorium; postularatque ut sibi atque Archidiacono suo licentia daretur utendi dalmaticis. Iis enim tunc non utebantur Diaconi promiscue, sed tunicis quæ erant strictis manicis, dalmaticæ vero amplis. Legimus in [f] vita S. Cæsarii Arelatensis Symmachum Papam, *tanta ejus meritorum dignitate permotum .... Diaconos ipsius ad Romanæ instar Ecclesiæ dalmaticarum fecisse habitu præeminere.* Aregius *hominum suorum infirmitate compulsus festinanter abscesserat*, nondum obtento dalmaticis utendi privilegio. Quod per Cyriacum ad eum misit, additis etiam ipsis dalmaticis.

Johan. Diac. lib. III. vitæ c. 59.

VI. Et Pallium Syagrio Augustodunensi.

Tot perlustratis urbibus, Legatus tandem Augustodunum pervenit, ubi maxime cum Syagrio Episcopo de negotiis ecclesiasticis tractandum erat. Duas ad eum S. Gregorii Epistolas detulit Cyriacus, unam velut encyclicam & Syagrio Augustodunensi, Etherio Lugdunensi, Virgilio Arelatensi, Desiderioque Viennensi Episcopo communem, qua grassantia in Gallicanis Ecclesiis mala enumerat, videlicet simoniam, neophytorum seu laicorum nondum probatorum præproperam provectionem ad sacerdotia, mulierum cum Clericis cohabitationem; necnon Synodorum quæ quotannis haberi debent, neglectum; de quibus eliminandis in Concilio deliberandum censet: alteram, qua prius gratiis actis ob navatam Augustino operam, ipsi [g] Pallii usum concedit, decernitque ut Ecclesia Augustodunensis primum in provincia locum post Lugdunensem obtineat. Deinde Syagrio tamquam apostolicæ Sedis vices gerenti curam congregandæ Synodi demandat. Magna erat hujus Epis-

a De hoc monasterio consule notas ad laudatam Epistolam, & Annales Bened. Mabill. lib. v. pag. 128. ubi refellit conjecturam Auctoris Pontific. Arelat. de hoc monasterio.

b Multa alia monasteria construenda curavit & amplissimis ditavit donis Childebertus, maxime celeberrimum S. Germani apud Parisios ascesterium.

c Ex his discimus non solum Aurelium privilegiis ab apostolica Sede indultis consensisse, sed etiam ut concederentur optasse; quod persuadere videtur præfatum monasterium, præter Childebertum Regem, fundatorem etiam habuisse Aurelium, fortasse quod ipse Regulam dederit ad cujus præscriptum viverent Monachi. Eam ipse Cod. Reg. part. 2. pag. 69.

d Vide præsertim lib. XIII. Epp. 6. 8. 9. 10.

e Sive Aredium: hic successerat Sagittario, qui cum Salonio plurimis in Conciliis fuerat depositus. Tandem uterque in basilicam B. Marcelli Cabil. sub custodia detruditur, teste Greg. Turon. lib. v. histor. c. 28.

f Tom. 1. act. SS. a Mabillonio edit. pag. 685.

g Supra observavimus non omnibus Metropolitanis datum olim Pallium. Neque illis solis concessum probat exemplum Syagrii, Plurbus etiam Siciliæ Episcopis, aut Panormitanus concessum legitur in Gregorianis Epistolis.

Lib. 12. Ep. 11

copi auctoritas apud Brunichildem Reginam ejusque nepotes Theodericum & Theodebertum. Nec immerito, nam *Sacerdotis nomen*, Johannis Regionarii aliorumque multorum testimonio, *etiam moribus implebat*. Jam pridem erat ex quo Brunichildis de Pallio ipsi concedendo apud Papam egerat. Quid autem causæ fuerit, ut tardius hoc honore donaretur, disce ex laudata mox ad eamdem Reginam Epistola. Imo quando illi utendi Pallio ad sacra tantum Missarum solemnia celebranda potestatem fecit, adjecit conditionem: *Quod*, inquit, *ita tibi dandum esse decrevimus, si prius per Synodi definitionem emendare promiseris quæ corrigenda mandavimus*. Et infra: *Unde quia præcellentissimos filios nostros Francorum Reges magnam vobis novimus dilectionem impendere, omni vos studio omnique agere annisu necesse est, ut quod de Synodo congreganda mandavimus, Fraternitatis vestræ vigilantia compleatur, atque omnia illic quæ pro animarum salute scripsimus censeantur; quatenus per hoc, & vos zelum vestrum, & qualiter vobis illicita displiceant ostendatis, & nos utiliter providisse, qui vestram ad hoc præ ceteris personam elegimus, videamur*.

Quibus conditionibus.

VII. Epistolæ ad Gallicarum Reges de emendandis cleri Gallic. corruptelis.

De eodem argumento scripserat Papa cum ad Brunichildem, tum ad Reges Theodericum & Theodebertum. Summa ejus Epistolarum est, multos per simoniam ordinari, & ex laicis repente fieri Episcopos. Synodum ad hæc emendanda celebrari curent; insuperque constituant ne Judæis Christiana liceat habere mancipia. De Synodo celebranda iterum scripsit multas [a] Epistolas duobus annis elapsis.

a Lib. 12. Epp. 109 & 110. Quo successu.

Concilium tamen pro extirpandis & eliminandis e clero Gallicano hujusmodi corruptelis, quod sanctissimo Pontifici adeo cordi erat, nullum his temporibus habitum in Galliis legimus, forsasse quod Syagrio sibi prælato Episcopi, Metropolitani maxime, obtemperare detrectaverint.

VIII. De Taurinensi Episcopo. Ibid. Ep. 115 & 116. b

Non feliciorem exitum habuit quod postularat ab iisdem Regibus pro Ursicino Taurinensi Episcopo, nimirum, ut ejus Ecclesiæ subtractæ quædam parochiæ restituerentur. Controversia præsertim erat de Mauriennensibus & Segusiensibus; quas cum occupasset Guntramus Rex, noluit amplius Taurinensi subesse Episcopo, quia hæc urbs erat in Langobardorum ditione. Itaque proprium habere cœpit Episcopum urbs [b] Maurienna, qui primo Tarentasiensi Metropolitano attributus est, postea Viennensi, quod hodie perseverat.

IX. Cyriaci legatio in Hispaniam.

Cyriaco apud Hispanos felicius legatio cessit: etenim ipso annitente, ut par est credere, celebratum est hoc anno Kalendis Novembris Barcinonense Concilium, cujus cum quatuor sint tantum Canones, duo simoniacam labem insectantur, tertius adversus præmaturas Neophytorum ordinationes conditus est. Hoc nomine, ut diximus, intelliguntur laici, qui nondum assidua exercitatione probati, auspice ambitu, sæculari potestate duce, ad sacerdotia, & ad ipsos prosilire audebant episcopatus.

X. Felix tunc Hispaniæ status. De Claudio Regni administro a Papa laudato. Lib. 12. Ep. 120.

Felix tunc erat Hispaniæ status sub Recharedo Rege optimo, qui ad Regni sui administrationem adjutores adhibuerat probos viros; in his Claudium, & Leandrum Hispalensem Episcopum de quo sæpe jam dictum est. Claudius vero quis & qualis esset, non potest melius agnosci quam ex Gregoriana Epistola cujus lator fuit Cyriacus: *Quia unguenti more honorum fragrat opinio, vestræ Gloriæ de Occidentalibus partibus huc usque odor tetendit. Cujus profecto auræ suavitate respersus, multum fateor quem nesciebam dilexi, atque intra sinum cordis amoris manu te rapui: nec jam cum nesciens diligebam, cujus bona cognoveram. Qui enim mihi magna intentione notus, sed corporis visione manet incognitus, de eo proculdubio veraciter dicere possum, quia personam illius scio, sed domum nescio. Magna autem vestræ laudis datur assertio, quod excellenti Gothorum Regi vestra Gloria sedulo adhærere perhibetur: quia dum malis boni semper displiceant, bonos vos esse certum est, qui bono placuistis*. Postea optimum virum ad perseverantiam hortatur; & in fine Epistolæ commendat Cyriacum, *ut peractis quæ ei injuncta erant, nulla eum remeandi mora præpediret*. De duabus aliis Epistolis ab hoc Legato in Hispaniam delatis, una ad Leandrum, altera vero ad ipsum Regem, quæ sane sunt eximiæ, tacere non est integrum.

XI. Argumentum Epistolæ ad Leandrum scriptæ. Ibid. Ep. 121.

In priori Gregorius mire laudat litteras quas nuper a sancto viro acceperat. *Boni*, inquit, *sapientesque viri, cum legeretur* (hæc Epistola) *adfuerunt, quorum statim viscera in compunctionem commota sunt. Cœpit quisque amoris manu in suo corde te rapere, quia in illa Epistola tuæ mentis dulcedinem non erat audire, sed cernere. Accendebantur & mirabantur singuli, atque ipse ignis audientium demonstrabat, qui fuerat ardor dicentis*. Quæ sane magnum deperditæ hujus Epistolæ desiderium generant. Unum in ea vituperat Pontifex incredibilis humilitatis, & dolet ab amico scriptum; nimirum *vitam suam cunctis esse imitabilem*. His provocatur ad lacrymas de amissa priori vitæ tranquillitate, adeptoque Pontificatu: *Quasi enim*, inquit, *prospero statu navigabam, cum tranquillam vitam in monasterio degerem. Sed procellosis subito motibus tempestas exorta, in sua perturbatione me rapuit, & prosperitatem itineris amisi: quia quiete perdita mentis naufragium pertuli. Ecce nunc in undis versor, & tuæ intercessionis tabulam quæro, ut qui navi integra dives pervenire non merui, saltem post damna ad littus per tabulam reducar*.

Pallio donatur.

In fine Epistolæ significat missum ad Leandrum ex S. Petri benedictione Pallium, quod & antiquæ consuetudini, & ipsius gravitati ac bonitati, & Recharedi Regis, qui hunc honorem suo in fide catholica patri & magistro concedi rogarat, optimis moribus jure debeatur.

Ibid. Ep. 122. XII. Recharedi Regis encomium. Ibid. Ep. 122. Psal. 76. 11. c

In Epistola qua [c] litteris a Rege acceptis respondet S. Gregorius, non minus elucet summa animi demissio. Nam postquam de conversis ad fidem catholicam Recharedi opera omnibus Gothis, prius Arianis, exclamavit stupens: *Hæc est immutatio dexteræ excelsi*; subdit: *cujus enim vel saxeum pectus tanto hoc opere cognito, non statim in omnipotentis Dei laudibus, atque in tuæ Excellentiæ amore mollescat? Hæc me, fateor, quæ per vos acta sunt, sæpe convenientibus filiis meis dicere, sæpe cum eis pariter admirari delectat. Hæc me plerumque etiam contra me excitant, quod piger ego & inutilis tunc inerti otio torpeo, quando in animarum*

a Vide lib. xi. ab Ep. 58. ad 63.

b Dicta postea cum ipsa valle S. Johannes de Maurienna, ob miraculorum S. Johannis Baptistæ celebritatem hoc in loco, ubi insignes ejus extant reliquiæ; de quibus vide Greg. Turon. lib. 1. de glor. Mart. c. 14. & seq.

c Habentur Tom. 2. col. 977.

marum congregationibus pro lucro cælestis patriæ Reges elaborant. Quid itaque ego in illo tremendo examine Judici venienti dicturus sum, si tunc illuc vacuus venero, ubi tua Excellentia greges post se fidelium ducet, quos modo ad veræ fidei gratiam per studiosam & continuam prædicationem traxit?

Postea gratias agit pro muneribus regiis ad beatum Petrum missis: (in his erat calix aureus) & maxime laudat Regem ob rejectam ingentem pecuniæ summam, quam Judæi obtulerant, ut legem contra ipsos latam refigeret: quo facto, auro innocentiam prætulit, & Davidem æmulatus est, imo superavit. Nam *si ab armato Rege in sacrificium Dei versa est aqua contempta, pensemus quale sacrificium omnipotenti Deo Rex obtulit, qui pro amore illius non aquam, sed aurum accipere contemsit? Itaque, Fili excellentissime, fidenter edicam, quia libasti aurum Domino, quod contra eum habere noluisti. Magna sunt hæc, & omnipotentis Dei laudi tribuenda.* Lib. IX. Ep. 61. Respuit pecuniam a Judæis oblatam.

Quanto præstantiora erant quæ de juveni Rege narrabat Gregorius, tanto majus imminebat a superbiæ spiritu periculum. *Neque enim*, inquit, *latrunculi in via capere viatores vacuos expetunt, sed eos qui auri vascula vel argenti ferunt.* Itaque contra dolosi hostis latentes insidias eum eximiis monitis & præceptis muniendum putavit. *Sæpe namque*, inquit, *malignus spiritus ut bona destruat quibus prius adversari non valuit, ad operantis mentem post peractam operationem venit, eamque tacitis cogitationibus in quibusdam suis laudibus excutit; itaut decepta mens admiretur ipsa, quam sint magna quæ fecit. Quæ dum per occultum tumorem apud semetipsam extollitur, ejus qui donum tribuit, gratia privatur:...... Quid ergo in his agendum est, nisi ut malignus spiritus cum nobis ad elevandam mentem reducit bona quæ egimus, nos semper ad memoriam mala nostra revocemus: quatenus & nostra cognoscamus esse quæ peccando fecimus, & solius omnipotentis Dei munera, cum peccata declinamus?* XIII. Eximia Regis data monita.

Pro acceptis a Rege muneribus sacras reliquias rependit S. Gregorius. Longe ampliora dona Recharedus miserat diu antea per Legatos qui erant *Abbates ex monasteriis; at quibusdam scopulis prope Massiliam inhærentes, vix suas potuerunt animas liberare.* Sed de Gregoriana ad hunc Regem Epistola satis, maxime cum in notis ad ipsam, ejus excellentia commendetur. Ibid. ep. 61.

CAPUT III.

I. Gregorius ægrotans, nihil remittit de cura pastorali. II. Crementius Byzacenæ provinciæ Primas ad ejus judicium confugit. III. Metropolitanorum in suæ provinciæ Episcopos auctoritas. IV. Vagantes absque Metropolitani licentia Episcopos ad eos remitti jubet S. Gregorius. V. Forma judiciorum in Episcopos, in condemnatione Episcopi Melitensis. VI. Defensorum officium usurpantes puniuntur. VII. Humilis responsio S. Gregorii ad injustas querelas. VIII. In variis ejus decretis quanta eluceat prudentia. IX. Quanta ejus de Monachis sollicitudo. X. S. Columbanus eum consulit. An. 598. & 599.

Etsi compertum habemus hoc præsertim anno Gregorium infirma usum esse valetudine, ac podagra laborasse, numquam tamen strenuum se magis ostendit in exequendis quæ sui erant officii, uti probant tot variis de negotiis ad universi pene Orbis Christiani Episcopos ab eo scriptæ Epistolæ: adeout perpensis quæ pro Ecclesia & Republica gessit dicere libeat, ægrotante Gregorio, semper valuisse ac viguisse Pontificem. I. Gregorius ægrotans, nihil remittit de cura pastorali. Lib. IX. Ep. 121.

Extrema ex Africa, nimirum ex Byzacena provincia Crementius ipsius Primas ad Papæ judicium tandem confugere coactus est. Is de quodam crimine fuerat accusatus, & Imperator eum juxta canonica statuta voluerat a Romano Pontifice judicari, sed Theodorus Magister militum, acceptis decem auri libris, *obstitit ut minime fieret*. Urgebat tamen Augustus ut Papa *transmitteret aliquem, & quidquid esset canonicum faceret*. Crementius itaque a suis collegis & coepiscopis impetitus, instante aliunde Imperatore, misit in Siciliam Martinum scholasticum ad Johannem Syracusanum, quem sciebat Gregorio gratissimum & familiarem, ut eo favente facilius posset summo Pontifici obrepere. Profitebatur hic Primas se apostolicæ Sedi subjectum esse; sed dubium erat utrum pure an ficte. Quod autem se dicebat Sedi apostolicæ subjici, *si qua culpa in Episcopis invenitur*, inquit S. Doctor, *nescio quis ei Episcopus subjectus non sit*. Lib. X. Ep. 39. II. Byzacenus Primas ad ejus judicium confugit. L. VI. Ep. 59.

Crementius ejusque patronus Martinus Scholasticus, ut Byzacenorum Episcoporum criminationes facilius diluerent & in eos regererent, de ipsis varias querelas ad summum Pontificem detulere: maxime quod ex illis aliqui sine Primatis sui Epistolis ad Comitatum profecti essent, & conventus illicitos celebrarent. Id minime sibi probari significavit Gregorius, at in hoc negotio sententiam ferre noluit: *Quia*, inquit, *causarum origo, vel qualitas omnino nobis ignota est:* [a] *pronuntiare aliquid definitive non possumus; ne, quod reprehensibile nimis est, de rebus non bene cognitis proferre sententiam videamur.* Scripsit vero ad Johannem Syracusanum, ipsius arbitrio permissum ea de re colloqui cum Martino, & quid facto esset opus judicare. Causam Crementii postea in Synodo Byzacenæ provinciæ agitatam non docet Epistola 32. libri XII. ad camdem Synodum scripta. L. VI. Ep. 58. a

Ex querela Crementii de suæ provinciæ Episcopis sine sua licentia & litteris commendatitiis *ad Comitatum*, hoc est ad aulam profectis, datur intelligi quantum tunc a suis Metropolitanis aut Primatibus penderent eorum suffraganei. Idem probatur ex alia S. Gregorii Epistola Sardiniæ Episcopis directa, qua arguit tum eos qui diem paschalis festivitatis a suo Metropolita non dignabantur addiscere, III. Metropolitanorum auctoritas in provinciæ suæ Episcopos.

a Eadem prudentia elucet in Ep. 29. lib. X. ubi de causa Pompeii Episcopi agitur. In ea videtur minime probare confessionem criminis tormentis extorqueri. *Hæc*, inquit, *gesta esse poterant ad definiendum idonea, si accusati ea confessio sequeretur, si tamen eamdem confessionem subtilitas examinis ex occultis eliceret, & non afflicti vehemens extorqueret, quæ frequenter hoc agit, ut noxios sese fateri cogantur etiam innoxii,*

L. ix. Ep. 6. cere, tum illos qui pro emergentibus Ecclesiæ suæ causis *transmarina* petentes, sine sui Metropolitani *cognitione vel Epistolis*, sicut canonum ordo constituit, audebant ambulare. *Hortamur ergo*, inquit, *Fraternitatem vestram, ut antiquam Ecclesiarum vestrarum consuetudinem exequentes, tam de suscipienda Paschali denuntiatione, quam etiamsi quemdam vestrum pro causis propriis ubicumque compulerit ambulare necessitas, ab eodem Metropolitano vestro secundum indictam vobis regulam petere licentiam debeatis, nec eum postponere in aliquo præsumatis; excepto si, quod non optamus, contra eumdem Metropolitanum vestrum habere vos aliquid causæ contingat, ut ob hoc Sedis apostolicæ judicium requiratis.*

IV. Vagantes absque Metropolitani licentia Episcopos, ad eos remitti uvlet S. Greg. Ibid. Ep. 113.

Vagos Episcopos Metropolitanis inobedientes ipsis reddi præcipiebat, ut dignis afficerentur pœnis. Unde scribit Syagrio Theodorum quemdam Episcopum *diœcesis* Mediolanensis, qui disciplinam Constantii Archiepiscopi devitans morabatur in Gallia, diligentissime requirendum & ad Metropolitanum suum reducendum. Jubet eadem in Epistola Menatem quoque Episcopum, *de diœcesi Romanæ Ecclesiæ*, cui episcopatus nomen non amplius *in honore* erat, e Galliis pelli, & Romam transmitti; *Ut sub ea qua dignum erat observantia refrenatus, seculares mores ad sacerdotalem studeret convertere gravitatem*;

V. Forma judiciorum in Episcopos in condemnatione Episcopi Melitensis. Ibid. Ep. 63.

Forma judiciorum in Episcopos reos, describitur in Epistola ad Johannem Episcopum Syracusanum. Commota querela adversus Lucillum Melitæ civitatis Episcopum, Johannes inquisitionem de ipsius crimine instituerat, quam perscriptam ad summum Pontificem miserat postea. Qua lecta Gregorius Johanni rescripsit: *Quia tanti facinoris ultio nulla debet dilatione differri: Fraternitas vestra tres vel quatuor de fratribus ac consacerdotibus nostris sibi adhibeat, ut ipsis quoque præsentibus prædicta ac satisfacta veritate, prædictum Lucillum de episcopatus ordine, quem hujuscemodi sceleris contagio maculavit, studeat sine ambiguitate deponere.* Criminis Episcopi conscii & participes esse dicebantur quidam sive Diaconi sive Presbyteri; quos, præmissa sedula indagatione si rei reperiantur, vult Pontifex ab honoris sui gradu dejici, & in monasteria pœnitentiæ causa detrudi. Quod spectat ad laicos, ejusdem peccati sociatate maculatos, decernit eos, *qui rei esse claruerint*, Dominici corporis ac sanguinis participatione privandos, indictis insuper *litaniis & orationibus*. [a] Tempus hujus pœnitentiæ definiendum relinquit Johannis arbitrio; quem admonet providere, ut iis qui mortis

Lib. x. Ep. 1. urgerentur periculo viaticum non negetur. In locum dejecti Episcopi cum suffectus esset Trajanus Abbas monasterii Syracusani, S. Gregorius præcepit ipsi restitui a Lucillo & a Petro ejus filio res Ecclesiæ Melitensis cujus deprædator fuerat flagitiosus hic Episcopus, non rector aut pater. Petiit novus Episcopus ut quatuor aut quinque Monachos e suo monasterio assumere sibi liceret, quos adjutores & convictores haberet; quod etsi æquum judicaverit sapientissimus Pontifex, tamen illos concedere propria auctoritate noluit; sed id Johannis permisit arbitrio, ne jura Episcopi minuere videretur.

VI. Defensorum officium usurpantes puniuntur.

Hoc ipso anno æquissimi Pontificis vindicta exarsit in eos qui defensorum nomen & auctoritatem asciscere sibi audebant in Sicilia. De iis inquirendis & coercendis ad Romanum defensorem scripsit. Quia vero unus ex illis Martianus nomine, Johanni Episcopo patrimonii Romani curam gerente obedientiam exhibere *distulerat*, contumacem [b] in exilium deportari jubet.

b

VII. Humilis responsio S. Greg. ad injustas querelas. L. ix. Ep. 12.

Qui inflexam erectamque mentem in his omnibus judiciis exercendis ostendit, quam demissi tamen esset animi probavit, maxime respondendo Johanni Syracusano jam sæpe commemorato, de nonnullis querelis contra se, ut a Johanne audierat, publicatis. In ordinandis quibusdam ritibus ad Missam pertinentibus, Gregorium consuetudinibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ obsecutum esse ægre ferebant, qui falso pro Ecclesia Romana zelo abrepti, ejus honorem mutuatis ab inferiori Ecclesia ceremoniis læsum causabantur. Ad hæc respondet Pontifex humilitate quam dignitate præstantior, primo se nullius alterius Ecclesiæ ritus in his quæ constituit, imitatum esse: secundo se non pudere imitari quidquid boni in inferioribus Ecclesiis repererit; *Stultus est enim*, inquit, *qui in eo se primum existimat, ut bona quæ viderit, discere contemnat.* Quæ sane tam sapiente Pontifice sunt dignissima.

VIII. In variis ejus decretis quanta eluceat prudentia. Ibid. Ep. 36. Ibid. Ep. 26.

Sancti viri summa prudentia præsertim enituit, in his quæ adversus Judæos negotiatores constituit, ne mancipia Christiana ipsis retinere liceret, quod maxime cupiebant & variis artibus obtinere quærebant: sed omnes elusit vir perspicacissimus & in mira simplicitate sagacissimus. Ejusdem prudentiæ deputandum quod, etsi suis eleemosynis nullos terminos præscribi sineret, decrevit tamen haud patiendum ut concessa per aliquot annos in eleemosynam, postea quasi debitum quid exigerentur. Quamquam ea quæ ad Ecclesiæ jura perveniunt alienari legis ratio non permittat, ut ipse S. Doctor præfatur in Epistola ad Romanum defensorem, temperandam tamen aliquando legis hujus severitatem censuit intuitu misericordiæ. Quapropter donatam ab Ammonia Romanæ Ecclesiæ domum, Calixeno ejus nepoti paupertate laboranti restitui jussit: maxime cum contenderet aviam suam hujus domus alienandæ nullam habuisse potestatem; etsi id minime probaret.

Ibid. Ep. 27.

Eumdem Romanum alia admonuit Epistola, caveret ne patrocinium Ecclesiæ facilius impendendo flagitiosos defenderet, ac sic fieret conscius eorum facinorum: unde nec litterarum suarum, si quas forte commendatitias incaute dedisset, rationem ullam haberi voluit. Nunc breviter perstringamus quæ in ordinis monastici gratiam hoc anno ab æquissimo patre decreta sunt.

Ibid. Ep. 69. IX. Quanta ejus de Monachis sollicitudo. Ibid. Ep. 7.

Primo irritum declaravit testamentum cujusdam Abbatissæ, & quæ aliis illicite legarat, restitui ejus monasterio jussit: *Quia*, inquit, *ingredientibus monasterium convertendi gratia, ulterius nulla est testandi licentia*, etiamsi monachica vestis non sit assumta. De his legenda libri decimi Epistola prima.

Ep. 28.

Secundo controversiam inter Antonium Subdiaconum suum cujusdam xenodochii præpositum, & Do-

a De excommunicatione Episcopi, Presbyterorum & Diaconorum nulla fit mentio, quia suorum graduum privatione sufficientes pœnas dabant. Quando aderant sufficientia criminis indicia, Presbyteros aliosque Clericos in *districtam custodiam* conjici jubebat S. Pontifex Vide lib. x. Ep. 4.

b Vide lib. xi. Ep. 71. & lib. xiii. Ep. 45 ubi etiam fit mentio pœnæ exilii inflictæ aut infligendæ Clericis, ipsis quoque Episcopis in foro Ecclesiastico.

& Domitium Presbyterum & Abbatem monasterii SS. Maximi & Agathæ composuit, & quæ inter illos pacta erant confirmavit.

Tertio Massam Veneris ad Ecclesiæ Romanæ actoribus injuste occupatam reddi jussit monasterio sancti Marci apud Spoletum. Ep. 30.

Quarto cum questus esset Valentinus Presbyter & Abbas, Monachos a se exigente culpa [a] communione privatos, in diœcesi Spoletana nihilominus ad communionem recipi; S. Gregorius Chrysanto Episcopo Spoletano scripsit, ne confugientibus ad ejus Ecclesiam Monachis communionem indiscrete reddi pateretur. De privilegiis monasterio Arelatensi concessis diximus capite superiori. Ep. 32. a

Fama summæ ejus benignitatis in Monachos, impulit fortasse celeberrimum Abbatem Columbanum, ut ad ipsum confugeret, dum in Galliis exagitaretur, ob singulares quosdam Scottorum ritus, maxime in celebratione Paschatis quorum erat retinentissimus. Ea de causa scripsit ad nostrum Gregorium. Summa ejus Epistolæ est, in celebratione Paschæ, rejectori Victorii cyclo, Scottorum morem amplectendum, cui Anatolius ab Hieronymo laudatus favit. Consulit etiam S. Gregorium de Episcopis, aut per simoniam ordinatis, aut post lapsum tempore Diaconatus; necnon de Monachis monasterium suum deserentibus. Laudat librum Regulæ Pastoralis, petitque expositiones in Ezechielem, & in Cantica. Anno sequenti habitum est in Gallia Concilium in quo Scottorum ritus a Columbano observatus proscriptus fuit. E Gallia pulsus sanctissimus Abbas, ad Agilulfum Langobardorum Regem perrexit, & in ejus ditione Bobiense monasterium celeberrimum construxit. Cur autem in regno Langobardorum Sedem figere maluerit, quam in aliis Italiæ locis, id forte in causa fuit, quod apud Langobardos nosset damnationem trium capitulorum non esse receptam. Huic enim damnationi adversabatur pius aliunde Abbas, ut ex ejus Epistola ad Bonifacium IV. liquet.

X. S. Columbanus eum consulit. Ibid. Ep. 127

Annal. Benedict. lib. 1x. pag. 297.

a De excommunicatione Monachorum pro culpis, consule Reg. sancti Benedicti capp. 23. 24. 25. 26. & 27.

CAPUT IV.

I. Gregorii in infirmitatibus patientia. Et assiduus labor. II. Qua sollicitudine exortam Agnoitarum hæresim opprimere conatus sit. Laudat scripta sancti Eulogii adversus illos. Occurrit errori nascenti Thessalonicæ. III. Sclavi in Italiam irrumpunt. Pactæ ad annum induciæ cum Langobardis. IV. Eorum Regi nascitur filius. Langobardorum vestes & cultus. V. Augustus reos repetundarum punit. Asyla in Ecclesiis. Gregorii pro amicis accusatis sollicitudo. VI. Judicem ad clementiam flectere conatur. VII. Amicum fortunis exutum consolatur, & liberalitate recreat. Ejusdem consolatoriæ litteræ ad Dominicum. VIII. Prosperis rebus utentes ad eorum contemptum accendit. IX. Amicorum vitia minime dissimulat. X. Fortunatus Neapolitanus Episcopus moritur. De ipsius successore diu deliberat sanctus Gregorius. XI. Ducem Campaniæ ob vexatos Monachos arguit. An. 599. & 600.

GRegorii ægritudines in dies ingravescebant; at dicere poterat cum Apostolo: *Cum infirmor, tunc potens sum*. Summam animi sui æqualitatem inter tot morborum cruciatus optime adumbrat his ad amicum Eulogium verbis: *Ecce, inquit, jam biennium pene expletur, quod lectulo teneor, tantisque podagræ doloribus affligor, ut vix in diebus festis usque ad horarum trium spatium surgere valeam, Missarum solemnia celebrare. Mox autem cum gravi pellor dolore decumbere, ut cruciatum meum possim interrumpente gemitu tolerare. Qui dolor interdum mihi lentus est, interdum nimius. Sed neque ita lentus ut recedat, neque ita nimius ut interficiat. Unde fit ut qui quotidie in morte sum, quotidie repellar a morte. Nec mirum, quia peccator gravis talis corruptionis carcere diu teneor inclusus. Unde compellor exclamare: Educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo. Sed quia meis hoc precibus adhuc obtinere non mereor, rogo vestræ Sanctitatis oratio fiat mihi intercessionis adjutorium præbeat, meque a peccati & corruptionis pondere liberum reddat in illam quam bene nostis libertatem gloriæ filiorum Dei.* Æstivi calores qui ad podagræ cruciatus mitigandos conferre posse videbantur, quod apti essent ad noxium & morbidum humorem dispellendum, aliunde corpori ejus valde contrarii erant, ut ipse ait; quia lentis & continuis febribus urebatur. Alius procuidubio Pontifex nihil aliud cogitans quam de levandis incommodis, de adhibendis remediis accersendisque medicis ad eorum nutum negotiis ecclesiasticis nuntium remisisset, omnesque Pontificatus curas Vicariis credidisset. Non desunt summis Antistitibus & Episcopis, qui succedere oneri pastorali, sive ex caritate, sive ex cupiditate ambiant. At sanctissimus Pastor omnium Christi ovium, in alienos & vicarios humeros rejiciendum non putavit jugum sibi a Christo impositum, ita enim appellabat pontificale munus.

I. Gregorii in infirmitatibus patientia. 2. Cor. 12. 10. Lib. 7. Ep. 35. Psal. 141. 8. Hom. 34. in Evang. n. 1. Et assiduus labor.

Præcipua autem ejus sollicitudo fuit insurgentes errores, mox ut innotescerent, discutere & opprimere. Non ita pridem exorta erat Alexandriæ hæresis Agnoitarum, cujus initia quidam referunt ad Themistium Diaconum; unde dicti sunt Themistiani. Hanc heresim excitasse quosdam Monachos ex Palæstina auctor est S. Eulogius Alexandrinus, qui adversus hujusmodi hereticos decertavit. Hi vero Christo ignorantiam tribuebant, ex nonnullis Evangelii locis male intellectis. Nimirum Christo de Lazaro sepulto inquirente, *Ubi posuistis eum?* & alibi dicente: *De die autem illo vel hora, nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius*; inde asserendum putabant ipsum ea ignorasse. Contra hunc

II. Qua sollicitudine exortam Agnoitarum hæresim opprimere conatus sit. Johan. Damascen. de Hæres. apud Photium Biblioth. cod. 230. Joannis 11. 34. Marci 13. 32.

errorem

errorem scripsit Eulogius, & ad Gregorium [a] lucubrationem suam approbandam curavit mittere; quam Papa valde laudavit, ut doctrinæ Ecclesiæ prorsus consentaneam: *De doctrina vestra*, inquit, *contra hæreticos, qui dicuntur Agnoitæ, fuit valde quod admiraremur; quod autem displiceret, non fuit. In eodem autem sensu jamdudum communi filio nostro Anatolio Diacono plurima scripseram. Ita autem doctrina vestra per omnia Latinis Patribus concordavit, ut mirum mihi non esset quod in diversis linguis spiritus non fuerit diversus. Nam hoc quod de ficulnea dixistis, in eo sensu propriæ beatus Augustinus loquitur, quia cum Evangelista subjunxit: Nondum enim erat tempus ficorum; aperte cognoscitur, quod per ficum Dominus in Synagoga fructum quæsierat, quæ folia legis habuit, sed fructum operis non habebat. Non enim poterat Creator omnium nescire, quia fructum ficus non habuit, quod dum tempus ficorum non esset, omnes poterant scire.* Pergit sanctus Pater ostendere mirum consensum doctrinæ Eulogii cum Augustiniana, quam ipse sitibundus hauserat, & inebriatus eructabat. Certe sufficit Gregoriana hæc Epistola, ad Agnoitarum somnia refellenda; in ea enim occurritur omnibus, unde Christo qualiscumque ignorantia posset affingi. De hoc argumento scribendi occasionem habuerat doctissimus Papa. Quippe ante biennium Jerosolymitani quidam Monachi Constantinopolim venerant, & ea de quæstione, ut conjicere licet, Anatolium sanctæ Sedis Apocrisiarium interrogarant. At ille Diaconus respondere distulit, donec Gregorium consuluisset. *Cui*, inquit ipse ad Eulogium, *ego ante longum tempus quam vestra scripta susciperem, contra eamdem hæresim ipsa respondi, quæ postmodum in Epistola vestræ Sanctitatis inveni; atque omnipotenti Deo magnas gratias retuli, quia de cunctis inquisitionibus Romanorum atque Græcorum Patres, quorum nos sequaces sumus, uno spiritu sunt locuti.* Agnoitas Nestorianos fuisse Gregorius docet esse *manifestum*; unde me latet qua ratione contrarius Eutychianorum error ipsis a [b] doctissimo Theologo tribuatur. Certe neque Gregorius, neque Eulogius qui cum ipsis & coram & scriptis congressus fuerat, ipsos Eutychianis umquam accensuerunt. Eodem tempore vigilantissimus Ecclesiæ Pastor cum accepisset in Ecclesia Thessalonicensi non leve ortum scandalum, Luca Presbytero & Petro Concilium Chalcedonense suscipere nolentibus, ea de re statim scripsit ad Eusebium Thessalonicensem Archiepiscopum, ut ad removendam offensionem sedulo incumberet. Qua ex Epistola præsertim docemur, quid sit præstandum ab iis de quorum fide suborta est suspicio. De Luca eadem adhuc præcepit Sanctus Gregorius anno sequenti.

Lib. x. Ep. 39. Scripta S. Eulogii contra illos laudat. Mar. 1143.

Ibid. Ep. 35.

Ibid. Ep. 39.

b

Occurrit errori nascenti Thessalonicæ.

III.
Sclavi in Italiam irrumpunt.
Ibid. Ep. 36.
Lib. iv. c. 12.
Pactæ ad annum induciæ cum Langobardis.
Lib. x. Ep. 37

Ecclesiam turbantibus hæreticis, res Imperii non erant pacatiores. Nam Sclavi per Histriæ aditum jam in Italiam intrare cœperant, quando S. Gregorius Maximum Salonitanum qui de Barbarorum irruptione monuerat, rescripsit. Ad eumdem quoque annum refert Baronius quæ de Chagano Avarum Rege Venetiam provinciam invadente, Foroque Julii insidiis Ramildæ potito narrat Paulus Diaconus. Utrum his Barbaris faverint Langobardi, dum imperii provincias depopulati sunt, non audemus asserere; nam hoc eodem tempore factam fuisse pacem cum Rege Langobardorum, aut potius pactas inducias usque ad mensem Martium Indictionis quartæ, testatur S. Gregorius ad Innocentium Africæ Præfectum scribens. Hac in Epistola occurrit insigne humilitatis ejus, & summæ erga Augustinum observantiæ non prætereundum argumentum: *Quod*, inquit, *in expositionem sancti Job transmitti vobis codicem voluistis, de vestro omnino studio gaudemus; quoniam illi rei eminentiam vestram studere conspicimus, quæ nec totos foras vos exire permittat, & ad cor iterum secularibus curis dispersos recolligat. Sed si delicioso cupitis pabulo saginari, beati Augustini patriotæ vestri opuscula legite, & ad comparationem siliginis illius nostrum furfurem non quæratis.*

IV.
Regum Regi nascitur filius.
Paul. Diac. Lib. iv. c. 26
Ibid. cap. 22. & 23.
Mabill. Mus. Ital. p. 212. & seq.
Langobardorum vestes & cultus.
Ibid. c. 23.

Ex eadem Epistola intelligimus, Romæ nuntiatam fuisse Regis Langobardorum mortem. Id incertum esse scribit Gregorius, quod postea falsum comperit. Imo pro luctu de morte Principis, maxima fuit in tota gente lætitia de nato ipsi filio nomine Adaloaldo. Editus est in lucem Modiciæ non procul a Mediolano, qui locus Theodelindæ Reginæ carus. Ibi enim basilicam S. Johannis Baptistæ totius gentis patroni ædificavit, ornamentis auri & argenti decoravit, & amplissimis ditavit prædiis. Olim hac in Ecclesia quæ adhuc stat, ministrarunt Monachi Benedictini. Ibidem extruxit regia munificentia celebre palatium, ubi depicta præcipua Langobardorum gesta videbantur.

Fortasse non erit injucundum lectori hoc describere ex Paulo Diacono quis tunc esset Langobardorum cultus, quæ vestes, ut ex Modiciani Palatii pictis tabellis deprehendebatur. Cervicem radentes nudabant usque ad occiput; capillos a facie usque ad os demissos habentes, quos in utramque frontis partem discriminabant. Vestimenta eorum erant laxa, & maxime linea, ornata institis varii coloris. Calcei erant usque ad summum pollicem pene aperti, & alternatim

c

laqueis corrigiarum retenti. Postea cœperunt [c] hosis uti, super quas equitantes tubrugos birreos mittebant. Sed hæc de Romana consuetudine traxerant.

V.
Augustus reos repetundarum punit.
Lib. x. Ep. 50
Asyla in Ecclesiis.
Gregorii pro amicis accusatis sollicitudo.

Interim Mauricius Imperator brevi pacis intervallo uti constituit ad rationes exigendas ab iis qui pecunias publicas dispensandas acceperant, ac in proprios convertisse usus ferebantur. Eo consilio misit Romam Leontium Exconsulem, quem S. Gregorio commendavit Domitianus Melitinæ Metropolitanus, Augusti, ut jam dictum est, cognatus; rogans insuper ut in iis quæ ei pro publica utilitate serenissimorum Dominorum jussione mandata erant, in quantum ratio sineret, suffragari dignaretur. Id libentissime se præstiturum pollicitus est Papa; nec id implere distulit, nam cum Gregorius Expræfectus & alii qui repetundarum accusabantur, in septa Ecclesiastica se recepissent, quod pro inviolabili haberentur asylo, S. Gregorius eis persuasit ut exirent, & rationes suas exponere curarent. Egressi sunt itaque, & Marco Scriboni *qui ad exhibitionem eorum venerat* traditi, accepta prius sponsione, nullam se violentiam passuros. Gregorium Expræfectum amicitia sibi conjunctissimum commen-

a Forte ipsa est quam exhibet Photius loco assignato. In ea omnem a Christo etiam homine amovet ignorantiam. Aliter sensisse videtur Athanas. lib de Incarn. contra Arian. n. 7. *Cum dicit de ultimo die*, inquit, *nemo novit; neque Filius . . . secundum humanitatem loquitur*. Qua de re legendæ Disquisitiones Reverendorum PP. Congreg. S. Vitoni 2. parte pag. 1[illegible] ubi alia proferunt S. Athanasii testimonia ex Ep. ad Saraq. & ex orat. 4 contra Arian.

b Vide Natal. Alexand. seculo vi. cap. 4. art. 3.

c Hosa, tibiale, caliga. Galli olim dixerunt *housseaux*. Affines sunt voces Germanicæ, Italicæ &c. idem significantes.

davit Papa tum [a] plurimis in Sicilia Episcopis, tum Leontio Exconsuli & aliis quos in accepta provincia vel adjutores & consiliorum participes habebat, vel ministros. Cum diu post indictum & constitutum tempus a Marco seu Azimarcho Scribone, Gregorius Expræfectus in Siciliam venisset, ut se coram Exconsule sisteret judicandum, S. Gregorius eidem Scriboni significavit moræ ac procrastinationis causam fuisse gravem infirmitatem, non dilationem spontaneam. Quid de illo judicatum sit assequi non possumus. Hunc tamen Expræfectum a pristino statu non excidisse, sive quoad honores, sive quantum ad fortunas, conjicere licet ex Epistolis duobus post annis ad eum scripta.

Lib. xii. Ep. 22.

VI. Judicem ad clementiam flectere conatur.

Libertinus quondam Siciliæ Præfectus, S. Gregorii familiaris, longe durius habitus est. Rogaverat Exconsulem pius Pontifex ut amicum haberet commendatum; & de ipso ad plurimos alios eodem consilio scripserat. Sed Leontius Exconsul vir sane nimiæ severitatis, misit ad Gregorium exemplar cujusdam cautionis plane *execrabilis*, quæ fidem faciebat quam perversa mente ad præfecturæ dignitatem Libertinus accessisset. Tacite exprobranti quod scelestissimum hominem commendasset respondit Papa, se de nemine umquam ad ipsum scripsisse, nisi ut protectionem suam, *favente justitia* præstaret. De Libertino Præfecto Siciliæ dato provinciam universam gratias retulisse, quod sufficiens videbatur ejus probitatis argumentum. Ceterum quis esset, aut quales causas habuerit, quidve ad impactas criminationes responderet, sibi prorsus incognitum: *Unum hoc tamen*, inquit, *bene atque constanter novi: quia & si quam in rebus publicis fraudem fecit, substantia ejus cædi debuit, non libertas. Nam in hoc quod liberi cæduntur, ut taceam quod omnipotens Deus offenditur, ut taceam quod vestra opinio vehementer gravatur: pussimi tamen imperatoris nostri omnino tempora fuscantur. Hoc enim inter Reges gentium, & imperatores Romanorum distat: quia Reges gentium domini servorum sunt, imperator vero Romanorum dominus liberorum. Unde & vos quidquid agitis, prius quidem servata justitia, deinde custodita per omnia libertate agere debetis.*

Lib. x. Ep. 51.

Pergit vir sanctissimus increpare nimiam judicis austeritatem, & ad eam emolliendam eximia sane præcepta dare, ex quibus pauca hæc decerpere placuit: *Quoties* [b] *ira animum invadit, mentem edoma, vince te ipsum. Differ tempus furoris, & cum tranquilla mens fuerit, quod placet judica. Ira enim in vindictam malorum sequi debet rationem animi, non præire, ut quasi ancilla justitiæ post tergum veniat, & non lasciva ante faciem prorumpat. Aliquando vero ostendenda est, & non exhibenda: aliquando exhibenda est, sed numquam sequenda. Quando enim in executione justitiæ placata mente irascimur, iracundiam & non sequimur, & exhibemus.*

b

Pro Libertino commendando scripserat quoque Gregorius ad Anandinum Domesticum, quod molestè ille tulit, etsi nihil *asperi* haberet Epistola. Jamque Gregorio rescribere asperis verbis parabat, sed ne id exsequeretur prohibitus est per somnium. Testatus est enim se in somnis vidisse Papam ea de causa reprehendentem & increpantem.

Ibid. Ep. 50.

VII. Amicum fortunis exutum consolatur, & liberalitate recreat.

Ad Libertinum omnibus pene fortunis exutum Gregorius Epistolam scripsit consolatoriam, & ut adversa patienter sustineret amicum hortatus est. Verbis addidit liberalitatem, quam solita urbanitate condivit: *Peto autem*, inquit, *ne injuriosum ducatis, quod viginti a nobis vestitus ad pueros vestros per Romanum defensorem scripsimus præberi; quia de beati Petri Apostoli rebus, quamvis parva sint quæ offeruntur, pro magna semper benedictione suscipienda sunt.*

Ibid. Ep. 31.

Ejusdem consolatoriæ literæ ad Dominicum. Ibid. Ep. 63.

Non uni duntaxat amico, sed plurimis impendendum fuit a Gregorio consolandi officium, præsertim Dominico Carthaginensi Episcopo, ob pestilentiam in Africa desævientem, quem docet quinam fructus ex hoc flagello sint colligendi. Tunc Italiam a tali percussione non fuisse liberam asserit, ad quam plurimæ quasi acervatim accedebant calamitates.

VIII. Prosperis rebus utentes ad æternorum amorem accendit. Ibid. Ep. 49.

Quos noverat rebus uti prosperis, & nulla afflictione magistra erudiri, ad bonorum temporalium contemtum, & æternorum amorem magis ac magis accendebat. Ita scribit ad illustrem quamdam feminam: *Magnam nobis lætitiam Gloriæ vestræ ingessit Epistola, quæ æternæ vitæ desiderium vos habere signavit: sed quia hujusmodi studium fugitiva solet mundi gloria præpedire, hortamur ut mentis vestræ saluberrimam deliberationem res quælibet transitoria non revocet, nec ab incepto eam tramite deviet. Sed magis supernæ patriæ amor accendat, præmia mansura sollicitent, & ad venturi judicis promissionem certa semper aspiret, atque ex temporalibus æterna mereamini: ut ex hoc & in vera gloria esse, & inter matronas possitis cælestes adscribi. Reducite ad animos prosperitates temporum, multitudinem hominum, dignitatum pompas, matronarum gloriam, divitiarum abundantiam. Attendite hæc omnia ubi vel quid facta sunt: & ex hoc pensate quam nulla sint, & quia qui ista diligit, somnium vigilans videt.*

IX. Amicorum vitia non dissimulat.

Amicorum vitia minime dissimulabat ad eos scribens. Ita Clementinam patriciam alloquitur: *Nuntiatum mihi est quod si quando vos quisquam offenderit, dolorem irremissibiliter retinetis. Quod si verum est, quia quantum vos diligo, tantum contristor: peto ut hoc a vobis vitium nobiliter excludatis, & secus boni operis segetem inimici semen crescere non sinatis. Dominicæ orationis verba ad memoriam reducantur, & non apud vos plus valeat culpa quam venia. Excessus Gloriæ vestræ bonitas superet, & magis salubriter ignoscendo devotum faciat, quem potest persistens facere asperitas indevotum. Relinquatur illi unde verecundiam habeat, & non serventur quod doleat. Nam plerumque plus virium habet discreta in correctione remissio, quam in exequenda ultione districtio.*

Ibid. Ep. 30.

Si contingeret amicos ex libertate corripiendi quandoque offendi & exacerbari, amicabilibus verbis eos delinire satagebat; ut intelligerent aspera verba non ex odio, sed ex caritate fluxisse.

X. Fortunatus Neapol. Episcopus moritur. Ibid. Epp. 46. & 25.

Hoc anno mortuus est Fortunatus Episcopus. Eum paulo ante obitum redarguerat Gregorius, tum de minima sollicitudine erga monasteria, tum de occupatis Urbis portis & aquæductu, quorum cura & custodia pertinebat ad Theodorum Majorem populi & ad Rusticum Seniorem. Proindeque jussit æquissimus Pontifex usurpata restitui. Erat hic *Major populi* fere idem magistratus ac apud nos mo-

a Vide Epist. libri x. a 34. usque ad 60, inclusive.
b Noverat fortasse Leontium iræ esse impatientem. De eodem argumento vide Ep. 21. ejusdem libri.

do *Major urbis*. Amplissima jam tum erat civitas Neapolis. Ibi artifices in diversa corpora, pro unaquaque arte quam profitebantur, coaluisse discimus ex querelis Saponariorum adversus Johannem Palatinum, qui *nova plurima eorum corpori præjudicialiter nitebantur imponere, & sibi proficere volebat quidquid commodi de introitu ejus accederet*, hoc est quidquid persolvebant qui huic ordini aut corpori sociari impetrabant.

Lib. ep. 26

De ipsius successore diu deliberat S. Gregorius.

De successore Fortunati diu deliberatum. Pars populi favebat Johanni Diacono; sed a Papa rejectus est, quia cum parvulam haberet filiam, ejus continentia nondum sufficienti tempore probata erat & explorata. Pars altera Petrum item Diaconum elegerat, qui nec Pontifici placuit, propter nimiam simplicitatem. Præterea dicebatur olim pecuniam ad usuram dedisse. Neuter itaque factus est Episcopus, sed Paschasius, ad quem plurimæ Gregorianæ Epistolæ.

XI. Ducem Campaniæ ob vexatos Monachos arguit. *Ibid. ep.* 11

Nunc de rebus monasticis ad hunc annum pertinentibus agendum foret, sed brevitatis gratia, unicam duntaxat S. Gregorii Epistolam in defensionem Monachorum scriptam expendemus. Ex monasterio S. Archangeli apud Neapolim, Monachus quidam *abierat ad hostes*; quod Godescalum Campaniæ ducem in tantum furorem abripuit, ut januas monasterii frangi jusserit, & quidquid ibi inventum est, diripi. Fuscus monasterii Abbas discrimen fuga evaserat; sciens ducem ipsi fugitivi Monachi crimen impingere. Quod quam absurdum esset ostendit S. Gregorius, eum ad saniorem revocans mentem proprio exemplo: *Numquid & diebus Magnitudinis tuæ*, inquit, *multi de civitate in qua consistis, ad Langobardos milites fuga non lapsi sunt? Et quis tantæ indiscretionis, tantaque possit stultitiæ reperiri, ut eorum iniquitatem tibi æstimet applicandam?*

Ibid. ep. 14

Vis huic monasterio illata fortasse occasionem dederat Constantio Monacho & Presbytero transmigrandi in Siciliam, & secum auferendi monasterii sui vela & codices. Qui cum ibi diem clausisset extremum, Gregorius a Fusco Abbate rogatus ad Fantinum defensorem scripsit, ut ablata restitui curaret.

CAPUT V.

An. 600. & 601.

I. S. Gregorius obstat ne is Mediolani esset Episcopus, quem Agilulfus elegerat. Ordinatur Deusdedit. Somnium cujusdam heterodoxi de æqualitate Ecclesiæ Mediol. cum Romana. II. Amos Patriarchæ Jerosolymitano mortuo succedit Isacius. III. Multiplex & gravissimus S. Gregorii morbus. IV. De amicorum salute magis quam de sua sollicitus. V. Amicos ægrotantes ad pœnitentiam hortatur. Præsertim Venantium. Quo mortuo de ipsius filiabus sollicitudinem gerit. VI. Hostes imminent Siciliæ: Fides in Sardinia propagatur. VII. S. Grogorius Theoctistam de hæresi infamatam consolatur. VIII. Scandalum tollere debemus, quando possumus. IX. Hæresis objectæ Theoctistæ capita refelluntur. X. Calumniatores gravibus pœnis addicit S. Gregorius. XI. Falsarium punit. XII. De rebus ecclesiasticis. XIII. Et monasticis. XIV. Recharedi Regis mors & successores.

I. S. Gregorius obsistit ne is Mediolani esset Episcopus quem Agilulfus elegerat. *Lib.* 11 *ep.* 4. Ordinatur Deusdedit.

MOrtuo Constantio Mediolanensi Episcopo, periculum schismatis in Ecclesia Mediolanensi imminebat. Nam clerus & populus unanimes elegerant in ejus successorem *Deusdedit* Diaconum. At Rex Agilulfus in cujus ditione Mediolanum erat, alium postulabat ordinari; & ea de re scripserat ad Mediolanenses. Hæc ut rescivit Gregorius, ad eos in priori proposito corroborandos, ne fortasse minacibus Regis litteris cederent, scribendum quantocius putavit. Suam Epistolam exorditur a Constantii laudibus. Commemorat maxime ejus tum sollicitudinem in servanda Ecclesiastica disciplina, tum vigilantiam in tuenda civitate. Laudat postea Mediolanenses ob electum unanimi consensu Deusdedit, & electionem factam sua auctoritate confirmat. De electo a Langobardis & ab ipso Rege ita constanter loquitur: *Illud autem quod vobis ab Agilulfo indicastis scriptum, Dilectionem vestram non moveat. Nam nos in hominem qui non a catholicis, & maxime a Langobardis eligitur, nulla præbemus ratione consensum. Nec si alicujus præsumtionis usurpatione factum fuerit, in locum vel ordinem illum Sacerdotis suscipimus: quia Vicarius sancti Ambrosii indignus evidenter ostenditur, si electus a talibus ordinatur.* Scripsit quoque ad Pantaleonem Notarium, ut

Ibid. ep. 8. pergens ad Genuensem urbem Deusdedit Episcopum solemniter faceret ordinari. Agilulfum nondum tunc amplexum fuisse Catholicam fidem, vel ex hac Epistola liquet. Noluit tamen cum

Somnium cujusdam heterodoxi de æqualitate Eccl. Med. cum Romana.

Gregorio contendere, suadente forsan Theodelinda, quæ tum Catholicam fidem, tum sanctissimum Pontificem impense colebat; & electus a Mediolanensibus Deusdedit, nemine reluctante est ordinatus. Quod hoc in loco, & prius [a] in ordinatione Constantii factum legimus, procul dubio sufficit ad refellendum somnium Jacobi Gothefridi in dissertat. 2. de suburbicariis Regionibus & Ecclesiis, in qua contendit Mediolanensis & Romani Episcoporum summam æquamque potestatem.

II. Amos Patriarchæ Jerosol. mortuo succedit Isacius. *Ibid. ep.* 46

Hoc etiam anno luxit Ecclesia Jerosolymitana Patriarcham Amos, cujus Cathedram accepit Isacius, & paulo post ad Gregorium Synodicam misit Epistolam. Fidem quam in ea profitebatur Isacius probavit Papa, & gratias exsolvit Deo, *qui & immutatis gregis sui Pastoribus, fidem quam semel sanctis Patribus tradidit, etiam post eos immutabilem custodit*. Gratiarum actionibus addidit preces pro Imperatore, cujus *temporibus*, inquit, *hæreticorum ora conticescunt; quia etsi eorum corda in insania perversi sensus ebulliant, orthodoxi tamen Imperatoris tempore prava quæ sentiunt, eloqui non præsumunt*. At

quia

a Vide lib. 11. Ep. 29. 30. & 31.

quia audierat in Orientis Ecclesiis nullum ad sacrum ordinem, nisi ex præmiorum datione pervenire, ad tam nefariam simoniam eliminandam novum hortatur Patriarcham. Monet quoque de compescendiis jurgiis quædam mansuete corrigendo, quædam quæ corrigi nequeunt, æquanimiter tolerando.

III. Multiplex & gravissimus S. Greg. morbus. *Ibid. Ep. 32.*

Hoc anno quoque parum abfuit quin Orbis omnis Christianus præstantissimum suum amitteret Pontificem: His verbis, quam male se haberet describit: *Multum jam tempus est quod surgere de lectulo non valeo. Nam modo me podagræ dolor cruciat, modo nescio quis in toto corpore cum dolore se ignis expandit; & fit plerumque ut uno in me tempore ardor cum dolore confligat, & corpus in me animusque deficiat. Quantis autem aliis necessitatibus extra hæc quæ retuli infirmitatis afficiar, enumerare non valeo. Sed breviter dico, quia sic me infectio noxii humoris imbibit, ut vivere mihi pœna sit, & mortem desideranter expectem, quam gemitibus meis solam esse credo posse remedium. Proinde, Frater sanctissime, divinæ pro me pietatis misericordiam deprecare, ut percussionis suæ erga me flagella propitius mitiget, & patientiam tolerandi concedat: ne nimio, quod absit, tædio in impatientiam cor erumpat, & ea quæ bene curari per plagam poterat, culpa crescat ex murmure.*

IV. De salute amicorum magis est sollicitus quam de sua. *Ibid. Ep. 18.*

Attamen in tot tantisque doloribus positus vir summæ patientiæ, quid toleraret vix cogitans, de amicorum suorum valetudine sollicitudinem gerebat. Id expertus est Marinianus Ravennæ Episcopus, quem cum vomitu sanguinis laborare audivisset pissimus pater, ad se accersivit ut curam ejus ageret. Interimque ut a jejuniis & vigiliis temperaret præcepit. Aliud tamen simul in animo habebat, Marinianum ad se vocans. Etenim *proximum se morti* intelligens, inter amici manus animam efflare cupiebat.

Lib. 11. Ep. 24. & 25.

Eamdem paternam caritatem expertus olim fuerat Castorius Ariminensis Episcopus, quem diu ob infirmitatem retinuerat apud se, de ejus valetudine restituenda anxius & sollicitus. Tenerum ejus animum erga ægrotantes amicos, maxime demonstrat Epistola hoc anno ad Rusticianam patriciam scripta, in qua licet asserat *corpus suum tamquam in sepultura ita siccatum* esse, tamen ut piæ feminæ dolori compatiatur, propriis videtur oblivisci.

Ibid. Ep. 44.

V. Amicos ægrotantes ad pœnitentiam hortatur. *Ibid. Ep. 30.*

At præcipua ipsius cura erat in amicorum infirmitatibus, ut eos hujusmodi flagellis attritos ad pœnitentiam provocaret. Sic urget Venantium podagra laborantem, de cujus lapsu jam locuti sumus: *Inter quos* (dolores) *quid aliud debemus nisi semper delicta nostra ad memoriam revocare, atque omnipotenti Deo gratias agere? Quoniam qui ex carnis blandimento multa peccavimus, ex carnis afflictione purgamur. Sciendum quoque est nobis, quia pœna præsens, si animum afflicti convertit, finis est culpæ præcedentis. Si autem ad timorem Domini minime convertit, initium est pœnæ sequentis. Curandum igitur nobis est, & summopere in fletibus tota mentis conversione vigilandum; ne de tormentis ad tormenta transeamus. Considerandum quoque est, quanta erga nos dispensatione pietatis agat Conditor noster, quod morte dignos assidue percutit, & tamen adhuc minime occidit.*

Præsertim Venantium. *Ibid. Ep. 34.*

Hac in Epistola silet S. Gregorius de Venantii Apostasia, nec de reditu ad monasticum statum quem deseruerat ipsum hortatur, quia malebat in ægroto suggeri ab ejus Episcopo, scilicet Johanne Syracusano, ad quem scribit primam ejus curam esse debere hortando, rogando, Dei terribile judicium proponendo, ineffabilem ejus misericordiam promittendo, suadere Venantio *ad habitum suum vel in extremis redeat; ne ei tanta culpa reatus in æterno judicio obsistat.* Eidem Johanni Venantii filias Barbaram & Antoninam commendavit, quibus etiam scripsit litteras consolatorias, & patrocinium suum adversus pravorum hominum consilia pollicitus est, quod præstitit. Venantium ex hoc morbo non assurrexisse, sed occubuisse satis probant aliæ S. Gregorii litteræ; utrum prius acta pœnitentia, res est divino relinquenda judicio. Italica ejus uxor jam obierat; nam si vixisset graviter decumbente & postea e vivis sublato marito, ad eam potius quam ad ejus filias scripsisset Gregorius, aut saltem iis in litteris aliqua matris injecta esset mentio. Hinc facilior erat Venantio reditus ad Monachi statum, dissolutis conjugii vinculis.

Quo mortuo de ipsius filiabus sollicitudinem gerit. *Ibid. Ep. 78.*

VI. Hostes imminent Siciliæ. *Ibid. Ep. 51.*

Cupiebat Gregorius nobiles virgines e Sicilia Romam migrare, forte quod cognovisset hostes ad hujus insulæ invasionem festinare, ut alias rationes interim taceam. De impetu hostili jamjam imminente, vigilantissimus Pontifex admonuit universos Siciliæ Episcopos, & hortatus est ut litanias omni hebdomada feriis quarta & sexta indicerent, & ita *contra barbaricæ crudelitatis incursus supernæ protectionis auxilium implorarent.* Precibus autem addere bona opera jubet, *quia*, inquit, *inanis fit oratio ubi prava est actio.* Idem periculum Sardiniæ non longe dissitæ insulæ, ab hostibus impendisse supra diximus. At pacem ac tranquillitatem ipsi restitutam esse autumamus ex felici religionis Christianæ propagatione apud Sardos aut advenas & Barbaros seu Barbaricinos, aut indigenas. Ea de causa S. Gregorius rogavit insulæ Præsidem, ut Victori Episcopo in gentilium conversione laboranti opem ferret. Aderat enim omnibus qui ejus opera & commendatione indigebant.

Fides in Sardinia propagatur.

VII. S. Gregorius Theoctistam de hæresi infamatam consolatur. *Lib. 1. & seqq.* *Lib. 11. Ep. 4.*

Præsentissimum eum experta est hoc anno Theoctista Mauricii Augusti cognata, pia femina de qua jam alibi actum, a nonnullis temere hæresis infamata. Jam diximus, Gregorio in urbe regia commorante, rumorem sparsum de nova hæresi, cujus notam incutere nobilissimæ ac sanctissimæ matronæ non sunt veriti sycophantæ; unde in populo, sua levitate ad atrociora maxime in Principes credenda satis prono, magnus subortus est tumultus. Statim autem atque id Papæ fuit indicatum, scripsit ad Theoctistam, cui multiplici ratione ostendit ejus mentem obtrectationibus turbari minime debere: *Si enim laudibus lætamur*, inquit, *& detractionibus frangimur, gloriam nostram non in nobis, sed in aliorum ore ponimus .... In omne autem quod extra de nobis dicitur, recurrere ad arcana mentis debemus. Etsi omnes vituperent, liber est tamen quem conscientia non accusat.* Aliam longe post ea subdit rationem. *Sunt autem plurimi*, inquit, *qui vitam bonorum forsasse amplius quam debent, laudant; & ne qua elatio de laude surripiat, permittit omnipotens Deus malos in obtrectationem & objurgationem prorumpere: ut si qua culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur.*

Calumniæ patienter tolerandæ.

Ibid. Ep. 2.

Simile pertractat argumentum scribens ad Palladium Presbyterum de Monte Sina, qui etiam oblo-

quentium linguis stimulabatur: ubi hæc inter cetera notatu digna dicit: *Inter verba laudantium sive vituperantium ad mentem semper recurrendum est, & si in ea non invenitur bonum quod de nobis dicitur, magna tristitia generari debet. Et rursum si in ea non invenitur malum quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam prosilire. Quid enim si homines laudent, & conscientia accuset? Aut quæ bet esse tristitia, si omnes accusent, & sola conscientia nos liberos demonstraret?* Ac infra: *Quid aliud detrahentes faciunt, nisi in pulverem sufflant, atque in oculos suos terram excitant, ut unde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant?*

VIII. Scandalum tollere debemus, quando possumus.

Attamen in utraque Epistola docet qua ratione tolli possit scandalum, quod negligere circa peccatum non possumus. Proponitque S. Petri Apostolorum Principis exemplum, qui fidelium querelæ arguentium quod intrasset ad gentiles & manducasset cum eis, eosque ad baptismum recepisset, non ex potestate, sed ex ratione respondit, causamque per ordinem exposuit: *Si enim*, inquit, *cum a fidelibus culparetur, auctoritatem quam in sancta Ecclesia acceperat, attendisset, respondere poterat ut pastorem suum oves..... reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profecto doctor mansuetudinis non fuisset. Humili ergo eos ratione placavit.... Si ergo Pastor Ecclesiæ Apostolorum Princeps, signa & miracula singulariter faciens, non dedignatus est in causa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere, quanto magis nos peccatores, cum de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros humili ratione placare debemus.*

IX. Impactæ Theoctistæ hæresis capita refelluntur.

Non poterat efficaciori exemplo humilitatem illustri feminæ persuadere sanctissimus Doctor. Postea hæresis ipsi impactæ capita omnia recenset, ac confutat & conterit. Primo ostendit religionis causa conjugia non dissolvenda. Secundo peccata omnia in baptismate penitus dilui & dimitti. Tertio post actam per triennium pœnitentiam, licentiam peccandi minime concessam. Quarto etiam illum anathematis vinculo teneri, qui etsi necessitate compulsus, id de quo reprehenditur anathematizaverit. Ad ultimum testatur plerosque falso de quatuor illis capitulis imperito zelo accusatos; placandos tamen esse illos accusatores tum ratione, tum mansuetudine.

X. Calumniatores gravibus pœnis addicit S. Greg. Lib. 12. Ep. 62.

Etsi vero calumnias patienter tolerandas doceret summus ille morum magister, calumniatores tamen gravibus pœnis coerceri jubebat. Unde cum accepisset Hilarum Subdiaconum qui Johanni Diacono crimen ingesserat, a judicibus nulla fuisse pœna castigatum, præcepit ut virgis publice cæderetur, & in exilium deportaretur. Jam supra observavimus hanc exilii pœnam judicio Ecclesiastico decretam in defensionem Episcopo non obedientem.

XI. Falsarium punit. Lib. 11. Ep. 74.

Non minus in falsarios, qui calumniatoribus affines sunt, indignabatur Gregorius veritatis studiosissimus custos. Hinc graviter exarsit in Andream Monachum, ut conjicere licet, Græcum; qui non solum Epistolam Eusebii Thessalonicensis Episcopi ipsius fidei commendatam, ut latinam eam faceret, corruperat, & hæresibus infecerat; sed etiam sermones aliquos Græce evulgarat, quibus præfixerat Papæ nomen. Eos diligentissime requiri jussit Gregorius & aboleri. Præterea Concilium habuit in quo de pœna falsario aliunde flagitiosissimo infligenda deliberaretur; at vero quæ decreta fuerit nos latet. Epistola ex qua hæc habemus, humilitatis & modestiæ Gregorii argumentum est. In ea enim simpliciter profitetur Græcarum se litterarum nescium.

XII. De rebus Ecclesiasticis. Ibid. Ep.

Ut res ad hunc annum spectantes absolvamus, notanda sunt summatim quæ ad illustrandam Ecclesiasticam disciplinam aut historiam conferre possunt nondum a nobis delibata. Imperatori Johannem primæ Justinianæ Episcopum pro ægritudine capitis ab Episcopatu amovere cupienti, consentire noluit æquissimus Pater, nisi ægrotus ipse, dato libello supplici, hoc peteret. Sed suasit ut quæreretur *dispensator*, qui munus Episcopale obire posset.

Ibid. Ep. 67.

Quiricus & alii Iberiæ Episcopi summum Pontificem consuluerant de diversorum hæreticorum baptismo & ordinationibus. Quibus respondit baptizatos in hæresi cum Trinitatis invocatione, non iterum baptizandos quando ad Ecclesiam revertuntur, sed aut impositione manuum, aut chrismatis unctione, aut professione fidei reconciliandos. Redeuntes vero Nestorianos de incarnatione edocendos: & si Nestorium anathematizaverint, receptasque ab Ecclesia Synodos recipere profiteantur, in propriis ordinibus admittendos.

Ibid. Ep. 54.

Cum audisset Desiderium Viennensem Episcopum grammaticam & litteras humaniores quibusdam exponere, id gravissime tulit, *quia*, inquit, *in uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes non capiunt*. Postea tamen Candidus Presbyter ex Galliis rediens, Desiderium apud Papam excusavit, negavitque ipsum in his nugis tempus terere.

Ibid. Ep. 77. & 37.

Deferendas ad Episcopos Clericorum causas sæpe docet, ne Episcopalis jurisdictio pessumdetur. Clericos ab Episcopo, exigente culpa, in pœnitentiam missos Romanus defensor, Episcopo inconsulto & nesciente, auctoritate propria *ejecerat* e loco ubi ad pœnitentiam traditi fuerant. At jussit Papa Clericos Episcopo sine mora restitui, & Romano prius increpato, gravia comminatus est, si talia deinceps committeret.

Ibid. Ep. 38.

Quæ ad obtinendum defensoris officium conditiones requirerentur, qualia forent eorum munia, quave formula constituerentur, habemus in Epistola ad Vitum.

Ibid. Ep. 56.

Gesta vel scripta S. Irenæi diu a se quæsita, sed ex eis aliquid invenire non valuisse testatur maximus Doctor. Nec de rebus monasticis pauca attingenda.

XIII. Et monasticis. Ibid. Ep. 50.

Cum Agathosa questa esset maritum suum, se invita, Monachum factum, quod ad culpam invidiamque Urbici Abbatis in cujus monasterio conversus fuerat, pertinebat: edixit Papa reddendum eum petanti, licet jam tonsuratum, nisi constaret ipsam prius mariti conversioni consensisse, suamque promisisse, aut ipsam adulterii esse ream.

Vide in Append. col. 1297.

In eodem Concilio a quo damnatus est Andreas falsorum scriptorum artifex, concessa est Probo Monacho & Abbati testandi facultas de bonis ante susceptum habitum monasticum ad ipsum pertinentibus. Tanti enim erat momenti facultatem hanc dare, ut Synodi totius consensum requirendum judicaverit sapientissimus Pontifex. Neque vero facta fuisset Probo testamenti condendi licentia, nisi li-

quido

quido constitisset ipsum jussum fuisse & quasi coactum a S. Gregorio monasterium subito introire, *non indulto ad deliberandum vel tractandum spatio*. Unde non integrum ipsi fuerat de rebus suis disponere. Periculum autem ne erat bonis ipsius monasterio cedentibus, filius ejus summa egestate laboraret.

Laudavit Januarium Caralitanum, quod monasterium virorum in domo ancillarum Dei monasterio cohærente construi noluerit. Volüit tamen alium quæri locum, ubi constitueretur. *Ibid. Ep. 25.*

Omitto beneficia, quæ in monasteria, etiam remotissima, contulit hoc anno optimus pater, præsertim in cœnobium montis Sina; sed quibuslibet muneribus & beneficiis præstantiora mihi videntur monita Cononi Lirinensi Abbati data, quibus eum docet quanta cura, qua solertia monasterium sibi commissum regere debeat; maxime ob ejus decessoris incautam remissionem: *Dilectionis tuæ*, inquit, *vigilantia ardentiori se semper cura succendat; & ita cuncta, Deo adjuvante præmuniat, ut lupus sæviens huc illucque discurrens, in oves Dominicas ingrediendi locum non habeat*. Et post aliqua: *Itaque boni te dulcem, pravi sentiant correctorem. In qua videlicet correctione hunc esse ordinem noveris observandum, ut personas diligas, & vitia persequaris: ne si aliter agere fortasse volueris, transeat in crudelitatem correctio, & perdas quos emendare desideras. Sic enim vulnus debes abscindere, ut non possis ulcerare quod sanum est: ne si plus quam res exigit ferrum impresseris, noceas cui prodesse festinas. Ipsa enim in te dulcedo cauta sit, non remissa: correctio vero diligens sit, non severa. Sed sic alterum condiatur ab altero, ut & boni habeant amando quod caveant, & pravi metuendo quod diligant*. *Ibid. Ep. 2. Lib. 11. ep. 12.*

XIV. *Recharedi Regis mors & successores. Joan. Biclarens.*
Hoc anno e vivis excessisse pium Regem Recharedum fidei Catholicæ in Hispania restauratorem tradunt Hispanicarum rerum scriptores. Arianos ob studium quo flagrabat in religionem orthodoxam semper expertus est infensissimos, maxime vero Gosuintham Leuvigildi Regis viduam, cujus auctoritate audaciores facti, non semel in Regem conspirarunt. Horum antesignani fuerunt quidam Episcopi hæresi Ariana polluti. Ex his duo in exilium ejecti sunt, etsi gravioribus pœnis digni forent. Recharedo successit Liuba II. qui duobus tantum annis regno potitus. Hunc excepit VViterícus.

CAPUT VI.

I. S. Gregorius de instaurandis SS. Apostolorum basilicis cogitat. Ejus munificentia in illas basilicas. II. Bellum redintegratum infeliciter cedit Imperatori. III. Hæreticorum, & schismaticorum conversio. Quid redeuntes e schismate spponderent. IV. Firminum Episcopum reversum, & ob hoc ab aliis vexatum schismaticis tuetur S. Gregorius. V. Docleatinæ Ecclesiæ pacandæ providet. De Paulo flagitioso Episcopo & prædone judicium. VI. De rebus Africanis curat. Causa Paulini Episcopi. Et alterius nomine Victoris. VII. Auctoritatis Rom. Pontificis in Africa argumenta. VIII. Gregorii summa in potestate major humilitas & modestia. IX. De ejus homiliis in varios sacræ Scripturæ libros a Claudio exceptis. De Claudio inquiritur. X. S. Gregorii in eligendis dignis Abbatibus, & tuenda monastica disciplina sollicitudo. XI. Utrum monachatum loco Subdiaconatus esse putaverit. XII. Diaconum factum Monachum e monasterio avelli non patitur. An. 602. & 603.

I. *S. Gregorius de instaurandis basilicis SS. Apostolorum cogitat. Lib. 12. Ep. 20.*
CUm imminere sibi mortem præsciret S. Gregorius, jam conceptum de reparandis SS. Apostolorum Petri & Pauli basilicis consilium non ultra differendum judicavit. Idcirco præcepit Sabino Subdiacono res Ecclesiæ in Lucania & Brutiis curanti, ut his in provinciis trabes ad id operis necessarias pararet, atque ad mare advehendas curaret, unde navibus impositæ Romam deportarentur. Ea de causa scripsit ad [a] Arogem, quem Beneventanum ducem Zotone mortuo constituerat Langobardorum Rex, rogavitque ut Sabino Subdiacono in hujus materiæ vectura opem ferret; promittens duci *dignum xenium*. Idem est argumentum epistolarum quas ad Gregorium Expræfectum & ad Stephanum Episcopum scripsit. Biennio post paulo ante mortem assignavit multa prædia basilicæ S. Pauli pro [b] luminaribus, *ne minus illic habere luminaria præco fidei cerneretur, qui totum mundum lumine suæ prædicationis implevit*, quam S. Petrus. De olivetis & aliis fundis a S. Gregorio concessis ad basilicæ S. Petri lumina nutrienda & augenda, legenda tabula donationis quam vitæ S. Gregorii subjiciendam duximus. Legitur alibi fecisse *ad beatum Petrum Apostolum super altare ciborium cum columnis quatuor ex argento puro*. De fastigiis ex argento purissimo fabricatis in basilicis sanctorum Apostolorum Petri & Pauli legendus Johannes Diac. *Ibid. Ep. 21. Ejus munificentia in illas basilicas. Pontific. Roman. Lib. 4. c. 68.*

II. *Bellum redintegratum infeliciter cedit Imperatori. Paul. Diac. lib. 4. c. 29.*
Ex Epistola ad Arogem scripta datur conjiciendum pacem aut inducias tunc fuisse Romanos inter & Langobardos. Attamen hoc anno rursus bellum conflagravit in Italia, ubi res infeliciter pro Imperatore gestæ sunt. Nec felicius in Oriente cesserunt; quasi jam omnia vergerent ad Mauricii de solio dejectionem & cædem. Longobardi cum Sclavorum auxiliis ab Avarum Rege missis Cremonam primum obsidione cinxerunt, & occuparunt, quam Agilulfus æquari solo jussit. Deinde Mantuam expugnavit idibus Septembris, quæ vix clementiorem victorem est experta. Romanorum præsidium Brixellum incendit & deseruit. Hostilibus armis prementibus Exarchus pacem impetravit, ea lege ut redderet Godiscalcum ducem ejusqua uxorem filiam Agilulfi, ipsorumque liberos in expugnatione Parmæ captos. Quamvis tot annis inter hostiles gladios vivere consuevisset S. Gregorius, de hoc tamen bel- *Ibid. c. 21.*

a Apud Paulum Diacon. lib. IV. c. 29. & alibi dicitur *Arigis*, aut *Arechis*. Aregis significat *honore fortem*.
b De Ecclesiæ luminaribus legendus Athanasius in Ep. encyclica ad Episcopos Tom. 1. p. 214. num. 4. ubi describens ingressum Gregorii Alexandrinæ Ecclesiæ invasoris cum militari manu, ait tunc & ablatum a militibus oleum ad Ecclesiæ luminaria repositum; adeoque insanisse qui pseudo Episcopum comitabantur, ut candelabra ad parietem datum reponerent, & Ecclesiæ cereos idolis accenderent.

lo vehementer ingemuit, & cum amicis expostulavit, eorumque precum opem sibi adesse rogavit
supplex, maxime S. Eulogii.

Lib. XII. Ep. 30.

III. Hæreticorum & schismaticorum conversio.

In Epistola huic inscripta Patriarchæ, quæ omnium hoc anno scriptarum est ultima, memi-
nit Papa Monophysitarum seu hæreticorum unicam in Christo naturam confitentium, qui erro-
rem hunc nuper ejurarant. Hi cum in Siciliam venissent, fama sanctissimi doctoris invitati Ro-
mam perrexerant, ubi in fide confirmati, litteras a summo Pontifice testimoniales petierunt. Eos
commendat sanctissimus pater amico Eulogio, ipsisque restitui monasterium ab hæreticis occupa-
tum petit, nisi forte maluerint ipsius invasores ad Ecclesiæ redire sinum. Eodem tempore Firmi-
nus Tergestinæ urbis Episcopus in Istria, prius in schismate ob tria damnata capitula conflato per-
tinax, venenum evomuit, & relictis schismaticorum partibus, ad unitatem Ecclesiæ se contulit.
De ipsius reditu Gregorius lætus, gratulatoriam scribendam Epistolam censuit, in qua revocatum
& resipiscentem hortatur, ut satanæ jaculis constantiæ scutum opponat, aliisve secum revocandis
insudet. Insuper vitæ subsidia pollicetur: *Nobis*, inquit, *omnino curæ erit de Fraternitatis tuæ quie-
te, ut dignum est, cogitare; quia postquam nobiscum, jam Deo protegente unus es, non aliter utilitates
tuas, quam nostras attendimus.*

Qui redeuntes e schismate spondeant.

* Olim lib. X. Ep. 31. nunc in appendice edit. 1300.

Extat promissio cujusdam Episcopi ad unitatem Ecclesiæ reverentis, quam a Firmino datam non
immerito putant eruditi. Sine observatione præteriri non debet Episcopum hunc schisma deseren-
tem omnino silere de Concilio V. & de trium capitulorum condemnatione; sed spondere tantum
& jurare se prona & spontanea voluntate ad unitatem Sedis apostolicæ redeuntem, ad schisma
numquam reversurum, sed semper in unitate sanctæ Ecclesiæ Catholicæ & communione Romani
Pontificis permansurum. Quod sane argumento est, ut jam non semel a nobis dictum, illud I-
stricorum schisma non in eo positum esse, quod tria capitula non damnarentur, sed quod ea
condemnantes a communione repellerentur, fieretque sic ab Ecclesia catholica secessio.

IV. Firminum Episcopum reversum & ob hoc ab aliis vexatum schismaticis tuetur S. Gregorius. *Lib. XIII. Ep. 33.*

Quod Firmino prænuntiarat vir sanctissimus, ejus videlicet constantiam terroribus & blandi-
mentis tentatam iri ab hoste, ut retro redire compelleretur, paulo post accidit. Nam Severus
Gradensis Episcopus ejurati a Firmino schismatis caput, audita ejus reversione, *eum diversis præ-
miorum suasionibus cœpit, si posset, a bono revocare proposito. Quod cum perficere Deo auctore minime
valuisset, seditionem illi suorum civium excitare non timuit.* Periclitanti Episcopo manum porrigere
& subvenire constituit Gregorius. Quapropter Smaragdum Exarchum rogavit, ut nulla mora
Firminum Episcopum ab illatis molestiis tutari studeret, ac *quietem illius multis ad imitandum præ-
futuram modis omnibus procuraret*: *Excellentiam*, inquit, *vestram paterno salutantes affectu, petimus
ut zeli vestri in hac causa olim exhibiti, nunc vehementius fervor incandeat; tantoque vos contra hostes
Dei vindices defensoresque reperiant, quanto apud Deum pretiosior est animæ quam defensio corporis. Ar-
met vos contra devios ipsa quæ in vobis fidei viget rectitudo, redintegretur vestris temporibus quod in il-
lis est partibus scissum corpus Ecclesiæ. Habetis in hac causa retributorem vestri operis, rectitudinis ac in-
tegritatis auctorem.*

V. Diocleatinæ Ecclesiæ pacandæ providet. *Lib. XIII. Ep. 31.*

Cum non minus pateret sanctissimi Papæ sollicitudo, quam auctoritas & potestas, providendum
censuit hoc anno Ecclesiæ Diocleatinæ rebus perturbatissimis. Paulus hujus urbis Episcopus, inter
alia mala in corporale crimen lapsus, a suis Clericis accusatus fuerat, & convictus; *itaut ipse li-
bellum, in quo ea de quibus accusatus fuerat vera esse confitebatur, obtulisset.* Qua de re sententia epis-
copali depositus est, & in locum ejus ordinatus fuit Nemesion, consentiente Johanne primæ Justi-
nianę Episcopo, ad quem tamquam Primatem tunc pertinebat Dioclea, cum tamen Ecclesiæ Sco-
dritanæ subesset, jure Metropolitico. At Paulus facti postea mali pœnitens, auxilio secularium ju-
dicum fretus, episcopium more prędonis ingressus, ablatisque violenter Ecclesiæ rebus, recens or-
dinatum Episcopum ejecerat summa cum injuria, magnoque vitæ periculo. Nemesion Romam ve-
niens de vi sibi illata questus est apud summum Pontificem, qui scripsit tum ad Constantinum
Scodritanum Episcopum, quem [a] Metropolitam fuisse satis indicant S. Gregorii verba, tum ad
Johannem primæ Justinianæ Primatem, insuperque sanctæ Sedis vicarium, ut si res ita sese ha-
buissent, cogerent Paulum ad reddenda confestim omnia quæcumque abstulerat. Quę si probaret
non esse Ecclesiæ, sed ipsius propria; tamen ex his retinendum satis ad resarcienda bonis Eccle-
siasticis illata detrimenta; nam ea dilapidasse ferebatur. *Si autem differre tentaverit, quousque omne
quod dilapidavit, vel de substantia tulit Ecclesiæ restituat, in monasterium mittendus est, ut saltem coa-
ctus reddat quod male auferre non timuit*, inquit S. Gregorius. *Qui si forte, quod non credimus, post
depositionem suam inverecunde ac mente perversa aliquid de episcopatu loqui, atque rursus ad hoc qua-
libet aspirare præsumtione tentaverit; Fraternitatis vestræ se contra improbitatem ipsius omnino vigor ac-
cendat, atque Dominici corporis ac sanguinis communione privatum, in monasterium eum usque ad diem obi-
tus sui ad agendam curet pęnitentiam retrudendum: quatenus perpetrati sceleris maculas dignis discat fletibus
emundare, quas magis in interitu animæ suæ nequiter augere desiderat.* De Nemesio vero decrevit ei
locus ejus & episcopatus restitueretur.

De Paulo flagitioso Episcopo & prædone judicium.

VI. De rebus Africanis curat. *Lib. XII. Ep. 28.*

Causa Paulini Episcopi.

Eodem tempore Gregorio cogitandum fuit de rebus Africanæ Ecclesię, ubi ex Episcopis & ex
aliis ecclesiasticis viris nonnulli ad officium erant revocandi. Multę pręsertim erant querelę de Pau-
lino Tegessis civitatis in Numidia Episcopo, *quem clerus & qui etiam in sacro ordine erant constituti, in
se corporaliter excessisse perhibebant.* Causam hanc inter Episcopum ejusque Clericos judicandam S.
Gregorius detulit ad Victorem Numidię Primatem & ad Columbum Episcopum, quibus in mandatis
dedit, ut quos vellent e suis Coepiscopis assumerent ad sententiam de reo vel de accusatoribus fe-
rendam. Idem Paulinus dicebatur Ecclesiasticos ordines simoniace dare, vel potius vendere, quod
omni studio explorandum dicit sanctissimus Pontifex, ut tam dans quam accipiens pręmium, uterque
canonicę ultionis sententia feriatur. Verum ne simonię radix mortifera coalesceret, ac plures interi-
meret,

[a] Hæc scribit S. Greg. ad Johannem: *quamvis grave & iniquum fuerit ut non a vobis vel a Metropolitano ejus hoc poteret,* scilicet Paulus. Ergo Johannes non erat Pauli Metropolitanus, sed Constantinus. Competebat tamen Johanni jus aliquod in Paulum; unde conjicimus eum fuisse Primatem vel Exarchum. Ex his emendanda videntur quæ ad hanc Epistolam post Gussanvillæum annotavimus.

meret, cupit communi totius Concilii definitione prohiberi, ne nullus umquam pro quovis ordine accipiat aut det, neve quisquam ex gratia promoveatur, sed ex merito.

Paulo antea oblatum a Donadeo Diacono libellum supplicem, quo se querebatur a suo Episcopo Victore injuste depositum, ad eumdem Columbum miserat, ut una cum Primate Concilii aliisque Coepiscopis de hac querela judicaret. Episcopus contendebat Donadeum ob corporale peccatum de ordine suo dejectum. Quod si probari possit, Gregorius vult Diaconum in pœnitentiam detrudi, ut commissi flagitii vinculum lacrymis valeat absolvere. At vero si constet Episcopum in insontem sævisse, decernit in ipsum canonici rigoris districtionem exercendam. De Crementio provinciæ Byzacenæ Primate graviter accusato, quem a totius provinciæ Concilio judicandum censuit hoc anno vigilantissimus Pontifex, jam paulo supra dictum; quapropter nihil hoc loco addendum videtur.

De alterius nomine Victoris. Ibid. Ep. 8. Ibid. Ep. 32.

VII. *Auctoritatis Rom. Pontificis in Africa argumenta.*

In his eo magis elucet Romani Pontificis auctoritas, quod ei diversa statuenti omnes obtemperaverint, ipsa Concilia, Primates, etiam Carthaginensis Episcopus, penes quem in totam Africanam Ecclesiam summa erat potestas. Certe Dominicus qui Cathedram Carthaginensem Gregorio Romæ sedente obtinebat, numquam questus est Romanum Antistitem falcem misisse in messem alienam, numquam pro tuenda sua auctoritate cum eo contendit, sed ejus amicitiam semper coluit. Noverant videlicet Africani Patres Gregorium suo tantum uti jure, suorumque decessorum insistere vestigiis. Nondum obliterata erat Leonis Magni memoria qui Potentium commissis ipsi Sedis apostolicæ vicibus miserat in Africam, ut labefactatam Vvandalicis bellis Ecclesiasticam disciplinam resarciret, nonnullosque Episcopos contra canones ordinatos, exauctoraret. Tempore quoque Augustini, licet de appellationibus ad sanctam Sedem quæstio esset orta cum Zosimo, quanta esset Africanorum erga Romanum Pontificem reverentia probant Conciliorum acta, Epistolæ ad ipsum scriptæ, aliaque monumenta. Ipse Cyprianus apostolicæ Cathedræ sententiam de lapsorum restitutione sciscitatus est; quem Africani Patres diversis temporibus secuti sunt, summos Pontifices de variis Ecclesiasticæ disciplinæ capitibus [a] consulendo. Et quamvis magnus Cyprianus aliud senserit de baptismo hæreticorum quam Stephanus Papa, aliosque Africanos Episcopos ad suas partes traxerit, vicit tamen sententia Stephani, etiam in Africa, rescissis Conciliorum sub Cypriano habitorum decretis. Hæc paulo extra metas observavimus contra nonnullos, qui Africanam Ecclesiam vel *acephalam* audent dicere, vel *authocephalam*; quod proprii Primatis, hoc est Carthaginensis auctoritate sola regeretur: *Quasi vero ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse non sit omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui undique sunt fideles*, ut ait Irenæus.

Lib. III. adv. Valent. c. 3.

VIII. *Gregorii summa in potestate major humilitas & modestia. Lib. XII. Ep. 24.*

Summa hæc Gregorio demandata potestas, ejus modestiæ ac humilitati minime officiebat; quarum virtutum argumentum sane maximum est Epistola hoc anno ad Johanem Subdiaconum Ravennæ commorantem scripta. Etenim in ea pene indignabundus queritur de Mariniano Archiepiscopo Ravennate, quod legi publice faceret ad vigilias *commenta beati Job*, quia, inquit, illud opus non est populare, & rudibus auditoribus impedimentum magis quam provectum generat. Addit: *Neque enim volo dum in hac carne sum, si qua dixisse me contigit, ea facile hominibus innotesci. Nam quia dilectissimæ memoriæ Anatolius Diaconus quærenti ac jubenti Domno Imperatori librum Regulæ Pastoralis dedit, ægre suscepi: quem sanctissimus frater & Coepiscopus meus Anastasius Antiochenus in Græcam linguam transtulit. Et, sicut mihi scriptum est, ei valde placuit, sed mihi valde displicuit, ut qui meliora habent, in minimis occupentur.*

IX. *De ejus homiliis in plurimos sanctæ Scripturæ libros a Claudio exceptis. Tom. 3. 2. part.*

Eadem in Epistola S. Gregorius meminit suarum homiliarum de Proverbiis, de Canticis canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum, & de Heptateuco, quas exceperat Claudius Abbas. Quo mortuo jubet Papa requiri omnes etiam chartulas de his superstites, & ad se mitti, igne, ut ex ejus humilitate suspicari licet, fortasse abolendas. De his autem legendæ sunt præfationes aut admonitiones præviæ ad Commentarium in librum 1. Regum; ad Expositionem in Cantica, & ad aliam septem psalmorum pœnitentialium Expositionem. Sed quia forsan parcius illic diximus de Claudio Abbate, nunc colligendum quidquid in Epistolis Gregorianis de ipso sparsum legitur.

De Claudio inquiritur. Lib. XI. Ep. 46.

Monachum fuisse in Gregoriano Romæ monasterio, & quidem sub ejus disciplina, probat filii titulus ipsi a Gregorio datus. Jam assumtus fuerat ad regendum Classense SS. Johannis & Stephani monasterium, anno secundo Pontificatus sancti viri; ejus enim tamquam Abbatis meminit hoc tempore ad Johannem Ravennatem scribens: *Videtur mihi ut Claudium Abbatem cum aliquanta pecunia illuc transmittere debeatis.*

Lib. VII. Ep. 45. Lib. VIII. Ep. 15. Ibid. Ep. 16. Lib. XII. Ep. 24.

Romam venit, tum ut jura monasterii sui adversus Marinianum Ravennatem ejusque Clericos tueretur, pro quo impetravit privilegium; tum ut studiorum S. Gregorii adjutor foret ac particeps. In Urbe diu moram fecit, S. Gregorio eum retinente, *quia magnum ipsi erat in verbo Dei solatium*. At quia monasterium suum repetere & revisere festinabat; aliundeque non latebat vigilantissimum Pastorem, congregationi fratrum præsentiam sancti Abbatis esse summe necessariam, ei redire permisit, eumque commendavit Mariniano; quem rogavit ut paternam illi monasterioque ipsius caritatem, uti decebat, impenderet. Mortuum eum fuisse suspicamur paulo ante scriptam ad Johannem Subdiaconum Epistolam, cujus jam meminimus, hoc est anno 601. desinente.

X. *S. Gregorii in eligendis dignis Abbatibus, & tuenda monastica disciplina sollicitudo.*

Post ejus obitum *Monachi ejus monasterii venientes Romam petierunt sibi Constantium Monachum Abbatem constitui*. At eum minime probavit sanctissimus pater, quod peculiaritati studere diceretur, & in Piceni provinciam perrexisset *sine aliquo fratrum suorum*. Eo itaque rejecto consensit ordinari Maurum cellerarium, modo quæ de ipsius vita & industria testabantur qui elegerant, vera esse probarentur. De his scripsit ad Johannem Subdiaconum; insuperque præcepit ut Marinianum Episcopum admoneret, peculiaritatem a quatuor aut a quinque Monachis monasterii resecare.

Hæc

[a] Vide Ep. Papæ Dynamio & Sifidio Consulibus datam an. 485. & consule histor. Vandal. persecut. par. 2. c. 12. n. 9

XI. Utrum monachorum loco subdiaconatus esse putave it. Ibid. Ep. 32.

Hæc sane sunt argumenta sollicitudinis & curæ singularis quam gerebat de statu monastico. Quanti autem illum faceret præsertim hoc anno demonstravit duabus in Epistolis. Ex priori scripta ad Passivum Episcopum Firmanum, colligit Thomassinus Monachatum tunc loco subdiaconatus fuisse. Quippe cum Aprutium Castrum Firmensis territorii Pastore careret, indicavit S. Gregorius Opportunum quemdam, ob morum innocentiam, psalmodiæ studium, amoremque orationis a multis laudatum, quem hortandum dicit ut *vel Monachus fiat vel Subdiaconus*; & post aliquantulum temporis, ad pastoralem curam eum suadet promovendum. Cur hic monachatus fieret mentio sicuti subdiaconatus, quando de promovendo ad sacerdotium Opportuno agitur, nisi æque ad sacros ordines disponeret? Et ideo fortasse S. Benedictus qui de Monachis ad presbyteratum & diaconatum assumendis loquitur, de subdiaconatu ipsius conferendo prorsus silet. Sed legendus eadem re noster Mabillonius, maxime Annal. Benedict. lib. 2. an. 602. num. 20. col. 277.

Rom. 1 lib. 2 ep. 34. XII. Diaconum factum Monachum ex monasterio pelli non patitur.

In altera Epistola scripta ad Desiderium Viennensem Episcopum, pro Pancratio Diacono qui Monachus factus fuerat, sanctissimus pater hortatur Desiderium, *ut tam promta Diaconi devotioni, quam in sancto studebat habere proposito minime impedimento sit. Magis autem*, inquit, *quibus valetis adhortationibus pastorali admonitione* (eum) *succendite, ut fervor hujus desiderii in eo non tepescat: ut qui a turbulento curarum secularium tumultu se segregans, quietis desideria portum monasterii appetit, rursum in Ecclesiasticarum curarum non debeat perturbationibus implicari.*

CAPUT VII.

An. 602. & 603.

I. Mauricii Imper. dejectio & cædes. II. De qua divinitus præmonetur. III. Phocas eligitur Imperator ab exercitu. Qui Constantinopolim advolat. Mauricii filios ipsumque occidi jubet. Necnon Constantinam Augustam ejusque tres filias. IV. S. Gregorius ad Phocam scribit. Ejus Epistola expenditur. De alia ad eumdem Epistola: V. Cur S. Gregorius durius de Mauricio scripserit. VI. Apocrisiarium mittit ad novum Imperatorem. VII. Miserabilem Italiæ statum exponit. VIII. Legatio Theoderici Francorum Regis & Brunichildis ad Papam. Illum consulunt de Episcopo amente. Papæ responsum. Bigamum arcet a sacris ordinibus. IX. Petit Regina mitti Legatum in Gallias, ad Concilium celebrandum. X. Papæ sollicitudo de Eccles. disciplina in Italia. XI. Conductorum Ecclesiæ fraudibus injuste ablata restituit. XII. Ejus in facienda eleemosyna studium. XIII. Urbicus Abbas eligitur in Panorm. Episcopum. Cur hanc electionem respuerit S. Gregorius. XIV. Scribit contra nuper exortos Romæ errores.

I. Mauricii Imp. dejectio & cædes.

ANnus hic Pontificatus S. Gregorii decimus-tertius insignis est ob Mauricii Augusti causam ipsiusque ac filiorum cædem, necnon Phocæ Centurionis provectionem ad imperium. Iram odiumque militum in se concitaverat Imperator, nolens modico pretio redimere captos ab Avaribus, quos barbari interfecerunt; sive id avaritiæ causa factum, ut vulgo creditur, sive voluerit eos hostili gladio perire, quia seditionem fecerant. Ipse vero tanti criminis conscientiam pondusque diutius ferre non valens, Dominum precatus est ut in hac vita debitas sibi pœnas infligeret, æternisque suppliciis se non reservaret. Postulavit autem ab omnibus Patriarchis Monachisque, maxime Jerosolymitanis, ut eadem quoque a Deo suis precibus exorare satagerent. Vota ex animo facta Deus audivit, ut Theodoro Siceotæ ostensum est ac ipsimet Augusto, qui fuerat admonitus ut caveret ab homine cujus nomen a duobus his litteris *ph* inciperet, & ab eo se occidendum sciret.

II. De qua divinitus præmonetur.

Statim suspicatus est Mauricius a Philippico sororis suæ marito sibi insidias & necem parari. At in somnis vidit se Judici Christo adstare cum turba militum captivorum ipsum accusantium, uti narrant scriptores Græci; nec mora statim jussum esse, ut cum uxore sua & liberis totaque familia Phocæ militi trucidandus traderetur. Expergefactus Imperator, statim misit qui Philippicum ad se producerent. Ille vocari se nocte videns, mortem sibi imminere non dubitavit; noverat enim se apud Imperatorem in suspicionem adductum esse. At Mauricius statim ac illum vidit, ad ejus pedes provolutus ait: *Ignosce mihi, frater, quas tibi innocenti calumnias imposui. Rogo autem ut si quem in exercitu militem Phocam nomine noveris, indices mihi.* Novi, inquit ille; *quemdam, qui pridem ab exercitu missus, cum majestate tua jurgavit.* Non dubitavit Mauricius ipsum esse quem in somnis viderat.

III. Phocas eligitur Imperator ab exercitu.

Sub id tempus Petrus Imperatoris frater ejus jussu misit litteras ad exercitum, quibus jubebatur Istrum trajicere ac ibidem hyemare; quod cum milites moleste ferrent, quia iis in hybernis assidue cum barbaris erat præliandum; cœperunt de novo Imperatore creando agere; moxque Phocam centurionem, quem audacem noverant, super scutum de more elevantes, Imperatorem acclamarunt salutaruntque. His auditis Petrus confestim Constantinopolim veniens eorum certiorem fecit Imperatorem, qui paulo post navem conscendit cum uxore ac liberis; sed tempestate repulsus delatus est ad S. Antonomum; eademque nocte podagræ doloribus correptus, quæ fuit grave fugæ impedimentum.

Qui Constantinopolim advolat.

Interim Byzantium advolat novus Imperator, cumque jam pervenisset ad Hebdomum, facti sunt ei obviam Patriarcha Senatusque; mox urbem regiam ingressus insignia sumpsit Imperatoria. Biduo post curru advectus Imperatorio, venit in regiam; quinta vero die Leontiam uxorem corona imposita,

sita, Augustam pronuntiavit. Ad Phocæ adventum celebrandum edita sunt plurima spectacula. Cumque de pompa & solemni apparatu ad excipiendam Leontiam deliberaretur, de loco stationis inter Venetos & Prasinos (duæ erant factiones) orta contentione, Veneti ab æmulis male habiti clamarunt: *Adhuc vivit Mauritius*, quem Prasinis infensum sciebant. His cognitis Phocas missis militibus jussit adduci Mauricium ad Eutropii portum ubi ante oculos ejus primum interfecti sunt ejus [a] filii patre interim hæc Davidica usurpante: *Justus es, Domine: & rectum judicium tuum*. Quin etiam cum loco nati minoris adhuc lactentis nutrix proprium filium obtulisset, Mauricius infantem prodidit. Eadem constantia mortem excepit; sicque calicem iræ Dei convertit in medicinæ poculum, quod ipsi ad peccatorum purgationem, & ad perfectam animæ salutem consequendam profuit. Constantiam Augustam cum tribus filiabus, in privatam domum Leonis dictam inclusit tyrannus, uti narrat Simocatta lib. VIII. c. 15. quas tamen elapsis paucis mensibus interfici jussas, alii referunt scriptores. Petrum Mauricii fratrem & aliquos procerum simul interfectos esse docet fragmentum de Phoca coronato; unde etiam habemus nomina quinque filiorum Imperatoris, & tempus quo ista contigerunt, scilicet Indict. VI. die 27. Novembris.

a Mauricii filios ipsius necat. Ejus sobolet. P.a. e. 8. Ne non Constantinam August. & fr et filias. Ad e.le. Epistol.

Ex eodem scripto docemur venisse Romam icones Phocæ & Leontiæ Augustorum Kalendis Maii, & acclamatum esse eis in Lateranis in basilica Julii ab omni clero & Senatu. Postea jussisse S. Gregorium imagines illas reponi in oratorio S. Cæsarii Martyris intra palatium.

Non erat integrum Papæ abstinere a scribendis ad Phocam litteris, quibus ipsi gratularetur adeptum imperium. Iis qui Gregorium arguunt quod de Mauricio iniquius, de Phoca vero adulatorie locutus sit jam [b] respondimus. Sane quæ dicuntur adulationes & assentationes, potius vota sunt pro Imperatore a quo summus Pontifex optime gubernari Rempublicam optat, ut legenti palam fiet: *Lætentur*, inquit, *cæli & exultet terra, & de vestris benignis actibus universus Reipublicæ populus nunc usque vehementer afflictus hilarescat. Comprimantur jugo dominationis vestræ, superbæ mentes hostium. Releventur vestra misericordia contriti ac depressi animi subjectorum. Virtus cælestis gratiæ inimicis terribiles vos faciat, pietas subditis benignos. Quiescat felicissimis temporibus vestris universa Respublica, prolata sub causarum imagine præda pacis. Cessent testamentorum insidiæ, donationum gratiæ violenter exactæ. Redeat cunctis in rebus propriis secura possessio, ut sine timore habere se gaudeant, quæ non sunt eis fraudibus acquisita. Reformetur jam singulis sub jugo imperii pii libertas sua. Hoc namque inter Reges gentium, & Reipublicæ Imperatores distat, quod Reges gentium domini servorum sunt, Imperatores vero Reipublicæ, domini liberorum. Sed melius hæc orando quam suggerendo dicimus.* Quæ sequuntur usque ad finem Epistolæ, sunt preces quibus vir sanctus a Deo postulat auxilium gratiæ Augusto necessarium.

S. Gregorius ad Phocam scribit. Lib. XIII. Ep. 31. Ejus Epistola expenditur. b

In alia ad eumdem Phocam Epistola nullæ laudes occurrunt, quæ sermonem adulatorium redoleant. In ea qua Leontiam salutavit, vota quoque nuncupat, non verbis lenocinatur, ut legendo quisque observare potest.

De alia ad eumdem Epistola. Ibid. Ep. 38 & 39.

Quod spectat ad quædam in Mauricium Augustum durius a Sancto Gregorio scripta iis in Epistolis, constat hunc Imperatorem iniquiorem sese fere semper ostendisse sanctissimo Pontifici, Romæ, totique Italiæ, ut ex tot Gregorianis Epistolis liquet. De duro itaque ipsius jugo quando conqueritur (dissimulato tamen ejus nomine) scribens ad Phocam aut ad Leontiam, non injustis querelis quærit Imperatoris demortui famam obscurare. Vero propius autem videtur sancti viri propositum esse novi Imperatoris animum ad misericordiam & clementiam erga subditos inflectere. Mauricii avaritiam carpit quidem latenter, & cetera mala quæ ex hoc vitio solent oriri. At ipse Simocatta, etsi erga hunc Imperatorem indulgentior, non inficiatur ipsum avaritia laborasse, dum ait ea ratione Mauricium voluisse exercitum trajecto Istro hyemare, ut barbarorum regionem incursaret, inde comparatis alimentis victitaret, ne annonam militi præbere cogeretur; unde occasio rebellandi data, & alterius Imperatoris eligendi.

V. Cur S. Gregorius durius de Mauricio scripserit.

Lib. VIII. cap. III.

Bellica Mauricii virtus etsi laudatur, attamen vix ullum bellum post assumptum imperium gessit, nisi per duces. Quamvis autem quamdiu imperavit, bellandum ei fere semper fuerit, maxime contra Avares vel Abares, vario tamen eventu & sæpe infelici pugnatum esse, constat ex eodem Theophylacto Simocatta. Interea Italiam, Siciliam, Sardiniam, Dalmatiam Langobardi aliique barbari depopulabantur, Imperatore vix curante. Hoc moleste ferebat Sanctus Gregorius, unde expostulandi contra Mauricium in Epistolis ad Phocam & Leontiam data occasio.

Ut ad novum Imperatorem redeat oratio, cum nullum in palatio invenisset Ecclesiæ Romanæ Apocrisiarium, id minime gratum habuit. Anatolius hoc munere fungebatur adhuc Indict. IV. an. 601. ut patet ex Epistola ad eum scripta: quo vero tempore urbe regia excesserit, quave occasione, divinare non possumus. Gregorius excusaturus se apud Phocam, scripsit: *Quod permanere in palatio, juxta antiquam consuetudinem, apostolicæ Sedis Diaconum vestra Serenitas non invenit, non hoc meæ negligentiæ, sed gravissimæ necessitatis fuit: quia dum ministri omnes hujus nostræ Ecclesiæ tam contrita asperaque tempora cum formidine declinarent, atque refugerent, nulli eorum poterat imponi, ut ad urbem regiam in palatio permansurus accederet. Sed postquam vestram Clementiam, omnipotentis Dei gratia disponente, ad culmen imperii pervenisse cognoverunt, ipsi quoque suadente lætitia ad vestra vestigia venire festinant, qui prius illuc accedere valde timuerant.* Postea significat ad id muneris delectum fuisse Bonifacium primum defensorum, quem ait sibi *longa assiduitate compertum, vita, fide ac moribus approbatum*, idcirco Diaconum

VI. Apocrisiarium mittit ad novum Imper. Lib. XIII. Ep. 47. Lib. XIII. Ep. 42.

a Alii dicunt quinque, alii tantum tres. In fragmento a nobis laudato inter occisos numeratur Theodosius qui jam Cæsar fuerat a Patre renuntiatus. Abfuisse tamen quando hæc gesta sunt vulgaris est sententia, quia missus fuerat a Mauricio ad Persarum Regem, ejus opem postulaturus: eumdemque aiunt Nicææ in Bithynia postea comprehensum capite truncatum esse. Sed Theophylactus Simocatta scriptor pene coævus, quem propterea ceteris ducimus anteponendum, asserit dictis Theodosium e finale. gatione revocatum a patre Mauricio ad mactationem adfuisse.

b In notis ad Ep. 31. lib. XIII.

conum effectum; ut hanc legationem ac provinciam obiret. Is est Bonifacius ex plurimis Gregorianis Epistolis satis notus qui postea electus est in summum Pontificem & dictus est Bonifacius tertius; at ad breve tempus Ecclesiam rexit. Quam acceptus fuerit Phocæ inde colligimus, quod Pontifex creatus obtinuerit, [a] ut Constantinopolitanus Patriarcha œcumenicum se dicere desineret.

VII. Miserabilem Italiæ statum exponit. Lib. XIII. Ep. 33.

In Epistola ad Phocam cujus lator fuit novus Apocrisiarius, miserabilem Italiæ statum deplorat: *Qualiter*, inquit, *quotidianis gladiis & quantis Langobardorum incursionibus, ecce jam per triginta quinque annorum longitudinem premimur, nullis explere suggestionis vocibus valemus.*

Sane ex Epistola ad Smaragdum Exarchum hoc anno scripta compertum habemus bellum adhuc fuisse cum Langobardis, etsi quandoque induciis paucorum dierum intermitteretur. Eadem Epistola pene persuadet Pisanos jam tunc fuisse sui juris, potuisseque pro arbitrio pacis fœdera inire aut bellum indicere. De eorum *dromonibus ad egrediendum jam paratis* ibidem S. Gregorius meminit; unde discimus eos mari fuisse præpotentes. Eosdem ad pacem cum Romanis ineundam hortatus fuerat summus Pontifex misso Legato, sed obtinere nihil potuit, quod nuntiandum putavit Exarcho.

VIII. Legati Theoderici Franc. Regis & Brunichildis ad Papam.

Paulo antea Theodoricus Francorum Rex in Burgundia, miserat Legatos ad Papam illustres viros Burgoaldum & Varmaticarium, ut eo adjutore pacem cum Imperatore ac Republica Romana facere ac stabilire posset. Laudavit ejus consilium sapientissimus pater, operamque suam ad id præstandum pollicitus est. Forsasse jam dissidebant duo fratres; Theodebertus Austrasianorum Rex, & Theodoricus, qui prudenter amicitiam Romanorum ambiebat. Favebat huic Brunichildis avia, infensa Theodeberto nepoti, qui tandem duplici prælio fusus fugatusque, a suis occisus est victoris gratiam ejus capite mercari volentibus.

Illum consulunt de Episcopo amente. Ibid. Ep. 5. Papæ responsum.

Præfati Legati jussi fuerant a Brunichilde, consulere Papam de quodam Episcopo quem capitis infirmitas administrare suum officium non sinebat. *Alienata mente* fuisse hunc Episcopum docet nos Epistola ad Etherium Lugdunensem ea de re scripta, in qua sic ad quæstionem propositam respondet: *Quia vivente Episcopo quem ab officio suo necessitas infirmitatis non crimen abducit, alium in locum ejus nisi recusante eo, nulla sinit ratio ordinari: si intervalla ægritudinis habere est solitus, ipse data petitione non se ulterius ad hoc ministerium, intellectualia nempe officia subvertente infirmitate, posse fateatur assurgere, & alium loco suo expetat ordinandum. Quo facto, omnium solemniter electione, alter qui dignus fuerit Episcopus consecretur: sic tamen ut quousque eumdem Episcopum in hoc seculo vita tenuerit, sumtus ei debiti de eadem Ecclesia ministrentur. Enimvero si nullo tempore ad sanæ redit mentis officium, persona fidelis ac vitæ probabilis est eligenda, quæ ad regimen Ecclesiæ idonea possit existere, atque ad animarum utilitatem cogitare, inquietos sub disciplinæ vinculo constringere, Ecclesiasticarum rerum curam gerere, & maturam atque efficacem se in omnibus exhibere. Qui etiam si Episcopo, qui nunc ægrotat, superstes extiterit, loco ejus debeat consecrari. Ordinationes vero Presbyterorum vel Diaconorum, seu alterius ordinis, si fieri in eadem Ecclesia causa poposcerit, Fraternitati tuæ noveris reservandum: quatenus si tuæ est diœceseos de ejus qui ad hoc eligitur vita, moribus, actuque perquiras. Et si placuerit, nec est quod in eo canonicæ districtionis judicium reprehendat, ad destinatum ordinem non aliter nisi te ordinante perveniat.*

Bigamum a sacris ordinib. arcet.

Consultus ab eadem Regina S. Gregorius de bigamo, *an ad sacrum ordinem posset accedere*, respondit id juxta canonicam regulam minime fieri debere. Postulanti autem ut privilegiis munire dignaretur monasterium S. Martini in suburbio Augustodunensi, aliud monasterium ancillarum Dei, & xenodochium quæ in eadem urbe construenda curaverat, libenter [b] annuit pius Pontifex.

IX. Petit Regina mitti Legatum in Gallias ad celebrandum Concilium.

Gratum se facturam vigilantissimo totius Ecclesiæ Pastori putavit Regina, ipsum rogando ut Legatum mitteret in Gallias, qui *facta Synodo, cuncta quæ contra sacratissimos canones perpetrabantur, posset corrigere*. Nam id ipsi maximo in voto erat, ut liquet ex tot Epistolis quas ea de re superioribus [c] annis scripserat ad eamdem Reginam, Reges, & Episcopos Galliarum quamplurimos. Itaque Gregorius actis Reginæ gratiis, respondet apto tempore se missurum aliquem qui Synodum cogeret; ejusque pia desideria se impleturum pollicitus est. Nulla tamen coacta est Synodus in Gallis quæ cleri corruptelis mederetur, nisi post annos fere triginta, civilibus bellis bonum hoc opus impedientibus.

X. Papæ sollicitudo de Eccl. disciplina in Italia. Ibid. Ep. 36. & 35. Ibid. Ep. 27. & 28.

De resarcienda in Italia ecclesiæ disciplina majorem adhuc sollicitudinem gerebat sanctissimus pater. De amovendis a Sacerdotum aliorumque Clericorum contubernio mulieribus extraneis scripsit ad Chrysantum Spoletanum Episcopum & ad plurimos alios; atque ad id Optati defensoris operam adhibuit. Præcepit Anthemio Subdiacono ut Campaniæ Episcopos convocaret, admoneretque officii sui, cujus immemores esse videbantur. Si vero postea semel admonitus negligens extiterit ac desidiosus, vult ut Romam transmittatur, distinctius puniendus. Paschasius Episcopus præ ceteris otio torpere ferebatur; unde jubet Anthemio ut eum de negligentia coram selectis testibus corripiat. Si vero desidiam non excutiat, Romam transmitti præcipit severius castigandum.

XI. Conductorum Ecclesiæ fraudibus injuste abla restituit. Ibid. Ep. 34.

In Ecclesiæ Romanæ actoribus & conductoribus fraudes omnes non modo vindicabat sed etiam damna eorum fraudibus colonis illata resarciebat. Hinc laudavit Pantaleonem patrimonii Syracusani rectorem, quod fregisset modium, quo coloni frumenta dare compellebantur, quia debitam mensuram excedebat; jussitque pecuniam ex injusto modio perceptam colonis pauperibus secreto distribui.

XII. Ejus in facienda eleemosyna studium. Ibid. Ep. 19.

Certe quam alienus esset ab invadendis pauperum bonis, probat ejus studium incredibile in facienda eleemosyna. Sic expostulat cum Juliano viro illustri ob dissimulatam ex verecundia inopiam: *Certum est*, inquit, *quia minus amatur qui adhuc erubescitur. Atque omnimodo contristatus sum, quia me a vobis comperi minus quam æstimaverim amari. In hoc autem valde me continetis, si mercedis causas*

a Vide quæ diximus supra lib. III. c. 11. n. 16.
b Extant hæc privilegia in Epp. 8. 9. 10.
c Maxime anno Pontificatus sui nono.

sas mihi assidue providendas studiose requiritis. Nec vobis debet esse verecundia ei aliquid de eleemosynis importune dicere, quem constat non res suas, sed ad dispensandum, res pauperum habere: De causis itaque mercedis apud Episcopum libere agere debuistis, etiamsi meum animum qualis in amore vestro existeret nesciretis. Postquam enim & nos omnino Gloriam vestram diligimus, & dispensatoris locum in rebus, sicut scitis, pauperum tenemus; vestra, fateor, verecundia valde accusabilis fuit. Quam ideo tot verbis increpando insequor, ut hanc a corde vestro funditus repellam. Ex Epistola ad Pantaleonem discimus patrimoniorum rectores apud sacratissimum corpus beati Petri jusiurandum olim præbuisse.

Cum propria auctoritate Imperatoris ministros privatorum bonis, utilitatis publicæ nomine, insidiantes coercere non posset, de eorum malis artibus & rapinis certiorem fieri Augustum curabat. Hoc anno admonuit Rusticianam patriciam venisse Romam quemdam *Beatorem*, qui se Comitem privatarum dicebat, & multa inique agebat, maxime adversus ipsam & ejus neptes, scilicet [a] Antoninam & Barbaram Venantii filias, de quibus alibi. a

XIII. Urbicus Abbas eligitur in Panormitanum Episcopum. Cur hanc electionem respuerit S. Gregorius.

Hoc anno mortuo Victore Panormitano Episcopo, Venantius Patricius Panormitanus, alius a Syracusano exmonacho, de cujus morte jam diximus, Urbicum Abbatem monasterii S. Hermetis curavit eligi in hujus urbis Episcopum. Laudavit hanc electionem S. Gregorius, quod Urbicum nosset *vigilantem, sollicitum, & divinæ Scripturæ scientia, quod maxime in Sacerdotibus eligendum est, institutam*. Quietem tamen hujus Abbatis turbare noluit Papa, *ne eum ad altiora producendo, minorem seipso fieri missum in fluctibus compelleret*. [b] Urbicus erat quasi Præfectus aut Præpositus generalis omnium monasteriorum in Sicilia, ut jam observavimus; quod fortasse in causa fuit ut eum a tali præfectura, ut fieret Episcopus, amoveri non sit passus Gregorius. Panormitanam Sedem obtinuit Johannes, quem S. Gregorius monuit de reditibus Ecclesiæ quartam in integro portionem suo clero tribuere, & tabularium instituere qui singulis Clericis debita distribueret juxta tabulam seu matriculam. Eidem eximia præbet præcepta ad optimam Ecclesiæ gubernationem. Ad Johannem Pallium jam paulo antea fuerat missum. In Epistola qua sanctissimus Pontifex recens ordinatum Episcopum jure utendi Pallio donavit, ait eum speculatoris Ecclesiæ Panormitanæ officium suscepisse; nomen Episcopi probe interpretatus. b *Ibid. Ep. 44.* *Lib. XIII. Ep. 37.*

XIV. Scribit contra super Romæ errores.

Certe speculatorem indefessum ac vigilantissimum sese probabat ipse Gregorius, assidue excubans, licet gravissimis morbis decumberet, ut a grege suo, quidquid immineret mali arceret. Unde cum intellexisset quosdam in ipsa urbe Roma perversi spiritus homines die Sabbati aliquid operari prohibere, ad cives Romanos scripsit, Judaicum hunc errorem explodens, cujus auctores Antichristi prædicatores appellat, *qui veniens*, inquit, *diem Sabbatum atque Dominicum ab omni faciet opere custodiri*. Iidem, aut alii *perversi homines*, prædicabant, Dominico die nullum debere lavari. *Et quidem*, inquit, *si pro luxu animi atque voluptate quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. Si autem pro necessitate corporis, hoc nec Dominicorum die prohibemus.*

a Ita sequitur Baronius.
b Vide Mabillon. Annal. Bened. lib. 8. n. 35. & 39.

C A P U T VIII.

An. 603. & 604. Indict. VI. & VII.

I. S. Gregorius mittit defensorem in Hispaniam, ut judex sit causarum Episcop. Judicium Johannis defensoris. II. Eidem injungit Papa visitationem monasterii insulæ Capraria. Ejusdem pro aliis monasteriis sollicitudo. III. Quid statuerit de Episcopo Missæ sacrificium ob infirmitatem intermittente. IV. Pro pace inter Episcopos concilianda quam fuerit sollicitus. V. S. Gregorii ad Theodelindam Reginam Epistola & munuscula. VI. Ultimi S. Gregorii labores pro Ecclesia. Quid consulenti Episcopo Messanensi responderit. VII. Consilia ab ipso amicis data. Ejus obitus. Sepultura. Sacer cultus. Translationes.

I. S. Gregorius mittit defensorem in Hispaniam, ut judex sit causarum Episc. *Lib. XIII. Ep. 45. & seqq. usque ad Ep. 46.*

EX editissima Ecclesiæ specula S. Gregorius conspiciens turbatas Hispaniarum Ecclesias, ob injustam Presbyteri & quorumdam Episcoporum dejectionem, eo misit Johannem defensorem, qui auctoritate sibi a summo Pontifice delegata judex sedit inter Presbyteros Episcoposque vim passos, & alios qui aut ipsos injuste dejecerant, aut eorum Sedem invaserant, aut eorum invasores ordinarant; necnon inter gloriosum Comitiolum Bæticæ, ut par est credere, Præfectum, quo præsertim auctore tanta mala hac in provincia perpetreta sunt. Johannis defensoris legationi occasionem dedit Januarii Malacitani Episcopi *petitio* seu libellus supplex Papæ oblatus, quo querebatur unum e suis Presbyteris ab officio suo amotum, & in exilium deportatum fuisse. In eodem haud dubie libello de simili quoque pœna sibi inflicta conquestus est Januarius. Alius incerti loci Episcopus nomine Stephanus cum Januario depositus & in exilium ejectus, ad sanctam quoque Sedem appellaverat. Ut in his Episcoporum & Presbyterorum causis recte sententiam ferret Johannes, dedit ipsi Papa duplex capitulare seu commonitorium, quorum unum præscribit, quidquid facto opus sit in his litibus tum instruendis tum judicandis; alterum continet leges Imperiales de Clericorum immunitate. In sententia Johannis defensoris, quem omnes partes pro legitimo suo judice agnoverunt, nulla fit mentio Stephani Episcopi & Presbyteri Malecitani, sed tantum Januarii Episcopi hujus urbis, qui hoc solemni judicio fuit Ecclesiæ suæ restitutus: *Nullam*, inquit Johannes, *in antedicto Januario culpam qua exilio vel depositione digna esset puniri, sed magis illum ejectum de Ecclesia violenter inveni. Et* Judicium Johannis defensoris.

quamquam hujusmodi temeritatem legum censura districtissime feriat; ego tamen legum vigorem sacerdotali moderatione temperans, medius sacrosanctis Evangeliis, quibus præsentibus ab initio in hoc cognitor resedi judicio, ea quæ contra eum statuta sunt, licet jure non teneant, nec alicujus sint momenti, injusta tamen & infirma esse pronuntio, atque illos & illos memoratos Episcopos, qui postposita consideratione sacerdotali, in fratris sui præjudicium atque condemnationem injuste & contra Dei timorem versati sunt, condemnans, in monasterio recipiendos ad agendam in tempus pœnitentiam statuo atque decerno. Illum vero qui locum antedicti sanctissimi Januarii contra sacrorum canonum statuta nequiter præsumpsit invadere condemnans, privari sacerdotio & ab omni Ecclesiastico ordine removeri statuo: ut & hoc quod male est adeptus amittat, nec ad officium quod ante indigne gesserat, revertatur. Sæpedictum autem sanctissimum Januarium Episcopum absolutum loco suo in episcopatus gradu Deo auctore reverti.

II. Eidem injunxit Papa visitationem monasterii insulæ Caprariæ. Ibid. Ep. 46 Prudens pro aliis monasteriis sollicitudo. Lib. x, v. Ep. 6

Eidem defensori S. Gregorius in mandatis dedit, monasterium Capricanæ, seu Capraríæ insulæ prope Majoricam visitaret, & Monachorum corruptos mores emendaret. Nam ita perverse agere dicebantur, ut non Deo sed antiquo potius hosti se militare ostenderent. Sic studium suum pro conservanda aut resarcienda monastica disciplina ubique demonstrabat sanctissimus Pater. Anno ejus pontificatus decimo-quarto ineunte, ipsi curæ fuit providere monasterio sanctorum Laurentii, & Zenonis in Cæsanati castro, quod Concordius hujus loci Episcopus turbarat injusta Fortunati Abbatis depositione. Ab ejus antecessore Natali Cæsenæ Episcopo Fortunatus ordinatus fuerat Abbas hujus monasterii; Et si nulla existente causa novus Episcopus eum ab hoc amoverat officio, aliumque instituerat Abbatem. Fortunatus de sua dejectione querelam ad summum detulit Pontificem, qui, quamvis ex ipso Concordii Diacono Abbatem injuste spoliatum cognovisset, de hoc negotio tamen Marinianum Ravennatem Archiepiscopum voluit inquirere, *quia*, inquit, *certior in partibus ubi res acta est, potest esse probatio*. Et si nulla manifesta causa depositionis extitisset, jussit Fortunatum in pristinum gradum restitui, increparique Episcopum, qui decessoris sui, nullis provocatus excessibus, destruere ordinationem molitus sit.

Ibid. Ep. 2.

De quibusdam Abbatibus Monasteriorum Sardiniæ scripsit eodem fere tempore S. Gregorius ad Vitalem hujus insulæ defensorem, eos qui cum adhuc *in monachico & minori essent ordine*, lapsi fuerant, Abbatis officium suscipere minime debuisse, *nisi omnino correcta vita & digna præcedente pœnitentia*: sed quia jam Abbates facti erant, voluit sapientissimus Pater ut de eorum vita, moribus ac sollicitudine curam gereret Vitalis. Et si actus eorum inventi contra officium non fuissent, in accepto perseverarent *ordine* & officio. *Alioquin remotis*, inquit, *eis alii qui commissis sibi animabus prodesse valeant ordinentur.*

III. Quid statuerit de Episcopo Missæ sacrificium ob infirmitatem intermittente.

In epistola ad Vitalem ea de re scripta respondet S. Gregorius quæstioni propositæ de Januario Caralitano Archiepiscopo, qui *tempore quo sacrificium celebrabat, tantam frequenter angustiam patiebatur, ut vix post longa intervalla ad locum canonis redire valeret*. Inde multis offensionis data occasio, itaut dubitarent, *si communionem de ejus consecratione deberent percipere*; *sed admonendi sunt*, inquit sanctus Doctor, *ut nullatenus pertimescant, sed cum omni fide & securitate communicent; quia ægritudo personæ sacri mysterii benedictionem nec mutat nec polluit*. Voluit nihilominus a Vitali suggeri Januario, ut quoties aliquam sentiret molestiam, *non procederet*; ne ex hoc & se despicabilem præberet, & infirmorum animis generaret scandalum.

Infirma Januarii valetudo in provecta ætate, magna Ecclesiis, xenodochiis, & monasteriis damna intulerat in Sardinia. Xenodochiorum curam habere Ecclesiæ Caralitanæ œconomum & Archipresbyterum jussit Papa, de neglectu, si quis deinceps esset, pœnas daturos.

IV. Pro pace inter Episcopos quam fuerit sollicitus. Lib. XIV. Ep. 8.

Gregorii sollicitudinem pro tota Ecclesia, neque ingravescens ætas, neque assidui acrioresque in dies morbi qui mortem prænuntiabant, proximam, potuerunt imminuere; maxime cum de pace restituenda inter Episcopos agebatur. Quod ipse significat in Epistola hoc anno scripta: *Quoties*, inquit, *nos eorum discordia tristes facit, qui pacis prædicatores esse debuerant, magna sollicitudine studendum est, ut litigii ablata materia, ad concordiam redeant, qui diversa ab invicem voluntate discordant*. Hæc ait occasione litis inter Alcysonem Corcyræ, & Johannem Euriæ in Epiro Episcopum, qui ex hac urbe fugere coactus a Barbaris una cum clero, ablatoque secum sancti
a Donati corpore in Cassiopi castro sacras illas reliquias deposuerat, sibique ac suis Clericis sedem fixerat, annuente Alcysone Corcyræo Episcopo ad cujus diœcesim pertinebat castrum.

De lite inter Johannem Euriæ, & Alcysonem Corcyræ Episcopum. Lib. XIV. Ep. 7.

At *contra Ecclesiasticam ordinationem, contra Sacerdotalem modestiam, contra sacrorum Canonum statuta, prædictum castrum de jurisdictione Alcysonis abducere, ac suæ molitus est potestati subjicere: ut fierent quodammodo Domini, ubi prius suscepti fuerant peregrini*. De ingrato Episcopi animo, injustaque castri usurpatione expostulavit Alcyson tum apud Imperatorem, tum apud Andream Nicopolitanum Episcopum utriusque Metropolitam, qui tum ex officio, tum ex Principis præcepto lata sententia, decrevit Cassiopi castrum sub jurisdictione Corcyritanæ Ecclesiæ *debere persistere*. Metropolitani sententiam comprobavit Papa. Et quamvis *districtionem contra se non modicam* hujus litigii culpa videretur exigere, propter quod mala pro bonis sunt reddita; *studendum est*, inquit clementissimus Pater, *ut excessu benignitas non vincatur, nec illud quod extraneis debetur, fratribus etiam necessitatem patientibus, denegetur . . . . . oportet ergo ut Sacerdotes vel clerus Euriæ civitatis ab antefati Cassiopi castri habitatione nullatenus repellantur, sed & beati Donati sanctum ac venerabile corpus, quod secum detulerunt, in una Ecclesiarum antedicti loci quam elegerint, sive intus, sive foris habeant recondendi debita cum veneratione licentiam. Sic tamen ut Dilectioni tuæ in cujus parochia castrum ipsum est positum, emissa procuretur cautione munitio, per quam promittat Episcopus Euriæ nullam sibi in eo potestatem, nullum privilegium fore, nullam jurisdictionem, nullam tamquam Cardinalis Episcopus ulterius auctoritatem defendere; sed pace Deo propitio reddita, ablato vene-*

a A quo hæc urbs nomen accepit, vocatúrque etiam nunc *San-Donato*.

venerabili sancti Donati, si maluerint, corpore, ad propria se modis omnibus reversuros.

Hunc judicio non statim acquievit Episcopus Euriæ, sed ab Imperatore subreptitiam obtinuit jussionem, qua in castrum Cassiopi omnem sibi vendicabat potestatem. Id ægre tulit S. Gregorius; ne tamen contra Augusti præceptum aut in despectum ipsius aliquid facere videretur, nulli partium data ex juris formulis sententia, satis habuit eum admonere Bonifacii Legati sui opera, de jussionis ab ipso surreptæ iniquitate, rogareque ut contrariam daret, qua Metropolitæ judicium a sancta Sede ratum habitum confirmaretur. Resipuisse Euriæ Episcopum nos docet scripta ad Alcysonem Epistola. Nam *capitulare* obtulit quo supplex petebat a Corcyritano Antistite, ut in Ecclesia S. Johannis intra castrum Cassiopi posita, licentia recondendi corporis beati Donati sibi daretur; paratumque se asserebat ad *emittendam munitionem*, qua locum hunc Corcyritanæ diœcesis esse ultro agnosceret, nullumque sibi jus in illum umquam vendicaturum pollicebatur. Alcysonem hortatus est Papa ut accepta cautione postulata concederet, sponderetque tum Episcopo Euriæ tum ejus Clericis, restituta pace, cum ad propriam redire liceret Ecclesiam; ipsos auferendi secum corpus sancti Donati *fas* habituros.

Ibid. Ep. 8.
Summa S. Gregorii prudentia in hac causa.
Ibid. Ep. 13.

V.
S. Gregorii ad Theodelindam Reginam Epistola & munuscula.
Ibid. Ep. 12.

Euriæ Episcopum ad propriam Ecclesiam deserendam coactum esse a Sclavis aut Avaribus suspicamur, non vero a Langobardis, cum quibus nullum tunc fuisse bellum conjicimus ex litteris & munusculis a S. Gregorio ad Theodelindam Reginam hoc anno missis. Ipsa scripserat summo Pontifici, ut eum sui gaudii participem efficeret ob Adaloaldum filium in lucem editum, quem in fide Catholica baptizari curaverat, licet Agilulfus Rex ejus pater nondum Arianismum ejurasset. Regio puero ejusque sorori Papa misit sacra quædam dona & alia munuscula, de quibus legenda Epistola ad Reginam scripta. Ipsam rogavit ut suo nomine Regi conjugi de facta pace gratias agere dignaretur, atque ejus animum, sicut consueverat, ad pacem de futuro provocaret.

In eadem Epistola, cum rogatus esset a Theodelinda respondere scripto Secundini Abbatis pro tribus capitulis decertantis, excusatum se haberi postulat ob *infirmitatem*, cujus testes fuerant Reginæ Legati; quandoquidem ipsum discedentes in summo vitæ periculo ac discrimine reliquerant.

VI.
Ultimi S. Gregorii labores pro Ecclesia.
Ibid. Ep. 16.
Ibid. Ep. 17.
a
Quid consulenti Episcopo Messanensi responderit.

Neque tamen pro Ecclesia sollicitudinem gerere intermisit. Nam eodem tempore, cum vacasset Pastore Anconitana Ecclesia, de ordinando Episcopo qui dignus esset diu deliberavit, animi dotes, virtutes, mores trium qui electi fuerant explorans: & ad plurima quæsita Felicis Messanensis Episcopi amplissime respondit, scilicet de consanguinitatis gradibus intra quos nubere licet, de vexatione quam Episcopi patiebantur a laicis sibi subditis, & de Ecclesiis de quarum dedicatione dubitabatur. Ad primum dicit, ea quæ indulsit, [a] Anglis neophytis, nimirum ut matrimonium in gradibus prohibitis contrahere possent, non esse omnibus a se concessa; imo nec ipsismet Anglis nisi ad tempus, videlicet donec in eis coalesceret religio Christiana. Ad secundum quæsitum respondet: *Si David Regum justissimus in Saul, quem constabat jam a Domino reprobatum esse, manum mittere non præsumsit: quanto magis cavendum est ne manum detractionis aut vituperationis, sive indiscretionis aut dehonorationis, quidam mittant in unctum Domini, vel in prædicatores sanctæ Ecclesiæ? quia eorum vexatio sive detractio ad Christum pertinet, cujus vice in Ecclesia legatione funguntur. Unde summopere cavendum est omnibus fidelibus, ne clanculo aut publice Episcopum suum, id est unctum Domini, detractionibus aut vituperationibus dilanient.* Ad tertiam vero interrogationem ait: *De dedicationum vero Ecclesiarum dubitatione, super qua inter cetera nos consulere voluistis, hoc vos rite tenere debetis, quod ab antecessoribus nostris traditum accepimus: id est, ut quoties tam de baptismo aliquorum vel confirmatione, quam de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, & nec scriptis, nec testibus ra io certa habetur utrum baptizati, vel confirmati, sive Ecclesiæ consecratæ sint: ut baptizentur tales ac confirmentur, atque Ecclesiæ canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum.*

VII.
Consilia ab ipso amicis data.
Ibid. Ep. 1.

His responsis totam informare Ecclesiam curabat sanctissimus Doctor, nec ab admonendis privatim amicis, ubi e re Ecclesiæ esse videbatur, cessabat. Gratulatus est Paulo Scholastico, tum de ipsius sollicitudine in coercendis puniendisque maleficis, tum de ejus cum Leone Catanensi Episcopo reconciliatione; & utrumque hortatus est ad diligendam pacem, fovendamque caritatem; quatenus reciprocum affectum, quasi mutuum aliquod fœneratores, semper ab invicem possent exigere.

Ibid. Ep. 10.

Audiens abductam a quodam milite ancillam Dei, de tanto facinore puniendo scripsit ad Guduinum Neapolitanum Ducem in hæc verba: *Cum inter multa bona quæ nobis de Magnitudine vestra sæpius nuntiantur, illud in vobis plus laudabile dicatur existere, quod castitatem diligitis, & disciplinam, sicut dignum est, custoditis: satis mirati sumus quod in milite illo qui ancillam Dei diabolica instigatione perdiderit, districtissima hactenus vindicta facta non fuerit. Nam & moribus & bonitati vestra valde conveniens fuit, ut ante ad nos ultio quam perpetratæ culpæ iniquitas perveniret*, &c. Pro Exarcho sollicitus, cum sciret eum ex linguæ incontinentia ea sæpe loqui *quæ omnes qui illam amabant, ad inimicitias illius valerent provocare*, ad quemdam ejus familiarem scripsit ut ea de re amicum commonere studeret.

Ibid. Ep. 13.

VIII.
Ejus obitus.
b
Sepultura.
Lib. IV. c. 68.

His assiduis laboribus non minus quam continuis morbis absumtus Gregorius, tandem ad optatam quietem transivit IV. Idus Martias anno Phocæ Imperatoris secundo [b] Indict. VII. Christi anno 604. & sepultus est in extrema porticu basilicæ beati Petri Apostoli ante vetus secretarium. De his ac de ejus epitaphio legendus Johannes Diaconus, qui ait venerabile ejus corpus a Gregorio IV. Papa tran-

a Vide lib. XI. Ep. 64.
b Ejus tamen obitum Beda consignat Indict. VIII. quem secutus est Paulus Diaconus in Historia Langob. at uterque fallitur, ut probat Baron. ad hunc an.

Ibid. c. 10. Sacer cultus. translatum ante novellum secretarium constructis absidibus sub altari sui nominis collocatum, ubi ejus anniversaria solemnitas cunctis certatim pernoctantibus celebrabatur. Honores ei sacri ab Anglicana Ecclesia decreti sunt in Concilio Cloveshoviæ an. 747. can. 17. *Ut dies natalitius beati Papæ Gregorii, & dies quoque depositionis S. Augustini Archiep. ab omnibus, sicut decet, honorifice venerentur; itaut utterque dies ab Ecclesiasticis & Monasterialibus feriatus habeatur.* Non a solis Latinis coli meruit vir sanctissimus, sed etiam a Græcis, quorum menologio sacrum ejus nomen inscribitur ad diem XII. Martii, cum amplissimo encomio quod refert Bollandus.

Translationes. De translatione sacrarum reliquiarum S. Gregorii in celeberrimum S. Medardi cœnobium legendi Mabillonius & Bollandus, qui agit etiam de translato ejusdem sancti capite ad monasterium S. Petri vivi apud Senonas, circa an. 876. ex dono Johannis Papæ, favente Carolo Calvo Francorum Rege & Imperatore, postulanteque Ansegiso Senonensium Archiepiscopo.

Sæculo IV. Bened. par. 5. p. 383. Bolland. die XII Mart. Joan. Diac. IV. c. 84.

Staturam sancti Pontificis, vultus lineamenta, capillamentum, barbam, & quæcumque ad formam spectant, satis accurate depingit Johannes Diaconus. At præstantissimi animi statum, flagrantissimum amorem in Deum, immensam erga proximum caritatem, demississimam humilitatem, fortitudinem infractam in adversis, modestiam, temperantiam, vigilantiam, prudentiam ceterasque virtutes quæ Gregorium nostrum certatim ornaverunt, quis describere valeat? Ut enim cum S. Hildefonso loquar, VICIT SANCTITATE ANTONIUM, ELOQUENTIA CYPRIANUM, SAPIENTIA AUGUSTINUM.

Lib. de viris illustr. c. 1.



INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS,

Ejus historiam ab ortu ad summum Pontificatum complectens.

LIBER SECUNDUS,

Quatuor priores Pontificatus S. Gregorii anno complectens.

LIBER TERTIUS.

Complectens historiam Pontificatus S. Gregorii ab annis 594. & 595. ad annos 598. & 599. seu ab Indictione 13. ad Indict. 2.

Ca-

LIBER QUARTUS.

Quidquid superest historiæ vitæque S. Gregorii exhibens.

IMAGINES
BEATI GREGORII MAGNI
EJUSQUE PARENTUM,

a Johanne Diacono descriptæ lib. IV. in ejusdem Sancti Vita, Cap. lxxxiij. & lxxxiv. & ab Angelos Rocca apostolici sacrarii Præfecto notis illustratæ.

De imagine B. Gregorii, Cap. lxxxiv. A

a IN [a] absidicula Gregorius in rota gypsea pictus ostenditur, statura juxta & bene formata, facie de paterne faciei longitudine, & materna rotunditate, ita medie temperata, ut cum rotunditate quadam decentissime videatur esse deducta: barba paterno more subfulva, & modica: ita calvaster, ut in medio fronte gemellos cincinnos rarusculos habeat; & dextrorsum reflexos: corona rotunda, & spatiosa, capillo subnigro & decenter intorto, sub auriculæ medium propendente: fronte speciosa, elatis & longis, sed exilibus superciliis: oculis pupilla * fulvis, non quidem magnis, sed patulis, b [b] subocularius plenis: naso a radice vergentium superciliorum subtiliter directo, circa medium latiore: deinde paululum B recurro, & in extremo patulis naribus prominente: ore rubeo, crassis & subdividuis labiis, genis compositis, mento a confinio maxillarum decibiliter prominente: c colore [c] aquilino, & * livido, nondum, sicut ei postea contigit, cardiaco: vultu mitis, manibus pulchris, teretibus digitis, & habilibus ad scribendum. Preterea planeta super dalmaticam castanea, Evangelium in sinistra, modus crucis in dextra: d [d] Pallio mediocri a dextro videlicet humero sub pectore super stomachum circulatim deducto: deinde sursum per sinistrum humerum post tergum deposito, cujus pars altera super eumdem humerum veniens propria rectitudine, non per medium corporis, sed ex latere C pendet: e circa verticem vero [e] tabulæ similitudinem, quod viventis insigne est, præferens, non coronam. Ex quo manifestissime declaratur, quia Gregorius, dum adhuc viveret, suam similitudinem depingi salubriter voluit: in qua posset a suis Monachis, non pro elationis gloria, sed pro cognitæ [f] districtionis cautela frequentius intueri. Ubi hujusmodi distichon ipse dictavit:

Christe potens, Domine, nostri largitor honoris,
Indultum officium solita pietate guberna.

* al. fulvis.
* al. vivido.

De imagine Gordiani. Cap. lxxxiij.

In venerabilis [g] Monasterii atrio jusso Gregorii g juxta Nymphium duæ iconiæ veterrimæ artificialiter depictæ usque hactenus videntur. In quarum altera beatus Petrus Apostolus sedens conspicitur, stantem Gordianum [h] Regionarium, h videlicet patrem Gregorii, manu dextera per dexteram nihilominus suscepisse. Cujus Gordiani habitus castanei coloris planeta est; sub planeta dalmatica, in pedibus [i] caligas habens, i statura longa, facies deducta, virides oculi, barba modica, capilli condensi, vultus gravis.

De imagine Silviæ, eodem Cap.

In altera icona mater Gregorii sedens depicta est Silvia, candido velamine a dextro humero taliter contra sinistram revoluto coopecta, ut sub eo manus tamquam de planeta subducat, & circa pectus sub gula inferior tunica [k] pseudolactini k coloris appareat, quæ magno sinuamine super pedes defluat: duabus [l] zonis ad similitudinem dal- l maticarum, sed latioribus, omnino distincta: statura plena, facies rotunda quidem & candida, sed senio jam rugosa, quam ipsa quoque senectus pulcherrimam fuisse significat: oculis glaucis & grandibus, superciliis modicis, labellis venustis, vultu hilaris, ferens in capite matronalem [m] mi- m tram candentis brandei raritata sublatam, duobus dexteræ digitis signaculo crucis se munire velle prætendens: in sinistra vero patens Psalterium retinens, in quo hoc scriptum est: *Vivet anima mea, & laudabit te, & judicia tua adjuvabunt me.* A dextero vero cubito usque ad sinistrum circa scapulas, versus ascendens reflectitur, qui ita se habet: *Gregorius Silviæ matri fecit.*

OBSERVATIONES ANGELI ROCCÆ.

HÆC Johannes Diaconus lib. 4. cap. 83. & 84. de Vita B. Gregorii Magni, qui obiit anno Domini DC. IV. vel DC. V. teste Trithemio; Johannes vero Diaconus claruit circa annum Domini DCCCLXX. Quamvis autem [a] dictæ imagines a Johanne descriptæ non eodem in loco essent, eas tamen hoc disposui ordine, juxta quem in ædicula S. Andreæ pictas Romæ inveni: hæ namque circa trecentos fere annos ex iis, quas Johannes Diaconus sua tempestate in atrio monasterii extitisse testatur, desumtæ videntur, a pictore tamen non satis perito, sicut res minus aptæ, minusve ad artem pictoriam pertinentes, id nobis persuadent. Idcirco ego suasione judiciosorum hominum monitus, dictas imagines juxta exactissimam Johannis Diaconi descriptionem quasi penicillo repræsentatas, omni ex parte ad vivum exprimendas diligenter curavi: quibus etiam magna ex parte respondent illæ, quæ rudi nunc arte pictæ in ipsa cernuntur ædicula.

Quonam autem in monasterio dictæ imagines pictæ fuerint, non satis constat, si verba Johannis Diaconi cap. 83. accurate perpendantur. Ego autem Romæ monasterium illud esse credo, quod in ejusdem B. Gregorii ædibus ad Clivum Scauri prope Ecclesiam SS. Johannis & Pauli in honorem S. Andreæ, teste Johanne Diacono lib. 1. cap. 6. & lib. 7. Registri S. Gregorii Ep. 13. constructum fuit: cujus Ecclesia præsens in tempus nomine S. Gregorii vocitatur. Idque ex eo quod cap. 95. 96. & 97. ab eodem Johanne Diacono scribitur, colligi potest. Huc accedit quod Johannes Diaconus dictas imagines describere, & quasi penicillo, earumdem, ut ita dicam, minutias tam exacte non potuisset repræsentare, si eas Romæ, ubi vitam degebat, non vidisset.

Non desunt qui a B. Gregorio Magno duo monasteria ad Clivum Scauri constructa fuisse opinentur, moti ex iis, quæ lib. 1. in ejusdem Sancti vitam cap. 32. & 38. lib. 2. cap. 45. & lib. 4. cap. 97. Johannes Diaconus scribit; præsertim vero lib. 2. cap. 45. in quo ipse Diaconus ex libro, qui Græce Λειμών dicitur, latine autem campus, sive pratum, hæc invenisse ait; *Is* (nempe Gregorius) *effectus Papa ædificavit monasterium virorum magnum, & dedit mandatum, ut nullus Monachorum proprium aliquid haberet usque ad unum obolum.* Hæc Johannes Diaconus. Cum autem a B. Gregorio monasterium unum ad Clivum Scauri ante Pontificatum, mortuo Patre Gordiano, ædificatum fuisse constet; alterum, & magnum quidem, in Pontificatu constructum fuisse dicas oportet, nisi illud ipsum, a Johanne Diacono lib. 1. cap. 6. commemoratum, in ampliorem deinde formam redactum dicamus. Quamvis item a Johanne Diacono lib. 2. cap. 6. monasterium a B. Gregorio constructum sub nomine S. Andreæ, & cap. 38. sub nomine venerabilis Levitæ Gregorii nuncupetur; utrumque tamen esse potest, etiamsi unum tantum fuisset monasterium: nam S. Andreæ dici valet, quatenus in honorem ejus ædificatum; Gregorianum autem quatenus a Gregorio constructum. Hinc Pelagius II. ut legitur lib. 1. cap. 32. Johannis Diaconi, & Tom. 1. Decretal. Epist. ult. ad B. Gregorium, tunc Levitam, & Constantinopoli Apocrisiarium scribens, monasterium, ab eodem Gregorio ædificatum, Gregorianum nominat. Idem scribitur a Johanne Diacono lib. 4. cap. 88. & aliis in locis: idemque legitur l. 3. Dialogorum, cap. 36. & l. 4. Dialog. cap. 21. 26. & alibi.

Sed nodus difficilior redditur ab ipso Diacono, qui lib. 4. c. 97. eodem in loco de monasterio Gregoriano, nec-non de monasterio Sanctimonialium S. Andreæ mentionem facit, quasi unum fuerit virorum, alterum feminarum: quod etiam, ut Diaconus expresse ait, Clivus Scauri appellabatur; fieri enim potest ut vetus monasterium modo Gregorianum, modo S. Andreæ ob assignatam rationem nuncupatum, ætate Johannis Diaconi, non virorum sed Sanctimonialium foret. Sunt interea qui ædiculam S. Andreæ vocitatam, fuisse oratorium monasterii primitus ædificati: majorem vero Ecclesiam monasterio annexam, multo post tempore ab eodem Gregorio in suo videlicet Pontificatu constructam esse velint, opinantes illud fuisse oratorium, de quo

A Johannes Diaconus l. 1. c. 12. mentionem facit. Hæc de monasterio & Ecclesia S. Andreæ ac B. Gregorii mihi dicenda videbantur: quid autem sentiendum sit, judicent alii, rationibus ad utramque partem diligenter pensitatis.

Quatuor interea circa descriptam, & incisam B. Gregorii Magni effigiem explicatu digna videntur; cur scilicet imago ipsa senilem ætatem non referat; cur barbata sit; cur item absque columbæ specie appareat, nam senior, abrasa, & columbę specie prope ejus caput extantis, ab omnibus depingi solet; cur denique sine mitra, aut sine tiara, quam Regnum vocant, effictus cernatur.

Gregorius Magnus, ut nodos propositos dissolvamus, dum Levita, ut ait Johannes Diaconus l. 1. cap. 41. 43. & 44. in ejusdem B. Gregorii vita, sive S.R.E. B Cardinalis Diaconus adhuc foret, uno omnium consensu, invitus tamen, Pontifex creatur, homo, ut conjectare licet, annorum 46. vel ad summum quinquagenarius: propterea quod anno ipsius B. Gregorii Pontificatus IV. nutrix ejus vivebat, ut ex ejusdem B. Gregorii libri 3. Epistolarum ultima videre licet: sanctus namque Gregorius ad Rusticianam Patriciam scribens, ait: *Domnam vero illam, nutricem meam, quam per litteras commendatis, omnino diligo, & gravari in nullo volo.* Hæc Beatus Gregorius circa annum sui Pontificatus quartum. Adde etiam quod B. Gregorius nunquam de senectæ ætate, que morbus ipse vocitari solet, conquestus est, quippe qui præcipitata aut ingravescente ætate non erat; sed tantum podagræ ac stomachi molestiis se laborasse multis in locis narravit; immo lib. 7. C Registri indict. 2. epist. 1. circa annum suæ Ordinationis, se potius juniorem quam senem ostendit, si verba ejus diligenter examinentur. Dicta namque in Epistola, dum Januarium Episcopum Caralitanum, hominem senem, reprehendere studet, reprehensionem ab illa B. Pauli Apostoli sententia 1. Timothei c. 5. exorditur, dicens: *Seniorem ne increpaveris*: eamque in ejusdem Epistolæ initio interpretatur, ne ipse Apostolicæ sententiæ refragari videatur, seniorem se reprehendens. Is interea in lib. Dialogorum III. cap. 11. sua tempestate (hoc est infantili, vel ad summum puerili, ut conjicio, ætate) Totilam Gothorum Regem VIII. ab Urbe milliatio cum exercitu resedisse testatur. Totila vero, occupata omni fere Italiæ parte, Romam per annum integrum obsessam expugnavit anno Domini 546. anno IX. Vigilii Papæ, & Imperii Justiniani 19. vel, ut alii volunt, aliquot post annis. Beatus autem D Gregorius circa annum Domini DXCI. Romanus Pontifex renuntiatus, anno Domini DC. IV. vel DC. V. obiit. Hinc eumdem Sanctum, ut conjectura mea fert, atque ex ejusdem lib. Dialogorum III. c. 4. 5. & 11. colligitur, quinquagenaria ad summum ætate, ad Pontificatum fuisse assumptum affirmandum videtur. Ille enim sub initium Totilæ regni duobus videlicet annis plus minusve ante Urbis obsidionem natus indicatur, ut ex locis nuper citatis, ac diligenter perspectis videre licet. Ad hanc de B. Gregorii Magni ætate sententiam Cæsar Baronius S. R. E. Cardinalis videtur accedere, sicut ex iis quæ Tom. 7. Annalium non minus accurate, quam erudite scribit, colligi potest.

Idem barbatus a nobis expressus est, non solum juxta picturam, quæ in ædicula S. Andreæ, & in oratorio Aulæ Leonitæ prope Scalam sanctam annexo extat; sed juxta etiam luculentissimum testimonium Johannis Diaconi, qui floruit circiter 265. annis post obi- E tum B. Gregorii, suaque tempestate dictas imagines hominum prospectui fuisse, scriptum reliquit.

Absque interea columbæ specie a Johanne Diacono imago B. Gregorii describitur, quippe quæ jussu ejusdem depicta fuit, eo scilicet tempore, quo (ut sic dixerim) apparitio columbæ illa ad ipsius caput a Petro Diacono ejus familiarissimo nondum fuerat promulgata: hic enim nonnisi post B. Gregorii obitum dictam columbæ apparitionem super caput Gregorii obitum dictam columbæ apparitionem super caput Gregorii scribentis se vidisse testatus est, ut Johannes Diaconus l. IV. c. 69. & 70. refert. Adde etiam quod Spiritus sanctus in specie columbæ super B. Gregorii caput, non-

a Imaginem S. Gregorii habes delineatam in propylæo tomi I. Duas alias, scilicet Gordiani & S. Silviæ exhibent tum Baronius in Annalibus Eccles. tum Mabillonius Annal. Benedict. tom. I. tum edit. Romana & Gussanvillæana.

nonnisi dum sanctus Doctor in actu scribentis repræsentatur, teste Johanne Diacono, depingi solet: in quo videlicet actu ipsam columbam ad beati Gregorii caput frequentissime se vidisse Petrus Diaconus medio solemni juramento affirmavit, divinoque miraculo approbavit & confirmavit, ut scribit Johannes Diaconus, lib. IV. cap. 69. de vita beati Gregorii Papæ.

Hoc loco beatum Gregorium nudo capite effingendum curavi, quia non solum in ædicula sancti Andreæ ita pictum, verum etiam ab Johanne Diacono scriptore accuratissimo, ita descriptum inveni, etiamsi jam inde a Silvestro Papa hujus nominis primo, infulam vel mitram episcopalem; necnon tiaram, quam cydarim & diadema, vel coronam, & Regnum vocant, fuisse constet. Hæ namque, mitra scilicet, per quam spiritualis auctoritas; ac tiara, sive corona, per quam temporalis potestas, significantur, teste Innocentio III. serm. 3. de consecratione Pontificis Maximi, beato Silvestro datæ sunt, ut in prima parte Decreti, distinct. 69. cap. 14. & apud Theod. Balsam. in Nomocan. Photii, tit. 8. cap. 1. videre licet. Hinc Platina in beati Silvestri vita de hujus generis concessione ac donatione luculentissimam facit mentionem. De Mitra vero qua usus est beatus Silvester, in Eugenii IV. vita idem Platina loquitur hunc in modum: *Eugenius sancti Silvestri mitram Romam Avenione delatam, ipsemet e Vaticano ad Lateranum detulit*. Hæc Platina. Nunc autem medietas ejusdem, aut alterius mitræ beati Silvestri ad sanctum Martinum in Montibus inter reliquias custoditur. De sua ipsius mitra ipsemet Gregorius Nazianzenus in Apologetico 3. sermonem habet. De mitra vero sancti Ambrosii Ennodius in suo Epigrammate, more poetico, sub sertorum nomine verba facit. Medietas vero mitræ beati Silvestri holoserica non villosa, viridis coloris est, in qua beatæ Mariæ semper Virginis imago Filium in gremio gestantis, acu (rudi tamen arte) picta cernitur, puerulis alatis ac stellulis circumsepta. Usum itaque mitræ antiquissimum ante beati Gregorii Magni Pontificatum fuisse ambigendum non est.

Quamvis autem diadematis vel coronæ, sive tiaræ, Pontificalis originem Sigebertus ad annos Domini DL. & Aimoinus, sive Annonius Monachus in historia Francorum, lib. 1. cap. 24. Clodoveo acceptam referant, dicentes Anastasium Imperatorem Clodoveo Regi Francorum, coronam auream cum gemmis dono misisse, eamque deinde a Clodoveo ipsi sancto Petro ultro oblatam velint; legi tamen apud Anastasium Bibliothecarium, & Platinam, compluresque alios, qui Annales Romanorum Pontificum scriptis mandarunt, multos ex antiquioribus Pontificibus ante Clodoveum fuisse coronatos, papalique insignitos corona sive tiara, quam Regnum vulgo appellant. Illud autem scitu dignum videtur, quod tiara tribus coronis, Regiam scilicet, Imperatoriam, & Sacerdotalem; plenariam videlicet & universalem totius Orbis potestatem repræsentantibus, decorata, nonnisi jam inde a Bonifacio VIII. ex nobilissima Cajetana familia, usum recepit: antea enim tiaram una tantum corona idem implicite comprehendente eo usque ornatam fuisse inveni, ut videre est in antiquissimis musivis, & in omnium Romanorum Pontificum iconibus, quæ æneis typis incisæ cernuntur. Ante igitur beati Gregorii Magni Pontificatum, mitræ ac tiaræ usus extabat, originem, ut Ethnicorum pileos ac mitras posthabeam, a Testamento veteri trahens. Nam in lib. Exodi 20. 29. & 39. Levit. 8. & 16. Ezech. 21. Zachariæ 3. & in aliis Scripturæ sacræ locis de mitra sacerdotali, necnon de cydari ac tiara Pontificali, expressam mentionem factam invenimus. Beatum tamen Gregorium hoc loco nudo capite ad vivum exprimendum curavi non quod ejus tempore, & ante ipsius Pontificatum, mitræ ac tiaræ usus non esset; sed ob rationes initio assignatas id faciendum visum fuit. Hæc de imaginibus a Johanne Diacono descriptis: nunc reliquum est ut nonnullas voces subobscuras ac res intellectu subdifficiles in ipsarum imaginum descriptionibus comprehensas explicemus.

(*a*) Beatus Gregorius Magnus, Pontifex creatus, in parva quadam abside, quam fornicis curvaturam appellamus, intra rotam gypseam, arte scilicet plastica constructam pictus fuit.

(*b*) Subocularia plena, hoc est partem illam, quæ subest oculis, plenam, sive turgidulam, subdividuaque labia, aliquantillum videlicet (ut ita dicam) ab invicem separata, beatus Gregorius habuisse a Johanne Diacono scribitur.

A (*c*) Deinde colorem aquilinum, & lividum, sed in senectute colorem cardiacum eidem fuisse Johannes Diaconus ait. Colorem aquilinum apud eos, qui de coloribus loquuntur, non inveni, nisi ille sit, qui ab Antonio Thylesio aquilus nuncupatur, dicente: *Aquilam veteres hunc fuscum a colore aqua vocarunt, qui inter nigrum est & album. Id quod Plato etiam docet*. Hæc Thylesius cap. 3. de coloribus. Cum autem in declaratione coloris aquili fiat mentio de fusco, qui inter nigrum est & album, aquilinum, sive aquilum ab aquæ colore dictum, eumdem fere cum livido esse puto: fuscus enim color a livido, qui est color subniger, & plumbeus, parum aut nihil fere distare videtur, vel ad lividum proxime accedit, cum a Johanne Diacono aquilinus color cum livido conjungatur, ex quibus color fuscus componitur: qui, Thylesio teste, non est insuavis, atque in homine persæpe laudatur. Festus Pompeius de colore aquilo hunc ait in modum: *Aquilus color est fuscus, & subniger, a quo* B *aquila dicta esse videtur, quamvis eam ab acute videndo dictam velint. Aquilus autem color ab aqua est nominatus: nam cum antiqui duos omnino naturales colores nossent, nigrum scilicet & album, interveniret autem is quoque, qui ita neutri similis est, ut tamen ab utroque proprietatem trahat, potissimum ab aqua, cujus incertus est color, eum denominaverunt*. Hæc Festus, cui Junianus Sipontinus in commentariis, Huguitio, Papias, & alii assentiuntur. Si autem color aquilinus ab aquila dicatur, fulvus color intelligi potest. Aquila enim fulvi coloris est. Hinc Ovidius lib. 5. Fastorum, aquilam, avem fulvam appellat; & Claudianus fulvum Jovis armigerum nuncupat. Per colorem igitur aquilinum & lividum, vel colorem fuscum, vel fulvum intelligi posse opinor. C At quia fulvum colorem multa jactant, & ut ait Thylesius cbp. 11. aurichalcum imprimis, deinde aurum, stellæ, arena, leo, & aquilæ genus quoddam ab Aristotele maxime celebratum, fulvum homini minus convenire video. Quare per aquilinum colorem nonnisi fuscum intelligi debere puto: fulvus enim ex rufo & viridi videtur esse mixtus. Jaspidem tamen, quam viridis tantum coloris esse constat, fulvam vocant: atque item oliva fulva nuncupari solet. Hoc interea loco subticendum non videtur, quod in omnibus codicibus mss. Vaticanis legitur, *colore aquilino & vivido*, non, *livido*. Quæ sane lectio melior videtur. Color enim vividus, hoc est multo vigore præditus, colori aquilo & fusco maxime congruit: fusca namque facie homines vivaciores, quam candidi, esse solent.

D Colorem autem cardiacum a morbo cardiaco dictum puto: cardiacus enim morbus a *καρδία* voce Græca, id est *corde*, nuncupatus, est passio sive palpitatio cordis, seu oris ventriculi affectus: cor enim pro ventriculi ore sumebant interdum antiqui. Hujus autem generis morbus Cornelio Celso teste, lib. 3. cap. 19. *Nil aliud proprie est, quam nimia corporis imbecillitas, quod stomacho languente immodico sudore digeritur*. Hoc stomachi forsan morbo se laborasse Gregorius Magnus non semel dixit, homilia scilicet 21. & 22. in Evangelia, atque aliis in locis: & ex hoc morbo colorem cardiacum, hoc est pallorem croceatum, seu gilvo pauxillulum tinctum; ab eo deinde contractum fuisse, credendum est: quia ex hac stomachi affectione sive imbecillitate, addita podagra, quæ ipsum beatum Gregorium mirandum in modum infestabat, hujus generis colorem nasci posse, Medici volunt. Qua ex re beatum Gregorium Magnum in sui Pontificatus initio præscriptum in modum, hoc est, E colore aquilino & livido, sive vivido, pictum fuisse argumentor, & pro comperto habeo.

(*d*) Quæ de Pallio a Johanne Diacono dicuntur, haud facilia intellectu videntur, nisi quid sit Pallium, quamnam formam habeat, & quonam modo corpori sit adaptandum, explicemus. Auctor libri ceremoniarum lib. 1. tit. 10. cap. 5. ex Maximo Episcopo, homil. de veste sacerdotali, exque Eusebio Cæsariensi serm. de Epiphania: docet jin. lege gratiæ antiquum esse illud nostrum Ephod, id est Pallium candida lana contextum, a Lino post Petrum II. Romano Pontifice institutum, & in singulare potestatis privilegium summo Pontifici, Patriarchis & Archiepiscopis datum, habens circulum humeros constringentem, duasque lineas ab utraque parte, ante scilicet, ac retro pendentes; immo Rupertus Tuitiensis lib. 1. cap. 27. de divinis officiis, ait, Maternum a sancto Petro missum Treverensi Ecclesiæ, hereditatem Pallii suis successoribus reliquisse. Pallium in sinistra du-

plex

plex est, ad tolerandas præsentis vitæ molestias, quæ per sinistram significantur: simplex vero in dextra est, ut deferens Pallium, ad vitæ futuræ quietem obtinendam, quæ per dextram repræsentatur, toto affectu adspiret. Pallium item quatuor purpureas cruces habere solebat, quæ sunt quatuor virtutes politicæ, quæ nisi crucis Christi sanguine purpurentur, frustra sibi virtutis nomen usurpant. Harum prima est justitia, quæ in anteriori parte esse debet; secunda est prudentia, quæ debet esse posteriori parte; tertia est fortitudo, quæ sinistræ convenit; quarta est temperantia, quæ dextræ congruit: nunc autem cruces in Pallio affixæ non sine mysterio nigræ sunt. Pallio denique tres infiguntur acus, sive aciculæ, in quarum prima significatur compassio proximi, in secunda officii administratio, in tertia judicii districtio. Prima pungit animam per dolorem: secunda pungit animam per laborem: tertia pungit animam per terrorem. Trium acuum sive acicularum, una figitur in anteriori parte, altera in posteriore; tertia in humero sinistro: in dextro enim acus non figitur, quia in æterna quiete, quæ per dexteram repræsentari solet, nullus est afflictionis aculeus. Circulus Pallii, per quem humeri, dexter scilicet ac sinister constringuntur, significat pœnæ formidinem ab illicitis cohibentem, & amorem justitiæ a superfluis temperantem. Hæc ex Innocentio III. libro primo Myst. Missæ, cap. 63. & ex aliis. Adde etiam, quod extremitati duarum linearum ante ac retro pendentium duæ laminæ plumbeæ serico nigro coopertæ juxta earumdem linearum latitudinem annexæ sunt. Hujus generis est Pallium, quo nunc Latina utitur Ecclesia. Verba vero Johannis Diaconi de beati Gregorii Magni Pallio loquentis, huic formæ adaptari non queunt; sed solum formæ, qua Episcopi Græci utuntur. Hi enim pro Pallio fasciam quamdam seu zonam, latiorem sane ac longiorem quam stolam, sed instar stolæ collo imponunt: dextra tamen ejus pars multo est longior, & ad terram usque defluit, cujus pars major per sinistrum humerum post tergum rejicitur, ita vero ut crux una a tergo maneat, altera ad dextram, tertia ad sinistram appareat, quarta vero ad eam Pallii partem, quæ ab humero sinistro pendet. Hujus generis Pallium tempore beati Gregorii fuisse quis dicat oportet, si Johannis Diaconi verba recte examinentur. Ego itaque tametsi in ædicula sancti Andreæ Pallium beati Gregorii more Latino factum reperi, hoc est circularem zonam satis latam, & integram, humeros constringentem, duasque lineas habentem sive fasciolas, ex eadem tamen latitudine, una scilicet a posteriori, altera vero ab anteriori deorsum vergentes; illud tamen more Græco a Johanne Diacono conscriptum incidendum hoc loco curavi. Hunc item in modum non solum in imaginibus summorum Pontificum typo æneo incisis a Lino Papa ad Miltiadem usque, sed in vetustis quoque Ecclesiarum musivis, præsertim vero ad sanctum Petrum, in eorumdem summorum Pontificum imaginibus, quas Formosus Papa circa annum Domini 899. pingendas Romæ curavit, in hanc eamdem formam Pallium pictam fuisse inveni. Idem videre est ad sanctum Paulum, & multis aliis in locis, in quibus etiam Honorium primum, qui obiit anno Domini DCXXXV. Johannem IV. Theodorum primum, Domnionem primum, compluresque alios ante Gregorium Magnum, & post ejus tempora, hac Pallii forma, qua nunc Græci utuntur, decoratos reperi. Hæc itaque Pallii forma tempore beati Gregorii in usu habeatur, deinde multis post seculis in desuetudinem delucta est, nova ad majorem commoditatem inventa, & in usum recepta. Id quod de casula, quam etiam planetam vocant, factum esse constat: antiquitus enim, ut in plana & beati Gregorii, & in vetustis Ecclesiarum pictuiia videre est, casula sive planeta nullam, ut ita dicam, aperturam pro brachiis emittendis habebat, sed tota integra circulatim, & undequaque ad pedes usque demissa totum corpus ita tegebat & circumibat, ut brachia emitti non possent, nisi limbus vel fasciola extremitatem casulæ ambiens super scapulas projiceretur errabunda. Hinc casula, quasi parva casa (Rabano auctore, lib. 1. Instit. Cleric.) totum hominem tegens; & planeta, quasi erratica, vocabatur, & ad hanc usque diem ita vocitatur. Ætate vero nostra, & superioribus aliquot seculis, ut ait Lindanus, lib. IV. cap. 56 ab utraque parte, dextra scilicet ac sinistra accisa, & aperta est, ante ac retro decurtata, & paulo infra crurum medium producta.

(e) Viventis indicium est tabula illa, quam beatus Gregorius ad occiput, id est ad posteriorem capitis partem habere cernitur: antiquitus enim cum quis vivens pingebatur, tabula quadrata ejus capiti subjiciebatur, ut in vetustis aliquot Ecclesiarum musivis videre licet. Id quod fieri solebat, hoc sane argumento aut symbolo, quod homo in hac mortali vita constitutus, per tabulam quadratam quatuor virtutibus cardinalibus (ut ait Durandus, lib. 1. cap. 3. num. 20. necnon Stephanus Durantus, lib. 1. cap. 5. num. 5.) vigere intelligatur: vel quod status vitæ præsentis imperfectus esse demonstretur, angulos, scilicet multos, hoc est multa impedimenta & obstacula secum deferens. Sancti vero æternam gloriam consecuti, ut eorum vita undequaque perfecta nullum penitus impedimentum habens indicaretur, circulo, seu corona, quam diadema solent appellare, sive radiis solaribus insigniti, jam inde ab initio nascentis Ecclesiæ pingi & sculpi consueverunt: nam per figuram sphæricam, quæ omnium figurarum perfectissima est, perfectissima eorum vita quodammodo adumbratur. Non desunt autem qui velint solarem coronam super capita Sanctorum, & Apostolorum præsertim, pingi & sculpi solitam, ex eo quod Abdia Babylonico teste lib. 5. hist. apostolicæ, lux tanta super Johannem Apostolum moribundum per unam fere horam apparuit, ut nullus eam sufferret aspectus. Utcumque vero sit, coronam tamen Sanctis in cælo gloriam consecutis; aliis autem in hac mortali adhuc vita commorantibus, tabulam quadratam a pictoribus & sculptoribus effingi solitam, hoc saltem loco explicasse sat est.

(f) *Cognitæ districtionis cautela.* Districtio, vel destrictio, vox est ab Ecclesiasticis Scriptoribus frequenter usurpata; &, sicut ex Placido Grammatico, apud Fulvium Ursinum, virum eruditissimum, ac de bonis litteris optime meritum, asservato, in Glossis colligitur, severitatem significat. Placidus enim ait: *Est autem destrictus, attentus, vel severus, ac non solutus [illegible].* In hunc sensum ab Innoc. III. districio judicii libro primo Myst. Missæ, c. 63. & a Gregorio ultio & emendatio districta nuncupatur; hoc autem loco districtionem pro arcta vita sumi debere puto. Hinc, ut ait Johannes Diaconus, imaginem suam beatus Gregorius salubriter depingi voluit, ut Monachi per ipsam imaginem non pro inani gloria, sed in suam ipsorum salutem, cognitam beati Gregorii districtionem, id est arctam vitam in memoriam revocarent, dictamque vitam imitarentur, dum loco ipsius imaginem frequentius intuerentur. *Intueri* autem hoc loco, a Johanne Diacono passive sumitur.

(g) Nymphæum pro lavacro & fonte, necnon pro balneo apud Plinium, Julium Capitol. Josephum, & alios sumi solet, a Nympha dictum: quia Ethnici luminis veritatis expertes, Nymphas aquarum deas esse putarunt. Adde etiam, quod veteres Græci Nympham dicebant, quam nos mutatione unius litteræ, Lympham, id est aquam, vocamus. Nymphæum itaque hoc loco vel pro lavacro, vel pro fonte sumi posse puto: de quo fonte Johannes Diaconus, lib. IV. cap. 97. loquitur.

(h) Gordianus, beati Gregorii pater, Regionarius a Johan. Diacono nuncupatur. quem quamvis virum Ecclesiasticum nullibi fuisse invenerim, vestes tamen si inspectentur, & verba Johannis Diaconi accurate perpendantur, eum Ecclesiasticum virum omnino fuisse dicas oportet. Regionarii nomen, a Regionibus dictum, notariis quibusdam, necnon Defensoribus & Diaconis dari solebat. Notarii Regionarii erant protonotarii, ad quos gesta præsertim Martyrum scribere pertinebat. Defensores regionarii, ad varias provincias destinati, ut scribit Johannes Diaconus, lib. II. de beati Gregorii vita, cap. 53. circa pia præsertim opera versabantur, ut videlicet legata, ad pias causas relicta, in eleemosynam pauperibus distribuerentur, sicut ex lib. IV. epist. 24. & 25. lib. VII. ep. 66. & lib. XI. ep. 21. beati Gregorii colligitur. Horum item officium erat de Episcoporum excessibus cognitionem ac notitiam suscipere, Regularesque perverse agentes corrigere. His etiam Defensoribus, ut Panvinius ex Pelagii epistola in capite de Primicerio Defensorum ait, conveniebant causarum cognitiones, conventiones, actus, publica litigia, & quæcumque vel Ecclesiastica instituta, vel supplicantium necessitas postulabat.

Diaconi Regionarii, ut Subdiaconos, quos in Registro beati Gregorii, lib. VII. epist. 5. lib. XI. epist. 28. & 30. videre est, prætermittam, septem juxta 7. Regiones Urbis erant, ut legitur in Ordine Rom. Vel singuli duabus ex 14. Regionibus præerant; deinde 14. juxta 14 Regiones fuerunt

fuerunt instituti, & ita vocabantur, quod singularum Urbis regionum, teste Panvinio, diaconiis vel xenodochiis præessent. Hi namque viduarum inopia laborantium, & pupillorum ministri erant, in publicis pauperum domibus, oratoria, & sacella sibi habentibus annexa, in quibus a Diacono egenis necessaria subministrabantur. Ad hanc rem præstandam viri graves ac religiosi a B. Gregorio electi fuerunt privilegiis insigniti, ut legitur apud Johannem Diaconum, lib. 2. cap. 51. in ejusdem vita. Ex collegio itaque Defensorum, qui ex ordine quoque Clericorum, Panvinio teste, sumebantur, vel ex Diaconorum collegio, si hac in re conjectare liceat, Gordianum fuisse reor, Ecclesiasticis indumentis, hoc est dalmatica & planeta diligenter consideratis: Diaconus enim non solum dalmaticam, quæ ei proprie convenit, gestare solet; sed ut scribit Alcuinus, lib. de divin. offic. cap. de significationibus vestimentorum, casulam item, quam Amalarius Fortunatus lib. 2. de Ecclesiasticis officiis, cap. 19. generaliter ad omnes Clericos pertinere ait: ad finem autem Præfationis in ipsum de officiis opus ostendit, quando Diaconus casula sit induendus, quando vero exuendus.

(i) Huc accedit quod a Johanne Diacono Gordianus caligas in pedibus gestare dicitur: per caligas autem nonnisi sandalia intelligenda sunt: non enim vero adsimile est, ut per caligas, tibiarum tegumentum intelligi queat, quia hujus generis tegumentum in pictura nec fieri, nec videri potest ob vestem ad pedes usque demissam. Caligæ itaque pro sandaliis a Johanne diacono sumuntur. Huic sane rei favet vulgata Bibliorum editio, quæ pro sandaliis *caligas* vertit, ut videre est locum illum Actuum 12. in quo B. Petrus sandalia sibi subligare ab Angelo jussus est, hisce verbis: *Præcingere, & calcea te caligas tuas*, Pro quod Græca editio habet, *περίζωσαι καὶ ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου*, hoc est, *Præcingere, & subliga sandalia tua*. Latini tamen recentiores pro sandaliis non caligas, sed soleas vertunt: quia caligæ pro tibiarum etiam operimentis sumi solent. Beatus autem Hieronymus explicans 20. Isaiæ caput, calceamenta, sandalia, & caligas pro eodem videtur accipere per hæc verba: *Depositis* (inquit) *calceamentis, quæ a Septuaginta, sandalia, id est caligæ vocantur*, &c. Caligæ item pro calceis a B. Gregorio Magno, lib. 1. cap. 4. & lib. 3. cap. 20. Dialogorum sumuntur: immo secundo loco citato de caligarum corrigiis, quæ calceis, non tibialibus conveniunt, mentionem facit. Adde etiam quod illud Actuum: *Calcea te caligas tuas*, nonnisi ad pedes & ad calceos referri potest, quia calceare nil aliud quam calceos induere, significat. Hinc apud Suetonium in Vespasiano, equi vel muli calceari dicuntur, cum pedes eorum adversus saxorum injuriam ferramentis, seu soleis ferreis muniuntur. Per caligas igitur, quas etiam Isidorus, lib. 19. Etymologiarum cap. 34 inter calceamentorum genera videtur numerare, & a caligis caligarium dictum putat, sandalia intelliguntur. Nam Isidorus caligarium non a callo pedum, sed a voce Græca, *calo*, id est ligno, quod Græci *τὸ κᾶλον* dicunt, nuncupatum opinatur: unde calopodium, calceamentum ligneum vel soccus. Per caligas itaque rectius sandalia, quam tibiarum operimenta intelligenda sunt. Quod autem Diaconi sandaliis interdum uti consueverint, Albinus, sive Alcuinus in lib. de divinis officiis, cap. de significationibus vestimentorum, & Amalarius Fortunatus lib. 2. de Eccl. officiis cap. 25. & alii, aperte fatentur; immo etiam a Presbyteris & Subdiaconis sandalia gestata olim fuisse narrant, sed sine ligamine; ad differentiam Episcoporum & Diaconorum, qui in sandaliis ligamen habebant. Quamvis autem sandaliorum gestatio tempore B. Gregorii Magni Diaconis vetita fuisse videatur, lib. 7. Registri epist. 28. & can. *Pervenit*, dist. 93. idem tamen Gregorius eadem in epistola, sandaliorum usum Diaconis Ecclesiæ Messanensis a prædecessoribus suis concessum olim fuisse testatur, Sandalia vero inibi compagi appellabantur: ab aliis vero compagia vocitari solent. Hodie vero nonnisi summus Pontifex, Episcopi & Presbyteri Cardinales sandaliis uti solent, quæ veterum sandaliis dissimilia sunt: ea enim subter pedem, integram soleam habebant, supra vero corium fenestratum seu perforatum, hoc sane symbolo quod pedes Episcoporum & Diaconorum, seu Prædicatorum, (quorum officium etiam Diaconis erat demandatum) subter deberent esse muniti, ne terrenis affectibus polluerentur; sursum vero aperti, quatenus Prædicatores ad cælestia cognoscenda, necnon ad mysteria revelanda, & prædicanda tales & ipsi forent. Hujus generis caligas, aut sandalia Gordiani fuisse conjectare licet: sin secus, nihil erat quod Johannes Diaconus de communibus calceamentis ita expresse & insigniter mentionem fecisset.

Hoc loco facere non possum, quin admirer, cum Johannes Diaconus, qui dictas imagines exacte descripsit, ut multas earumdem minutias expresserit; sandalia Gordiani commemorarit, de sandaliis autem beati Gregorii nullam penitus fecerit mentionem. Quonam autem modo hunc nodum dissolvere queam, ignoro; nisi id memoriæ lapsu factum esse dicam. Hinc calcei beati Gregorii, num in superiori parte fenestrati aut perforati, necnon cruce insigniti effingendi essent (ut hac nostra ætate fieri solet) anceps profecto fui; propterea quod calceos ipsos in ædicula sancti Andreæ neutro modo pictos inveni. Quamvis autem Josephus Stephanus Valentinus, Episcopus olim Vestanus, nunc vero Episcopus Oriolen. vir sane doctissimus, in libro de osculatione pedum Romani Pontificis, cap. 18. adversus Papirii Massonis calliditatem, usum gestandi sandalia Pontificia, cruce insignita, vetustissimum fuisse per picturas conjectet; ego tamen, qui potius oculatus quam auritus testis hac in re esse cupiebam, veteres Ecclesiarum Romæ absides opere musivo decoratas, diligenter perlustravi. Qua in re perquirenda, calceos summorum Pontificum in superiori parte nec omnino fenestratos, aut perforatos, nec undequaque pedem obtegentes reperi; nam tantummodo in pedis acumine, atque in calcaneo tegumentum cum ligamine, a solea & a calce ad collum, & ad pedis acumen, ad superiorem videlicet pedis partem diducto, inesse conspicitur; parvula cruce supra digitos pedum, tibialibus & corio coopertos, impressa, sive picta.

Tametsi Innocentius III. lib. mysteriorum Missæ, cap. 34. & 48. Alcuinus cap. de vestimentorum significationibus, Amalarius Fortunatus lib. 2. cap. 25. Rabanus lib. 1. cap. 22. Ivo Carnotensis serm. de significatione indumentorum, Guillelmus Durandus lib. 3. cap. 8. Stephanus Duantus, lib. 2. cap. 9. & alii, qui de sandaliis loquuti sunt, de cruce super calceis Pontificiis apponi solita non meminerunt; hanc tamen consuetudinem antiquam esse, nonnumquam vero incuria pictorum, & lapicidarum, vel eorum qui statuas & picturas efficiendas curabant, prætermissam inveni. Nam, ut ab antiquioribus summorum Pontificum imaginibus, quas invenire potui exordiar; vidi Romæ vetustissimam Ecclesiæ S. Agnetis absidem, opere vermiculato circa annum Domini DC. XXIV. exornatam, in qua Honorius, hujus nominis primus, qui sacram beatæ Agnetis ædem via Nomentana construendam, & absidem musivo decorandam curavit, ut Anastasius Bibliothecarius testatur, & carmina in abside indicant; sandaliis alba cruce satis conspicua insignitis calceatus, & ecclesiam manu gestans extare cernitur. Hic enim dum viveret, in abside ipsa pictus fuit, sicut ea, quæ diximus id nobis facile persuadent. Quamvis autem Honorius I. crucis signum super sandaliis gestarit, Honorius tamen III. & IV. ex nobilissima Sabellorum familia crucem in sandaliis non habent: Ille enim ad sanctam Bibianam circa annum Domini M. CC. XL. ad januam Ecclesiæ pictus; hic vero in Ara cæli circa annum Domini M. CC. LXXXVII. ex marmore effictus, Romæ conspiciuntur.

In oratorio, seu potius ecclesia sancti Venantii, nunc sanctæ Mariæ ad Fontem nuncupata, prope Baptisterium sive Fontem Lateranensem, extat absis opere tessellato exornata, in cujus fornice, præter aliquot imagines sacras, pictus cernitur Johannes IV. Dalmata, ut Anastasius Bibliothecarius, & Panvinius testantur, eam struxit Ecclesiam circa annum Domini DC. XXXIX. dictamque absidem picturis musivis ornavit. Inter alias imagines opere musivo pictas, duo Pontifices Romani, necnon Martyres duo, sandaliis parvula nigri coloris cruce insignitis conspiciuntur: quorum Pontificum alter, ad dexteram videlicet postremo loco pictus, est Johannes IV. Ecclesiam manu gestans, quippe qui eam construendam curarit. Quam item rem versus aliquot, qui inibi leguntur, nos aperte monent. Pontifex ad sinistram postremo loco pictus, librumque manu tenens, ut Panvinio placet, est Theodorus, Johannis successor: qui, ut idem ait Panvinius, Ecclesiam fortasse, vel, ut ego arbitror, absidem a Johanne inchoatam perfecit, hinc in ea pictus cernitur. Cur autem hoc loco Venantius, & Domnio, & extra absidem, Maurus, Martyres crucem super sandaliis gestare cernan-

nantur, ignoro, nisi id arbitrio pictoris, vel ad crucem martyrii repræsentandam, factum esse dicam: nam summi tantum Pontifices hunc ritum super sandaliis gestandi crucem observare solent: hi enim de se humiliter ac demisse sentientes: *Cum omnes populos communi voto*, ut Josephus Stephanus Episc. Oriolen. in libro de osculatione pedum Romani Pontificis non minus docte, ut omnia quam accurate ac pie cap. 18. scribit, *ad suos pedes adorandos propensos agnoscerent, cruci Christi osculationem potius, quam sibi ipsis, tantum honorem deferri maluerunt; ut omnes Christianos benigne ad oscula pedum exciperent. Itaque, ut expressam Christi imaginem referrent, & Salvatoris passionem in hominum memoriam redigerent, crucem sandaliis affixerunt, ut Christiani homines eos honores, quos debitos & necessarios Pontifici deferebant, cruce perspecta, alacrius exhiberent.* Hæc Josephus Stephanus. Cur itaque Martyres vel alii sancti, non Pontifices Romani, calceis cruce insignitis decorentur, non satis perspicio, nisi id ad ea, quæ dixi, referam; vel ob episcopalem fortasse dignitatem, qua Martyres ipsi, Venantius videlicet, Domnio, & Maurus fuerant insigniti, factum id esse dicam, ut præ se fert Pallium, quo dicti Episcopi & Martyres, Græcorum Episcoporum more, ornati cernuntur: apud namque Latinos jure communi nonnisi summis Pontificibus, Patriarchis, & Archiepiscopis, ex indulto autem Apostolico Episcopis nonnullis, Pallio uti licet. Sicut itaque Pallium, quod Pontifici Romano in primis convenit, non Episcopo, eis datum est; ita & crucem, quæ propter pedum osculationem in solius Romani Pontificis sandaliis apponi solet, dictis Martyribus datam esse opinor, ritus inventi ratione sive causa non perspecta.

Ad S. Martinum in montibus inter reliquias B. Martini I. Papæ & Martyris anno Dom. DC. XLVII. calceus in superiori parte fenestratus, & in acumine tantum obtectus juxta formam, nuper a nobis descriptam, asservatur. Acuminis autem pedis tegumentum coriaceum, cæruleo colore tinctum, & quibusdam operibus ex serico & auro contextis ornatum, extat, in quo instar fere hujusce litteræ Græcæ, X, quædam crucis imago, ut ita dicam, transversaliter acu picta cernitur, quæ ornatum facit, & quamdam crucis similitudinem refert, ut infra explicate ostendetur. Inter easdem reliquias extat etiam calceus B. Silvestri primi holosericus, viridi colore imbutus, non villosus, sed jam ob vetustatem satis decoloratus, quamdam tamen viridis coloris, & holoserici speciem referens, operibus item ex serico & auro contextis insignitus. Is autem calceus quadam calcanei parte ob nimiam vetustatem carens, non est juxta formam antiquiorem in usu olim habitam, hoc est juxta illud calceamenti genus, quo solæ obteguntur plantæ, ceteris pedum partibus nudis relictis, ansulis tantum quibusdam in superiori parte coeuntibus, quas ligulas vocant, revinctum; nec item instar calcei est, quem nuper explicavimus, sed est calceamenti genus, coriaceam habens soleam, necnon tegumentum, totam superiorem pedis partem obtegens, instar calcei, quo nunc omnes indifferenter uti solent. Qua ex re in hanc sententiam devenio, ut calceum hunc abeo, quo in rebus Ecclesiasticis & in functionibus quibusdam, ad Pontificiam præsertim majestatem exprimendam idoneis, B. Silvester uti solebat, differre credam. Quamvis autem hujus generis calceamentum nostro de cruce argumento haud omnino faveat, ipsum tamen tamquam venerandæ vetustatis monumentum, & memoratu dignum, quamdam item crucis formam latenter per aliquot linearum involucra repræsentans, ut infra explicabimus, silentio præterire mihi visum non fuit.

Ad sanctam Martinam, in Foro Boario ad radicem Capitolii, vetustissima extat absis tempore Domnionis circa annum Domini DC. LXXX. opere musivo insignita, in qua duo Romani Pontifices, unus ad dextram, alter ad sinistram B. Mariæ semper Virginis Filium in sinu gestantis, Pallio, juxta morem antiquum formato, decorati cernuntur. Hunc vel Honorium primum, vel Gregorium Magnum (qui ante Domnionem fuerunt) esse conjicio: quem sandaliis parvula nigri coloris cruce calceatum vidi, & prope eum ad sinistram partem litteras hasce legi.. ONIVT PP. ceteræ nomen summi Pontificis proprium complentes, collapsæ desiderantur: alius vero Pontifex, ante Domnionem, dictam nominis proprii terminationem habere haudquaquam potest. Illum interea Pontificem, qui extat ad B. Mariæ semper Virginis dextram, ecclesiam manu gestans, quippe qui ædem sacram construendam, vel saltem reparandam curavit, Domnionem esse dicas oportet. Panvinius etiam in adnotatione ad vitam Domnionis, a Platina descriptam, ait hunc in modum: *In antiquo musivo, quod est Romæ in Ecclesia sanctæ Martinæ, hic Pontifex Domnio, non Donus sive Domnus, appellatur.* Quibus verbis Panvinius Domnionis nomen se inibi legisse aperte narrat. Verum quia hujus Pontificis nomen nunc eo in loco non legitur, litteras omnino periisse, mihi persuadeo, sicut in alterius Pontificis nomine aliqua ex parte factum esse vidi. Quare sicut antiquior Pontifex sandaliis cruce insignitis calceatus cernitur, ita & alterum recentiorem fuisse credendum est: nam calcei opere olim musivo facti, nunc collapsi sunt: quorum loco, calcei rudi arte picti, sine cruce conspiciuntur.

Ad basilicam B. Petri, SS. Apostolorum Principis, Romæ a tergo oratorii, sive sacelli, vel altaris sanctissimi Sudarii Salvatoris nostri supra Portam sanctam, ad interiorem basilicæ partem, extat oratorium opere musivo insigni, excultoque decoratum, & in honorem immaculatæ semper Virginis ad Dei Genitricis a Johanne VII. circa annum Domini DCC. VI. constructum, ut Anastasius Bibliothecarius, Platina, & Panvinius testantur, & inscriptio ipsa docet hisce verbis: JOHANNES INDIGNUS EPISCOPUS FECIT. Huc accedit quod Johannes ad capitis tergum quadratam habet tabulam, quæ, ut superius dictum est, indicium ea tempestate viventis esse solet, dum fieret pictura illa. Johannes vero prope imaginem B. Mariæ semper Virginis sandaliis insignitis parvula nigri coloris cruce, quæ ex quatuor lapillulis musivis constat, cernitur calceatus.

In basilica sancti Petri extat simulacrum Urbani VI. e marmore circa annum Domini M. CCC. LXXXIX. effictum. Ad S. Johannem in Laterano extat Martini V. statua sepulcralis ænea circa annum Domini M. CCCC. XXXI. In atrio monasterii S. Salvatoris in Lauro statua Eugenii IV. marmorea circa annum Domini M. CCCC. XLVII. In basilica etiam sancti Petri extant quæ infra leguntur statuæ sepulcrales, hoc est, Nicolai V. circa annum Domini M. CCCC. LV. Calixti III. in atriolo prope sacellum Sixtinum, M. CCCC. LVIII. Pii II. M. CCCC. LXIV. Pauli II. M. CCCC. LXXI. Sixti IV. M. CCCC. LXXXIV. Innocentii VIII. M. CCCC. XCII. Pii III. M. D. III. In ecclesia sanctæ Mariæ supra Minervam extat Leonis X. simulacrum sepulcrale, & in Capitolio statuam item marmorea circa annum Domini M. D. XXI. Horum omnium Romanorum Pontificum, & aliorum his recentiorum, hoc est, Pauli III. Pauli IV. Pii V. Gregorii XIII. & Sixti V. statuas vidi calceatas sandaliis cruce insignitis. Vidi etiam alios Romanos Pontifices opere tessellato effictos; Honorio I. antiquiores, sed propter magnam picturarum vetustatem calceos collapsos reperi. Contra vero vidi ad sanctum Laurentium in Lucina pictam Sixti III. imaginem, & quidem pervetustam; necnon Paschalem I. ad sanctam Praxedem, & ad sanctam Cæciliam circa annum Domini DCCC. VII. & Gregorium IV. ad S. Marcum circa annum Dom. DCCC. XXX. opere musivo pictus, sed sandalia sine cruce gestantes. Id quod non sine incuria vel pictorum, vel eorum qui picturas faciendas curabant, factum videtur; ut cernere est in abside Ecclesiæ sanctæ Mariæ trans Tiberim circa annum Dom. M. C. XLIII. opere tessellato decorata, in qua præter alias imagines, Romani Pontifices, beatus scilicet Petrus Apostolus, Calixtus, Julius, Cornelius, & Innocentius II. qui opus musivum faciendum curavit, picti conspiciuntur: sed Cornelius solus, qui passus est anno Domini CC. LIII. calceos cruce insignitos gestare cernitur. Idipsum confirmatur per Bonifacii IX. statuam marmoream in basilica sancti Pauli asservatam, & circa annum Dom. M. CCCC. XL. effictam, quæ calceos sine cruce habere conspicitur, alios tamen Pontifices ante Innocentium II. & Bonifacium IX. sandalia non sine cruce gestare vidimus. Nam si antiquiores Pontifices calceos cruce insignitos gestasse constet, eumdem etiam ritum a recentioribus observatum fuisse, fatearis necesse est.

Quamvis autem ante Honorium I. qui Pontifex renuntiatus fuit circa annum Dom. DC. XXII. & anno Dom. DC. XXXV. obiit, hunc ritum ob absides ecclesiarum opera musivo decoratas & nimia vetustate vel omnino, vel majori ex parte collapsas, in usu habitum invenire non potuerim, ipsum tamen antiquiorem esse conjicio, etiam si Scriptores tam antiqui, quam recentes de sandaliis loquentes, nullam penitus ut dixi, mentionem de cruce fecerint; quippe qui de

sanda-

sandaliis Episcoporum, Sacerdotum, & Diaconorum absolute sumtis, deque eorumdem tantum forma, & significatu ac ministerio verba fecerunt, prætermisso ritu ad osculationem pedum Romani Pontificis invento. Quod autem B. Gregorius Magnus hujus generis sandalia, hoc est calceos cruce insignitos gestarit, id nobis facile persuadet, quod inter Pontificatum B. Gregorii Magni, & Honorii I quem calceis cruce ornatis usum fuisse vidimus, nonnisi viginti annorum spatium plus minusve intercessit. Hinc vero adsimile est, ut idem hujus generis sandalia gestandi ritus ab Honorio I. qui obiit anno Domini DC. XXXV. usurpatus, apud Gregorium Magnum & alios Pontifices ejus prædecessores, in frequenti usu haberetur; Honorius namque primus, natione Campanus, ob brevem temporis intercapedinem, quæ inter eorumdem pontificatus interjecta erat, non solum ipsum Gregorium, qui anno Domini DC. IV. vel secundum Trithemium, DC. V. ex hac vita decessit, verumetiam Pelagium, Gregorii prædecessorem, videre potuit; immo quod eos viderit, credi potest, ac debet.

Illud præterea ad vetustissimam super sandaliis summorum Pontificum crucis signum gestandi consuetudinem comprobandam, scitu satis dignum videtur, quod Panvinius dum vitas summorum Pontificum, nondum in lucem editas, conscriberet, eorumdemque imagines ad vivum exprimendas curaret, in abside quadam vetustissimo musivo decorata vel B. Silvestri, vel alterius ex antiquioribus Romani Pontificis imaginem a calce ad caput integram, sandaliis parvula insignitis cruce pictam invenit, eamque tamquam perpetua memoria dignam inter insigniores summorum Pontificum imagines ad vivum expressam penes se habebat, ceteris, quas pictorum arbitratu pictas dijudicabat, prætermissis, sicut Silvius Antonianus, SS. D. N. Clementis VIII. cubiculi Præfectus, apprime eruditus, necnon spectatæ integritatis, probatæque fidei vir splendide testatur, dictamque imaginem a Panvinio sibi ostensam præscriptum in modum calceatam sese vidisse omnino, nullaque hæsitatione affirmat.

Hæc de cruce super sandaliis Romani Pontificis antiquitus gestari solita. Qua in re tamquam ab aliis nondum explicata, mihi immorari visum fuit.

(*K*) Tunica Silviæ inferior pseudolactini coloris esse a Johan. Diacono dicitur. Color pseudolactinus est color exalbidus; quasi falsam quamdam albedinem, sive, ut opinor, leucophæum, id est, colorem quemdam ex albo & nigello mixtum; vel, ut sic dixerim, cinericium referens. Nam Græce ψευδὴς; Latine sonat *falsum*, eoque utimur in compositione, ut pseudolus; id est falsus servus: pseudographus, id est falsarius; pseudopropheta, id est falsus Propheta, & alia id genus permulta. Color itaque pseudolactinus a falso dictus lacte, per quod Johan. Diaconus albedinem quamdam intelligi voluit, significat falsum album, id est exalbidum, seu cinericium, albedinem quodam modo imitantem.

(*l*) Tunicam Silviæ inferiorem, quam Pseudolactini coloris fuisse scribit Johannes Diaconus, duabus zonis distinctam ait. Zona etsi proprie pro cingulo sumi solet, hoc tamen loco per zonas a Diacono commemoratas, nonnisi fasciolas quasdam vestium muliebrium extremitatem circumquaque ambientes, & ad ornatum elaboratas, accipi posse autumo; una enim zona infra alteram quodam intervallo, & ornatum, & distinctionem vestis quamdam reddit; ita vero, ut duæ tunicæ instar duarum dalmaticarum esse videantur; nam dalmatica in extremitate pro ornatu habet limbum quemdam, quo fasciola sive zona ipsa, de qua est sermo apud Johannem Diaconum, est paulo latior, ut ipsemet affirmat. Huc spectare videtur illud, quod Isidorus lib. 19. cap. 22. Etimolog. de nominibus vestium scribens, de segmentis ait. *Segmenta zonis quibusdam, & quasi præcisamentis ornata: nam particulas cujusque materiæ abscissæ præsegminas vocant*. Hæc Isidorus.

(*m*) Silvia mitram matronalem candentis brandei raritate niblatam in capite gestasse (teste Johanne Diacono) legitur. Mitra utebantur matronæ, ut innuit Varro lib. 4. de lingua Latina. Isidorus lib. 19. cap. 31. ait: *Mitra est pileum Phrygium, caput protegens, quale est ornamentum devotarum: sed pileum virorum est, mitra autem feminarum*. Quod autem mitra sit tegmen quoddam ad ornatum capitis muliebrem, ex Isaiæ cap. 3. constat: quin mitra viris probrosa erat, ut ex Luciano, Virgilio 4. & 9. Æneid. & aliis, colligi potest.

Mitra igitur matronalis, ut alias mitræ formas & significationes posthabeam, erat quoddam capitis ornamentum muliebre; sed varias, & matronarum, & adolescentularum, aut virginum mitras apud varias nationes fuisse opinor. Apud Phryges mitra sumebatur pro muliebri ad ornatum capitis adolescentularum corona, ex qua pendebant fasciolæ, quæ phylla dicebantur, quod foliorum vel florum instar dependerent. Hinc Virgil. lib. 9. Æneid. ait:

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ

De mitra virginali sermonem habet Optatus Episcopus Milevitanus lib 6. adversus Parmenianum.

Judith Hebræa in sacra Script. lib. de historia ejusdem cap. 9. mitram pro ornatu capitis gestasse legitur: quam scilicet mitram Lyranus cucufam appellat muliebrem; hoc est ut ego interpretor, calanticam, capitis videlicet ornatum muliebrem; nostrates autem cuffiam appellant. Muliebre autem capitis ornamentum (ut dixi) varium fuit. Turcæ hodie, & aliæ nationes Orientales pileis turbinatis ex linteo velamine, vel ex tela serica contextis utuntur: eumdemque fere in modum. Turcarum feminæ, ut in Chronicis Turcicis 3. part. cap. 3. & 4. legitur pileis turbinatis & acuminatis caput ornare solent. Hujus generis fere ornamento, pileo scilicet turbinato quod mitra appellabatur, matronæ olim Romanæ utebantur, ut innuit Varro libro quarto de lingua Latina. Quæ sane res comprobatur ex statuis antiquarum matronarum marmoreis, quæ multis in locis, & præsertim Romæ ad hanc usque diem conspiciuntur. Hujus generis mitram candentis brandei raritate niblatam, hoc est ex candente brandeo contextam, Silvia gestasse legitur apud Johannem Diaconum. *Brandium*, ut colligitur non solum ex Johanne Diacono in hoc loco, & lib. 2. cap. 24. sed etiam ex ipsomet Gregorio Magno l. 3. Epist. 30. erat sudariolum album, seu velum lineum, vel sericum, ex quo mitram Silviæ ad ornatum capitis contextam fuisse, dicendum est. Quid autem vox illa, *niblatam*, proprie sibi velit, invenire non potui: eamque barbaram esse credo, usurpatam hoc loco pro, *distinctam*, vel, *nubilatam*, id est nubis instar factam, seu potius ex raritate sive subtilitate candentis, seu candidi linteoli contextam. Vel, *niblata*, est vox ob Librariorum oscitationem corrupta pro, *nimbata*, a nimbo dicta: nimbus enim non solum est pluvia repentina & præceps, seu etiam fasciola transversa ex auro assuta in linteo, quod est in fronte feminarum, teste Isidoro lib. 19. Etymologiarum, cap. 31. de capitis feminarum ornamentis. Hac voce, *nimbata*, usus est Plautus in Pœnulo, dicens:

Quo magis eam aspicio, tanto magis nimbata est, & nugæ meæ.

Lumen item, quod circa Angelorum capita pingitur, ut ibidem Isidorus ait, nimbus vocatur, licet nimbus sit densitas nubis. Dici ergo potest mitra candentis brandei raritate nimbata, vel quia mitra nimbo erat ornata, vel ex candido & raro vel subtili velamine fasciata, sive instar candidæ nubis turbinata. Hæc ad sensum per conjecturam; quid enim vox illa, *niblata*, quæ in omnibus mss. Vaticanis ita legitur, proprie significet, me omnino ignorare fateor, multis ac variis Dictionariis penes me existentibus, necnon recentioribus & antiquis auctoribus diligenter conquisitis, accurate perlustratis. Ut res sese habeat, mitram illam ad ornatum capitis a matronis olim gestari solitam, ex sudariolo quodam aut velo tenuissimo contextam, sive fasciatam, vel turbinatam fuisse mihi persuadeo, & pro comperto habeo, sicut in antiquis simulacris feminarum marmoreis, quæ Romæ & alibi passim cernuntur, videre licet. Huic assimile videtur esse illud, quod reperitur in stola quadam Sacerdotali perantiqua, acu insignita vel variata, & quasi penicillo picta, quæ Romæ in Sacrario Pontificio ad hanc usque diem asservata custoditur. In hac enim stola vetustissima & pulcherrima quidem, inter alias imagines sacras quæ ibi conspiciuntur, extat B. Mariæ semper Virginis, & Dei Matris imago, hujus generis mitram ad ornatum capitis gestans. Circa vero ejus imaginem hæ notæ Græcæ, MP. ΘΥ. hoc est Μήτηρ Θεοῦ id est, Mater Dei, acu insignitæ leguntur. Quæ sane res magnam nobis de mitra illa, ad ornatum capitis muliebrem olim inventa, fidem facit.

Hæc de S. Gregorii Gordiani, ac beatæ Silviæ imaginibus: nunc reliquum est, ut, mitræ parte S. Silvestri, & antiquis summorum Pontificum sandaliis perspectis, ad a scholia in B. Gregorii librum Sacramentorum tandem aliquando accedamus.

a Habet ista scholia tom. xxx. col. 519.

De mitra sancti Silvestri Papæ.

Mitra S. Silvestri Papæ partem, sive anteriorem medietatem ære incisam ad venerandam mitræ Pontificiæ antiquitatem, occasione sese oblata indicandam hoc loco apponere visum est, etiamsi B. Gregorii imaginem nudo capite incidendam curarim ob causas initio enarratas. Hanc vero mitræ partem inter sacras reliquias ad S. Martinum in montibus asservatam; ad amussim una cum litteris & imaginibus repræsentare studui, etsi acu satis imperite pictam, pro ut illa ætas ferebat, in qua tam sculpendi quam pingendi artes jamdiu mendis & ineptiis scatentes defloruerant. Quamvis mitræ medietas, quæ ad S. Martinum in montibus asservatur, & quantum ad latitudinem & altitudinem major sit, ipsam tamen in eam quantitatem incidendam curavi, ut in eadem paginæ fa- B cie mitra cum calceis in eam item parvitatem contractis comprehenderetur. Mitra vero coloris viridis holoserica, non villosa, Phrygiana est, ut suo loco explicavi, dum de mitra summorum Pontificum sermonem habui.

De sancti Silvestri primi, sancti Martini primi, & Honorii primi summorum Pontificum sandaliis sive calceis.

Calceus, quem S. Silvester gestabat, viridis etiam coloris, holosericus non villosus, quibusdam operibus ex serico & auro contextis ornatus, ad S. Martinum in montibus inter easdem reliquias asservatur. Hujus generis calceum, quem Græci σανδάλιον vocant, quamvis ab eo quo in functionibus Ecclesiasticis ad Pontificiam majestatem referendam B. Silvester uti forsan solebat, differre C credam; cum tamen sine cruce omnino esse inficias ire non audeo, dum nodos super sandalium confectos diligenter specto ac perpendo: nodi namque ipsi per aliquot linearum implexionem sive involucra, ornatum præstant, pluresque cruces efficiunt & comprehendunt.

Calceus item, quem S. Martinus gestabat, eodem in A loco nuper commemorato asservatur: in cujus acumine tegumentum extat coriaceum, cæruleo colore imbutum, & quibusdam etiam operibus ex serico & auro contextis ornatum. Hic calceus instar sandalii Honorii primi fuisse cernitur, tegumento calcanei, & ligulis astrictoriis ob vetustatem carens; in cujus calcei acumine ornatus ille formam Græci characteris hujusce X χ vel litteræ Servianæ quodammodo referens; quamdam crucis imaginem, transversalem tamen repræsentare videtur. Hinc non desunt qui per hasce litteras, crucem satis belle repræsentari posse scribant. Hæc duo sandalia quamvis explicatam crucem non habeant, ea tamen, ob rationes alibi enarratas, ære incidenda & hoc loco apponenda curavi.

Calceus Honorii postremo loco repræsentatus ad absidem S. Agnetis via Nomentana ab eodem Honorio opere musivo exornatam, pictus extare cernitur, ut fusius ostendi B dum de caligis sive calceis Gordiani, summorumque Pontificum sandaliis cruce insignitis verba feci. Ad absidem namque ipsam circa annum Domini DC. XXIV. constructam Honorius primus hujus generis sandaliis alba cruce satis conspicua decoratis calceatus cernitur. Hinc calceum ipsum & ad vetustum super sandaliis crucem gestandi ritum indicandum & ad antiquam sandaliorum formam ob oculos positam facile explicandam hoc loco repræsentandum censui; antiquiora enim sandalia etsi soleam tantum & ligulas habebant astrictorias, ut loco superius citato satis dictum esse reor; omnes tamen fere Pontifices qui in musivis antiquis picti repræsentantur, juxta calcei Honorii primi formam sandalia gestare conspiciuntur. De solea vero S. Petri B. Bonaventura mentionem C facit: eamque ad suum usque tempus Romæ asservatam fuisse testatur, Tom. 4. part. 4. in illo de sanctorum Apostolorum sandaliis opusculo, in quo multis Scripturæ sacræ locis sanctorumque Patrum testimoniis in medium allatis & explicatis, doctissime, ut omnia explanat, & eruditissime docet, quomodo & quando Salvator noster Christus Apostoli ac discipuli ejus incesserint discalceati.



TABULA MARMOREA AD PORTICUM S. PETRI
PARIETI AFFIXA.

✠ DOMINIS SCIS AC BEATISS PETRO ET PAVLO APOSTOLORVM PRINCIPIBVS ❦ GREGORIVS INDIGNVS SERVVS ❦
QVOTIENS LAVDI VESTRAE VSIBVS SERVITVRA QVEDAM LICET PARBA CONQVIRIMVS VESTRA VOBIS REDDIMVS NON NOSTRA LARGIMVR
VT HÆC AGENTES NON SIMVS ELATI DE MVNERE SET DE SOLVTIONE SECVRI ❦ NAM QVID VNQVAM SINE VOBIS NOSTRVM EST ❦
QVI NON POSSVMVS ACCEPTA REDDERE ❦ NISI QVIA PER VOS ITERVM ET IPSVM HOC VT REDDEREMVS ACCEPIMVS ❦ VNDE EGO VESTER
SERVVS REDVCENS AD ANIMVM MVLTVM ME VOBIS BEATI APOSTOLI PETRE ET PAVLE ESSE DEVITOREM PROPTER QVOD AB VVERIBVS
MATRIS MEÆ DIVINÆ POTENTIÆ GRATIA PROTEGENTE INTRO GREMIVM ECCLESIÆ VESTRÆ ALVISTIS ET AD INCREMENTVM
PER SINGVLOS GRADVS VSQVE AD SVMMVM APICEM SACERDOTII LICET IMMERITVM PRODVCERE ESTIS DIGNATI ❦ IDEOQVE
HOC PRIVILEGII MVNVSCVLVM HVMILI INTERIM OFFERRE DEVOTIONE PRÆVIDI ❦ STATVO ENIM ET A MEIS SVCCESSORIBVS
SERVANDVM SINE ALIQVA REFRAGATIONE CONSTITVO ❦ VT LOCA VEL PRÆDIA CVM OLIBETIS QVI INFERIVS DESCRIBVNTVR
QVOS PRO CONCINNATIONE LVMINARIORVM VESTRORVM A DIVERSIS QVIBVS DETENEBANTVR RECOLLIGENS VESTRA VOBIS DICAVI
Forte et manere. IMMVTILATA PREMANERE ID EST IN PATRIMONIO APPIÆ MASS VICTORIOLAS OLIBETV IN FVND. RVMELLIANO IN INTEGRO
OLIBETV IN FVND OCTABIANO IN INTEGRO MASS TRABATIANA OLIBET IN FVND BVRREIANO VT S P OLIBET IN FVND APPIANO VT
S P

OLIBETV IN FVND. IVLIANO IN INTEGRO OLIBET IN FVND VIVIANO VT SVP OLIBET IN FVND CATTIA . . .
OLIBET IN FVND SOLIFICIANO VT SP OLIBET IN FVND PALMIS VT SVP OLIBET IN FVND SAGARIS V . . . .
OLIBET IN FVND. MARANO VT SVP OLIBET IN FVND IVLIANO VT SP. OLIBET IN FVND SATVRRIANO VT SP.
OLIBET IN FVND. CANIANO ET CARBONARIA VT SVP. MASS. CESARIANA OLIBET IN FVND FLORANO VT
SVP
OLIBET IN FVND. PRISCIANO ET GRASSIANO VT SVP OLIBET IN FVND PASCVRANO VT SP. OLIBET IN FVNDO
VARINIANO VT SVP OLIBET IN FVND CESARIANO VT SP MASS. PONTIANA OLIBET IN FVND PONTIANO VT SP.
OLIBET IN FVND CASAROMANIANA VT SP. OLIBET IN FVND. TATTIANO VT SP. OLIBET IN FVND CASAFLORANA VT SP.
MASS. STEIANA OLIBET IN FVND BERRANO VT SP. OLIBET IN FVND CACLANO VT SP. OLIBET IN FVND PONTIANO VT SP
OLIBET IN FVND AQVILIANO VT SP. OLIBET IN FVND STEIANO VT SP. OLIBET IN FVND CASSIS VT SP. MASS. TERTIANA
OLIBET IN FVND CAMMELIANO ET FVND TORTILLIANO VT SP. OLIBET IN FVND CASACVCVLI VT SP. MASS. NEVIANA
OLIBET IN FVND. ARCIPIANO VT SP. OLIBET IN FVND CORELLIANO VT SP. OLIBET IN FVND VRSANO VT SVPER ❦
IN PATRIMONIO LABICANENS MASS. ALGISIA OLIBET QVI EST AD TVFV IVXTA ANAGNIAS IN INTEGRO ❦
OLIBET QVI EST IN SIBVLA ET MODICAS TALIAS CATAGEMMVLVM AG MILIT. OLIBET IN APLINEAS IN INTEGRO ❦
OLIBET QVI EST IN CLAVINIANO OLIBET QVEM TENET FRANCVLVS COLONVS IN FVND ORDINIANO IN INTEGRO ❦

DE TABULIS DONARIORUM MARMOREIS

Romæ a beato Gregorio Magno sanctis Apostolis Petro & Paulo dicatis.

TABULAS Donariorum marmoreas sanctis Apostolis Petro & Paulo a beato Gregorio Magno dicatas pro luminaribus, ut ipse ait, concinnandis, & in porticu sancti Petri affixas, hoc in loco apponendas censui, ut ea, quæ de vetusto scribendi modo in scholiis, & præsertim in scholio illo 241. 242. dixi, corroborentur. Quoniam vero donationem aliam beato Paulo ab eodem Gregorio sancto pro luminaribus item concinnandis lapide incisam, & in porticu olim sancti Pauli ad parietem Ecclesiæ affixam, nunc autem paucis abhinc diebus ante majus altare translatam prope alteram ex duabus columnis, quæ primarium fulciunt arcum, a dextera parte collocatam, necnon in ejusdem beati Greg. Regist. lib. 12. ep. 19. conscriptam inveni; ad ipsius Sancti & Christianam & Apostolicam pietatem splendide repræsentandam ac perpetuo conservandam, hoc etiam loco imprimendam indicavi. Rerum namque gestarum monumenta, ut ratio ipsa suadet, & experientia docet, facilius per typographicam, quam per sculptoriam artem ab interitu vindicari queunt. Tabulæ primo loco positæ, & ad porticum sancti Petri affixæ, duarum Tabularum frustra videntur, sicut diversæ lapidum formæ, necnon mutili Donariorum fines præ se ferunt.

Tom. III. col. 612.

De Tabulis Donariorum marmoreis in porticu sancti Petri ad parietem Ecclesiæ affixis Maphæus Vegius in libello de præstantia basilicæ sancti Petri loquitur in hanc verborum formam: *Beatus Gregorius ad instruenda abundantius basilicæ sancti Petri luminaria, multa prædia, multaque præsertim oliveta illi donavit; sicut constat ex publico documento inscripto Tabulis marmoreis: quæ cum primo septem essent, duæ tantum adhuc affixæ sunt muro ante ingressum basilicæ.* Hæc Maphæus Vegius dicto in libello, qui in bibliotheca basilicæ sancti Petri asservatur.

Ego interea Lectorem moneo, omnem vel etiam futilem hisce in Tabulis describendis, & imprimendis industriam fuisse adhibitam, ut vetusta scribendi consuetudo ad amussim, vel, ut rectius dicam, ad minimum usque apicem repræsentaretur, spatiis tantum exceptis, quæ quamvis in inscriptionibus lapide incisis inter singulas quasque voces desiderentur; ea tamen in hisce impressis apponenda curavi, ut lectio facilior reddatur. In nonnullis item vocibus contractis puncta non extant, & minuscula elementa majusculis admixta interdum cernuntur.

Voces denique obsoletas, quæ priscam illam veterum Scriptorum ætatem sapiunt, etiam prout jacent, reliquimus; easque lapicidarum mendis carere lectorem monitum volo; littera enim pro littera nonnumquam a veteribus usurpata invenitur, ut *Immutilata* pro immutilata; *Inmeritum* pro immeritum, *Inpendi* pro impendi; *Set* pro sed; *Adquisita* pro acquisita; *Adsignatis* pro assignatis; *Intro* pro intra, id est, adverbium loco præpositionis; *Super* pro supra, hoc est, præpositio pro adverbio; *Post hoc* pro posthac: nam post hoc, quasi post hoc tempus dicitur, cujus significationem habet adverbium, *posthac*; *Adfines* agrorum, pro affines & confines; *Adicientes* pro adjicientes; *Exsistere* pro exsistere; *Hortus* in accusandi casu, pro hortos; *Detenebantur* pro detinebantur; *Consolatus* pro Consulatus. Hujus generis exempla majori ex parte in orthographia Aldina, & in aliis inscriptionibus, quas ad millia sexaginta, & eo amplius descriptas penes se habere Aldus junior affirmare solebat, antiquitus usurpata leguntur, quæ brevitatis gratia silentio prætermittenda censui; sat enim est hac in re citasse inscriptiones veterum Latinorum ab Aldo descriptas. Ipse enim abstrusa omnia antiquitatum in Latine scribendo monumenta adeo accurate observavit, ut neminem in hoc genere parem habuerit. Non desunt etiam Scriptores, qui dictas voces apud antiquos in usu frequenti fuisse dicant: quos brevitatis causa omitto.

Illa item B. Greg. ætas, littera B, pro V; & V, pro B, uti non raro solebat, ut infra videre est in Tabula ex duabus prima, in qua legitur, *Parba* pro Parva; *Olibetum* pro Olivetum; *Silbula* pro Silvula; *Octabiano* pro Octaviano; *Devitorem* pro Debitorem; & *Uveribus* pro Uberibus. Hunc vetustum scribendi usum in scholio nostro 246. satis diffuse explicavimus, ut idem scholium, in quo nonnulla scitu fortasse digna enarrantur, huic etiam Tabulæ deserviret. Alia item haud omnino contemnenda ad hujus generis scribendi pronuntiandique usum spectantia in Commentario nostro bibliothecæ Vaticanæ anno 1591. impresso, pag. 153. & 297. docuimus.

Tom. III. col. 612.

Lectorem item moneo, in Olivetorum recensione legi semper *Olibetum* in accusandi casu per vocem hoc modo contractam, *Olibet* & cum puncto, & sine ipso; vel *Olibetu*: modo etiam cum puncto, modo absque ipso. Quod autem accusandi casus sine littera, *m*, fuerit in usu apud veteres Latinos illos, qui ætate beati Gregorii extabant, id nobis persuadent multæ antiquorum inscriptiones lapide incisæ: quarum etiam exempla, brevitati consulens, omitto.

Illud interea subticendum non videtur, cur scilicet Olivetum, quod est generis neutrius, in hac inscriptione masculini semper generis esse inveniatur: id quod factum puto per figuram synthesim, quæ discordat cum voce, & cum suo concordat significatu, ut est illud Virg. 8. Æn. *Præneste sub ipsa*, teste Aldo seniori; & *Camerino sub ipsa*. i. Civitate: nam Præneste, & Camerinum sunt generis neutrius. Per hanc item figuram, synthesim, dicitur: Lilium est albissimus florum. i. flos albissimus omnium florum; ita etiam Olivetum, quod est locus, sive ager, in quo oleæ consitæ sunt, discordat cum voce, & concordat cum significatu, si referatur ad locum, sive ad agrum.

In secunda Tabula, quæ infra cernitur, legitur *isdem* in recto pro idem. Hanc vocem *isdem*, in nominativo singulari pro *Idem*, non solum Eucherius bis in 2. lib. in Gen. & bis in lib. Regum usurpavit, sed Ennius etiam auctor perantiquus in nominativo singulari, & in ablativo plurali, ut refert Cicero in lib. de Oratore, usus est eadem voce, *isdem*, dicens:

Isdem campus habet, (*inquit Ennius*) &
In templis isdem, *probavit*: &c.

In templis isdem pro iisdem, dixit Ennius. Hinc Cicero in loco ait *Isdem* dici & in nominativo singulari, & in ablativo plurali, & utrumque usurpatum fuisse ab Ennio: nam vox *Isdem* derivatur ab is, ea, id, & deinde. Auctore Prisciano lib. 12. cap. de figura. Hinc, si non *Isdem*, sed idem campus legeretur, ut nunc profecto legitur; sed corrupte quidem; Ciceronis de hac voce disputatio vana esset. Ennius enim quamvis in nominativo singulari dixerit, *Isdem*, non *Idem campus*, in ablativo plurali etiam dixit *in templis isdem*, pro iisdem; & uel maluit eadem voce in secundo loco, alterum i, abjiciens ut malum so-

sonum vitaret, quam pro *iisdem*, vocem *eisdem* usurparet, quæ sane vox (ut ait Cicero) erat opimior, quam scilicet ferebat Ennii ætas, quæ nimirum vetustatem sapiebat. *Isdem* itaque voce, primo Ennii loco pro *Idem*, reposita, Ciceronis locus emendatur.

Duo etiam pro duos, ut *Hortos duo positos*. Quem locum in secunda Tabula mendosum esse credidissem, nisi locum Charisii legissem scribentis. *Duo* pro duos, & *Ambo* pro ambos juxta analogiam, & declinationem Græcam recte dici. Ait enim Charisius lib. 1. Nonnulli, Græcos sequuti, quia illi, τοὺς δύο & τοὺς ἄμφω dicunt, *hos duo*, & *hos ambo* dixerunt. *Ambo* pro *ambos* apud Virg. Ecl. 6.

——— (*nam sæpe senex spe carminis ambo Luserat.*) ———

Ita legendum ex Charisio, necnon ex codice ms. vetustissimo & insigniori, characteribus majusculis conscripto, qui in bibliotheca Vaticana asservatur. Idem Virg. in lib. 4. Georgicorum:

Verum ubi ductores acie revocaveris ambo.

Ita Virg. locus ex Charisio emendandus. In cod. Vaticano insigni versus hic non extat, quia in hoc lib. 4. Georg. aliquot paginæ desiderantur. Afranius in Pantaleo:

Revocas nos ambo ad prælium.

Idem Virg. lib. 12. Æneid.

Hunc congressus, & hunc; illum eminus, eminus ambo.

Ita legitur in codice ms. vetustissimo, & insigniori Vaticano. Terentius in Andria Act. 2. sc. 2. *Ambo opportune vos volo*, ita legendum ex Charisio: alii enim legunt; *Ambo opportune: vos volo.*

Duo pro duos recte scribit, ait Charisius lib. 1. Attius in Epinausimache:

Martes armis duo congressos crederes.

Ita legendum ex Charisio. Terentius in Adelphis, Act. 5. sc. 3.

Tu illos duo pro re olim tollebas tua.

Ubi Helenius Acron, *duo* pro duos. Ita legitur in codice ms. vetustissimo, & insigniori Vaticano. Ita etiam legitur in Terentio a Gabriele Faerno; & ita Terentii locus ex Charisio est emendandus. Cicero in Verrem lib. 1. Act. 2.

Horum Pater abhinc duo & xx. annos est mortuus.

Sic legebatur, & ita legi debet. Idem ad Atticum lib. 4. Ep. ult.

Duo consulares, qui te dicerent.

Sic legendum. Idem ad Q. Fr. lib. 1. ep. 2.

Duo Mysos.

Ita legendum, & ita emendavit Paulus Manutius ex lib. Bessarionis. Idem lib. Famil. 3. Ep. 4.

Duo enim duarum ætatum plurimi facio, Cn. Pompeium filiæ socerum, & M. Brutum generum tuum.

Idem lib. 7. Ep. 25.

Præter duo nos, loquitur isto modo nemo:

Ita legitur, & ita legi debet. Idem lib. eod. Ep. 29.

Duo parietes de eadem fidelia dealbare.

Idem de Amicitia:

Ut omnis caritas sive inter duo, aut inter paucos jungeretur.

Salustius historiarum lib. 4. in Epist. Mithridatis:

Inter me atque Lucullum, prope inopia rursus ambo incessit. Virg. Ecl. 5.

Craterasque duo statuam tibi:

Ita legit Pierius ad sibilum evitandum: & ita legitur in codice ms. vetustissimo, & insigniori Vaticano. Idem lib. 11. Æneidos:

Si duo præterea tales Idæa tulisset Terra viros ———

Ita legitur in codice ms. vetustissimo, & insigniori Vaticano, nec aliter legi potest, quia utraque syllaba in voce, *Duo*, est brevis; & in primo loco est dactylus, in quo prima syllaba longa est, duabus sequentibus brevibus.

Priscianus lib. 7. ait: Oportet scire quidem analogiæ rationem, usum tamen Auctorum magis æmulari. *Duo* præterea, & *Ambo* accusativos, secundum hanc declinationem proferunt, *Ambos*, & *Duos*. C. Julius Romanus in libello de Analogia rectam ponit esse declinationem:

Hos duos.

Duo igitur pro duos, & *Ambo* pro ambos recte scribi ex Charisio, & aliis probatissimis Auctoribus fatendum, affirmandumque est.

Quod autem ad orthographiam attinet, duæ voces in prima Tabula absque diphthongo leguntur, quarum prima est dictio, *Quedam*; altera vero, *Cesariano*: In secunda vero Tabula legitur. *Fhoca*, pro Phoca. Quas sane voces lapicidarum mendis carere non puto.

Massa hisce in Tabulis non eo sensu, quo dicitur massa auri, & argenti, atque id genus alia; sed pro fundo sive villa, quam vulgo dicunt possessionem, usurpatur. Unde Massarius, cui totius villæ cura commissa est, nuncupatur, ut placet Huguitioni. Hinc nonnullis in locis rustica possessio, pro villa sive fundo sumta, Massaria vocitari solet.

Hæc de glossematibus, sive vocibus veterum Latinorum abstrusis in utraque Donariorum Tabula conscriptis: de quibus Lectorem monitum volui, ut ne quis voces obsoletas per Typographorum incuriam impressas fuisse opinetur, necve quis omnes illas lapicidarum menda esse suspicetur.

Ea Donariorum Tabula, quæ nunc ad basilicam sancti Pauli extat, legitur etiam in registro beati Gregorii lib. 12. Ep. 19. sed in Epistola, quæ Registro inserta est, nonnulla desiderantur: nam in salutatione epistolari desunt hæc verba, quæ in Tabula marmorea extant: *Episcopus servus servorum Dei*. Ad finem vero Epistolæ verba hæc: *Bene vale. Dat. viii. Kal. Febr. Imp. Domino N. Fhoca PP. Aug. Anno secundo, & Consulatus ejus anno primo, ind. septima.* Hæc in Tabula marmorea.

Nonnullæ item voces, ut, *in foro*, pro quo in Tabula legitur *Bifulco*. *Hortos duos*, pro *hortos duo positos*, id est, pro *ibidem*; similiter *parte sinistra ad portam*, pro *similiter a porta, parte sinistra*; *Eugentis*, pro *Eugenitis*; *Possessionibus monasterii sancti Edistii*, pro *possessioni monasterii sancti Aristi*; *Hortos* pro *hortus*; *deleri facias ac auferri*, pro *delere debeat ac auferre*.

His de rebus Lectorem item monitum volui, ut si quis Tabulam marmoream cum Epistola Registro inserta conferret, hanc collationem in Registro imprimendo factam non fuisse sciat: propterea quod dum Registrum typis mandaretur, Tabula illa, nondum in ecclesiam translata, in porticu sancti Pauli, ad parietem affixa erat in editissimo loco sita, hinc perpaucis & fere nemini nota: quia vix aliquid de ea legi poterat. Ego vero dum scholia, & alia in beatum Gregorium a me elaborata in lucem edenda curarem, aliud agens, incidi in Panvinium, qui totam hanc Tabulam in libello de septem Urbis ecclesiis scriptam reliquit, dum de basilica sancti Petri sermonem haberet.

Quare omni adhibita diligentia, & industria, eam quærendo inveni, inventamque ex marmore fideliter decerpsi, decerptamque denique atque impressam, ob rationes initio assignatas hoc loco apponere libuit.

Reliquum est paucis expedicemus cur beatus Gregorius Magnus solis pro luminaribus, seu lampadibus in honorem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli accendendis, tot fundos & prædia, sive tot possessiones, torque denique oliveta eorumdem Sanctorum basilicis dedicarit, ac destinarit: nam ex tot tantisque prædiorum, & olivetorum præsertim reditibus, nonnisi ingentem lampadum numerum dictis in ecclesiis adhibitum olim fuisse, colligere possumus. Id quod planum cuique profecto fit, si Vitæ summorum Pontificum ab Anastasio Bibliothecario, & a Platina, necnon

non Historiæ sacræ a Petro Mallio conscriptæ legantur. Nam post Silvestrum Papam, Cælestinus, Hilarius, Simplicius, Symmachus & post Gregorium Magnum Sabinianus, ejus successor, deinde Honorius, Agatho, Gregorius II. Zacharias & alii varia candelabrorum genera argentea, variis nominibus nuncupata (hoc est coronæ, phara, canthara, cerostata & rhetia) multasque auri & argenti libras pro lampadibus basilicæ sancti Petri Romæ dono dederunt. Idem fecit Constantinus Magnus Imp. deinde Theodoricus Rex sub Hormisda, Belisariusque sub Vigilio, qui magni pretii varia candelabrorum genera, multaque auri & argenti pondo, Imperatoriæ ac Regiæ opulentiæ ac liberalitati consentanea, Ecclesiæ sancti Petri atque item beati Pauli obtulerunt. Panvinius de rebus antiquis memorabilibus & præstantia basilicæ sancti Petri lib. 5. in ejusdem ecclesiæ bibliotheca asservato, ait: *Mathilda sanctitate celebris, tanti basilicam sancti Petri fecit, ut quo luminaribus adhibitis magis decoraretur, tamquam debitam ei dotem donavit patrimonium suum, id est, Liguriæ & Hetruriæ præcipuas partes cum omnibus oppidis ac eorumdem juribus.* Hæc Panvinius. Platina in ipso Pascalis II. vita, inquit hunc in modum: *Hoc tempore Mathilda Comitissa, admodum senio confecta, moriens, Romanæ Ecclesiæ ex testamento reliquit quidquid a Pissia amne, & sancto Quirico agri Senensis usque ad Ceperanum inter Appenninum & mare pertinet, addita Ferraria, quæ adhuc Romanæ Ecclesiæ vectigalis est.* Hæc Platina. Sed Ferraria longe prius sub Ecclesiæ ditione fuit, hoc est mille abhinc fere annis, tempore videlicet Vitaliani, ut in Chronicis Peregrini Prisciani, & Gasparis Sardi videre licet, deinde tempore Pipini, Karoli Magni, Ludovici I. Henrici I. & Othonis I. ante Mathildam, ut ex eorumdem, ceterorumque post Mathildam Imperatorum privilegiis, quæ in Archivo Castri sancti Angeli custodiuntur, constat. De hac item Donatione, Donationisque confirmatione a Comitissa Mathilda tempore Gregorii VII. & Paschalis II. præstita anno M. C. II. authentica non desunt momenta scriptis mandata, quæ in omnibus S. E. R. archivis asservantur. Postquam autem in sermonem de Ferraria non consulto, sed re id mihi subministrante incidi, breviter & quasi præteriens, dicam quod de ipsa Ferraria accidit dum hæc de sanctorum Apostolorum Petri & Pauli lampadibus typis mandarem. Superiori namque anno Domini M. D. XCVII. die 27. Octobris, Alphonso Estense hujus nominis II. & ultimo Ferrariæ Duce sine filiis ac descendentibus mortuo, sanctiss. D. N. CLEMENS VIII. Pastor Ecclesiæ vigilantissimus, & patrimonii sancti Petri defensor acerrimus, & indefessus, ubi primum accepit Ferrariæ Ducatum in feudum olim a Romanis Pontificibus prædecessoribus suis concessum, ad Romanam Ecclesiam ob lineam dicti Alphonsi finitam fuisse devolutum, nulla penitus cunctatione interposita, cum universo S. R. E. Cardinalium Collegio de illius recuperatione graviter ac sapienter egit, dictam recuperationem iisdem quoque Cardinalibus instanter postulantibus. Quare sanctiss. D. N. in decreto, hac de re pronuntiando, humanis posthabitis rationibus, totam Ferrariæ ditionem Christo Domino Salvatori nostro, necnon gloriosæ ac semper Virgini Dei Genitrici Mariæ, sanctisque apostolis Petro & Paulo constanti animo miroque pietatis ardore addixit, & consecravit. Juris itaque ac Canonum ordine servato, stricto tandem utroque gladio, Petroque sancti Nicolai in carcere Diacono Cardinali Aldobrandino ejusdem CLEMENTIS nepote, ad res sæpe præclaras & arduas pro Romana Ecclesia celeriter ac feliciter perficiendas nato, ad Ducatum Ferrariæ recuperandum cum militaribus copiis misso, Cæsar Estensis nullo militum expectato congressu, eumdem Ferrariæ ducatum antiquo ac legitimo S. R. E. dominio, anno hoc ipso M. D. XCVIII. die 12. Januarii restituere, inita conventione scriptis mandata, promisit: reque ipsa ejusdem vigesima nona mensis die, hoc est pridie dici sancto Hippolyto consecratæ, in qua ipsius CLEMENTIS, antea Hippolyti nuncupati, Pontificatus natalis celebratur, libere ac pacifice, non humano tantum, sed expresso divinæ opis præsidio, restituit, Ferraria gaudio gestiente, tota urbe Roma exultante, Deoque ingentes gratias agente, universaque Italia admirante. Hactenus de Ferraria. Nunc ad nostrum de lampadibus in honorem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli olim accendi solitis institutum revertamur. Nam Petrus Mallius in libro de Historia basilicæ sancti Petri, ut in bibliotheca Vaticana videre est, post varia donorum ac redituum genera basilicæ sancti Petri pro lampadibus accendendis enumerata, de luminaribus dicta in Ecclesia perpetuo accensis loquens, CL. lampades diu noctuque, in Stationibus autem CCL. sua tempestate in basilica sancti Petri arsisse testatur, variaque lampadum & candelabrorum genera & nomina, atque item loca omnia, in quibus candelabra suspendebantur, recenset, Stationibus quibuscumque totius anni enarratis. Accendebatur etiam candelabrum, quod tot habebat lampades, quot dies anni sunt, hoc est CCC LXV. Immo, ut Anastasius Bibliothecarius in Hadriano primo ait: Hadrianus ipse basilicæ sancti Petri dono dedit candelabrum, crucis formam repræsentans, M. CCC LXX. candelis vel lampadibus insignitum, quod ante Presbyterium pendens, quatuor anni vicibus, die scilicet Natalis Domini, in Paschate, in Natali sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & in Romani Pontificis electione, quæ singulo quoque anno, ipso vivente, celebratur, accendi solebat M. CCC LXX. lampades ante Presbyterum accendi solebant. Idem fere legitur de basilica sancti Pauli. Cum itaque in basilicis sanctorum Apostolorum Petri & Pauli tot lampades perpetuo arderent; mirum nemini videri debet, si tot prædia, totque oliveta dictis basilicis fuerint dedicata, ac destinata.



INDEX
IN TRIPLICEM S. GREGORII VITAM.

A

ad

quæ in prima parte Tomi quarti continentur.

B

C

Index rerum & verborum,

F

G

H

HO-

M

MEL.

quæ in prima parte Tomi quarti continentur.

Index rerum & verborum,

PRO-

SAN-

SANCTI
GREGORII
PAPÆ I.
COGNOMENTO MAGNI
OPERA OMNIA.

Ad manuscriptos codices Romanos, Gallicanos, Anglicanos emendata, aucta, & illustrata notis.

TOMI QUARTI SECUNDA PARS.

PRÆFATIO
IN LIBRUM SANCTI PATERII
DE EXPOSITIONE VET. ET N. TESTAMENTI:
Ubi de simili Alulfi opere disseritur.

Verus & integer Paterius hic exhibitus.

I. SANCTUM *Paterium Gregorii Magni discipulum, imo alterum veluti Gregorium hic offerimus tibi, studiose lector, non mutilum, qualis hucusque prodiit, sed majori sui parte auctum ac prorsus integrum.*

De Paterio S. Gregorii testimonium.

Et Johannis Diaconi.

II. *Paterii meminit S. Gregorius lib. v. Epist. 29.* Hanc autem Epistolam Paterio Notario Ecclesiæ nostræ subscribendam dictavimus. *Et in facultate testandi Probo Abbati concessa, quæ olim in serie Epistolarum legebatur lib. ix. num. 22. nunc autem ad calcem est amandata, idem Paterius dicitur Secundicerius. Eundem inter Clericos sanctissimi Pontificis familiares, ejusque consiliorum participes aut adjutores in sacrarum litterarum studiis, tertio loco commemorat Johannes Diaconus lib. ii. cap. ii. duplicique Notarii & Secundicerii titulo donat; ejus insuper collectanea & excerptiones ex sancti Gregorii operibus laudat.*

Necnon Sigeberti, & aliorum.

De eodem ac de ipsius lucubratione ita scribit Sigibertus Gemblacensis lib. de illustribus viris: Paterius Romanæ Ecclesiæ Notarius & Secundicerius, colligens omnia divinæ Scripturæ testimonia, per quæ Gregorius obscura suæ Expositionis dilucidavit, tres Libros edidit, duos de testimoniis veteris Testamenti, & unum de testimoniis novi Testamenti; ipsumque codicem appellavit librum Testimoniorum. *Eadem fere dicit Johannes Tritbemius lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, additque Paterii opus ab his verbis incipere:* Dum beatissimi atque apostolici, &c. *quæ verba leguntur initio Præfationis Paterii. Ex his veterum de Paterio testimoniis, ubi de ejus episcopali dignitate nihil dicitur, fides Arnoldi VVion, eum Brixiæ fuisse Episcopum asserentis, nutans videtur & valde dubia; maxime cum in inscriptione codicum mss. qui ejus opus exhibent minime dicatur Episcopus. At Sancti titulum longe præstantiorem tam in his veteribus membranis, quam in Martyrologio Romano consecutus est.*

Non Episcopi titulus ei debetur, sed Sancti.

Opus suum S. Gregorio ad hortante aggressus est. Quæ methodus in ipso servata. Sola operis prior pars hucusque edita.

III. *Ceterum Paterii lucubratio eo pluris est facienda, quod sancto Gregorio auctore ac hortatore incœpta & absoluta, ipsum etiam habuerit approbatorem, ut ex ejus Proœmio intelligimus. De methodo vero in hoc opere servata, & de ceteris ad ipsum spectantibus legendum est Proœmium, unde præsertim liquet* in tribus hoc voluminibus esse dispositum, ut duo veteris (*Testamenti*) tertium novi dicta contineret. *Verum ex tribus quibus constat partibus, unica dumtaxat publicam lucem aspicere cœpit an. 1553. Deinceps recusa sæpissime, nimirum prior in vetus Testamentum; posteriore in idem vetus Testamentum, nec non tertia, quæ novi Testamenti expositionem complectitur, adhuc in Bibliothecarum pulvere latitantibus & sordentibus.*

Expositio novi Testamenti sub nomine Paterii edita non est ejus opus. Aliud exhibens mss. quod edidimus.

IV. *In editione tamen Vaticana Sixto V. jubente adornata, & in aliis deinceps, maxime in novissima Parisiensi, quæ cura & studio Petri Gussanvillæi publici juris facta est an. 1675. legitur sub nomine sancti Paterii* Liber de expositione novi Testamenti. *Verum hoc opus cum veteribus Paterii mss. conferentes, probavimus omnino diversum esse. Codices quibus ad collationem hanc faciendam usi sumus, sunt Vaticanus optimæ notæ, Beluacensis ex Bibliotheca majoris Ecclesiæ sancti Petri, Valle-Clarensis, seu monasterii Vallis-Claræ Ordinis Cisterciensis, Beccensis, & Michaelinus seu celeberrimi cœnobii sancti Michaelis in periculo maris. Hi codices omnes, qui vel 600. vel 500. annorum præ se ferunt, aliud sancti Paterii opus in novum Testamentum exhibent, quam quod in vulgatis legimus, unde illo reprobato & rejecto, edendam potius judicavimus illam expositionem in novum Testamentum, quæ tot codicum manu exaratorum consensu, Paterio asseritur & vindicatur. Cujus igitur, inquies, fetus sunt illæ quas libri excusi Paterio tribuunt Gregorianorum testimoniorum exceptiones ad explicandum novum Testamentum?*

Alulfi est expositio sub nomine Paterii vulgata

V. *Cum ex veteribus plurimos, qui legendis Gregorianis operibus maxime delectabantur, ex ipsorum verbis & sententiis varios contexuisse fasciculos exploratum haberemus, visis tot codd. mss. in quibus hæc leguntur collectanea, sed dissimulato plerumque excerptoris nomine; cui tribui deberet insigne hoc opus statim assequi non fuit expeditum. Suberat tamen non levis conjectura, parentem nobilis fetus esse Alulfum sancti Martini Tornacensis Monachum, sua ætate*

Long. pont. Regiomont.

celeberrimum: *Nec fefellit; subinde enim offendimus in manuscriptos codices optimæ fidei, quales sunt Longipontanus, & Regiomontanus, in quibus hæc eadem prorsus Expositio novi Testamenti continetur, præfixo Alulfi nomine. Nec tamen id nobis satis fuit; nam ad ipsum fontem recurrentes consulere curavimus codices laudati monasterii Tornacensis, id benigne concedente religiosissimo & illustrissimo Abbate.*

De Alulfi lucubratione disseritur.

VI. *Quatuor extant qui autographi creduntur, hoc est ipsius Alulfi manu exarati. In primo codice, de veteri Testamento, cui præfigitur Alulfi nomen hæc leguntur*: Prologus incipit in sequens opus. Post restaurationem sancti Martini Tornacensis anno M. XCII. Dominicæ Incarnationis, cum ego frater ALULFUS ejusdem loci Monachus beatissimi atque apostolici Gregorii dicta sæpius lectione percurrerem, & in libris ejus legendis aliquantum intentus, & avidus essem propter luculentissimam verborum ejus satisfactionem, quiddam in eis reperi sine comparatione, potissimum quod mirabiliter meum excitavit & accendit animum. Dum enim sancti viri, hoc est beati Job, historiam abstrusissimam mysteriorum opacitatibus tectam sub triplici indice, Typica, Morali, atque Historica studui expositione discutere, ac repulso ignorantiæ nubilo, in aperto cunctis luce clarius patefactione serena monstrare: pene totam veteris ac novi Testamenti seriem rerum explanandarum necessitate coactus sum exponere, &c.

In secundo codice præmittitur: a Gregorialis de Psalmis & Prophetis.

a Præsertim de tertia parte novi Testamenti expositionem continente.

VII. *Tertius codex continens Expositionem in novum Testamentum incipit ab hac Præfatione*: Per sancta quatuor animalia, quæ Ezechieli Prophetæ ostenduntur, &c. *ut in editis Vatic. & Gussanv. Titulus tertiæ partis est*: De quatuor Evangeliis. *Postea*: Incipit expositio super Matthæum. I. Generatio Jesu Christi filii David, filii Abraham. Dominus noster Jesus Christus ad redemtionem humani generis veniens, velut quamdam, &c. II. Et post transmigrationem Babylonis. Psalmista de Domino dicit: *Lapidem, &c.* III. Accepit Joseph Mariam; non cognovit eam donec peperit Filium suum primogenitum, ita dictum debet intelligi, &c. *Cetera sunt prorsus similia cum editis sub Paterii nomine, nisi quod in codice sunt capita 97. Expositionis in Matth. & in excusis 104.*

Quartus codex inscribitur: Gregorialis de Sententiis; *absolviturque his auctoris versibus.*

Hæc de Gregorii qui traxit opuscula libro.

Gregorii precibus in pace quiescat Alulfus.

Quæ ex laudatis codicibus observavimus, testimonio Herimanni mox edendo mire confirmantur.

His visis, non fuit ultra dubitandi locus quin Paterio ab editoribus incaute adscriptum hoc opus in novum Testamentum, Alulfo restituendum esset in editione nostra; cui post Paterii lucubrationem, ipsum inseruimus tum quod luce dignum sit, tum quod nihil prætermittere decreverimus ex his quæ jam aliis in excusis publicata & vulgata sunt.

De secunda parte operis Paterii a nobis reperta.

VIII. *Jam duas tripartiti Pateriani operis assignavimus partes, primam & tertiam; nunc de secunda hactenus inedita est agendum.*

Ipsam in codice RR. PP. Cælestinorum Parisiensium contineri audieramus & legeramus; unde curæ nobis fuit codicem propriis & attentis oculis usurpare. At in ipso Prologo, quem subjiciemus, deprehensum statim, lucubrationem non esse Paterii, sed studiosi cujuspiam viri, qui ad resarciendam jacturam secundæ partis operis Paterii, simile quid magna sane fide & diligentia consarcinavit ex S. Gregorii sententiis, ut ipse profitetur.

Tandem cum assidue omnes Bibliothecarum forulos excuteremus, exploraturi præsertim num alicubi latitaret hæc collectionis Pateriana altera Pars in vetus Testamentum, quam desiderari a viris doctis non ignorabamus, inventa est in codice Michaelino jam a nobis commemorato; ubi absoluto priori volumine, quod expositione Cantici canticorum clauditur, immediate sequitur. Exceptiones ex Opusculis beati Gregorii Papæ in subjectis capitulis libri Sapientiæ. *Desinit hæc secunda Pars in explicatione Zachariæ Prophetæ. Adjiciuntur tamen in fine pauca Gregorianæ Sententiæ, quibus nonnulli Psalmorum versus exponuntur. His consequenter annectitur tertia Pars operis Paterii in novum Testamentum, subjiciturque*: Capitula sumta ex Evangelio secundum Matthæum, *sicut in aliis manuscriptis Vatic. Beluac. Beccen. Val-Clar. jam laudatis, ex quibus tertiam Patérianæ collectionis partem desumsimus. Fruere itaque, christiane & pie Lector duplici hac laborum Paterii parte, quam ope codicum veterum antea non satis curiose inspectorum tibi restituimus.*

IX. *Ut*

a Titulus est quem integro operi, & singulis ejus partibus affixit Alulfus, ut videre est tam in laudatis mss. quam in Regiomont. & Longipont.

IX. *Ut pauca nunc dicamus de prima parte, a qua edendi Paterii sumimus exordium, licet jam sæpius sive seorsim, sive simul cum omnibus Gregorianis operibus excusa fuerit, attamen cum infinitis eam scatere mendis adverteremus, ipsi recensendæ & expurgandæ adhibuimus plurimos mss. codices, scilicet Michaelinum, de quo jam diximus, Vaticanum etiam supra commemoratum, Uticensem S. Ebrulphi, ac Gemeticensem; denique Sagiensem cœnobii S. Martini, quo tantum usi sumus ad restituendas Expositiones in libros Regum & Proverbia. His codicibus obsecuti, omnium fere capitulorum exordia mutavimus. Aliorum autem erratorum a nobis expunctorum & emendatorum specimen hic accipe.* De priori parte a nobis ad varios recensita codices.

Super librum Numerorum cap. 5. legitur tam in editione Vaticana, quam in Gussanvillæana, ut enim exterioribus vitiis inoffense deserviant. *O monstrum! At legendum,* exterioribus officiis. *Caput 2. in eosdem Numeros, juxta utramque editionem ab his verbis incipit:* ex quibus virga Aaron floruit. *Ubi sensus? Legendum vero ut in veteribus codicibus:* de virgis duodecim in tabernaculo positis ex quibus, &c. *Capite sequenti, occurrit in iisdem editis:* & spargit contra fores tabernaculi nisi tota simul Synagoga accipitur. *Intelligis-ne? Sed omissa sunt plurima verba, scilicet post* tabernaculi *addendum:* Quid hoc loco tabernaculum, nisi tota simul Synagoga accipitur. *Eodem capite:* Quæ tamen (*hyssopus*) inflationem admovet pulmonis. *Optima sane causa plantæ hujus commendandæ! Sed restituimus:* Quæ tamen inflammationem amovet pulmonis. *Paulo post legitur:* Illum imitetur a quo est, nisi extra imitationem passionis aliquid agimus, non tam, &c. *Quæris sensum, sed quo pacto extundes? mutando nisi in ne si, hoc modo* Imitetur illum... ne si extra imitationem ejus aliquid agimus, non tam virtutem quam vitium agamus, *ut habent mss. Non longe ab his verbis integram periodum plurium linearum restituimus in utraque editione prætermissam. Sexcenta hujusmodi errata sustulimus, de quibus non semper admonendum censuimus lectorem: piget enim censoria virga toties notare, quæ ab aliis & quidem viris doctis delinquuntur.* Et multis expurgata mendis.

Neque vero miramur in priores editiones Romanis typis factas operarum incuria hujusmodi menda irrepsisse. Sed Gussanvillæum eadem retinuisse, licet hærens & luxatus omnino sensus corruptelæ certum foret argumentum, cui ex Paterii mss. aut etiam ex ipsa sancti Gregorii lectione mederi facillimum, id sane non parum stuporis nobis movet.

Nec tamen ita oscitanter vulgari debuit antiquissimus hic scriptor, ex cujus Exceptionibus magis ac magis illustrari potest noster Gregorius, genuina opera dignoscuntur, confirmanturque optimæ lectiones, aut plurimæ variantes haud spernendæ suppeditantur.

X. *Nihilominus observandum est non omnia quæ apud Paterium aliter leguntur, quam in locis operum S. Gregorii assignatis, pro variis & diversis lectionibus habenda esse. Placuit enim aliquando discipulo magistri sententias tantisper mutare. Sic cap. 37. in Genesim legimus apud Paterium:* Cum Apostolus dicat; neque qui plantat est aliquid, &c. *At cap. 28. in Job num. 43. unde Paterius prolatam sententiam depromsit, habes:* Cum Veritas dicat; Quis conclusit ostiis mare, &c. *quæ sunt similia. Sæpe etiam inverso ordine Gregorianas profert sententias, & dissitas conjungit; unde ut eas in sancti Gregorii operibus inveniremus, multum a nobis laboratum est & sudatum; maxime cum in assignandis locis ex quibus excerptæ sunt sæpe fallant mss. codices, excusi sæpissime. Paucissima tamen sunt quorum verum fontem non indicaverimus.* Quandoque Paterius interpolat Sancti Gregorii sententias.

Plurima in Vulgatis capita nobis occurrerunt, quæ mss. non exhibent. Ea tamen rejicienda non duximus, sed de mss. silentio monere satis nobis fuit; maxime cum apud Gregorium contextus laudatos extare compertum foret.

XI. *Quandoquidem Paterio ita restituto judicavimus attexendam tertiam operis Alulfi partem in novum Testamentum, quæ sæpe sub nomine Paterii fuit vulgata, operæ pretium est admonere, hac in collectione liberius adhuc quam in Pateriana, Gregorii sententias immutatas esse ac interpolatas; adeo ut sæpius Excerptor solum sensum retinuerit, de verbis minime curans.* De opere Alulfi hic edito, & de ipso auctore.

Floruit Alulfus initio seculi XII. De ipso hæc habet Herimannus in historia restaurationis monasterii sancti Martini Tornacensis tomo II. Spicilegii num. 38. pag. 395. & seq. Is primum Clericus, deinde Monachus, in præfato monasterio Armarii seu Cantoris officium 47. annis tenuit; omnesque libros beati Gregorii sæpius relegens, imitatus Paterium, universas tam veteris quam novi Testamenti sententias ab eo expositas excerpens, tres exinde codices composuit, & quartum de valde utilibus sententiis superaddidit, eisque Gregorialis nomen indidit.

PRO-

PROLOGUS

Ex ms. RR. PP. Celestinorum Paris.

Paterii in secunda parte Exceptionum ex Opusculis beati Gregorii Papæ.

DOmino Vvernero, sponsæ virgini permansuræ sacris nuptiis copulato, Bruno ex ipsius virginitate semine verbi plurimos filios spiritualiter procreare, pro quibus & cum quibus præmia merearis æterna percipere. Cum rem quamlibet honestatis splendore perspicuam simul & utilitatis fructibus plenam pia pariter & prudens auctoritas jubere disponit, & eamdem rem humilis obedientia nihil tergiversationis, quominus quod est jussa suscipiat objectans toto mentis annisu pro viribus suis aggredi non refugit, non est dubitandum divina pietate, & illam ut juberet præmonitam, & hanc ut quod humiliter suscepit; efficaciter consummet adjuvandam. Domnus ergo Bernardus venerabilis Pater, qui siquando quid otii datur sacræ Scripturæ solet incumbere, ut ex ejus frequenti colloquio divinam voluntatem quam moribus sequatur, plenius valeat ediscere, forte collectaneum Paterii reperit, in quo ille testimonia ex operibus sancti Gregorii decerpta per ordinem congessit. In quo dum Gregorianæ mel eloquentiæ cognovisset redolere, ceteris aliquantisper sepositis, ei totum quod habere posset otium studuit impendere. Sed codex ille qui sibi venerat in manus, sic fuit ex incuria scriptorum falsatus, ut in eo vix integras caperet sententias quilibet etiam ab aliis æstibus curatum vacuus. Ergo mihi id voluit negotii dare, ut curarem diligenter illum sibi corrigere, quatinus dum legendi tempus datum fuisset, liber corruptus a se eum non repelleret. Accepto itaque libro cum Prologum ejus totumque sequens opus festinarem perspicere, deprehendi eum nonnisi tertiam partem habere. Nam quod ex omnibus utriusque Testamenti libris explanationes testimoniorum de Gregorianis operibus collegisset, & totum illud opus in tria volumina divisisset, in Prologo præmisisse cognoscitur. Sed ibi de parabolis Salomonis, vel Canticis canticorum pauca; de ceteris vero libris qui appellantur Salomonis nulla; de Prophetis nulla; de novi Testamenti libris nulla inveniuntur. Adducti itaque alii quoscumque per amicos habere potui nominis ejusdem libri, de quorum forma nostri codicis depravatio corrigeretur, sic in mendaciis & defectu, nostro similes esse videbantur, ut aut illos ad exemplum nostri, vel nostrum cum illis ad quodlibet exemplum falsissimum scriptum esse conjici potuisset, nisi quod illi quo nostro noviores, eo mendaciis erant pleniores. Illis ergo abjectis titulos qui capitibus testimoniorum prænotati erant consului, ut illorum auxilio liber, & libri locus unde sententia quæ decerpta erat posset inveniri: & ita si quid depravaverant scriptores, attestatione libri de quo scriptum est, potuisset emendari. Sed eos ita transmutatos inveni, ut paucissimis exceptis, numquam in eo libro capitulum quodlibet posset inveniri, in quo tituli prænotatio illud docebat haberi. Tunc ergo ad laborem accinctus, cepi omnes quos habemus sancti Gregorii libros percurrere, & numquam a labore quievi donec capitula quæ liber ille Paterii tenebat, quo libro essent posita investigavi: & sic ex ipsis locis unde sumta fuerant emendare curavi; & ut deinceps si quid scriptorum culpa corruptum fuerit, facilius eodem modo possit emendari; non solum quo libro, sed quoto libri capitulo sententia habeatur superscripsi. Sed licet mihi quærenti dum multa de libris quorum codex ille nihil habebat, testimonia sponte occurrerent, placuit mihi majori diligentia quæque possent inveniri scrupulosius investigare, & eadem ratione qua illa vidi per ordinem digesta, colligere. Itaque factum est ut dum tertiam sollummodo partem patris illius præcepto corrigendam suscepissem, non solum illam corrigerem, sed etiam duas quas in his regionibus invenire non poteram, superadderem. Quod ne quis me putet fecisse causa jactantiæ, si collectaneum Paterii totum mihi potuerit & voluerit exhibere, omni me sciat alacritate exhibere; meoque libenter postposito, illius opus in multa sicut decet veneratione teneremus; quamdiu vero illud habere non potero, istud mihi tantum & amicis legendum servare volo. Hoc ergo proœmium idcirco libri principio inserere curavi, ut si cuiquam qui illud opus integrum habeat, hoc

hoc in manus venire contingat, utriusque diversitate cognita, quod cui præponere debeat intelligat. Sed quia Magnitudo vestra, ut sibi transcriberetur idem opus dignata est præcipere, vestri nominis hoc mihi placuit corroborare auctoritate; quatenus dum in prima pagina vestrum nomen aspiciat, omnis obtrectator ori suo digitum ponat, ne ullus malevolus audeat reprehendere, quod tantæ probitatis virum & prudentiæ, viderit non despexisse.

Explicit Prologus secundæ partis libri Paterii: sequuntur capitula de Libro Proverbiorum Salomonis.



In ſecunda parte Tomi quarti continentur,



SANCTI PATERII [a] LIBER DE EXPOSITIONE VETERIS AC NOVI TESTAMENTI, DE DIVERSIS LIBRIS Sancti Gregorii Papæ concinnatus.

PROOEMIUM.



UM beatissimi, atque Apostolici Gregorii, Pontificis nostri, vestri quoque, addam nutritoris, dicta sæpius lectione percurrerem, avidiusque mihi eis assiduum esse ipsa luculentissima verborum ejus satisfactio suaderet: quiddam in eis reperi sine comparatione potissimum. Dum igitur unius sancti viri, hoc est beati Job historiam abstrusis mysteriorum opacitatibus tectam, sub triplici, id est typica, morali, atque historica studuit expositione discutere, ac repulso ignorantiæ nubilo, in aperto cunctis luce clarius serena patefactione monstrare: pene totam veteris, ac novi Testamenti seriem rerum explanandarum necessitate est coactus exponere. Ubi enim occulte nimis rei dilucidandæ necessitas imminebat, ne aut obscurum quid apud audientium animos remaneret, aut ipse non liquidissima satisfactione obscuritatis, [b] interna ad lucem videretur ejicere: non solum disertissimis verborum assertionibus, quod clausum erat, aperuit; sed ita [c] esse prolati quoque testimonii assertione firmavit: ne non intellecta, si inesset forsitan obscuritas rei explanandæ, augeret

A potius, quam auferret caliginem. Idque testimonium studuit addita expositionis explanatione disserere. In quibusdam namque locis in expositione etiam testimonii, non solum verborum satisfactionem sibi posse sufficere judicavit, nisi alterius iterum deducti ad medium testimonii evidenti interpretatione, latius edoceret. Actumque est, ut hac occasione, sicut præfatus sum, veteris Testamenti tota pene series occulta patesceret: quæ divini nutus aspiratione reserata, famis nostræ esuriem superni pabuli copia satiaret. Hujus ergo rei ardenti nimis desiderio provocatus, quædam de eisdem testimoniis cœperam sub quadam brevitate decerpere, aliqua vero negligendo transire. Quod dum fieret, sicut conscientia mea mihi testis est, me vo-

B lente, atque hoc cautius providente, ne a quoquam aliquo modo nosceretur, per quosdam ad ejusdem Apostolici notitiam Pontificis nostri usque pervenit. Qui me verbis mox, quibus Beatitudo vestra novit, suasoriis, atque ad superna trahentibus, hortando cœpit accendere, quatenus hoc quod neglecte cœperam, explere studiosius debuissem; ita ut & opus, & librum in quo testimonium positum legeretur, vel ex qua re ortum esset, in tituli ejus prænotatione designarem. Cujus rei

a In mss. diversi leguntur tituli. Cod. Vatic. habet: *In nom. sanctæ Trinitatis: incipit Prologus Paterii.* Consentit Gemeticensis, nisi quod post, *Paterii*, additur, *discipuli S. Gregorii Papæ*. Præterea legitur S. Pateri. In Uticensi: *In nom. &c. incipit liber S. Paterii discipuli beati Gregorii Papæ*. In Michaelino: *Incipit Prologus Paterii de testimoniis novi & veteris Testamenti a beato Papa Gregorio expositis.*

b Utic. & Gemet. *internam ad lucem.* In Vatic. *aut ipsa non liquidissima satisfactione interna videretur scire.*

c Locum hunc corruptum in editis & in plerisque mss. restituimus ope cod. Vatic. Abest a ceteris fere: *assertione firmavit*, &c. In edit. pro, *esse*, legitur *a se*.

rei pondus, mearumque virium impossibilitatem pensans, in ancipiti deprehensus, sicut nauta gravi fluctuum procella turbatus, ad orationum ejus portum, pavens, fateor, fidensque confugi: sciens impossibile non fore, quod a tanto mihi præsule, ut res ad multorum ædificationem profutura fieret, juberetur. Moxque hoc imperantis suffragio provocatus assumens, quo valui studio, veteris ac novi Testamenti in unum testimonia congesta collegi. Etiam non solum de beati Job expositione, sed nec de aliis ejus Opusculis quidquam curavi, sicut prius facere cœperam, neglectum relinquere. Quæ dum disperse sicut quippe reperta fuerant, in schedis suis relata transcurrerem, visum mihi est, licet esset laboris immodici, ut uniuscujusque rei testimonia, juxta quod in suis ex ordine sunt sita codicibus, per libros suos ordinando componerem. Quatenus studiosi lectoris desiderium, ad dilucidandam sibi quam velit obscuritatem, invento libri quem requireret titulo, nihil moræ, vel ad parum, aliquo modo præpediret. Hoc autem lectorem hujus operis præ omnibus nosse commoneo, ut quia quædam testimonia diversis locis sita reperi, [a] & in quibusdam, sicut res expetit, typica, in quibusdam historica in expositione perducta: quæ prædictis modis exposita comperi, ita & seorsum sequentia siquidem invicem translata composui: in quibusdam vero locis, quia ita satisfactionis norma poscebat, hoc idem de eodem testimonio retexui, quod dudum explanasse relegitur. Alicubi autem quædam quæ de eo minus pridem dixerat, [b] inter repetita addens verba supplevi. Quod ego de jam dictis excerpens, eidem testimonio ubi poposcit locus, inserendum aptavi, quia res non erant, quæ separatim poni utiliter possent, dum ex præcedentibus, quæ dicta fuerant, subsequentibusque penderent. Si enim propter novitatem parvæ rei, rursum dicta ponerentur, facerent etiam repetita fastidium proculdubio. Ut [c] ergo expositionis, unde hæc excerpta sunt, recurrens ordinem, plus in quibusdam hujus operis locis aliquid, quam in textu libri est positum minusve reperias, causæ fecit ratio, quam præmisi. Perpendens autem, quod si utriusque Testamenti in unum vellem testimonia redacta colligere, & voluminis normam excederet, & legentis desiderium impediret; in tribus hoc voluminibus Domino est cooperante dispositum: ut duo veteris, tertium novi dicta contineat. Quæ Beatitudini vestræ, non temeritatis ausu, sed amore vestri provocatus studii, quod in inquisitione divini olim fervet eloquii, sciens maxime in dictis prædicti Pontificis nostri quanta noscendi vestræ sit aviditas mentis, ex multis voluminibus pauca componens, studui destinare: humili obsecrans prece, qua valeo, ut dum vobis; vel quisquis legerit, in hoc opere laboris mei cura placuerit, pro me ad Dominum intercessores esse dignentur; quatenus hoc pondere corruptionis exuto, a meorum absolutus inveniri merear vinculis peccatorum.

a Multa hoc loco vel omissa vel addita in vulgatis, inextricabilem obscuritatem generant. Sequimur mss.

b Excusi, item repetita... supplevi. Et paulo post, idem Testimonium

c In vulgatis & in mss. Gemet. ac Vatic. legitur, ne pro, ut.

CAPITULA

LIBRI PRIMI IN GENESIM.

1 *De creato cælo, quod postmodum vocavit firmamentum.*
2 *Item unde supra.*
3 *Facta est lux, & paulo post: factum est vespere.*
4 *Protulit terra herbam virentem, & afferentem semen juxta genus suum.*
5 *Item unde supra.*
6 *Item unde supra.*
7 *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.*
8. *Requievit Deus die septimo.*
9 *Item unde supra.*
10 *Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt.*
11 *Quod quatuor fluminibus de paradiso egredientibus terra rigatur.*
12 *Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum.*
13 *Quod ex latere Adam dormientis Eva processit.*
14 *Cur præcepit vobis Dominus Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi?*
15 *In quacumque die comedetis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii.*
16 *Item unde supra.*
17. *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile.*
18 *De consensu Adæ in acceptione pomi.*
19 *Quod Adam post peccatum inobedientiæ pudenda contexit.*
20 *Cum audisset Adam vocem Domini Dei ambulantis in paradiso ad auram post meridiem.*
21 *Vocavit Adam, & dixit, ubi es?*
22 *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi.*
23 *Item unde supra.*
24 *Pectore & ventre repes.*
25 *Inimicitias ponam inter te, & mulierem.*
26 *Maledicta terra in opere tuo.*
27 *Terra es, & in terram ibis.*
28 *Collocavit ante paradisum veluti Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem.*
29 *Respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus: ad Cain autem & ad munera ejus non respexit.*
30 *In foribus peccatum tuum aderit.*
31 *Si recte offeras, recte autem non dividas peccasti.*
32 *Quod Cain primum filium Enoch vocat, atque ex ejus nomine civitatem, quam condidit, appellat.*

Item

PARS PRIMA

DE EXPOSITIONE VETERIS TESTAMENTI.

a

[a] LIBER PRIMUS

DE TESTIMONIIS LIBRI GENESEOS.

CAPUT PRIMUM.

Genes. 1. 8. *De creato cælo, quod postmodum vocavit firmamentum.*

b Num. 65. BEatus [b] Papa Gregorius in expositione beati Job, libro vicesimo septimo loquens de Angelis, inter cetera ait: VIRTUTES Angelicæ, quæ in divino amore fixæ perstitere, lapsis superbientibus Angelis, hoc in munere retributionis accepere, ut nulla jam rubigine surripientis culpæ mordeantur, ut in contemplatione Conditoris sine felicitatis fine permaneant, & in hoc quod sunt conditæ, æterna stabilitate subsistant. Quod bene apnd Moysem ipsa de mundi origine historiæ verba testantur, cum E & prius factum cælum dicitur, & hoc idem postmodum firmamentum vocatur: quia videlicet natura angelica, & prius subtilis est in superioribus condita, & post, ne umquam potuisset cadere, mirabilius confirmata.

CAPUT II.

Item unde supra.

IN Commentariis Ezechielis, homil. 7. TALES creati sunt Angeli, ut si vellent, in beatitudinis luce persisterent, si autem nollent, etiam labi potuissent. Unde & Satan cum sequacibus legionibus cecidit. Sed post ejus lapsum ita confirmati sunt Angeli qui perstitere, ut cadere omnino non possent. Quod bene in ipso exordio Geneseos li- Num. 18.

a In edit. legitur: *Incipit expositio super Libros Genesis, Exodi, Levitici, Numeri, Deuteronomii, Judicum, ac Regum, & super Psalmos*; Cur Psalmis non adduntur Proverbia & Cantica? Sane hic titulus in nullis legitur mss. Quem præfiximus suppeditavit maxime codex Michaelinus.

b Hæc usque ad, *virtutes*, in editis & plerisque mss. prætermissa, eruimus ex ms. Michael. omnium absolutissimo.

bri ex historica descriptione signatum est: quia A creavit Deus cælum, & terram; quod postmodum vocavit firmamentum. Cæli ergo fuere ii, qui prius bene sunt conditi: sed postmodum firmamentum appellati sunt, quia ne omnino jam caderent, virtutem incommutabilitatis accepere.

CAPUT III.

Gen. 1. 3. *Facta est lux*. Et paulo post: *Factum est vespere*.

Num. 21. DUM de electorum tentationibus tractaretur, in expos. B. Job, lib. 8. adjunctum est: *Facta est lux*. Et paulo post: *Factum est vespere*: NEQUAQUAM in hac vita per exercitationem justitiæ peccatum deseritur, ut in eadem justi- B tia inconcusse maneatur; quia etsi jam a cordis habitaculo culpam rectitudo eliminat, ipsa tamen culpa quæ repellitur, cogitationis nostræ foribus assidens, ut sibi aperiatur, pulsat. Quod Moyses spiritualiter innuit cum facta corporaliter temporum momenta naravit, dicens: *Facta est lux*; atque paulo post subjiciens: *Factum est vespere*. Creator quippe omnium, humanæ culpæ præscius, tunc expressit in tempore, quod nunc versatur in mente. Lux quippe ad vesperam ducitur: quia nimirum lumen rectitudinis umbra sequitur tentationis. Sed quia electorum lux tentatione non extinguitur, nequaquam nox, sed vespere facta perhibetur: quia tentatio sæpe in corde Rectorum lumen justitiæ abscondit, C sed non interimit: & quasi ad pallorem trepidationis pertrahit, sed funditus non extinguit.

CAPUT IV.

Gen. 1. 11. *Protulit terra herbam virentem, & afferentem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque sementem secundum speciem suam.*

Num. 29. DUm de virtutibus Ecclesiæ, in expos. B. Job, l. 19. tractaretur, adjunctum est: *Protulit terra herbam virentem, &c.* HOC quod testatur historia sic est veraciter factum, ut significaret aliquid veraciter faciendum. Per terram D quippe figuratur Ecclesia, quæ & verbi nos pabulo reficit, & patrocinii umbraculo custodit, quæ & loquendo pascit, & opitulando protegit: ut non solum herbam refectionis proferat, sed etiam cum fructu operis arborem protectionis adhibeat.

CAPUT V.

Gen. 1. 12. *Item unde supra: Lignumque faciens fructum.*

Num. 54. DUm de de dilectione proximi, in expos. B. Job, l. 6. tractaretur, adjunctum est: *Lignumque faciens, &c.* LIGNUM secundum suam speciem semen producit, cum mens nostra ex E sui consideratione se in alium colligit, ut recti operis germen pariat. Hinc quidam sapiens dixit: *Quod tibi non vis fieri, ne feceris*. Hinc in Evangelio Dominus dicit: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis*. Ac si aperte diceret: Speciem vestram in alterutrum respicite, atque ex vobismetipsis agnoscite, quid vos oporteat aliis exhibere.

Tob. 4. 16. Matt. 7. 12.

CAPUT VI.

Item unde supra: Protulit terra herbam virentem. Gen. 1. 12.

DUm de Ecclesiæ operationibus tractaretur, in expos. B. Job, lib. 29. adjunctum est; *Protulit terra, &c.* QUID hoc loco per herbam, nisi bona operatio ponitur. Licet in conditione mundi ita historice factum teneamus; terram tamen Ecclesiam figurasse non inconvenienter accepimus, quæ in eo germinavit herbam virentem, in quo ad verbum Dei secunda misericordiæ opera protulit. Num. 52.

CAPUT VII.

Faciamus hominem ad imaginem; & similitudinem nostram. Gen. 1. 26.

DUm de conditione primi hominibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 9. adjunctum est: *Faciamus, &c.* LICET per coæternum patris verbum cuncta creata sint; in ipsa tamen relatione creationis ostenditur, quantum cunctis animalibus, quantum rebus vel cælestibus, sed tamen insensibilibus homo præfertur. Cuncta quippe cum faceret, *Dixit, & facta sunt*: cum vero facere hominem decernit, hoc quam reverenter pensandum est, præmittit, dicens: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Neque enim de eo sicut de rebus ceteris scriptum est: *Fiat, & factum est*. neque ut aquatilia, vel volatilia, sic contra hominem protulit: sed priusquam fieret, *Faciamus* dicitur: ut videlicet, quia rationalis creatura condebatur, quasi cum consilio facta videretur. Quasi per studium de terra plasmatur, & inspiratione Conditoris in virtute spiritus vitalis erigitur: ut scilicet non per jussionis vocem, sed per dignitatem operationis existeret qui ad Conditoris imaginem fiebat. Num. 75. Psal. 32. 9.

CAPUT VIII.

Requievit Deus die septimo ab omni opere quod patrarat. Gen. 2. 2.

DUm de perfectione septenarii numeri tractaretur, in expos. Job, l. 1. adjunctum est: *Requievit Deus, &c.* QUID in septenario numero, nisi summa perfectionis accipitur? Ut enim humanæ rationis causas de septenario numero taceamus, quę asserunt quod idcirco perfectus sit, quia constat ex primo pari qui dividi potest, & ex primo impari qui dividi non potest; certissime scimus quod septenarium numerum Scriptura sacra pro perfectione ponere consuevit. Unde & septimo die Dominum requievisse ab operibus asserit. Hinc est enim quod septimus dies in requiem hominibus, id est in Sabbatum datus est. Hinc est quod jubileus annus in quo plena requies exprimitur, septem hebdomadibus consummatur, qui, monade addito, nostræ actionis summa impletur. Hinc est enim quod perfectione septiformis gratiæ implendi duodecim sunt Apostoli electi. A septenario itaque numero in duodenarium surgitur; nam septenarius suis in se partibus multiplicatus, ad duodenarium tendit. Sive enim quatuor per tria, sive tria per quatuor ducantur, septem in duodecim vertuntur. Unde & sancti Apostoli quia Trinitatem in quatuor partibus mundi prædicare mittebantur, duodecim sunt electi; ut etiam numero perfectionem ostenderent, quam vita & voce prædicarent. Num. 18.

CA-

CAPUT IX.

Unde supra.

a Ibidem. IN expositione B. Job [a] SEPTENARIO numero perfectio æternitatis innuitur, cum dies septimus in requiem Domini sanctificatus vocatur. Cui jam non vespera dicitur: quia æternæ beatitudinis requies nullo termino coarctatur.

b [b] CAPUT X.

Gen. 2. 4. *Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt.*

Num. 16. IN expos. B. Job, l. 32. QUÆRENDUM nobis est quomodo Deus simul cuncta condidit, B dum iisdem Moyses sex dierum mutatione variante distincte creata describit. Quod tamen citius agnoscimus, c [c] si ipsas causas originum subtiliter indagamus. Rerum quippe substantia simul creata est, sed simul per species formata non est: & quod simul extitit per substantiam materiæ, non simul apparuit per speciem formæ. Cum enim simul factum cælum terraque describitur, simul spiritualia atque corporalia, simul quidquid de cælo oritur, simul factum quidquid de terra producitur, indicatur. Sol quippe, Luna, & sidera quarto die facta in cælo perhibentur; sed quod quarto die processit in speciem, primo die in cæli substantia extitit per conditionem. Primo die creata terra dicitur, tertio arbusta condita, & cuncta C terræ virentia describuntur: sed hoc quod die tertio se in speciem protulit, nimirum primo, in ipsa de qua ortum est terræ substantia, conditum fuit. Hinc est quod Moyses & distincte per dies singulos condita omnia retulit, & tamen simul omnia creata subjunxit, dicens: *Istæ generationes cæli & terræ, quando* d [d] *creatæ sunt in die quo fecit Dominus cælum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis*. Qui enim diversis diebus creatum cælum, & terram, virgultum, herbamque narraverat, nunc uno die facta manifestat; ut liquido ostenderet, quod creatura omnis simul per substantiam extitit, quamvis non simul per speciem processit. Hinc illic quoque scriptum est: Gen. 1. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum & feminam fecit eos*. D Necdum enim facta Eva describitur, & jam homo masculus, & femina perhibetur. Sed quia ex Adæ latere erat proculdubio femina processura, in illo jam computatur per substantiam, a quo producenda fuerat per formam. Considerare tamen hæc & in minimis possumus, ut ex minimis majora pensemus. Herba namque cum creatur, necdum in illa fructus, necdum fructus sui semen ostenditur. Inest vero ei etiam cum non apparet fructus, & semen: quia nimirum simul sunt in radicis substantia, quæ non simul prodeunt per temporis incrementa.

CAPUT XI.

E

Gen. 2. 10. *Quod quatuor fluminibus de paradiso egredientibus terra rigatur.*

Num. 75. DUm de quatuor virtutibus tractaretur, in expos. B. Job, lib. 2 adjunctum est: SOLIDUM A mentis nostræ ædificium prudentia, temperantia, fortitudo, justitia continet: quia in his quatuor virtutibus tota bona operis structura consurgit. Quatuor ergo paradisi flumina terram irrigant: quia dum his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni desideriorum carnalium æstu temperatur.

CAPUT XII.

Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum. Gen. 2. 15.

DUm de servanda custodia boni operis tractaretur, in exposit. B. Job, l. 19. adjunctum est: *Tulit Dominus Deus hominem, &c.* PENSANDUM magnopere est, quia bona prodesse Num. 34. nequeunt, si mala quæ subrepunt, non caventur. Perit omne quod agitur, si non sollicite in humilitate custoditur. Unde bene quoque de ipso primo parente dicitur: *Posuit eum Dominus in paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret*. Gen. 2. 15. Operatur quippe qui agit bonum quod præcipitur, sed quod operatus fuerit non custodit, cui hoc subrepit, quod prohibetur. * Unde magnopere oportet & bona * Supra in fine num. 31. semper agere, & ab ipsis nos bonis operibus caute in cogitatione custodire. Nam si mentem elevant, bona non sunt, quia non auctori militant, sed elationi. [e] De qua re non inordinate agimus, si ex e libris, licet non canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ additis, testimonium proferamus. Eleazar namque in prælio elephantum feriens stravit, sed sub ipso quem extinxit, occubuit. 1. Mach. 6. Quos ergo iste significat, quem sua victoria oppressit, nisi eos qui vitia superant, sed sub ipsa quæ subjiciunt, superbiendo succumbunt? Quasi enim sub hoste quem prosternit, moritur, qui de culpa quam superat, elevatur.

CAPUT XIII.

Ex latere Adam dormientis Eva processit. Gen. 2. 21. 22.

DUM de vacatione mentis ad Dominum tractaretur, in expos. B. Job, l. 30. adjunctum est: *Ex latere Adam, &c.* SCIENDUM Num. 54. est, quia nequaquam culmen contemplationis attingimus, si non ab exterioris curæ oppressione cessemus. Nequaquam nosmetipsos intuemur, ut sciamus aliud in nobis esse rationale, quod regit, aliud animale, quod regitur, nisi ad secretum silentium recurrentes, ab omni exterius perturbatione sopiamur. Quod silentium nostrum bene Adam dormiens figuravit; de cujus mox latere mulier processit: quia quisquis ad interiora intelligenda rapitur, a rebus visibilibus oculos claudit; & tunc in seipso vel quæ præesse viriliter debeant, vel quæ subesse possent infirma distinguit; ut aliud in ipso sit quod regere valeat tamquam vir: aliud tamquam femina, quod regatur.

a In Gemet. assignatur lib. 27. In Michael. lib. 37. In editis lib 6 ubi num 43. quædam leguntur affinia. Sed longe similiora sunt lib. 6. num. 28.
b Caput hoc in mss. cum superiori coalescit & unicum conficit.
c Gemet. ac Utic. *si ipsius causæ originem indagemur.*
d Invitis mss. excusi, *creata sunt.*
e Vatic. *Quare non inordinate agimus.*

CAPUT XIV.

Gen. 3. 1.

Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi?

a Num. 14. IN expos. B. Job, l. 24.[a] dum de cavendis inimici tentationibus tractaretur, adjunctum est: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis &c.* CALLIDUS humani generis inimicus quod in paradiso egit, hoc quotidie agere non desistit. Verba quippe Dei de cordibus hominum molitur evellere, atque in eis ficta promissionis suæ blandimenta radicare: quotidie id quod Deus minatur, levigat; & ad hoc tradendum quod falso promittit, mutat. Falso enim pollicetur temporalia, ut mentibus hominum ea B supplicia leviget, quæ Deus minatur æterna. Nam cum præsentis vitæ gloriam spondet, quid aliud dicit, quam, *Gustate, & eritis sicut dii?* Ac si aperte dicat: Temporalem concupiscentiam tangite, & in hoc mundo sublimes apparete. Et cum timorem divinæ sententiæ amovere conatur, quid aliud loquitur, quam id quod primis hominibus dixit: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi?* Sed quia divino munere redemtus homo justitiam recepit, quam dudum conditus amisit, robustior se jam contra blandimenta callidæ persuasionis exercet: quia experimento didicit, quantum obediens esse debeat præcepto. Et quem tunc culpa duxit ad pœnam, nunc pœna sua restringitur a culpa: ut tanto magis delinquere metuat, quanto cogente supplicio, & ipse jam quod perpetravit, accusat.

b [b] CAPUT XV.

Gen. 3. 5.

In quocumque die comederetis ex eo, aperientur oculi vestri, & sicut dii eritis.

Num. 6. DUm de diei perditione tractaretur, in expos. B. Job, l. 4. adjunctum est: *In quocumque die, &c.* DIES itaque est illata promissio meliorum, sed nox est exhibita ipsa experientia calamitatum. Antiquus hostis dies est per naturam bene conditus, sed nox est per meritum ad tenebras dilapsus. Dies est cum pollicendo bona, humanis D aspectibus lucis se Angelum simulat, Paulo attestante, qui ait: *Ipse enim Satanas transfigurat se in*
2. Cor. 11. 14. *Angelum lucis:* sed nox est cum mentes consentientium per erroris tenebras obscurat.

CAPUT XVI.

Item unde supra.

Num. 2 & 3. IN codice homiliarum Evangelii primæ partis homil. 16. ANTIQUUS hostis contra primum hominem parentem nostrum, in tribus se tentationibus erexit: quia hunc, videlicet gula, & vana gloria, & avaritia tentavit, sed tentando superavit: quia sibi eum per consensum subdidit. Ex gula quippe tentavit, cum cibum ligni vetiti ostendit, atque ad comedendum suasit. Ex vana gloria tentavit eum cum diceret: *Eritis sicut dii.* Ex provectu avaritiæ tentavit, cum diceret: *Scientes bonum, & malum.* Avaritia enim non solum pecuniæ est, sed etiam altitudinis: recte enim avaritia dicitur, cum supra modum sublimitas ambitur. Si enim non ad avaritiam honoris ambitio pertineret, nequaquam Paulus de unigenito filio diceret: *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* In hoc ergo diabolus parentem nostrum ad superbiam traxit, quando eum ad avaritiam sublimitatis excitavit. Sed quibus modis primum hominem stravit, eisdem modis secundo homini tentando succubuit. Per gulam tentavit, qui dixit: *Dic ut lapides isti panes fiant.* Per vanam gloriam tentavit, cum dixit: *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Per sublimitatis avaritiam tentavit, cum regna omnia mundi ostendit, dicens: *Hæc tibi omnia dabo, si procidens adoraveris me.* Sed eis modis a secundo homine victus est, quibus primum hominem se vicisse gloriabatur: ut a nostris cordibus ipso aditu captus exeat, quo nos aditu intromissus tenebat.

Phil. 2. 6.

Matt. 4. 3.

Ibid. 9.

CAPUT XVII.

Gen. 3. 6.

Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile.

DUm de restringenda visus concupiscentia tractaretur, in expos. B. Job, lib. 21. adjunctum est: *Vidit mulier quod, &c.* Ne quædam lubrica in cogitatione versemus, providendum nobis est: quia intueri non debet, quod non licet concupisci. Ut enim munda mens in cogitatione servetur a lascivia voluptatis suæ, deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam. Neque enim C Eva lignum vetitum contigisset, nisi hoc prius incauta respexisset. Hinc ergo pensandum est, quanto debemus moderamine erga illicita visum restringere, nos qui mortaliter vivimus, si & mater viventium per oculos ad mortem venit. Hinc etiam sub Judææ voce, quæ exteriora videndo concupiscens, bona interiora perdiderat, Propheta dicit: *Oculus meus deprædatus est animam meam:* concupiscens enim visibilia, invisibiles virtutes amisit. Quæ ergo interiorem fructum per exteriorem visum perdidit; per oculum corporis pertulit prædam cordis. Unde nobis ad custodiendam cordis munditiam, exteriorum quoque sensuum disciplina servanda est. Nam quantalibet virtute mens polleat, quantalibet gravitate vigeat, carnales tamen sensus puerile quiddam exterius perstrepunt; & nisi interioris gravitatis pondere, & quasi juvenili quodam vigore refrenentur, ad fluxa quæque & levia mentem enervem trahunt.

Num. 4.

Thren. 3. 51.

CAPUT XVIII.

Gen. 3.

De consensu Adæ in acceptione pomi a muliere.

DUm de vitandis vitiorum incentivis tractaretur in codice Regulæ Pastoralis, par. 3. c. 29. adjunctum est: IN primo parente didicimus, quia tribus modis omnis culpæ nequitiam perpetramus, suggestione scilicet, delectatione, consensu. Primum itaque per hostem, secundum vero E per carnem, tertium per spiritum perpetratur. Insidiator enim prava suggerit, caro se delectationi subjicit, atque ad extremum spiritus victus delectatione consentit. Unde & serpens prava suggessit: Eva autem quasi caro se delectationi subdidit; Adam vero velut spiritus, suggestione, ac delectatione superatus adsensit. Suggestione itaque peccatum agnoscimus, delectatione vincimur, consen-

Admon. 30.

Gen. 3.

a In editis assignatur l. 34. c. 5. post med. ubi tamen nihil invenimus. In Uticens. nullum Gregorii opus laudatur. Gemet. indicat lib. 34. in Job. Extat id loco a nobis assignato.

b Caput hoc in mss. nostris omittitur.

*Hæc desunt in locis indicatis. Rom 7.24. Ibidem 25.

su etiam ligamur. * Unde exclamandum nobis cum Apostolo est: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et audiamus subsequentem nos consolationem: *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.*

CAPUT XIX.

Gen 3 7. *Adam post peccatum inobedientiæ mox pudenda contexit.*

DUm de servanda mentis custodia tractaretur, in exposit. B. Job, l. 26. adjunctum est: Num. 28. PER humilitatis custodiam servanda semper est munditia castitatis. Si enim pie spiritus sub Domino premitur, caro illicite contra spiritum non levatur. Habet quippe spiritus commissum sibi dominium carnis, si tamen suo Domino recognoscit jura legitimæ servitutis. Nam si auctorem suum superbiendo contemnit, jure & in subjecta carne prælium suscipit. Unde & ille primus homo inobediens, mox ut superbiendo peccavit, pudenda contexit. Quia enim contumeliam spiritus Domino intulit, mox contumeliam carnis invenit. Et qui auctori suo esse subditus noluit, jus carnis subditæ, quam regebat, amisit: ut in seipsum videlicet inobedientiæ suæ confusio redundaret, & superatus disceret, quod elatus amisit.

CAPUT XX.

Gen. 3.8. *Cum audisset Adam vocem Domini Dei deambulantis in paradiso, ad auram post meridiem, abscondit se inter ligna paradisi.*

DUm de [a] modo divini colloquii tractaretur, in expos. B. Job, l. 28. adjunctum est: *Cum audisset Adam, &c.* Num. 7. NONNUMQUAM per Angelos verbis simul & rebus loquitur Deus, cum quibusdam motibus insinuat hoc quod sermonibus narrat. Neque enim Adam post culpam in divinitatis substantia videre Dominum potuit, sed increpationis verba per Angelum audivit, de quo scriptum est: *Cum audisset vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se inter ligna paradisi.* Quid est enim quod post peccatum hominis in paradiso Dominus non jam stat, sed deambulat, nisi quod irruente culpa, se a corde hominis motum demonstrat? Quid est quod ad auram post meridiem: nisi quod lux ferventior veritatis abscesserat, & peccatricem animam culpæ suæ frigora constringebant? Ad auram namque post meridiem primus homo post culpam absconsus invenitur. Quia enim meridianum caritatis calorem crediderat, jam sub peccati umbra, quasi sub frigore auræ torpebat. Sicut de eodem peccante homine scriptum est: quia secutus est umbram. Calorem enim caritatis fugiens, veritatis solem homo deseruit, & sub umbra se interni frigoris abscondit. Unde & voce ejusdem veri- Matt 24 12. tatis dicitur: *Abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum.* Increpavit ergo Adam, deambulans, ut cæcis mentibus nequitiam suam non solum sermonibus, sed etiam rebus aperiret: quatenus peccator homo & per verba quod fecerat audiret, & per deambulationem amisso æternitatis statu, mutabilitatis suæ inconstantiam cerneret, & per auram fervore caritatis expulso torporem suum animadverteret, & per declinationem solis cognosceret quod ad tenebras propinquaret.

CAPUT XXI.

Vocavit Dominus Deus Adam, & dixit ei: Ubi es? Gen. 3 9.

CUm de delinquentium reprobatione tractaretur, in expos. B. Job, l. 2. adjunctum est: *Vocavit Dominus Deus Adam, &c.* QUID est Num. 5. quod Dominus Adam post lapsum requirit: *Ubi es?* Numquidnam divina potentia nesciebat post culpam, servus ad quæ latibula fugerat? Sed quia vidit in culpa lapsum, jam sub peccato velut ab oculis veritatis absconditum, quia tenebras erroris ejus non approbat, quasi ubi sit peccator ignorat, eumque & vocat, & requirit, dicens: *Adam ubi es?* Per hoc quod vocat, signum dat, quia ad pœnitentiam revocat. Per hoc quod requirit, aperte insinuat, quia peccatores jure damnandos ignorat.

CAPUT XXII.

Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi; & comedi. Gen. 3.12.

CUm de vitanda peccati excusatione tractaretur, in expos. B. Job, l. 4. adjunctum est: *Mulier quam, &c.* SCILICET excessus sui Num. 39 49. vitium in auctorem latenter retorquens; Ac si diceret: Tu occasionem delinquendi præbuisti, qui mulierem dedisti. Quatuor modis peccatum perpetratur in corde: quatuor consummatur in opere. In corde namque suggestione, delectatione, consensu, & defensionis audacia perpetratur. Fit enim suggestio per adversarium, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elationem. Culpa enim quæ terrere mentem debuit, extollit, & dejiciendo elevat: sed gravius elevando supplantat. Unde & illam primi hominis rectitudinem antiquus hostis quatuor his ictibus fregit. Nam serpens suasit, Eva delectata est, Adam consensit: qui etiam requisitus confiteri culpam per audaciam noluit. Hoc vero in humano genere quotidie agitur, quod actum in primo parente nostri generis non ignoratur. Serpens suasit: quia occultus hostis mala cordibus hominum latenter suggerit. Eva delectata est: quia carnalis sensus ad verba serpentis mox se delectationi substernit. Assensum vero Adam mulieri præpositus præbuit: quia dum caro in delectationem rapitur, etiam a sua rectitudine spiritus infirmatus inclinatur. Et requisitus Adam, confiteri culpam noluit: quia videlicet spiritus quo peccando a veritate disjungitur, eo in ruinæ suæ audaciam nequius obduratur. Per timorem quidem Adam semetipsum absconsurus fugerat: sed tamen requisitus innotuit, quantum etiam timens tumebat. Cum enim ex peccato præsens pœna metuitur, & amissa Dei facies non amatur, timor ex tumore est, non ex humilitate. Superbit quippe, qui peccatum, si liceat non puniri, non deserit. Eisdem etiam quatuor modis peccatum consummatur in opere. Prius namque latens culpa agitur, postmodum vero etiam ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur: dehinc & in consuetudinem ducitur: ad extremum quoque vel falsæ spei seductionibus vel obstinatione miseræ desperationis, enutritur.

CA-

a In Michael. de dono.

CAPUT XXIII.

Item unde supra.

Num 30.31. IN expos. B. Job, l. 21. VERÆ humilitatis testimonia sunt, & iniquitatem suam quemque cognoscere, & cognitam voce confessionis aperire. At contra usitatum humani generis vitium est, & labendo peccatum committere, & commissum negando defendere, & convictum defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapsu primi hominis hæc augmenta nequitiæ ducimus, ex quo ipsam radicem traximus culpæ. Sic namque ille dum lignum vetitum contigisset, abscondit se a facie Domini inter ligna paradisi. In qua absconsione scilicet quia B Deum latere non poterat, non latendi effectus describitur, sed affectus notatur: quod cum argueretur a Domino, quod de ligno vetito contigisset, illico respondet: Gen 3.12. *Mulier quam dedisti mihi sociam, ipsa mihi dedit de ligno, & comedi.* Ipsa quoque mulier inquisita, respondit: *Serpens decepit me, & comedi.* Ad hoc quippe requisiti fuerant, ut peccatum quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent. Unde & serpens ille persuasor, qui non erat revocandus ad veniam, non est de culpa requisitus. Interrogatus itaque homo est ubi esset, ut perpetratam culpam respiceret, & confitendo cognosceret, a quam longe a Conditoris sui facie [a] abesset. Sed adhibere sibimet utrique defensionis solatia, quam confessionis elegerunt: C cumque excusare peccatum voluit vir per mulierem, mulier per serpentem, auxerunt culpam, quam tueri conati sunt: oblique Adam dominum tangens, quod ipse peccati eorum auctor exstiterit, qui mulierem fecit: Eva culpam ad Dominum referens, qui serpentem in paradiso posuit. Qui enim ore diaboli fallentis audierant, Ibid. v. 5. *Eritis sicut dii*, quia esse similes in divinitate nequiverunt, ad erroris sui cumulum Dominum sibi facere similem in culpa conati sunt. Sic ergo reatum suum, dum defendere moliuntur, addiderunt: ut culpa eorum atrocior discussa fieret, quam fuerat perpetrata. Unde nunc quoque humani generis rami ex hac adhuc radice amaritudinem trahunt, & cum de vitio suo quisque arguitur, sub defensionum verba quasi sub quædam se arborum folia ab- D scondit: & velut ad quædam excusationis suæ opaca secreta faciem Conditoris fugit, dum non vult cognosci quod fecit. In qua videlicet occultatione non se Domino, sed Dominum abscondit sibi. Agit quippe ne omnia videntem videat, non autem ne ipse videatur. Quo contra cuique peccatori jam exordium illuminationis est humilitas confessionis: quia sibimetipsi jam parcere renuit, qui malum non erubescit confiteri quod fecit; & qui defendendo accusare potuit, accusando se celerrime defendit. Unde & mortuo Lazaro qui mole magna premebatur, Johan. 11.43. nequaquam dicitur, revivisce, sed, *Veni foras*. Ex qua scilicet resurrectione, quæ gesta in illius est corpore, signatur qualiter nos resuscitemur in corde, cum videlicet mortuo dicitur: *Veni foras*, E ut nimirum homo in peccato suo mortuus, & mole malæ consuetudinis jam sepultus, quia intra conscientiam suam absconsus jacet per nequitiam, a seipso foras exeat per confessionem. Mortuo enim, *Veni foras*, dicitur, ut ab excusatione b atque occultatione peccati, [b] ad accusationem suam A ore proprio exire provocetur. Unde David Propheta ab illa tanti morte facinoris reviviscens, ad vocem Domini quasi foras exiit, dum per Nathan correptus, quod fecerat, accusavit.

CAPUT XXIV.

Pectore & ventre repes. Gen. 3.14.

Num. 5. DUm de virulentis callidi persuasoris operationibus tractaretur, in expos. B. Job, lib. 21. adjunctum est: *Pectore, & ventre repes.* MALUM luxuriæ aut cogitatione perpetratur, aut opere. Callidus namque adversarius noster cum ab effectu operis expellitur, secreta polluere B cogitationibus molitur. Unde & serpenti a Domino dicitur: *Pectore, & ventre repes.* Serpens videlicet ventre repit, quando hostis lubricus per humana membra sibimet subdita usque ad expletionem operis luxuriam exercet. Serpens autem repit pectore, quando eos, quos in opere luxuriæ non valet pertrahere, polluit in cogitatione. Alius itaque luxuriam jam perpetrat actione: huic serpens repit ex ventre. Alius autem perpetrandam versat in mente: huic serpens repit ex pectore. Sed quia per cogitationem ad opera explenda pervenitur, recte serpens prius pectore, & postmodum repere ventre describitur.

CAPUT XXV.

C *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius. [c] Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Gen. 3.15. c

CUm de præcavendis inimici suggestionibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 1. adjunctum est: *Inimicitias ponam inter te, &c.* CAPUT serpentis conterere, Num. 53. est initium suggestionis ejus aspicere, & manu sollicitæ considerationis a cordis aditu funditus extirpare. Qui tamen cum ab initio deprehenditur, percutere calcaneum molitur: quia etsi suggestione prima intentionem non percutit, decipere in finem tendit. Si autem semel cor in intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas, & D terminus ab hoste callido secure possidetur: quoniam totam sibi arborem fructus ferre conspicit, quam veneni dente in radice vitiavit.

CAPUT XXVI.

Maledicta terra in opere tuo. Gen. 3. 17.

DUm de maledicti distinctione tractaretur, in expos. B. Job, l. 4. adjunctum est: *Maledicta terra in opere tuo.* Num. 12. CUM maledictionis jaculum divina vox gravi instruat ultione plectendum, ita ut regni quoque cælestis aditum claudat, quid est quod nunc peccanti homini in terræ maledictione, divina voce hoc, quod homo facere prohibetur, infertur? E Sed sciendum est quod Scriptura sacra duobus modis maledictum memorat: aliud videlicet quod approbat, aliud quod damnat. Aliter enim maledictum profertur judicio justitiæ, aliter livore vindictæ. Maledictum quippe judicio justitiæ, ipso primo homine peccante prolatum est, cum audivit: *Maledicta terra in opere tuo*: Maledictum justi- Gen 12.3. tiæ

a In Gemet. ac Ulc. *abisset*.
b Corrupte in edit. *ad excusationem suam*, &c.
c Ita mss. omnes, non, *ipsum conteret*, scilicet *semen*. Ergo non fraude Neotericorum immaculatæ Deiparæ conceptioni faventium irrepsit, *ipsa conteret*, scilicet *mulier*; quod clamant nonnulli critici.

Gen. 12. 3. tiæ judicio profertur, cum ad Abraham dicitur: A *Maledicam maledicentibus tibi*. Rursum quia maledictum non judicio justitiæ, sed livore vindictæ promittitur, voce Pauli prædicantis admonemur, qui ait: *Benedicite, & nolite maledicere*. Et rursus Veritas dicit: *Neque maledici regnum Dei possidebunt*. Deus ergo maledicere dicitur; & tamen maledicere homo prohibetur: quia quod homo agit malitia vindictæ, Deus non facit nisi examine & virtute justitiæ. Nam & sancti viri cum maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, sed ex justitiæ examine erumpunt. Intus enim subtile Dei judicium aspiciunt, & mala foras exurgentia, quia maledicto debeant feriri, cognoscunt; & eo in maledicto non peccant, quo ab interno judicio non discordant. B Hinc est, quod Petrus in offerentem sibi pecunias Simonem, sententiam maledictionis intorsit, dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditione*. Qui enim non ait, est, sed sit; non indicativo, sed optativo modo se hæc dixisse signavit. Hinc Elias duobus quinquagenariis ad se venientibus dixit: *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & consumat vos*. Quorum utrorumque sententia [a] quanta veritatis ratione convaluit; terminus causæ monstravit. Nam & Simon æterna perditione interiit, & duos quinquagenarios desuper veniens flamma consumsit. Virtus ergo subsequens testificatur, qua mente maledictionis sententia promitur. Cum enim & maledicentis [b] innocentia permanet, & tamen eum qui maledicitur usque ad interitum maledictio absorbet, ex fine utriusque patris colligitur, quia ab uno & intimo judice in reum [c] sententia sumta jaculatur.

(Marginal references: Rom. 12. 14; 1. Cor. 6. 10; Act. 8. 20; 4. Reg. 1. 10.)

CAPUT XXVII.

Gen. 3. 19. *Terra es, & in terram ibis.*

Num. 4. CUM de immortalitate primi hominis, ejusdemque lapsu tractaretur; in exposit. B. Job, lib. 25. adjunctum est: *Terra es, & in terram ibis*. PRIMUS homo ita conditus fuit, ut manente illo decederent tempora, ne cum temporibus ipse transiret. Stabat enim momentis decurrentibus, quia nequaquam ad vitæ terminum per dierum incrementa tendebat: stabat tanto robustius, quanto semper stanti arctius inhærebat. At ubi vetitum contigit, mox offenso Creatore cœpit ire cum tempore; unde & ei dictum est: *Terra es, & in terram ibis*. Statu videlicet immortalitatis amisso, cursus eum mortalitatis absorbuit: & dum juventute ad senium, senio traheretur ad mortem, transeundo didicit, stando quid fuit. Cujus quia de propagine nascimur, radicis amaritudinem, quasi in virgulto retinemus. Nam quia ex illo originem ducimus, ejus cursum nascendo fortimur: ut eo ipso quotidiano momento, quo vivimus incessanter a vita transeamus, & vivendi nobis spatium unde crescere creditur, [d] inde decrescat. Quia dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad juventutem, juventus ad senectutem, senectus transit ad mortem, in cursu vitæ præsentis, ipsis [e] suis augmentis ad detrimenta impellitur, & inde semper deficit, unde se proficere in spatium vitæ credit. Fixum etenim statum hic habere non possumus, ubi transituri venimus: atque hoc ipsum nostrum vivere, quotidie a vita transire est. Quem videlicet lapsum primus homo ante culpam habere non potuit, quia tempora eo stante transibant. Sed postquam deliquit, in quodam se quasi lubrico temporalitatis posuit, & quia cibum comedit vetitum, status sui protinus invenit defectum.

CAPUT XXVIII.

Gen. 3. 24. *Collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem.*

Num. 13. DUm de reparatione paradisi per Mediatoris adventum tractaretur, in expos. B. Job, l. 12. adjunctum est: *Collocavit ante paradisum, &c.* QUIA ante adventum Mediatoris Dei & hominis, omnis homo, quamvis mundæ probatæque vitæ fuerit, ad inferni claustra descendit, dubium non est: quoniam homo qui per se cecidit, per se ad paradisi requiem redire non potuit, nisi veniret ille, qui suæ incarnationis mysterio, ejusdem nobis paradisi iter aperiret. Unde & post culpam hominis ad paradisi aditum romphæa flammea posita esse memoratur, quæ & versatilis dicitur, pro eo quod quandoque veniret tempus ut etiam removeri potuisset.

CAPUT XXIX.

Gen. 4. 4. C *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ad Cain vero, & ad munera ejus non respexit.*

Num. 27. in fine & n. 28. CUm de exhibenda cordis munditia tractaretur, in expos. B. Job, l. 22. adjunctum est: *Respexit Dominus, &c.* Ab omnipotente Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia profertur. Mundari etenim debet prius animus, qui munus offerre vult Deo: quia omne quod datur Deo, ex dantis mente pensatur. Cuncta itaque malitiæ macula ab interiori nostro homine cogitationis immutatione tergenda est, quia iram judicis placare nescit oblatio, nisi ex munditia placeat offerentis. Unde scriptum est: *Respexit Deus ad Abel, & ad munera ejus; ad Cain autem & ad munera illius* D *non respexit*. Neque etenim sacrum eloquium dicit, respexit ad munera Abel, & ad Cain munera non respexit, sed prius ait: *Quia respexit ad Abel*, ac deinde subjunxit, *& ad munera ejus*. Et rursum dicit, *quia non respexit ad Cain*, ac deinde subdidit, *nec ad munera ejus*: Ex dantis quippe corde id quod datur accipitur. Idcirco non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt. Prius namque ad eum legitur Dominus respexisse qui dabat, quam ad illa quæ dabantur: ut audito scilicet narrationis hujus ordine, discamus quia exteriora munera, ex interna cordis munditia condiuntur; & discretionis virtus lectorum doceat, qualis apud se esse debeat: cum exteriora bona non solum Deo, sed etiam proximis subministrat. E

CAPUT XXX.

Gen. 4. 7. 8. *In foribus peccatum tuum aderit, sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.*

Num. 36. DUm de refrenando illicito cordis appetitu tractaretur, in expos. B. Job, l. 4. adjunctum est: *In fori-*

a Excusi, invitis mss. *quanta severitatis*.
b Utic. *ignoscentia permanet*.
c Vulgat. sacerdotis, *sententiam sumta jaculatur*.
d Utic. *inde decrescimus*.
e Gemet. & Utic. *ipsis suis senectus augmentis*.

foribus, &c. IN foribus peccatum adest, cum in A cogitationibus pulsat. Cujus appetitus subter est, eique homo dominatur, si cordis nequitia inspecta citius premitur, & priusquam ad duritiam crescat, reluctanti menti subigatur.

CAPUT XXXI.

Gen. 4. 7. juxta Septuag. *Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti.*

Num. 23. & 24. DUm de discretione in bonis operibus habenda tractaretur, in expos. B. Job, l. 3. adjunctum est: *Si recte offeras, &c.* RECTE offertur cum recte intentione quid agitur; sed recte non dividitur si non hoc quod pie agitur, etiam subtiliter discernatur. Oblata enim recte dividere est, quælibet bona nostra studia sollicite discernendo pensare; quo nimirum qui agere dissimulat, etiam recte offerens peccat. Sæpe namque & quod bono studio gerimus, dum discernere caute negligimus, quo judicetur fine, nescimus. Et nonnumquam hoc fit reatus criminis, quod putatur causa virtutis. Recte ergo offerimus, cum bono studio bonum opus agimus; sed non recte dividimus, si habere discretionem in bono opere postponamus.

CAPUT XXXII.

Gen 4. 17. *Cain primum filium Enoch vocat, atque ex ejus nomine civitatem quam condidit, appellat.*

Num. 92. CUm de cavenda vitæ præsentis gloria tractaretur, in expos. B. Job, l. 8. adjunctum est: JUSTI viri quanto in cælestibus per contemplationis radicem inhærere desiderant, tanto in terra ædificare refugiunt, ubi se peregrinos & hospites noverunt, Paulo attestante, qui ait: *Nostra autem conversatio in cælis est.* Et iterum: *Vos autem ædificationem habemus, domum non manufactam æternam in cælis.*

Philip. 3. 20. 2. Cor. 5. 1.

Quia enim sancti viri in propriis gaudere desiderant, esse in alieno felices recusant. Injusti autem quanto longius ab æternæ patriæ hereditate divisi sunt; tanto in terra altius fundamenta cogitationis figunt. Hinc est quod ab ipso humanæ conditionis exordio in electa prole, Enoch septimus nascitur. Hinc est quod Cain primum filium Enoch vocat, D atque ex ejus nomine civitatem, quam condidit, appellat. Enoc quippe, *dedicatio* dicitur. Iniqui ergo se in primordiis dedicant; quia in hac vita quod ante est, cordis radicem plantant, ut his ad votum floreant, & a sequenti patria arescant. Unde & econtra in electorum parte Enoch septimus oritur, quia eorum vitæ festa dedicatio in fine servatur.

Hebr. 11. 19. Hinc est, quod attestante Paulo; *Abraham in casulis habitat*: quia habentem fundamenta civitatem, quam supernus artifex construxit, expectat.

CAPUT XXXIII.

Item unde supra.

Num. 15. IN expos. beati Job, l. 16. INIQUI dum corde transire ad æterna negligunt, & cuncta præsentia fugitiva esse non intuentur, mentem in amorem vitæ præsentis figunt, & quasi longæ habitationi in ea sibi fundamentum construunt: quia in terrenis per desiderium solidantur. Unde & primus Cain civitatem construxisse describitur, ut aperte monstraretur, quia ipse in terra fundamentum posuit, qui a soliditate æternæ patriæ alienus fuit. A Peregrinus quippe a summis, fundamentum in infimis posuit, qui stationem cordis in terrena delectatione collocavit. Unde & in ejus stirpe Enoch, qui dedicatio interpretatur, primus nascitur: in electorum vero progenie Enoch septimus fuisse perhibetur. Quia videlicet reprobi in hac vita quæ ante est, semetipsos ædificando dedicant. Electi vero ædificationis suæ dedicationem in fine temporis, id est in septimo tempore, expectant. Videas namque plurimos temporalia sola cogitare, honores quærere, ambiendis rebus inhiare, nil post hanc vitam requirere. Quid itaque isti nisi in prima se generatione dedicant? Videas electos nil præsentis gloriæ quærere, libenter inopiam sustinere, mala mun- B di æquanimiter perpeti, ut possint in fine coronari. [a] Electis ergo Enoch in septima generatione nascitur: quia sui dedicationem gaudii in extremæ retributionis gloria requirunt.

CAPUT XXXIV.

Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Gen. 6. 6.

CUm de modo divini eloquii per assueta hominibus verba tractaretur; in expos. B. Job, l. 9. adjunctum est: *Videns Deus quod multa malitia hominum* Num. 12. C *esset in terra, &c.* QUID est quod omnipotens Deus, qui nulla mutabilitate humanæ conditionis astringitur, nec ei quod esse est, desit ex tempore, pœnituisse de sua conditione describitur, nisi quod plerumque in sacro eloquio sicut sapientes Dei sermonem trahunt a sapientibus seculi, sic nunc pro utilitate hominis vocem in se humanæ passionis ipse Conditor hominum sumit Deus, ut videlicet dicatur, *pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra?* Cum profecto constet, quia is qui cuncta priusquam veniant conspicit, nequaquam postquam aliquid fecerit pœnitendo resipiscit. Ut ergo mirum non est, si spirituales plerumque utantur verbis carnalium: sic neque si ipse sub se ineffabilis, & Creator omnium spiritus, ut ad intel- D lectum suum carnem pertrahat, in seipso carnis sermonem format.

CAPUT XXXV.

De arca diluvii, quæ ampla in inferioribus, & angusta in superioribus fuit. Gen. 6. 15.

CUm de reproborum multitudine specie tenus intra Ecclesiam positorum, & electorum paucitate tractaretur, in expos. Evang. homil. 38. adjunctum est: ARCA in undis diluvii, quæ hujus Ecclesiæ typum gessit, & ampla in inferioribus, & angusta in superioribus fuit. Quæ in summitate etiam sua ad unius mensuram cubiti excrevit. In- E ferius quippe quadrupedia atque reptilia, superius vero aves, & homines habuisse credenda est: ubi lata extitit, ubi bestias habuit; ubi angusta, ubi homines servavit: quia nimirum sancta Ecclesia in carnalibus ampla est, in spiritalibus angusta. Ubi enim bestiales hominum mores tolerat, illic latius sinum laxat. Ubi autem eos habet, qui spirituali ratione suffulti sunt, illic quidem ad summum ducitur. Sed tamen quia pauci sunt, angustatur. *Lata quippe via est, quæ ducit ad perditionem, & multi* Num. 8. Matth. 7. 13.

a In Gemet. ac Ultr. legitur, *Electis ergo*: in excusis mendose, *electio*. Sequimur Michael. qui mss. Moral. consentit.

ti sunt qui vadunt per eam. Et angusta porta est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam. Eo autem usque arca angustatur in summis, quousque ad mensuram unius cubiti perducatur: quia in sancta Ecclesia quanto sanctiores quique sunt, tanto pauciores. Quæ in summo ad illum perducitur, qui solus homo in hominibus, & sine ullius comparatione natus est sanctus. Qui juxta Psalmistæ vocem: *Factus est sicut passer unicus in ædificio.* Psal. 101. 8. Tanto ergo magis mali tolerandi sunt, quanto etiam plus abundant: quia & in areæ tritura pauca sunt grana quæ servantur horreis, & grandes acervi palearum, qui ignibus comburuntur.

CAPUT XXXVI.

Item unde supra.

IN Commentario Ezechielis, homil. 4. ultimæ partis. ARCA quæ trecentis cubitis fieri in longitudine jussa est, [a] quinquaginta vero in latitudine, triginta autem in altitudine, in uno est cubito consummata. Quid enim per arcam, nisi sancta Ecclesia figuratur? Quæ inferius ampla est, superius angusta, quæ & ccc. & xxx. ac l. cubitis ad unum cubitum colligitur, quia ab ea latitudine quam sancta Ecclesia in membris suis adhuc infirmantibus habet, paulisper angustata, in altum proficiens ad unum tendit. Ipsa enim ratio exigit ut credamus quod in illa arcæ latitudine omnes bestiæ, cunctaque quadrupedia atque reptilia in inferioribus fuerunt: homo vero atque volatilia nimirum in superioribus: juxta superiorem etenim partem fenestra fuit in latere, de qua corvum & columbam dimisit homo, ut si jam diluvii transisset aqua, cognosceret. Et quia arca eadem in uno fuit cubito consummata, homo & volatilia juxta cubitum fuerunt. Recte itaque per arcam universa Ecclesia designatur, quæ adhuc in multis suis carnalibus lata est, in paucis spiritualibus angusta, & quia ad unum hominem, qui est sine peccato, colligitur, quasi in uno cubito consummatur. Videmus etenim multos intra ejusdem sanctæ Ecclesiæ sinum in superbia erigi, in carnis voluptatibus dissolvi, acquirendis terrenis rebus inhiare, imperante avaritia maria transire, deservire iracundiæ, jurgiis vacare; proximos, quos prævalent, lædere: sed quia eos adhuc sancta Ecclesia tolerat, ut convertantur, quasi in arcæ latitudine deorsum bestiæ morantur. Videmus alios jam aliena non quærere, illatam injuriam æquanimiter portare, rebus propriis esse contentos, humiliter vivere: sed quia isti jam pauci sunt, angustatur arca. Alios autem conspicimus etiam possessa relinquere, nullum terrenis rebus studium dare, inimicos diligere, carnem a cunctis voluptatibus domare, motus omnes sub rationis judicio premere, per cæleste desiderium contemplationis [b] penna sublevari. Sed quia tales quique valde sunt rari, jam juxta cubitum ducitur, ubi homines & volatilia continentur. Quæratur tamen si quis in eis esse valeat sine peccato, & nullus invenitur: Quis itaque homo sine peccato est, nisi ille qui in peccatis conceptus non est? In uno ergo cubito consummatur arca: quia unus est auctor, & Redemptor sanctæ Ecclesiæ sine peccato, ad quem & per quem omnes proficiunt, qui se esse peccatores noverunt.

Num 16.

CAPUT XXXVII.

Sensus enim & cogitationes humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Gen. 8. 21.

DUm de reprimenda ex bonis operibus gloria tractaretur, in expos. B. Job, l. 28. adjunctum est: CORRUPTIONIS malum quod unusquisque nostrum ab ortu desideriorum carnalium sumpsit, in provectu ætatis exercet. Et nisi hoc citius divinæ formidinis manus reprimat, omne conditæ naturæ bonum repente culpa in profundum vorat. Nemo igitur sibi cogitationum suarum victoriam tribuat, cum Apostolus dicat: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Num. 45. 1. Cor. 3 8.

CAPUT XXXVIII.

Crescite, & multiplicamini, & implete terram, & terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ. Gen. 9. 1.

CUm de servanda doctoribus secreta qualitate cum subditis tractaretur, in expositione B. Job, lib. 21. adjunctum est: *Crescite, &c.* POTENTIBUS viris magna est virtus humilitatis, considerata æqualitas conditionis. Omnes namque homines natura æquales sumus, sed accessit dispensatorio ordine, ut quibusdam prælati videamur. Si igitur hoc a mente deprimimus, quod temporaliter accessit, invenimus citius quod naturaliter sumus. Plerumque enim se animo accepta potestas objicit, eumque tumidis cogitationibus fallit. Manu ergo humillimæ considerationis deprimendus est tumor elationis. Si enim apud semetipsam mens descendit de vertice culminis, citius planitiem invenit naturalis æqualitatis. Nam ut præfati sumus, omnes homines natura æquales genuit; sed variante meritorum ordine alios aliis occulta dispensatio postponit. Ipsa autem diversitas quæ accessit ex vitio, recte est divinis judiciis ordinata: ut quia omnis homo iter vitæ æque non graditur, alter ab altero regatur. Sancti autem viri cum præsunt, non in se potestatem ordinis, sed æqualitatem conditionis attendunt; nec præesse gaudent hominibus, sed prodesse. Sciunt enim, quod antiqui patres nostri non tam reges hominum, quam pastores pecorum fuisse memorantur. Unde & cum Noe Dominus filiisque ejus post diluvium diceret: *Crescite, & multiplicamini,* subdidit: *Et terror vester, & tremor sit super cuncta animalia terræ.* Homo quippe animalibus irrationabilibus, non autem natura ceteris omnibus prælatus est; & idcirco ei dicitur ut ab animalibus, & non ab homine timeatur, quia contra naturam superbire est, ab æquali velle timeri. Cuncti ergo qui præsunt, non in se potestatem debent ordinis, sed æqualitatem pensare conditionis. Nam sic, ut diximus, antiqui patres nostri pastores pecorum, & non reges hominum fuisse memorantur. Et tamen necesse est, ut rectores a subditis timeantur, quando ab eis Deum minime timeri deprehendunt: ut humana saltem formidine peccare metuant, qui divina judicia non formidant. Nequaquam namque præpositi ex hoc quæsito timore superbiunt, in quo non suam gloriam, sed subditorum justitiam quærunt. In eo autem quod metum sibi a perverse viventibus exigitur, quasi non homi-

Num. 22. & 23. Et Reg. Past. p. 2. cap. 6.

a Vitiosissime in excusis *sexaginta vero.* Quod sine contra sacræ Scripturæ testimonium pugnat.

b Excusi, *pennas sublevare.*

hominibus, sed animalibus dominantur, quia videlicet ex qua parte bestiales sunt subditi, ex ea debent etiam formidini jacere substrati.

CAPUT XXXIX.

Gen. 9. 13. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.*

CUm de significatione divinæ pollicitationis post diluvium tractaretur, in commentariis Ezechielis lib. 1. homil. 8. adjunctum est : *Arcum meum* Num. 10 *ponam in nubibus, &c.* [a] ARCUM omnipotens Deus inter se atque homines in signo posuit, ut ultra mundum diluvio non deleret. Unde & in arcu eodem color aquæ & ignis simul ostenditur : quia ex B parte est cæruleus, & ex parte rubicundus, ut utriusque judicii testis sit : unius videlicet facti, & alterius faciendi ; id est, quia mundus judicii igne cremabitur, nam aqua diluvii non delebitur.

CAPUT XL.

Gen. 9. 23. *De Noe inebriato, cujus nudata verecunda boni filii aversi veniendo texerunt.*

CUm de præpositorum reverentia custodienda a subditis tractaretur, in expos. B. Job, lib. 25. Num. 37. adjunctum est : AVERSARI dicimur, quod reprobamus. Quid est ergo quod filii verecunda patris superjecto dorsis pallio aversi venientes operiunt : nisi quod bonis subditis sic præpositorum C suorum mala displicent, ut tamen hæc ab aliis occultent? Operimentum aversi deferunt, quia dijudicantes factum, & venerantes magisterium, nolunt videre quod tegunt.

CAPUT XLI.

Gen. 9. 25. *Maledictus Chanaam puer, servus erit fratrum suorum.*

CUm de maledictionum distinctionibus tractaretur, in expos. B. Job, lib. 26. adjunctum Num. 37. est : *Maledictus Chanaam puer, &c.* NEQUAQUAM severitas inulta remanere peccata permittit, sed ira judicii a nostra hic correptione inchoat, ut in reproborum damnatione conquiescat, sicut scri- D 1. Pet. 4. 17. ptum est : *Tempus est ut judicium incipiat de domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio?* Eant ergo nunc reprobi, & voluptatum suarum desideria inulta iniquitate consumment ; atque eo temporalia flagella non sentiant, quo æterna eos supplicia expectant. Bene autem eorum inulta nequitia Cham peccante signata est, cui a patre dicitur : *Maledictus Chanaam puer ; servus erit fratribus suis.* Chanaam videlicet Cham filius fuit. Et quid est quod, Cham peccante, Chanaam ejus filius sententiam ultionis accipit? Quid est quod non in se, sed in posteritate percutitur, nisi quod reproborum nequitiæ E hic quidem inultæ proficiunt, sed in posterum feriuntur?

CAPUT XLII.

Gen. 11. 7. *Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.*

CUM de modo divini eloquii tractaretur, in ex- Num. 9. pos. B. Job, lib. 2. adjunctum est : DICITUR A eis [b] qui adhærent, *Venite* : quia nimirum hoc ipsum numquam a divina contemplatione decrescere, in divina contemplatione semper adcrescere est : & numquam a corde recedere, quasi quodam stabili motu est semper venire. Quibus & dicit : *Descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Ascendunt Angeli in eo quod Creatorem conspiciunt : descendunt Angeli in eo quod creaturam sa se in illicitis erigentem examine districtionis premunt. Dicere ergo Dei est, *Descendamus, & confundamus ibi linguam eorum*, in seipsis hoc quod recte agatur ostendere, per vim internæ visionis, eorum mentibus exhibenda judicia [c] occultis motibus inspirare.

CAPUT XLIII.

Gen. 15. 11. *Abraham, dum ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aves perculit, quas & abigebat.*

DUm de cavendis superfluis cogitationibus tractaretur, in expos. B. Job, lib. 16. adjunctum est *Abraham, dum ad occasum solis sacrifi-* Num. 51. *cium offerret, &c.* SÆPE corda justorum subortæ cogitationes polluunt, & terrenarum rerum delectationibus tangunt. Sed dum citius manu sanctæ discretionis abiguntur, festine agitur, ne cordis faciem caligo tentationis operiat, quæ hanc jam ex illicita delectationa tangebat. Nam sæpe C in ipso rationis nostræ sacrificio importune se cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere vel maculare valeant, quod in nobis Deo flentes immolamus. Unde & Abraham cum ad occasum solis sacrificium offerret, & insistentes aves perculit, quas studiose, ne oblatum sacrificium raperent, abegit. Sic nos dum in ara cordis holocaustum Deo offerimus, ab immundis his volucribus custodimus, ne maligni spiritus & perversæ cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Deo utiliter sperat.

CAPUT XLIV.

Gen. 18. 2. *Quod Abraham tribus viris Angelis occurrisse se memoratur, quibus ipse venientibus extra ostium occurrit, Sara vero post ostium stetit.*

DUm de censura spiritus qualiter cura carnis postponenda sit tractaretur, in expos. B. Job, l. 9. adjunctum est : DISCRETIONE ma- Num. 106. gni moderaminis cura carnis refrenanda est, ut serviat, & minime principetur, ne quasi domina animum vincat, sed subacta dominio, quasi ancillæ famuletur : ut jussa adsit, atque ad nutum cordis repulsa dissiliat ; ut vix a tergo sanctæ cogitationis appareat, & numquam contra faciem recta cogitantis obsistat. Quod bene nobis histo- E ria sacræ lectionis innuitur, cum Abraham tribus Angelis occurrisse memoratur. Ipse quippe venientibus extra ostium occurrit : Sara vero post ostium substitit. Quid ergo per hunc nobis Abrahæ occursum innuitur, nisi quod videlicet ut vir ac dominus domus spiritualis, noster scilicet intellectus, debet in cogitatione Trinitatis claustra carnis excedere, & quasi habitationis infimæ januam exire? Cura autem carnis ut femina non appareat, & videri jactanter erubescat : ut quasi post tergum viri sub discretione spi-

a Ista in al. ed. in loco assignato minime leguntur, sed sunt in homilia indicata.
b Ita mss. nostri ; at in excusis, *qui oderant*. Lectio nostra in loco Moralium assignato reperitur.
c Corrupte excusi, *oculeis mentibus*.

spiritus solis necessariis intenta, nequaquam sciat procaciter detegi, sed verecunde moderari. Cum tamen sæpe eum dicitur ut de se minime præsumat, & totam se in divinæ spei fiduciam transferat, despicit; &, cessante studio, adesse sibi vitæ subsidia posse diffidit. Unde & hæc eadem Sara promissiones Dei audiens ridet, sed ridens corripitur, correpta autem protinus fecundatur. Et quæ in juventute vigens fecundari non potuit, [a] annis fracta senilibus utero marcescente concepit: quia cum cura carnis, sui confidentiam habere desierit, contra spem ex divina promissione accipit, quod habere a se ex humana ratione dubitavit. Unde bene Isaac, id est risus dicitur, qui generatur; quia cum supernæ spei fiduciam concipit, quid mens nostra aliud quam gaudium parit?

CAPUT XLV.

Gen. 18. 16. *De tribus viris Sodomam pergentibus ab Abraham susceptis.*

Num. 7. CUm de modo divini colloquii per angelica officia ministrandi tractaretur, in expos. B. Job, lib. 28. adjunctum est: ALIQUANDO imaginibus ante corporeos oculos ad tempus ex aere assumtis per Angelos loquitur Deus, sicut Abraham non solum tres viros videre potuit, sed etiam habitaculo terreno suscipere: & non solum suscipere, sed eorum usibus etiam cibos adhibere. Nisi enim Angeli quædam nobis in terra nunitates, ad tempus ex aere corpus assumerent: exterioribus profecto nostris obtutibus non apparerent, nec cibos cum Abraham sumerent: nisi propter nos solidum aliquid ex cælesti elemento gestarent. Nec mirum quod illi ipsi qui suscepti sunt, modo Angeli, modo Dominus vocatur: quia Angelorum vocabulo exprimuntur, qui exterius ministrabant, & appellatione Domini ostenditur, qui eis interius præerat: ut per hoc præsidentis imperium, & per illud clarescerer officium ministrandi.

CAPUT XLVI.

Gen. 18. 20. 21. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum nimis: descendam, & videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.*

Num. 46. DUm de cavenda ex non approbatis rebus credulitate tractaretur, in expos. B. Job, lib. 19. adjunctum est: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, &c.* PECATUM cum voce, est culpa in actione: peccatum vero etiam cum clamore, est culpa cum libertate. Sed quid hoc exemplo nisi nos admonemur, ne ad proferendam sententiam umquam præcipites esse debeamus, ne temere indiscussa judicemus? Nec quælibet mala audita nos moveant, nec passim dicta sine probatione credamus. Quod profecto perpetrare pertimescimus, si auctoris nostri subtilius facta pensemus. Ipse quippe, ut nos a præcipitata sententiæ prolatione compesceret, cum omnia nuda, & aperta sint oculis ejus; mala tamen Sodomæ noluit audita judicare, qui ait: *Descendam & videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.* Omnipotens itaque Dominus & omnia sciens, cur ante probationem, quasi dubitat, nisi ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere, quam probare? Et ecce per Angelos ad cognoscenda mala descendit, moxque facinorosos percutit, atque ille patiens, ille mitis, ille de quo scriptum est: *Tu autem, Domine, cum tranquillitate judicas*, ille de quo rursum scriptum est: *Dominus patiens est redditor*, in tanto crimine involutos inveniens, quasi patientiam prætermisit, & diem extremi judicii expectare ad vindictam noluit, sed eos igne judicii ante judicii diem prævenit. Ecce malum quod cum difficultate credidit cum audivit, & tamen sine tarditate percussit, cum verum cognoscendo reperit: ut nobis videlicet daret exemplum, quod majora crimina, & tarde credenda sunt cum audiuntur, & citius punienda cum veraciter agnoscuntur.

Sap. 12. 18. Eccli. 5. 4.

Loquar [b] ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis. Gen. 18. 27

Sancti omnes quando in Dei visione proficiunt; quando magis divinitatis interna conspiciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt. Nusquam quippe legitur, quod Abraham cinerem & pulverem se esse professus est, nisi cum habere Dei meruit collocutionem, dicens: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, & cinis:* Esse enim se aliquem fortasse crederet, si veracem essentiam, quæ super ipsum est, minime sensisset. At vero ubi ad incommutabile contemplandam super se raptus est, impletus [c] tantæ contemplationis potentia, dum videret illum, nihil se esse nisi pulverem, vidit. Unde & Propheta repletus eadem sapientia exclamavit, dicens: *Memento, Domine, quod pulvis sumus.* Gen. 18. 27. Psal. 104. 14.

CAPUT XLVII.

Gen. 18. 27. *Loquar ad Dominum, cum sim pulvis & cinis.*

Num. 40. IN expositione Job libro decimo. SUNT nonnulli quos sensus per tumorem non elevat, sed misericordiæ opera exsltant. Et sunt nonnulli, qui dum se terrenis opibus abundare conspiciunt, veras Dei divitias non requirunt, atque æternam patriam non amant: quia hoc sibi sufficere, quod rebus temporalibus fulciuntur, putant. Non est ergo census in crimine, sed affectus. Cuncta enim quæ Deus condidit bona sunt, sed qui bonis male utitur, profecto agit ut quasi per edacitatis ingluviem, eo per quem vivere debuit pane, moriatur. Pauper ad requiem Lazarus venerat, superbum vero divitem tormenta cruciabant: sed tamen dives Abraham fuerat, qui in sinu Lazarum tenebat. Qui tamen auctori colloquens, dicit: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis.* Quid itaque iste divitias suas æstimare noverat, qui semetipsum pulverem cineremque pensabat? Aut quando hunc res possessæ extollerent, qui de se quoque earum videlicet possessore, tam abjecta sentiret? Aperte enim cernimus in quo loco se posuerat, qui pulverem se ac cinerem, etiam cum Deo loqueretur, æstimabat. Si igitur ita se despicit qui usque ad honorem divinæ collocutionis ascendit, sollicita intentione pensandum est, qua pœna illi feriendi sunt, qui & ad summa non proficiunt, & tamen de minimis extolluntur.

a Excusi, contradicentibus mss. *annis facta senilibus*, &c.
b Hæc proculdubio caput aliud inchoare debent. In excusis tamen & in mss. nostris eadem serie leguntur.
c Editi mendose, *Ju, e se captus*.

CAPUT XLVIII.

Gen. 19. 9. *Vim faciebant Loth vehementissime, & jam proximum erat ut frangerent fores: & miserunt manum viri, & introduxerunt ad se Loth, clauseruntque ostium, & eos qui erant foris percussere cæcitate a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent.*

Num. 38. CUm de electorum innocentia contra pravorum insidias munita tractaretur, in expos. B. Job, lib. 6. adjunctum est: *Vim faciebant Loth vehementissime, &c.* QUID est quod malis adversantibus intra domum Loth reducitur & munitur, nisi quod justus quisque dum pravorum insidias sustinet, ad mentem revertitur, & imperterritus manet? Sodomitæ autem viri in domo Loth invenire ostium nequeunt: quia corruptores mentium contra vitam justi nullum accusationis aditum deprehendunt. Percussi enim cæcitate, quasi domum circumeunt, qui, invidentes, facta dictaque perscrutantur. Sed quia eis de vita justi fortis undique ac laudabilis actio obviat; errantes nil aliud quam parietem palpant.

CAPUT XLIX.

Gen. 19. 20. 30. *Et Lot ardentem Sodomam fugiens, sed tamen Segor inveniens, nequaquam mox montana conscendit.*

Adm. 28. cap. 27. DUm de continentium celsitudine, & conjugatorum venia tractaretur, in cod. Regulæ Pastor. 3. part. adjunctum est: *Et Loth ardentem Sodomam fugiens, &c.* ARDENTEM Sodomam fugere est, illicita carnis incendia declinare: altitudo vero montium, est munditia continentium. Vel certe quasi in monte sunt, qui etiam carnali copulæ inhærent: sed tamen extra suscipiendæ prolis admixtionem debitam nulla carnis voluptate solvuntur. [a] In monte quippe stare est, fructum propaginis in carne non quærere: in monte stare est, carni carnaliter non adhærere. Sed quia multi sunt qui scelera quidem carnis deserunt, nec tamen in conjugio positi, usus solummodo debiti jura conservant; exiit quidem Loth Sodoma, sed tamen mox ad montana non pervenit: quia jam damnabilis vita relinquitur, sed adhuc celsitudo conjugalis continentiæ subtiliter non tenetur. Est vero in medio Segor civitas, quæ fugientem salvet & infirmum: quia videlicet cum sibi per incontinentiam miscentur conjuges, lapsus scelerum fugiunt, & tamen venia salvantur. Quasi parvam quippe civitatem inveniunt, in qua ab ignibus defendantur: quia conjugalis hæc vita, non quidem in virtutibus mira est, sed tamen a suppliciis secura. Unde idem Loth ad Angelum dicit: *Est civitas hic juxta, ad quam possum fugere, parva, & salvabor in ea. Numquid non modica est, & vivet in ea anima mea?* Juxta igitur dicitur, & tamen ad salutem tuta perhibetur: quia (Ibidem.) conjugalis vita nec a mundo longe divisa est, nec tamen a gaudio salutis aliena. Sed tunc in actione hac vitam suam conjuges, quasi in parva civitate custodiunt: quando pro se assiduis deprecationibus intercedunt. Unde recte per Angelum ad A eumdem Loth dicitur: *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem pro qua locutus es:* Gen. 19. 21. quia videlicet cum Deo deprecatio funditur, nequaquam talis conjugum vita damnatur. De qua deprecatione Paulus quoque admonet, dicens: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* 1. Cor. 7. 5.

CAPUT L.

Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem. Gen. 19. 24.

CUm de iniquorum in malis perseverantia tractaretur, in expos. B. Job, lib. 14. adjun- Num. 23. B ctum est: *Igitur Dominus, &c.* QUID in sulphure nisi fœtor carnis; & quid per ignem nisi ardor carnalis desiderii exprimitur? Cum ergo habitantium Sodomis vel Gomorrha, carnis scelera punire Dominus decrevisset, in ipsa qualitate ultionis, notavit maculam criminis. Sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem. Qui itaque ad perversa desideria ex carnis fœtore arserant, dignum fuit ut simul igne & sulphure perirent: quatenus ex justa pœna discerent, ex injusto desiderio quid fecissent.

CAPUT LI.

De Abrahæ conjuge in sepulcro duplici sepulta. Genes. 23. 19.

C CUm de activa contemplativaque vita tractaretur, in expositione B. Job, lib. 6. adjunctum est de Abrahæ conjuge. Num. 56. QUID nobis per Abrahæ duplex sepulcrum innuitur, nisi quod perfectus quisque prædicator extinctam a præsentis vitæ desideriis animam suam, sub bonæ operationis tegmine & contemplationis abscondit? Ut a carnali concupiscentia sub activa contemplativaque vita quasi insensibilis lateat, quæ prius mundi desideria sentiens, mortaliter vivebat. Unde & per egregium prædicatorem dicitur: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Coloss. 3. 3. Activa quippe vita sepulcrum est: quia a pravis nos operibus mortuos tegit. D Sed contemplativa perfectius sepelit: quia a cunctis mundi actionibus funditus dividit. Quisquis ergo jam in se contumelias carnis edomuit: superest ut mentem per studia sanctæ operationis exerceat. Et quisquis jam mentem per sancta opera dilatat: superest ut hanc usque ad intima contemplationis extendat. Neque enim perfectus prædicator est, qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit.

CAPUT LII.

[b] *Ad Rebeccam in Isaac conjugio deducendam puer mittitur.* Gen. 24. 9. b

E IN Expositione beati Job, lib. 2. AD Rebeccam in Isaac conjugio deducendam puer mittitur: Num. 50. Quia videlicet ad desponsandam Ecclesiam Domino, interposita prophetia famulatur.

CA-

a In Utic. & Gemet. hæc omittuntur. Leguntur iisdem verbis in Michael. Negativa tamen particula tollenda nobis videtur. In Reg. Past. legitur: *in monte stare est, nisi fructum propaginis in carne non quærere.*

b Hoc caput prætermittitur in Gemet. Utic. Michael. & mss. a nobis visis.

CAPUT LIII.

Gen. 24. 3 *Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum cœli & terræ ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum inter quos habito: sed ad terram, & ad cognationem meam proficiscaris, & inde accipias uxorem filio meo Isaac.*

CUm de mysteriis sacramenti ad Abraham per puerum, & requirendæ uxoris Isaac filio tractaretur, adjunctum est: *Pone manum tuam subter femur meum*, &c. [a] LIBET perstrictim quædam de Abrahæ & Isaac historia ad medium deducere; ut possimus in ipsis, quæ secundum allegoriam intelligenda sunt, apertius demonstrare. Abraham quippe puerum vocat, & subter femur ejus manum ponere præcipitur, ut sicut habet vetusta translatio, per Dominum Deum cœli jusjurandum præberet. Cui statim ne Isaac filio suo uxorem de filiabus Chananæorum accipiat, jubet; sed ut ad ejus cognationem pergat, atque inde ei uxorem deducat. Qui itaque ut præceptum est, manum sub femora posuit Abrahæ & juravit, atque ex bonis omnibus Domini sui tulit, & Mesopotamiam perrexit. Sive qui stans juxta fontem aquæ orando proposuit quod puella cui diceret: *Inclina hydriam tuam ut bibam, & illa responderit: Bibe, quin & camelis tuis dabo potum*; ipsa esset uxor Domini sui Isaac. Protinus Rebecca egreditur. Quæ puero aquam petenti respondit: Bibe, Domine mi. Et celeriter hydriam subter ulnam deposuit, potum dedit, quin etiam camelis aquam hausit & præbuit. Cui puer protinus inaures aureas appendentes siclos duos, & armillas pondus siclorum decem præbuit. Quæ requisita, & genus dixit, & quia in domo patris ejus esset locus spatiosus ad manendum, & quod palearum ac feni plurimum haberet indicavit. Cui Rebeccæ frater erat nomine Laban, qui festinus egressus est, & inaures, siclos atque armillas sororis videns, intus puerum vocavit, eique paleas & fenum dedit. Aquam ad lavandos pedes camelorum & virorum qui cum eo venerant præbuit. Panem in conspectu ejus apposuit: sed puer comedere recusat, nisi prius causam conjugii filio Domini sui obtineat. Qui mox ut causam obtinuit, prolatis vasis aureis & argenteis ac vestibus Rebeccæ munera auxit, fratribus autem & matri munera obtulit. Rebecca autem & puellæ illius ascensis camelis virum secutæ sunt, qui festinus ad Dominum suum reversus est. Eo autem tempore; Isaac deambulabat per viam quæ ducit ad puteum, cujus nomen est viventis & videntis. Habitabat vero in terra australi. Egressus fuerat ad meditandum in agro inclinata jam die. Sed mox ut Rebecca Isaac vidit, de camelo descendit, puerum requirit, dicens: Quis ille homo esset, qui per agrum veniret? Cui ille respondit: Ipse est Dominus meus. At illa tollens pallium, sese operuit: quam Isaac in tabernaculum Saræ matris introduxit, & accepit uxorem, atque in tantum dilexit, ut dolorem, qui ex morte matris accesserat, temperaret.

Quid est, quod Abraham puerum jubet sub femore suo manum imponere, & per cœli Dominum jurare: nisi quod illius caro per illud membrum descensura erat, qui & Abrahæ filius esset ex humanitate, & Dominus ex divinitate? Sic itaque puero dicitur: *Pone manum tuam sub femore meo, & jura per Deum cœli*. Ac si aperte diceret: Tange filium meum, & jura per Dominum meum. Unde nec super femur, sed sub femore manum ponere jubetur: quia ex illo femore ille descensurus erat, qui homo quidem, sed super homines veniret. Unde dignum non fuit, ut manum super femur poneret: quia nulla caro super illam carnem est, quam in redemptione nostra sibi Patris unigenitus univit. Quid est, quod Isaac dilecto filio uxor de filiabus Chananæorum duci prohibetur, nisi quod ille de quo scri-
A ptum est, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, nulli reprobæ animæ conjungitur? Matt. 3. 17.
De cognatione autem uxorem filio deducere servus præcipitur: quia sola sancta electorum Ecclesia, unigenito filio copulanda erat, quam ipse unigenitus ex prædestinatione jam, & præsentia extraneam non habebat. Quis vero est puer, qui ad deducendam uxorem mittitur, nisi Prophetarum ordo atque Apostolorum omniumque Doctorum? Qui dum verbum prædica-
B tionis bonis mentibus faciunt, ad unamquamque animam unigenito filio conjugendam, quasi provisores fiunt. Qui pergens secum de bonis omnibus Domini sui detulit: quia in his quæ de Domino loquuntur in semetipsis virtutum divitias ostendunt; & tanto citius ad sequendum Deum pertrahunt, quanto auditoribus suis in semetipsis monstrant, quod narrant. Atque idem puer juxta fontem stetit, atque ex præfixa sententia, quæ puella eligenda esset, proposuit, quia prædicatores sancti, sacri eloquii fluenta considerant, atque ex ipsis colligunt, quæ vel quibus prædicationis suæ verba committant, & ex qui-
C bus auditoribus fiduciam certitudinis sumant. Potum vero petiit, quia prædicator omnis animam sui auditoris sitit. Sed Rebecca potum præbuit, quia sancta electorum Ecclesia prædicatorum suorum desiderio ex virtute suæ fidei satisfecit. Quia enim Deum quem audivit confessa est, prædicatori suo aquam refectionis obtulit, ejusque animum refrigeravit. Et notandum quod hydriam ab humero in ulnas posuit, quia illa est placita confessio, quæ a bono opere procedit. Vel certe aquam præbuit, quia in eo quod credidit, vacua non remansit. Nam mox præ-
D dicare studuit quod audivit, & docendo, multos ex se prædicatores protulit. Aqua quippe in hydria est prædicationis scientia in mensura: quia sancta Ecclesia studet non plus sapere quam oportet; sed sapere ad sobrietatem. Et hydria aquæ in ulnis, est doctrina prædicationis in opere. Quæ non solum ejus comitibus, sed potum etiam camelis præbet: quia verbum vitæ non solum prudentibus, sed etiam stultis prædicat, juxta Pauli vocem dicentis: *Sapientibus & insipientibus debitor sum*. Vel certe aqua etiam jumentis datur, quando cura carnis quomodo sit habenda disponitur; & ex voluptate impendi
E non debeat, & tamen in necessitatibus non negetur, sicut scriptum est: *Carnis curam ne feceritis in desideriis*. Qui enim hanc in desideriis fieri prohibet, proculdubio in necessitate concedit, juxta hoc quod rursus dicitur: *Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam*. Puer autem Rebeccæ inaures & armillas dedit: quia prædicator quisque & auditum sanctæ Ecclesiæ per obedientiam, & manus per bonæ operationis meritum.

Ibid. v. 4. — Rom. 12. 3. — Rom. 1. 14. — Rom. 13. 14. — Ephes. 5. 29.

a Quæ sequuntur nullibi reperiuntur apud Gregorium. Hinc in mss. Michael. Gemet. & Utic. &c. non indicatur unde hæc sint sumpta. Gregorianum tamen stylum sapiunt.

ritum exornat. Sed inaures duorum siclorum sunt, armillæ autem siclorum decem: quia prima virtus obedientiæ, in caritate est; quæ videlicet caritas in duobus præceptis distinguitur, ut Deus & proximus diligatur. Et recta operatio ex decalogi completione perficitur, ut cum bona agi cœperint, mala jam nulla perpetrentur. Rebecca autem cum esset in domo patris sui, locum spatiosum ad manendum perhibuit: quia priori jam populo naturæ legem sancta Ecclesia se scisse monstravit, & prædicationis verba in amplo caritatis gremio suscepit. Doctori enim spatiosus ad manendum locus est in auditoris corde latitudo bonitatis. Unde & quibusdam dicitur: [2. Cor. 7. 2. Ibid. 6.] *Capite nos: neminem læsimus, neminem corrupimus. Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris.* Ac si eis aperte diceretur: Ad suscipiendam doctrinam spatiosum locum mentis facite, sed ad cogitanda carnalia angusti remanete. Quod palearum ac feni plurimum haberet, indicavit: quia sancta Ecclesia verba vitæ audiens, terrena stipendia prædicatoribus reddidit: quæ dum Paulus quasi pro nihilo acciperet, [1. Cor. 9. 11.] dixit: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si a vobis carnalia metamus?* Frater autem Rebeccæ erat Laban, qui concite egressus, inaures & armillas sorori aspiciens, intus puerum vocavit: quia sunt carnales quique fidelibus conjuncti, qui dum spiritualium dona conspiciunt, [a] in admiratione suspensi, etsi non usque ad opera, tamen in animam usque ad suscipiendam fidem, verbum prædicationis admittunt. Quia enim bonos sæpe miraculis fulgere considerant, ea quæ de æternitate audiunt non recusant. Quamvis sanctam electorum Ecclesiam moribus non sequentes, in carnali operatione remaneant. Qui Laban paleas, fenum, aquam, panem obtulit: sed puer nisi causam prius conjugii obtineret, accepturum se esse recusavit. Quia sunt plerique qui doctores suos ex temporalibus[b] stipendiis continere parati sunt; sed prædicatores sancti percipere nolunt temporalia, nisi prius obtineant æterna. Si enim in animabus fructum non inveniunt; sumere stipendia corporalibus contemnunt. [c] Nec pedes aqua lavant: quia laborem sui desiderii nulla consolatione relevant. Mox vero ut causam conjugii domino suo puer obtinuit; vasa aurea atque argentea ac vestes protulit, quas Rebeccæ dedit; quia doctores sanctæ Ecclesiæ tot ornamenta præbent, quot virtutum bona docuerunt. Quæ enim prius inaures, armillas acceperat, jam nunc vasa aurea & argentea ac vestes accepit; quia sancta Ecclesia quæ ante per fidem, obedientiam, & operationem percepit, excrescens postmodum etiam ad spiritualia dona convalescit: ut prophetiæ spiritu & virtutum gratia repleta, ampliatis jam muneribus ditescat. Puer vero matri ejus ac fratribus dona obtulit: quia gentilitas ex quo Ecclesia ad fidem venit, post conversionem ejus in gloria temporali convaluit, sicut & nunc cernimus: quia plerumque Christiani afflictionem sentiunt, & Gentiles quique in terrena virtute gloriantur. Sed & fratres ejus dona percipiunt: quia ii qui eam fidem verbotenus tenent, sed tamen professionem suam moribus non sequentes, carnaliter vivunt, benigne a fidelibus honorari solent, pro eo quod esse fideles videntur. Mater ergo & fratres dona percipiunt, a sorte tamen hereditatis alieni: quia sive infideles seu carnales qui intra fidei professionem tenentur, ad hereditatis æternæ sortem non veniunt; sed tamen supernæ largitatis gloriam [d] temporalem consequuntur. Rebecca autem cum puellis suis virum sequuta est; quia sancta Ecclesia habet secum minoris meriti animas sodales suos. [e] Nam in quibusdam per ascensum mentis, in thoro contemplationem non habent, quæ videlicet tales animæ quasi puellæ Rebeccæ sunt; quia sequuntur moribus, sed tamen ad contemplationis thorum minime ascendunt. Nam & idem puer quosdam habuit in comitatu; quia & cum sanctis Prophetis fuerunt quidam qui bene viverent, & prophetiæ spiritum non haberent; & cum sanctis Apostolis atque Doctoribus fuerant plerique, qui vitam moribus tenerent, sed prædicationis verba non promerent. Festinus autem puer ad dominum redit, quia prædicatores sancti cum prædicando vitam audientium obtinent, illi mox gratias reddunt de cujus hoc munere perceperunt, ut sibi in ea operatione nil tribuant, sed auctori. *Eo autem tempore Isaac deambulabat per viam quæ ducit ad puteum, cujus nomen est viventis, & videntis.* Quis est vivens, & videns nisi omnipotens Deus? de quo scriptum est: *Vivo ego in æternum, dicit Dominus.* [Deut. 32. 40.] De quo rursum dicitur: *Omnia nuda & aperta sunt oculis ejus.* [Hebr. 4. 13.] Puteus vero viventis & videntis, est sacræ Scripturæ profunditas: quam nobis ad irrigationem mentis præbuit omnipotens Deus. Quæ est autem via quæ ducit ad puteum videntis & viventis, nisi humilitas passionis unigeniti, per quam nobis apertum est hoc, quod prius latenter Scripturæ fluenta loquebantur? Nisi enim unigenitus Dei filius incarnatus, tentatus, apprehensus, colaphis cæsus, sputis illitus, crucifixus ac mortuus fuisset, nobis hujus putei, idest Scripturæ sacræ profunditas non pateret. Quid ergo fidelibus humilitas passionis ejus facta est, nisi clavis operationis, per quam mysteriorum Dei puteum invenimus, ut aquam scientiæ de profundo biberemus? Incarnationem quippe, passionem, mortem, resurrectionem, atque ascensionem illius, sacri eloquii paginæ loquuntur. Quæ quia facta cognovimus, jam nunc intelligamus audita: hæc autem prius legi poterant, sed quia needum evenerant, intelligi non valebant. Unde & per Johannem dicitur: *Vicit leo de tribu Juda aperire librum, & solvere signacula ejus.* [Apoc. 5. 5.] Ipse enim librum aperuit, & signacula illius solvit, qui nascendo, moriendo, resurgendo, atque cœlos ascendendo, Scripturæ sacræ nobis arcana patefacit. Et notandum, quod non dicitur, ambulabat per viam quæ ducit ad puteum, sed deambulabat. Deambulat quippe, qui viam per quam ambulat eundo, & redeundo conculcat. In humilitatem autem passionis Dominus deambulavit: quia modo a Judæis verborum contumelias, modo contra se falsum testimonium, modo alapas, modo sputa, modo spineam coronam, modo crucem tolerando sustinuit. Deambulasse ergo in humilitate passionis est; tot adversitates & probra diversis modis iterando pertulisse. Qui Isaac, Rebecca veniente, in terra australi habitat, quia unigenitus Dominus ac Redemptor noster veniente ad se Ecclesia in illorum mentibus mansit, quos ex Judæa editos non torporis frigus, sed fervor caritatis tenuit. Ex illo quippe populo Anna

Pro-

a Excusi corruptissime, *in admiratione hospes*. Multa similia menda hic correximus ope mss.

b Excusi, *contemnere*. Sæpe in Epistolis, per *continentiam*, necessariorum subministratio intelligitur. Vide l. 1. Ep. 5.

c Vulgati, *hi pedes aqua lavant*: invito sensu, reluctantibus mss.

d Excusi, *temporaliter non sequuntur*.

e Multa hic corrupta restituimus ope mss. Michael.

Prophetissa, ex illo Simeon extitit, qui in ulnas A Dominum accepit. Egressus autem fuerat ad meditandum in agro. Quia ager mundus accipitur, ipse per se Dominus exponit, dicens: *Ager autem est mundus*. Qui in hoc egressus est, quod visibilis apparere dignatus est, sicut scriptum est: *Existi in salutem populi tui, ut salvos facias Christos tuos*. Solent autem exercitati juvenes, in armorum usum meditari. Isaac ergo ad meditandum in agro exiit, quia Redemptor noster se sequentibus formam humilitatis præbens, per exercitium longanimitatis suæ passionis in se, & patientiæ exempla monstravit. Meditatio quippe armorum est, frequentatio passionum. Qui enim verba, manum, lanceam, crucem pertulit, passionem suam usque ad mortem in se frequentari permisit. Passiones vero arma dicimus, quia per ipsas ab adversario occulto liberamur, sicut per seipsum Dominus dicit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. Qui ad meditandum in agro, inclinata jam die, exiit: quia passionum exercitia juxta finem mundi suscepit, sicut per Psalmistam de crucifixionis suæ expressione loquitur, dicens: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. Quid est autem quod Rebecca ad Isaac dorso cameli deducitur, nisi quod per Rebeccam, sicut præfati sumus, Ecclesia, & per camelum cui præsidet, tortus moribus atque onustus idolorum cultibus Gentilium populus designatur? Qui enim ex semetipsis sibi invenere deos quos colerent, quasi a semetipsis eis onus in dorso excreverat, quod portarent. Rebecca ergo ad Isaac veniens, dorso cameli deducitur: quia ad Christum ex gentilitate Ecclesia properans in tortis vitiosisque vitæ veteris conversationibus invenitur. Quæ ut vidit Isaac, de camelo descendit, quia sancta Ecclesia, quanto Redemptorem suum subtilius agnoscit, tanto carnalis vitæ studia humilius deserit, atque in semetipsa tortitudinem vitiosam contradicit. Isaac igitur viso descendit, quia Domino cognito vitia sua gentilitas deseruit, & ab elatione celsitudinis ima humilitatis petiit. Quid est autem quod Isaac in camelo sedens Rebecca conspexit, nisi quod Redemptorem suum Ecclesia ex gentibus veniens, dum adhuc vitiis esset innixa, & necdum spiritualibus, sed animalibus moribus inhæret, ascendit? Nec movere debet quod puer quoque cum camelis venerat, in quibus sui Domini divitias ferebat: quia ipsi quoque prædicatores sancti, quamvis jam ad superiora intelligenda atque proferenda intellectu & vita micant, adhuc tamen in semetipsis contradictionem carnis sentiunt. Nam vident aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captivum se ducentem in lege peccati; & divitias in camelis portant: quia ne magnitudo revelationum extollat eos, datus est eis stimulus carnis suæ. Habent enim thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, & E non eorum. Qui ergo per carnem cælestia loquuntur, & tamen adhuc in carne contradictionem de vitio sentiunt, quid aliud quam super tortuosa camelorum dorsa divitias ferunt? Rebecca vero Isaac viso, quis ille homo sit, requisito puero, cognoscit; quia quotidie sancta Ecclesia adhuc Prophetarum atque Apostolorum dicta, quid de Redemptore suo credere debeat, intelligit. Quæ se mox pallio operuit, quia quanto subtilius Salvatoris sui mysteria penetrat, tanto altius de anteacta sua vita confunditur. Et quia perverse eger it, verecundatur, pallio se aperire curavit: quia viso

Matt. 13. 38. — Habac. 3. 13. — Luc. 21. 19. — Ps. 140. 2. — Rom. 7. — 2. Cor. 12.

Domino infirmitatem suæ actionis erubuit, & illa quæ prius in camelo libere gestabantur, descendens postmodum verecundia tegitur. Unde eidem Ecclesiæ, a priore elatione conversæ per Apostolicam vocem quasi Rebeccæ de camelo descendenti sibique pallium superducenti dicitur: *Quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Quam Isaac in tabernaculum suæ matris introducit, atque uxorem accipit: quia loco Synagogæ Dominus, ex qua per carnem natus est, sanctam Ecclesiam diligit, eamque sibi in amore & contemplatione conjungit: ut quæ prius proxima ex cognatione, eidem cognita per prædestinationem fuerat, postmodum jam conjuncta in amore continuo uxor fiat. Quam in tantum dilexit, ut B dolorem qui ex morte matris accesserat, temperaret: quia ex lucro sanctæ Ecclesiæ Redemptor noster in eam, quæ ex perditione Synagogæ accidere potuit, tristitiam decessit. Dum enim Rebeccæ conjungitur, dolor de matris morte amputatur, quia dum sancta Ecclesia ex Gentilitate veniens, usque ad thorum contemplationis perducitur, Judæa pro nihilo habetur. Quod si interpretari ipsa eorum nomina curamus, Isaac risus, Rebecca autem patientia, dicitur. Risus vero ex lætitia est, patientia autem de tribulatione. Et quamvis sancta Ecclesia jam in cælestis sit gaudii contemplatione suspensa, habet tamen adhuc quod triste de mortalis carnis pondere toleret. Isaac vero & Rebecca junguntur, id est risus & patientia permi- C scentur: quia fit in sancta Ecclesia hoc quod scriptum est: *Spe gaudentes, in tribulatione patientes*, ut hanc & prospera de contemplatione lætificent, & adhuc adversa de tribulatione perturbent.

Rom. 6. 21. — Rom. 12. 12.

CAPUT LIV.

Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis: qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Gen. 25. 21.

DUm de effectu prædestinationis tractaretur in codice Dialogorum lib. 1. adjunctum est: *deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, &c.* Ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita D prædestinata sunt, ut precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotente Deo disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant: quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante secula disposuit donare. Quod utrum ita sit, concite valet probari. Certe etenim novimus, quod ad Abraham Deus dixit: *In Isaac vocabitur tibi semen*. Cui etiam dixerat: *Patrem multarum Gentium constitui te*; cui rursum promisit, dicens: *Benedicam te: & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris*. Ex qua re aperte constat, quia omnipotens Deus semen Abrahæ multiplicare per Isaac prædestinaverat, & tamen scriptum est: *Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis; qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ*. Si ergo multiplicatio generis Abrahæ per Isaac prædestinata fuit, cur conjugem sterilem accepit? Sed nimirum constat quia prædestinatio precibus impletur, quando Isaac in quo Deus multiplicari semen Abrahæ prædestinaverat, oratione obtinuit ut filios habere potuisset.

cap. 8. — Gen. 21. 12. Ibid. 17. 4. Gen. 22. 17.

CAPUT LV.

Gen. 25. 27. *Factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola: Jacob autem vir simplex habitavit in tabernaculis*, vel sicut in alia translatione dicitur,
Sep. Septuag. *habitabat domi*.

CUm de reproborum vitiis, & electorum profectibus tractaretur, in expos. B. Job., l. 5.
Num. 20. adjunctum est: *Factus est Esau vir gnarus venandi, &c.* QUID enim per venationem Esau, nisi eorum vita figuratur, qui in exterioribus voluptatibus fusi carnem sequuntur? Qui etiam agricola esse describitur: quia amatores hujus seculi tanto magis exteriora colunt, quanto interiora sua inculta derelinquunt. Jacob vero simplex in tabernaculis vel in domo habitare perhibetur: quia nimirum omnes qui in curis exterioribus spargi refugiunt, simplices in cogitatione atque in conscientiæ suæ habitatione consistunt. In tabernaculis enim, aut in domo habitare, est se intra mentis secreta restringere, & nequaquam exterius per desideria dissipare: ne dum ad multa foris inhiant, a semetipsis alienati cogitationibus recedant.

CAPUT LVI.

Gen. 25. 30. *De Esau, quod ad lenticulam primogenita sua fratri vendidit.*

CUm de refrenanda gulæ concupiscentia tra-
Num. 60. & 61. ctaretur, in expos. B. Job, lib. 30. adjunctum est: *De Esau, &c.* SCIENDUM est, quia quinque nos modis gulæ vitium tentat. Aliquando namque indigentiæ tempora prævenit: aliquando vero tempus non prævenit, sed cibos lautiores quærit: aliquando quælibet sumenda sint, præparari accuratius expetit: aliquando autem & qualitati ciborum & tempori congruit, sed in ipsa quantitate sumendi mensuram moderatæ refectionis excedit: nonnumquam vero & abjectius est quod desiderat, & tamen ipso æstu immensi desiderii deterius peccat. Quæ vitiorum tempora melius ostendimus, si hoc exemplis evidentioribus approbemus. Mortis quippe
1. Reg. 14. 27. sententiam patris ore Jonathas meruit; quia in gustu mellis constitutum edendi tempus ante-
Num. 21. 5. cessit. Et ex Ægypto populus eductus in eremo occubuit: quia despecto manna cibos carnium petiit, quos lautiores putavit. Et prima
1. Reg. 2. 12. filiorum Heli culpa suborta est, quod ex eorum voto sacerdotis puer non antiquo more coctas vellet de sacrificio carnes accipere, sed crudas quæreret, quas accuratius exhiberet. Et cum
Ezech. 16. 49. ad Jerusalem dicitur: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia*, aperte ostenditur quod idcirco salutem perdidit, quia cum superbiæ vitio mensuram moderatæ refectionis excessit. Hinc primogenitorum gloriam Esau amisit: quia magno æstu [a] vilem cibum, idest lenticulam concupivit, quam dum venditis etiam primogenitis prætulit, quo in illam appetitu anhelaret, indicavit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est. Unde lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, & abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus. Hic quippe quem diximus, Esau, primatum per lenticulam vendidit, & Elias in eremo per virtutem spiritus carnes edendo servavit. Unde & antiquus hostis, quia non cibum, sed cibi concupiscentiam esse causam damnationis intelligit: & primum sibi hominem non carne, sed pomo subdidit: & secundum non carne, sed pane tentavit. Hinc est quod plerumque Adæ culpa committitur, etiam cum abjecta & vilia sumuntur. Neque enim Adam solus ut a vetito se pomo suspenderet, præceptum prohibitionis accepit. Nam cum alimenta quædam saluti nostræ Deus contraria indicat, ab his nos quasi per sententiam vetat: & dum concupiscentes noxia attingimus, profecto quid aliud quam vetita degustamus? Ea itaque sumenda sunt, quæ naturæ necessitas quærit, & non quæ edendi libido suggerit [b] ne si hoc moderata discretio minus caute prospexerit, in illicitæ se concupiscentiæ quis voraginem vergat.

CAPUT LVII.

De Isaac qui apud alienigenam gentem puteos fodit, quos Allophyli insidiantes humo implentes replent. Gen. 26.

CUm de persistendo in bono opere, & cavendis ex hoc inimici subreptionibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 31. adjunctum est: *De Isaac qui apud alienigenam gentem puteos fodit, &c.* QUID nobis per effossos ab Isaac puteos Num. 31.
atque ab Allophylis repletos innuitur, nisi ut in hac peregrinationis ærumna positi, cogitationum nostrarum profunda penetremus; & quousque nobis veræ intelligentiæ aqua respondeat, nequaquam nostræ inquisitionis manus ab exhaurienda cordis terra torpescat? Quos tamen puteos Allophyli insidiantes replent: quia nimirum immundi spiritus cum nos studiose cor fodere conspiciunt, congestas nobis tentationum cogitationes ingerunt. Unde semper mens evacuanda est, incessanterque fodienda, ne si indiscussa relinquitur, usque ad tumorem perversorum operum, cogitationum super nos terra cumuletur. Unde & ad Ezechielem dicitur: *Fili hominis, fode parietem*, idest cordis duritiam Ezech. 8. 8.
crebris perscrutationum ictibus rumpe.

CAPUT LVIII.

Item unde supra.

IN exposit. Job libro decimo sexto. SÆPE dum eloquiis sacris intendimus, malorum Num. 23.
spirituum insidias gravius toleramus: quia menti nostræ terrenarum cogitationum pulverem aspergunt, ut intentionis nostræ oculos a luce intimæ visionis obscurent. Quod etiam in Isaac opere, Allophylorum pravitate cognoscimus designari, qui puteos quos Isaac foderat terræ congerie replebant. Hos enim nos nimirum puteos fodimus, cum in Scripturæ sacræ abditis sensibus alta penetramus: quos tamen occulte replent Allophyli, quando nobis ad alta tendentibus immundi spiritus terrenas cogitationes ingerunt, & quasi inventam divinæ scientiæ aquam tollunt. Quod nimirum Psalmista pertulerat cum dicebat: *Declinate a me maligni, & scrutabor mandata Dei mei*: videlicet patenter insinuans, quia mandata Dei perscrutari non poterat, cum malignorum spirituum insidias in mente tolerabat. Ps. 118. 115.

a Corrupte editi, *desiderabilem cibum*.
b Excusi, *nisi hoc... illicita se concupiscentia quis voraginem vergat*, corrupto sensu. In Utic. legitur: *illicitæ se concupiscentiæ quis voragine mergat*.

CAPUT LIX.

Gen. 27. v. 27. & 28.

De benedictionibus Jacob, & Esau.

Num. 2. & seq.

CUm de mysteriis benedictionum Jacob & Esau tractaretur, in comment. Ezech. lib. 1. hom. 6. adjunctum est: QUIS namque parvulorum in facto Esau & Jacob, quod alter ad venatum mittitur, ut benedicatur, alter vero per suppositionem matris a patre benedicitur, nisi juxta sacræ lectionis historiam pascitur? In qua videlicet historia si ad intellectum paulo subtilius astringatur, videtur quia Jacob primogeniti benedictionem non per fraudem subripuit, sed ut sibi debitam accepit; quam concedente fratre de lentis mercede comparavit. At vero si quis altius sentiens utrorumque facta velit per allegoriæ arcana discutere, protinus ab historia in mysterium surgit. Quid est enim quod Isaac de majoris filii sui venatione vesci concupiscit, nisi quod omnipotens Deus Judaici populi bona operatione pasci desiderabat? Sed illo tardante, minorem Rebecca supposuit: quia dum Judaicus populus bona opera foris quærit, Gentilem populum mater gratia instruxit, ut omnipotenti Patri cibum boni operis offerret, & benedictionem majoris fratris acciperet, qui eosdem cibos ex domesticis animalibus præbuit; quia Gentilis populus placere Deo de exterioribus sacrificiis non quæ-

Psal. 55. 12.

rens, per vocem Prophetæ dicit: *In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes tibi*. Quid est quod idem Jacob manus ac brachia & collum hœdinis pellibus texit; nisi quod hœdus pro peccato offerri consuevit? Et Gentilis populus dum se peccatorem confiteri non erubescit, carnis in se peccata mactavit. Quid est quod vestimentis fratris majoris induitur; nisi quod Sacræ Scripturæ præceptis, quæ majori populo data fuerant, in bona operatione vestitus est; & eis minor in domo utitur, quæ major foras exiens intus reliquit: quia ille Gentilis populus præcepta tenet in mente, quæ Judaicus populus habere non potuit, dum solam in eis litteram attendit. Et quid est, quod Isaac eumdem filium nescit, quem benedicit; nisi hoc quod de Gentili populo Dominus per Psalmistam dicit:

Psal. 17. 45.

Populus, quem non cognovi, servivit mihi: ob auditum auris obedivit mihi. Quid est quod præsentem non videt, & tamen quæ in futuro venient, videt; nisi quod omnipotens Deus cum per Prophetas suos prædiceret Gentilitati gratiam prærogandam, eam & in præsenti per gratiam non vidit, quia tunc in errore dereliquit; & tamen quia hanc quandoque collecturus erat benedictionis gratiam, prævidit? Unde & idem Jacob Gentilis populi fi-

Gen. 27. 27.

guram tenet, eique in benedictione dicitur: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Sicut enim in Evangelio Veritas dicit: *Ager*

Matt. 13. 38.

est hic mundus; & quia Gentilis populus ad fidem perductus, per electos suos in universo mundo virtutibus redolet; odor filii, odor est agri pleni. Aliter namque olet flos uvæ: quia magna est virtus, & opinio prædicatorum, qui inebriant mentes audientium. Aliter flos olivæ: quia suave est opus misericordiæ, quod more olei refovet & lucet. Aliter flos rosæ: quia mira est fragrantia quæ rutilat & redolet ex cruore Martyrum. Aliter flos lilii: quia candida vita carnis est de incorruptione virginitatis. Aliter flos violæ: quia magna est virtus humilium, qui ex desiderio loca ultima tenentes, se per humilitatem a terra in altum non sublevant, & cœlestis regni purpuram in mente servant. Aliter redolet spica cum ad maturitatem perducitur; quia bonorum operum perfectio ad satietatem eorum, qui justitiam esuriunt, præparatur. Quia ergo Gentilis populus in electis suis ubique per mundum sparsus est, & ex eis virtutibus quas agit, omnes qui intelligunt odore bonæ opinionis replet, dicatur recte: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*. Sed quia easdem virtutes ex semetipso non habet, adjungit: *Cui benedixit Dominus Deus*. Et quoniam electorum populos per quosdam etiam in contemplationem surgit, per quosdam vero in activæ vitæ solummodo opere pinguescit, recte illic additur:

Gen. 27. 28.

Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ. Ros enim desuper subtiliter cadit, & toties de rore cœli accipimus; quoties per infusionem contemplationis intimæ de supernis aliquid tenuiter videmus: Cum vero bona opera etiam per corpus agimus, de terræ pinguedine ditamur. Quid est autem quod Esau tarde ad patrem redit, nisi quod Judaicus populus ad placandum Dominum sero revertitur? cui & hoc in benedictione dicitur: *Tempusque erit cum solvatur jugum de collo tuo*: quia a servitute peccati Judaicus populus in fine liberabitur, sicut

Gen. 27. 40.

scriptum est: *Donec plenitudo gentium introiret, & sic omnis Israel salvus fieret*.

Rom. 11. 25.

CAPUT LX.

De Isaac qui caligantibus oculis, dum Jacob filium suum nesciens benediceret, quæ in futuro ventura erant, prævidebat; & qui coram eo præsens assisteret, nesciebat.

Gen. 27. v. 30. 31.

DUm de ignorantia Judæorum & Redemptoris nostri præsentia tractaretur, in expos. B. Job, l. 35. adjunctum est: *De Isaac qui caligantibus oculis, &c.* LIQUIDO constat quod nullus Judæorum qui plene Legem didicit, adventum Redemptoris nostri ignoravit. Unde & Herodes rex, Magorum occursione perterritus, sacerdotes ac principes studuit solerter inquirere, ubi Christum nasciturum esse prescirent. Cui

Num. 26.

Matt. 2. 6.

protinus responderunt: *In Bethlehem Judæ*. Prius

Num. 26.

ergo noverunt, quem passionis tempore dum despicerent, ignorabant. Quorum & notitia prior, & ignorantia posterior, bene ac breviter Isaac caligantibus oculis signatur: qui dum Jacob benediceret, & quid eveniret in futuro prævidebat, & quis illi præsens assisteret, nesciebat. Sic quippe Israelitarum populus fuit, qui prophetiæ mysteria accepit, sed tamen cæcos oculos in contemplatione tenuit: quia eum præsentem non vidit, de quo multa in futuro prævidit. Ante se enim positum nequaquam cernere valuit, cujus adventus potentiam longe ante nuntiavit.

CAPUT LXI.

Gen. 28. 11.

Igitur egressus Jacob de Bersabee pergebat Aram, cumque venisset ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus qui jacebant, & supponens capiti suo, dormivit in eodem loco; viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlos; Angelos quoque ascendentes & descendentes super eam, & Dominum innixum scalæ.

DUm de doctorum ad auditores suos condescensione tractaretur in expos. B. Job, l. 5. adjunctum

Num 34. ctum est: *Igitur egressus Jacob de Bersabee pergebat* A *Aram, &c.* In itinere quippe dormire, est in hoc præsentis vitæ transitu a rerum temporalium amore quiescere. In itinere dormire, est in dierum labentium cursu ab appetitu visibilium mentis oculos claudere, quos primis hominibus seductor aperuit, qui dixit: *Scit enim*
Gen. 3. 5. *Deus quia in quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri.* Unde & paulo post subditur:
Ibid. v. 6. *Tulit de fructu illius & comedit, & aperti sunt oculi amborum.* Culpa quippe oculos concupiscentiæ aperuit, quos innocentia clausos tenebat. Angelos vero ascendentes & descendentes cernere, est cives supernæ patriæ contemplari vel quanto amore auctori suo super semetipsos transcendendo inhæreant, vel quanta compassione caritatis nostris infirmitatibus condescendant. Et notandum valde est, quod ille dormiens Angelos conspicit, qui in lapide caput ponit. Quia nimirum ipse ab exterioribus operibus cessans æterna penetrat, qui intenta mente, quæ principale est hominis, imitationem sui Redemptoris observat. Caput quippe in lapide ponere, est mente Christo inhærere. Qui enim a præsentis vitæ actione remoti sunt, sed ad superna nullo amore rapiuntur, dormire possunt, sed videre Angelos nequeunt: quia caput in lapide tenere contemnunt. Sunt namque nonnulli, qui mundi quidem actiones fugiunt, sed nullis virtutibus exercentur. Hi nimirum torpore non studio dormiunt, & idcirco interna non conspiciunt: quia caput non in la- C pide, sed in terra posuerunt. Quibus plerumque contingit, ut quanto securius ab externis actionibus cessant, tanto latius immundæ in se cogitationis strepitum per otium congerant. Unde sub Judææ specie, per Prophetam torpens otio anima defletur, cum dicitur: *Viderunt eam hostes, &*
Thren. 1. 7. *deriserunt Sabbata ejus.* Præcepto enim Legis ab exteriori opere in Sabbato cessatur. Hostes ergo videntes Sabbata irrident, cum maligni spiritus ipsa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt: ut unaquæque anima, quo remota ab externis actionibus Deo servire creditur, eo magis eorum tyrannidi illicita cogitando famuletur. Sancti autem viri, qui a mundi operibus non torpore sed virtute sopiuntur, laboriosius dormiunt D quam vigilare potuerunt: quia in eo quod actiones hujus seculi deserentes superant, robusto conflictu quotidie contra semetipsos pugnant: ne mens per negligentiam torpeat, ne subacta otio per desideria immunda refrigescat: ne ipsis bonis desideriis plus justo inferveat, ne sub discretionis specie sibimet parcendo a perfectione languescat. Agit hæc, & ab hujus mundi inquieta concupiscentia se penitus subtrahit, ac terrenarum actionum strepitum deserit, & per quietis studium virtutibus intenta vigilans dormit. Neque enim ad contemplanda interna perducitur, nisi ab his, quæ exterius impleant, studiose subtrahatur. Hinc E est enim quod per semetipsam Veritas dicit:
Matth. 6. 24. *Nemo potest duobus dominis servire.* Hinc Paulus ait: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secula-*
2. Tim. 2. 4. *ribus; ut ei placeat, cui se probavit.* Hinc per Prophetam Dominus admonet, dicens: *Vacate*
Psalm. 45. 11 *& videte, quoniam ego sum Dominus.*

CAPUT LXII.

Item unde supra.

In ep. Exregi l. 1. [a] QUID per Jacob, nisi prædicatorum persona designatur? Prædicatores Epist. olim 24. nunc 25. a
quippe perfecti, solum sursum caput Ecclesiæ, videlicet Dominum contemplando appetunt, sed deorsum quoque ad membra illius miserando descendunt. Quod videlicet Angeli ascendentes & descendentes demonstrant. Unde & Moyses crebro tabernaculum intrat & exit, & quod intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur. Intus Dei arcana considerat, foris onera B carnalium portat. Qui de rebus quoque dubiis semper ad tabernaculum recurrit, coram testamenti arca Dominum consulit: exemplum procul dubio Rectoribus præbens, ut cum foris ambigunt quid disponant, ad mentem semper quasi ad tabernaculum redeant; & velut coram testamenti arca Dominum consulant, si de his de quibus dubitant apud semetipsos, intus sacri eloquii paginam requirant.

CAPUT LXIII.

De Lia & Rachel: & quod Jacob pro Rachel serviens prius Liam accepit. Gen. 29. 24. 25.

CUm de contemplativa activaque vita tractaretur in Ezech. l. 2. hom. 2. adjunctum est: *De Lia, & Rachel, &c.* [b] QUIDNAM his duabus Jacob uxoribus Lia videlicet & Rachel, nisi activa & contemplativa vita signatur? Lia quippe interpretatur laboriosa: Rachel vero ovis, vel visum principium. Activa autem vita laboriosa est, quia desudat in opere: contemplativa vero simplex ad solum videndum principium anhelat, videlicet ipsum qui ait: *Ego sum principium, propter quod & loquor vobis.* Beatus autem Jacob Rachel quidem concupierat, sed in nocte accepit Liam: quia videlicet omnis qui ad Dominum convertitur, contemplativam vitam desiderat, quietem æternæ patriæ appetit. Sed prius necesse est ut in nocte vitæ præsentis operetur bona, quæ potest; desudet in labore, id est Liam accipiat, ut post ad videndum principium in Rachel amplexibus requiescat. Erat autem Rachel videns & sterilis, Lia autem lippa, sed fecunda: quia nimirum mens cum contemplando otia appetit, plus videt, sed minus filios Deo generat: cum vero ad laborem se prædicationis dirigit, minus videt, sed amplius parit. Contemplativa vero vita speciosa est in animo, sed dum quiescere in silentio appetit, filios non generat ex prædicatione. Videt, & non parit: quia quietis suæ studio minus se in aliorum collectione succendit, & quantum introrsum aspicit, aperire aliis prædicando non sufficit. Lia vero lippa & fecunda est: quia activa vita, dum occupatur in opere, minus videt, sed dum modo per verbum, modo per exemplum ad imitationem suam proximos accendit, multos in bono opere filios generat. Et si in contemplatione mentem tenere non valet, ex eo tamen quod agit exterius, gignere sequaces valet. Post Liæ ergo complexum ad Rachelem Jacob pervenit: quia perfectus quisque ante activæ vitæ ad fecunditatem jungitur, & post contemplativæ ad requiem copulatur.

Num. 16 b
Joan. 8. 25.

CA-

a In Usit. subjicitur unde hæc describitur. In Michael vero assignatur l. 5. in expos. Job.

b Si credimus nos. Michael excerpta sunt ista ex l. 6. in Job.

A

CAPUT LXIV.

Gen. 30. 37. & seq. *Tollens Jacob virgas populeas virides & amygdalinas & ex platanis, ex parte decorticavit eas, detractisque corticibus, in his quæ exspoliata fuerant candor apparuit: illa vero quæ integra erant, viridia permanserunt, atque in hunc modum color effectus est varius. Posuitque eas in canalibus, in quibus effundebatur aqua, ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent. Factumque est ut ipso calore coitus, oves intuerentur virgas, & parerent maculosa & varia, & diverso colore respersa.*

Num. 2. CUm de perscrutandis allegoriis in historia tractaretur, in expos. B. Job, lib. 21. adjunctum est: *Tollens Jacob virgas populeas virides, &c.* INTELLECTUS sacri eloquii inter textum & mysterium tanta est libratione pensandus, ut utriusque partis lance moderata, hunc neque nimiæ discussionis pondus deprimat, neque rursum torpor incuriæ vacuum relinquat. Multæ quippe ejus sententiæ tanta allegoriarum conceptione sunt gravidæ, ut quisquis eas ad solam tenere historiam nititur, earum notitia per suam incuriam privetur. Nonnullæ vero ita exterioribus præceptis inserviunt, ut si quis eas subtilius penetrare desiderat, intus quidem nihil inveniat, sed hoc sibi etiam quod foris loquuntur abscondat: unde quoque bene narratione historica per significationem dicitur: *Tollens Jacob virgas populeas virides & amygdalinas & ex platanis, ex parte decorticavit eas*, & reliqua. Quid est virgas virides & amygdalinas atque ex platanis ante oculos gregum ponere, nisi per Scripturę sacrę seriem antiquorum patrum vitas atque sententias in exemplum populi præbere? Quæ nimirum quia juxta rationis examen rectę sunt, virgę nominantur. Quibus & ex parte corticem subtrahit, ut in his quæ exspoliantur intimus candor appareat: & ex parte corticem servat, ut sicut fuerant exterius, in viriditate permaneant: variusque virgarum color efficitur, dum cortex & ex parte subtrahitur, & ex parte retinetur. Ante considerationis enim nostrę oculos præcedentium patrum sententiæ quasi virgæ variæ ponuntur: in quibus dum plerumque intellectum litteræ fugimus, quasi corticem subtrahimus; & dum plerumque intellectum litteræ sequimur, quasi corticem servamus. Dumque ab ipsis cortex litteræ subducitur, allegorię candor interior demonstratur: & dum cortex relinquitur, exteriora intelligentię virentia exempla monstrantur. Quas bene Jacob in aquę canalibus posuit: quia & Redemtor noster in libris ea sacræ scientię, quibus nos intrinsecus infundimur, fixit. Has aspicientes arietes cum ovibus coeunt: quia rationales nostri spiritus, dum in earum intentione defixi sunt, singulis quibusque actionibus permiscentur, ut tales fetus operum procreent, qualia exempla præcedentium in ocibus præceptorum vident, & diversum colorem proles boni operis habeat: quia & nonnumquam subtracto litterę cortice acutius interna considerat, & reservato nonnumquam historię tegmine bona in exterioribus format.

CAPUT LXV.

De Laban qui persequens cum furore Jacob, sua apud eum idola requisivit. Gen. 31. v. 31. 34.

CUm de diaboli tentationibus, & Ecclesiæ virtutibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 30 adjunctum est: *De Laban qui persequens cum furore Jacob, &c.* LABAN quippe interpretatur dealbatio: dealbatio autem diabolus non inconvenienter accipitur, qui cum sit tenebrosus ex merito, transfigurat se in Angelum lucis. Huic servivit Jacob, id est ex parte reproborum Judaicus populus, ex cujus carne incarnatus Dominus venit. Potest etiam per Num. 72. B Laban mundus hic exprimi, qui cum furore Jacob persequitur: quia electos quoque, qui Redemtoris nostri membra sunt, persequendo opprimere conatur. Hujus filiam, id est sive mundi sive diaboli, Jacob abstulit, cum sibi Christus Ecclesiam ex Gentilitate conjunxit; quam & de domo patris abstulit, qui ei per Prophetam dicit: *Obliviscere populum tuum, & domum patris tui*. Quid vero in idolis, nisi avaritia designatur? unde & per Paulum dicitur: *Et avaritia, quæ est idolorum servitus*. Laban ergo veniens apud Jacob idola non invenit: quia ostensis mundi thesauris, diabolus in Redemtore nostro vestigia concupiscentiæ terrenæ non reperit. Sed quæ Jacob non habuit, ea Rachel sedendo cooperuit. Per Rachel quippe quæ & ovis C dicitur, Ecclesia figuratur. Sedere autem, est humilitatem pœnitentiæ appetere, sicut scriptum est: *Surgite postquam sederitis*. Rachel ergo idola sedendo operuit: quia sancta Ecclesia Christum sequens terrenæ concupiscentiæ vitia pœnitendo texit. De hac coopertione vitiorum per Prophetam dicitur: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*. Nos igitur Rachel illa signavit, qui idola sedendo premimus, si culpas avaritię pœnitendo damnamus. Quæ utique avaritia illis non solet evenire, qui in via Domini viriliter currunt, quibus dicitur: *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum*: sed his maxime qui quasi effeminato gressu gradientes, per blandimenta seculi resolvuntur, unde & illic ejusdem Rachelis hæc verba sunt: *Juxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi*. D Apud Jacob ergo idola Laban non reperit: quia exactor callidus quid in Redemtore nostro reprehenderet non invenit.

Psal. 44. 11. Colos. 3. 5. Psal. 126. 2. Psal. 31. 1. Psal. 26. 14.

CAPUT LXVI.

De luctatione Jacob cum Angelo. Gen. 32. 24.

Hom. 12. DUm de virtute & utilitate contemplationis tractaretur, in comment. Ezech. l. 2. hom. 2. adjunctum est: *De luctatione Jacob cum Angelo*. MAGNA est in contemplativa vita mentis contentio, cum se se ad cælestia erigit, cum in rebus spiritualibus animum tendit, cum transgredi nititur omne quod corporaliter videtur, cum se se angustat, E ut dilatet. Et aliquando quidem vincit, & reluctantes tenebras suæ cæcitatis exuperat: ut de incircumscripto lumine quiddam furtim & tenuiter attingat. Sed tamen ad semetipsam protinus reverberata revertitur, atque ab ea luce, ad quam respirando transit, ad suæ cęcitatis tenebras suspirando atque lamentando redit. Quod bene sacra historia designat, quæ beatum Jacob cum Angelo luctatum narrat. Cum enim ad parentes proprios rediret, in via Angelum invenit, cum quo in lu-

cta magnum certamen habuit. Is enim qui certat in luctamine, aliquando superiorem se, aliquando vero eum, cum quo contendit, inferiorem invenit. Designat ergo Angelus Deum, & Jacob qui cum Angelo contendit, uniuscujusque perfecti viri & in contemplatione positi animam exprimit: quia videlicet anima, cum contemplari Deum nititur, velut in quodam certamine posita, modo quasi exuperat, quia intelligendo & sentiendo de incircumscripto lumine aliquid degustat: modo vero succumbit, quia & degustando iterum deficit. Quasi ergo vincitur Angelus, quando intellectu intimo apprehenditur Deus. Sed notandum quod idem victus Angelus nervum femoris Jacob tetigit, eumque marcescere statim fecit, atque ab eo tempore Jacob uno claudicavit pede: qui scilicet omnipotens Deus cum jam per desiderium & intellectum cognoscitur, omnem in nobis voluptatem carnis arefacit. Et qui prius quasi duobus pedibus innitentes, & Deum videbamur quærere & seculum tenere, post agnitionem suavitatis Dei, unus in nobis pes sanus remanet, atque alius claudicat: quia videlicet necesse est ut debilitato amore seculi, solus in nobis amor convalescat Dei. Si ergo tenemus Angelum, uno claudicamus pede: quia dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur proculdubio fortitudo carnis. Omnis quippe qui uno pede claudicat, soli illi pedi innititur, quem sanum habet: quia & si cui desiderium terrenum jam arefactum fuerit, in solo pede amoris Dei tota virtute se sustinet, & in ipso stat: quia pedem amoris seculi quem ponere in terra consueverat, jam a terra suspensum portat. Et nos ergo, si ad patentes proprios, id est ad spirituales patres redimus, teneamus in via Angelum, ut suavitate intima apprehendamus Deum. Contemplativæ etenim vitæ amabilis valde dulcedo est, quæ super semetipsum animum rapit, cælestia appetit, terrena autem debere esse contemtui ostendit, & spiritualia mentis oculis patefacit, corporalia abscondit. Unde bene Ecclesia in Canticis canticorum dicit: *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Vigilanti etenim corde dormit, qui per hoc quod interius contemplando proficit, a pravo foris opere quiescit.

Cant. 5.2.

CAPUT LXVII.

Item unde supra.

Num. 67. a

IN Expositione beati Job, lib. 4. JACOB qui Angelum tenuit, uno pede mox claudicavit: quia a qui vero amore sublimia respicit, jam in hoc mundo duplicibus incedere desideriis nescit. Uno enim pede innititur, qui solo amore Dei roboratur. Et necesse est, ut alius marcescat: quia mentis virtute crescente, oportet proculdubio ut carnis fortitudo torpescat. Unde & Propheta cum visionem Dei conspexisse se diceret, adjungit: *Elangui & ægrotavi per dies plurimos*: quia cum ad virtutem Dei mens stringitur, a fortitudine propria caro lassatur.

Dan. 8.27.

CAPUT LXVIII.

Gen. 32. 30.

Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea.

Num. 11. & 12.

DUm de visione Dei qualiter intelligenda sit tractaretur, in expos. B. Job, l. 24. adjunctum

a Ab his verbis incipit caput in mss.

[A] est: *Vidi Dominum facie ad faciem, &c.* DUM ipsa per se Veritas dicit: *Nemo vidit faciem meam umquam*, quomodo Jacob testatur, dicens: *Vidi Dominum facie ad faciem?* Humanæ etenim mentis oculo interiori purgato, dum vitiorum omnium tribulationis igne ærugo fuerit concremata, tunc mundatis oculis cordis, illa lætitia patriæ cælestis aperitur: ut prius purgemus lugendo quod fecimus, & postmodum manifestius contemplemur per gaudia, quod quærimus. Prius a mentis acie, exurente tristitia, interposita malorum caligo detergitur, & tunc resplendente raptim coruscatione incircumscripti luminis illustratur. Quo utcumque conspecto, in gaudium cujusdam securitatis absorbetur, & [B] quasi post defectum vitæ præsentis ultra se rapta aliquo modo in quadam novitate vitæ recreatur. Ibi mens ex immenso fonte infusione superni roris aspergitur, ubi non se sufficere ad id quod rapta est contemplatur, & veritatem sentiendo, videt, quia quanta est ipsa veritas non videt. Cui veritati tanto magis se longe existimat, quanto magis appropinquat: quia nisi illam utcumque conspiceret, nequaquam eam conspicere se non posse sentiret. Adnisus ergo animi dum in illam intenditur, immensitatis ejus coruscante circumstantia reverberatur. Ipsa quippe cuncta implens, cuncta circumstat: & idcirco mens nostra nequaquam se ad com- [C] prehendendam incircumscriptam substantiam dilatat, quia eam inopia suæ circumscriptionis angustat. Unde & ad semetipsam citius labitur, & prospectis quasi quibusdam veritatis vestigiis ad sua ima revocatur. Hæc ipsa tamen per contemplationem facta, non solida & permanens visio, sed ut ita dixerim, quasi quædam visionis imitatio Dei facies dicitur. Quia enim per faciem quemlibet cognoscimus, non immerito cognitionem Dei faciem ejus vocamus. Hinc ergo Jacob postquam cum Angelo luctatus est, ait: *Vidi Dominum facie ad faciem*, ac si diceret: Cognovi Dominum, quia me cognoscere ipse dignatus est. Quam cognitionem plenissime fieri Paulus in fine testatur, dicens: *Tum cognoscam sicut & cognitus sum*. [D]

Exod. 33.13.

1. Cor. 13.12.

CAPUT LXIX.

Gen. 34. 1.2. & 3.

Egressa est Dina, ut videret mulieres regionis illius; quam cum videret Sichem filius Emor Evei, princeps terræ illius, adamavit, & rapuit, & dormivit cum illa, vi opprimens virginem; & conglutinata est anima ejus cum ea, tristemque blanditiis delinivit.

3. part. c. 29. Admo. 30.

CUm de cavenda mentis vagatione tractaretur, in codice Regulæ Pastoralis, adjunctum est: *Egressa est Dina, &c.* DINA, ut mulieres videat alienæ regionis, egreditur, quando unaquæque mens sua studia negligens, actiones alienas curans, extra habitum atque extra ordinem proprium vagatur. [E] Quam Sichem princeps terræ opprimit, quia videlicet inventam in curis exterioribus diabolus corrumpit. Et conglutinata est anima ejus cum ea: quia unitam sibi per iniquitatem respicit. Et quia cum mens a culpa resipiscere atque admissum flere conatur, corruptor autem spes ac securitates vacuas ante oculos revocat, quatenus utilitatem tristitiæ subtrahat, recte illic adjungitur: *Tristemque blanditiis delinivit*. Modo enim aliorum facta gravior

viora, modo nihil esset quod perpetratum est, modo misericordem Dominum loquitur, modo adhuc tempus subsequens ad pœnitentiam pollicetur: ut dum per hæc decepta mens ducitur, ab intentione pœnitentiæ suspendatur; quatenus tunc bona nulla percipiat, quam nunc mala nulla contristant: & tunc plenius obruatur suppliciis, quæ nunc etiam gaudet in delictis.

CAPUT LXX.

Gen. 37. 24. *De talari tunica Joseph.*

Num. 55. CUm de perseverando in bono opere tractaretur, in expos. B. Job, l. 1. adjunctum est: *De talari tunica Joseph.* JOSEPH qui inter fratres undecim usque ad finem justus perseverasse describitur, solus talarem tunicam habuisse perhibetur. Quid est ergo talaris tunica, nisi actio consummata? quasi enim protensa tunica talum corpori operit, cum bona actio ante Dei oculos usque ad vitæ nos terminum tegit. Unde & per Moysem cauda bestiæ in altari offerri præcipitur, ut videlicet omne bonum cum incipimus, etiam perseveranti fine compleamus. (Exod. 29 & Levit. 3.)

CAPUT LXXI.

Gen. 37. 7. *Ecce somniator noster venit; venite occidamus eum, & videamus quid illi proderunt somnia sua.*

Num. 28. & 29. DUm de perversis cogitationibus reprobarum mentium, contra dispositionis internæ præscientiam tractaretur, in expos. B. Job, l. 6. adjunctum est: *Ecce somniator noster venit, &c.* SÆPE nonnulli humana sapientia inflati, dum desideriis suis divina judicia contraire conspiciunt, astutis eis reluctari machinationibus conantur, & quo ad votum suum vim supernæ dispositionis intorqueant, callidis cogitationibus insistunt, subtiliora consilia exquirunt. Sed inde voluntatem Dei peragunt, unde hanc immutare contendunt; atque omnipotentis Dei consilio dum resistere nituntur, obsequuntur: quia sæpe & hoc ejus dispositioni apte militat, quod ei per humanum studium frivole resultat, sicut scriptum est: *Qui comprehendit sapientes in astutia eorum.* (Job. 5. 13.) In astutia namque sua sapientes comprehendit, quando ejus consiliis humana facta, etiam tunc congrue serviunt cum resistunt. Unde & per Psalmistam dicitur: *Novit Dominus cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* (Psal. 93. 11.) Quod melius ostendimus, si pauca ad medium gestarum rerum exempla proferamus. Joseph somnium viderat, quod suo manipulo fratrum ejus se manipuli prosternebant: somnium viderat quod sol ac luna se cum reliquis stellis adorabant. Quæ quia pure fratribus retulit, eorum corda protinus futuræ damnationis invidia pavorque percussit. Cumque ad se hunc venire conspicerent, malitia sævientes dixerunt: *Ecce somniator ille venit; venite occidamus eum, & videamus quid illi proderunt somnia sua.* Cumque se ejus dominio subjici metuunt, somniatorem in puteum deponunt, eumque Ismaelitis transeuntibus vendunt. Qui in Ægypto ductus, servituti subditus, luxuriæ accusatione damnatus, castitatis merito adjutus, Prophetiæ judicio ereptus, omni Ægypto prælatus est: per supernam vero sapientiam providus, frumenta congessit, & futuro periculo necessitatis obviavit. Cumque in orbem fames inhorruit, de alimentorum præparatione sollicitus, Jacob filios in Ægyptum misit, qui frumentorum dispensationi præpositum Joseph nescientes inveniunt, atque ut mererentur alimenta percipere, ejus dispensatorem compulsi sunt, pronis in terram cervicibus, adorare. Pensemus ergo quomodo cogitationes hominum in ipsa sua provisione vis divina comprehendat. Ideo ab eis Joseph venditus fuerat, ne adoraretur: sed ideo est adoratus, quia venditus. Astute namque aliquid agere ausi sunt, ut Dei consilium mutaretur: sed divino judicio, quod declinare conati sunt, renitendo servierunt. Inde quippe coacti sunt Dei voluntatem peragere, unde hanc moliti sunt astute commutare. Sic sic divinum consilium dum devitatur, impletur: Sic humana sapientia dum reluctatur, comprehenditur. Timuerunt fratres ne Joseph super eos excresceret: sed hoc quod divinitus dispositum fuerat, cavendo actum est ut eveniret. Humana ergo sapientia in seipsa comprehensa est, quæ voluntati Dei unde per intentionem restitit, inde ejus impletioni militavit. Sic Saul dum David subjectum quotidiano succrescere virtutum successu consipiceret, suam ei in conjugium filiam spopondit, atque in ejus dotem centum dari ab eo Philisthinorum præputia petiit, ut cum provocatus miles, ultra se excrescere quæreret, inimicorum gladiis traditus vitam finiret, sicut scriptum est: *Non habet necesse rex sponsalia, nisi tantum centum præputia Philisthinorum, ut fiat ultio de inimicis regis.* (1. Reg. 18. 25) Porro Saul cogitabat tradere David in manus Philisthinorum, sed David dispositionis intimæ favore roboratus, centum se dare perhibuit, & ducenta præputia reprobavit. Cujus nimirum operis Saul argumento superatus, superna providentia in sapientiæ suæ est consilio comprehensus: quia unde succrescentis militis vitam se extinguere credidit, virtutis ejus gloriam in se cumulavit. Sed quia nonnumquam astute se aliquid sapere etiam electi moliuntur, libet ad medium alium sapientem deducere, & quo sinu interni consilii astutia mortalium comprehenditur, demonstrare. Prudenter quippe Jonas sapere voluit, cum ad prædicandam Ninivitarum pœnitentiam missus: quia electis Gentibus Judæam deseri timuit, prædicationis officium implere recusavit, navem petiit, fugere Tharsis elegit; sed protinus tempestas exoritur, sors mittitur, ut videlicet cognoscatur, cujus culpa mare turbetur. (Jonæ 1. 2. 3.) Jonas in culpa deprehenditur, in profundum mergitur, Ceto sorbente devoratur, atque illuc gestante bellua pervenit, quo ire sponte contempsit. Ecce fugitivum Dei tempestas invenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit: & quia auctoris voci obedire renititur, ad locum quo missus fuerat, suo reus carcere portatur. Jubente Deo ministrare homo prophetiam noluit, aspirante Deo bellua Prophetam vomuit. Intorquet ergo Deus prudentiam hominum ad ministerium suum, quando & hoc in usum suæ voluntatis redigit, per quod sibi voluntas humana contradicit. Perscrutemur adhuc Hebræorum sapientiam, & videamus quid providendo, aut quid prohibendo provocavit. Certe cum ad Redemtoris nostri miracula credentium turba conflueret, cum sacerdotes populi invidiæ facibus accensi mundum post eum ire cernerent, & proclamarent, dicentes: *Videtis quia nihil proficimus; ecce mundus totus post eum abiit;* (Johan. 12. 1.) ut ab illo vim tantæ concursionis abscinderent, finire ejus potentiam morte conati sunt, dicentes: *Expedit ut unus homo* (Johan. 11. 50)

homo moriatur, & non tota gens pereat: sed Redemtoris mors ad conjunctionem sui corporis, id est Ecclesiæ valuit, non ad separationem. Redegit ergo & hoc ad pietatis suæ obsequium, quod contra illum humana crudelitas exarsit. Justus namque & misericors mortalium acta disponens, alia concedit propitius, alia permittit iratus; atque ea quæ permittit, sic tolerat, ut hæc in sui consilii usum vertat. Unde miro modo fit, ut & quod sine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non sit: quia dum in bonum usum mala facta vertuntur, ejus consilio militant etiam, quæ ejus consilio repugnant. Hinc per Psalmistam
Psal. 110. 2. dicitur: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus*. Sic quippe ejus opera magna sunt, ut per omne quod ab hominibus agitur, ejus voluntas exquiratur: nam sæpe inde perficitur, unde repelli putabatur. Hinc rursum dicitur: *Omnia quæ-*
Psal. 134. 6 *cumque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra*. Hinc
Prov. 21 30 Salomon ait: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*. Restat ergo ut in cunctis quæ agimus, vim supernæ voluntatis inquiramus: cui videlicet & cognitæ, debet nostra actio devote famulari, & quasi ducem sui itineris persequi, ne ei etiam nolens serviat, si hanc superbiens declinat. Vitari enim vis superni consilii nequaquam potest, sed magna sibi virtute hanc temperat, qui se sub ejus nutibus refrenat, eique sibi pondera levigat, qui hæc ex subjecto cordis humero volens portat.

CAPUT LXXII.

Gen. 39. 8. *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habet in domo sua; nec quidquam est quod non in mea sit potestate.*

Num. 38. IN [a] expos. B. Job, l. 30. QUISQUIS mundi hujus successibus elevatus, lenocinante cordis lætitia, tentari se luxuriæ stimulis sentit, Joseph factum ad memoriam revocet, & in arce se castitatis servet. Qui dum sibi a domina conspiceret pudicitiæ damna suaderi, ait: *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habet in domo sua, nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es. Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in dominum meum?* Quibus verbis ostendit, quia bona quæ assequutus fuerat, repente memoriæ intulit, & malum quod pulsabat, evicit. Et quia perceptæ gratię meminit, vim culpæ imminentis fregit. Cum enim voluptas [b] lubrica tenta in prosperis, hæc ipsa sunt prospera aculeo tentationis opponenda: ut eo erubescamus prava committere, quo nos a Deo meminimus gratuito bona percepisse, & illatam gratiam exteriorum munerum vertamus in arma virtutum, ut sint ante oculos quæ percepimus, & quæque nos illiciunt, subigamus. Quia enim voluptas ipsa ex prosperitate nascitur, ejus prosperitas est consideratione ferienda: quatenus hostis noster unde oritur, inde moriatur. Considerandum quippe est, ne acceptum munus vertamus in vitium, ne per favorem vitæ nos absorbeat vorago nequitiæ. Iram namque contra nos superni judicis inextinguibiliter accendimus, si contra benignitatem illius etiam ex ipsa sua largitate pugnamus.

CAPUT LXXIII.

At ille relicto in manus ejus pallio fugit, & egressus est foras. Gen. 39. 12.

DUm de permanenti in Judæorum cordibus velamine tractaretur, in expos. B. Job, l. 2. adjunctum est: *At ille relicto in manus ejus pallio fugit, &c.* CUM mulier adultera Joseph male uti voluisset, relicto pallio fugit foras: quia dum Synagoga Dominum, purum hominem credens, quasi adulterino complexu constringere voluit: ipse tegmen litteræ ejus oculis reliquit, & ad cognoscendam suæ divinitatis potentiam, conspicuum se gentibus prębuit. Unde & Paulus dicit: *Usque hodie cum legitur Moyses, velamen est super cor eorum.* Quę videlicet mulier adultera apud semetipsam pallium retinuit, & quem male tenebat, nudum amisit. Num. 59. 2. Cor. 3. 15.

CAPUT LXXIV.

Intravit Jacob in Ægytum cum animabus septuaginta. Gen. 46. 27.

[c] IN expositione B. Job, libro tertio. SÆPE sacra Scriptura partem pro toto ponere consuevit, sicut: intravit Jacob in Ægyptum cum animabus septuaginta. Quę nimirum cum animas memorat, constat quia intrantium corpora comprehendit. Num. 22.

CAPUT LXXV.

Quod Ægyptii, Joseph gubernante, priusquam Pharaoni inopia jure servitii subderentur, ad esum frumenta perceperunt: postquam vero semetipsos urgente fame in famulos vendiderunt, tunc frumenta ad semen acceperunt. Gen. 47.

DUm de remuneratione fixe servientium tractaretur, in expos. B. Job, lib. 6. adjunctum est: *Quod Ægyptii, Joseph gubernante, &c.* ÆGIPTII servitio publico, Joseph dispensante, subjecti, cum juri regis semetipsos tradentes humiliant, frumenta etiam ad semen reportant. Frugem quippe ad esum etiam liberi accipimus, cum & sacro eloquio pascimur, & tamen ad quędam quę in hoc mundo appetimus, in nostris voluptatibus vacamus. Sed servi facti & ad semen frumenta percipimus: quia dum plene Deo subdimur, etiam verbo prędicationis replemur. Num. 35.

CAPUT LXXVI.

Isachar asinus fortis accubans inter terminos, vidit requiem quod esset bona, & terram quod optima; & supposuit humerum ad portandum. Gen. 49. 14.

DUm de Gentilitatis operibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 1. adjunctum est: *Isachar asinus fortis accubans inter terminos, &c.* INTER terminos accubare, est prestolato mundi fine requiescere, nihilque de his, quę nunc in medio versantur, quęrere, sed ultima desiderare. Et fortis asinus requiem ac terram optimam videt, cum simplex Gentilitas idcirco se ad robur boni operis erigit, quia ad ęternę vitę patriam tendit. Quę ad portandum Num. 26.

a In nostris mss. non habet alium titulum hoc caput, nec aliud præmittitur sententiæ Gregorianæ.

b In excusis corruptissime, *voluntas lubrica tentat in prospera aculeo tentationis opponenda*; & infra, *adeo* pro, *a Deo*. Hæc vitia editionis Vaticanæ retinuit Gussanvillæus, & auxit.

c Hoc caput in mss nostris desideratur.

tandum humerum apponit, quia conspecta supernæ requie, præceptis etiam gravibus in operatione Deo se subjicit, & quidquid intolerabile pusillanimitas asserit, hoc ei leve ac facile spes remunerationis ostendit.

CAPUT LXXVII.

Gen. 49. 17 *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro.*

Num. 43. DUm de adventu & operationibus Antichristi tractaretur, in expos. B. Job, lib. 31. adjunctum est: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, &c.* QUID hoc loco equi nomine, nisi præsens seculum designatur? quo in testimonio quid equus significet, cujus ungulas coluber mordet, melius ostendimus, si & ea quæ circumstant, paulo subtilius exponamus. Nonnulli enim de tribu Dan venire Antichristum ferunt, pro eo quod hoc loco Dan & coluber asseritur, & mordens. Unde non immerito dum Israeliticus populus terras in castrorum partitione susciperet, primus Dan ad Aquilonem castrametatus est, illum scilicet signans, qui in corde suo dixerat: *Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* De quo & per Prophetam dicitur: *A Dan auditus est fremitus equorum ejus.* Qui non solum coluber, sed etiam cerastes vocatur: *cerata* enim græce cornua dicuntur. Serpens hic cornutus esse perhibetur, per quem digne Antichristi adventus asseritur; quia contra vitam fidelium cum morsu pestiferæ prædicationis armatur etiam cornibus potestatis. Quis autem nesciat semitam angustiorem esse quam viam? Fit ergo Dan coluber in via, quia in præsentis vitæ latitudine eos ambulare provocat, quibus quasi parcendo blanditur: sed in via mordet; quia eos, quibus libertatem tribuit, erroris sui veneno consumit. Fit cerastes in semita: quia quos fideles reperit, & se se ad præcepti cælestis augusta itinera constringentes, non solum nequitia callidæ persuasionis impetit, sed etiam terrore potestatis premit, & in persecutionis angore, post beneficia fictæ dulcedinis, exercet cornua potestatis. Quo in loco equus hunc mundum insinuat, qui per elationem suam in cursum labentium temporum spumat; & quia Antichristus extrema mundi apprehendere nititur, cerastes iste equi ungulas mordere perhibetur. Ungulas quippe equi mordere, est extrema seculi feriendo contingere, ut cadat ascensor ejus retro. Ascensor equi est quisquis extollitur in dignitatibus mundi. Qui retro cadere dicitur & non in faciem, sicut Saulus cecidisse memoratur. In facie enim cadere, est in hac vita suas unumquemque culpas cognoscere, easque pœnitendo deflere. Retro vero quo non videtur cadere, est ex hac vita repente decedere, & ad quę supplicia ducatur ignorare. Et quia Judæa erroris sui laqueis capta, pro Christo Antichristum expectat, bene Jacob eodem loco repente in electorum vocem conversus est, dicens: *Salutare tuum expectabo, Domine*; id est, non sicut infideles Antichristum, sed eum, qui in redemtionem nostram venturus est, verum credo fideliter Christum. Gen. 49. 18.

Margin: Num. 2. 25. Isa. 14. 13. Jerem. 8. 16.

CAPUT LXXVIII.

Item unde supra.

DUm de reproborum interitu, & electorum humilitate tractaretur, in comment. Ezechielis lib. 1. hom. 9. adjunctum est: [a] QUÆRENDUM nobis est, cur Paulus pergens Damascum, superno illustratus lumine in faciem cadit, & de ascensore equi, id est hujus mundi gloria elato dicitur: Ut cadat ascensor ejus retro: quia de persecutoribus Domini scriptum est: *Abiere retrorsum, & ceciderunt in terram.* Quid est hoc quod electi in faciem, & reprobi retrorsum cadunt, nisi quod omnis, quid post se cadit, ibi proculdubio cadit, ubi non videt? Iniqui ergo quia in invisibilibus cadunt, post se cadere dicuntur, quia ibi corruunt ubi quid eos sequitur modo videre non possunt. Justi vero, quia in istis visibilibus semetipsos sponte dejiciunt ut in invisibilibus erigantur, quasi in faciem cadunt, quia timore compuncti videntes humiliantur.

Margin: Num. 40. 75. Johan. 18. 6.

CAPUT LXXIX.

Benjamin lupus rapax mane comedit prædam, & vespere dividet spolia. Gen. 49. 27.

DUm de persecutione & doctrina Pauli Apostoli tractaretur, in expos. B. Job, lib. 18. adjunctum est: *Benjamin lupus rapax mane comedit prædam, &c.* QUIS hoc Beniamin nomine, nisi Paulus Apostolus designatur? De Benjamin stirpe genitus, qui mane comedit prædam: quia in primordiis suis fideles quos potuit rapiens, crudelitati propriæ satisfecit; vespere spolia dividit, quia fidelis postmodum factus, sacra eloquia exponendo distribuit. Num. 25.

[b] *Finis Libri Genesis.*

a Gravissimo errore in ed. *verendum*; cum in mss. tum Paterii tum Hom. in Ezech. legatur *quærendum*. alia autem lectio nullum sensum patitur.

b In Michael. legitur, *Explicit lib. primus de testimoniis libri Geneseos. Incipiunt Capitula secundi libri de testimoniis libri Exodi.*

CAPITULA

LIBRI SECUNDI IN EXODUM.

LIBER SECUNDUS

DE TESTIMONIIS LIBRI EXODI.

CAPUT PRIMUM.

Exod. 1. 21. *Quia timuere obstetrices Deum, ædificavit illis domos.*

Num. 5. & 6. CUM de cavendo mendacio tractaretur, in exposit. B. Job, l. 18. adjunctum est: *Quia timuere obstetrices Deum &c.* SUMMOPERE cavendum est omne mendacium, quamvis nonnumquam sit aliquod mendacii genus culpæ levioris, si quisquam vitam præstando mentiatur. Sap. 1. 11. Psal. 5. 7. Sed quia scriptum est: *Os quod mentitur, occidit animam*. Et: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*: hoc quoque mendacii genus perfecti viri summopere fugiunt, ut nec vita cujuslibet per B eorum fallaciam defendatur, ne suæ animæ noceant, dum præstare vitam carni nituntur alienæ: quamquam hoc ipsum peccati genus facillime credimus relaxari. 22. quæst. 2. cap. 10. §. Qualitet. Nam si quælibet culpa sequenti solet pia operatione purgari, quanto magis hæc facile abstergitur, quam mater boni operis pietas ipsa comitatur? Nonnulli vero ex obstetricum fallacia conantur asserere hoc mendacii genus non esse peccatum: maxime quod Exod. 1. illis mentientibus scriptum est: *Quia ædificavit eis Dominus domos*. In qua magis recompensatione cognoscitur, quid mendacii culpa mereatur. Nam benignitatis earum merces, quæ eis in æterna potuit vita retribui, pro admissa culpa mendacii, in terrenam est recompensationem declinata: ut C in vita sua, quam mentiendo tueri voluerunt, ea, quæ fecerunt bona reciperent, & ulterius quod expectarent, mercedis suæ præmium non haberent. Nam & si subtiliter perpendatur, amore vitæ præsentis mentitæ sunt, non intentione mercedis. Parcendo quippe conatæ sunt infantium vitam tegere; mentiendo, suam.

CAPUT II.

Exod. 2. *De Moyse quod, occiso Ægyptio dum in desertum recessisset, visionem vidit de flamma in rubo.*

DUM de appetenda mentis quiete, & vitando tumultu curarum secularium tractaretur, in Num. 17. D expos. B. Job, l. 23. adjunctum est: *De Moyse quod occiso Ægyptio dum in desertum recessisset, &c.* MOYSES admixtus Ægyptiis quasi vigilabat: & idcirco vocem Domini in Ægypto positus non audiebat. Sed extincto Ægyptio postquam in desertum fugit, illic dum quadraginta annis degit, quasi ab inquietis terrenorum desideriorum tumultibus obdormivit, atque idcirco divinam vocem percipere meruit; quia per supernam gratiam quanto magis * Num. 10. ab appetendis exterioribus torpuit, tanto verius ad cognoscenda interiora vigilavit. * Cum ab externis actionibus mens sopitur, tunc plenius mandatorum Dei pondus agnoscitur. Tunc verba Dei mens vivacius penetrat, cum ad se admittere curarum secularium tumultus recusat. Male autem E homo vigilat, quando eum secularium negotiorum æstus insolenter inquietat. Aurem quippe cordis terrenarum cogitationum turba dum perstrepit, claudit; atque in secretarium mentis, quanto minus curarum tumultuantium sonus compescitur, tanto amplius vox præsidentis judicis non auditur. Neque enim perfecte homo sufficit ad utraque divisus; sed dum sic interius erudiri appetit ut tamen exterius implicetur, unde exterius auditum aperit, inde interius obsurdescit.

CAPUT III.

[a] Item unde supra.

EX hom. 7. in Ezechielem. MOYSES enim cum de ardenti rubo vocatus fuisset, accessit Num. 10. B propius ut videret visum, & ecce rubus ardebat, & non consumebatur. Magnum est hoc miraculum. Si solam in eo historiam requiras, est unde legentis nutriatur animus, ut videas quod in ligno ignis ardeat & non consumat. At vero si typicam intelligentiam quæras, quid flamma nisi Legem, de qua scriptum est: *In dextera ejus ignea lex*: Deut. 33. 2. & quid rubus ille, nisi Judaicum populum designavit, peccatorum suorum spinis oblitum? Sed rubus ardens consumi non potuit, quia Judaicus populus & ignem quidem Legis accepit, & tamen peccatorum suorum spinas non deseruit, nec ejus vitia divini sermonis flamma concremavit. Fortasse in hoc facto alius majora per typum contemplari desiderat. Hujus quia sensus excrescit, C elevantur pariter & rotæ. Inter homines enim pariter perfectus homo factus est unicus Dei filius, qui sua peccata non habuit, sed spinas nostræ nequitiæ suscepit; atque usque ad passionem pro nobis se humiliare dignatus est, & in semetipsum ignem tribulationis nostræ suscipere. Sed arsit, & non arsit: quia etsi ex humanitate est mortuus, tamen immortalis ex divinitate permansit. Suscepit a nobis unde sacrificium fieret pro nobis, & tamen impassibilis atque incommutabilis permansit in propriis, ut nos commutaret a nostris.

CAPUT IV.

De flamma in rubo.

DUM de divinis mysteriis per significationem D gestis tractaretur, in expos. B. Job. lib. 28. Num. 1. adjunctum est: *De flamma in rubo.* SÆPE simul & terrenis & cælestibus junctis substantiis per Angelos loquitur Deus, sicut ad Moysen in monte, cum jussionis suæ verba edidit, ignem rubumque sociavit, atque aliud superius, aliud inferius junxit. Quod tamen tunc solum agitur, cum ex ipsa aliquid conjunctione signatur. Nam per succensum rubum Moysen alloquens, quid aliud ostendit nisi quod ejus populi ductor fieret, qui & Legis flammam perciperet; & tamen peccati spinam nequaquam vitaret? Vel quod ex illo populo exiret, qui in in igne deitatis, carnis noE stræ dolores quasi rubi spinas acciperet, & inconsumtam humanitatis nostræ substantiam, etiam in ipsa divinitatis flamma servaret?

a In mss. nostris caput hoc minime legitur.

CAPUT V.

Exod. 3. 8.

Quod plebi Israeliticæ Chanaan terra promittitur.

Cap. 26. Admon. 27. DUm de dispensatoria invitatione noviter ad fidem venientium, in cod. Reg. Past. part. 3. tractaretur, adjunctum est: *Quod plebi Israeliticæ Chanaan terra promittitur*. CONSIDERANDUM est, quod præsentis vitæ prosperitas aliquando idcirco datur, ut ad meliorem vitam provocet, aliquando vero ut in æternum plenius damnet. Hinc est enim quod plebi Israeliticæ Chanaan terra promittitur, ut quandoque ad æterna speranda provocetur. Neque enim rudis ille populus promissionibus Dei in longinquum crederet, si a promissore suo non etiam a vicino aliquod percepisset. Ut ergo ad æternorum fidem certius roboretur, nequaquam solummodo spe ad res, sed rebus quoque ad spem trahitur. Ps. 104. 44. Quod liquido Psalmista testatur, dicens: *Dedit eis regionem gentium, & labores populorum possederunt; ut custodiant justificationes ejus, & legem ejus requirant.*

CAPUT VI.

Item unde supra.

Num. 6. IN exposit. Evangelii homilia 32. ISRAELITICO populo ex Ægypti terra liberando, repromissionis terra promittitur: & tunc vocandus esset, ad dona cælestia terrenis promissionibus suadetur. Cur hoc? Nisi cum esset aliquid quod e vicino perciperet, illud jam fidelius crederet, quod de longiquo audire potuisset. Quod tamen si subtiliter attendamus, quanta dispensatione pietatis sit actum, agnoscimus. Rudi enim populo etiam de præsenti vita aliquid promittendum fuit, ut possit robustius in futuro solidari. Carnalis etenim populus si parva non acciperet magna non crederet. Omnipotens ergo Deus largiendo terrena, suadet ad cælestia, ut percipiens quod videret, sperare disceret quod minime videbat. Et tanto solidior de invisibilibus fieret, quanto eum ad spei certitudinem visibilia promissa fulcirent.

CAPUT VII.

Exod. 3.

Quod Angelus qui Moysi apparuisse describitur, modo Angelus, modo Dominus memoratur.

Num. 3. Præf. DUm de [a] administrato per Angelum ministerio tractaretur, in expositione B. Job, adjunctum est: *Quod Angelus qui Moysi apparuisse describitur, &c.* QUID est hoc quod visio quæ Moysi in eremo apparuisse describitur, modo Angelus, modo Dominus memoratur: [b] Nisi hoc Angelus, propter quod exterius loquendo serviebat: Dominus autem quia interius præsidens, loquendi efficaciam ministrabat? Cum ergo loquens ab interiore regitur, & per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus memoratur.

CAPUT VIII.

Quod Moyses tunc ad liberandum populum missus est, cum jam Pharao duris operibus ad opprimendum fuerat excitatus. Exod. 7. 8.

CUm de cavendis prosperitatibus, appetendo tentationum exercitio tractaretur, in exposit. B. Job, lib. 26. adjunctum est: *Quod Moyses tunc ad liberandum populum missus est &c.* Num. 20. & 21. SPARSIS foris mentibus ad semetipsas redire difficile est, quia prava itinera semel captas, tanto delectabiliter tenent, quanto in eis, omne quod libuerit, licet. Nullus quippe disciplinæ murus obviat qui constringat, nulla retributionis prospicitur pœna, quæ terreat: sed clausis oculis cordis, eo anima præcipitatur in infimis, quo obscuratur a summis: & tanto securius mala temporalia perpetrat, quanto durius bona æterna desperat. Sed ista reproborum nequitia, trituræ more electorum vitam, quasi grana a paleis separans, premit, ut purget. Mali enim bonos magis ab hujus mundi desideriis expediunt, dum affligunt: quia dum multa eis hic violenta ingerunt, festinare illos ad superna compellunt. Quod bene Israelitico populo Moyse vocante, & Pharaone rege sæviente signatum est. Tunc namque Moyses ad vocandum missus est, cum jam Pharao duris operibus ad opprimendum fuerat excitatus: ut Israelitarum mentes Ægypto deformiter inhærentes alius dum vocaret, quasi traheret, alius quasi impelleret dum sæviret: & plebs in servitio turpiter fixa, vel provocata bonis, vel malis impulsa moveretur. Hoc quotidie agitur, dum prædicatis cælestibus præmiis sævire in electos reprobi permittuntur: ut si ad promissionis terram vocati exire negligimus, pressuris saltem sævientibus impellamur: atque hæc Ægyptus, videlicet vita præsens quæ nos oppressit blandiens, adjuvet premens: & quæ dum fovit, servituris jugo conterat; libertatis viam, dum cruciat, ostendat. Hæc itaque causa est, quod ab injustis justi sinuntur affligi: ut scilicet dum futura audiunt, bona quæ cupiant, patiantur etiam mala præsentia quæ perhorrescant: atque ad faciliorem exitum dum amor provocat, cruciatus impellat.

CAPUT IX.

Quid est quod tenes in manu tua? Respondit: Virga. Ait: Projice eam in terram. Projecit, & versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses. Dixitque Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam ejus. Extendit & tenuit, versaque est in virgam. Exod. 4. 2. 3.

DUm de miraculorum mysteriis per virgam in deserto a Moyse exhibitis tractaretur, in comment. [c] Ezech. adjunctum est: *Quid est quod tenes in manu tua? &c.* QUID per Moysen, nisi populus Judaicus? Et quid virga nisi potestas divinitatis? Quid per serpentem nisi mortalitas nostri Redemtoris exprimitur? Quia enim per serpentem mors, recte mortalitas in serpente signatur. Vel certe cum scriptum sit: *Estote prudentes sicut serpentes*. Et quia ipsa Matt. 10. 16.

a In Mich. cod. *de divinis ministratis per Angelum ministeriis*.
b Ibid. *nisi quod hoc Angelus*.
c In ms. Michael non assignatur quota humilia. Certe in hom. 10, in editis indicata, non reperitur; nec in homilia quarta quam laudat ms. Gemet.

ipsa summa prudentia, id est Dei sapientia incarnari dignata est, recte ejus mortalitas in serpente figuratur. Unde & in Evangelio de passione sua loquitur, dicens: *Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis*. Moyses ergo virgam tennit, quia Judaicus populus ante Redemptoris adventum, in divina potestate confisus est. Sed virgam in terram projecit, quia idem populus per Patriarchas ac Prophetas Deum incarnandum esse nuntiavit. Virga vero in colubrum vertitur, quia Redemptor noster Deus in se permanens, mortalis inter homines factus est. Sed Moyses colubrum conspiciens pertimuit, & fugit; quia Judaicus populus dum Redemptorem humani generis mortalem vidit, Deum credere expavit. Cur jubetur ut colubrum cauda teneat? Quia perfidus ille populus qui modo credere recusat, in extrema parte Dominici corporis, id est posteriori tempore sanctæ Ecclesiæ, videlicet in fine mundi, se se ad fidem recolligit & colubrum cauda tenet: quia eum, quem mortalem ante despexerat, Redemptorem suum in ultima jam parte Ecclesiæ confitetur. Sed mox serpens in virgam redit: quia statim ut Judaicus populus in Redemptore nostro crediderit, idem Redemptor ad Judaicum populum in potestate suæ divinitatis apparebit, ut ei jam serpens virga sit: quia is, qui in terra homo despectus est, de cœlo veniens, super Angelos videbitur Deus.

Johan. 3.14.

CAPUT X.

Videat Dominus, & judicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & servis ejus. — Exod. 5. 21.

Num. 44. CUm de incrementis tentationum tractaretur, in expos. B. Job, l. 20. adjunctum est: *Videat Dominus, & judicet, &c.* CUM lux divinitus missa humanum cor fuerit illustrare dignata, mox ab occulto adversario contra fulgentem mentem tentamenta succrescunt. Nam callidus hostis quos luce justitiæ enitescere conspicit, eorum mentes illicitis desideriis inflammare contendit, ut plerumque plus se urgeri tentationibus sentiant, quam tunc cum lucis internæ radios non videbant. Unde & Israelitæ postquam vocati sunt, contra Moysen & Aaron de excrescenti labore conqueruntur, dicentes: *Videat Dominus, & judicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & servis ejus, & præbuistis ei gladium ut interficeret nos.* Volentibus quippe ex Ægypto discedere, Pharao paleas subtraxerat, & tamen ejusdem mensuræ opera requirebat. Quasi ergo contra legem mens submurmurat, post cujus cognitionem, tentationum stimulos acriores portat. Et cum sibi labores crescere conspicit, in eo quod adversario displicet, quasi fœtere se in oculis Pharaonis dolet.

CAPUT XI.

Item unde supra.

Num. 24. [a] IN exposit. Ezech. lib. 1. hom. 12. In Moyse enim & Aaron Lex & Prophetæ figurati sunt. Et sæpe apud se infirmus animus quasi contra sacra eloquia murmurat: quia postquam verba cælestia audire, & sequi cœperit, Regis Ægyptii adversitas, id est maligni spiritus tentatio excrescit. Debet ergo vigilanter doctor proficienti animæ, A quæ illam tentationes sequantur, innotescere, ut cautam se valeat contra maligni spiritus insidias præparare.

CAPUT XII.

Ecce constitui te Deum Pharaonis. — Exod. 7. 1.

Num. 3. DUm de Dei vocabulo tractaretur, l. 1. hom. 8. in Ezechielem, adjunctum est: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*. In Scriptura sacra aliquando Deus nuncupative, aliquando vero essentialiter dicitur. Nuncupative enim dicitur, sicut nunc ad Moysem dictum est: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*. Et sicut iterum Moyses ait: *Si quis homo hoc* B *vel illud fecerit, applica illum ad Deos*, videlicet ad Sacerdotes. Qui rursum dicit: *Diis non detrahes*, id est Sacerdotibus. Et sicut Psalmista: *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit*. Essentialiter autem Deus dicitur, sicut ipse ad Moysen dicit: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob*. Unde Paulus Apostolus, volens nuncupativum Dei nomen ab essentiali discernere ait: *Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus, benedictus in secula*. Qui enim nuncupative dicitur Deus, inter omnia: qui vero essentialiter est Deus, super omnia est. Ut ergo ostenderet Christum naturaliter Deum, non hunc Deum tantummodo, sed Deum super omnia esse memoravit: quia & justus C quilibet Deus est, sed inter omnia, quia nuncupative Deus: Christus autem Deus est super omnia, quia naturaliter Deus.

Exod. 22. 8. — Ibidem. — Psal. 81. 1 — Rom. 9. 5.

CAPUT XIII.

Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro. — Exod. 8. 26.

DUm de appetenda mentis innocentia, quam reprobi ut sibi adversam respuunt, tractaretur, in expos. B. Job, l. 10. adjunctum est: *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro*. OVES Ægypti edere dedignantur: sed quod abominantur Ægypti, hoc Israelitæ Deo offerunt: quia D simplicitatem conscientiæ, quam injusti quique velut infimam abjectamque despiciunt, hanc justi in virtutis sacrificium vertunt; & excolentes recti puritatem ac mansuetudinem Deo immolant, quam abominantes reprobi fatuitatem putant. — Num. 48.

CAPUT XIV.

Item unde supra.

IN commentario Ezechielis, homilia 10. Perversis hominibus sunt quædam abominationes bonorum operum. Unde Moyses, quia oves Domino macaturus erat, Ægyptiis dicit: *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro?* E Sancti quippe viri Domino oves offerunt, quia simplicitatem suam esse omnipotentis Dei sacrificium ostendunt. Sed oves abominantur Ægyptii, quia cives hujus seculi aspernantur & despiciunt simplicitatem bonorum. Sicut ergo sunt abominationes malorum operum, quas detestantur boni, ita bonorum operum causæ abominationes sunt reprobis. Unde scriptum est: *Abominantur justi virum impium; abominantur impii eos, qui in recta sunt via.* — Prov. 29. 27

[a] Omittitur in nostris mss. hoc caput.

CAPUT XV.

Exod. 8. 21. *Quod Ægyptus Muscarum plaga percussa sit.*

DUm de appetenda quiete mentis, & vitando curarum secularium strepitu tractaretur, in Num. 68. expos. B. Job, l. 18. adjunctum est: *Quod Ægyptus muscarum plaga percussa sit*. QUID in hac vita laboriosius, quam terrenis desideriis æstuare? Aut quid hic quietius, quam hujus seculi nihil appetere? Hinc est, quod Israeliticus populus custodiam Sabbati accepit in munere: hinc econtra est Ægyptus muscarum multitudine percussa. Populus namque, qui Deum sequitur, accepit Sabbatum, id est requiem mentis: ut nullo in hac vita desideriorum carnalium appetitu fatigetur. Ægyptus vero, quæ hujus mundi speciem tenet, muscis percutitur. Musca enim nimis insolens & inquietum animal est. In qua quid aliud, quam insolentes curæ desideriorum Eccl. 10. 1. carnalium designantur? Unde alias dicitur: *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti*: quia cogitationes superfluæ, quæ assiduæ in animo carnalia cogitante & nascuntur & deficiunt, eam suavitatem, qua unusquisque intrinsecus per spiritum unctus est, perdunt: quoniam integritate ejus perfrui non permittunt. Ægyptus ergo muscis percutitur: quia eorum corda, qui terrenam vitam diligunt, dum desideriorum suorum inquietudinibus feriuntur, turbis cogitationum carnalium ad ima depressa sunt: ut ad quietis intimæ desiderium non leventur. Unde cum mira opera pietatis ad cor veritas venit, prius ab eo cogitationum carnalium æstus ejicit, & post in eum virtutum dona disponit. Quod bene nobis sacra Evangelii historia innuit, in qua dum ad resuscitandam filiam principis invitatus Dominus duceretur, protinus additur: *Et cum ejecta* Matt. 9. 25. *esset turba, intravit, & tenuit manum ejus, & surrexit puella*. Foras ergo turba ejicitur, ut puella suscitetur: quia si non prius a secretioribus cordis expellitur importuna secularium multitudo curarum, anima, quæ intrinsecus jacet mortua, non resurgit. Nam dum se per innumeras terrenorum desideriorum cogitationes spargit, ad considerationem sui se se nullatenus colligit. Nullus quippe sapientiam, quę Deus est, plenę recipit, nisi qui ab omni se abstrahere actionum carnalium fluctuatione contendit. Unde alias dici-Eccl. 38. 25. tur: *Sapientiam scribe in tempore otii, & qui mino-* Psal. 45. 11. *ratur actu, ipse percipiet eam*. Et rursum: *Vacate & videte, quoniam ego sum Dominus*.

CAPUT XVI.

Exod. 10. 13. & 14. *Ventus urens levavit locustas, quæ ascenderunt super universam terram Ægypti, operueruntque universam superficiem terræ, vastantes omnia. Devorata est igitur herba terræ, & quidquid pomorum arboribus fuit*.

CUm de cavendis noxiis adulantium laudibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 31. adjunctum est: *Ventus urens levavit locustas, &c.* EX-Num. 47. HIBITÆ cælitus Ægyptiæ plagæ exigentibus meritis corporaliter semel illatæ sunt, sed quæ mala pravas mentes quotidie feriant, spiritualiter signaverunt. Eis enim Ægyptus plagis affecta est, in quibus exteriore percussione commota dolensque perpenderet, quæ devastationis damna interius negligens toleraret: ut dum foris perire minima, sed amplius dilecta cerneret, per eorum speciem, quæ intus pertulerat, graviora sentiret. Quid ergo per significationem locustæ portendunt, quæ plusquam cetera minuta quæque animantia humanis frugibus nocent: nisi linguas adulantium, quæ terrenorum hominum mentes, si quando bona aliqua proferre conspiciunt, hæc immoderatius laudando corrumpunt? Fructus quippe Ægyptiorum, est operatio cenodoxorum, quam locustæ exterminant, dum adulantes linguæ ad appetendas laudes transitorias cor operantis inclinant. Herbam vero locustæ comedunt, quando adulatores quique verba loquentium favoribus extollunt. Poma quoque arborum devorant, quando vanis laudibus quorumdam jam quasi fortium & opera enervant.

CAPUT LVII.

[a] Induravit Dominus cor Pharaonis. Exod. 10.

IN expositione B. Job, lib. 31. Non quod ipse duritiam contulit, sed quod exigentibus ejus meritis, nulla illud desuper infusi timoris sensibilitate mollivit. Num. 26.

CAPUT XVIII.

De vasis aureis & argenteis ex Ægypto sublatis. Exod. 12. 35.

DUm de exhibenda condescensione rudibus ad virtutum sublimia vocandis tractaretur, in expos. B. Job, lib. 28. adjunctum est: *De vasis aureis & argenteis ex Ægypto sublatis*. Num. 41. MENTES usui vitæ carnalis inhærentes, evelli ab infimis non possunt, nisi gradatim ducta prædicatione proficiant. Hinc quippe est quod in Ægypto positis, pio justoque moderamine, latenti eorum concupiscentiæ condescenditur, & vicinorum suorum vasis aureis argenteisque sublatis, discedere jubentur. Qui ad Sinam montem ducti, accepta Lege mox audiunt: *Non* Exod. 20. 17. *concupisces rem proximi tui*. Hinc est quod in eadem lege, oculum pro oculo, dentem pro Exod. 21. 24. Matt. 5. 39. dente præcipiuntur exigere, & quandoque tamen revelata gratia, percussa maxilla alteram jubentur præbere. Quia enim plus semper ira in vindicta exigit, quam injuria accepit; ut dum discunt mala non multiplicius reddere, quandoque discerent ea & multiplicata sponte tolerare. Hinc est quod eumdem rudem populum a quibusdam prohibuit, quædam vero ei in usum pristinum servavit. Sed hæc ipsa tamen in melioris vitæ figura composuit. Bruta namque animalia idolis in Ægypto mactabant: eisque in usum postmodum animalium mactationem retinuit, sed idolorum cultum vetavit: ut dum de usu suo aliquid amitteret, consolaretur ejus infirmitas per hoc quod de usu suo aliquid haberet. Mira autem dispensatione consilii, quod eis Dominus de consuetudine carnali retinuit, hoc in figuram spiritus potentius vertit. Quid enim sacrificia illorum animalium, nisi unigeniti mortem designant? Quid sacrificia illorum animalium, nisi extinctiones carnalis nostræ vitæ significant? Unde ergo imbecillitati populi rudis condescenditur, inde per umbratas allegoriarum species major fortitudo spiritus nuntiatur.

CA-

[a] Deest hoc caput in nostris mss.

CAPUT XIX.

Exod. 12. 7 & *seq.* *Sument de sanguine agni, ac ponent super utrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum, & edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua: sed assum tantum igni. Caput cum pedibus ejus & intestinis vorabitis, nec remanebit ex eo quidquam usque mane. Si quid residuum fuerit, igne comburetis. Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus vestris, tenentes baculos in manibus; & comedetis festinanter.*

A num. 2. *usque ad finem.* DUm de Paschali mysterio quod in figura futuræ hujus, quæ nunc est, solemnitatis præmissum tractaretur, in hom. 22. in Evang. adjunctum est: *Sument de sanguine agni, ac ponent super utrumque postem, &c.* HÆC videlicet cuncta magnam nobis ædificationem pariunt, si fuerint mystica interpretatione discussa. Quis namque sit sanguis agni, non jam audiendo, sed bibendo didicimus, Qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. Nam qui sic Redemtoris sui sanguinem accipit, ut imitari passionem illius necdum velit, in uno poste sanguinem posuit: qui etiam in superliminaribus domorum ponendus est. Quid enim spiritualiter domos, nisi mentes nostras accipimus, in quibus per cogitationem inhabitamus? Cujus domus superliminare, est ipsa intentio, quæ præeminet actioni. Qui igitur intentionem cogitationis suæ ad imitationem Dominicæ passionis dirigit, in superliminare domus, agni sanguinem ponit. Vel certe domus nostræ, ipsa sunt corpora, in quibus quousque vivimus, habitamus. Et in superliminari domus agni sanguinem ponimus, qui crucem passionis illius in fronte portamus. De quo adhuc agno subditur: *Et edent carnes nocte illa assas igni.* In nocte quippe agnum comedimus: quia in sacramento modo Dominicum corpus accipimus, quando adhuc ad invicem nostras conscientias non videmus. Quæ tamen carnes igni assandæ sunt; quia nimirum dissolvit ignis carnes, quas aqua coxerit: quas vero ignis sine aqua excoquit, roborat. Carnes itaque agni nostri ignis coxit: quia eum ipsa vis passionis illius ad resurrectionem valentiorem reddidit, atque ad incorruptionem roboravit. Qui enim ex morte
Psal. 21. 16. convaluit, videlicet carnes illius ab igne duruerunt. Unde etiam per Psalmistam dicit: *Exaruit velut testa virtus mea.* Quid namque est testa ante ignem, nisi molle lutum? Sed ei ex igne agitur ut solidetur. Virtus ergo humanitatis ejus velut testa exaruit: quia ab igne passionis ad virtutem incorruptionis crevit, sed sola Redemtoris nostri percepta sacramenta ad veram solemnitatem mentis non sufficiunt, nisi eis quoque & bona opera jungantur. Quid enim prodest, corpus & sanguinem illius ore percipere, & ei perversis operibus contraire? Unde bene adhuc ad comedendum subditur: *Et azymos panes cum lactucis agrestibus.* Panes quippe sine fermento comedit qui recta opera sine corruptione vanæ gloriæ exercet, qui mandata misericordiæ sine admixtione peccati exhibet, ne perverse diripiat quod quasi recte dispensatur. Hoc quoque peccati fermentum bonæ suæ actio-

A ni miscuerunt, quibus Prophetæ voce per increpationem Dominus dicebat: *Venite ad Bethel, & impie agite.* Atque post pauca: *Et sacrificate de fermento laudem.* De fermentato namque laudem immolat, qui Deo sacrificium de rapina parat. Lactucæ vero agrestes valde amaræ sunt. Carnes vero agni cum lactucis agrestibus sunt edendæ, ut dum corpus Redemtoris accipimus, nos pro peccatis nostris in fletibus affligamus; quatenus ipsa amaritudo pœnitentiæ abstergat a mentis stomacho perversæ humorem vitæ. Ubi & subditur: *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua.* Ecce jam nos ipsa verba historiæ ab intellectu historico repellunt. Numquid Israeliticus populus ille in Ægypto *Amos* 4. 4. *Ibid.* 5.
B constitutus comedere agnum crudum consueverat, ut ei Lex dicat: *Non comedetis ex eo crudum quid?* Ubi & additur: *Neque coctum aqua.* Sed quid aqua, nisi humanam scientiam designat? Juxta hoc quod per Salomonem sub hæreticorum voce dicitur: *Aquæ furtivæ dulciores sunt.* Quid crudæ agni carnes, nisi inconsideratam, ac sine reverentia cogitationis, relictam illius humanitatem significant? Omne enim quod subtiliter cogitamus, quasi mente coquimus. Sed agni caro nec cruda edenda est, nec aqua cocta: quia Redemtor noster neque purus homo æstimandus est, neque per humanam sapientiam, qualiter incarnari Deus potuit, cogitandus. Omnis enim qui Redemtorem no- *Prov.* 9. 17.
C strum purum hominem credit, quid est aliud, quam agni carnes crudas comedit? Quas videlicet coquere per divinitatis ejus intelligentiam noluit. Omnis vero qui incarnationis ejus mysteria juxta humanam sapientiam discutere conatur, carnes agni vult aqua coquere, id est dispensationis ejus mysterium per dissolutam vult scientiam penetrare. Qui igitur Paschalis gaudii solemnitatem celebrare desiderat, agnum nec aqua coquat, nec crudum comedat: ut neque per humanam sapientiam, profunditatem incarnationis illius penetrare appetat, neque in eum tamquam in hominem purum credat: sed assas igni carnes comedat; ut dispensari omnia per sancti Spiritus potentiam sciat. De quo
D adhuc recte subjungitur: *Caput cum pedibus ejus & intestinis vorabitis.* Sicut supra jam prædiximus, Paulo attestante didicimus, quod caput Christi Deus est. Caput ergo agni vorare, est divinitatem illius fide percipere. Pedes vero agni vorare, est vestigia humanitatis ejus amando & imitando perquirere. Quid vero sunt intestina, nisi verborum illius occulta & mystica mandata? Quæ tunc voramus, cum verba vitæ cum aviditate sumimus. In quo devorationis verbo, quid aliud quam pigritiæ nostræ torpor reprehenditur? Qui ejus verba atque mysteria, & per nosmetipsos non requirimus, & dicta ab aliis inviti audimus. *Non remanebit ex eo quidquam usque mane.* Quia ejus dicta magna sunt sollicitudine discutienda, quatenus pri- *1. Cor.* 11. 3.
E usquam dies resurrectionis appareat, in hac præsentis vitæ nocte omnia mandata illius intelligendo, & operando penetrentur. Sed quia valde est difficile, ut omne sacrum eloquium possit intelligi, & omne ejus mysterium penetrari, recte subjungitur: *Si quid autem remanserit, igne comburetis.* Quod ex agno remanet, igne comburimus, quando hoc, quod de mysterio incarnationis ejus intelligere, & penetrare non possumus, potestati sancti Spiritus humiliter

rese-

reservamus: ut non superbe quis audeat vel contemnere vel denuntiare quod non intelligit, sed hoc igni tradit cum sancto Spiritui reservat. Quia igitur qualiter edendum sit Pascha cognovimus, nunc a qualibus edi debeat, agnoscamus. Sequitur: *Sic autem comedetis illum. Renes vestros accingetis*. Quid in renibus, nisi delectatio carnis accipitur? Unde & Psalmista postulat dicens: *Ure renes meos*. Si enim voluptatem libidinis in renibus esse nesciret, eos uri minime petiisset. Unde quia potestas diaboli in humano genere maxime per luxuriam prævaluit, de illo voce Dominica dicitur: *Potestas ejus in lumbis ejus*. Qui ergo Pascha comedit, habere renes accinctos debet: ut qui solemnitatem resurrectionis atque incorruptionis agit, corruptioni jam per vitia nulla subjaceat, voluptates edomet, carnem a luxuria restringat. Neque etenim cognovit quæ sit solemnitas incorruptionis, qui adhuc per incontinentiam corruptioni subjacet. Hæc quibusdam dura sunt, *sed angusta porta est quæ ducit ad vitam*. Et habemus jam multa exempla continentium. Unde bene adhuc subditur: *Calceamenta habebitis in pedibus*. Quid sunt etenim pedes nostri, nisi opera? Quid vero calceamenta, nisi pelles mortuorum animalium? Calceamenta autem pedes muniunt. Quæ vero sunt mortua animalia, ex quorum pellibus nostri muniuntur pedes, nisi antiqui patres, qui nos ad æternam patriam præcessere? Quorum dum exempla conspicimus, nostri operis pedes munimus. Calceamenta ergo in pedibus habere, est mortuorum vitam conspicere, & nostra vestigia a peccati vulnere custodire. *Tenentes baculos in manibus*. Quid Lex per baculum, nisi pastoralem custodiam designat? Et notandum quod prius præcipimur renes accingere, postmodum baculos tenere: quia illi debent curam pastoralem suscipere, qui jam in suo corpore sciunt fluxus luxuriæ edomare: ut cum aliis fortia prædicant, ipsis desideriis mollibus enerviter non succumbant. Bene autem subditur: *Et comedetis festinanter*. Mandata Dei, mysteria Redemtoris, cælestis patriæ gaudia, cum festinatione cognoscite, & præcepta vitæ cum festinatione implere curate. Quia enim adhuc hodie licet bene agere, scimus: utrum cras liceat, ignoramus. Festinantes ergo Pascha comedite, id est ad solemnitatem patriæ cælestis anhelate. Nemo in hujus vitæ itinere torpeat, ne in patria locum perdat. Nemo moras ad appetenda bona studia innectat, sed cœpta perficiat, ne minime liceat implere quod inchoat. Si ad amorem Dei pigri non sumus, adjuvat ipse quem amamus.

Psal. 25. 2.

Job. 40. 11.

Matt. 7. 13 14

CAPUT XX.

Primogenitum asini mutabis ove.

Exod. 13. 13

Num. 18.

CUm de [a] refutatione præteritarum sordium, & de innovanda cordis innocentia tractaretur, in expos. B. Job, l. 27. & hom. 8. in Ezech. adjunctum est: *Primogenitum asini mutabis ove*. QUID per asinum, nisi immunditia? Et quid per ovem, nisi innocentia designatur? Asini ergo primogenita ove mutare, est immundæ vitæ primordia in innocentiam simplicitatis convertere: ut postquam illa peccator egit, quæ ut immunda Dominus respuit, ea jam agendo proferat, quæ Dei sacrificio imponat. * Omnes enim homines nati in peccatis sumus, atque ex carnis delectatione concepti, culpæ nobiscum originem traximus. Unde fit ut etiam ex voluntate nostra peccatis implicemur. Sed quisquis post malitiam carnis ad innocentiam convertitur cordis, primogenitum asini mutat ove: quia prioris vitæ immunditiam ad innocentiam convertit. Qui enim qualis prius fuerit, esse desinit, apprehensa carnis munditia, innocentiam custodit, in oblationem Dei primogenitum asini ad ovem mutavit.

* In ymo.

CAPUT XXI.

Cum emisisset Pharao populum, non eos eduxit Deus per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est: reputans ne forte post pœniteret, si vidisset adversum se bella consurgere, & reverteretur in Ægyptum.

Exod. 13. 17.

DUm de dispensatoria mutatione, noviter ex interno moderamine ad conversionem venientium tractaretur, in expos. B. Job, lib. 24. adjunctum est: *Cum emisisset Pharao populum, &c.* SÆPE conversi quoque in ipso adhue aditu inchoationis suæ, vel tranquillitatem pacatissimam carnis, vel dona prophetiæ, vel prædicamenta doctrinæ, vel signorum miracula, vel gratiam curationis accipiunt; post hæc autem duris tentationum probationibus fatigantur, a quibus tentationibus adhuc cum inciperent, valde liberos se esse crediderunt. Quod divinæ gratiæ dispensatione agitur, ne inchoatione sua, tentationum asperitate frangantur: quia si eorum initia amaritudo tentationis exciperet, tam facile ad ea, quæ reliquerant, redirent, quam nec longius discesserant a nam contemtis prius vitiis quasi juxta positis * replicarentur. Unde scriptum est: *Cum dimisisset Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam terræ Philisthum, quæ vicina est, reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, & reverteretur in Ægyptum*. Ex Ægypto itaque exeuntibus e vicino bella subtrahuntur: quia derelinquentibus seculum, quædam prius tranquillitas ostenditur: ne in ipsa sua teneritudine atque inchoatione turbati, ad hoc territi redeant quod evaserunt. Prius ergo suavitatem securitatis sentiunt; prius pacis quiete nutriuntur; post cognitam vero dulcedinem tanto jam tolerabilius tentationum certamina sustinent, quanto in Deo altius cognovere quod ament.

Num. 29.

* Id est reimplicarentur, seu iterum implicarentur.

CAPUT XXII.

Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.

Exod. 13. 21.

DUm de qualitate futuri judicii tractaretur, in expos. B. Job, l. 2. & in ho. 21. in Evang adjunctum est: *Dominus autem præcedebat eos, &c.* QUID in igne nisi terror est? In nube autem visionis lene blandimentum. Dies vero vita justi, & nox accipitur vita peccatoris. Unde & conversis peccatoribus Paulus dicit: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. In die ergo per nubem columna monstrata est, & in nocte per ignem: quia omnipotens Deus & blandus justis, & terribilis apparebit injustis. Justos in judicio veniens per lenitatis mansuetudinem demulcet; illos vero

Num. 57.

Num. 3.

Ephes. 5. 8.

a In excusis legitur, *de revocanda cordis ingenitia, ex refutatione præteritarum sordium*. Sequimur unanimem mss. sensum.

vero per justitiæ districtionem terret. Rursum de hac columna ignis & nubis subtili investigatione discussum intelligi & aliter potest. Quid est ergo quod columna nubis, quæ in eremo populum præibat, splendore ignis non in die sed in nocte radiabat: nisi quia Redemtor noster suæ conversationis exemplo, ducatum sequentibus præstans, de justitia sua confidentibus, nulla luce claruit: peccatorum vero suorum tenebras agnoscentibus, ignem sui amoris infulsit.

CAPUT XXIII.

Exod. 14. 15. *Quid clamas ad me?*

DUm de accendendo cordis desiderio in Deum tractaretur, in expos. B. Job, l. 22. adjunctum est: *Quid clamas ad me?* VOCES apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Æternam etenim vitam si ore petimus, nec tamen corde desideramus, clamantes tacemus. Si vero desideramus ex corde, etiam cum ore conticescimus, tacentes clamamus. Hinc est quod in eremo populus vocibus perstrepit, & Moyses a strepitu verborum tacet: & tamen silens aure divinæ pietatis auditur, cum dicitur: *Quid clamas ad me?* Intus est ergo in desiderio clamor secretus: quia ad humanas aures non pervenit, & tamen auditum Conditoris replet.

Num. 43.

CAPUT XXIV.

Exod. 16. 15. *De manna filiis Israel desuper dato.*

CUm de præparando animo ad percipiendam supernæ compunctionis dulcedinem tractaretur, in expos. B. Job, l. 27. adjunctum est: *De manna filiis Israel desuper dato.* QUID per manna quod populo desuper datum est, nisi admiratio supernæ dulcedinis designatur? Dulcis enim cibus, qui de supernis accipitur, *manhu* vocatur. Manhu enim dicitur, quid est hoc? Et, quid est hoc, dicimus, quando hoc quod cernimus, nescientes admiramur. Supernum igitur manna anima percipit, cum per vocem compunctionis elevata, novam speciem internæ refectionis obstupescit, ut divina dulcedine repleta, jure respondeat, quid est hoc. Quia dum ab infima cogitatione suspenditur, ea quæ de supernis conspicit, insolite miratur. Et cum hac voce torporis nostri surditas rumpitur, vetustæ vitæ protinus usus mutatur: ut anima superno spiritu afflata, & in summis appetat, quæ contemserat, & contemnat in infimis, quæ appetebat.

Num. 46.

CAPUT XXV.

Exod. 17. 12. *Manus autem Moysi erant graves. Sumentes igitur lapidem, posuere subter eum, in quo sedit. Aaron autem & Hur sustentabant manus ejus.*

CUm de Mediatoris adventu, & de levigata per intellectum spiritus Legis duritia tractaretur in homil. 33. in Evang. adjunctum est: *Manus autem Moysi erant graves &c.* MOYSES sedit in lapide, cum Lex requievit in Ecclesia. Sed hæc eadem Lex manus graves habuit: quia peccatores quosque non misericorditer pertulit, sed severa districtione percussit. Aaron vero mons fortitudinis, Hur autem ignis interpretatur. Quem itaque iste mons fortitudinis signat, nisi Redemptorem nostrum, de quo per Prophe- A tam dicitur: *Erat in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium?* Aut quis per ignem nisi Sanctus Spiritus figuratur, de quo idem Redemtor dicit: *Ignem veni mittere in terram?* Aaron ergo & Hur graves manus Moysi sustinent, atque sustentando leviores reddunt: quia Mediator Dei & hominum cum igne sancti Spiritus veniens, mandata Legis gravia, quæ dum carnaliter tenerentur, portari non poterant, tolerabilia nobis per spiritualem intelligentiam ostendit. Quasi enim manus Moysi leves reddit: quia pondus mandatorum Legis ad virtutem confessionis retorsit. Hanc nobis frequentis misericordiæ promissionem innuit, cum per Prophetam dixit: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Hinc iterum B sub Judææ specie unicuique peccatrici animæ dicitur: *Si dereliquerit vir uxorem suam, & illa recedens duxerit virum alium, numquid revertetur ad eum ultra? Numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata cum amatoribus multis tamen revertere ad me, dicit Dominus.* Ecce paradigma turpis mulieris dedit. Ostendit quod post turpitudinem recipi non possit. Sed hoc ipsum paradigma quod protulit, per misericordiam vincit, cum dicit fornicantem mulierem recipi nequaquam posse, & tamen ipse fornicantem animam, ut recipiat, expectat. Pensemus pondus tantæ pietatis. Dicit quod fieri non potest, & demonstrat, quia hoc ipse facere etiam contra morem potest. Ecce vocat, & quos inquinatos C denuntiat, hos etiam amplecti quærit, a quibus desertum esse se queritur. Inflexit ergo ad misericordiam duritiam Legis: quia quos juste illa damnat, ipse misericorditer liberat.

Num. 8.

Isa. 2. 2.

Luc. 12. 49.

Ezech. 33. 11.

Jerem. 3. 1.

CAPUT XXVI.

Quod Legem daturus Dominus in igne fumoque descendit. Exod. 19. 18.

CUm de extirpando primum desideriorum carnalium appetitu, & tunc ad intuenda sublimia, dirigenda mentis acie tractaretur, in expos. B. Job, l. 6. adjunctum est: *Quod Legem daturus Dominus in igne, &c.* QUID est quod Legem daturus in igne fumoque descendit, nisi quia D & humiles per claritatem suæ ostensionis illuminat, & superborum oculos per caliginem erroris obscurat? Prius igitur mens ab appetitu gloriæ temporalis, atque ab omni carnalis concupiscentiæ delectatione tergenda est, & tunc ad aciem contemplationis erigenda. Unde & cum Lex accipitur, populus a monte prohibetur, ut videlicet qui infirmis adhuc mentibus terrena desiderat, considerare sublimia non præsumat. Ubi recte dicitur: *Si bestia tetigerit montem, lapidabitur.* Bestia etenim montem tangit, cum mens irrationalibus desideriis subdita, ad contemplationis alta se erigit. Sed lapidibus percutitur, quia summa non sustinens, ipsis superni ponderis ictibus necatur. Qui igitur culmen apprehen- E dere perfectionis nituntur, cum contemplationis arcem tenere desiderant, prius se in campo operis per exercitium probent, ut sollicite ferant si nulla jam mala proximis irrogant; si irrogata a proximis æquanimiter portant: si objectis bonis temporalibus nequaquam mens lætitia solvitur, si subtractis non nimio mœrore sauciatur: ac deinde perpendat, si cum ad semetipsos interius redeunt, in eo quod spiritualia rimantur, nequaquam secum rerum corporalium umbras trahunt; vel fortasse tractas, manu discretionis abigunt: si incit-

Num. 58. 59.

Ibidem v. 14.

incircumscriptum lumen videre cupientes, cunctas circumscriptionis suæ imagines deprimunt, & in eo quod super se contingere appetunt, vincunt quod sunt.

CAPUT XXVII.

Exod. 19.19.

Quod Israel verba Dei in monte audire non valens, præcepta in campestribus accepit.

Num. 8.

CUm de intelligendis Scripturæ mysteriis, pro rerum qualitatibus temporeque expressione dispositis tractaretur, in expos. B. Job, lib. 2. adjunctum est: *Quod Israel verba, &c.* INTUERI libet quomodo sacra eloquia in exordiis narrationum, qualitates exprimunt terminosque causarum. Aliquando namque a positione loci, aliquando a positione corporis, aliquando a qualitate aeris, aliquando a qualitate temporis signant quid de ventura actione subjiciant. A positione quippe locorum divina Scriptura exprimit subsequentium merita finesque causarum, sicut de Israel dicit: quia verba Dei in monte audire non potuit, sed præcepta in campestribus accepit: subsequentem nimirum infirmitatem populi indicans, qui ascendere ad summa non valuit, sed semetipsum in infirmis negligenter vivendo laxavit. A positione corporis futura denuntiat: sicut in Apostolorum Actibus Stephanus Jesum, qui a dextris virtutis Dei sedet, stantem se vidisse manifestat. Stare quippe adjuvantis est. Et recte stare cernitur, qui in bello certaminis opitulatur. A qualitate aeris res subsequens demonstratur, sicut Evangelista, cum, prædicante Domino, nullos tunc ex Judæis crediturus diceret, præmisit, dicens: *Hyems autem erat.* Scriptum namque est: *Abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum.* Idcirco hyemis curavit tempus exprimere, ut inesse auditorum cordibus malitiæ frigus indicaret. Hinc est quod de negaturo Petro præmittitur: *Quia frigus erat, & stans ad prunas calefaciebat se.* Jam namque intus a caritatis calore torpuerat, & ad mortem præsentis vitæ, quasi ad persecutorum prunas, infirmitate æstuante recalebat. A qualitate quoque temporis, finis exprimitur actionis, sicut non rediturus ad veniam, ad traditionis perfidiam nocte Judas exiisse perhibetur, cum, egrediente illo, ab Evangelista dicitur: *Erat autem nox.* Hinc enim & iniquo diviti dicitur: *Hac nocte repetent animam tuam abs te.* Anima quippe, quæ ad tenebras ducitur, non in die repeti, sed in nocte memoratur. Hinc est quod Salomon, qui sapientiam non perseveraturus accepit, in somnis hanc in nocte accepisse describitur. Hinc est quod Angeli ad Abraham meridie veniunt, punituri autem Sodomam, ad eam vespere venisse memorantur.

Act. 7. — Johan. 10.22. — Matth. 24.12. — Johan. 18.18. — Joh. 13.30. — Luc. 12. 20. — 3. Reg. 3. — Gen. 18. — Gen. 19.

CAPUT XXVIII.

Exod. 19. v. 3. & 20.

Moyses ascendit, & Dominus in montem descendit.

Num. 66.

DUm de aspiratione supernæ gratiæ per meritum contemplationis assumtæ tractaretur, in exposit. B. Job, lib. 5. adjunctum est: *Moyses ascendit &c.* QUID per montem, nisi ipsa nostra contemplatio designatur, in quam nos ascendimus, ut ad ea, quæ ultra infirmitatem nostram sunt videnda, sublevemur? Sed in hanc Dominus descendit, quia nobis multum proficientibus, parum de se aliquid nostris sensibus aperit; si tamen dici in illo vel parum vel aliquid potest; qui unus semper & idem permanens, intelligi partiliter non potest; & tamen a suis fidelibus participari dicitur, cum in ejus substantia pars nullatenus admittatur. Sed quia hunc exprimere perfecto sermone non possumus, humanitatis nostræ modulo, quasi infantiæ imbecillitate præpediti, cum aliquatenus balbutiendo resonamus.

CAPUT XXIX.

Exod. 20.21.

Stetit populus de longe, Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Deus.

CUm de discretione tenendæ allegoriæ, ac historiæ tractaretur, hom. 9. * in Ezechielem, adjunctum est: *Stetit populus de longe, &c.* IN sacro eloquio intelligentiæ magna discretio est. Sæpe enim in quibusdam locis illius, & historia servanda & allegoria, & sæpe in quibusdam sola exquirenda est allegoria, & aliquando vero sola necesse est ut teneatur historia. Nam in quibusdam locis, sicut diximus, historia simul tenenda est & allegoria: ut & tardiores pascantur per historiam, & velociores ingenio per allegoriam. Unde cum, loquente Domino, populus lampades & sonitum buccinæ & montem fumigantem cerneret, perterritus petiit, ut eis per Moysen Dominus loqueretur. Et scriptum est: *Stetit populus de longe, Moyses accessit ad caliginem, in qua erat Deus.* Turba quippe populi, allegoriæ caliginem non valet penetrare; quia valde paucorum est spiritualem intellectum rimari. Quia enim mentes carnalium sola sæpe historia pascuntur, loquente Deo, longe populus stetit. Quia vero spirituales quique allegoriarum nubem penetrant, ut spiritualiter Dei verba cognoscant: *Moyses accessit ad caliginem, in qua erat Deus.* (Exod. 20.21.)

CAPUT XXX.

Exod. 20.24.

Altare de terra facietis mihi.

Num. 31.

CUm de incarnatione Dominica tractaretur, in expos. B. Job, lib. 3. adjunctum est: *Altare de terra facietis mihi.* ALTARE de terra Deo facere, est incarnationem Mediatoris sperare. Tunc quippe a Deo nostro munus accipitur, quando in hoc altari nostra humilitas, id est super Dominicæ incarnationis fidem posuerit quidquid operatur. Ponimus ergo in altari de terra oblatum munus, si actus nostros Dominicæ incarnationis fide solidamus.

CAPUT XXXI.

Exod. 21. v. 2. & seq.

Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi: in septimo egredietur liber gratis. Cum quali veste intraverit, cum tali exeat: si habet uxorem, & uxor egrediatur simul. Sin autem Dominus dederit illi uxorem, & peperit filios & filias, mulier & liberi ejus erunt Domini sui, ipse vero exibit cum vestitu suo. Quod si dixerit servus: Diligo Dominum meum, & uxorem, ac liberos, non egrediar liber: offerat eum Dominus diis, & applicabitur ad ostium, & postes: perforabitque aurem ejus subula; & erit ei servus in seculum.

DUm de activa, contemplativaque vita tractaretur, hom. 3. in Ezech. adjunctum est: *Si emeris servum*

* Hoc loco indicato nullatenus reperitur.

servum Hebræum, &c. SCIENDUM est, quia cum activa vel contemplativa vita ex dono sint gratiæ, quamdiu tamen inter proximos vivimus, una nobis in necessitate est, altera in voluntate. Quis enim cognoscens Deum, ad ejus regnum ingreditur, nisi bene operetur? Sine contemplativa ergo vita intrare possunt ad cælestem patriam, qui bona quæ possunt operari non negligunt. Sine activa autem intrare non possunt, si negligunt bona operari, quæ possunt. Illa ergo in necessitate, hæc in voluntate est. Illa in servitute, ista in libertate est. Unde & ad Moysen dicitur: *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi: in septimo egredietur liber gratis*, & reliqua quæ sequuntur. Hebræus, transiens interpretatur. Et servus Hebræus emitur, quando unusquisque, qui jam ab hoc seculo mente transit, servitio omnipotentis Domini subditur. Ille etenim vere Deo servire appetit, qui ab hoc seculo mente transire didicerit. Sic Moyses transivit in deserto ut videret visum. Sic David cum videret impium exaltatum & elevatum super cedros Libani, transivit & ecce non erat: quia iniquorum potentiam esse magnum aliquid fortasse credimus; nisi ad permanens seculum mente transeamus. Servus vero Hebræus emtus sex annis servire præcipitur, itaut in septimo liber exeat gratis. Quid enim per senarium numerum, nisi activæ vitæ perfectio designatur? Quid per septenarium, nisi contemplativa exprimitur? Sex ergo annis servit, & septimo egreditur liber, qui per activam, quam perfecte exhibuerit, ad contemplativæ vitæ libertatem transit. Et notandum quod gratis liber egreditur, quia hi, qui postquam omnia fecerint, dicunt se inutiles servos: eis procul dubio sicut ipsa activa fuit ex munere, ita erit ex gratia etiam contemplativa. *Cum quali veste intraverit, cum tali exeat*: quia omnino necesse est ut unusquisque nostrum in hoc, quod incipit, perseveret, atque usque ad finem operis in ea, qua inchoavit, intentione perduret. Ille quippe bene ad contemplativam transit, qui in activa vita intentionis suæ vestem ad deteriora non mutaverit. Et sunt nonnulli, qui priusquam omnipotentis Dei servitio socientur, jam bona operari diligunt. Sunt vero alii, qui bona opera postquam ad servitium omnipotentis Dei venirent, discunt. Qui ergo operationem bonam, priusquam ad Dei servitium veniret, habere studuit, Hebræus servus cum uxore emtus est. Et plerumque is qui talis est, potest ad contemplativam vitam transire, & tamen activam non deserere. Unde & hic subditur: *Si habet uxorem, & uxor egredietur simul*. Cum eo enim ad libertatem & uxor egreditur, quando is, qui ad contemplationem pervenit, etiam foris actionem boni operis, quæ prodesse possit aliis, non relinquit. Sin autem Dominus dederit illi uxorem, & peperit filios ac filias, mulier & liberi ejus erunt Domini sui, ipse vero exibit cum vestitu suo. Servo emto Dominus dat uxorem, cum prædicator quisque eum, quem juri omnipotentis Dei mancipaverit, bonæ actioni conjungit. Nam & prædicatores Domini vocantur, sicut Elisæo Prophetæ de prædicatore suo dicitur: *Scis quod dominus tuus tolletur a te?* Uxor vero servi emtitii filios & filias parit, quando ei bona actio fortes vel tenuiores fructus generat. Sed mulier, quæ a Domino data est, cum filiis Domino cum filiis remanet: ipse vero servus cum vestitu suo exit; quia bona actio, vel ejusdem bonæ actionis fructus prædicatoris mercede reputantur. Ipse vero in desiderii sui intentione perdurans, per supernam gratiam ad contemplationem liber egreditur. *Quod si dixerit servus: Diligo Dominum meum, & uxorem, ac liberos; non egrediar liber*. Servus Dominum suum diligit, quando prædicatoris verba sollicita intentione custodit. Uxorem quoque, amans & liberos, liber egredi recusat, quando activam vitam ejusque fructum diligens, transire ad contemplativam non voluit, quia bona se opera habere in ministerii sui servitute considerans, ad libertatis quietem renuit transire. Sed, *offerat eum Dominus diis, & applicetur ad ostium & postes, & perforet aurem ejus subula, ut sit ei servus in seculum*. Is enim, qui in activa disposuit vita perdurare, a Domino diis offertur, quando a prædicatore suo antiquorum patrum dictis imbuitur, qui nobis in via omnipotentis Domini Sacerdotes fuere. Atque ad ostium & postes tabernaculi ducitur, ut de ingressu æterni tabernaculi altius aliquid audiat, & tremendi judicii diem subtiliter agnoscat; ne per bona opera, quæ facit, placere hominibus appetat. Sicque auris ejus subula perforatur, dum mens illius timoris Dei subtilitate percutitur; ut & verbi acumine transfixa, per omne, quod agit, noverit ingressum regni semper attendere, & quasi ab ostio & poste tabernaculi perforatam aurem portare. Qui erit servus in seculum, ut esse post seculum liber possit. In seculum etenim servus est, qui per activam vitam hominibus servire disposuit, ut post præsens seculum ad libertatem veram valeat pervenire. De qua per Paulum dicitur: *Quia & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Tunc etenim vera in nobis libertas erit, cum ad gloriam filiorum Dei adoptio nostra pervenerit. Nunc vero non solum activa in servitute est, sed ipsa quoque contemplativa, qua super nos rapimur, libertatem mentis adhuc perfecte non obtinet; sed imitatur: quia illa quies intima in ænigmate videtur.

CAPUT XXXII.

Si quis aperuerit cisternam & foderit, & non operuerit eam, ceciderique bos vel asinus in eam, Dominus cisternæ reddet pretium jumentorum.

DUm de tenenda sacri verbi mensura, secundum qualitatem audientium tractaretur, in expos. B. Job, l. 17. adjunctum est: *Si quis aperuerit cisternam & foderit, &c.* QUID est aperire cisternam, nisi intellectu valido Scripturæ sacræ arcana penetrare? Quid autem per bovem & asinum, id est mundum immundumque animal, nisi fidelis quisque vel infidelis accipitur? Qui ergo cisternam fodit, cooperiat, ne illic bos vel asinus ruat; id est qui in sacro eloquio jam alta intelligit, sublimes sensus coram non capientibus per silentium tegat, ne per scandalum mentis, aut fidelem parvulum, aut infidelem, qui credere potuisset, interimat. Ex morte enim jumentorum debet pretium: quia illud scilicet amisisse convincitur, unde ad agendam pœnitentiam reus tenetur. Quisquis namque ad alta scientiæ fluenta perveniens, cum hæc apud bruta audientium corda non contexerit, pœnæ reus addicitur, si per verba ejus in scandalum, sive munda, seu mentis immunda capiatur. Operienda est itaque cisterna: quia coram parvulis mentibus tegen-

da est alta scientia, ne unde cor docentium ad summa attollitur, inde infirmitas auditorum ad ima dilabatur.

CAPUT XXXIII.

Exod. 22. 26. *Cum debet tibi quidpiam frater tuus, & abstuleris pignus ab eo, ante solis occasum pignus restitue.*

DUm de utilitate confessionis tractaretur, in expos. B. Job, l. 16. adjunctum est: Num. 32. *Cum debet tibi quidquam frater tuus, &c.* QUID hoc loco pignoris nomine, nisi peccati confessio datur intelligi? Frater etenim noster debitor nobis efficitur, cum quilibet proximus in nos aliquid deliquisse monstratur. Peccata quippe debita vo-
Matth. 18. 32. camus. Unde peccatori servo dicitur: *Omne debitum dimisi tibi.* Et in Dominica quotidie oratio-
Matth. 6. 12. ne precamur. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* A debitore autem nostro pignus accipimus, quando ab eo qui & nobis peccasse cognoscitur, peccati ejus jam confessionem tenemus, per quam relaxare peccatum, quod in nobis perpetratum est, postulamur. Qui enim peccatum, quod commisit, fatetur, & veniam petit, jam quasi pro debito pignus dedit. Quod nimirum pignus ante solis occasum reddere jubemur, quia priusquam in nobis per dolorem cordis sol justitiæ occidat, debemus ei confessionem veniæ reddere, a quo confessionem accipimus culpæ: ut qui se deliquisse in nos meminit, a nobis mox relaxatum sentiat quod deliquit.

CAPUT XXXIV.

Exod. 24. 9. *Quod Moyses accepturus Legem in montem ascendit.*

DUm de appetenda quiete interna, & cordis munditia tractaretur, in expos. B. Job, adjunctum est: *Quod Moyses accepturus Legem in montem ascendit.* [a] QUID est, quod Moyses, ut sublimia Dei præcepta perciperet, alta conscendit: atque ut interna penetraret, ab externis tumultibus occultatur? nisi quod sancti viri, qui exterioribus ministeriis deservire officii necessitate coguntur, studiose semper ad cordis secreta refugiunt: ibique cogitationis intimæ cacumen ascendunt, & Legem quasi in monte percipiunt: dum postpositis tumultibus actionum temporalium, in contemplationis suæ verticem, supernæ voluntatis sententiam perscrutantur.

CAPUT XXXV.

Exod. 25. 25. & seq. *Facies quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos. Duo circuli sint in latere uno, & duo in altero. Facies quoque vectes de lignis Sethim, & operies auro, inducesque circulos, qui sunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis; qui semper erunt in circulis, nec umquam extrahentur ab eis.*

CUm de prædicatione doctorum Ecclesiæ tra-
Past. 2. c. 11. ctaretur, in eod. Reg. Past. adjunctum est: *Facies quatuor circulos aureos, &c.* QUID per arcam, nisi sancta Ecclesia figuratur? Cui quatuor circuli aurei per quatuor angulos juben-
A tur adjungi: quia in eo quod per quatuor mundi partes dilatata tenditur; procul dubio sancti Evangelii libris accincta prædicatur. Vectesque de lignis Sethim fiunt, qui iisdem ad portandum circulis inseruntur: quia fortes perseverantesque doctores velut imputribilia ligna quærendi sunt, qui instructioni sacrorum voluminum semper inhærentes, sanctæ Ecclesiæ unitatem denuntient, & quasi intromissis circulis arcam portent. Vectibus quippe arcam portare, est bonis Doctoribus sanctam Ecclesiam ad rudes infidelium mentes prædicando deducere. Qui auro quoque jubentur operiri, ut dum sermone aliis insonant, ipsi etiam vitæ splendore fulgescant. De quibus apte subditur: *Qui semper erunt*
B *in circulis, nec umquam extrahentur ab eis:* quia nimirum necesse est ut qui ad officium prædicationis excubant, a sacræ lectionis studio non recedant. Ad hoc namque vectes esse in circulis semper jubentur, ut cum portari arcam opportunitas exigit, de intromittendis vectibus portandi tarditas nulla generetur: quia videlicet cum spirituale aliquid a subditis Pastor inquiritur, ignominiosum valde est, si tunc quærit discere, cum quæstionem debet enodare. Sic circulis vectes inhæreant, ut doctores semper in suis cordibus eloquia sacra meditantes, testamenti arcam sine mora elevent, si quidquid necesse est protinus doceant. Unde bene primus Pastor Ecclesiæ Pastores ceteros admo-
C net, dicens: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe.* 1. Petr. 3. 15.
Ac si aperte dicat: ut ad portandam arcam mora nulla præpediat, vectes a circulis numquam recedant.

CAPUT XXXVI.

Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex utraque parte oraculi. Cherubim unus sit in latere uno, & alter in altero; utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus ad propitiatorium. Exod. 25. 18.

D DUm de concordia novi ac veteris Testamenti, & de Mediatoris adventu tractaretur, homil. 6. in Ezechielem, adjunctum Num. 15.
est: *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies, &c.* QUID per propitiatorium, nisi Mediator Dei & hominum designatur? De quo per Paulum dicitur: *quem posuit Deus propitiationem* Rom. 3. 25.
per fidem in sanguine ipsius. Quid vero, per duo Cherubim, qui plenitudo scientiæ dicitur, nisi utraque Testamenta signata sunt? Ex quibus unum a summitate una propitiatorii, aliud vero a summitate altera stat: quia quod Testamentum vetus de incarnatione nostri Redemptoris cœpit prophetando promittere, hoc Testamentum novum perfecte narrat expletum. Duo autem Che-
E rubim ex auro mundissimo facta sunt: quia utraque Testamenta pura ac simplici veritate describuntur. Expandunt vero alas, & oraculum operiunt: quia nos, qui omnipotentis Dei oracula sumus, a culpis imminentibus, Scripturæ sacræ ædificatione protegimur. Cujus dum sententias sollicite aspicimus, ab errore ignorantiæ ejus alis velamur. Duo vero Cherubim se mutuo respiciunt versis vultibus in propitiatorium: quia utraque Testamenta nulla a se varietate discrepant. Et qua-

si ad

a In mss. non assignatur quo in loco fuerit id sumptum. Certe non invenitur lib. 14. in Job, cap. 12. ut in editis legitur.

si ad semetipsa vicissim facies tenent: quia dum A quod unum promittit, hoc aliud exhibet, interpositum Mediatorem Dei & hominum vident. Facies quippe a semetipsis Cherubim averterent, si quod unum Testamentum promitteret, aliud negaret. Sed dum concorditer de Mediatore Dei & hominum unum loquuntur, vicissim ut se respiciant, in propitiatorium intendunt. Quod enim designavit Vestamentum vetus, hoc Testamentum novum exhibuit. Ut enim pauca de multis loquar. Quid est quod, Adam dormiente, Eva producitur, nisi quod moriente Christo, Ecclesia fidelium nascitur? Quid est quod Isaac ad immolandum ducitur, & ligna portat, aræ superimponitur, & vivit, nisi quod Redemtor noster ad passionem ductus, lignum sibi crucis ipse portavit, & sic ex humanitate est mortuus, ut tamen immortalis maneret ex divinitate? Vera ergo Testamenta ita sibi in Mediatorem Dei & hominum congruunt, ut quod unum signat, hoc alterum exhibeat.

CAPUT XXXVII.

Item unde supra.

Num. 3. IN expositione Evangelii hom. 23. CHERUBIM, plenitudo scientiæ dicitur. Et quid per duo Cherubim, nisi utraque Testamenta signantur? Quid vero per propitiatorium, nisi incarna-

1. Johan. 2. 2. tus Dominus figuratur? De quo Johannes ait: *Ipse est enim propitiatio pro peccatis nostris.* Et dum Testamentum vetus hoc faciendum denuntiat, quod Testamentum novum de Domino factum clamat, utraque quasi Cherubim se invicem aspiciunt, dum vultus in propitiatorium vertunt: quia dum inter se positum incarnatum Dominum vident, a suo aspectu non discrepant, quæ dispensationis ejus mysterium concorditer narrant.

CAPUT XXXVIII.

Exod. 25. 29. *Parabis & acetabula, ac phialas, thuribula, & cyathos, in quibus offerenda sunt libamina.*

Num. 4. CUm de discrete tenenda a doctoribus prædicationis mensura tractaretur, in expos. B. Job, l. 20. adjunctum est: *Parabis & acetabula, &c.* QUID per phialas, & cyathos, nisi mensura prædicationis accipitur, qua oportet ut exhortationis gratia singulis juxta capacitatem ingenii conferatur? Debet enim is subtiliter qui docet perspicere ne plus studeat, quam ab audiente capiatur, prædicare. Debet & ad infirmitatem audientium semetipsum contrahendo descendere, ne dum parvis sublimia, & idcirco non profutura loquitur, se magis curet ostentare, quam auditoribus prodesse. Jubente autem Domino, non solum phialæ ad mensam tabernaculi, sed etiam cyathi præparantur. Quid enim per phialas, nisi larga prædicatio? quid enim per cyathum, nisi minima ac tenuis de Deo locutio designatur? In mensa igitur Domini, & phialæ præparantur, & cyathi: quia videlicet in doctrina E sacri eloquii, non solum exhibenda sunt magna, & arcana, quæ inebriant; sed etiam parva & subtilia, quæ quasi per gustum notitiam præstant.

CAPUT XXXIX.

Item unde supra.

IN expositione Evangelii homil. 6. QUID per phialas, nisi doctrina exuberans? & quid per cyathos, nisi parva atque angusta scientia designatur? Alius namque doctrina veritatis plenus audientium mentes inebriat: per hoc ergo quod dicit, profecto phialam porrigit. Alius explere quod sentit, non valet: sed quia hoc utcumque denuntiat, profecto per cyathum gustum præbet. In Dei ergo tabernaculo, id est in sancta Ecclesia politi, si per doctrinam sapientiæ ministrare phialas minime possunt, in quantum pro divina largi- B tate sufficiunt, proximis suis boni verbi dare cyathos debent. Num. 6.

CAPUT XL.

Facies & candelabrum ductile de auro mundissimo, hastile ejus, & calamos, & scyphos, & sphærulas, ac lilia ex ipso procedentia. Exod. 25. 31.

CUm de mysterio incarnationis Dominicæ, deque membris ei per fidem adhærentibus tractaretur, l. 1. in hom. 6. in Ezech. adjunctum est: *Facies & candelabrum ductile de auro mundissimo, &c.* Num. 8.
QUIS in candelabro, nisi Redemtor humani generis designatur? qui in natura humanitatis infulsit lumen divinitatis, ut mundi candelabrum fie- C ret, quatenus in ejus lumine omnis peccator, in quibus jaceret tenebris, videret. Qui pro eo quod nostram naturam sine culpa suscepit, candelabrum tabernaculi de auro purissimo fieri jubetur. Ductile autem feriendo producitur, quia & Redemtor noster, qui ex conceptione & nativitate perfectus Deus & homo extitit, passionum ictus pertulit, & sic ad resurrectionis gloriam pervenit. Ex auro ergo mundissimo ductile candelabrum fuit, quia & peccatum non habuit, & tamen ejus corpus per passionis contumelias ad immortalitatem profecit. Nam juxta animæ meritum, quo percussionibus potuisset proficere, omnino non habuit. In membris autem suis, quæ nos sumus, quotidie percussionibus D proficit: quia dum nos tundimur, & afficimur, ut ejus corpus esse mereamur, ipse proficit, de cujus corpore scriptum est: *Ex quo totum corpus per nexus, & conjunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei.* [a] Corpus quippe illius nos omnes sumus, per nexus vero & conjunctiones corpus ligatur: quia dum capiti pectus, dum pectori brachia, dum brachiis manus, digiti manibus sunt conjuncti, & membra cetera membris inhærent, corpus omne perficitur: sic sancti Apostoli qui Redemtori nostro propinqui steterunt, quasi pectus capiti inhæserunt. Quos quia Martyres sunt secuti, quasi conjuncta brachia pectori fuerunt. Quibus dum Pastores & Doctores subjuncti sunt per bona opera, manus brachiis inhæserunt. Hoc vero omne corpus Redemtoris nostri quotidie per nexus & conjunctiones subministratur in cælo, quia cum ad eum illuc electæ animæ ducuntur, ei sua membra colligantur: de quo bene dicitur: *Subministratum & constructum crescit in augmentum Dei*; quia Deus omnipotens Redemptor noster, qui in se quo proficiat non habet, adhuc per membra sua quotidie augmentum habet. Unde rursus scriptum est: *Donec occurramus omnes in mensuram plenitudinis Christi.* Ephes. 4. 13.

Col. 2. 19.

[a] Quæ sequuntur usque ad: *Hastile, &c.* in excusis omissa, restituimus ex omnibus MSS. nostris.

Hastile vero ejus ipsa Ecclesia debet intelligi, quæ corpus ejus est: quia inter tot adversa, libera stat. Calami autem, qui de hastili prodeunt, prædicatores sunt, qui dulcem sonum in mundo ediderunt, videlicet canticum novum. Scyphi autem vino repleri solent. [a] Quid ergo mentes auditorum nisi scyphi sunt, quæ a sanctis prædicatoribus vino scientiæ replentur? [b] Quid ergo ora doctorum nisi scyphi sunt, qui vino nos scientiæ ebriant, ut oblectamenta mundi, quæ amavimus, obliviscamur? Sphærula enim quid est aliud, nisi volubilitas prædicationis? Sphærula enim ex omni parte volvitur, & prædicatio, quæ nec adversitate retineri potest, nec prosperitatibus elevatur, sphæra est: quia inter adversa fortis, & inter prospera humilis, nec timoris habet angulum, nec elationis. In cursu ergo suo figi non valet: quia per cuncta se volubiliter trahit. Ut autem hoc quod exempli causa protulimus, exequamur, bene post calamos, scyphos, & sphærulas, in candelabro lilia describuntur: quia post hanc, quam diximus, prædicationis ebrietatem atque volubilitatem, illa virens patria sequitur, quæ animabus sanctis, id est floribus vernat æternis. Scyphi ergo, & sphærulæ ad laborem pertinent, lilia ad retributionem.

CAPUT XLI.

Exod. 26. 1. *Tabernaculum vero ita fiet: decem cortinas de bysso retorta, & hyacintho, variatas opere plumario facies.* Et paulo post: *Facies & saga cilicina undecim, ad operiendum tectum tabernaculi.* Et iterum: *Facies & operimentum aliud de pellibus arietum.*

Num. 19. DUm de cavendis murmurationibus contra Rectores suos quibuslibet spiritualibus subditis tractaretur, in expos. B. Job, lib. 25. adjunctum est: *Tabernaculum vero ita fiet, &c.* QUID per pelles & cilicia, quibus tabernaculum tegitur, nisi grossas hominum mentes accipimus, quæ aliquando in Ecclesia, occulto Dei judicio, quamvis duræ sint, præferuntur? Quæ quia servire curis temporalibus non timent, oportet ut tentationum ventos & pluvias de hujus mundi contrarietatibus portent. Quid vero per hyacinthum, coccum, byssumque signatur, nisi Sanctorum vita tenera, sed clara? Quæ dum caute in tabernaculo sub ciliciis & pellibus absconditur, sua integra pulchritudo servatur. Ut enim in interiora tabernaculi byssus fulgeat, coccus coruscet, hyacinthus cæruleo colore resplendeat: desuper pelles & cilicia, imbres, ventos, & pulverem portant. Quæ igitur magnis virtutibus in sanctæ Ecclesiæ sinu proficiunt, præpositorum suorum vitam despicere non debent, cum vacare eos rebus exterioribus vident: quia hoc, quod ipsi securi intima penetrant, ex illorum adjumento est, qui contra procellas hujus seculi exterius laborant. Quam enim candoris sui gratiam retineret, si byssum pluvia tangeret? aut quid fulgoris atque claritatis coccus, vel hyacinthus ostenderet, si hæc susceptus pulvis fœdaret? Sit ergo desuper textura cilicii fortis ad pulverem: sit inferius color hyacinthinus aptus ad decorem. Ornent Ecclesiam, qui solis rebus spiritualibus vacant; tegant Ecclesiam, quos & labor rerum corporalium non gravat. Nequaquam ergo contra Rectorem suum exterio- A ra agentem murmuretis, qui intra sanctam Ecclesiam jam spiritualiter fulget. Si enim tu secure interius, ut coccus rutilas: cilicium, quo protegeris, cur accusas?

CAPUT XLII.

Item unde supra.

IN [c] expositione Evangelii hom. 38. CORTINIS tabernaculi intexi coccus bis tinctus jubetur. Vos estis, fratres, vos estis cortinæ tabernaculi, qui per fidem in vestris cordibus secreta cælestia velatis. Sed cortinis tabernaculi bis tinctus coccus debet inesse. Coccus quippe ignis speciem tenet. Num. 20. B Quid vero est caritas nisi ignis? sed ista caritas esse bis tincta debet, ut tingatur per amorem Dei, tingatur & per amorem proximi. Qui enim sic amat Deum, ut per contemplationem ejus negligat proximum, coccus quidem est, sed bis tinctus non est. Rursum qui sic amat proximum, ut tamen contemplationem Dei per ejus amorem derelinquat, coccus est, sed bis tinctus non est. Ut ergo caritas vestra bis tinctus coccus esse valeat, & ad amorem Dei, & ad amorem proximi se accendat: quatenus nec ex compassione proximi, contemplationem relinquat Dei, nec plusquam debet inhærens contemplationi Dei, compassionem abjiciat proximi. Omnis itaque homo inter homines vivens, sic ad eum anhelet, quem desiderat, ut C tamen hunc non deserat cum quo currebat: & sic huic adjutorium ferat, ut ab illo nullatenus torpeat, ad quem festinabat.

CAPUT XLIII.

Exod. 26. 19. *Quod cum Dominus tabernaculi tabulas erigi præcepit, fundi earum bases argenteas jubet.*

Num. 21. DUm de mysterio prænuntiatæ Prophetarum atque Apostolorum celsitudinis tractaretur, in expos. B. Job, l. 28. adjunctum est: *Quod cum Dominus tabernaculi tabulas erigi præcepit, &c.* QUID per tabularum bases argenteas, nisi Prophetarum potest ordo signari? Qui dum primi aperte de D Dominica incarnatione locuti sunt, quasi quasdam bases, eos conspicimus a fundamentis surgere, & superpositæ fabricæ pondera sustinere. Ad Moysen ergo Dominus cum tabernaculi tabulas erigi præcepit, fundi earum bases argenteas jubet. Quid enim per tabulas, nisi Apostoli extensa in mundum prædicatione dilatati? Quid per bases argenteas, nisi Prophetæ signantur? Qui superimpositas tabulas ipsi firmi & fusiles sustinent: quia Apostolorum vita dum eorum prædicatione instruitur, eorum & auctoritate solidatur. Unde & conjunctæ binæ bases singulis tabulis supponuntur: quia cum Prophetæ sancti in verbis suis de Mediatoris incarnatione concordant, subsequentes prædicatores Ecclesiæ indubitanter ædificant: ut cum a semet- E ipsis non discrepant, illos robustius figant. Nec immerito bases, quibus Prophetæ signantur, ut ex argento debeant fundi præcipitur. Argenti quippe claritas ex usu servatur: sine usu autem in nigredinem vertitur. Prophetarum quoque dicta ante Mediatoris adventum: quia in usum spiritualis intelligentiæ non erant, dum conspici præ obscuritate

a Nescio cur hic in excusis inseratur; in nonnullis Gregorii exemplaribus ita legunt.
b Hoc loco mss. cod. dissentiunt. Lectioni vulgatæ, quam retinemus, suffragatur cod. Michael. non alii.
c Nullus mss. nostrorum hæc habet.

tate non poterant, quasi oigra remanebant. At postquam Mediator adveniens, ea aote oculos nostros incarnationis suæ manu tersit, quidquid luceis in eis latebat, inclaruit: sensusque patrum præcedentium in usum dedit, quia verba rebus exposuit.

CAPUT XLIV.

Exod. 26. 26. *Quod columnarum quatuor, ante quas velum pendere præcipitur, esse bases argenteas Dominus jubet.*

Num. 17. CUm da mysterio prædicationis Doctorum Ecclesiæ tractaretur, in expos. B. Job, l. 28. adjunctum est: *Quod columnarum quatuor, &c.*

a CUM in typo Ecclesiæ tabernaculum [a] figeretur, ad Moysen dicitur, ut columnarum quatuor interius positarum bases esse argeoteæ debeant. In argento enim quid aliud quam claritas divioi sermonis accipitur, sicut scriptum est: *Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ.* Psal. 11. 7. Bases ergo argento vestitæ, quatuor columbas tabernaculi sustinent: quia prædicatores Ecclesiæ divino eloquio decorati, ut in sonctis se exemplum præbeant, quatuor Evangelistarum dicta & ore & operibus portant.

CAPUT XLV.

Exod. 36. 36. *In constructione tabernaculi ut columnæ argenteæ interius starent, paxilli ærei per circuitum exterius jussi sunt, in quibus religatum tabernaculum teneretur.*

Num. 16. 17. CUm de veteris novique Testamenti unita per spiritum concordia tractaretur, ex hom. 15. in Ezechielem, adjunctum est: *In constructione tabernaculi ut columnæ argenteæ interius starent, &c.*

b [b] DE quibus & paulo post scriptum est: *Facies paxillos tabernaculi, & atrii cum funibus suis.* Patres veteris Testamenti, quia ab ipsa incarnatione Redemtoris nostri per intervalla temporum longius constiterunt, foris esse jussi sunt. Et quidem in Abel sanguine, passio jam cœpit Ecclesiæ. Et una est Ecclesia electorum præcedentium atque sequentium. Sed tamen quia discipulis dicitur: *Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ videtis, & non viderunt*, Luc. 10. 24. antiquis Patribus quasi foris stetisse, est Redemptoris nostri præsentiam corporalem non vidisse. Exterius igitur, sed tamen non divisi a sancta Ecclesia fuere; quia mente, opere, & prædicatione, ista jam fidei sacramenta tenuerunt, istam sanctæ Ecclesiæ celsitudinem conspexerunt, quam nos non adhuc præstolando, sed jam habendo conspicimus. Sicut enim nos in præterita passione Redemtoris nostri, ita illi per fidem in eadem post ventura salvati sunt. Illi ergo foris non extra mysterium, sed extra tempus fuerunt. Unde & in constructione tabernaculi, ut columnæ argeoteæ interius starent, paxilli ærei in circuitu figi per circuitum exterius jussi sunt, in quibus religatum tabernaculum teneretur. Columnæ itaque argenteæ interius, paxilli vero ærei in circuitu figuotur, atque in ipsis funes ligati sunt, ut tabernaculum fixum maneret: quia videlicet ut sancti Apostoli in luce sermonis sui solidi starent, ut totum tabernaculum, id est sancta Ecclesia, in fidei integritate A consisteret, tamquam paxilli ærei Patres veteris Testamenti ac Prophetæ exterius fixi sunt, quatenus verborum suorum funibus prædicatorum mentes in soliditate striogerent, atque hoc Dei tabernaculum in statu fidei ligarent. Extra ergo paxilli sunt, qui ante tempus hujus sanctæ Ecclesiæ fuere. Sed tamen ligant eos qui in ipsa sunt: quia dum cælestia mysteria ventura prædicant, hæc postquam ostensa sunt, credibilia omnibus fecerunt. Ut ergo intus columnæ immobiles stent, foris paxilli funes continent: quia ut sancti Apostoli perfecte incarnationis Dominicæ mysterium crederent, illorum prædicatio obtinuit, qui hoc, priusquam fieret, videre & prædicare potuere. Nec immerito columnæ argeoteæ, paxilli vero B ænei facti sunt: quia quod clare jam Apostoli prædicant, hoc Prophetæ sub intellectu mystico obscure locuti suot. Recte ergo per æris metallum signati sunt, qui clari in suis prædicationibus non fuere. Sancti vero Apostoli quia de Redemtoris nostri mysterio lucem prædicationis habuerunt, argenteis columnis expressi sunt. Et notandum quod argeotum sonat & lucet; æs vero sonat, & non lucet: quia Prædicatores novi Testamenti aperte locuti sunt, quæ etiam monstrare potuerunt. Prędicatore vero Testamenti veteris, quia per allegoriarum umbras de cęlesti mysterio obscura dicta protulere, quasi sine luce sonitum dederunt.

C

CAPUT XLVI.

Facient autem superhumerale de auro & hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta. Exod. 28. 6.

c CUm de [c] bona qualitate sacerdotum, eorumque exhibendi operis claritate tractaretur, adjunctum est: *Facient autem superhumerale de auro & hyacintho, &c.* Lib. 1. ep. 25. olim 24. SUPERNÆ vocis imperio in utroque humero sacerdos velamine superhomeralis astringitur: ut contra adversa ac prospera, virtutum semper ornamento muniatur, quatenus juxta vocem Pauli: *Per arma justitiæ a dextris sinistrisque gradiens*, 2. Cor. 6. 7. eum ad sola, [d] quę anteriora sunt, nititur, in nullo delectationis infimę latere flectatur. D Noo hunc prospera elevent, nec adversa conturbent: ooo blanda usque ad voluptatem demulceant, non aspera ad desperationem premant: ut dum nullis passionibus intentionem mentis humiliat, quanta in utroque humero superhumeralis pulchritudine tegatur, ostendat. d Quod recte etiam superhumerale ex auro, hyacintho, purpura, bis tincto cocco, & torta fieri bysso precipitur: ut quanta sacerdos clarescere, virtutum diversitate debeat, demonstretor. In sacerdotis quippe habitu ante omnia aurum fulget, ut in eo intellectus sapientię principaliter emicet. Cui hyacinthus, aereo ceruleo colore resplendens, adjungitur: ut per omne quod intelligendo penetrat, non ad E favores infimos, sed ad amorem cęlestium surgat; ne, dum in suis incautus laudibus capitur, ipso etiam veritatis intellectu vacuetur. Auro quoque [e] ac hyacintho purpura permiscetur: ut videlicet sacerdotale cor cum summa quę predicat sperat, in semetipso etiam suggestiones vitiorum re- e pri-

a Excusi *figeretur*, reluctantibus mss.
b Caput hoc multis in locis depravatum ope mss. sanavimus.
c In Gem. & Michaelino codd. assignatur Reg. Past. titulus decimus quartus. Hæc autem reperiuntur loco a nobis signato.
d Excusi, *inusitata sunt*.
e Uni. ... bysso purpura permisceatur.

primat, eisque velut ex regia potestate contradicat: quatenus nobilitatem semper intimæ regenerationis aspiciat, & cœlestis regni sibi habitum moribus defendat. De hac quippe nobilitate spiritus per Petrum dicitur: *Vos autem genus electum, Regale sacerdotium*. (1. Pet. 2. 9.) De hac etiam potestate, qua vitia subigimus, Johannis voce roboramur, qui ait: *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*. (Johan. 1. 12.) Hanc dignitatem fortitudinis Psalmista considerat, dicens: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum*: (Psal. 138. 17.) quia nimirum Sanctorum mens principaliter in summis erigitur, cum exterius perpeti abjecta cernuntur. Auro autem & hyacintho, ac purpuræ, bis tinctus coccus adjungitur, ut ante interni judicis oculos, omnia virtutum bona ex caritate decorentur, & cuncta quæ coram hominibus rutilant, hæc in conspectu occulti arbitri flamma intimi amoris accendat. Quæ scilicet caritas, quia Deum simul ac proximum diligit, quasi coccus ex duplici tinctura fulgescit. Qui igitur sic ad auctoris speciem anhelat, ut proximorum curam negligat; vel sic proximorum curam exequitur, ut a divino amore torpescat, (quia unum horum quodlibet negligit) in superhumeralis ornamento habere coccum bis tinctum nescit. Sed cum mens ad præcepta caritatis tenditur, restat proculdubio ut per abstinentiam caro maceretur. Unde & bis tincto cocco torta byssus adjungitur. De terra etenim byssus nitenti specie oritur. Et quid per byssum, nisi candens decor munditiæ corporalis exprimitur? Quæ videlicet torta pulchritudini superhumeralis innectitur, quia tunc castimonia ad perfectum munditiæ decorem ducitur, cum per abstinentiam caro fatigatur. Cumque inter virtutes ceteras etiam afflictæ carnis meritum proficit, quasi in diversa superhumeralis specie byssus torta candescit.

CAPUT XLVII.

Rationale quoque judicii facies opere polymito. (Exod. 28. 15.)

CUm per promissi sacerdotalis indumenti mysterium, de exhibenda pulchritudine doctrinæ doctorum sequentium tractaretur, in Regul. Pastor. (Part. 2. Cap. 2.) adjunctum est: *Rationale quoque judicii facies opere polymito*. DIVINA voce præcipitur ut in Aaron pectore rationale judicii vittis ligantibus imprimatur, quatenus sacerdotale cor nequaquam cogitationes fluxæ possideant, sed ratio sola constringat, ne indiscretum quid vel inutile cogitet. Qui est ad exemplum aliis constitutus, ex gravitate vitæ semper debet ostendere, quantum in pectore rationem portet. In quo etiam rationali vigilanter adjungitur, ut duodecim Patriarcharum nomina describantur. Adscriptos etenim patres semper in pectore ferre, est antiquorum vitam sine intermissione cogitare. Nam tunc sacerdos irreprehensibiliter graditur, cum exempla patrum præcedentium indesinenter intuetur, cum Sanctorum vestigia sine cessatione considerat, & cogitationes illicitas deprimit, ne extra ordinis limitem operis pedem tendat. Quod bene etiam rationale judicii vocatur: quia debet Rector subtili examine bona malaque discernere; & quæ vel quibus, quando vel qualiter congruant, studiose cogitare: nihilque proprium quærere, sed sua commoda propinquorum bona reputare. Unde illic scriptum est: *Pones autem in rationale judicii doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingreditur coram Domino, & gestabit judicium filiorum Israel in pectore suo in conspectu Domini semper*. (Ibid. v. 30.) Sacerdotem quippe judicium filiorum Israel in pectore coram Domini conspectu gestare, est subjectorum causas pro sola interni judicis intentione discutere: ut nihil se ei humanitatis admisceat in hoc quod divina positus vice dispensat, ne correctionis studia privatus dolor exasperet. Cumque contra aliena vitia æmulator ostenditur, quæ sua sunt exequatur: ne tranquillitatem judicii aut latens invidia maculet, aut præceps ira perturbet. Sed dum consideratur terror ejus qui super omnia præsidet, videlicet judicis intimi, non sine magno regantur timore subjecti.

CAPUT XLVIII.

Quod sacerdos cum in tabernaculum ingreditur, duodecim lapides in pectore portare jubetur, sculptis nominibus filiorum Israel. (Exod. 28. 17.)

DUm de primorum prædicatorum significationibus tractaretur, in expos. B. Job, lib. 28. (Num. 14.) adjunctum est; *Quod sacerdos cum in tabernaculum ingreditur, &c.* Cujus per hunc Pontificem, nisi Redemtoris nostri persona figuratur? Quia videlicet semetipsum pro nobis sacrificium offerens Pontifex noster, dum fortes in ipso exordio prædicatores exhibuit, duodecim lapides sub capite in prima sui corporis parte portavit. Sancti itaque Apostoli, & pro prima ostensione ornamenti, lapides sunt in pectore, & pro prima soliditate ædificii in solo, fundamenta.

CAPUT XLIX.

Deorsum ad pedes tunicæ per circuitum quasi mala punica facies. (Exod. 28.)

CUm de servanda a doctoribus unitatis concordia per discretum prædicationis mysterium tractaretur, [b] Regist. lib. 1. (Ep. 25. olim 24.) adjunctum est: *Deorsum ad pedes tunicæ per circuitum quasi mala punica facies*. CUM Rector se ad loquendum præparat, sub quantæ cautelæ studio loquatur attendat: ne si inordinate ad loquendum rapitur, erroris vulnere audientium corda feriantur: & cum fortasse sapiens videri desiderat, unitatis compagem insipienter abscindat. Hinc namque Veritas dicit: *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos*. (Marc. 9. 49.) Per sal quippe verbi sapientia designatur. Qui igitur loqui sapienter nititur, magnopere metuat, ne ejus eloquio audientium unitas confundatur. Hinc Paulus ait: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*. (Rom. 12. 3.) Hinc in sacerdotis veste, juxta divinam vocem, tintinnabulis mala punica conjunguntur. Quid enim per mala punica nisi fidei unitas designatur? Nam sicut in malo punico uno exterius cortice multa interius grana muniuntur, sic innumeros sanctæ Ecclesiæ populos unitas fidei contegit, quos intus diversitas meritorum tenet. Ne igitur Rector incautus ad loquendum prorumpat, hoc quod jam præmisimus, per semetipsam discipulis Veritas clamat: *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos*: (Marc. 9. 49.) ac si figurate per habitum sacerdotis dicat: Mala punica tintinnabulis jungite: ut per

a. Indicatur in Michael. liber Reg. Past. tit. 19. & in Gemm. tit.

b. Vide lib. 2. c. 4. ubi hæc leguntur.

per omne quod dicitis, provida mente unitatem fidei, & dilectionem pacis in vobis, cauta observatione teneatis.

CAPUT L.

Exod. 28. 33. *Quod divina voce in extremitate tunicæ sacerdotis malis punicis tintinnabula jubentur misceri.*

CUm de exhibenda doctoribus, prædicationis instantia tractaretur, in [a] Reg. Past. tit. 15. adjunctum est: *Quod divina voce in extremitate tunicæ sacerdotis, &c.* MOYSI præcipitur, ut tabernaculum sacerdos ingrediens, tintinnabulis ambiatur: ut videlicet voces prædicationis habeat, ne superni inspectoris judicium ex silentio offendat. Scriptum quippe est: *Audiatur sonitus quando ingreditur vel egreditur sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur.* Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non auditur: quia iram contra se occulti judicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. Apte autem tintinnabula vestimentis illius describuntur inserta. Vestimenta etenim sacerdotis, quid aliud, quam bona opera debemus accipere? Propheta attestante, qui ait: *Sacerdotes tui induantur justitiam.* Vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent, ut vitæ viam cum linguæ sonitu, ipsa quoque opera sacerdotis clament.

a. Part. 2. Cap. 4.

Exod. 28. 35.

Ps. 131. 9.

CAPUT LI.

Exod. 30. 34. *Sume tibi aromata, & stacten, onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidissimum: æqualis ponderis erunt omnia; faciesque thymiama compositum opere unguentarii, mixtum diligenter & purum.*

CUm de boni operis exhibitione per distinctam mentis custodiam tractaretur, in expos. B. Job, lib. 1. adjunctum est: *Sume tibi aromata, & stacten, &c.* THYMIAMA ex aromatibus compositum facimus, cum in altari boni operis virtutum multiplicitate redolemus. Quod mixtum & purum fit: quia quanto virtus virtuti jungitur, tanto incensum boni operis sincerius exhibetur. Ubi & bene subjungitur: *Cumque in tenuissimum pulverem universa aromata contuderis, pones ex eo coram testimonii tabernaculo.* In tenuissimum pulverem universa conterimus, cum bona nostra quasi in pila cordis, occulta discussione tundimus, & si veraciter bona sint, retractamus. Aromata ergo in pulverem redigere, est virtutes recogitando terere, & usque ad subtilitatem occulti examinis revocare. Et notandum quod de eodem pulvere dicitur: *Pones ex eo coram testimonii tabernaculo.* Quia tunc nimirum bona nostra veraciter in conspectu judicis placent, cum hæc mens subtilius recogitando conterit, & quasi de aromatibus pulverem reddit, ne grossum durumque sit bonum quod agitur: ne si hoc arcta retractationis manus non comminuat, odorem de se subtilius non aspergat.

Num. 54.

Ibid. v. 36.

CAPUT LII.

Exod. 32. 6. *Sedit populus comedere & bibere, & surrexerunt ludere.*

DUm de gulæ vitio restringendo tractaretur, Moral. l. 10. adjunctum est: *Sedit populus comedere, &c.* ESUS potusque ad lusum impulit, lusus ad idololatriam traxit; quia si voracitatis culpa nequaquam caute compescitur, ab iniquitate protinus mens incauta devoratur, Salomone attestante, qui ait: *Qui modica spernit, paulatim decidit.* Si enim curare parva negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam majora perpetramus.

Num. 21.

Eccl. 19. 1.

CAPUT LIII.

Exod. 32. 7. *Descende, peccavit populus tuus.*

DUm de tenendo Rectoribus erga subditos discretionis ac severitatis moderamine tractaretur, in expos. B. Job, l. 20. adjunctum est: *Descende, peccavit populus tuus.* ÆDIFICARE lectorem valde etiam juxta historiam potest, si perpendat, quomodo bonis Rectoribus mixta sit & regendi auctoritas, & benignitas consolandi. Disciplina enim vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed circa subditos suos inesse Rectori debet & juste consulens misericordia, & pie sæviens disciplina. Intueri namque libet in Moysi pectore misericordiam cum severitate sociatam. Videamus amantem pie, & districte sævientem. Certe cum Israeliticus populus ante Dei oculos pene inveniabilem contraxisset offensam, itaut ejus Rector audiret: *Descende, peccavit populus tuus.* Ac si ei divina vox diceret: Qui tali peccato lapsus est, jam meus non est; atque subjungeret: *Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam:* Ille semel & iterum pro populo, cui præerat, obicem se ad impetum Dei irascentis opponens, ait: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Pensemus ergo quibus visceribus eumdem populum amavit, pro cujus vita de libro vitæ deleri se petiit. Sed tamen iste, qui tanto ejus amore populi constringitur, contra ejus culpas pensemus, quanto zelo rectitudinis accendatur. Mox enim ut petitione prima, culpæ veniam (ne delerentur) obtinuit, ad eumdem populum veniens ait: *Ponat vir gladium super femur suum. Ite, & redite de porta usque ad portam, per medium castrorum; & occidat unusquisque fratrem, & proximum, & amicum suum. Ceciderunt que in die illo, quasi viginti tria millia hominum.* Ecce qui vitam omnium etiam cum sua morte petiit, paucorum vitam gladio extinxit. Intus arsit ignibus amoris, foris accensus est zelo severitatis. Tanta fuit pietas, ut se pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret. Tanta severitas, ut eos quos divinitus feriri timuerat, ipse judicii gladio feriret. Sic amavit eos, quibus præfuit, ut pro eis nec sibi parceret: & tamen delinquentes sic persecutus est, quos amavit, ut eos etiam Domino parcente prosterneret. Utrobique legatus fortis, utrobique mediator mirabilis, causam populi apud Deum precibus, causam Dei apud populum gladiis allegavit. Intus amans divinæ iræ supplicando obstitit: foris sæviens culpam feriendo consumsit. Succurrit citius omnibus, ostensa morte paucorum: Et idcirco omnipotens Deus fidelem famulum citius exaudivit, agentem pro populo: Quia vidit quid super populum acturus esset ipse pro Deo. In regimine ergo populi utrumque Moyses miscuit: ut nec disciplina deesset misericordiæ, nec misericordia disciplinæ.

Num. 24.

Exod. 32. 9.

Ibid. v. 10.

Ibid. v. 27.

a Extant etiam lib. 1. ep. 25. olim 24.

CAPUT LIV.

[Exod 32 10.] *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos.*

CUm de extinguenda divina iracundia tractaretur, in expos. B. Job. lib. 9. adjunctum est: [Num 25 ordine nonnihil inverso.] *Dimitte me, &c.* OMNES sancti qui iræ Dei obviant, ab ipso accipiunt ut contra impetum percussionis ejus opponantur: atque, ut ita dixerim, cum ipso eriguntur contra ipsum, eosque vis divina sibi opponit secum: quia in eo quod adversum se sævientis iram foris obtinent, intus eos gratia irascentis fovet: & famulantes interius levat, quos quasi adversantes exterius tolerat. B Portat ergo contradictionem deprecantium, quam æspirat; & velut nolenti imponitur quod ab ipso ut fiat imperatur. Moysi ergo dicit: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, faciamque te in gentem magnam.* Quid est servo dicere: Dimitte me, nisi deprecandi ausum præbere? Ac si ei aperte diceretur: Pensa quanti apud me valeas, & cognosce quia obtinere poteris quidquid pro populo exoras. Sed cum hæc ita sint, nimis legentis animum movet, quid est quod econtra in B. Job [Job. 19. 13.] historia per eumdem sanctum virum dicitur: *Deus cujus resistere iræ nemo potest.* Mirum valde, quod iræ Dei nullum posse resistere dicatur, cum multos indignationi supernæ animadversionis obviasse eloquia divina testentur. Annon iræ Dei idem Moyses restitit, qui pro cadente populo erectus, C ipsum supernæ percussionis impetum mortis suæ oblatione restrinxit, dicens: [Exod. 32. 31.] *Dimitte illis hanc noxam, alioquin dele me de libro quem scripsisti?* [Num. 16. 47.] Annon iræ Dei Aaron restitit, cum inter viventes ac mortuos thuribulum sumsit, atque animadversionis ignem incensi fumo temperavit? [Num. 25. 11.] Annon Phinees iræ Dei restitit, qui luxuriantes cum alienigenis in ipso coitu trucidans, zelum suum divinæ indignationi obtulit, & furorem gladio placavit? Annon David iræ Dei restitit, qui [2. Reg. 24. 25] Angelo ferienti se offerens, placationis gratiam & ante tempus propositum exegit? Annon Elias [3. Reg. 18. 44] iræ Dei restitit, qui longo jam tempore terræ aridæ subductas de cælo pluvias verbo revocavit? Quomodo igitur iræ divinæ nullum posse resistere dicitur, cum multos sæpe restitisse exemplis existentibus demonstratur? Sed[a] si subtiliter & beati Job eloquia & illorum facta pensemus; & verum cognoscimus, quia divinæ iræ non resistitur: & verum, quia multi sæpe restiterunt. Namque plerique Sanctorum iræ Domini, sicut uniuscujusque superius ordo narratus edocuit, restitere. Resistere autem iræ Dei non potest, cum ejus indignatio se se, ut ita dixerim, medullitus movet. Quæ dum se moverit, hanc oppositio humana non retinet; nec se utiliter cujuslibet deprecatio objicit, cum semel Deus aliquid ab intimis irascendo disponit. [Num. 20. 12.] Hinc est enim quod Moyses, qui reatum totius plebis apud Deum suis precibus tersit, dumque se obicem obtulit, divinæ iracundiæ vim placavit: ad petram Oreb veniens, & pro aquæ exhibitione diffidens, repromissionis terram ingredi, Domino irascente, non potuit. Et sæpe hac de re affligitur, sæpe desiderio se excitante turbatur, & dispositæ ultionis iracundiam repellere a semetipso non valuit, qui hanc, volente Domino, & a A populo amovit. Hinc David quia prostrata plebe postmodum Angeli gladium prece compescuit, [2. Reg. 24. 10.] prius plorans & jejunans, nudis pedibus filium fugit: & quousque perpetrati facinoris ultionem ad plenum receperit, iram Dei nequaquam valuit pro semetipso temperare. Hinc Elias, ut sicut homo parum aliquid quasi de divina animadversione sentiret: [3 Reg. 17.] qui verbo cælos aperuit, ante indignationem mulieris territus per desertum fugit, & pro semetipso infirmatur in formidine, qui furorem Dei placat aliis per interventionem. [a] Iræ igitur Dei & resisti valet, quando ipse qui irascitur, opitulatur; & resisti omnino non valet, quando se ad ulciscendum excitat, & ipse precem, quæ ei funditur, non aspirat.

CAPUT LV.

Ponat vir gladium super femur suum: Ite & redite de porta usque ad portam per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. [Exod. 32. 27.]

CUm de prædicatorum vita atque doctrina tractaretur, in Regul. Past. adjunctum est: [Part. 3. c. 25. Admon. 26.] *Ponat vir gladium super femur suum, &c.* GLADIUM quippe super femur ponere, est prædicationis studium voluptatibus carnis anteferre: ut cum sancta quis studet dicere, curet necesse est illicitas suggestiones edomare. De porta usque ad portam ire, est a vitio usque ad vitium, per quod ad mentem mors ingreditur, increpando discurrere. Per medium vero castrorum transire, est tanta æqualitate intra Ecclesiam vivere, ut qui delinquentium culpas redarguit, in nullius se debeat favorem declinare. Unde & recte subjungitur: *Occidat vir fratrem, & amicum, & proximum suum;* fratrem scilicet, & amicum, & proximum interficit, qui cum punienda invenit, ab increpationis gladio, nec eis, quos per cognationem diligit, parcit. Si ergo ille Dei dicitur, qui ad ferienda vitia zelo divini amoris excitatur; profecto esse se Dei denegat, qui, in quantum sufficit, increpare vitam carnalium recusat.

D

CAPUT LVI.

[b] *Cum egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat universa plebs, & stabat unusquisque in ostio papilionis sui: aspiciebantque tergum Moysi, donec ingrederetur tentorium: ingresso autem illo tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, & stabat ante ostium; loquebaturque cum Moyse, cernentibus universis, quod columna nubis staret ad ostium tabernaculi; stabantque ipsi, & adorabant per fores tabernaculorum suorum.* [Exod. 33. 8. b]

DUm de dono Spiritus per illustrationem supernæ gratiæ considerantibus dato tractaretur, in E comm. Ezech. hom. 1. secundæ part. adjunctum est: *Cum egrederetur Moyses ad tabernaculum, &c.* [Num. 17.] HEBRÆUS populus de Ægyptia servitute liberatus, cum loquente Domino columnam nubis cerneret, unusquisque in tabernaculi sui foribus stabat, & adorabat, de quibus & dicitur: *Cum egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat universa plebs,*

a Hæc in edit. desunt; quæ ex mss. Vaticano Michael. Gemet. Utic. &c. revocavimus.

b Multa hic excusorum errata, & quidem gravissima correximus ope mss. qui ab invicem non dissentiunt.

plebs, & stabat unusquisque in ostio papilionis sui. Quid est enim populum columnam nubis aspicere, & in tabernaculi sui foribus stare, atque adorare: nisi quod humana mens cum superiora illa atque cælestia utcumque in ænigmate conspicit, jam claustra habitationis corporeæ per sublevatam cogitationem exit, atque illum humiliter adorat? Cujus etsi videre substantiam non valet, jam tamen ejus potentiam per illuminationem spiritus miratur. Et cum Moyses tabernaculum ingreditur, ejus tergum populus aspicit, & in papilionum suorum ostiis consistit; quia cum sanctus quisque prædicator alta de Domino loquitur, supernæ habitationis jam utcumque tabernaculum ingreditur. Cujus prædicationis infimi quique etsi veritatem plene pensare non possunt, tamen velut terga aspiciunt: quia postrema, quæ prævalent, per intellectum sequuntur. Sed in ipsis quoque minimis quę capere sufficiunt, jam de suis papilionibus quasi exeunt, atque in ostiis stant: quia & habitacula carnis relinquere, & ad illa ęternę vitę gaudia, quę audiunt, progredi conantur.

CAPUT LVII.

Exod. 33.20. *Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo, & vivet.*

a Num. 88 89. 90. & 91. DUm [a] de visione scientię tractaretur, in expos. B. Job, l. 18. adjunctum est: *Non poteris videre faciem meam, &c.* HUIC Dominicę sententię, qua ad Moysen dicitur: *Non enim videbit me homo, & vivet*, Johannem audi concordan-
1. Johan. 4. 12. tem, qui ait: *Deum nemo vidit umquam*. Sed cum Testamenti veteris patres intueor, multos, teste ipsa sacra lectionis historia, Deum vidisse cogno-
Gen. 32. 30. sco. Vidit quippe Jacob Deum, qui ait: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea.* Vidit
Exod. 33. 11. Moyses Dominum, de quo scriptum est: *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo cum amico suo.* Vidit Job Deum, qui di-
Job 42. 5. Isa. 6. 1. cit: *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Vidit Isaias Dominum, qui ait: *Anno, quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum.* Vidit Micheas
3. Reg. 22. 19 Dominum, qui dicit: *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæli assistentem ei a dextris, & a sinistris.* Quid ergo quod tot Testamenti veteris patres Dominum se vidisse testati sunt, & tamen ipse dicit: *Non enim videbit*
1. Johan. 4. 12 *me homo, & vivet.* Et Johannes ait: *Deum nemo vidit umquam*: nisi hoc quod patenter datur intelligi: quia quamdiu hic mortaliter vivitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturę suę speciem non potest: ut anima gratia spiritus afflata, per figuras quasdam Deum videat, sed ad ipsam vim ejus essantię non pertingat? Hinc est enim quod Jacob, qui Deum se vidisse testatur, hunc nonnisi in Angelo vidit. Hinc est quod Moyses, qui cum Deo facie ad faciem loquitur, sicut loqui solet homo ad amicum suum, ei inter ipsa
Exod. 33. 13. verba suę locutionis dicit: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi teipsum manifeste, ut videam te.* Certe enim si Deus non erat cum quo loquebatur, Ostende mihi Deum, diceret, & non Ostende temetipsum. Si autem Deus erat cum quo facie ad faciem loquebatur, cur petebat videre quem videbat? Sed ex hac ejus petitione colligitur: quia eum sitiebat per incircumscriptam natu-

A ræ suæ claritatem cernere, quem jam cœperat per quasdam imagines videre: ut sic superna essentia mentis ejus oculis adesset; quatenus ei ad æternitatis visionem nulla imago creata temporaliter interesset. Et viderunt ergo patres Testamenti veteris Dominum, & tamen juxta Johannis vocem: *Deum nemo vidit umquam*; & juxta ejusdem Domini vocem, Nemo Deum vidit, & vixit: quia in hac mortali carne consistentibus, & videri potuit per quasdam circumscriptas imagines: & videri non potest per incircumscriptum lumen æternitatis. Sin vero a quibusdam potest in hac adhuc corruptibili carne viventibus, sed tamen inæstimabili virtute crescentibus, quodam contemplationis acumine æterna Dei claritas videri, hoc quoque ejusdem veri-
B tatis sententia non abhorret, qua dicitur: *Non enim videbit me homo & vivet*: quoniam quisquis sapientiam, quæ Dei est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne jam ejus amore teneatur. Nullus quippe eam vidit, qui adhuc carnaliter vivit: quia nemo potest amplecti Deum simul & seculum. Qui enim Deum videt, eo ipso moritur, quo vel intentione cordis, vel affectu operis, ab hujus vitæ delectationibus tota mente separatur. Nemo ergo Deum vidit & vixit; ac si aperte diceretur: nullus umquam Deum spiritualiter vidit, & mundo carnaliter vivit. Sciendum vero est quod fuere nonnulli, qui Deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis, in claritate quidem suæ conspici, sed in natura minime videri: quos nimirum minor inquisitionis sub-
C tilitas fefellit. Neque enim illi simplici, & incommutabili essentiæ aliud claritas, aliud natura: sed ipsa ei natura sua claritas, ipsa claritas natura est. Quia etenim suis dilectoribus hæc Dei sapientia se quandoque ostenderet, ipse pollicetur, dicens:
Qui diligit me, diligetur a Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo me ipsum illi. Ac si patenter dicat: Qui in vestra me nunc cernitis, restat ut in mea me natura videatis. Hinc rursum ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Hinc Paulus dicit: *Nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam sicut & cognitus sum.* Sed quia de Deo per primum Ecclesiæ prædicatorem dicitur: *In quem desiderant Angeli prospicere*: sunt
D nonnulli qui nequaquam Deum videre, vel Angelos suspicantur. Et tamen dictum per Veritatis sententiam scimus: *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Numquid ergo aliud veritas, aliud prædicator insonat veritatis? Sed si sententia utraque confertur: quia sibi nequaquam dispar sit, agnoscitur. Deum quippe Angeli & vident, & videre desiderant, & intueri sitiunt, & intuentur. Si enim sic videre desiderant, ut effectu sui desiderii minime perfruantur, desiderium sine fructu anxietatem habet, & anxietas pœnam. Beati vero Angeli ab omni pœna anxietatis longe sunt: quia numquam simul pœna & beatitudo conveniunt. Rursum cum eos dicimus Dei visione satiari, quia & Psalmista ait: *Satiabor*
E *dum manifestabitur gloria tua*; considerandum nobis est, quoniam satietatem solet fastidium subsequi. Ut ergo recte sibi utraque conveniant, dicat veritas: Quia semper vident, dicat prædicator egregius quia semper videre desiderant. Ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur: ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant igitur sine labore; quia desiderium satietas comitatur. Et satiantur sine fastidio; quia

Joan. 14. 21. — Matt. 5. 8. — 1. Cor. 13. 12. — 1 Petr. 1. 12. — Matt. 18. 10. — Ps. 16. 15.

a Excusi, de divisione scientiæ.

ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Sic quoque & nos erimus, quando ad ipsum fontem vitæ venerimus. Erit nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas. Sed longe abest a siti necessitas; longe a satietate fastidium: quia & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus. Videbimus igitur Deum ipsum, quod erit præmium laboris nostri, ut post mortalitatis hujus tenebras, accensa ejus luce gaudeamus.

CAPUT LVIII.

Exod. 33.21. *Est locus apud me, & stabis super petram. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ.* Et paulo post: *Tollam manum meam, & videbis posteriora mea.*

Num. 25. DUm de credulitate populi Judaici tractaretur, in expos. B. Job, lib. 25. adjunctum est: *Est locus apud me, & stabis super petram, &c.* PER locum Ecclesia, per petram Dominus, per Moysen vero multitudo est plebis Israeliticæ figurata, quæ Domino in terra prædicante non credidit. Ipsa ergo in petra stetit, terga Domini transeuntis aspiciens: quia videlicet post passionem ascensionemque Dominicam, intra Ecclesiam deducta, fidem Christi percipere meruit: & cujus præsentiam non vidit, ejus posteriora agnovit.

CAPUT LIX.

Item unde supra.

Num. 13. DUm de sanctæ Ecclesiæ celsitudine tractaretur, in expos. B. Job, l. 35. adjunctus est: *Est locus apud me, &c.* QUIA ex sola Ecclesia Catholica veritas conspicitur, apud se esse locum Dominus perhibet, de quo videatur. In petra Moyses ponitur, ut Dei faciem contempletur: quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, divinam præsentiam non agnoscit. De qua soliditate Dominus dicit:
Matt. 16. 18 *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Sola quippe est per quam sacrificium Dominus libenter accipiat, sola quæ pro errantibus fiducialiter intercedat. Unde etiam de agni hostia Dominus
Exod. 12. 46 præcepit, dicens: *In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras:* In una namque domo agnus comeditur: quia in una Catholica Ecclesia, vera hostia Redemtoris immolatur. De cujus carnibus divina Lex efferri foras prohibet, quia dari sanctum canibus vetat. Sola est in qua opus bonum fructuose peragitur. Unde & mercedem denarii nonnisi qui intra vineam laboraverant, acceperunt. Sola est quæ intra se positos valida caritatis compage custodivit. Unde & aqua diluvii arcam quidem ad sublimiora sustulit: omnes autem quos extra arcam invenit, extinxit.

CAPUT LX.

Ex. 3. 34. 7. *Qui reddit iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam & quartam progeniem.*

a DUm [a] de originali culpa tracta per prolem, quod pravitatis imitatio punienda sit, tractaretur, in expos. B. Job, l. 15. adjunctum est: *Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus,*
Num. 37. Ezech. 18. 2. & seq. *&c.* CUM scriptum sit: *Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel, dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt? Vivo ego, dicit Dominus Deus, si erit vobis ultra parabola hæc in proverbium in Israel. Ecce omnes animæ meæ sunt: ut anima patris, ita & anima filii mea est. Anima quæ peccaverit ipsa morietur.* Quid est quod nunc per Moysen Domino dicitur: *Qui reddis iniquitatem patrum in filios ac nepotes?* Sed in utraque hac sententia, dum dissimilis sensus invenitur, auditoris animus, ut discretionis viam subtiliter requirat, instruitur. Peccatum quippe originale a parentibus trahimus: & nisi per gratiam baptismatis solvamur, etiam parentum peccata portamus: quia unum adhuc videlicet cum illis sumus. Reddet ergo iniquitatem
B patrum in filios, dum pro culpa parentis, ex originali peccato anima polluitur prolis. Et rursum non reddit iniquitatem patrum in filios: quia cum ab originali culpa per baptismum liberamur, non jam parentum culpas, sed quas ipsi committimus, habemus. Quod tamen intelligi etiam aliter potest: quia quisquis pravi parentis iniquitatem imitatur, etiam ex ejus delicto reus constringitur. Quisquis autem parentis iniquitatem non imitatur, nequaquam delicto illius gravatur. Unde fit ut iniquus filius iniqui patris, non solum sua, quæ attulit, sed etiam patris peccata persolvat: cum vitiis patris, quibus iratum dominum non ignorat, etiam suam adhuc malitiam adjungere non formidat. Et justum est ut qui sub districto judice vias parentis iniqui non timet imitari, cogatur in vita præsenti etiam
C culpas parentis iniqui persolvere. Unde & illic dictum est: *Anima patris mea est, &c. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur:* quia in carne nonnumquam filii etiam ex patris peccato perimuntur. Deleto autem originali peccato, ex parentum nequitia, in anima non tenentur. Quid enim est quod parvuli plerumque a dæmonibus arripiuntur: nisi quod caro filii ex patris pœna mulctatur? In semetipso enim percutitur pater iniquus, & percussionis vim sentire contemnit. Plerumque percutitur in filiis, ut acriter uratur, & dolor patris carni filiorum redditur. Quatenus filiorum pœna mens patris iniqua puniatur. Cum vero non parvuli, sed jam provectiores filii ex parentum culpa feriuntur: quid aliud aperte datur intelligi nisi quod illorum etiam
D pœnas luunt, quorum facta secuti sunt? Unde & recte dicitur: *Usque ad tertiam & quartam progeniem.* Quia enim usque ad tertiam & quartam progeniem, eam quam imitantur, filii parentum vitam possunt videre, usque ad eos ultio extenditur, qui viderunt quod male sequerentur.

(Margin, right: Et Jerem. 31. 29. — Ibid. Ezech. v. 4.)

CAPUT LXI.

Exod. 35. 22. *Quidquid in cultum tabernaculi, & ad vestes sanctas necessarium erat, viri cum mulieribus tribuerunt: Armillas, & inaures, annulos, & dextralia. Omne vas aureum in donaria Domini separatum est, si quis habuit hyacinthum, purpuram, coccum bis tinctum, byssum, & pi-*
E *los caprarum.*

CUm de operationibus electorum intra sanctam Ecclesiam tractaretur, in expos. B. Job, l. 30. adjunctum est: *Quidquid in cultum tabernacu.l, &c.* IN [b] ornamento tabernaculi viri dona cum mulieribus offerunt: quia in explendo cul- Num. 24. b

a In editis legitur: *Quomodo iniquitas parentum puniatur in posteris.* Sequimur mss. mire consentientes.

b Plurima hoc in capite vitiata juxta priores editiones, correximus ex mss. Vaticano, Gemet. &c.

cultu sanctæ Ecclesiæ, & fortius facta sublimia, & infirmorum opera extrema numerantur. Quid autem per armillas, quæ lacertos astringunt, nisi præpositorum valide laborantium opera demonstrantur? Et quid per inaures, nisi subditorum obedientia exprimitur? Quid per annulos, nisi signaculum secretorum Dei? Plerumque enim magistri signant, quod ab auditoribus capi non posse considerant. Et quid per dextralia, nisi primæ operationis ornamenta memorantur? Quid per vas aureum in donaria Domini separatum, nisi divinitatis intelligentia accipitur? Quæ tanto ab inferiorum amore disjungitur, quanto ad sola, quæ æterna sunt, amanda sublevatur. Quid per hyacinthum, nisi spes cælestium? Quid per purpuram, nisi cruor ac tolerantia passionum, amore regni perpetui exhibita? Et quid per bis tinctum coccum, nisi caritas demonstratur, quæ pro perfectione bis tingitur: quia Dei & proximi dilectione decoratur? Quid per byssum, nisi immaculata carnis incorruptio? Et quid per pilos caprarum, ex quibus ciliciorum asperitas texitur, nisi dura pœnitentiæ afflictio designatur? Dum igitur alii per armillas & annulos forte magisterium exercent: alii per inaures & dextralia devotam obedientiam, rectamque operationem exhibent: alii per separatum vas aureum præclaram subtilioremque Dei intelligentiam tenent: alii per hyacinthum, purpuram, & coccum, audita cælestia sperare, credere, amare non desinunt: etiam quæ adhuc per subtiliorem intellectum minime cognoscunt: alii per byssum incorruptionem carnis offerunt: alii per caprarum pilos deplorant aspere, quod libenter commiserunt: quasi ex uno figmento opificis coadunata donorum ministeria, in tabernaculum Domini, hoc est intra sanctam Ecclesiam, prout ipse dederit, offeruntur.

CAPUT LXII.

Exod. 38 8. *Fecit & labrum æneum cum base sua, de speculis mulierum quæ excubabant in ostio tabernaculi.*

DUm de purgandis delictorum sordibus per di-A vinorum mandatorum custodiam tractaretur, homil. 17. in Evang. adjunctum est: *Fecit & labrum aneum cum base sua, &c.* LABRUM æneum Moyses ponit, in quo Sacerdotes lavari debeant, & Sancta Sanctorum ingredi: quia Lex Dei prius nos lavari per compunctionem præcipit, ut nostra immunditia ad penetrandam secretorum Dei munditiam non sit indigna. Quod bene labrum de speculis mulierum perhibet factum, quæ ad tabernaculi ostium indesinenter excubant. Specula quippe mulierum sunt præcepta Dei, in quibus sanctæ animæ semper se aspiciunt, & quæ in eis sunt fœditatis maculæ, deprehendunt. Cogitationum vi- B tia corrigunt, & quasi renitentes vultus velut ex reddita imagine componunt: quia dum præceptis Dominicis solerter intendunt, in eis proculdubio vel quid in se cælesti viro placeat vel quid displiceat, agnoscunt. Quæ quamdiu in hac vita sunt, æternum tabernaculum ingredi nequaquam possunt. Sed tamen ad ostium tabernaculi mulieres excubant: quia sanctæ animæ etiam cum infirmitate adhuc carnis gravantur, amore tamen continuo ingressum æterni introitus observant. Moyses ergo labrum Sacerdotibus de speculis mulierum fecit: quia Lex Dei lavacrum compunctionis peccatorum nostrorum maculis exhibet, dum ea per quæ sanctæ C animæ superno Sponso placuerunt, intuenda nobis cælestia præcepta præbent. Quibus si diligenter intendimus, internæ nostræ imaginis maculas videmus. Videntes autem maculas, in pœnitentiæ dolore compungimur. Compuncti vero quasi in labro de speculis mulierum lavamur. Tunc ergo de nobis vere compungimur, si studiose patrum præcedentium facta pensamus, ut ex conspecta illorum gloria, in nostris nobis oculis nostra vita sordescat. Tunc vere compungimur, cum præcepta Dei studiose perscrutamur, & per hæc proficere ipsi contendimus, per quæ jam profecisse novimus, quos D veneramur. Num. 10.

Finis Libri Exodi.

CAPITULA LIBRI TERTII

IN LEVITICUM.

LIBER TERTIUS

DE TESTIMONIIS LIBRI LEVITICI.

CAPUT PRIMUM.

Levit. 1. v. 7. & seq.

Detracta pelle hostiæ, artus in frusta concidant. Et subjicient in altari ignem, strue lignorum ante compositâ; & membra quæ cæsa sunt desuper ordinantes, caput videlicet, & cuncta quæ adhærent jecori, intestinis & pedibus lotis aqua.

a CUM de cavendo [a] terreni appetitus desiderio tractaretur, in expos. B. Job, l. 1. adjunctum est: *Detracta pelle hostiæ, artus in frusta concidant, &c.* PELLEM hostiæ subtrahimus, cum a mentis nostræ oculis superficiem virtutis amovemus. Cujus artus in frusta concidimus, cum distinguentes subtiliter ejus intima, membratimque cogitamus. [b] Curandum ergo est, ne cum mala vincimus, bonis lascivientibus supplantemur, ne fortasse fluxa prodeant, ne incircumspecta capiantur, ne per errorum viam deserant, ne per lassitudinem fracta, anteacti laboris meritum perdant. In cunctis enim vigilanter debet se mens circumspicere, atque in ipsa circumspectionis suæ providentia perseverare. * Sed inter hæc sciendum est, quod idcirco nonnumquam impulsu illicitæ cogitationis affligimur: quia in quibusdam terrenæ conversationis actibus, quamvis licitis, libenter occupamur. Cumque vel in minimis terrena actio per desiderium tangitur, crescente contra nos antiqui hostis fortitudine mens nostra non minima importunitate tentationis inquinatur. Unde & Sacerdos Legis membra hostiæ per frusta concisa, caput atque ea quæ circa jecur sunt, jubetur ignibus cremare: pedes vero atque intestina hostiæ prius aqua diluere. Nos quippe ipsos sacrificium Deo offerimus, cum vitam nostram cultui divino dedicamus. Qui membra hostiæ per frusta concisa super ignem ponimus, cum vitæ nostræ opera virtutibus distinguentes immolamus. Caput atque ea quæ juxta jecur continentur, incendimus: cum in sensu nostro, quo omne corpus regitur, atque in occultis desideriis flamma divini amoris ardemus. Et tamen præcipitur ut pedes atque intestina hostiæ laventur. Pedibus enim terra tangitur, intestinis vero stercora gestantur: quia plerumque jam ex desiderio in æternitatem succendimur, jam toto devotionis sensu ad appetitum nostræ mortificationis inhiamus. Sed quia adhuc terrenum præ infirmitate aliquid agimus, nonnulla etiam, quæ jam subegimus, illicita in corde toleramus. Cumque cogitationes nostras immunda tentatio inquinat, quid aliud quam intestina hostiæ stercus portant? Sed ut comburi debeant, laventur: quia nimirum necesse est ut immundas cogitationes timoris fletus diluat, quas in acceptione sacrificii supernus amor incendat. Et quidquid mens vel de inexperto certamine, vel de conversationis pristinæ memoria patitur, lavetur: ut tanto suavius in conspectu sui spectatoris ardeat, quanto cum ei assistere cœpit, nil terrenum secum, nil lubricum in ara suæ orationis imponat.

Num. 54. — * Moral. l. 9. num. 48.

CAPUT II.

Levit. 5. v. 6. 7. & 8.

De prolato juramento, & per oblivionem omisso per Moysen dicitur: Offerat agnam de gregibus, sive capram; orabitque pro eo sacerdos, & pro peccato ejus. Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures vel duos pullos columbarum, unum pro peccato, & alterum in holocaustum.

DUm de modo reparandæ vitæ tractaretur, in expos. B. Job, lib. 32. adjunctum est: *De prolato juramento, &c.* JURAMENTUM namque proferre, est voto nos divinæ servitutis alligare. Et cum bona opera promittimus, bene nos facere spondemus. Cum vero abstinentiam, cruciatumque carnis nostræ vovemus, male ad præsens nos nobis facere juramus. Sed quia nullus in hac vita ita perfectus est, ut quamlibet Deo devotus sit, inter ipsa quantumcumque pia vota non peccet, pro peccato agna offerri, sive capra præcipitur. Quid enim per agnam, nisi activæ vitæ innocentia? Quid per capram, quæ in summis sæpe extremisque pendens rupibus pascitur, nisi contemplativa vita signatur? Qui ergo se conspicit promissa ac proposita non implesse, ad sacrificium Dei sese studiosius debet, vel innocentia boni operis, vel sublimi pastu contemplationis accingere. Et bene agna de gregibus, capra vero offerri de gregibus non jubetur: quia activa vita multorum est, contemplativa paucorum. Et cum hæc agimus quæ multos agere & egisse conspicimus, quasi agnam de gregibus damus. Sed cum offerentis virtus ad agnam capramque non sufficit, in remedio pœnitentis adjungitur, ut duo columbarum pulli vel duo turtures offerantur. Scimus quia columbarum pulli vel turtures pro cantu gemitus habent. Quid ergo per duos columbarum pullos vel duos turtures, nisi duplex pœnitentiæ nostræ gemitus designatur? Ut cum ad offerenda bona opera non assurgimus, nosmetipsos dupliciter defleamus: quia & recta non fecimus, & prava operati sumus. Unde & unus turtur pro peccato, alter vero offerri in holocaustum jubetur. Holocaustum namque totum incensum dicitur. Unum ergo turturem pro peccato offerimus, cum pro culpa gemitum damus: de altero vero holocaustum facimus, cum pro eo quod bona negleximus, nosmetipsos funditus succendentes, igne doloris ardemus.

Num. 4.

CAPUT III.

Levit. 5.

De turture vel columba, quæ pro peccato offertur, jubetur ut caput ejus retorqueatur ad pennulas, itaut collo caput inhæreat, & non penitus abrumpatur.

DUm per promissi sacrificii mysterium, de unitate sanctæ Ecclesiæ in suo confirmatæ capite, id est Redemtore nostro, & de gloria passionis ejus tra-

a In cod. Vatic. *de cavendo spiritualibus terreni, &c.*

b Quæ sequuntur, usque ad: *sed inter hæc, &c.* absunt a mss.

Num. 10. tractaretur, homil.7. in Ezech. adjunctum est: *De turture vel columna*, &c. QUID in hac oblatione turturis vel columnæ, quæ pro peccato jubetur offerri, atque ut post mortem hostiæ corpori caput inhæreat, nisi Mediatoris nostri persona signatur? Redemtoris enim nostri mors ad conjunctionem sui corporis, id est Ecclesiæ valuit, non ad separationem. Mediator etenim Dei & hominum, id est caput omnium nostrum, & vera emundationis hostia, unde pro nobis mortem pertulit, inde nobis verius inhæsit. Post sectionem ergo caput turturis suo corpori inhæret: quia Christum ab Ecclesia, nec mors interveniens dividit. Persecutores igitur peregerunt hoc, quod perniciose moliti sunt. Intulerunt mortem, ut ab eo abscinderent fidelium devotionem. Sed inde fides crevit, unde hanc se extinguere infidelium crudelitas credidit. Cumque se existimarunt ejus miracula persequendo abscindere, hæc nimirum compulsi sunt nesciendo dilatare. Quis namque caput nostrum est, nisi Redemtor generis humani? De quo scriptum est: *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*. Quem cum Judæi persequerentur, nomen ejus delere de terra conati sunt. Cumque eum crucifixum & sepultum viderent, eum se ab amore omnium divisisse crediderunt. Sed caput turturis & incisum est, & tamen a suo corpore abscissum non est: quia ex eo quod pro nobis mortem pertulit, omnes nos sibi verius in ipsa sua morte conjunxit. Et per hoc quod se nostris oculis visibiliter subtraxit, nostris se mentibus invisibiliter radicavit. Caput ergo turturis incisum adhæsit corpori: quia pro nobis quidem Redemtor noster passus est, sed a nobis separatus non est.

Ephes.1. 22. (marginal reference to "Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam")

CAPUT IV.

Item unde supra.

Ibidem. DUm de modo tenendæ vitæ activæ tractaretur, homil.7. in Ezec. adjunctum est. Hi qui juxta historiam voluerunt accipere usque dum verum sacrificium veniret, in ipsa litteræ expletione tenuerunt, in quo nos sacrificio, si morale aliquid quæramus, invenimus. Nos enim ipsi in omnipotentis Dei sacrificio esse turtur debemus, itaut caput nostrum retorqueatur ad pennulas, id est sensus ad virtutes. Non enim immerito per caput mentem intelligimus: quia sicut caput corpus, ita mens actiones regit. Sed caput collo inhæreat, & non funditus abscindatur: quia videlicet mens nostra carnis delectatione incidenda est; sed a carnis cura necessaria incidenda non est. Hinc enim scriptum est: *Carnis curam ne feceritis in desideriis*.
Rom.13.14
Quæ ergo in desideriis fieri prohibetur, proculdubio in necessitate conceditur. Caput ergo turturis ex parte abscissum sit, & ex parte collo inhæreat; ut, sicut dictum est, & a [a] voluntate carnis mens nostra incisa sit, & tamen a necessitate non sit abscissa.

CAPUT V.

Levit.6.12. *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos, subjiciens mane ligna per singulos dies. Et imposito holocausto desuper adolebit adipes pacificorum.*

Num. 15. & 26. CUm de nutriendo divino amore, & servanda cordis innocentia tractaretur, in expos. B. Job, l.25. adjunctum est: *Ignis in altari semper ardebit*, &c. IGNIS est iste perpetuus, qui numquam deficiet de altari. Altare Dei est cor nostrum, in quo jubetur ignis semper ardere: quia necesse est ex illo ad Deum caritatis flammam indesinenter accendere. Cui per singulos dies Sacerdos ligna subjiciat, ne extinguatur. Omnis enim fide Christi præditus, membrum utique summi Sacerdotis effectus est, sicut cunctis fidelibus Petrus Apostolus dicit; *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium*. Et sicut Johannes Apostolus dicit: *Fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotium*. Sacerdos ergo in altari ignem nutriens quotidie ligna subjiciat, id est fidelis quisque ne in eo caritatis flamma deficiat, in corde suo tam exempla præcedentium, quam sacræ Scripturæ testimonia congerere non desistat. Nam quasi quædam fomenta igni dare, est in exercitatione caritatis vel exempla patrum vel præcepta Dominica ministrare. Quia enim interna novitas nostra ipsa quotidie hujus vitæ conversatione veterascit, ignis iste adhibitis lignis nutriendus est, ut dum per usum se nostræ vetustatis extenat, per patrum testimonia & exempla reviviscat. Et bene illic præcipitur ut mane ligna per dies singulos cogerantur. Hæc quippe non fiunt, nisi cum nox cæcitatis extinguitur. Vel certe quia mane prima pars diei est, postpositis cogitationibus vitæ præsentis, hoc priori loco quisque fidelium cogitet, ut quod in se jamjamque quasi deficit, quibus valet nisibus studium caritatis inflammet. Ignis enim iste in altari Domini, id est in corde nostro citius extinguitur, nisi solerter adhibitis exemplis Patrum, & Dominicis testimoniis reparetur. Bene autem illic subjungitur: *Et imposito holocausto, desuper adolebit adipes pacificorum*. Nam quisquis in se hunc ignem caritatis accendit, semetipsum utique holocaustum desuper imponit: quia omne vitium, quod in se male vivebat, exurit. Cum enim cogitationum suarum interna considerat, & vitam reprobam per immutationis gladium mactat: in ara se sui cordis imposuit, & igne caritatis accendit. De qua hostia pacificorum adipes redolent: quia interna novæ vitæ impinguatio, pacem inter nos & Dominum faciens, odorem de nobis suavissimum reddit. Quia vero eadem caritas in cordibus electorum inextinguibilis manet, apte illic subditur: *Ignis est iste perpetuus, qui numquam deficiet de altari*. Numquam profecto de altari ignis iste deficit: quia etiam post hanc vitam eorum mentibus fervor caritatis accrescit. Æterna quippe contemplatione agitur, ut omnipotens Deus quo magis visus fuerit, eo amplius diligatur.

1 Petr.2.9. Apoc.1. (marginal references)

CAPUT VI.

Item unde supra.

IN commentario Ezechiel.hom.12. QUOD offerri per Legem simila in sacrificium jubetur. Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale zelus animarum. Hinc enim Psalmista ait, *Zelus domus tuæ comedit me*. Quantum vero frixura cordis, quæ per spiritualem zelum agitur, omnipotentem Dominum placat, aperte ostenditur, cum offerri per Legem simila in sacrificium jubetur. De qua scriptum est: *In sartagine tota oleo conspersa frigetur, offeretque eam calidam in odorem suavissimum Domino Sacerdos, qui patri jure successerit, & tota cremabitur*

Num. 30. Num. 31. Psal.68.10. Levit.6.21 (marginal references)

a Gemet. & Ultr. a voluptate. Retinemus receptam lectionem quæ est Michael.

cremabitur in altari. Tuna enim simila in sartagine frigitur, cum munda mens justi per zeli sancti ardorem crematur. Quę conspergi oleo præcipitur: quia enim Græce misericordia, ἔλεος, dicitur, non immerito per oleum misericordia designatur, quæ in conspectu omnipotentis Domini ardet & lucet. Conspergatur ergo oleo mens quæ in sartagine frigitur; quia in sancti zeli districtione necesse est, ut ex misericordiæ virtute & ardeat & clarescat. Amat enim eumdem ipsum quem insequi videtur. Unde & calida in odorem suavissimum Domino offerri pręcipitur: quia si amorem zelus non haber, ea, quæ in sartagine offertur, caloram simila amisit. Et notandum quis eam offerre præcipitur, videlicet Sacerdos qui patri jure successerit. Ille enim Sacerdos patri jure succedit, qui esse se omnipotentis Dei filium moribus demonstrat, atque a nobilitate intima opetum suorum ignobilitate non discrepat. Quæ in altari tota cremari præcipitur, ut videlicet holocaustum fiat. Holocaustum enim totum incensum dicimus. Unde & in translatione altera hęc eadem simila, quæ in sartagine frigitur, holocaustum fiari jubetur. Hoc autem inter holocaustum & sacrificium distat, quia omne quidem holocaustum sactificium est, non omne sacrificium holocaustum. Sunt enim multa bona, quæ aguntur sacrificia, sed holocausta non sunt: quia totam mentem in amore spirituali minime incendunt. Qui enim sic operantur ea, quæ Dei sunt, ut tamen ea, quæ sunt seculi, non relinquant, nimirum sacrificium & non holocaustum offerunt. Qui autem cuncta quæ mundi sunt deserunt, & totam mentem igne divini amoris accendunt, hi nimirum omnipotenti Domino sacrificium & holocaustum faciunt. Simila itaque in sartagine, est munda mens justi in zali spirituali afflictione, quæ per sollicitudinem animarum frigitur; & non solum sacrificium, sed etiam holocaustum Domino esse deputatur.

CAPUT VII.

Levit. 7. 3. *Quod cauda hostiæ in sacrificio jubetur offerri.*

Num. 2. DUm de perseverantia boni operis tractaretur, homil. 25. in Evang. adjunctum est: *Quod cauda hostiæ in sacrificio jubetur offerri*. QUID in cauda, nisi finis est corporis? Et ille bene immolat, qui sacrificium boni operis usque ad finem debitæ perducit actionis. Cauda ergo bestiæ in altari offerri præcipitur, ut videlicet omne bonum, cum incipimus, etiam perseveranti fine compleamus.

CAPUT VIII.

Levit. 7. 35. *Quod Sacerdos ex sacrificio, dextrum armum, ac separatum jubetur accipere.*

Sic est 2 p. c. 3 hodie in... 17. 23. l. 2. olim 24. DUm de custodia Sacerdotalis officii tractaretur, in eod. Reg. Past. tit. 14 adjunctum est: *Quod Sacerdos ex sacrificio, &c.* QUID est quod Sacerdos ex præcepso Legis, non solum dextrum armum, sed etiam separatum jubetur accipere, nisi ut non solum sit ejus operatio utilis, sed etiam singularis? Nec inter malos tantummodo, quæ recta sunt, faciat; sed bene quoque operantes subditos sicut honore ordinis superat, ita etiam morum virtute transcendat. Cui in esu quoque pectusculum cum armo tribuitur, ut quod de sacrifieio pręcipitur sumere, hoc de semetipso Auctori discat immolare. Et non solum pectore quæ recta sunt cogitet, sed spectatores suos ad sublimia armo operis invitet. Nulla præsentis vitæ appetat, nulla pertimescat. Blandimenta mundi respecto intimo terrore despiciat, terrores autem considerato interna dulcedinis blandimento contemnat.

CAPUT IX.

Quod pisces, qui pinnulas non habent, ab esu fidelis populi prohibentur. Et quod pisces, qui pinnulas squamarum habent, dare saltus etiam super aquas solent. *Levit. 11. 9.*

DUm de desideriis electorum spiritualiter viventium tractaretur, in expos. B. Job, l. 5. adjunctum est: *Quod pisces, qui pinnulas non habent, &c.* QUID [a] ergo pennatis piscibus, nisi electæ animæ figurantur? Quæ profecto solæ in cælestis Ecclesiæ corpus transeunt. Quæ modo virtutum pinnulis fultæ, saltus dare per cæleste desiderium sciunt, ut superna contemplatione appetant, quamvis in seipsis iterum ex mortali carne dilababtur. *Num. 29.*

CAPUT X.

Item unde supra.

PISCES, qui habent pinnulas, saltus dare super aquas solent: soli ergo in electorum corpore quasi pisces transeunt, qui in eo quod imis deserviunt, aliquando ad superna conscendere mentis saltibus sciunt: ne semper in profundis curarum lateant, & nulla nos amoris summi quasi liberi aeria aura contingat. Qui ergo rebus temporalibus occupentur, tunc bene axteriora disponunt, cum sollicite ad interiora confugiunt: cum nequaquam foris perturbationum strepitus diligunt, sed apud semetipsos intus in tranquillitatis sinu requiescunt. *Ibidem.*

CAPUT XI.

Si ultra apparuerit in his locis, quæ prius immaculata erant, lepra volatilis & vaga, debet igni comburi. *Levit. 13. 57.*

DUm de alternantibus in reproba mente vitiis tractaretur, hom. 10. in Ezechiel adjunctum est: *Si ultra apparuerit in his locis, &c.* [b] ALIQUANDO quędam nos male egisse cognoscimus, atque hæc a nostro opere vitamus; sed ipsa nobis culpa aliis actibus surrepit, quæ prius nos in aliis tenebat. Nam sunt nonnulli, qui carnali immunditiæ subjecti, ad semetipsos considerantes redeunt, reatum suæ pravitatis agnoscunt. Cumque se ab immunda actione correxerint, statim de castitatis bono stulta elatione gloriantur, & quos prius immunditia operis tenebat in corpore, postmodum immunditia elationis tenet in cogitatione. Quid itaque istos, nisi lepra volatilis possidet, quæ vestimentum plene non deseruit, sed in eo locum mutavit? Vestimentum quippe sanctæ Ecclesiæ unusquisque fidelis est. Unde ei per Prophetam dicitur: *Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris*. Lepra ergo volatilis & vaga vestimentum tenet, quando eam animam, quæ esse fidelis cernitur, *Isai. 49. 18.*

a In Michael. laudatur homil. 26. in Evang.

b In Michael. assignatur hom. 13. In neutra nobis occurrit quod his legitur.

a tur, per immutatum vitium culpa possidet. Si quis enim habitis in hoc mundo divitiis fortasse superbiat, sed ab ore prædicantis cuncta hæc peritura esse audiens, ea quæ possidet, pauperibus dispergat: de ipsa vero distributione elationem in corde habeat: quia prius hunc elatio per tenaciam, postmodum per largitatem tenuit, lepra, ut diximus, in vestimento locum mutavit. Alius immoderatis indisciplinatisque ineptæ lætitiæ verbis est deditus, qui dum fortasse a prædicatore corripitur, gravitatis censura se coercere studet, ne dissoluto gaudio lætetur: sed sæpe dum plusquam debet a gaudio restringitur, animus in iram vertitur, & sua ei tristitia iracundiæ stimulos excitat, atque constrictam mentem furoris aculeo perturbat. Quia ergo vitium ineptæ lætitiæ per immoderatam continentiam ad iracundiæ vitium transit, lepra vaga & volatilis locum, quem tenebat, destituit; & quem non tenebat, occupavit.

CAPUT XII.

Levit.15 10. *Qui fluxum seminis patitur, immundus erit.*

CUm de tenenda locutionis mensura tractaretur, in expos. B. Job, l. 23. adjunctum est: *Qui fluxum seminis patitur, &c.* [b] QUID est sermo, nisi semen? Quid dum ordinate emittitur, audientis mens quasi concipientis uterus, ad boni operis prolem fœtatur: si vero importune defluit, emittentem polluens, generandi virtutem perdit. In mente quippe audientium semen secuturæ cogitationis est auditæ qualitas locutionis: quia dum per aurem sermo concipitur, cogitatio in mente generatur. Nam si semen sermo non esset, de prædicante Paulo nequaquam Athenienses dicerent: *Quid sibi vult seminiverbius hic dicere?* De quo & Lucas dicit: *Ipse enim erat dux verbi.* Semen ergo usui propaginis dicatum incompetenter fluens, cetera membra coinquinat, cum sermo per quem in audientium sensibus nasci scientia debuit, si inordinate prodeat, etiam quæ recte senserit, fœdat. Qui ergo fluxum seminis sustinet, immundus asseritur; quia multiloquio subditus ex eo se inquinat. Quod si ordinate promeret, prolem rectæ cogitationis edere in audientium corde potuisset. Dumque incautus per loquacitatem defluit, non ad usum generis, sed ad immunditiam semen fundit. Unde & Paulus quoque cum discipulum de instantia prædicationis admoneret, dicens: *Testificor coram Deo & Christo Jesu, qui judicaturus est vivos & mortuos, per adventum ipsius & regnum ejus: Prædica verbum; insta opportune, importune.* Dicturus *importune*, præmisit *opportune*: quia scilicet apud auditoris mentem ipsa sua utilitate se destruit, si habere importunitas opportunitatem nescit.

(Margin notes: Num. 29. — Act. 17. 18. — Act. 14. 11. — Reg. Past. p. 2. cap. 4. in fin. — 2. Tim. 4. 1.)

CAPUT XIII.

Levit.19.14 *Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum.*

Adm. 36. cap. 35. DUm de cavendo detractionis ac scandali vitio tractaretur, in Reg. Past. part. 3.

Tom. IV. Pars II.

A adjunctum est: *Non maledices surdo &c.* SURDO maledicere, est absenti non audienti derogare. Coram cæco ponere offendiculum, est discretam quidem rem agere; sed tamen ei, qui lumen discretionis non habet, scandali occasionem præbere.

CAPUT XIV.

Quando ingressi fueritis terram, quam ego daturus sum vobis, & plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum. Poma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Levit.19.23.

B CUm de vitando appetitu laudis transitoriæ tractaretur, in expos. B. Job, lib. 8. adjunctum est: *Quando ingressi fueritis terram, &c.* LIGNA pomifera sunt opera virtutibus fecunda. Præputia itaque lignorum auferimus, cum de ipsa inchoationis infirmitate suspecti, primordia nostrorum operum non approbamus. Poma autem quæ germinant, immunda dicimus, nostrisque esibus non aptamus: quia cum primordia boni laudantur operis, dignum est, ut hoc animum non pascat operantis; ne, dum accepta laus suaviter carpitur, fructus operis intempestive comedatur. Qui ergo inchoatæ virtutis ab humano ore laudem receperit, quasi plantati ligni ante tempus pomum C comedit. Hinc per Psalmistam Veritas dicit: *Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis.* Ante lucem quippe surgere, est priusquam claritas æternæ retributionis appareat, in præsentis vitæ nocte gaudere. [c] Sedendum ergo prius est, ut post recte surgamus: quia quisquis nunc se sponte non humiliat, nequaquam hunc sequens gloria exaltat.

(Margin notes: Num. 75. & 80. — Psal. 126. 2.)

CAPUT XV.

Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus. Levit. 21. 17. & seq.

D Ubi & repente subjungitur: *Si cæcus fuerit, si claudus, si vel parvo & grandi & torto naso, si fracto pede vel manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel ponderosus.*

CUm de morum vitiis, per corporum infirma distinctis, tractaretur, Reg. Past. part. 1. adjunctum est: *Loquere ad Aaron, &c.* CONSIDERANDUM valde est, quia cum causam populi electus presul suscipit, quasi ad ægrum medicus accedit. Cujus, si adhuc in opere passiones vivunt, qua præsumtione percussum mederi poterit, qui in facie vulnus portat? * Ille ergo, E ille modis omnibus debet ad exemplum vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens, jam spiritualiter vivit. Qui prospera mundi postposuit. Qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat. Cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat. Qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria lar-

(Margin notes: Cap. 9. — * Cap. 10.)

G

a Hic locus in editis & in multis mss. est corruptus. Veram lectionem suppeditavit cod. Michael.

b In Gemet. *Quid per fluxum seminis, nisi sermonis semen accipitur? Qui dum ordinate emittitur.*

c Irrepsit in ed. *sciendum* pro, *sedendum*.

largitur. Qui per pietatis viscera citius ad ignoscendum flectitur, sed numquam plus quam deceat ignoscens, ab arce rectitudinis inclinatur. Qui nulla illicita perpetrat, sed perpetrata ab aliis, ut propria, deplorat. Qui ex affectu cordis alienæ infirmitati compatitur, sicque in bonis proximi sicut in suis profectibus lætatur. Qui ita se imitabilem ceteris in cunctis, quæ ait, insinuat, ut inter eos non habeat quod saltem de transactis mens erubescat. Qui sic studet vivere, ut proximorum quoque corda arentia, doctrinæ valeat fluentis irrigare. Qui orationis usu & experimento jam didicit, quod obtinere a Domino, quæ poposcerit, possit. * Hinc est quod superna voce morum vitia per corpora infirma signantur, dum ad Moysen Dominus dicit: *Loquere ad Aaron: homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offerat panes Domino Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus.* Ubi & repente subjungitur: *Si cæcus fuerit, si claudus, si vel parvo vel grandi & torto naso, si fracto pede, vel manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel ponderosus.* Cæcus quippe est, qui supernæ lumen contemplationis ignorat. Qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conspicit, quo egressum operis porrigat, nescit. Hinc etenim prophetante Anna dicitur: *Pedes Sanctorum suorum servabit, & impii in tenebris conticescent.* Claudus vero est, qui quidem quo pergeret debeat aspicit, sed per infirmitatem mentis vitæ viam perfecte non valet tenere, quam videt. Qui ad virtutis statum dum fluxa consuetudine non erigitur, quo desiderium innititur, illuc gressus operis efficaciter non sequuntur. Hinc etenim Paulus dicit; *Remissas manus & dissoluta genua erigite, & gressu rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.* Parvo autem naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est. Naso quippe odores fœtoresque discernimus. Recte ergo per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. Unde & in laude Sponsæ dicitur: *Nasus tuus sicut turris, quæ est in Libano.* Quia nimirum sancta Ecclesia, quæ ex causis singulis tentamenta prodeant, per discretionem conspicit, & ventura vitiorum bella ex alto deprehendit. Sed sunt nonnulli, qui dum æstimari hebetes nolunt, sæpe se in quibusdam inquisitionibus plusquam necesse est exercentes, [a] ex nimia subtilitate falluntur, Unde hic quoque subditur, vel grandi & torto naso. Nasus etenim grandis & tortus, est discretionis subtilitas immoderata: quæ dum plusquam decet excreverit, actionis suæ rectitudinem ipsa confundit. Fracto autem pede vel manu est qui viam Dei pergere omnino non valet, atque a bonis actibus funditus exsors vacat, quatenus hæc non ut claudus saltem cum infirmitate teneat, sed ab his omni modo alienus existat. Gibbus vero est, quem terrenæ sollicitudinis pondus deprimit, ne umquam ad superna respiciat, sed solis his quæ in infirmis calcantur, intendat. Qui etsi quando aliquid ex bono patriæ cælestis audierit, ad hoc nimirum perversæ consuetudinis pondere prægravatus, cordis faciem non attollit. Quia cogitationis statum erigere non valet, quem terrenæ usus sollicitudinis curvum tenet. Ex horum quippe specie Psalmista dicit: *Incurvatus sum, & humiliatus sum usquequaque.* Quorum

* Cap. 11.
Levit. 21. 17
1. Reg. 2. 9.
Hebr. 12. 12. 13.
Cant. 7. 4.
Psal. 37. 8.

[a] Excusi contra Gregorii mentem, ex nimia.

A culpam quoque per semetipsam Veritas reprobans ait: *Semen autem, quod in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, & a sollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.* Lippus vero est, cujus quidem ingenium ad cognitionem veritatis emicat, sed tamen hoc carnalia opera obscurant. In lippis quippe oculis pupillæ sanæ sunt, sed humore defluente infirmatæ palpebræ grossescunt. Quæ quia infusione crebro atteruntur, etiam acies pupillæ vitiatur, Et sunt nonnulli, quorum sensum carnalis vitæ operatio sauciat, quia videre recta subtiliter per ingenium poterant, sed usu parvorum actuum caligant. Lippus itaque est, cujus sensum natura exacuit, sed conversationis pravitas confundit. Cui bene per Angelum dicitur: *Collyrio inunge oculos tuos ut videas.* Collyrio quippe oculum ut videamus inungimus, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem, intellectus nostri aciem, medicamine bonæ operationis adjuvamus. Albuginem vero habet in oculo, qui veritatis lucem videre non sinitur: quia arrogantia sapientiæ, seu justitiæ cæcatur. Pupilla namque oculi nigra videt, albuginem tolerans nil videt: quia videlicet sensus humanæ cogitationis si stultum se peccatoremque intelligit, cogitationem intimæ claritatis apprehendit. Si autem candorem sibi justitiæ seu sapientiæ tribuit, a luce se supernæ cogitationis excludit; & eo claritatem veri luminis nequaquam penetrat, quo se apud se per arrogantiam exaltat. Sicut de quibusdam dicitur: *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt*. Jugem vero habet scabiem, cui carnis petulantia sine cessatione dominatur. In scabie etenim fervor viscerum ad cutem trahitur, per quam luxuria recte designatur: quia si cordis tentatio usque ad operationem prosilit, nimirum fervor intimus usque ad cutis scabiem prorumpit, & foras jam corpus sauciat; quia dum in cogitatione voluptas non reprimitur, etiam in actione dominatur. Quasi enim cutis pruriginem Paulus curabat abstergere, cum dicebat: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana.* Ac si aperte diceret: Humanum quidem est, in corde tentationem perpeti: dæmoniacum vero est, in tentationis certamine, & in operatione superari. Impetiginem quoque habet in corpore, quisquis avaritia vastatur in mente: quæ si in pravis non compescitur, nimirum sine mensura dilatatur. Impetigo quippe sine dolore corpus occupat, & absque occupati tædio excrescens membrorum decorem fœdat: quia & avaritia capti animum dum quasi delectat, exulcerat: dum adipiscenda quæque cogitationi objicit, ad inimicitias accendit, & dolorem in vulnere non facit: quia æstuanti animo ex culpa abundantiam promittit. Sed decor membrorum perditur, quia aliarum quoque virtutum per hanc pulchritudo depravatur, & quasi totum corpus exasperat: quia per universa vitia animum supplantat, Paulo attestante, qui ait: *Radix omnium malorum est cupiditas.* Ponderosus vero est, qui turpitudinem non exercet in opere, sed tamen ab hac cogitatione continua sine moderamine gravatur in mente. Qui nequaquam quidem usque ad opus nefarium rapitur, sed ejus animus voluptate luxuriæ, sine ullo repugnationis obstaculo delectatur. Vitium quippe est ponderis, cum humor viscerum ad virilia labitur, quæ profecto cum molestia dedecoris intumescunt. Pon-

dero-

Luc. 8. 14.
Apoc. 3. 18.
Rom. 1. 22.
1. Cor. 10 13
1. Tim. 6. 10

derosus ergo est, qui totis cogitationibus ad lasciviam defluens, pondus turpitudinis gestat in corde: & quamvis prava non exerceat opere, ab his tamen non evellitur mente; nec ad usum boni operis in aperto valet assurgere, quia gravat hunc in abditis pondus turpe. Quisquis ergo quolibet horum vitio subjicitur, panes Domino offerre prohibetur, [a] nec profecto diluere aliena delicta valet is, quem adhuc propria devastant.

Finis Libri Levitici.

a Excusi, invitis mss. *ne profecto diluere aliena delicta non valeat, is quem adhuc propria devastant.*

CAPITULA LIBRI QUARTI IN NUMEROS.

1. *Quod Nazaræi capillos nutriunt, quos post votum in igne sacrificii ponunt.*
2. *Quod Moyses crebro tabernaculum intrat, & exit.*
3. *Quod Levitæ omnes pilos carnis suæ radere jubentur.*
4. *Quod Levitæ ab anno vigesimo quinto ministrare præcepti sunt.*
5. *Quod Moyses in rebus dubiis crebro ad tabernaculum redit.*
6. *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, &c.*
7. *Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis: Veni nobiscum, ut bene faciamus tibi.*
8. *De populo qui fastidiens manna, ollas carnium, pepones, & porros, cæpasque ex Ægypto concupivit.*
9. *Congrega mihi lxx. viros de senibus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint.*
10. *Quid æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet?*
11. *Quod Aaron, assumto thuribulo, inter viventes ac mortuos stetit.*
12. *De virgis duodecim in tabernaculo positis, ex quibus virga Aaron floruit.*
13. *De sacrificio & cinere vaccæ rufæ.*
14. *Item unde supra.*
15. *Vas quod non habuerit operculum aut ligaturam, immundum est.*
16. *Quod Balaam tarditate asinæ a cœpto itinere præpeditur.*
17. *Moriatur anima mea morte justorum, &c.*
18. *Item unde supra.*
19. *Item unde supra.*
20. *Qui cadit, & sic aperiuntur oculi ejus.*
21. *Item unde supra.*
22. *Robustum est quidem habitaculum tuum, sed si in petra posueris nidum tuum, &c.*
23. *Terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel, regionis uberrimæ est, &c.*
24. *Quod post mortem summi Sacerdotis, homicida jubetur reverti in terram suam.*

LIBER QUARTUS

DE TESTIMONIIS LIBRI NUMERORUM.

CAPUT PRIMUM.

Num. 6. 18. *Quod Nazaræi capillos nutriunt, quos post votum in igne sacrificii ponunt.*

CUM de [a] vitandis superfluis cogitationibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 2. adjunctum est: *Quod Nazaræi capillos nutriunt, &c.* QUID est quod Nazaræi capillos nutriunt, nisi quod per vitam magnæ continentiæ præsumtionum cogitationes crescunt? Sed quid est quod devotione completa caput Nazaræus radere, capillosque in igne sacrificii ponere jubetur, nisi quod tunc ad perfectionis summa pertingimus, cum sic exteriora vitia vincimus, ut etiam cogitationes superfluas a mente resecemus? Quas nimirum sacrificii igne concremare, est flammatas divini amoris incendere: ut totum cor in Dei amore ardeat, & cogitationes superfluas concremans, quasi Nazaræi capillos devotionis perfectione consumat. (a Num. 24.)

CAPUT II.

Quod Moyses crebro tabernaculum intrat, & exit. (Num. 7.)

CUm de Præpositorum ædificanda regiminis regula tractaretur, Regul. Pastoral. parte 2. adjunctum est: *Quod Moyses crebro, &c.* QUID est quod Moyses crebro tabernaculum intrat, & exit, nisi quod is, qui mente in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur? Intus Dei arcana considerat; foris onera carnalium portat. Quid de rebus quoque dubiis semper ad tabernaculum recurrit, ac coram testamenti arca Dominum consulit; exemplum proculdubio Rectoribus præbens, ut cum foris ambigunt quid disponant, ad mentem semper quasi ad tabernaculum redeant, & velut coram testamenti arca Dominum consulant, si de his, in quibus dubitant, apud semetipsos intus sacri eloquii paginas requirant. Unde & ipsa Veritas, per susceptionem nobis nostræ humanita- (Cap. 5.) (Luc. 6. 12.)

a In excusis legitur, *de resecanda cogitationum superfluitate.* Adhæremus mss. Vaticano Michael. Utic. &c.

tis ostensa, in monte orationi inhæret, miracula in A urbibus exercet: imitationis videlicet viam bonis Rectoribus sternens, ut etsi jam summa contemplando appetant, necessitatibus tamen infirmantium compatiendo misceantur: quia tunc ad alta caritas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit: & cum benigne descendit ad infima, valenter recurrit ad summa.

CAPUT III.

Num. 8. 9. *Levitæ radant omnes pilos carnis suæ.*

Num. 39. CUM de vitandis carnalibus concupiscentiis ab B electorum cordibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 5. adjunctum est: *Levitæ radant omnes pilos carnis suæ*. PILI carnis, sunt quælibet superflua humanæ corruptionis. Pili carnis, sunt vitæ veteris cogitationes, quas sic a mente abscindimus, ut de amissione earum nullo dolore fatigemur. Levita namque assumtus vocatur. Oportet ergo Levitas omnes pilos carnis radere: quia is, qui in obsequiis divinis assumitur, debet ante Dei oculos a cunctis carnis cogitationibus mundus apparere, ne illicitas cogitationes mens proferat, & pulchram animæ speciem, quasi pilis fructificantibus deformem reddat. Sed quantalibet, ut diximus, quempiam virtus sanctæ conversationis evexerit, adhuc tamen ei de vetustate C vitæ nascitur, quod toleretur. Unde & ipsi Levitarum pili, radi præcepti sunt, non evelli. Rasis etenim pilis in carne radices remanent, & crescunt, ut iterum radantur: quia magno quidem studio superfluæ cogitationes amputandæ sunt, sed tamen amputari funditus nequaquam possunt. Semper enim caro superflua generat, quæ semper spiritus ferro sollicitudinis recidat, sed hæc in nobis tunc subtilius conspicimus, cum speculationis alta penetramus.

CAPUT IV.

Num. 8. v. 24. & 25. *Quod Levitæ ab anno vigesimoquinto ministrare debeant, ab anno vero quinquagesimo custodes vasorum fiant.*

Num. 40. CUm de operationibus intra sanctam Ecclesiam D perfectorum & imperfectorum tractaretur, in expos. B. Job, l. 23. adjunctum est: *Quod Levitæ ab anno vigesimoquinto ministrare debeant*, &c. QUID per annum quintum ac vigesimum, in quo flos juventutis oboritur, nisi ipsa contra unumquodque vitium bella signantur? Et quid per quinquagenarium, in quo jubilæi requies continetur, nisi interna requies edomito bello mentis exprimitur? Quid vero per vasa tabernaculi, nisi fidelium animæ figurantur? Levitæ ergo ab anno vigesimo & quinto, tabernaculo serviant, & a quinquagesimo custodes vasorum fiant, ut videlicet qui adhuc impugnantium vitiorum certamina [a] per consensum delectationis tolerant, aliorum curam suscipere non præsumant. Electi enim cum adhuc in tentatione sunt, subesse eos ac servire necesse est, & obsequiis laboribusque fatigari. Cum vero tentationum bella subegerint, quo apud se jam de intima tranquillitate securi sunt, animarum custodiam sortiantur: mentis quippe ætate tranquilla, dum calor recesserit tentationis, custodes vasorum sunt, quia doctores animarum fiunt.

CAPUT V.

Quod Moyses in rebus dubiis crebro ad tabernaculum redit. Num. 9. v. 7. 8. & 9.

DUm de bono quietis internæ, & vitandis secularibus vitæ tumultibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 23. adjunctum est: *Quod Moyses in rebus dubiis crebro ad tabernaculum redit*. RELICTIS Num. 32. turbis ad tabernaculum redire, est postpositis exteriorum tumultibus secretum mentis intrare. Ibi enim Dominus consulitur, & quod foris agendum est publice, intus silenter auditur. Hoc quotidie boni Rectores faciunt; cum se res dubias discernere non posse cognoscunt, ad secretum mentis velut ad quoddam tabernaculum revertuntur, divina Lege perspecta, quasi posita arca Dominum consulunt: & quod prius intus tacentes audiunt, hoc foris postmodum agentes innotescunt. Ut enim exterioribus officiis inoffense deserviant, ad secreta cordis recurrere incessabiliter curant, & sic vocem Dei, quasi per occultam inspirationem audiunt, dum in meditatione mentis a carnalibus sensibus abstrahuntur.

CAPUT VI.

Fac tibi duas tubas argenteas ductiles. Et paulo post: *Cum concisus clangor increpuerit, movebunt castra.* Num. 10. v. 2. & 5.

DUm de operationibus duorum præceptorum, videlicet amoris Dei & proximi per summum institutum boni Doctoris ministratum in auditorum cordibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 30. adjunctum est: *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles*, &c. PER duas tubas exercitus ducitur, quia per Num. 14. duo præcepta caritatis ad procinctum fidei populus vocatur. Quæ idcirco argenteæ fieri præcipiuntur, ut prædicatorum verba lucis nitore pateant, & auditorum mentem nulla sui obscuritate confundant. Idcirco autem ductiles: quia necesse est, ut hi qui venturam vitam prædicant, tribulationum præsentium tunsionibus crescant. Bene autem dicitur: *Cum concisus clangor increpuerit, movebunt castra*: quia nimirum prædicationis sermo cum subtilius ac minutius agitur, auditorum corda contra tentationum certamina ardentius excitantur.

CAPUT VII.

Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis: Veni nobiscum, ut bene faciamus tibi. Num. 10. 29.

IN codice Reg. Past. p. 3. adjunctum est: *Proficiscimur ad locum*, &c. PLERUMQUE persuadere elatis utilia melius possumus, si profectum eo- Cap. 17. prope finem. E rum nobis potius, quam illis profuturum dicamus, si meliorationem nobis magis quam sibi profuturam dicamus, & eam magis nobis quam sibi impendi postulamus. Facile enim ad bonum elatio flectitur, si ejus inflexio prodesse & aliis credatur. Unde Moyses, qui regente se Deo, per desertum aerea columna duce pergebat, cum Obab cognatum suum a Gentilitatis conversatione vellet educere, & omnipotentis Dei dominio subjugare, ait: *Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis: Veni* Num. 18. v. 29. & seq. *nobiscum, ut bene faciamus tibi: quia Dominus bona* promi-

a Abest, per consensum delectationis, ab Utic. & Germ. legitur in Michael.

promisit Israel. Cui cum respondisset ille: *Non vadam tecum, sed revertar ad terram meam in qua natus sum*, illico adjunxit: *Noli nos relinquere, tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris ductor noster*. Neque enim Moysi mentem ignorantia itineris angustabat, quem & ad prophetiæ scientiam cognitio divinitatis expenderat, quem columna exterius præibat, quem de cunctis interius per conversationem cum Deo sedulam locutio familiaris instruebat. Sed videlicet vir providus, elato auditori colloquens, solatium petiit ut daret. Ducem eum requirebat in via, ut dux ei fieri potuisset ad vitam. Egit itaque ut superbus auditor voce ad meliora suadenti, eo magis fieret devotus, quo putaretur necessarius: & unde se exhortatorem suum præcedere crederet, inde se sub verbis exhortantis inclinaret.

CAPUT VIII.

Num. 11. v. 5. 6. 7. *Quod dum populus manna perciperet, ab Ægypto ollas carnium, pepones, porros, cæpasque concupivit.*

Num. 11. 5. 10. CUm de reproborum mentium vitiis per contemtam supernæ aspirationis dulcedinem tractaretur, in expos. B. Job, l. 20. adjunctum est: *Quod dum populus manna perciperet, &c.* DURA, carnalium mentes præ amore seculi, quasi quædam mollia, ac delectabilia ferre parati sunt, dum in hac vita rerum culmina apprehendere conantur. Cessationem Dominus a mundi laboribus imperat, sanctæ quietis dulcedinem persuadet: & tamen vesana iniquorum mens, plus se assequi aspera carnaliter, quam tenere blanda spiritualiter gaudet. Plus acerbitate fatigationis, quam quietis dulcedine pascitur: quod aperte in semetipso nobis Israeliticus populus ostendit: qui dum refectionem mannæ desuper perciperet, ab Ægypto ollas carnium, pepones, porros, cæpasque concupivit. Quid enim signatur in manna, nisi esca gratiæ suave sapiens, ad refectionem interioris vitæ bene vacantibus desuper data? Et quid per ollas carnium, nisi carnalia opera vitæ in tribulationum laboribus, quasi ignibus excoquenda? Quid per pepones, nisi terrenæ dulcedines? Quid per porros, ac cæpas exprimitur, quæ plerumque qui comedunt, lacrymas emittunt; nisi difficultas vitæ præsentis, quæ a dilectoribus suis & non sine luctu agitur, & tamen cum lacrymis amatur? Manna igitur deserentes, cum peponibus ac carnibus, porros, cæpasque quæsierunt: quia videlicet perversæ mentes dulcia per gratiam quietis dona despiciunt. Et pro carnalibus voluptatibus laboriosa hujus vitæ itinera etiam lacrymis plena concupiscunt. Contemnunt habere ubi spiritualiter gaudeant, & desiderantes appetunt, ubi & carnaliter gemant.

CAPUT IX.

Num. 11. 16. *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint.*

DUm de spectanda potius morum gravitate, quam ætate, in constituendis præfectis tractaretur, in expos. B. Job, l. 19. adjunctum est: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, &c.* SICUT plerumque juvenes dici solent, qui nulla consilii gravitate fulciuntur: ita senes non eos Num. 16.

A Scriptura sacra vocare consuevit, qui sola quantitate temporum, sed morum grandævitate maturi sunt. Unde per quemdam sapientem dicitur: *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata*. Sap. 4. 8. Hinc est ergo quod ad Moysen Dominus dicit: *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sunt*. In quibus quid aliud quam senectus cordis requiritur, cum tales jubentur eligi, qui senes esse sciuntur? Si enim senectus in eis corporis quæreretur, a tantis sciri poterant, a quantis videri. Dum vero dicitur: Quos tu nosti, quod senes populi sunt, profecto liquet: quia senectus mentis non corporis eligenda nuntiatur.

B

CAPUT X.

Quid æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum? Num. 11. 29.

CUm de pio desiderio cordis Pastorum in lucrandis subditis tractaretur in exposit. B. Job, lib. 22. adjunctum est: *Quid æmularis pro me? &c.* Num. 29. PIA Pastorum mens, quia non propriam gloriam sed Auctoris quærit, ab omnibus vult adjuvari quod agit. Fidelis namque prædicator optat, si fieri valeat, ut veritatem, quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent. Unde cum Josue duobus in castris remanentibus atque C prophetantibus vellet obsistere, recte per Moysen dicitur: *Quid æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?* Prophetare quippe omnes voluit, qui bonum quod habuit, aliis non invidit.

CAPUT XI.

Quod Aaron assumto thuribulo inter viventes ac mortuos stetit. Num. 16. v. 47. 48.

DUm de boni Pastoris studio tractaretur, adjunctum est: *Quod Aaron assumto thuribulo inter viventes ac mortuos stetit*. [a] QUID est quod Aaron ut iram Domini placaret, thuribulum sumsit, atque inter viventes ac mortuos stetit: nisi quia Sa- D cerdotis est negotium omnipotenti Deo orationem effundere, & pro justis ne cadant, & pro peccatoribus, ut resurgere debeant? unde & Psalmista ait: *Intret oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. Psal. 140. 2.

CAPUT XII.

De virgis duodecim in tabernaculo positis, ex quibus virga Aaron floruit. Num. 17. 24.

DUm de mysterio resurrectionis tractaretur, in expos. B. Job, l. 14. adjunctum est: *De virgis duodecim in tabernaculo positis, &c.* Num. 16. CUM Aaron Sacerdotium, qui de tribu Levi fuerat, de- E spiceretur, nec digna tribus quæ offerret holocausta crederetur: duodecim virgæ juxta duodecim Tribus in tabernaculo poni præceptæ sunt, & ecce virga Levi viruit, & quid virtutis in munere Aaron haberet, ostendit. Quo videlicet signo quid innuitur, nisi quod omnes, qui usque ad finem mundi jacemus in morte, quasi virgæ reliquiæ in ariditate remanemus? Sed cunctis virgis in aridita-

a In Gemet. & Michaelino indicitur hom. undecima in Ezech. ubi tamen non invenitur.

te remanentibus, virga Levi ad florem rediit: quia corpus Domini, veri scilicet Sacerdotis nostri, in mortis ariditate positum, in florem resurrectionis erupit. Quo flore Aaron recte Sacerdos esse cognoscitur: quia hac resurrectionis gloria Redemtor noster, qui de tribu Juda ac Levi ortus est, intercessor pro nobis esse monstratur. Ecce ergo jam virga Aaron post ariditatem floret, sed virgæ duodecim tribuum in ariditate remanent: quia jam quidem corpus Domini post mortem vivit, sed nostra adhuc corpora usque in finem mundi a resurrectionis gloria differuntur.

CAPUT XIII.

Num. 19. v. 3. & seq. *Præcipe filiis Israel ut adducant ad te vaccam rufam, ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portaverit jugum: tradesque eam Eleazaro Sacerdoti, qui ductam extra castra immolabit in conspectu Domini, & intinget digitum in sanguine ejus, aspergens contra fores tabernaculi septem vicibus: comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle & carnibus ejus, quam sanguine & fimo flammæ traditis. Lignum quoque cedrinum & hyssopum coccumque bis tinctum Sacerdos immittet in flammam, quæ vaccam vorat, & tunc demum lotis vestibus & corpore suo, ingredietur in castra, commaculatusque erit usque ad vesperum. Sed & ille, qui combusserit eam, lavabit vestimenta sua & corpus, & immundus erit usque ad vesperum. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sit multitudini filiorum Israel in custodiam & in aquam aspersionis: quia pro peccato combusta est vacca.*

DUm de mysterio incarnationis Dominicæ tractaretur, in expos. B. Job, adjunctum est: *Præcipe filiis Israel ut adducant ad te vaccam rufam, &c.* * SOLET per masculinum sexum fortitudo, per femininum vero infirmitas designari. Quid ergo per vaccam, nisi assumta ad sacrificium infirmitas incarnationis Dominicæ figuratur? de quo scriptum est: *Quia etsi mortuus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute.* (2. Cor. 13. 4.) Bene autem vacca hæc etiam rufa dicitur: quia videlicet ejus humanitas rubra per cruorem passionis fuit. Unde & in Canticis canticorum ab Sponsa describitur dicente: *Dilectus meus candidus & rubicundus.* (Cant. 5. 10.) Candidus videlicet ex divinitate, rubicundus ex sanguine: candidus per justitiam vitæ, rubicundus ex cruore passionis. Ætas humanitatis Domini integra, est omnis ejus operatio perfecta, in qua videlicet humanitate macula non fuit: quia & veraciter de eo scriptum est: *Quia peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus.* (1. Pet. 2. 22.) Bene autem dicitur, nec portaverit jugum. Scriptum quippe est: *Omnis qui peccat, servus est peccati.* (Joan. 8. 34.) Quia igitur Dominus nulli peccato succubuit, jugum minime portavit. Sequitur: *Tradesque eam Eleazaro Sacerdoti, qui ductam extra castra immolabit in conspectu Domini.* Quid est quod hæc vacca ad immolandum Sacerdoti traditur, nisi quod incarnatus Dominus pro redemtione nostra sacrificium semetipsum in Judaici populi manus datur? qui etiam extra castra in conspectu Domini immolatus est: quia videlicet extra portam passus. Unde & per Paulum dicitur: *Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic civitatem manentem, sed futuram inquirimus.* (Hebr. 13. 12.) Idcirco enim extra portam passus est, ut a conversatione nos vitæ præsentis quasi a civitate foras duceret, & a terrena inhabitatione cor nos avellere persuaderet. Bene autem dicitur, quia *immolabit in conspectu Domini.* Redemtor enim noster in conspectu hominum quasi extinctus est, sed in conspectu patris immolatur: quia quod ante oculos hominum pœna, hoc ante oculos patris sacrificium fuit. *Et intinget digitum in sanguine ejus.* Quid per digitum, nisi discretio nostræ operationis accipitur? In sanguine ergo vaccæ digitum intingere, est in passione incarnationis Dominicæ nostra opera consecrare, ut passionem ejus, quam cognoscimus, imitemur. Sicut scriptum est: *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.* (1. Pet. 2. 21.) Eleazar itaque Sacerdos & immolat, & in sanguinem ejus digitum intingit: quia videlicet plebs Judæa ex reproborum parte humilitatem Domini usque ad passionem persecuta est; ex electorum vero parte operationem humilitatis ejus imitata. *Et sparget contra fores tabernaculi.* Quid hoc loco tabernaculum, nisi tota simul Synagoga accipitur? Qui ergo tinxerit in sanguine ejus digitum, eumdem sanguinem contra fores tabernaculi aspergat, id est, quisquis passionis ejus vias imitatur, Synagogæ non credenti & resistenti per exempla bona, per prædicationem rectam signum bene vivendi præbeat. Contra fores enim tabernaculi vaccæ sanguinem aspergere, est resistenti plebi Judaicæ per prædicationem rectam, & per sancta opera passionis ejus exempla monstrare. Bene autem dicitur, ut digitus in ejus sanguine septem vicibus intingatur, & aspergatur, in septenario autem numero perfectio accipitur. Unde & septem diebus universum tempus impletur, & sanctus Spiritus septiformis vocatur. (Isa. 11.) Septem ergo vicibus in sanguine ejus digitum intingere, est per perfectam operationem mysterium passionis ejus imitari. Et septem vicibus contra Synagogam aspergere, est per recta prædicatione sacramenta incarnationis ac passionis ejus infidelibus denuntiare. *Comburetque eam cunctis videntibus juxta castra, tam pelle & carnibus ejus, quam sanguine & fimo flammæ traditis.* Quid per carnem & pellem, quid per sanguinem & fimum vaccæ, nisi carnalia sacrificia in Testamento veteri habita, quæ infirmitatem denuntiabant Domini, designantur? Quæ omnia postmodum spiritualiter a patribus intellecta juxta exterius ministerium stercora sunt notata. Unde Paulus cum de sacrificiis carnalibus loqueretur, dicit: *Propter quem omnia detrimentum faciens, arbitror ut stercora.* (Philip. 3. 8.) Quæ flammæ traduntur, quia quamvis carnaliter primum sunt exhibita, postmodum per sanctum Spiritum intelligentiæ igne consumta sunt. Possumus tamen in eadem vacca, id est in ipsa infirmitate incarnationis Dominicæ, carnem, pellem, sanguinem & fimum, singula quæque ejus opera accipere. Quid enim per carnem, & pellem, nisi exterior ejus operatio designatur? quid per sanguinem, nisi subtilitas internaque virtus exteriora acta vivificans? Quid per fimum, nisi lassitudo, sitis, esuries, timor mortis, & quæque ex humanitate suscepta voluit, designantur? Quidquid enim ex defectu nostræ mortalitatis habuit, quasi fimus in eo abjiciendum fuit. Quæ tamen omnia, quæ ex nostra infirmitate suscepit, quia pro nostra redemtione exhibuit, igne concremanda sunt, id est juxta virtutem sancti Spiritus intelligenda: ut, quæque ab eo corporaliter gesta

* In Gemmet. notantur hæc ex lib. 14. in Job esse desumta in Michael. [illegible] cum S. Greg. [illegible] indicatur. Nullibi a nobis inventa sunt.

gesta sunt, per incorporeum divinitatis ejus spiri-
tum disposita sentiantur. Ubi & bene subjungitur:
*Lignum quoque cedrinum, & hyssopum, coccumque bis
tinctum Sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vo-
rat.* Cedrus quippe, & altum, & imputribile li-
gnum; hyssopus vero herba valde humilis, quæ
tamen inflammationem amovet pulmonis. Quid
enim per cedrum, nisi alta & perseverans contem-
platio? Quid in hyssopo, nisi mansueti cordis hu-
militas designatur? Quia qui jam alta contempla-
tione superna attollitur, necesse est ut per humili-
tatis compassionem inferioribus condescendat, &
non se ex eo, quod habet, erigat; sed quidquid
habet, his etiam qui illud non habent, prædican-
do libenter impendat. Quid vero in cocco bis tin-
cto, nisi caritatis virtus exprimitur? Quæ coccus
bis tinctus dicitur: quia caritas per flammam san-
cti amoris accensa duobus exhiberi præceptis jube-
tur, id est dilectione Dei, & dilectione proximi.
Bis tinctus ergo coccus est caritas duplici præcepto
formata, ut sic diligatur Deus, ne deseratur pro-
ximus; sic diligatur proximus, ne contemnatur
Deus. In hac ergo flamma, quæ vaccam vorat,
cedrum, hyssopum, bis tinctum coccum Sacer-
dos mittat. Omnes enim, qui in Christum credi-
1.Pet.2.9. mus, Sacerdotes sumus. Unde scriptum est: *Vos
autem genus electum, regale Sacerdotium.* Sed quid-
quid per ignem contemplationis alte sentimus,
quidquid per mansuetudinem humilitatis agimus,
quidquid per ignem caritatis habemus, in spiritu
passionis Dominicæ ungere debemus, ut omne
quod in nobis est, illum imitetur a quo est; ne si ex-
tra imitationem passionis ejus aliquid agimus, non
tam virtutem quam vitium agamus. Mittatur ergo
in flammam, quæ vaccam vorat, cedrus, id est, per-
severantia, atque altitudo contemplationis nostræ
comburatur igne passionis Dominicæ. Mittatur in
flammam, quæ vaccam vorat, hyssopus; id est,
humilitas cordis nostri veritatem, mansuetudinem,
a examinationem Dominicæ passionis [a] trahat: mit-
tatur in flammam quæ vaccam vorat bis tincta. Bis
tinctus coccus, id est caritas, quæ ad amandum
Dominum & proximum excitans assidue nos con-
templari passionem Dominicam compellat; ut in
ipsa discat opera recta quæ faciat. Potest tamen ali-
ter intelligi; ut per cedrum significetur spes quæ
b alta appetit: [b] per hyssopum vero, quæ etiam ca-
lore suo stomachi immunditiam purgat, significe-
tur fides, quæ in imis adversa æquanimiter tolerat;
& quidquid ex anteactis peccatis contractum fue-
rat, mundat. Per coccum quoque, ut dictum est,
exprimitur caritas. Unusquisque igitur nostrum in
flammam, quæ vaccam vorat, cedrum, hysso-
pum, & coccum bis tinctum mittat, id est in sa-
crificio passionis Dominicæ spem, fidem, & cari-
tatem exhibeat; ne passionem Redemtoris sui sine
causa audiat, si non hæc etiam opera necessario
subjungat. De quibus tribus Petrus Apostolus di-
1.Cor.13.13. cit: *Nunc autem manent fides, spes, caritas; major
autem his est caritas.* Unde & hic coccus extremo
ponitur: quia videlicet fide & spe completa, cum
ad æternam patriam venerimus, sola in nobis ca-
ritas ad ultimum multiplicatur. Potest iste Sacer-
dos, vel is qui vaccæ carnes, pellem, sanguinem,
& fimum comburit, ordinem Judaici sacerdotii
cum supposita plebe in nece Domini consentientis
signare. Unde & adhuc apte subjungitur: *Et tunc*

A *demum, lotis vestibus & corpore suo, ingredietur ca-
stra: commaculatus que erit usque ad vesperum.* Quid
enim per vesperum, nisi finem mundi accipimus?
At Sacerdos iste vel is, qui vaccam igni tradidit,
id est Judaicus populus, usque ad vesperum im-
mundus est: quia usque ad finem mundi infidelis
remanet. Sed lotis vestibus suis & corpore, ad
vesperum castra ingreditur: quia sine mundi ve-
niente, mundatis infidelitatis suæ operibus, etiam
Judaicus populus ad cognitionem Conditoris sui
revertitur. Sicut scriptum est: *Si fuerit numerus* Isa.10.22.
*filiorum Israel tamquam arena maris, reliquiæ salvæ
fient.* Et sicut rursum scriptum est: *Donec plenitu-* Rom.9.27. Rom.11.25.
do Gentium introierit, & sic omnis Israel salvus fieret.
Ad vesperum igitur lotis vestibus Sacerdos intra ca-
B stra redit, qui ante vesperum commaculatus est:
quia infidelis populus usque ad finem mundi extra
mandata vitæ velut extra castra est positus. Sed
cum aqua baptismatis & pœnitentia lavatur, tunc
ad cognitionem fidei ad vesperum, id est in fine
mundi, quasi ad castra revertitur. Potest intelligi
quod iste Sacerdos, & lotis sit vestibus, & tamen
usque ad vesperum immundus: quia idem Judai-
cus populus ex eorum parte qui crediderunt, quasi
jam vestes lavit, sed ex eorum parte qui necdum
credidere, adhuc immundus usque ad vesperum
permanet. Lavat ergo vestimenta & corpus, quia
credendo, exteriora opera & interiorem mentem
a pravis actionibus mundat & plene tunc ad castra
revertitur, cum ad fidem perfecte revocatur. Sed
C quia Judæa in infidelitate ex reproborum parte
perdurante, ad fidem Gentilitas ingreditur, & my-
steria divinæ incarnationis intelligit, recte illic sub-
jungitur. *Colliget autem cineres vaccæ vir mundus,*
id est Gentilis populus jam fide mundatus. Unde
scriptum est: *Fide mundans corda eorum.* Vaccæ ci- Act.15.9.
neres colligit, qui subtilissima sacramenta divinæ
incarnationis agnoscit. Et vaccam, quam Sacer-
dos combussit, ejus cineres vir mundus colligit.
Quia infirmitatem Domini, quam Judaicus popu-
lus in morte mactavit, ejus subtilissima mysteria
populus Gentilis intelligit. Bene autem sequitur:
Et effundet in loco purissimo extra castra. Quia idem
Gentilis populus qui secreta ac mystica divinæ in-
carnationis agnoscit, bona quæ accipit prædicare
D non cessat; ut quod ipse didicerit, aliis etiam ne-
scientibus innotescat. Sed quia secreta ac mystica
incarnationis Dominicæ pravis ac pollutis menti-
bus non sunt tradenda, bene dicitur: *Effundet in
loco purissimo extra castra.* Extra castra quippe fue-
rat omnis Gentilitas: quia extra Legem, extra sa-
crificium, extra Synagogam: sed tamen ad fidem
veniens cor mundavit. Et in ea cineres vaccæ ef-
funduntur, quia mundo corde Gentilitas myste-
rium Dominicæ incarnationis credit. Multi itaque
ex Gentilitate conversi, prædicatores facti sunt,
& eidem Gentilitati ad fidem Redemtoris nostri
mysteria tradidere. Vir ergo mundus in loco puris-
simo vaccæ cineres fundit, dum quilibet doctor
ex Gentilitate assumtus, munda per humilitatem
E corda Gentilium requirit, & mysteria eis Redem-
toris nostri tradere non desistit. Quod cum agitur,
fides Gentium multiplicatur, divina virtus agno-
scitur, disciplina præceptorum tenetur. Unde & re-
cte subjungitur: *Ut sint multitudini filiorum Israel
in custodiam.* Israel namque interpretatur, videns
Deum, & non immerito conversa Gentilitas Israel
di-

a Præter multa vitiata quæ hoc in capite sanavimus, hoc loco integram periodum omissam restituimus ex mss.

b Ita Michaeli in Gemet. *per hyssopum vero quod.* Gotte hyssopum dicitur neutrius generis; sed apud Gregorium, minime, supra legitur: *hyssopus herba valde humilis:* & capite seq. *hyssopus quippe tuberosus.*

dicitur, quæ jam Deum fide contemplatur. Isti ergo cineres multitudini filiorum Israel in custodiam fiunt, quia subtilia sacramenta mundis Gentium cordibus tradita, in mentis munitionem vertuntur. Bene autem subditur: *Et in aquam aspersionis.* Propter operationem namque in custodiam nostram sunt cineres; propter baptismum vero in aqua aspersionis cineribus ejus utimur. Et dum considerans ejus operibus nostra acta sub disciplinam redigimus, vaccæ cineres in custodia nostra servamus: quia dum secreta atque subtilia operationis illius per imitationem attendimus, per hoc nobis & munditiam & perseverantiam providemus. Apte autem subjungitur: *Quia pro peccato combusta est vacca.* Ait enim de eisdem cineribus ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam, & in aquam B aspersionis, quia pro peccato combusta est vacca. Tunc enim nos sub custodia provide custodimus, cum Redemtorem nostrum pro nostris iniquitatibus passum sollicite consideramus. Perpendimus namque quid retribuat bonis, qui voluit mori pro malis. Perpendimus quid ad justitiam fidei adducti, ejus gratiæ debeamus, qui & in iniquitatibus positi intercessionem mortis ejus accipimus. In custodia ergo nobis cineres fiunt, quia pro peccato combusta est vacca: dum passionis ejus mysteria sollicite contemplantes, quæ operari debeamus, agnoscimus, qui Redemtorem nostrum etiam pro iniquis nobis mortuum non ignoramus.

CAPUT XIV.

C

Item unde supra.

Num. 56. IN expositione beati Job, lib. 6. VACCAM mactamus, cum carnem a lascivia suæ voluptatis extinguimus. Quam cum hyssopo lignoque cedrino, ac cocco offerimus: quia cum maceratione carnis sacrificium fidei, spei, & caritatis adolemus. Hyssopus quippe interna nostra mundare consuevit. Et per Petrum dicitur: *Fide mundans corda eorum.* (Act. 15. 9.) Lignum cedrinum nulla putredine deficit, quia spem cælestium terminus non consumit. Unde & per primum Pastorem mox dicitur: *Regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem.* (1. Petr. 1. 3.) D Coccus rubro calore flammescit, quia quem implet caritas, incendit. Unde & in Evangelio Veritas dicit: *Ignem veni mittere in terram.* (Luc. 12. 49.) Sed bis tinctus coccus offerri præcipitur; ut videlicet ante interni judicis oculos, caritas nostra, Dei & proximi dilectione coloretur; quatenus conversa mens nec sic pro amore Dei quietem diligat, ut curam proximi utilitatemque postponat: nec sic pro amore proximi occupationi inserviat, ut quietem funditus deserens, ignem in se superni amoris extinguat. Quisquis ergo semetipsum Deo jam sacrificium obtulit, si perfecta desiderat, curet necesse est ut non solum ad operationis se latitudinem, verum etiam ad culmina contemplationis extendat. Sed inter hæc E magnopere sciendum est, quia valde inter se diversæ sunt conspersiones animorum. Nonnulli namque hominum ita otiosæ mentis sunt, ut si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant: & nonnulli ita inquieti sunt, ut si vacationem laboris habuerint, gravius laborent: quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentius ad cogitationes vacant. Unde A necesse est, ut nec quieta mens ad exercitationem se immoderati operis dilatet, nec inquieta ad studium contemplationis angustet. Sæpe enim qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt. Et sæpe qui occupati bene humanis usibus viverent, gladio suæ quietis extincti sunt. Hinc namque est quod nonnulli inquieti spiritus dum plus exquirunt contemplando quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt: & dum veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri errorum fiunt.

CAPUT XV.

Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper; immundum erit. Num. 19. 1.

[a] CUm de silentii servanda disciplina retractaretur in expos. B. Job, l. 23. adjunctum est: *Vas, quod non habuerit operculum, &c.* (Num. 17.) TEGmen operculi vel ligatura, est censura disciplinæ silentii: qua quisquis non premitur, quasi vas immundum pollutumque reprobatur. Quasi enim vas sine operculo vel ligatura polluitur, qui per studium ostentationis patens, nullo velamine taciturnitatis operitur.

CAPUT XVI.

Quod Balaam, visione Angeli, tarditate asinæ, cœpto itinere præpeditur. Num. 22. v. 31. 32. 33.

CUm de repressa ad cognitionem sui prima intentione mentis, per macerationem infirmitatis corporeæ tractaretur, in eod. Reg. Past. par. 3. adjunctum est: *Quod Balaam visione Angeli, tarditate asinæ, &c.* (Admon. 13. cap. 12.) BALAAM pervenire ad propositum tendit, sed ejus votum animal, cui præsedit, præpedit. Prohibitione quippe immorata asina Angelum videt, quem humana mens non videt: quia plerumque caro per molestias tarda, flagello suo menti Deum indicat, quem mens ipsa carni præsidens non videbat: itaut anxietatem spiritus proficere in hoc mundo cupientis, velut iter tendentis impediat, donec ei invisibilem qui sibi obviat, innotescat. Unde & bene per Petrum dicitur: *Correptionem habuit suæ vesaniæ subjugale mutum animal, quod in hominis voce loquens prohibuit Prophetæ insipientiam.* (2. Petr. 2. 15.) Insanus quippe homo a subjugali muto corripitur, quando elata mens humilitatis bonum, quod tenere debeat, ab afflicta carne memoratur. Sed hujus correptionis donum idcirco Balaam non obtinuit, quia ad maledicendum pergens, vocem non mentem mutavit.

CAPUT XVII.

Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia. Num. 23. 10.

CUm de perseverantiæ studio in bonis operibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 33. adjunctum est: *Moriatur anima mea morte justorum, &c.* (Num. 43.) SUNT nonnulli intra sanctam Ecclesiam, qui prolixas ad Dominum preces habent, sed vitam deprecantium non habent: nam promissa cælestia petitionibus sequuntur, operibus fugiunt. Hi nonnumquam etiam lacrymas in oratione percipiunt, sed cum post orationis tempora eorum mentem superbia

a In Michael. & Gemet. De tenenda discreti silentii censura.

bia pulsaverit, illico in fastu elationis intumescunt. Cum avaritia instigat, mox per incendia avidæ cogitationes exæstuant. Cum luxuria tentaverit, in illicitis protinus desideriis anhelant. Cum ira suaserit, mox mansuetudinem mentis flamma insaniæ concremat. Ut ergo diximus, & fletus in prece percipiunt, & tamen expletis precibus, cum vitiorum suggestione pulsantur, nequaquam pro æterni regni desiderio se flevisse meminerunt. Quod aperte de se Balaam innotuit, qui justorum tabernacula conspiciens, ait: *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia.* Sed cum compunctionis tempus abscessit, contra eorum vitam, quibus se similem fieri etiam moriendo poposcerat, consilium præbuit. Et cum occasionem de avaritia reperit, illico oblitus est quidquid sibi de innocentia optavit.

Num. 23. 10.

CAPUT XVIII.

Item unde supra.

Cap. 30. Admon. 31. IN codice Regul. Past. par. 3. SOLLICITE considerandum est, quia ita plerumque mali inutiliter compunguntur ad justitiam, sicut plerumque boni innoxie tentantur ad culpam. Fit quippe mira, exigentibus meritis, dispositionis internæ mensura, ut & illi dum de bono aliquid agunt, quod tamen non perficiunt, superbe inter ipsa, quæ etiam planissime perpetrant, mala confidant. Et isti dum de malo tentantur cui nequaquam consentiunt, quo per debilitatem & infirmitatem titubant, eo gressus cordis ad justitiam, per patientiam & humilitatem verius figant. Balaam quippe justorum tabernacula respiciens, ait: *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia.* Sed cum compunctionis tempus recessit, in eorum perditione consilium dedit, quibus etiam in morte similis fieri concupivit. Et cum avaritiæ tempus reperit, statim oblitus est bonum sibi innocentiæ, quod optavit. Hinc Paulus ait: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.* Qui profecto idcirco tentatur, ut in bono robustius ex ipsa infirmitatis suæ cognitione solidetur. Quid est ergo quod ille compungitur, & tamen justitiæ non appropinquat: iste tentatur & tamen aum culpa non coinquinat, nisi hoc quod aperte ostenditur, quia nec malos bona imperfecta juvant, nec bonos mala inconsummata condemnant? * Virtutis namque pondus oratio non habet, quam nequaquam perseverantia continui amoris tenet. Quo contra bene de Anna flente perhibetur: *Vultusque ejus non sunt amplius in diversa mutati,* quia videlicet mens ejus nequaquam post preces, inepta lætitia lasciviendo perdidit, quod orationis suæ tempore gemitum rigore exquisivit.

Num. 23. 30. Rom. 7. 23. * In expos. B. Iob, lib. 33. num. 43. 1. Reg. 1. 18.

CAPUT XIX.

Item unde supra.

Num. 2. IN expositione Evangelii hom. 15. MULTI eum verbum contra avaritiam audiunt, eamdem avaritiam detestantur, rerum omnium contemtum laudant; sed mox ut viderit animus quod concupiscat, obliviscitur quod laudabat. Multi cum verbum contra luxuriam audiunt, pollutiones carnis non solum perpetrare non appetunt, sed etiam perpetratas erubescunt: sed mox ut carnis species eorum oculis apparet, sic mens ad desideria

A rapitur, ac si adhuc ab ea nihil sit contra hæc eadem desideria deliberatum, & damnanda agit qui quidquid egisse se meminit, jam & ipse damnavit. Sæpe etiam contra culpas compungimur, & tamen post fletum ad easdem culpas redimus. Sic Balaam Israelitici populi tabernacula contemplatus flevit, eisque se similem fieri in morte depoposcit dicens: *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia.* Sed mox ut hora compunctionis transit, in avaritiæ nequitiam exarsit. Nam propter promissa munera in ejus populi mortem consilium dedit, cujus morti se fieri similem optavit, & oblitus est quod planxerat, cum extinguere noluit quod per avaritiam ardebat. Num. 23. 10.

B

CAPUT XX.

Dixit homo, cujus obturatus est oculus; dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, & sic aperiuntur oculi ejus. Num. 24. 24

CUm de laudabili electorum providentia, & caventa reproborum cæcitate tractaretur, in expos. B. Job, l. 15. adjunctum est: *Dixit homo, cujus obturatus est oculus, &c.* NESCIT impius mala quæ facit, nisi eum pro eisdem malis puniri jam cœperit. Consilium enim Balaam contra Israelitas præbuit, sed post in pœna vidit quid prius ex culpa commiserit. Electi autem, qui ne peccare debeant, prævident: eorum videlicet oculi ante casum patent. Iniquus vero post casum oculos aperit: quoniam post culpam jam in pœna sua conspicit, quia malum debuit vitare quod fecit. Num. 38.

C

CAPUT XXI.

Item unde supra.

IN expositione beati Job, l. 27. SÆPE quidam æterna judicia mirantur, prædicamenta cælestis patriæ cum audiunt diligunt, mira opera internæ dispositionis obstupescunt; sed tamen amando & vivendo ad hæc eadem opera assurgere negligunt. Jacentes ergo Dei miracula considerant, qui ejus potentiam sciendo pensant, sed vivendo non amant. Per contemplationem quippe in consideratione oculos tendunt, sed tamen per intentionam se a terra non erigunt. Hinc ergo in Balaam exprobrationa dicitur: *Qui cadens apertos habet oculos.* Multa namque de adventu Redemtoris dixerat, & quæ novissimis temporibus erant ventura, prævidebat: sed tamen ei vivendo assurgere noluit, quam prævidendo prædicavit. Jacens ergo apertos oculos habuit, cum ejus mentem & prophetia ad cælestia tenderet, & avaritia in terra retineret. Jacens apertos oculos habuit, qui eum videre de superioribus potuit, quem prostratus in infimis non amavit. Num. 19.

D

CAPUT XXII.

E *Robustum est quidem habitaculum tuum: sed si in petra posueris nidum tuum, &c.* Num. 24. 21.

CUm de electorum qua Deo adhærent fixa spei certitudine tractaretur, in expos. B. Job, l. 31. adjunctum est; *Robustum est quidem habitaculum tuum, &c.* CINÆUS, possessor interpretatur. Et qui sunt qui præsentia possident, nisi hi qui ingenio sapientiæ secularis callent? Qui in hoc veraciter robustum sibi habitaculum construunt, si per Num. 94.

humilitatem parvuli apud semetipsos facti, in Christi sublimitate nutriantur; si semetipsos infirmos sentiant, & in excelsa humilitate cogniti Redemtoris fovendam mentis fiduciam ponant: si ima non appetant: si omne, quod præterit, cordis volatu transcendant. Videamus sanctum virum qualiter in petra ponat nidum suum. Ait enim: Philip. 3. 6. Ephes. 2. 21. *Nostra conversatio in cælis est*. Et rursum: *Qui conresuscitavit nos, & consedere fecit in cælestibus*. In petra ponit nidum: quia profecto in supernis figit consilium. Non vult mentem in fluxa dejicere, non vult per abjectionem conversationis humanæ in infimis habitare. Tunc Paulus in carcere fortasse tenebatur, cum se sedere cum Christo in cælestibus testaretur. Sed ibi erat, ubi ardentem jam mentem fixerat, non illic, ubi illum necessario pigra adhuc caro retinebat.

CAPUT XXIII.

Num. 32. v. 4. & seq. *Terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel, regio uberrima est ad pastum animalium: & nos servi tui habemus jumenta plurima: precamurque si invenimus gratiam coram te, ut des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Jordanem.*

a CUm * de reprobatione quorumdam intra Ecclesiam positorum, fidem non medullitus, sed specietenus tenentium tractaretur, in expos. Num. 24. 25. B. Job, l. 27. adjunctum est: *Terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel, &c.* SUNT nonnulli in Ecclesia, qui parvuli esse despiciunt; etiam in humilitatis loco immanes apud se esse minime desistunt. Hos plerumque videas honoribus extolli, voluptatibus perfrui, rerum multiplicitate dilatari. Hi sæpe nihil præcipue, nisi præesse ceteris appetunt, a multis timeri gratulantur, recte vivere negligunt, & rectæ vitæ famam habere concupiscunt, adulatores quærunt, favoribus intumescunt. Et quia in rebus præsentibus promti sunt, ventura gaudia non requirunt. Cumque eos multiplex actio occupat, etiam a semetipsis alienos demonstrat. Et tamen si qua fidei tentatio exurgat, quia in ea saltem specietenus continentur, hanc verbis, hanc laboribus defendunt, & cælestem patriam vindicant, nec tamen amant. Quos bene apud Moysen filii Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse exprimunt, qui multa pecora & jumenta possidentes, dum extra Jordanem, ea quæ viderant campestria concupiscunt, in repromissionis terra hereditatem habere noluere, dicentes: *Terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel, regio uberrima est ad pastum animalium, & nos servi tui habemus jumenta plurima, precamurque si in-* A *venimus gratiam coram te, ut des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Jordanem*. Qui igitur jumenta plurima possident, Jordanem transire refugiunt: quia quos multa mundi implicamenta occupant, habitationem cælestis patriæ non requirunt: sed ipsa eos, quam specietenus tenent, fides increpat, ne otii delectatione torpescant, atque exemplo suo alios a laboris tolerantia & studio longanimitatis frangant. Unde eis per Moysen dicitur: *Numquid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hic sedebitis? Cur subvertitis mentes filiorum Israel?* Num. 32. 7. Sed quia erubescunt non defendere quod confitentur, pro eadem fide, quam professi B sunt, ad certamen properant; eamque non sibi, sed proximis vendicant. Unde & ad Moysen dicunt: *Caulas ovium fabricabimus, & stabula jumentorum, parvulisque nostris urbes munitas: nos autem ipsi armati & accincti pergemus ad prælium ante filios Israel*. Ibid. 16. Qui mox fortes pro aliis veniunt, & repromissionis terram ab hostibus liberant, & reliaquunt: atque ad pascenda armenta extra Jordanem redeunt. Multi quippe, quamvis fideles curis præsentibus occupati, quasi armenta extra Jordanem pascunt: quia contra fidem baptismatis tota mente omnique desiderio rebus perituris inserviunt. C Qui tamen, ut diximus, cum fidei tentatio oritur, defensionum armis accinguntur: hostes fidei trucidando superant, & hereditatem terræ repromissionis, id est fructum fidei non amant: sicque pro illa pugnant, ut tamen sua pignora extra illam deponant. Quia enim parvulos foris habent, affectum in ejus habitatione non habent. Unde ad campestria redeunt, quia ab altis cacuminibus montium quasi a spe cælestium dilabuntur, ut extra repromissionis terram bruta animalia nutriant: quia ad pascendos vanis desideriis irrationabiles animi motus elaborant; quia æternæ lucis quanta sit claritas nesciunt, qui transitoriis occupationi- D bus occupantur: & dum terrenis rebus superbiunt, cælestis sibi luminis aditum claudunt.

CAPUT XXIV.

Quod post mortem summi Sacerdotis, homicida jubetur reverti in terram suam. Num. 35. v. 27. 28.

CUm de absolutione humani generis per interpositum mortis Christi sacrificium tractaretur, hom. 6. in Ezech. adjunctum est: Num. 25. E *Quod post mortem summi Pontificis, &c.* QUID est quod homicida post mortem summi Pontificis ad absolutionem redit, nisi quod humanum genus quod peccando sibimetipsi mortem intulit, post mortem veri sacerdotis, videlicet Redemtoris nostri, absolutionem sui reatus accepit?

Finis Libri Numerorum.

a Pro, *reprobatione*, quod legitur in Gemet. ac Utic. Michael. habet, *de exprobratione*.

CA-

CAPITULA LIBRI QUINTI
IN DEUTERONOMIUM.

LIBER QUINTUS.

DE TESTIMONIIS IN DEUTERONOMIUM.

CAPUT PRIMUM.

Deut. 6. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.*

Num. 28. CUm de modo dilectionis Dei, ac proximi, ejusque exercitio tractaretur, in expos. B. Job, l. 7. adjunctum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c.* DUO sunt præcepta caritatis, Dei videlicet amor, & proximi. Per amorem Dei amor proximi gignitur, & per amorem proximi Dei amor nutritur. Nam qui amare Deum negligit, profecto diligere proximum nescit, & tunc plenius in Dei dilectione proficimus, si in ejusdem dilectionis gremio prius proximi caritate [a] lactamur. Quia amor Dei amorem proximi generat, dicturus per Legem Dominus: *Diliges proximum*, præmisit dicens: *Diliges Dominum Deum tuum*: Ut videlicet in terra pectoris nostri prius amoris sui radicem figeret, quatenus per ramos postmodum dilectio fraterna germinaret. Et rursum, quia amor Dei ex proximi amore calescit, testatur Johannes, (Johan 4. 20.) qui increpat dicens: *Qui non diligit fratrem suum, quem videt; Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Quæ tamen divina dilectio per timorem nascitur, sed in affectum crescendo permutatur. Sæpe vero omnipotens Deus, ut quantum quisque a caritate ejus ac proximi longe sit, vel in ea quantum profecerit, innotescat, miro ordine cuncta dispensans, alios flagellis deprimit, alios successibus fulcit. Et cum quosdam temporaliter deserit, in quorumdam cordibus quod malum latet, ostendit. Nam plerumque ipsi nos miseros insectantur, qui felices sine comparatione coluerunt. Cum enim quis positus in prosperitate diligitur, incertum valde est utrum prosperitas an persona diligatur. Amissio autem felicitatis interrogat vim dilectionis. Unde bene quidam Sapiens dicit: *Non agnoscitur in bonis amicus, & non absconditur in malis inimicus.* (Eccli. 12. 8.) Nec prosperitas quippe amicum indicat, nec adversitas inimicum celat: quia & ille sæpe prosperitatis nostræ reverentia tegitur, & iste ex confidentia adversitatis aperitur.

CAPUT II.

Dabo pluviam terræ vestræ temporaneam & serotinam. (Deuter. 11. 14.)

CUm de prædicatione veteris ac novi Testamenti tractaretur, in expos. B. Job, l. 20. adjunctum est: *Dabo pluviam terræ vestræ temporaneam & serotinam.* (Num. 5.) QUID hoc loco per pluviam, nisi verba sacræ prædicationis accipimus? Sicut a sanctis doctoribus a Judææ prædicationa suspensis accipimus. De quibus etiam scriptum est: *Mandabo nubibus ne pluant super eam imbrem.* (Isa. 5. 6.) Quorum sanctæ prædicationis verbo irrigamur, cum vera humilitate, ariditatem nostri cordis agnoscimus. Unde recte per Psalmistam dicitur: *Anima mea sicut terra sine*

a Ita Gemet. & Utic. Hinc lectionem secuti sumus in lib. Moral. Michael. cod. habet, *lactamur*. In editis legitur, *ligamur*.

Isa. 55. 1. *sine aqua tibi*. His doctrinæ fluentis infundi Propheta nos admonet dicens: *Sitientes venite ad aquas*. Qui dum extrema parte jam seculi verba sanctæ prædicationis accipimus, quasi pluvia serotina irrigamur. Quæ nimirum serotinæ pluviæ prædicatio, ex ejus ad nos sacrificio prodiit, qui per Psalmistam dicit: Ps. 140. 2. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. Quia enim Redemtor noster juxta mundi finem vim persequentium pertulit, semetipsum pro nobis sacrificium vespertinum dedit. Populo ergo repromissionis terram intraturo, pluvia temporanea & serotina in munere promittitur: quod nos factum spiritualiter jam videmus. Temporaneam quippe pluviam dedit, quia electis suis priori tempore Legis intellectum contulit: serotinam quoque pluviam tribuit, quia prædicari diebus ultimis incarnationis suæ mysterium fecit.

CAPUT III.

Deut. 10. 16. *Circumcidite præputia cordis vestri.*

Num. 12. CUm de resecandis superfluis cogitationibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 28. adjunctum est: *Circumcidite præputia cordis vestri*. QUID per hanc præputii circumcisionem signatur, nisi postquam luxuriam a carne extinguitis, etiam superflua a cogitatione resecate?

CAPUT IV.

Deut. 15. 19. *Non arabis in primogenito bovis, & non tondebis primogenita ovium.*

Num. 78. 79. CUm de cavenda ostentatione in bonæ operationis primordiis tractaretur, in expos. B. Job, l. 8. adjunctum est: *Non arabis in primogenito bovis, &c.* QUID per hujus prohibitionis exemplum, nisi vitam bene inchoantium Moyses humanis occupationibus exercere prohibuit? In primogenito quippe bovis arare, est bonæ conversationis primordia in exercitio publicæ actionis ostendere. Ovium quoque primogenita tondere, est ab occultationis suæ tegmine humanis oculis inchoantia bona opera nostra denudare. In primogenito ergo bovis operari prohibemur, atque a primogenitis ovium detondendis compescimur: quia etsi quid robustum incipimus, exercere hoc in aperto citius non debemus: & cum vita nostra simplex quid atque innocuum inchoat, dignum est ut secreti sui velamina non relinquat, ne nudum hoc humanis oculis, quasi subducto vellere ostendat. Ad sola ergo divina sacrificia boum primogenita, oviumque proficiant; ut quidquid forte, simplex, innocuumque incipimus, hoc ad honorem intimi judicis in ara cordis immolemus. Quod ab illo proculdubio tanto libentius accipitur, quanto & ab hominibus occultatum, nulla laudis appetitione maculatur. Sæpe autem novæ conversationis primordia adhuc ex carnali sunt vita commixta, & idcirco innotescare citius non debent; ne cum laudantur bona, quæ placent, deceptus laude sua animus deprehendere in eis nequeat mala quæ latent.

CAPUT V.

Item unde supra.

Num. 3. IN expositione Ezechielis ho. 2. PRIMOGENITUM bovis accipimus in infirma ætate primi nostri temporis bonam operationem. In qua tamen arandum non est: quia cum prima sunt adolescentiæ vel juventutis nostræ tempora, nobis adhuc a prædicatione cessandum est, ut vomer linguæ nostræ proscindere non audeat terram cordis alieni. Quoadusque etenim infirmi sumus, continere nos inter nosmetipsos debemus, ne dum tenere bona citius ostendimus, amittamus: quia & arbusta plantata si prius in terra radicata non fuerint, manu tacta citius arescunt: at si semel radicem fixerint, manus tangit, & tamen nihil officit; venti impellunt, nec tamen impellentes lædunt. Et constructi parietes, si impellantur, eruuntur, nisi a suo prius fuerint humore siccati. Mens itaque quousque ab humore pravitatis suæ perfecta non fuerit exsiccata, alienæ linguæ manu tangi non debet, ne priusquam plene percipiat, perdat soliditatem suam; ne impulsa ruat, ne velut arbustum sine radicibus, dum plusquam tolerare valet concutitur flatibus, arescat. Ad exemplum ergo non sunt ostendenda nisi quæ firma sunt. Prius etenim convalescere debet mens, atque ad utilitatem proximorum postmodum demonstrari, cum jam nec per laudem elevata corruat, nec per vituperationem percussa contabescat. Nam etsi Timotheo dicitur: *Præcipe hæc & doce; nemo adolescentiam tuam contemnat*: sciendum est, quia ei adolescentia in annis non in moribus fuit. 1. Tim. 4. 12. Quamvis in sacro eloquio nonnumquam adolescentia juventus vocatur. Unde scriptum est: *Lætare juvenis in adolescentia tua*. Eccl. 11. 9.

CAPUT VI.

Non apparebis in conspectu Domini vacuus. Deut. 16. 16.

DUm per cessationem rerum transeuntium, de mansuro bonæ operationis exercitio tractaretur, in expos. B. Job, l. 7. adjunctum est: *Non apparebis in conspectu Domini vacuus*. Num. 38. IN conspectu Domini vacuus apparet, qui nihil secum de fructu sui laboris portat. Alius multiplicandis facultatibus æstuat, alius promerendis laudibus anhelat. Sed quia cuncta hæc quisque moriens deserit, ante Dominum vacuus apparet, quia secum ante judicem nihil tulit. Hinc ergo per Legem salubriter admonemur, dicentem: *Non apparebis in conspectu Domini vacuus*. Qui enim promerendæ vitæ mercedem bene agendo non providet, in conspectu Domini vacuus apparet. Hinc de justis per Psalmistam dicitur: *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos*. Ps. 125. 6. Ad examen quippe judicii portantes manipulos veniunt, qui in semetipsis recta opera, quibus vitam mercantur, ostendunt.

CAPUT VII.

Juste quod justum est exequeris. Deut. 16. 20.

DUm de servanda in exhibitione operis mentis rectitudine tractaretur, in expos. B. Job, lib. 9. adjunctum est: *Juste quod justum est exequeris*. Num. 38. INJUSTE quod justum est exequitur, qui ad defensionem justitiæ non virtutis æmulatione, sed amore præmii temporalis excitatur. Injuste quod justum est exequitur, qui ipsam, quam prætendit, justitiam venumdare minime veretur. Juste ergo justum exequi, est in assertione justitiæ eamdem ipsam justitiam quærere.

CA-

Deut 19. 5.

CAPUT VIII.

Si quis abierit cum amico suo simpliciter in silvam ad ligna cædenda, & lignum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit, & occiderit, hic ad unam supradictarum urbium fugiet, & vivet ne forte proximus ejus cujus effusus est sanguis, doloris stimulo persequatur, & apprehendat eum, & percutiat animam ejus.

Num. 18 CUM de servanda increpationis mensura in proximi correctione tractaretur, in expos. B. Job, l. 10. adjunctum est: *Si quis abierit cum amico suo simpliciter in silvam ad ligna cædenda, &c.* AD silvam cum amico imus, quoties cum quolibet proximo ad intuenda delicta nostra convertimur. Et simpliciter ligna succidimus, cum derelinquentium vitia pia intentione resecamus. Sed securis manu fugit, cum se se increpatio plusquam necesse est in asperitatem pertrahit, ferrumque de manubrio prosilit, cum de correptione sermo durior excedit. Et amicum percutiens occidit: quia auditorem suum prolata contumelia a spiritu dilectionis interficit. Correpti namque mens repente ad odium proruit, si hanc immoderata increpatio plusquam debuit addicit. Sed is qui incaute lignum percutit, & proximum extinguit, ad tres necesse est urbes fugiat, in una earum defensus vivat: quia si ad pœnitentiæ lamenta conversus, in unitate sacramenti sub spe, fide, ac caritate absconditur, reus perpetrati homicidii non tenetur: eumque extincti proximus & cum invenerit non occidit: Quia cum districtus judex venerit qui sese nobis per naturæ nostræ consortium junxit, ab eo proculdubio vindictam de culpæ reatu non expetit, quem sub ejus venia spes, fides, & caritas abscondit. Citius ergo culpa dimittitur, quæ nequaquam malitiæ studio perpetratur. [a]

CAPUT IX.

Deut. 22. 6 *Si ambulans per viam in arbore vel in terra nidum avis inveneris, & matrem pullis vel ovis desuper incubantem, non tenebis eam cum filiis, sed abire patieris, captos tenens filios, ut bene sit tibi, & longo vivas tempore.*

[b] CUM de discretione servandæ allegoriæ & historiæ tractaretur, adjunctum est: *Si ambulans per viam in arbore vel in terra nidum avis inveneris, &c.* PER viam imus, quia præsentem vitam pergimus. Et nidus avis in arbore vel in terra est, quando verba historiæ aut in contemplativa sunt, aut in activa vita. Nam præcepta activæ vitæ avis nidus in terra est: præcepta contemplativæ nidus in arbore. Mater vero pullis vel ovis incubat, quando ipsa historia intellectum spiritualem facit, & quædam plene eloquens quasi pullos profert; quædam vero ita insinuat, ut ex eis adhuc legentis animum ad altiora perducat: quasi adhuc sub se ova continet, ex quibus pullos producat. Ova enim idcirco pariuntur, ut ex eis pulli debeant produci. Et sunt quædam contemplativæ vitæ, quæ per quasdam modo imagines videntur, ut postmodum sicut sunt, ipsa sua virtute & natura videantur. Nam Paulus ait: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* 1. Cor. 13. 12 Et cæcus cum per impositionem manuum Redemtoris jam lumen accipere cepisset, requisitus quid videret, dixit: *video homines velut arbores ambulantes.* Marc. 8. 24 Homo quippe natura rationabilis est, arbor autem nec sensibilis, nec vivens. Et quid iste illuminatus cæcus significat, nisi genus humanum, cui cum Dominus contemplationis oculos aperiret, prius quædam in ænigmate conspicit, ut postmodum illa vera & rationabilia cælestium agmina sicut sunt possit aspicere. Unde & illic subditur: *Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus, & cœpit videre & restitutus est ita ut videret clare omnia.* Prius itaque per speculum vidit ex similitudine, ut postmodum videret clare ex perfectione. Ad contemplativam ergo vitam in his verbis mater ovis incubat, quia sacra historia hoc incipiendo in ænigmate insinuat, per quod postmodum certius demonstrans pullos viventes producat. Paulus quoque Apostolus cum quosdam continentes vivere cognovisset, admonet, dicens: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat.* 1. Cor. 7. 2 Et cum uxor habenda non sit, nisi liberorum procreandorum gratia; ne quis in fornicationis culpam laberetur, concessit conjugibus aliquid, unde adhuc surgere ad meliora potuissent. Qui ergo hoc concessit, unde animus conjugium usque ad legalem culpam perduci potuisset, quasi mater avis in terra, id est historia in activa vita ova posuit. Ipsi quoque prædicatores sancti plus volunt Deum diligi, quam timeri: sed si timorem non insinuant, ad amorem minime perducunt. Unde prius terribilia, postmodum dulcia loqui solent, sicut per Psalmistam dicitur: *Virtutem terribilium tuorum dicent: quia magnitudinem tuam narrabunt.* Psal. 144. 6. Ac deinde subjungitur: *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt.* Quando ergo terrent, ut ad amorem provocent, ova ponunt. Perfecta enim caritas foras mittit timorem. 1. Joh. 4. 18. quia tunc pulli vivere incipiunt, quando jam formidini non succumbunt. Ipsa quoque Lex ova posuit, cum dixit: *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Exod. 21. 24. Sed pullos produxit postmodum, cum dixit: *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Levit. 19. 18. Sed notandum quid de hac matre pullorum dicatur. *Non tenebis eam cum filiis, sed abire patieris, captos tenens filios.* Quia videlicet in quibusdam locis prætermittenda est historia, ut solitus matris pulli, id est spiritualis intelligentiæ sensus nobis in esum veniat. nec nos mater, sed pulli reficiant. Quia non debemus de historiæ exemplo, sed de spiritualibus intellectus sensibus satiari. Cum enim legimus aurum & argentum Ægyptiorum ab Israelitico populo petitione deceptoria subreptum; Exod. 12. & rursum cum legimus carnalia sacrificia omnipotenti Deo exhibita, quid in hoc verborum nido nisi mater dimittenda est, & filii tenendi? Nos enim cum a quibusque secularibus vigilantiam ingenii in defensionem veritatis trahimus, & eorum eloquentiam in usum rectitudinis vertimus, quid aliud quam ab Ægyptiis aurum & argentum tollimus? ut ex eo & nos divites effecti, & illi valeant pauperes ostendi. Sicut scriptum est. *In captivitatem redigentes omnem intelle-* 2. Cor. 10. 5

a In Utic. tria capita subjiciuntur quæ non sunt in Gemet. aut Michael.

b Michael. indicatur hom. 9. in Ezech. Hæc non reperiuntur apud Gregorium.

tellectum in obsequium Christi. Et cum nostra cor- A pora per abstinentiam domamus, quid aliud quam carnalia sacrificia omnipotenti Deo exhibemus? Rom. 12. 1 Sicut rursum per Paulum dicitur: *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem*. Matrem igitur dimittentes pullos edimus, cum historiæ exempla dimittimus, sed ex ea allegoriarum sensus in mente retinemus. Ubi recte additur: *Ut bene sit tibi, & longo vivas tempore*: quia longo tempore ille vivit, qui per spiritualem intelligentiam æternitatis annos apprehendit.

CAPUT X.

Deut. 22. 10. *Non arabis in bove simul & asino.*

Num. 23. CUm de imperitorum doctorum cavenda societate tractaretur, in expos. B. Job, l. 1. adjunctum est: *Non arabis in bove simul & asino*. IN bove simul & asino homo arare prohibetur, ac si aperte diceretur: Fatuos sapientibus in prædicatione non socies, ne per eum qui implere non valet, illi, qui prævalet, obsistas.

CAPUT XI.

Deut. 22. 11. *Non indues vestem ex lana linoque contextam.*

Num. 27. CUm de vitando duplicitatis vitio tractaretur, C in expos. B Job, l. 8. adjunctum est: *Non indues vestem ex lana linoque contextam*. QUID per hanc vestem, nisi hypocritarum persona signatur; qui benignitatem erga proximos ostendunt, & dolo suæ iniquitatis operiunt? Per omne namque, quod faciunt vel loquuntur, simplicitatem exterius exhibent, sed subtilitatem interius duplicitatis callent. Puritatem superficie simulant, sed semper malitiam sub specie puritatis occultant. Per lanam quippe simplicitas: per linum vero subtilitas designatur. Et nimirum vestis, quæ ex lana linoque conficitur, linum interius celat, lanam in superficie demonstrat. Vestem ergo ex lana linoque contextam induit, qui locutione vel actione qua utitur, intus subtilitatem malitiæ operit, & sim- D plicitatem foras innocentiæ ostendit. Quia enim sub puritatis imagine deprehendi calliditas non valet, quasi sub lanæ grossitudine linum latet.

CAPUT XII.

Item unde supra.

Num. 29. IN expositione beati Job, l. 8. SCIMUS quia lana pinguis, linum vero subtile est. Vestis autem, quę ex lana & lino fit, lanam semper in superficie ostendit, & linum subter abscondit. Quid ergo per lanam, nisi simplicitas: & quid per linum, nisi subtilitas designatur? Et sæpe homo subtilis & acutus, exterius simplicitatem mansuetudinis osten- E dit, & interius subtilitatem malitiæ contegit. Iste ergo veste se actionis suæ quasi ex lana, & lino induit, quando ab eo simplicitas monstratur in superficie, & subtilitas malitiæ servatur in mente.

CAPUT XIII.

Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, & non revertetur priusquam ad vesperum lavetur aqua, & post solis occasum regredietur in castra. Deut. 23. 10.

DUm de purgatione illicitæ cogitationis tractaretur, in expos. B. Job, l. 9. adjunctum est: *Si fuerit inter vos homo, &c*, QUID hoc loco per nocturnum somnium, nisi tentatio occulta signatur? per quam tenebrosa cogi- B tatione turpe aliquid corde concipitur, quod tamen corporis opere non expletur. Sed somnio nocturno pollutus extra castra egredi præcipitur: quia videlicet dignum est ut qui immunda cogitatione polluitur, indignum se cunctorum fidelium societatibus arbitretur. Culpæ suæ meritum ante oculos ponat, & ex bonorum se æstimatione despiciat. Pollutum ergo extra castra exire, est turpi impugnatione laborantem sese ex continentium comparatione despicere. Qui ad vesperum lavatur aqua: cum defectum suum conspiciens, ad pœnitentiæ lamenta convertitur, uti fletibus abluat omne quod animum occulta inquinatio accusat. Sed post occasum solis ad castra redeat; quia defervescente tentationis ardore, necesse est ut iterum fiduciam erga societatem bonorum sumat. Post aquam quippe occumbente sole ad castra revertitur, qui post lamenta pœnitentiæ frigescente flamma cogitationis illicitæ, ad fidelium merita præsumenda reparatur; ut jam se a ceteris longe esse non æstimet, qui mundum se per obitum interni ardoris gaudet. Num. 24.

CAPUT XIV.

Dum egreditur quis ad requisita naturæ, mittat paxillum in balteo, & fossa humo abscondat quæ egesta fuerint. Deut. 23. 12.

CUm de diluendis per compunctionis gratiam occultæ tentationis maculis tractaretur, in expos. B. Job, l. 31 adjunctum est: *Dum egreditur quis ad requisita naturæ, &c.* NATURÆ corruptibilis pondere gravati, a mentis nostræ utero quædam cogitationum superflua, quasi ventris gravamina erumpunt: sed portare sub balteo paxillum debemus, ut videlicet ad reprehendendos nosmetipsos semper accincti, acutum circa nos stimulum compunctionis habeamus, qui incessanter terram mentis nostræ pœnitentiæ dolore confodiat, & hoc quod a nobis fœtidum erumpit, abscondat. Ventris quippe egestio, fossa humo per paxillum tegitur, cum mentis nostræ superfluitas, subtili redargutione discussa, ante Dei oculos per compunctionis suæ stimulum celatur. Num. 34.

CAPUT XV.

Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu ejus, et dimittet eam de domo sua. Deut. 24. 1.

CUm de postponenda cura rei transitoriæ ob utilitatem spiritualium tractaretur, adjunctum est: *Si acceperit homo uxorem, etc.* [a] NECESSARIUM valde

a In Michael. indicatur lib. 5. in Job. In aliis liber 13. In neutro nobis occurrit.

valde est ut cura vitæ præsentis edomari fortiter debeat, ne fortasse valeat dominari. Et cum terrena actio semel fuerit repulsa, non iterum repetenda, ne post tergum respiciat qui super aratrum manum posuisse videbatur. Hinc est enim quod per Moysen dicitur: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu ejus, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit eam de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus accipere eam in uxorem, quia polluta est.* Ubi videlicet patet, quia vis (Matt. 5.) præcepti ratione juxta litteram caret. Cum enim Veritas dicat, excepta fornicationis causa uxorem dimitti non posse, non sine culpa est hanc propter fœditatem dimitti. Sed homo uxorem accepit, cum actionis terrenæ suscepit curam. Si fœditatem cognoverit, dat libellum repudii, & dimittit eam de domo sua: quia sæpe ipsa terrena actio priusquam haberetur, fortiter amabatur; cum habita fuerit, cujus sit fœditatis agnoscitur, cum esse polluta per peccata videtur. Dimittat ergo eam vir de domo sua, ut amorem ejus abjiciat a mente sua. Quæ egressa alterum virum accipit: quia terrenam actionem, quam tu deseris, alius concupiscit. Sed fortasse & ipsi in odium quandoque ventura est, ut eam utiliter dimittat. Bene autem dicitur: *Dimiserit, vel certe mortuus fuerit*: quia unusquisque terrenam curam aut dimittit, aut moritur, id est aut non ei ex animo succumbit, aut propter eam funditus in animæ vita succumbit. Sive ergo ea sequens maritus dimiserit, sive mortuus fuerit, maritus prior non poterit eam in uxorem accipere, quia polluta est: ut videlicet is, qui semel curam terrenam atque præsentis vitæ intentionem reliquerit, ad eam ultra nullo modo redeat; quoniam ipse se jam suo judicio polluit, qui eam prius ideo deseruit, quia pollutam esse cognovit.

CAPUT XVI.

(Deut. 24. 6.) *Non accipies loco pignoris superiorem aut inferiorem molam.*

DUm de servanda prædicationis mensura doctoribus, circa delinquentium confessionem proximorum tractaretur, in expos. B. Job, (Num. 24.) l. 32. adjunctum est: *Non accipies loco pignoris superiorem, &c.* ACCIPERE aliquando dicimus auferre. Unde & aves illæ, quæ rapiendis sunt avibus avidæ, accipitres vocantur. Unde & Paulus ait: (2. Cor. 11. 20.) *Sustinetis enim, si quis devorat, si quis accipit.* Ac si diceret: si quis rapit. Pignus vero debitoris, est confessio peccatoris. A debitore enim pignus accipitur, cum a peccatore jam peccati confessio tenetur. Superior autem & inferior mola, est spes & timor. Spes quippe ad alta subvehit, timor autem cor inferius premit. Sed mola superior & inferior ita sibi necessario junguntur, ut una sine altera inutiliter habeatur. In peccatoris itaque pectore incessanter debet spes & formido conjungi, quia incassum misericordiam sperat, si non etiam justitiam timeat: incassum justitiam metuit, si non etiam de misericordia confidat. Loco igitur pignoris mola superior aut inferior tolli prohibetur: quia qui peccatori prædicat, tanta dispensatione componere prædicationem debet, ut nec derelicta spe timorem sub- A trahat, nec subtracta spe in solo eum timore derelinquat. Mola enim superior aut inferior tollitur, si per prædicantis linguam in peccatoris pectore, aut timor a spe, aut spes a timore dividatur.

[a] CAPUT XVII.

Cum debet tibi quippiam frater tuus, & abstuleris pignus ab eo, ante solis occasum pignus restitue. (Deut. 24. 10. &c.)

DUm de remittenda proximorum injuria, præsertim iis, qui veniam petunt tractaretur, in expos. B. Job, l. 16 adjunctum est: *Cum debet tibi quippiam frater tuus, &c.* FRATER etenim noster (Num. 6.) B debitor nobis efficitur, cum quilibet proximus in nos aliquid deliquisse monstratur. Peccata quippe debita vocamus. Unde de peccatore servo dicitur: *Omne debitum dimisi tibi.* Et in Dominica quotidie oratione precamur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* (Matt. 18. 32. Matt. 6. 12.) A debitore autem nostro pignus accipimus, quando ab eo, qui in nos peccasse cognoscitur, peccati ejus jam confessionem tenemus, per quam relaxare peccatum, quod in nos perpetratum est, postulamur. Qui enim peccatum, quod commisit, fatetur, & veniam petit, jam quasi pro debito pignus dedit. Quod nimirum pignus ante solis occasum reddere jubemur: quia priusquam in nobis per dolorem cordis sol justitiæ occidat, debemus ei confessionem veniæ reddere, a C quo confessionem accipimus culpæ: ut qui se deliquisse in nos meminit, a nobis mox relaxatum sentiat, quod deliquit.

CAPUT XVIII.

Uxorem fratris sine filiis defuncti superstes frater accipiat, atque ad nomen fratris filium gignat. Quam si accipere forte renuerit, huic in faciem mulier exspuat, unumque ei pedem propinquus discalciet, ejusque habitaculum domus discalciati vocetur. (Deut. 25. 5.)

DUm de dono regiminis minime subtrahendo tractaretur, Reg. Past. par. 1. adjunctum est: (Cap. 5.) *Uxorem fratris sine filiis defuncti superstes frater* D *accipiat, &c.* FRATER defunctus ille est, qui post resurrectionis apparens gloriam dixit: *Ite, nuntiate fratribus meis.* (Matt. 28. 10.) Qui quasi sine filiis obiit: quia adhuc electorum suorum numerum non implevit. Hujus scilicet uxorem superstes frater sortiri præcipitur: quia dignum profecto est, ut cura sanctæ Ecclesiæ ei, qui hanc bene regere prævalet, imponatur. Cui nolenti in faciem mulier exspuit: quia quisquis ex muneribus quæ perceperit, prodesse aliis non curat, bonis quoque ejus sancta Ecclesia exprobrans, ei quasi in faciem salivam jactat. Cui ex uno pede calceamentum tollitur, ut discalciati domus vocetur. Scriptum quippe est: *Calciati pedes in præparatione Evangelii pacis.* (Ephes. c. 16.) Si ergo ut nostram, sic curam proximi gerimus, utrumque E pedem per calceamentum munimus. Qui vero suam cogitans utilitatem, proximorum negligit, quasi unius pedis calceamentum cum dedecore amittit.

CA-

[a] Caput hoc cum tribus immediate sequentibus abest a mss. Utic. & Gemet. In Michael. extat c. 18. aliis omissis.

CAPUT VIX.

Deut. 32. 1. *Attende cælum & loquar, & audiat terra verba ex ore meo.*

Num. 61. IN expos. B. Job, l. 2. adjunctum est: *Attende cælum & loquar, &c.* PER cælum videlicet, signans præpositorum ordinem: per terram vero subditam plebem. *Attende cælum & loquar:* non enim insensibili, sed rationabili creaturæ loquebatur.

CAPUT XX.

Ibid. v. 11. *Expandit alas suas, & assumsit eum.*

Num. 7. IN expos. B. Job, l. 32. adjunctum est: *Expandit alas suas, & assumsit eum.* QUIA nos parvulos Dominus, dum protegit, nutrit; & non gravi atque onerosa, sed levi & blanda protectione nos refovet; dum suas in nos misericordias exerit, quasi more super nos avium alas tendit.

CAPUT XXI.

Deut. 32. 13. *Suxere mel de petra, & oleum de firma petra.*

CUm de mysteriorum per Christi adventum reseratione, ejusque fidelium meritis tractaretur, hom. 2. in Evang. adjunctum est: *Suxere*
Num. 3. & 4. *mel de petra, & oleum de firma petra.* NUSQUAM tale aliquid juxta historiam legitur, si tota Testamenti veteris series recenseatur. Nusquam de petra mel, nusquam oleum ille populus suxit. Sed quia juxta
1. Cor. 10. 4. Pauli vocem; *Petra erat Christus*, mel de petra suxerunt, qui ejusdem Redemtoris nostri facta & miracula videre. Oleum vero de firma petra suxere, quia effusione sancti Spiritus post resurrectionem ejus ungi meruere. Quasi ergo in firma petra mel dedit: quando adhuc mortalis Dominus [a] miraculorum suorum dulcedinem discipulis ostendit. Sed firma petra oleum fudit: quia post resurrectionem suam factus jam impassibilis, per afflictionem spiritus, donum sanctæ unctionis emanavit. De hoc
Isa. 10. 27. oleo per Prophetam dicitur: *Computrescet jugum a* D *facie olei.* Sub jugo quippe tenebamur dæmoniacæ dominationis, sed uncti sumus oleo Spiritus sancti, & quia nos gratia libertatis unxit, dominationis dæmoniacæ jugum putruit.

CAPUT XXII.

Deut. 32. 22. *Ignis exarsit ab ira mea, & ardebit usque ad inferos deorsum: comedet terram, et nascentia ejus.*

Num. 35. DUm de incorrecte delinquentium ultione perpetua tractaretur, in expos. B. Job, l. 18. adjunctum est: *Ignis exarsit ab ira mea, etc.* DE his, quos damnant flagella, & non liberant, scri- E
Jerem. 5. 3. ptum est: *Percussisti eos, nec doluerunt, attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam.* His flagella ab hac vita inchoant, & in æterna percussione perdurant. Hinc ergo per Moysen Dominus dicit: *Ignis exarsit ab ira mea, et ardebit usque ad inferos deorsum.* Quantum ad præsentem etenim percussionem spectat, recte dicitur: *Ignis exarsit ab ira mea.* Quantum vero ad æternam damnationem, apte mox subditur: *Et ardebit usque ad inferos deorsum.* Licet

A cet a quibusdam dici soleat illud quod scriptum est: *Non judicat Deus bis in idipsum.* Qui tamen hic quod per Prophetam de iniquis dicitur non attendunt: *Et duplici contritione contere eos.* Et id quod alias scriptum est: *Jesus populum de terra Ægypti salvans, secundo eos qui non credidere perdidit.* Quibus tamen si consensum præbemus, quamlibet culpam bis feriri non posse, hoc ex peccato percussit, atque in peccato suo morientibus debet æstimari; quia eorum percussio hic cœpta, illic perficitur. Ut incorrectis unum flagellum sit, quod temporaliter incipit, sed in æternis suppliciis consummatur: quatenus eis, qui omnino corrigi renuunt, jam præsentium flagellorum percussio sequentium sit initium tormentorum. Sequitur: *Co-* B *medet terram, & nascentia ejus.* * Ignis quippe terram atque ejus nascentia comedit, cum libido carnem atque per hanc omnia bene acta consumit. Nam quidquid prodit ex fruge rectitudinis, hoc nimirum concremat flamma corruptionis.

Num. 1. 9.
Jerem. 17. 18.
Judæ 5.
* In expos. B. Job. lib. 21. num. 19.

[b] CAPUT XXIII. b

Nonne hæc congregata sunt apud me, & signata in thesauris meis? In die ultionis reddam illis. Deut. 32. 34. 35.

QUASI in sacculo delicta nostra signantur: quia hoc, quod nos exterius agimus, nisi pœnitentia interveniente diluamus, in secreto judiciorum Dei sub quadam occultatione servatur, ut C quandoque etiam de sigillo secreti, exeat ad publicum judicii. Unde etiam per Moysen dicitur: *Nonne hæc congregata sunt apud me, et signata in thesauris meis? In die ultionis reddam illis.* Cum vero pro malis, quæ fecimus, disciplinæ flagello atterimur, & hæc per pœnitentiam deflemus, iniquitatem nostram signat & curat: quia nec inulta hic deserit, nec in judicio punienda reservat.

Quidquid hic pœnitentia non diluit, in occulto judicio Dei puniendum in posterum reservatur. In expos. B. Job, lib. 12. num. 21. ante med.

CAPUT XXIV.

Ego occidam, & vivere faciam: percutiam, & ego sanabo. Deut. 32. 39

CUm de electorum purgatione, & divinæ respectu gratiæ tractaretur, in expos. B. Job, l. 6. adjunctum est: *Ego occidam, &c.* DUOBUS modis omnipotens Deus vulnerat, quos reducere ad salutem curat. Aliquando enim carnem percutit, & mentis duritiam suo pavore tabefacit. Vulnerando enim ad salutem revocat, cum electos suos affligit exterius, ut interius vivant. Recte ergo per Moysen loquitur, dicens: *Ego occidam, & vivere faciam: percutiam, et ego sanabo.* Occidit enim ut vivificet, percutit ut sanet. Quia idcirco foris verbera admovet, ut intus vulnera delictorum curet. Aliquando autem etiamsi flagella exterius cessare videantur, interius vulnera infligit: quia mentis nostræ duritiam suo desiderio percutit, sed percutiendo sanat: quia terroris sui jaculo transfixos, ad sensum nos rectitudinis revocat. Corda enim nostra male sana sunt, cum nullo Dei amore sauciantur, cum peregrinationis suæ ærumnam non sentiunt, cum erga infirmitatem proximi nec quamlibet minimo affectu languescunt. Sed vulnerantur ut sanentur: quia amoris sui spiculis mentes Deus insensibiles percutit, moxque eas sensibiles per ardorem caritatis reddit. Num. 42.

CA-

a Gussanvil. *in oculorum suorum dulced. nem*, gravissimo errore.

b Caput hoc non occurrit nobis in mss.

CAPUT XXV.

Ibid. v. 42. *Et gladius meus devorabit carnes.*

Num. 22. CUm de percussione ultima carnaliter viventium tractaretur, in expos. B. Job, l. 18 adjunctum est: *Et gladius meus devorabit carnes.* DEI gladius carnes comedit: quia in extremo judicio ejus sententia eos, qui carnaliter sapiunt, occidit.

CAPUT XXVI.

Deut. 33. 2. *In dextera ejus ignea lex.*

CUm de dilectionis gratia erga divina præcepta electorum impressa cordibus tractaretur,
Num. 5. homil. 30 in Evang. adjunctum est: *In dextera ejus ignea lex.* QUID per sinistram nisi reprobi, qui & ad sinistram ponend. sunt? Dextera autem Dei appellantur electi. In dextera ergo Dei ignea lex est: quia electi mandata cælestia nequaquam frigido corde audiunt; sed ad hæc amoris intimi facibus inardescunt: sermo ad aurem ducitur, & mens eorum sibimet irata ex internæ dulcedinis flamma concrematur.

CAPUT XXVII.

Deut. 33. 9. *Qui dixerit patri suo, & matri suæ: nescio vos; & fratribus suis: ignoro illos; & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum, & pactum servaverunt.*

CUm de divino amore proximis præferendo, eisdemque discretæ compassionis studio diligendis tractaretur, in expos. B. Job, l. adjunctum
Num. 41. & 42. est: *Qui dixerit patri suo, & matri suæ: nescio vos, &c.* ILLE scire Deum familiarius appetit, qui præ amore pietatis nescire desiderat, quos carnaliter scivit. Gravi etenim damno scientia divina minuitur, ni eum carnis notitia partitur. Extra cognatos ergo quisque ac proximos debet fieri, si vult parenti omnium verius jungi, quatenus eosdem, quos propter Deum viriliter negligit, tanto solidius diligat, quanto in eis affectum solubilem culpæ carnalis ignorat. Debemus quidem & temporaliter his,

A quibus vicinius jungimur, plus ceteris prodesse: quia & hæc flamma admotis rebus incendium porrigit, sed hoc ipsum prius ubi nascitur, incendit. Debemus copulam terrenæ cognationis agnoscere, sed tamen hanc, cum cursum mentis præpedit, ignorare: quatenus fidelis animus divino studio accensus, nec ea quæ sibi sunt in infimis conjuncta despiciat, & hæc apud semetipsum recte ordinans summorum amore transcendat. Solerti ergo cura providendum est ne carnis gratia subrepat, atque a recto itinere cordis gressum deflectat: ne vim superni amoris impediat, & surgentem mentem superimposito pondere deorsum premat. Sic
B enim quisque propinquorum debet necessitatibus compati, ut tamen per compassionem non sinat vim suæ intentionis impediri. Ut affectus quidem mentis viscera repleat, sed tamen ab spirituali proposito non avertat. Neque enim sancti viri ad impendenda necessaria propinquos carnis non diligunt, sed amore spiritualium ipsam in se dilectionem vincunt, quatenus sic eam discretionis moderamine temperent, ut per hanc in parvo saltem ac minimo, a recto itinere non declinent. Quos bene nobis per significationem vaccæ innuunt, quæ sub arca Domini ad montana tendentes, affectu simul
C & rigido sensu gradiuntur, quarum dum vituli clausissent domi, scriptum est: *Pergentes & mugientes, dantes quidem ab intimis mugitus, sed tamen a capto itinere non deflectentes gressus.* 1. Reg. 6. 12.

CAPUT XXVIII.

Ferrum & æs calceamentum ejus. Deut. 33. 25.

CUm de prædicatione sanctæ Ecclesiæ tractaretur, in expos. B. Job, l. 34. adjunctum est: *Ferrum & æs calceamentum ejus.* HOC sub specie de sancta Ecclesia per Moysen dicitur. Calceamentum Num. 19.
D quippe in Scriptura munimen prædicationis accipitur, sicut scriptum est: *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.* Quia ergo per ferrum virtus, Ephes. 6. 15.
per æs autem perseverantia exprimitur: ferrum & æs calceamentum ejus dicitur, dum prædicatio illius acumine simul & constantia munitur. Per ferrum enim mala adversantia penetrat: per æs autem bona, quæ proposuit, longanimiter servat.

Finis Libri Deuteronomii.

CAPITULA LIBRI JOSUE.

EXPOSITIO SUPER LIBRUM JOSUE.

CAPUT PRIMUM.

Josue 15. 19. *Axa filia Caleph sedens super asinum suspiravit; cui dixit pater suus: Quid habes? Ad quem illa respondit: Da mihi benedictionem. Terram australem, & aridam dedisti mihi; junge & irriguam. Deditque ei pater suus irriguum superius, & irriguum inferius.*

Cap. 34. CUm de distinctis compunctionum modis tractaretur, Dial. l. 3. adjunctum est: *Axa filia Caleph sedens super asinum suspiravit, &c.* AXA super asinum sedet, cum irrationabilibus carnis suæ motibus anima præsidet, quæ suspirans a patre terram irriguam petit: quia a Creatore nostro, cum magno gemitu quærenda est lacrymarum gratia. Sunt namque nonnulli, qui jam in dono perceperunt libera pro justitia loqui, oppressos tueri, indigentibus possessa tribuere, ardorem fidei habere; sed adhuc gratiam lacrymarum non habent. Hi nimirum terram australem, & arentem habent, sed adhuc irrigua indigent: quia in bonis operibus positi, in quibus magni atque ferventes sunt, Idem lib. 7. Ind. 11. ep. 26. alias l. 6. ep. 23.

suot, oportet nimirum ut aut timore supplicii, aut amore regni cælestis, mala etiam quæ antea perpetraverunt, deplorent. Et licet in multas species compunctio dividatur, quando singulæ quæque a pœnitentibus culpæ planguntur; unde ex voce quoque pœnitentium Jeremias ait, *Divisiones aquarum deduxit oculus meus*; (Thren. 3. 45) principaliter tamen compunctionum genera duo sunt: quia Deum sitiens anima, prius timore compungitur; post, amore. Prius enim sese lacrymis afficit, quia dum malorum suorum recordatur, pro his perpeti æterna supplicia pertimescit. At vero cum longa mœroris anxietate fuerit formido consumta, quædam jam de præsumtione veniæ securitas nascitur, & in amore cælestium gaudiorum animus inflammatur; & qui prius flebat ne duceretur ad supplicium, postmodum flere amarissime incipit, quia differtur a regno. Contemplatur etenim mens, qui sint illi Angelorum chori, quæ societas beatorum spirituum, quæ majestas æternæ visioois Dei, & amplius plangit quia bonis perennibus deest, quam flevit prius quando mala æterna metuebat. Sicque fit ut perfecta compunctio formidinis, tradat animum compunctioni dilectioois. Quod bene in hac sacra veracique historia figurata narratiooe describitur. Qui ergo, ut dixi, duo sunt compunctionis genera, dedit ei pater suus irriguum superius, & irriguum inferius. Irriguum quippe superius accipit anima, cum sese in lacrymis cælestis regni desiderio affligit. Irriguum vero inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. Et quidem prius inferius, ac post irriguum superius datur. Sed quia compunctio amoris dignitate præeminet, necesse fuit, ut prius irriguum superius, & post irriguum inferius commemorare debuisset.

CAPUT II.

(Josue 16. 10.) *Habitavit Chananæus in medio Ephraim tributarius.*

DUm de electorum exercitio, operibus quibusdam reprehensibilibus ob utilitatem nutriendæ humilitatis in se, necdum edomitis tractaretur, in expos. B. Job, l. 4. adjunctum est: *Habitavit Chananæus in medio Ephraim tributarius.* (Num. 44.) PLERUMQUE hi, qui magnis jam virtutibus splendent, adhuc de obscuritate culpæ aliquid retinentes sustinent: ut etiam magna vitæ claritate luceant; & tamen aduhc noctis reliquias nolentes trahant. Quod ad hoc, sicut dictum est, agitur, ut mens proficieos ad virtutem justitiæ sua melius infirmitate roboretur. Et inde verius in bonis luceat, unde eam etiam nolentem parva reprehensibilia humiliter obscurant. Unde & bene cum Israelitico popolo percepta repromissionis terra partiretur, Ephraim tribui Chananæus Gentilis populus oon occisus factus tributarius dicitur. Sicut scriptum est: *Habitavit Chananæus in medio Ephraim tributarius.* Quid enim Chananæus, Gentilis videlicet populus, nisi vitium significat? Et sæpe in magois virtutibus terram repromissionis ingredimur: quia spe intima de æternitate roboramur. Sed dum inter acta sublimia vitia quædam parva retinemus, quasi Chananæum vivere in terra oostra concedimus. Qui tamen nobis tributarius efficitur: quia hoc ipsum vitium, quod subjicere non possumus, ad usum nostræ utilitatis humiliter retorquemus. Ut eo de se mens, & in summis vilia sentiat, quo suis viribus, etiam parva, quæ appetit, non expugnat. Unde bene rursum scriptum est: *Hæ sunt Gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israel.* (Jud. 3. 1.) Ad hoc namque quædam minima vitia nostra retinentur, ut se se nostra intentio sollicita in certamine semper exerceat: & eo de victoria non superbiat, quo vivere in se hostes conspicit, a quibus adhuc vinci formidat. Israel ergo reservatis Gentibus eruditur, quando in quibusdam minimis vitiis elatio virtutis nostræ comprimitur, & in parvis sibi resistentibus discit, quod ex se majora non subigit.

Finis Libri Josue.

CAPITULA LIBRI SEXTI
IN LIBRUM JUDICUM.

1. *GEdeon cum a paleis frumenta divideret, Angelum vidit, &c.*
2. *De pugna Gedeonis adversus Madianitas.*
3. *Manue, viso Angelo pertimescens dixit: Morte moriemur, quia vidimus Dominum, &c.*
4. *De Samsone, qui Gazam egrediens, portas secum civitatis detulit.*
5. *De Samsone, qui cum maxilla asini multos occidit.*
6. *De Samsone, qui amissis oculis, ab Allophylis ad molam deputatus fuit.*
7. *De Samsone, qui paucos cum viveret interemit, eversa autem templo, multos cum moreretur occidit.*
8. *Quod de tribu Benjamin in carnis scelere detecta, dum collectus Israel ulcisci voluisset, prius prostratus est, & tunc peccatricem tribum funditus extinxit.*

L I B E R S E X T U S.

DE TESTIMONIIS IN LIBRUM JUDIUM.

CAPUT PRIMUM.

Jud. 6. 13. & seq. *Gedeon cum a paleis frumenta excuteret, Angelum vidit; ad cujus imperium protinus hœdum coxit, quem super petram posuit, & jus carnium desuper fudit; quæ Angelus virga tetigit, atque ignis exiens de petra consumsit.*

Num. 59. DUM de perfectorum solida mentis intentione adhærentium studiis tractaretur, in expos. 8. Job, lib. 3. adjunctum est: *Gedeon cum a paleis frumenta excuteret, &c.* QUID est frumentum virga cædere, nisi rectitudine judicii a vitiorum paleis virtutum grana separare? Sed hęc agentibus Angelus apparet, quia tanto magis Dominus interiora denuntiat, quanto se studiosius homines ab exterioribus purgant. Qui occidi hœdum præcipit, id est omnem appetitum nostræ carnis immolari: carnesque super petram poni, & jus carnium desuper fundi. Quem alium signat petra, nisi eum de quo per Paulum dicitur:
1. Cor. 10. 4. *Petra autem erat Christus?* Carnes ergo super petram ponimus, cum corpus nostrum in Christi imitatione cruciamus. Jus etiam carnium desuper fundit, qui in conversatione Christi ipsas etiam a se carnales cogitationes exinanivit. Quasi enim jus ex carne liquidum in petra funditur, quando mens a cogitationum carnalium fluxu vacuatur. Quæ tamen mox Angelus virga tangit: quia intentionem nostram nequaquam potestas divini adjutorii deserit. De petra autem ignis exit, & jus carnesque consumit: quia afflatus a Redemtore spiritus tanta cor nostrum flamma compunctionis concremat, ut omne quod in eo est illicitum & operis & cogitationis, exurat. Perfecta enim mens solerter invigilat, ut non solum perversa agere renuat, sed omne etiam quod in se per cogitationes turpiter liquatur, tergat.

CAPUT II.

Jud. 7. 5. 6. 16. 17. *De pugna Gedeonis adversus Madianitas.*

DUm de præfigurata Redemtoris incarnatione, electorumque ejus miraculis tractaretur,
Num. 73. in expos. B. Job, l. 30. adjunctum est: *De pugna Gedeonis adversus Madianitas.* GEDEON cum exercitus multitudinem ad bella produceret, divina illi admonitione præceptum est, ut ad fluvium veniens, omnes, quos flexis genibus aquas haurire conspiceret, a bellorum conflictu removeret. Actumque est ut trecenti viri tantummodo qui stantes manibus aquas hauserant, remanerent. Cum his ad prælium pergit, eosque non armis, sed tubis, lampadibus, & lagenis armavit: Nam sicut illic scriptum est:
Jud. 7. 19. & seq. *Accensas lampades miserunt intra laguncŭlas, & tubas in dextera, lagenas autem in sinistra tennere, & ad hostes suos cominus venientes cecinere tubis, confregere lagunculas, lampades apparuerunt, & hinc tubarum sonitu, illinc lampadum coruscatione territi hostes sunt in fugam conversi.*
* Num. 72. Isa. 9. 4. * De hoc namque bello per Prophetam dicitur: *Jugum enim oneris ejus, & virgam humeri ejus, & sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian.* Eripiens quippe Dominus Gentilitatem superavit jugum oneris ejus, cum eam adventu suo ab illa dæmoniacæ tyrannidis servitute liberavit. Superavit virgam humeri ejus, cum percussionem illius, quæ ex perverso opere graviter deprimebat, ab humano genere Redemtor compescuit. Superavit sceptrum exactoris ejus, cum regnum ejusdem diaboli, qui pro pestifera perpetratione vitiorum exigere consueverat debita tributa pœnarum, de fidelium corde destruxit. * Quid * [illegible]
hoc est, quod tale bellum per Prophetam ad medium adducitur, & adventui Redemtoris nostri, istius pugnę victoria comparatur? An indicare nobis Propheta studuit, quod adventum
B Redemtoris nostri contra diabolum, illa sub Gedeone duce pugnæ victoria designavit? Talia nimirum illic acta sunt, quę quanto magis usum pugnandi transeunt, tanto amplius a prophetandi mysterio non recedunt. Quis enim umquam cum lagenis & lampadibus ad prælium venit? Quis contra arma veniens, arma deseruit? Ridicula nobis hæc profecto fuerant, si terribilia hostibus non fuissent. Sed victoria ipsa attestante didicimus, ne parva hęc quę facta sunt perpendamus. Gedeon itaque ad prælium veniens, Redemtoris nostri signat adventum. De quo scriptum est: *Tollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* [illegible]
C *Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.* Hinc Redemtorem nostrum, non solum opere, sed etiam nomine prophetavit. Gedeon namque interpretatur, circumiens in utero. Dominus enim noster per majestatis potentiam omnia complectitur, & tamen per dispensationis gratiam intra uterum virginis humanitatem sumens venit. Quis est ergo circumiens in utero, nisi omnipotens Deus sua dispensatione nos redimens, divinitate cuncta complectens, & humanitatem intra uterum sumens? In quo utero & incarnatus est, & clausus non est. Quia & intra uterum fuit per infirmitatis substantiam, & extra mundum per potentiam majestatis. Madian vero interpretatur
D de judicio. Ut enim hostes ejus repellendi destruendique essent, non de vitio repellentis, sed de judicio juste judicantis fuit: & idcirco de judicio vocantur, quia alieni a gratia Redemtoris justæ damnationis meritum etiam in vocabulum trahunt nominis. * Contra hos Gedeon * [illegible]
cum trecentis pergit ad prælium. Solet in centenario numero plenitudo perfectionis intelligi. Quid ergo per ter ductum centenarium numerum designatur, nisi perfecta cognitio Trinitatis? Cum his quippe Dominus noster adversarios fidei destruxit, cum his ad prædicationis bella descendit, qui possunt divina cognoscere, qui sciunt de Trinitate, quę Deus est, perfecta sentire. Notandum vero est, quia iste ter centena-
E rius numerus in *Tau* littera continetur, quę crucis speciem tenet. Cui si super transversam lineam id quod in cruce eminet, adderetur, non jam crucis species, sed ipsa crux esset. Quia ergo iste trecentorum numerus in *Tau* littera continetur, & per

Tau litteram, sicut diximus, species crucis ostenditur, non immerito in his trecentis Gedeonem sequantibus illi designati sunt, quibus dictum est: Luc. 9. 23. *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Qui sequentes Dominum tanto verius crucem tollunt, quanto acrius & se domant, & erga proximos suos caritatis compassione cruciantur. Unde & per Ezechielem Prophetam dicitur: Ezech. 9. 4. *Signa Tau super frontes virorum gementium, et dolentium.* Vel certe in his trecentis, qui in *Tau* littera continentur, hoc exprimitur, quod ferrum hostium crucis ligno superetur. Ductique sunt ad fluvium ut aquas biberent, & qui aquas flexis genibus hausere, a bellica intentione remoti sunt. Aquis namque doctrina sapientiæ, stante autem genu B recta operatio designatur. Qui ergo dum aquas bibunt genu flexisse perhibentur, a bellorum certamine prohibiti recessere: quia cum illis Christus contra hostes fidei pergit ad prælium, qui cum doctrinæ fluenta hauriunt, rectitudinem operum non inflectunt. Omnes quippe tunc bibisse aquam, sed non omnes recto genu stetisse narrati sunt: reprobatique sunt qui genua, dum aquas biberent, inflexerunt: quia, attestante Apostolo, Rom. 2. 13. *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Quia enim, ut diximus, dissolutio operum in ipsa genuum incurvatione signatur, recte rursum per Paulum dicitur: Heb. 12. 12. *Remissas manus & dissoluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris.* Hi igitur Christo duce ad bellum prodeunt, qui hoc, quod ore annuntiant, opere ostendunt: qui fluenta doctrinæ spiritualiter hauriunt, nec tamen in pravis C operibus carnaliter inflectuntur. Quia sicut scriptum est: Eccl. 15. 9. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* * Itum est ergo ad prælium cum tubis, cum lampadibus, cum lagenis. [a] Insuitatus iste, ut diximus, fuit ordo præliandi. Cecinerunt tubis, & sinistris lagenę tenebantur, intra lagenas autem sunt missæ lampades. Confractis vero lagenis lampades ostensę sunt: quarum coruscante luce, hostes territi in fugam vertuntur. Designatur itaque in tubis clamor prędicantium, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum. Tales quippe dux noster secum ad prędicationis prelium duxit, qui despecta salute corporum, D hostes suos moriendo prosternerent, eorumque gladios non armis & gladiis, sed patientia superarent. Armati enim venerunt sub duce suo ad prælium martyres nostri, sed tubis, sed lagenis, sed lampadibus. Qui sonnerunt tubis, dum prędicant: confregere lagenas, dum solvenda in passione sua corpora hostilibus gladiis opponunt. Resplenderunt lampadibus, dum post solutionem corporum miraculis coruscaverunt, moxque hostes in fugam versi sunt: quia dum mortuorum martyrum corpora miraculis coruscare conspiciunt, luce veritatis fracti, quod impugnaverunt, crediderunt. Cecinere ergo tubis, ut lagenæ frangerentur: lagenæ fractæ sunt, ut lampades apparerent: apparuerunt lampades, ut hostes in E fugam verterentur, id est prædicaverunt martyres, donec eorum corpora in morte solverentur. Corpora eorum in morte soluta sunt, ut miraculis coruscarent: coruscavere miraculis, ut hostes suos ex divina luce prosternerent: quatenus nequaquam Deo erecti resisterent, sed eum subditi formidarent. * Num. 75. * Et notandum quod steterunt hostes ante lagenas, fugerunt ante lampades: quia nimirum persecutores sanctæ Ecclesiæ, fidei prędicatoribus adhuc in corpore positis restiterunt: post solutionem vero corporum apparentibus miraculis, in fugam versi sunt: quia pavore conterriti, a persecutione fidelium cessavere. Prædicatione scilicet tubarum, fractis lagenis corporum, visis timuerunt lampadibus miraculorum. * Intuendum est etiam id, quod illic scriptum est, quia in dextera tubas, lagenas autem in sinistra tenuerunt. * Num. 77. Pro dextro enim habere dicimur, quidquid pro magno pensamus: pro sinistro vero, quod pro nihilo ducimus. Bene ergo illic scriptum est, quod in dextera tubas, & lagenas in sinistra tenuerunt: quia Christi Martyres pro magno habent prædicationis gratiam, corporum vero utilitatem pro minimo. Quisquis enim plus facit utilitatem corporis, quam gratiam prædicationis, in sinistra tubam, atque in dextra lagenam tenet. Si enim primo loco gratia prædicationis attenditur, & posteriore utilitas corporis, certum est, quia in dextris tubę, & sinistris lagenæ teneantur.

CAPUT III.

Manue, viso Angelo, pertimescens dixit: Morte moriemur, quia vidimus Dominum. Quem uxor protinus consolatur, dicens: Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum, & libamenta non suscepisset. Jud. 13. 22. & seq.

DUm de tenenda fidelibus spei fiducia tractaretur, in expos. B. Job, l. 5. adjunctum est: *Manue, viso Angelo, pertimescens dixit, &c.* Num. 56. QUID est quod visione Angeli vir fit timidus, & mulier audax: nisi quod nobis quoties cœlestia demonstrantur, spiritus quidem pavore se concutit, sed tamen spes præsumit? Inde namque spes ad majora audenda se erigit, unde turbatur spiritus: quia ea, quæ superna sunt, prior videt. Quia cum altiora secretorum cælestium sublevata mens conspicit, cuncta humanarum virium soliditas contremiscit.

CAPUT IV.

Samson cum Gazam civitatem Philisthinorum fuisset ingressus, illico custodes deputavere: sed ille exiens, portas civitatis tulit, & montis verticem ascendit. Jud. 16. 3.

DUm de prefiguratione resurrectionis Dominicæ tractaretur, homil. 21. in Evang. adjunctum est: *Samson cum Gazam civitatem Philisthinorum fuit ingressus, &c* Num. 7. QUEM hoc in facto nisi Redemtorem nostrum Samson ille significat? Quid Gaza civitas, nisi infernum designat? Quid per Philisthæos, nisi Judæorum perfidia demonstratur? Qui cum mortuum Dominum viderent, ejusque corpus in sepulcro jam positum, custodes illico deputaverunt: & eum, qui auctor vitæ claruerat, in inferni claustris retentum, quasi Samsonem in Gaza se se deprehendisse læti sunt. Samson vero nocte media non solum exiit, sed etiam portas tulit: quia videlicet Redemtor noster ante lucem resurgens, non solum liber de inferno exiit, sed ipsa etiam inferni claustra destruxit, portas tulit.

a Cod. Michael. paulumper his dissentit.

lit. Et montis verticem subiit: quia resurgendo, A claustra inferni abstulit, & ascendendo cælorum regna penetravit.

CAPUT V.

Jud. 15. 15. usque 19. *De Samsone, quod cum maxilla asini multos occidisset, ea projecta in terram, aquam fuderit.*

DUM de divinæ operationis magisterio, & prædicatorum Ecclesiæ miraculis tractaretur, in Num. 25. expos. B. Job, l. 13. adjunctum est: *De Samsone, quod cum maxilla asini multos occidisset, &c.* QUORUM hic per maxillam asini, nisi prædicatorum Ecclesiæ personæ designantur? Redemtor enim noster simplicitatem, atque patientiam prædicantium suæ manu virtutis tenens, a vitiis suis carnales interfecit. Et maxilla in terram projecta postmodum aquas fudit: quia data morti prædicatorum corpora, magna populis monstravere miracula.

CAPUT VI.

Jud. 16. *De Samsone, qui, amissis oculis, ad molam ab Allophylis deputatus est.*

DUm de humanæ duritiæ ad correctionem torpore tractaretur, in expos. B. Job, l. 7. adjun- Num. 37. ctum est: *De Samsone, qui, amissis oculis, ad molam ab Allophylis deputatus est.* SCIENDUM est quod aliquando prius oculorum intellectus obtunditur, & postmodum captus animus per exteriora desideria vagatur, ut cæca mens a quo ducitur nesciat, & carnis suæ illecebris sese libenter subdat. Aliquando vero prius desideria carnis ebulliunt, & post longum usum illiciti operis, oculum cordis claudunt. Nam sæpe mens recta cernit, nec tamen audenter contra perversa erigit; & renitens vincitur, dum hoc ipsum quod agit dijudicans, carnis suæ delectatione superatur. Quia enim plerumque prius oculus contemplationis amittitur, & post per carnis desideria hujus mundi laboribus animus subjugatur, testatur Samson ab Allophylis captus: qui postquam oculos perdidit, ad molam deputatus est. Quia nimirum maligni spiritus postquam tentationum stimulis intus aciem contemplationis effodiunt, foras in circuitum laborum mittunt.

CAPUT VII.

Jud. 16. 30. *De Samsone, quod paucos, cum viveret, interemit: everso vero templo multos, cum moreretur, occidit.*

DUm de multiplici numerositate credentium per mortem resurrectionemque Redemtoris nostri tractaretur, in expos. B. Job, l. 29. Num. 26. adjunctum est: *De Samsone, quod paucos, cum viveret, interemit, &c.* CUJUS hoc loco per Samsonem, nisi Redemtoris nostri persona signatur? Samson enim dum viveret paucos occidit, everso vero templo, maximam adversariorum suorum multitudinem, etiam ipse moriens stravit. Et Domino nostro prædicante, pauci ex plebe Israelitica crediderunt, innumeri vero Gentium populi viam vitæ illo moriente secuti sunt. Superbos namque dum adhuc passibilis viveret pertulit, a passibili vero vita multos dum moreretur, stravit. Quod bene Samson in semetipso dudum figualiter expressit, qui paucos quidem dum viveret interemit, destructo autem templo hostes innumeros, cum moreretur, occidit: quia nimirum Dominus ab B elatione superbiæ paucos cum viveret, plures vero cum templum sui corporis solveretur extinxit, atque electos ex Gentibus, quos vivendo sustinuit, simul omnes moriendo prostravit.

CAPUT VIII.

Quod tribum Benjamin in carnis scelere detectam dum collectus omnis Israel ulcisci voluisset, prius ipse prostratus est, & tunc peccatricem tribum funditus extinxit. Jud. 20. 9.

C CUm de propriis prius ulciscendis delictis, quam ad aliena vendicanda prosiliamus, tractaretur, in expos. B. Job, l. 14. adjunctum est: Num. 34. ordine vdo semel inqui... *Quod tribum Benjamin in carnis scelere detectam, &c.* QUI semetipsum prius non judicat, quid in alio rectum judicet ignorat. Et si novit fortasse per auditum quod rectum judicare debeat, recte tamen judicare aliena merita non valet, cui conscientia innocentiæ propriæ nullam judicii regulam præbet. Hinc est quod cum tribus Benjamin in carnis scelere fuisset obruta, collectus omnis Israel ulcisci iniquitatem voluit: sed tamen semel & iterum in belli certamine ipse prostratus est. Consulto autem Domino si ad ulciscendum ire debuissent, D jussum est. Qui juxta divinæ vocis imperium perrexit, & semel & secundo perdidit: & tunc demum peccatricem tribum valde feriens pene funditus extinxit. Quid est ergo quod in ultione sceleris inflammatur, & tamen prius ipse prosternitur, nisi quod prius ipsi purgandi sunt, per quos aliorum culpæ feriuntur? Ut ipsi jam mundi per ultionem veniant, qui aliorum vitia corrigere festinant. Unde insidiantibus quibusdam, & ad puniendam adulteram deducentibus dicitur: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Joh. 8. 7. Ad aliena quippe punienda peccata ibant, & sua reliquerant. Revocantur itaque intus ad conscien- E tiam, ut prius propria corrigant, & tunc aliena reprehendant. Unde necesse est, ut, cum contra nos ultio divini examinis cessat, nostra se conscientia ipsa reprehendat, atque ad lamenta pœnitentiæ ipsa se contra semetipsam erigat, nec contra bonos elata, & sibi humilis, sed contra se rigida sit, bonis vero omnibus submissa.

Finis Libri Judicum.

CAPITULA LIBRI SEPTIMI
IN LIBRUM PRIMUM REGUM.

LIBER SEPTIMUS.

DE TESTIMONIIS IN PRIMUM REGUM.

CAPUT PRIMUM.

1. Reg. 1. 18. *Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati.*

Num. 43. IN expositione Job, l. 33. adjunctum est: *Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati.* [a] QUIA videlicet mens ejus nequaquam post preces inepta lætitia lasciviendo perdidit, quod orationis suæ tempore gemituum rigore exquisivit.

CAPUT II.

1. Reg. 2. 10. *Dominus judicabit fines terræ.*

Num. 20. CUm de divinæ misericordiæ circa genus humanum dispensatione tractaretur, in expos. B. Job, l. 29. adjunctum est: *Dominus judicabit fines terræ.* PIUS Conditor noster facturam suam non deserens, mala hominum, & per suam sapientiam tolerat, & per eorum quandoque conversionem relaxat. Cum duras atque insensibiles mentes respicit, modo eas minis, modo verberibus, modo revelationibus terret: ut quæ pessima securitate duruerant, salubri timore mollescant; quatenus vel sero redeant, & hoc ipsum saltem quod diu expectati sunt, erubescant. Scit enim Dominus quia extrema vitæ nostræ plus judicat, & idcirco electos suos in fine sollicitius purgat. Hinc ergo scriptum est: *Dominus judicabit fines terræ*: quia tanto impensius ultimis nostris invigilat, quanto in ipsis impendere initia vitæ sequentis pensat.

CAPUT III.

1. Reg. 6. 10. *Tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, junxere ad plaustrum.* Et paulo post: *Ibant in* Ibid. 12. *directum vaccæ per viam quæ ducit Bethsamis, pergentes & mugientes.*

Hom. 6. CUm de discretæ compassionis bono proximis exhibendo tractaretur, hom. 31. in Evang. adjunctum est: *Tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, junxere ad plaustrum.* CUM de terra Philisthiim arca Domini ad terram Israelitarum rediret, plaustro superimposita est, & vaccæ plaustro subjunctæ sunt, quæ fetæ fuisse memorantur. Quarum filios clauserunt domi. Et scriptum est: *Ibant autem in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethsamis; uno itinere gradiebantur, pergentes, & mugientes, & non declinabant neque ad dextram neque ad sinistram.* Quid igitur vaccæ, nisi fideles quosque in Ecclesia designant? Qui dum sacri eloquii præcepta considerant, quasi superimpositam sibi Domini arcam portant. De quibus hoc est etiam notandum, quod fuisse fetæ memorantur: quia sunt plerique, qui in via Dei intrinsecus positi, foris carnalibus affectibus ligantur, sed non declinant a recto itinere; qui arcam Dei portant in mente. Ecce enim vaccæ Bethsamis pergunt. Bethsamis quippe dicitur domus solis. Et Propheta ait: *Vobis autem, qui timetis Dominum, orietur sol justitiæ.* Malach. 4. 2. Si igitur ad æterni solis habitationem tendimus, dignum profecto est, ut a Dei itinere pro carnalibus affectibus non declinemus. Tota enim virtute pensandum est, quod vaccæ Dei plaustro suppositæ pergunt & gemunt. Dant ab intimis mugitus, & tamen ab itinere non retorquent gressus. Amorem quippe per compassionem sentiunt, sed colla posterius non deflectunt. Sic nimirum prædicatores Dei, sic fideles quippe esse intra sanctam Ecclesiam debent, ut & compatiantur proximis per caritatem, & tamen de via Dei non exorbitent per compassionem. * Arca quippe superimposita Bethsamis pergere, est cum superna scientia ad æternæ lucis habitaculum propinquare. Sed tunc vere Bethsamis tendimus, cum viam rectitudinis gradientes ad vicina erroris latera, nec pro affectu pignorum declinamus. Sic namque, sic necesse est ut incedere debeant, qui sacræ legis jugo suppositi, jam per internam scientiam Dei arcam portant: quatenus

* In expos. B. Job, lib. 7. n. 41. inverso loco ordine.

a Caput hoc abest a nostris mss.

nus per hoc quod propinquorum necessitatibus condolent, a cœpto rectitudinis itinere non declinent. Quorum nimirum gratia mentem nostram tenere debet, sed reflectere non debet: ne hæc eadem mens aut si affectu non tangitur, dura sit; aut plus tacta si inflectitur, remissa.

CAPUT IV.

1. Reg. 15. 17. *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel?*

Num. 42. 43. DUm de cavenda elatione, & cordis humilitate sectanda tractaretur, in expos. B. Job, l. 34. adjunctum est: *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, &c.* PARVULUS in oculis suis est, qui in eo quod semetipsum considerat, imparem se alienis meritis pensat. Nam quasi grandem se conspicit, quisquis se super aliena merita elatione cogitationis extendit. Saul autem reprobus, in bono quod cœperat, non permansit, quia fastu susceptæ potestatis intumuit. At contra David semper de se humilia sentiens, ejusdemque Saul se comparatione postponens, postquam feriendi locum reperit, & pepercit, eidem sævienti adversario, humili se professione prostravit dicens: *Quem persequeris, rex Israel: quem persequeris? Canem mortuum & pulicem unum?* Et certe jam unctus in regem fuerat: jam exorante Samuele & cornu super se oleum fundente didicerat, quod eum divina gratia, Saul reprobato, ad regni gubernacula possidenda servabat. Et tamen persequenti adversario mente humili se substernebat, cui divino judicio prælatum esse se noverat. Illi itaque se humiliter postponebat, cui per electionis gratiam incomparabiliter noverat esse se meliorem. Discant ergo quomodo humiliari proximis debeant, qui adhuc quo loco apud Deum habeantur, nesciunt: si sic se electi etiam illis humiliant, quibus jam se per interna judicia antepositos deprehendunt. Hoc autem esse proprium specimen electorum solet, quod de se semper sentiunt infra quam sunt. Hinc namque ab eodem David dicitur: *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam.* Hinc Salomon ad sapientiam parvulos vocat, dicens: *Si quis est parvulus, veniat ad eam.* Qui enim nec dum semetipsum despicit, humilem Dei sapientiam non apprehendit. Hinc in Evangelio Dominus dicit: *Confiteor tibi, Domine, pater cæli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Hinc rursum Psalmista ait: *Custodiens parvulos Dominus.* Hinc Magister Gentium dicit: *Facti sumus parvuli in medio vestrum.* Hinc discipulos admonens ait: *Superiores sibi invicem arbitrantes.* Nam quia iniquus quisque inferiorem se omnem, quem cognovit, putat; e diverso justus studet, ut superiorem quemlibet proximum attendat: ac ne, dum se alii alter humiliat, eo humiliato iret alter in elationem, bene utramque partem admonuit, dicens: *Superiores sibi invicem arbitrantes*, ut in cogitationibus cordis & ego illum mihi præferam, & vicissim ille me sibi: ut cum ab utraque parte cor inferius premitur, nullus ex impenso honore sublevetur.

(Marg.: 1. Reg. 24. 15. — Psal. 130. 2. — Prov. 9. 4. — Matt. 11. 25. — Psal. 114. 6. — 1. Thessal. 2. 7. — Philip. 2. 3.)

CAPUT V.

Item unde supra.

IN expositione Evang. ho. 7. QUID per increpationem Saulis, nisi superbia elati regis abigitur? Num. ultim. Quod ad correctionem suam poterit salubriter quisque convertere; qui prælatus est. Cum ergo Saul parvulum se in suis oculis æstimavit, caput in tribubus Israel factus est. Ac si aperte diceretur: Cum te parvulum conspiceres, ego te præ ceteris magnum feci: quia vero tu te magnum conspicis, a me parvus æstimaris. Quo contra cum David regni sui potentiam coram arca Domini saltando despiceret, dixit: *Ludam, & vilior fiam plusquam factus sum; & ero humilis in oculis meis.* 2. Reg. 6. 22. Si igitur sancti viri etiam cum agunt fortia, de semetipsis vilia sentiunt, quid in sua excusatione dicturi sunt, qui sine operatione virtutis intumescunt? Sed si quælibet adsint opera, nulla sunt, nisi ex humilitate condiantur. Miranda quippe actio cum elatione non elevat, sed gravat. Qui enim sine humilitate virtutes congregat, quasi in vento pulverem portat, & unde aliquid ferre cernitur, inde deterius cæcatur. In cunctis ergo quæ agimus, radicem boni operis humilitatem teneamus, nec quibus jam superiores, sed quibus adhuc inferiores simus, aspiciamus; ut dum meliorum nobis exempla proponimus, ad majora semper ascendere ex humilitate valeamus.

CAPUT VI.

Item unde supra.

REg. Past. par. 2.[a] PARVULUM se Saul in suis prius oculis viderat, sed fultus temporali potentia jam se parvulum non videbat. Cap. 6. ante medium. Ceterorum namque comparatione se præferens, quia cunctis plus poterat, magnum se præ omnibus æstimabat. Miro autem modo cum apud se parvulus, apud Deum magnum: cum vero apud se magnus apparuit, apud Deum parvulus fuit. Plerumque ergo dum ex subjectorum affluentia animus inflatur, in luxum superbiæ ipso potentiæ fastigio lenocinante corrumpitur. Quam videlicet potentiam bene regit, qui & tenere illam noverit; & impugnare. Bene hanc regit, qui scit per illam super culpas erigi, & cum illa ceteris æqualitate componi. Humana etenim mens plerumque extollitur, etiam cum nulla potestate fulcitur. Quanto magis in altum se erigit, cum se ei etiam potestas adjungit? Quam tamen potestatem recte dispensat, qui sollicite noverit & sumere ex illa quod adjuvat, & expugnare quod tentat, & æqualem se cum illa ceteris cernere, & tamen se peccantibus zelo ultionis anteferre. Scriptum namque est: *Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis.* Ibid. & e multo infra. Eccli. 32. 1.

CAPUT VII.

Item unde supra.

CUm de bono obedientiæ tractaretur, in expos. B. Job, l. 18. adjunctum est: SCIENDUM Num. 59. magnopere est, quia tanto unaquæque anima pretiosior est ante oculos Dei, quanto præ amore veritatis despectior fuerit ante oculos suos. Hinc ad Saul dicitur: *Nonne cum esses parvulus in oculis tuis,*

a Assignatur lib. 6. in Job, a mss. Utic. & Gemet. in quo etiam additur: item lib. 26. Legitur hoc loco a nobis notato ...

tuis, caput te constitui in tribubus Israel? Ac si aperte diceret: Magnus mihi fuisti, quia despectus tibi: sed nunc quia magnus tibi es, factus es despectus mihi. Unde & per Prophetam dicitur: *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Tanto ergo fit quisque vilior Deo, quanto pretiosior sibi: tanto pretiosior Deo, quanto propter eum vilior sibi: *quia humilia respicit, & alta a longe agnoscit.*

Isa 5.21.

Ps 137.6.

CAPUT VIII.

1. Reg.15.22. *Melior est obedientia quam victimæ; & auscultare, magis quam offerre adipem arietum.*

Num.28.29.30 & 31.

ITem cum de bono obedientiæ tractaretur, in expos. B. Job, lib. 35. adjunctum est: *Melior est obedientia quam victimæ, &c.* OBEDIENTIA victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque Deum citius placat, quanto ante ejus oculos, repressa arbitrii sui superbia, gladio præcepti se imolat. Quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta sit virtus obedientiæ demonstretur. Ex adverso ergo melius ostenditur, quid de ejus laude sentiatur. Si enim quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere, sola est obedientia, quæ fidei meritum possidet, sine qua quisque infidelis esse convincitur, etiamsi fidelis esse videatur. Hinc per Salomonem in ostentatione obedientiæ dicitur: *Vir obediens loquitur victorias.* Vir quippe obediens victorias loquitur: quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Hinc in Evangelio Veritas dicit: *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras: quia de cælo descendi non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Quid enim si suam faceret, eos, qui ad se veniunt, repulisset? Quis autem nesciat quod voluntas filii a voluntate patris non discrepet? Sed quoniam primus homo quia suam facere voluntatem voluit, a paradisi gaudiis exivit; secundus ad redemtionem hominum veniens, dum voluntatem se patris, & non suam facere ostendit, permanere nos intus docuit. Cum igitur non suam sed patris voluntatem facit, eos qui ad se veniunt, foras non ejicit: quia dum exemplo suo nos obedientiæ subjicit, viam nobis egressionis claudit. Hinc rursum ait: *Non possum ego a me ipso facere quidquam, sed sicut audio, judico.* Nobis quippe obedientia usque ad mortem, servanda præcipitur. Ipse autem si, sicut audit, judicat, tunc quoque obedit, cum judex venit. Ne igitur nobis usque ad præsentis vitæ terminum obedientia laboriosa appareat, Redemtor noster indicat, quia hanc etiam tum judex venerit, servat. Quid ergo mirum si peccator homo obedientiæ in præsentis vitæ brevitate se subjicit, quando hanc Mediator Dei & hominum, & cum obedientes remunerat, non relinquit? Sciendum vero est, quia numquam per obedientiam malum fieri, aliquando autem debet per obedientiam bonum, quod agitur, intermitti. Neque enim mala in paradiso arbor extitit, quam Deus homini ne contingeret interdixit, sed ut per melius obedientiæ meritum homo bene conditus cresceret, dignum fuerat ut hunc etiam a bono prohiberet: quatenus tanto verius hoc quod ageret, virtus esset, quanto & a bono cessans auctori suo se subditum humilius exhiberet. Sed notandum quod illic dicitur: *Ex omni ligno paradisi edite, de ligno autem scientiæ boni & mali ne tetigeritis.* Qui enim ab uno quolibet bono subjectos vetat, necesse est ut multa concedat: ne obedientis mens funditus intereat, si a bonis omnibus penitus repulsa jejunet. Omnes autem paradisi arbores ad esum Dominus concessit, cum ab una prohibuit; ut creaturam suam, quam nolebat extingui, sed provehi, tanto facilius ab una restringeret, quanto ad cunctas latius relaxaret. Sed quia nonnumquam nobis hujus mundi prospera, nonnumquam vero jubentur adversa, sciendum summopere est quod obedientia aliquando si de suo aliquid habeat, nulla est; aliquando autem si de suo aliquid non habeat, minima. Nam cum hujus mundi successus præcipitur, cum locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem evacuat si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad percipienda hujus vitæ prospera libidini propriæ ambitionis servit. Rursum cum mundi despectus præcipitur, cum probra adipisci & contumeliæ jubentur, nisi hæc ex semetipso animus appetat, obedientiæ sibi meritum minuit, qui ad ea, quæ in hac vita despecta sunt, invitus nolensque descendit. Ad detrimentum quippe obedientia ducitur, cum mentem ad suscipienda probra hujus seculi, nequaquam ex parte aliqua etiam sua vota comitantur. Debet ergo obedientia & in adversis ex suo aliquid habere, & rursum in prosperis ex suo aliquid omnino non habere: quatenus & in adversis tanto sit gloriosior, quanto divino ordini etiam ex desiderio jungitur: & in prosperis [a] tanto sit verior, quanto a præsenti ipsa, quam divinitus percipit gloria, funditus ex mente separatur. Sed hoc virtutis pondus melius ostendimus, si cælestis patriæ duorum hominum facta memoremus. Moyses namque cum in deserto oves pasceret, Domino per Angelum in igne loquente vocatus est, ut eripiendæ omni Israelitarum multitudini præesset. Sed quia apud se mente humilis extitit, oblatam protinus tanti regiminis gloriam expavit; moxque ad infirmitatis patrocinium recurrit, dicens: *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudiustertius, ex quo cæpisti loqui ad servum tuum, tardioris & impeditioris linguæ factus sum.* Et se postposito alium deposcit, dicens: *Mitte quem missurus es.* Ecce cum auctore linguæ loquitur, & ne tanti regiminis potestatem susciperet, elinguem se esse causatur. Paulus quoque divinitus fuerat, ut Jerosolymam ascendere debuisset, admonitus; sicut ipse Galatis dicit: *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Jerosolymam assumto Barnaba & Tito. Ascendi autem secundum revelationem.* Isque in itinere cum Prophetam Agabum reperisset, quanta se adversitas Jerosolymis maneret, audivit. Scriptum quippe est, quod idem Agabus zonam Pauli suis pedibus inserens, dixit: *Virum, cujus hæc zona est, sic alligabunt in Jerusalem.* A Paulo autem protinus respondetur: *Ego non solum alligari, sed & mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Jesu. Neque enim pretiosiorem facio animam meam quam me.* Præceptione igitur revelationis Jerosolymam pergens adversa cognoscit, & tamen hæc

Prov 21.28. Johan. 6.37. Johan. 5.30. Gen. 2.16. Exod. 3. Exod. 4.10. Gal. 2.1. Act. 21.11. Ibid. v.13.

[a] U ie. *tanto fit vilior.* Prætulimus aliam lectionem quæ est Gemet. & Michael. Ceteroquin ita in libro moralium legitur.

hæc libenter appetit. Audit quæ timeat, sed A ad hæc ardentior anhelat. Moyses itaque ad prospera de suo nihil habet: quia precibus renititur, ne Israeliticæ plebi præferatur; Paulus ad adversa etiam ex suo voto ducitur: quia malorum imminentium cognitionem percipit, sed devotione spiritus etiam ad acriora fervescit. Ille præsentis potestatis gloriam Deo voluit jubente declinare; iste, Deo aspera & dura disponente, se studuit ad graviora præparare. Præeunte ergo utrorumque ducum infracta virtute instruimur, ut, si obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur, prosperis hujus seculi ex sola jussione, adversis autem etiam ex devotione militemus.

CAPUT IX.

1.Reg.18.10. *Ecce spiritus Dei malus exagitat te.*

Num. 4. Et lib. 2. ex n.16.& 17. CUm de occulta divini dispensatione judicii tractaretur, in expos. B. Job, l. 18. adjunctum est: *Ecce spiritus Dei malus exagitat te*. SCIT a antiquus humani generis inimicus qualiter afflictionem justorum semper appetat; tamen si ab Auctore nostro potestatem non accipit, ad tentationis articulum nullatenus convalescit. Unde & omnis voluntas diaboli injusta est, & tamen permittente Deo omnis potestas justa. Ex se enim tentare quoslibet injuste appetit, sed eos, qui tentandi sunt, & prout tentandi sunt, nonnisi tentari Deus juste permittit. Bene ergo dicitur: *Spiritus Domini malus exagitat te*. Ecce unus idemque spiritus, & Domini appellatur & malus. Domini videlicet per licentiam potestatis justæ, malus autem per desiderium voluntatis injustæ. Unde & in hoc loco quæri solet, si Domini, cur malus? si malus, cur Domini dicitur? Sed duobus verbis comprehensa est & potestas justa in diabolo, & voluntas injusta. Nam & ipse dicitur spiritus malus, per nequissimam voluntatem: & idem spiritus Domini, per acceptam justissimam potestatem. Quia etsi hostis sævit, qui ferire appetit, Creator tamen est, qui eum ad aliquid prævalere permittit. Formidari igitur non debet qui nihil nisi permissus valet. Nam & in Evangelio expellenda de homi-
Matt.8.31. ne dæmonum legio Domino dicebat: *Si ejicis nos, mitte nos in greges porcorum*. Sola ergo jussio illa timenda est, quæ cum hostem sævire permittit, ei ad usum justi judicii & injusta illius voluntas servit.

CAPUT X.

1.Reg.16.14. 23. *Quod cum Saulem spiritus immundus invaderet, apprehensa David cithara, ejus vesaniam sedabat.*

Cap. 2. Admon. 3. CUm de dispensatione doctrinæ regentium tractaretur, Reg. Pastor. part. 3. adjunctum est: *Quod cum Saulem spiritus immundus invaderet, &c.* PLERUMQUE superbus dives exhortationis blandimento placandus est: quia & plerumque dura vulnera per lenia fomenta mollescunt, & furor insanorum sæpe ad salutem, medico blandiente, reducitur: cumque eis in dulcedine condescenditur, languor insaniæ mitigatur. Neque enim negligenter intuendum est, quod cum Saulem spiritus adversus invaderet, apprehensa David cythara, ejus vesaniam sedabat, & temperabat. Quid enim per Saulem, nisi elatio potentium? & quid per David innuitur, nisi humilis vita Sanctorum? Cum ergo Saul ab immundo spiritu arripitur, David canente, ejus vesania temperatur: quia cum sensus potentium per elationem in furorem vertitur, dignum est, ut ad salutem mentis quasi ad dulcedinem cytharæ locutionis nostræ tranquillitate revocetur.

CAPUT XI.

De David & Goliat. 1.Reg.17.32. 33.14.

B DUm de convincendis errorum magistris tractaretur, in expos. B. Job, lib. 18. adjunctum est: *De David & Goliat*. VIR recta Num. 24. fide plenus quæ Sanctis solet ad justitiam deputari, ea ipsa Scripturæ sacræ, quæ hæreticus affert, testimonia colligit, & erroris ejus pertinaciam inde convincit. Contra nos namque dum sacræ Legis testimonia apportant, secum nobis afferunt unde vincantur. Unde & David typum Domini, qui videlicet manu fortis interpretatur, Golias vero hæreticorum superbiam signans, hoc rebus locuti sunt, quod nos verbis aperimus. Golias quippe cum gladio, David vero cum pera pastorali venit ad prælium. Sed eumdem Goliam David superans suo gladio occidit: quod C nos quoque agimus, qui promissa David membra ex ejus fieri dignatione meruimus. Nam cum superbientes hæreticos & sacræ Scripturæ sententias deferentes eisdem verbis atque sententiis, quas proferunt, vincimus, quasi elatum Goliam suo gladio detruncamus.

CAPUT XII.

Saul persecutor cum ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus, illic cum viris suis David intrat, qui tam longo tempore persecutionis ejus mala tolerabat. Cumque eum viri sui ad feriendum Saul accenderent, fregit eos responsionibus: quia manum mittere in Christum Domini non deberet; qui tamen occulte surrexit, & oram chlamydis abscidit. 1.Reg.24.4. 5.

D CUm de obtrectatione fugienda, & humilitate pravis etiam Rectoribus exhibenda tractaretur, Reg. Past. part. 3. adjunctum est: Cap. 4. Admon. 5. circa finem. *Saul persecutor cum ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus, &c.* QUID per Saul, nisi mali Rectores? Quid per David, nisi boni subditi designantur? Saul igitur ventrem purgare, est pravos præpositos conceptam in corde malitiam usque ad opera miseri odoris extendere, & cogitata apud se noxia factis exterioribus exequendo monstrare. Quem tamen David ferire metuit: quia piæ subditorum mentes ab omni se peste ob-
E trectationis abstinentes, præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehendunt. Qui & si quando propter infirmitatem sese abstinere vix possunt ut extrema quædam atque exteriora præpositorum mala, sed tamen humiliter, loquantur, quasi oram chlamydis silenter incidunt; quia videlicet dum prælatæ dignitati saltem innoxie & latenter derogant, quasi regis superpositi vestem fœdant: sed tamen

a Excusi, *scit namque Job, quod diabolus licet afflictionem justorum semper appetat*; reluctantibus omnibus mss. nostris.

tamen ad semetipsos redeunt, seque vehementissime vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. Unde bene & illic scriptum est: *Post hæc David percussit cor suum, eo quod abscidisset oram clamydis Saul*. Facta quippe præpositorum oris gladio ferienda non sunt; etiam cum recte reprehendenda judicantur. Si quando vero contra eos vel in minimis lingua labitur, necesse est ut per afflictionem pœnitentiæ cor prematur, quatenus ad semetipsum redeat: & cum præpositæ potestati deliquerit, ejus contra se judicium, a quo sibi prælata est, perhorrescat. Nam cum in præpositis delinquimus, ejus ordinationi, qui eos nobis prætulit, obviamus. Unde Moyses quoque cum contra se & Aaron conqueri populum cognovisset,
Exod.16.8. ait: *Nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Deum.*

CAPUT XIII.

1.Reg.25.14. & 23. *De renuntiatione Abigail ad Nabal.*

a Cap. 16. Admon. 17. DUm [a] de opportuno correptionis tempore tractaretur, Reg.Past.par.3.adjunctum est: *De renuntiatione Abigail ad Nabal*. QUID nobis Abigail per renuntiationis suę dispensationem innuit, nisi quod iracundos melius corrigimus, si in ipsa iræ suæ commotione declinemus? Perturbati quippe quid audiant ignorant, sed ad se reducti tanto libentius exhortationis verba recipiunt, quanto se tranquillius toleratos erubescunt. Menti autem furore ebriæ omne rectum quod dicitur, perversum videtur. Unde Nabal ebrio culpam suam Abigail laudabiliter tacuit, quam digesto vino laudabiliter dixit. Et idcirco malum quod fecerat cognoscere potuit, quia hoc ebrius non audivit.

CAPUT XIV.

1.Reg.30.11. 12.13. *Ægyptium puerum Amalechitæ in itinere ægrotum deserunt, quem David cibo reficit, ducemque sui itineris facit. Amalechitam persequitur, epulantem reperit, & funditus extinguit.*

Num. 73. CUm de peccatorum per donum supernæ gratiæ conversione tractaretur, in expos.B.Job, l.5. adjunctum est: *Ægyptium puerum Amalechitæ in itinere ægrotum deserunt, &c.* QUID est quod Ægyptius Amalechitæ puer in itinere lassatur, nisi quod amator præsentis seculi, peccati sui nigredine opertus, sæpe ab eodem seculo infirmus despectusque relinquitur, ut cum eo nequaquam currere valeat, sed fractus adversitate torpescat. Sed David hunc invenit: quia Redemtor noster veraciter manu fortis nonnumquam quos despectos a mundi gloria reperit, in suum amorem convertit. Cibo pascit: quia verbo scientiæ reficit. Ducem itineris eligit: quia suum etiam prædicatorem facit. Et quia Amalechitam sequi non valuit, dux

A David efficitur: quia is quem indignum mundus deseruit, non solum conversus in sua mente Dominum recipit, sed prædicando, hunc etiam usque ad aliena corda perducit. Quo videlicet duce David Amalechitam convivantem invenit, & extinguit: quia ipsis Christus prædicantibus mundi lætitiam destruit, quod mundus comites habere despexit.

CAPUT XV.

Item unde supra.

B IN expositione Evang. ho. 36. HOS eligit Deus [a] quos despexit mundus: quia plerumque ipsa despectio hominem revocat ad semetipsum. a Num.7. Etenim qui patrem reliquit, & partem substantiæ, quam perceperat, prodige expendit, postquam esurire cœpit, in se reversus dixit: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus?* Longe quippe a se recesserat, quando peccabat: & si non esurisset, in semetipsum minime rediisset. Luc.15.17. Postquam terrenis rebus indiguit, tunc cogitare cœpit quid de spiritualibus amisit. Infirmi ergo quique atque in hoc mundo despecti, plerumque tanto celerius C vocem Domini audiunt, quanto & in hoc mundo non habent ubi delectentur. Quod bene Amalechitarum puer ille Ægyptius designat, qui Amalechitis prædantibus atque currentibus æger remansit in via, & fame sitique aruit; quem cum David invenit, ei cibum potumque præbuit: qui illico convalescens dux David factus est: convivantes Amalechitas reperit, & eos, qui se debilem reliquerant, cum magna fortitudine prostravit. Amalechita quippe, populus lambens vocatur. Et quid per lambentem populum, nisi mentes carnalium designantur? Quæ terrena cuncta ambiendo quasi lambunt, dum solis temporalibus delectantur. Quasi D enim populus lambens prædam facit, dum terrena diligentes, lucra de alienis damnis exaggerant. Sed puer Ægyptius æger in via relinquitur: quia peccator quisque dum infirmari ab hujus mundi statu cœperit, mox secularibus mentibus in despectum venit. Quem tamen David invenit, eique cibum & potum præbet, quia manu fortis Dominus abjecta mundi non despicit; & plerumque eos, qui sequi mundum minime valentes, quasi in via remanent, ad amoris sui gratiam convertit, eisque verbi sui cibum potumque porrigit, & quasi duces sibi in via eligit, dum suos etiam prædicatores facit. Dum enim Christum peccatorum cordi- E bus inferunt, quasi David super hostes ducunt. Qui convivantes Amalechitas velut David gladio feriunt, quia superbos quosque qui se in mundo despexerant, Domini virtute prosternunt. Puer ergo Ægyptius, qui in via remanserat, Amalechitas interfecit: quia plerumque ipsi mentes secularium prædicando superant, qui prius cum secularibus in hoc mundo currere non valebant.

Finis Libri primi Regum.

a In mss. Michael Gemet. & Utic. *Cum de discretis ad correctionem temporibus.*

CAPITULA LIBRI OCTAVI
IN LIBRUM SECUNDUM REGUM.

LIBER OCTAVUS
DE TESTIMOMIIS IN LIBRUM SECUNDUM REGUM.

CAPUT PRIMUM.

2.Reg. 1. 21. *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat super vos, neque sint agri primitiarum; quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.*

Cap. 4. CUm de maledictionum distinctione tractaretur, in Præfat. lib. 4. in Job, adjunctum est: *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat super vos, &c.* QUID montes Gelboe; Saul moriente, deliquerunt, quatenus in eos nec ros nec pluvia caderet, & ab omni eos viriditatis germine sententiæ sermo siccaret? Sed quia Gelboe interpretatur decursus, per Saul autem unctum & mortuum, mors nostri Mediatoris exprimitur: non D immerito per Gelboe montes, superba Judæorum corda signantur, quæ dum in hujus mundi desideriis defluunt, in Christi, id est uncti se morte miscuerunt. Et quia in eis unctus rex corporaliter moritur, ipsi ab omni gratiæ rore siccantur. De quibus & bene dicitur: *Ut agri primitiarum esse non possint.* Superbæ quippe Hebræorum mentes primitivos fructus non ferunt: quia in Redemtoris adventu ex parte maxima in perfidia remanentes, primordia fidei sequi noluere. Sancta namque Ecclesia in primitiis suis multitudine Gentium fecundata, vix in mundi fine Judæos, quos invenerit, suscipiet; & extrema colligens, eos quasi reliquias frugum ponet. De quibus nimirum reliquiis Isaias Is. 10. 22. dicit: *Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient.* Possunt tamen idcirco Gelboe montes ore Prophetæ maledici, ut dum fructus ex arescente terra non oritur, possessores terræ sterilitatis damno feriantur; quatenus ipsi maledictionis sententiam accipiant, qui apud se mortem regis suscipere iniquitate sua exigente meruissent.

C CAPUT II.

Locutus est Abner ad Azahel, dicens: Recede a me, noli me sequi, ne compellar confodere te in terram. Qui audire contemsit, & noluit declinare. Percussit ergo eum Abner aversa hasta in inguine, & transfodit eum, & mortuus est. 2. Reg. 2. 22. & seq.

CUm de discreta circa delinquentes correptione tractaretur, Reg. Past. part. 3. adjunctum est: *Locutus est Abner ad Azahel, dicens: &c.* Cujus Azahel typum tenuit, nisi eorum, quos vehementer arripiens furor, in præceps ducit? Qui in eodem furoris impetu tanto caute declinandi sunt, quanto & insane rapiuntur. Unde & Abner, qui sermone nostro patris lucerna dicitur, fugit: quia doctorum lingua, quæ supernum Dei lumen indicat, cum per abrupta furoris mentem cujuspiam ferri conspicit, cumque contra irascentem dissimulat verborum jacula reddere, quasi persequentem non vult ferire: sed cum iracundi nulla consideratione se mitigant, & quasi Azahel persequi & insanire non cessant, necesse est ut hi, qui furentes reprimere conantur, nequaquam se in furore erigant, sed quidquid est tranquillitatis ostendant, quædam vero subtiliter proferant, in quibus ex obliquo furentis animum pungant. Unde & Abner cum contra persequentem subsistit, non eum recta sed aversa hasta transforavit. Ex mucrone E quippe percutere, est impetu apertæ increpationis obviare. Aversa vero hasta persequentem ferire, est furentem tranquille ex quibusdam tangere, & quasi parcendo superare. Azahel autem protinus occubuit, quia commotæ mentes dum & parci sibi sentiunt, & tamen responsorum ratione in intimis sub tranquillitate tanguntur, ab eo quod se erexerant, statim cadunt. Qui ergo a fervoris sui im-

impetu sub lenitatis percussionem resiliunt, quasi sine ferro moriuntur.

CAPUT III.

2.Reg. 4. 5. *Venientes filii Remmon Berothitæ, Rechab & Banaa, ingressi sunt fervente die domum Isboseth, qui dormiebat super stratum suum meridie. Ingressi sunt autem domum, & ostiaria domus purgans triticum obdormivit: assumentes spicas tritici latenter ingressi sunt, & percusserunt eum in inguine.*

DUm de adhibenda menti forti custodia, per sollicitæ circumspectionis studium tractaretur, in expos. B. Job, l. 1. adjunctum est:
Num. 49 *Venientes filii Remmon Berothitæ, Rechab & Banaa, ingressi sunt fervente die domum Isboseth, &c.* OSTIARIA triticum purgat, cum mentis custodia discernendo virtutes a vitiis separat. Quæ si obdormierit, in mortem proprii Domini sui insidiatores admittit: quia cum discretionis sollicitudo cessaverit, ad interficiendum animum malignis spiritibus iter pandit. Qui ingressi spicas tollunt: quia mox bonarum cogitationum germina auferunt; atque in inguine feriunt, quia virtutem cordis delectatione carnis occidunt. In inguine quippe ferire, est vitam mentis carnis delectatione perforare. Nequaquam vero Isboseth iste hac morte succumberet, si non ad ingressum domus mulierem, id est ad mentis aditum mollem custodiam deputasset. Fortis namque [a] virilisque sensus præponi cordis foribus debet, quem nec negligentiæ somnus opprimat, nec ignorantiæ error fallat. Unde bene & Isboseth appellatus est qui, custode femina, hostilibus gladiis nudatur. Isboseth quippe, vir confusionis dicitur: vir autem confusionis est, qui forti mentis custodia munitus non est. Quia dum virtutes se agere æstimat, subintrantia vitia nescientem necant. Tota itaque virtute muniendus est aditus mentis, ne quando eam insidiantes hostes penetrent foramine neglectæ cogitationis.

CAPUT IV.

2.Reg. 6. 6. 7. *De vaccis calcitrantibus inclinata arca, quam cum Oza Levites erigere voluisset, percussus est.*

DUm de reprimenda contra Rectores suos subditorum reprehensionis audacia tractaretur, in expos. B. Job, lib. 5. adjunctum est:
Num. 54. *De vaccis calcitrantibus inclinata arca, &c.* SÆPE quia intelligi non valent, deterioribus displicent vel facta vel dicta meliorum. Sed ea ab eis non temere reprehendenda sunt, quo apprehendi veraciter nequaquam possunt. Sæpe aliquid a majoribus dispensatorie agitur vel præcipitur, quod a minoribus error putatur. Sæpe multa a fortibus dicuntur, quæ idcirco infirmiores dijudicant, quia ignorant. Quod bene bobus calcitrantibus inclinata illa Testamenti arca signavit, quam quia casuram credens Levites erigere voluit, mox sententiam mortis accepit. Quid est namque mens justi, nisi arca Testamenti? Quæ gestata a bobus calcitrantibus inclinatur: quia nonnumquam etiam qui bene præest, dum subjectorum populorum confusione concutitur, ad dispensationis con-

A descensionem ex sola dilectione permovetur. Sed in hoc quod dispensatorie agitur, inclinatio ipsa, fortitudinis casus putatur imperitis. Unde & nonnulli subditi contra hanc manum reprehensionis mittunt, sed a vita protinus ipsa sua temeritate deficiunt. Levites ergo quasi adjuvans manum extendit, sed delinquens, vitam perdidit: quia dum infirmi quique fortium facta corripiunt, ipsi a viventium sorte reprobantur. Aliquando etiam sancti viri [b] quædam minimis condescendentes dicunt: aliquando vero quædam summa contemplantes proferunt; dumque vim vel condescensionis vel altitudinis nesciunt, audacter hæc stulti reprehendunt. Et quid est justum de sua condescensione velle corrigere, nisi inclinatam
B arcam superba reprehensionis manu relevare? Quid est justum de incognita locutione reprehendere, nisi motum ejus fortitudinis, erroris lapsum putare? Sed perdit vitam qui arcam Dei tumide sublevat: quia nequaquam quis Sanctorum corrigere recta præsumeret, nisi de se prius meliora sensisset. Unde & Levites idem recte Oza dicitur, quod videlicet robustus Domini interpretatur: quia præsumtores quoque nisi audaci mente robustos se in Domino crederent, nequaquam meliorum facta vel dicta velut infirma judicarent.

CAPUT V.

C *Quod David dum arcam Domini Jerusalem saltando reduceret, a Michol filia Saul uxore sua irrisus est.* 1.Reg. 6 26, 29. 21. 22.

CUm de [c] bono humilitatis regentium per doni superni gratiam tractaretur, in expos. B. Job, l. 27. adjunctum est: *Quod David dum arcam Domini Jerusalem saltando reduceret, &c.* INTUERI libet quanta virtutum munera David perceperat, atque in his omnibus quam forti se humilitate servabat. Quem enim non extolleret, ora leonum frangere, ursorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato rege ad regni gubernacula ungi, timendum cunctis uno lapide Goliam sternere, a rege proposita extinctis Al-
D lophylis numerosa præputia reportare, promissum tandem regnum percipere, cunctumque Israeliticum populum sine ulla contradictione possidere? Et tamen cum arcam Dei in Jerusalem revocat, quasi oblitus prælatum se omnibus, admixtus populis ante arcam saltat. Et quia coram arca saltare, ut creditur, vulgi mos fuerat, rex se se in divino obsequio per saltum rotat. Ecce quem Dominus cunctis singulariter prætulit, se se sub Domino & exæquando minimis, & abjecta exhibendo contemnit. Non potestas regni ad memoriam reducitur, non subjectorum oculis saltando vilescere metuit, non se honore prælatum ceteris ante ejus arcam, qui honorem dederat, recognoscit. Coram Deo egit debilia vel extrema, ut illa ex humilitate solidaret, quæ co-
E ram hominibus gesserat fortia. Quid de ejus factis ab aliis sentiatur ignoro; ego David plus saltantem stupeo, quam pugnantem. Pugnando quippe hostes subdidit, saltando autem coram Domino semetipsum vicit. Quem Michol filia Saul adhuc ex tumore regii generis insana, cum humiliatum despiceret, dicens: *Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum.* 2.Reg. 6. 20.

a In ms. Sagiensi, *vigilque*.
b Editi, *quædam minime*. Sequimur mss. Mich. Gemet. Ult.

c Corruptissime in vulgatis: *de dono superni patris*.

rum, & nudatus est quasi si nudetur unus de scurris? A
Ibid. 2. 22. protinus audivit: *Vivit Dominus quia ante Dominum ludam, qui elegit me potius quam patrem tuum.* Ac paulo post ait: *Et ludam, & vilior fiam plusquam factus sum, eroque humilis in oculis meis.* Ac si aperte dicat: Vilescere coram hominibus appeto: quia servare me coram Domino ingenuum per humilitatem quæro. Sunt vero nonnulli qui de semetipsis humilia sentiunt: quia in honoribus positi nihil se esse nisi pulverem, favillamque perpendunt: sed tamen coram hominibus viles apparere refugiunt, & contra hoc, quod de se interius cogitant, quasi rigida exterius venustate palliantur. Et sunt nonnulli qui viles videri ab hominibus appetunt, atque omne quod sunt, dejectos se exhibendo, contemnunt, sed tamen apud se introrsus quasi ex ipso merito ostensæ vilitatis intumescunt, & tanto magis in corde elati sunt, quanto amplius in specie elationem premunt. Quæ utraque unius elationis bella magna David circumspectione [a] deprehendit, mira virtute superavit. Quia enim de semetipso intus humilia sentiens, honorem exterius non quærit, insinuat dicens: *Ludam, & vilior fiam.* Et quia per hoc quod vilem se exterius præbuit, nequaquam interius intumescit, adjungit: *Eroque humilis in oculis meis.* Ac si dicat: Qualem me exterius despiciens exhibeo, talem me & interius attendo. Quid ergo acturi sunt, quos doctrina elevat, si David ex carne sua venturum Redemtorem noverat, ejusque gaudia prophetando nuntiabat; & tamen in semetipso cervicem cordis valida discretionis calce deprimebat, dicens: *Eroque humilis in oculis meis.*

CAPUT VI.

1. Reg. 7. vel potius 2. Paralip. 22. 2. *Non tu ædificabis mihi templum, quia vir sanguinum es.*

DUm de servanda doctoribus cordium actuumque munditia tractaretur, in expos. B. Job, l. 7. adjunctum est: *Non tu ædificabis mihi templum, &c.* Num. 56. MUNDUS in se esse a vitiis debet, qui curat aliena corrigere, ut terrena non cogitet, ut desideriis infimis non succumbat: quatenus tanto perspicacius aliis fugienda videat, quanto hæc ipse per scientiam & vitam verius declinat. Quia nequaquam pure maculam in membro considerat oculus, quem pulvis gravat, & superjectas sordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent. Quod juxta antiquæ translationis seriem, bene ad David erga exteriora bella laborantem, per significationem divina vox innuit, cum dicit: *Non tu ædificabis mihi templum, quia vir sanguinum es.* Dei autem templum ædificat, qui corrigendis atque instituendis proximorum mentibus vacat. Templum quippe Dei non sumus, qui ad veram vitam ex ejus inhabitatione construimur, Paulo attestante, qui ait:
2.Cor, 17.27. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Sed vir sanguinum Templum Dei ædificare prohibetur: quia qui adhuc actis carnalibus incumbit, necesse est ut instruere spiritualiter proximorum mentes erubescat.

CAPUT VII.

2. Reg. 8. 13. *Percussit David vallem salinarum.*

DUm de vindicta perverse de Deo sentientium tractaretur, in expos. B. Job, l. 3. adjunctum est: *Percussit David vallem salinarum.* QUID de percussa multitudine a David in valle salinarum signatur, nisi quia Redemtor noster suo videlicet districtionis examine, in his, qui de illo prava sentiunt, stultitiam immoderati saporis extinguit? Num. 45.

CAPUT VIII.

Quod David in solario deambulans, Bersabee Uriæ concupivit uxorem. 2. Reg. 11. 2. 3.

DUm [b] de adhibenda discretione in vestigandis Scripturæ mysteriis tractaretur, in expos. Num. 55.
B B. Job, l. 3. adjunctum est: *Quod David in solario deambulans, &c.* SIC plerumque res quælibet per historiam virtus est, per significationem culpa, sicut aliquando res gesta in facto causa damnationis est, in scripto autem prophetia virtutis. Quod verum esse citius ostendimus, si unum sacræ Scripturæ testimonium ad utraque probanda proferamus. Quis namque audiens non solum fidelium, sed ipsorum quoque infidelium, non omnimodo detestetur quod David in solario deambulans, Bersabee Uriæ concupiscit uxorem? Quem tamen a prælio revertentem, ire ad domum suam admonet, pedes lavare. Qui protinus respondit, 2. Reg. 11. 11.
dicens: *Arca Dei sub pellibus est, & ego in domum requiescam?* Quem David ad mensam propriam
C suscipit, eique epistolas, per quas mori debeat, tradit. Cujus autem David in solario deambulans typum tenet, nisi ejus, de quo scriptum est: *In sole posuit tabernaculum suum?* Psal. 18. 6.
& quid est Bersabee ad se perducere, nisi legem litteræ carnali populo conjunctam spirituali sibi intellectu sociare? Bersabee enim puteus septimus dicitur: quia nimirum per cognitionem Legis, infusione spiritualis gratiæ perfecta nobis sapientia ministratur. Quem vero Urias, nisi Judaicum populum designat? Cujus nomen interpretatum dicitur, lux mea Dei. Judaicus enim populus, quia de accepta Legis scientia extollitur, quasi de Dei luce gloriatur. Sed huic Uriæ David uxorem abstulit, sibique conjunxit, quia videlicet manu fortis,
D quod David dicitur, in carne Redemtor apparens, dum de se spiritualiter loqui Legem innotuit, per hoc quod juxta litteram tenebatur, hanc a Judaico populo extraneam demonstravit, sibique conjunxit, quia se per illam prædicari declaravit. Uriam tamen ad domum ire David admonet, pedes lavare: quia incarnatus Dominus veniens, Judaico populo præcepit ut ad conscientiam redeat, & sordes operum fletibus tergat; ut spiritualiter mandata Legis intelligat, & post tantam duritiam præceptorum, fontem baptismatis inveniens, ad aquam post laborem recurrat. Sed Urias qui arcam Domini esse sub pellibus meminit, respondit, quod domum suam intrare non possit. Ac si Judaicus populus dicat: Ego man-
E data Dei in sacrificiis carnalibus video, & redire ad conscientiam per spiritualem intelligentiam non requiro. Quasi enim arcam esse sub pellibus dicit, qui præcepta Dei nonnisi ad exhibendum ministerium sacrificii carnalis intelligit. Hunc tamen etiam redire ad domum nolentem, David ad mensam vocat: quia quamvis Judaicus populus ad conscientiam reverti contemnat, ei tamen Redemtor veniens mandata spiritualia prædicat: dicens: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit.* Legem ita que- Johan. 5. 46.

a Urit. reprehendit. Sequimur Gemet. Michael. Sagiens.
b Vel, *dum per subtilissimæ discretionis studium, de differendo intellectu sacri eloquii*, ut legitur in utrisque mss.

que Judaicus populus tenet, quæ ejus divinitatem loquitur, cui idem populus credere dedignatur. Unde & Urias ad Joab cum epistolis, ex quibus occidi debeat, mittitur: quia idem ipse Judaicus populus Legem portat, qua convincente moriatur. Dum enim mandata Legis retinens implere renititur, ipse nimirum defert judicium unde damnetur. Quid ergo per factum istud David scelestius? Quid Uria mundius dici potest? Sed rursum per mysterium quid David sanctius, quid Uria infidelius invenitur? quando & ille per vitæ culpam, prophetiæ signat innocentiam: & iste per vitæ innocentiam, in prophetia exprimit culpam. Virtus namque sacri eloquii sic transacta narrat, ut ventura exprimat: sic in facto rem approbat, ut in mysterio non contradicat: sic gesta damnat, ut hæc mystice gerenda persuadeat.

CAPUT IX.

2. Reg. 11. 4. *De concupiscentia David in Bersabee.*

Num. 12. & 13. DUm de reprimendo illicitæ visu concupiscentiæ tractaretur, in expos. B. Job, l. 21. adjunctum est: *De concupiscentia David in Bersabee.* ADHUC carnis corruptibilis pondere gravati nequaquam valemus sic vivere, ut nulla nos possit culpæ delectatio pulsare. Sed aliud est nolentem tangi, aliud consentientem animum perimi. Sancti autem viri tanto vigilantiores se circumspectione custodiunt, quanto se pulsari sinistris motibus vel transitoriæ delectationis dedignantur; ut si quid fortasse cor illicitum concupisceret, pressus disciplinæ magisterio oculus videre recusarat. Sicut enim sæpe tentatio per oculos trahitur, sic nonnumquam concepta intrinsecus, compellit sibi extrinsecus oculos deservire. Nam plerumque res qualibet innocenti mente respicitur, sed ipso conspectu animus concupiscentiæ gladio confoditur. Non enim David Uriæ conjugem ideo studiose respexit, quia concupierat, sed potius ideo concupivit, quia incaute respexit. Fit vero rectæ retributionis examine, ut qui exteriori negligenter utitur, interiori oculo non injuste cæcetur. Sæpe autem intrinsecus concupiscentia dominatur, & illecebratus animus ad usus suos sensus corporeos famulari more tyrannidis exigit, suisque voluptatibus oculos servire compellit, atque, ut ita dicam, fenestras luminis ad tenebras aperit cæcitatis. Unde sancti viri cum sinistra pulsari delectatione se sentiunt, ipsa, per quæ formæ species ad mentem ingreditur, disciplinæ magisterio lumina restringunt, ne pravæ cogitationis visio lenocinata famuletur. Quæ si umquam subtiliter custodiri negligitur, cogitationis immunditia protinus ad operationem transit.

CAPUT X.

2. Reg. 12. 13. *De pænitentia David pro Bersabee.*

Num. 29. CUm de mentis humilitate servanda tractaretur, in expos. B. Job, l. 23. adjunctum est: *De pænitentia David pro Bersabee.* AD hoc in Scriptura sacra virorum lapsus, id est David & Petri peccata sunt indita, ut cautela minorum sit ruina majorum. Ad hoc vero utrorumque illic & pœnitentia insinuatur & venia, ut spes pereuntium sit recuperatio perditorum. De statu ergo suo David cadente nemo superbiat. De lapsu etiam suo David surgente, nemo desperet. Ecce quam mirabiliter Scriptura sacra eodem verbo superbos premit, quo humiles levat. Unam namque rem gestam retulit, & diverso modo superbos quidem ad humilitatis formidinem, humiles vero ad spei fiduciam revocavit. O inæstimabile novi generis medicamentum, quod uno eodemque ordine positum, & premendo tumentia exsiccat, & sublevando arentia infundit. De majorum nos lapsu terruit, sed de reparatione roboravit. * Sic quippe semper, sic nos divinæ dispensationis misericordia, & superbientes reprimit, & ne ad desperationem corruamus, fulcit. * Sed quia exigente causa, David ad medium deducto, tanti facinoris memoriam fecimus, lectoris fortasse animus movetur cur omnipotens Deus eos, quos in perpetuum elegit, quos ad donorum quoque spiritualium culmen assumsit, illæsos a corporalibus vitiis non custodit? Unde quia satisfieri citius credimus, breviter respondemus. Nonnulli enim per accepta dona virtutum, per impensam gratiam bonorum operum, in superbiæ vitium cadunt, sed tamen quo ceciderint, non agnoscunt. Proinde contra nos hostis antiquus quia jam interius dominatur, etiam exterius sævire permittitur, ut qui in cogitatione elati sunt, per carnis luxuriam prosternantur. Scimus autem, quia aliquando minus est in corporis corruptionem cadere, quam cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare. Sed cum minus turpis superbia creditur, minus vitatur. Luxuriam vero eo magis erubescunt homines, quo simul omnes turpem notare. Unde fit plerumque, ut nonnulli post superbiam in luxuriam corruentes, ex aperto casu malum culpæ latentis erubescant, & tunc etiam majora corrigant, cum prostrati in minimis gravius confunduntur. Reos enim se inter minora conspiciunt, qui se liberos inter graviora crediderunt. Pia ergo Domini dispensatione laxatus, nonnumquam malignus spiritus de culpa ad culpam trahit; & dum plus percutit, inde eum, quem ceperat, amittit, atque unde vicisse cernitur, inde superatur. Considerare libet intra munitum gratiæ sinum, quanto Deus misericordiæ favore nos continet. Ecce qui de virtute se extollit, per vitium ad humilitatem redit. Qui vero acceptis virtutibus extollitur, non gladio, sed ut ita dicam, medicamento vulneratur. Quid est enim virtus, nisi medicamentum? & quid est vitium, nisi vulnus? Quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit ille de vulnere medicamentum, ut qui virtute percutimur, vitio curemur. Nos namque virtutum dona retorquemus in usum vitiorum: ille vitiorum illecebras assumit in arce virtutum, & salutis statum percutit ut servet; ut qui humilitatem currentes fugimus, ei saltem cadentes hæreamus. Sed inter hæc sciendum quod plerique hominum quo in multis corruunt, arctius ligantur. Cumque eos antiquus hostis ex uno vitio percutit ut concidant, ex alio quoque ligat ne resurgant. Consideret itaque homo cum quo adversario bellum gerat, & si jam se in aliquo deliquisse perpendit, saltem ad culpam pertrahi ex culpa pertimescat, ut studiose vitentur vulnera, quibus frequenter interficit: quia valde rarum est, quod hostis noster electorum saluti etiam vulneribus servit. * Erudiendos enim electos suos Dominus sæpe tentatori subjicit, sicut post paradisi claustra, sicut post tertii cæli secreta, ne revelationum magnitudine Paulus extolli potuisset, ei Satanæ Angelus datus

* Num. 30.
* Num. 31.
* Num. 32. 2. Cor. 12. 7.

datus est, sed ipsa hac tentatione disponitur, ut qui elati perire poterant, humiliati a perditione servantur. Secreto ergo dispensationis ordine, unde sævire permittitur iniquitas diaboli, inde pie perficitur benignitas Dei. Quia adversarius noster inde obtemperat nutibus supernæ gratiæ, unde exercet iram nequissimæ voluntatis suæ.

CAPUT XI.

2.Reg.12.13. *Dominus transtulit peccatum tuum.*

DUm de impetranda remissione delinquentium non sine ultione vindictæ congruæ tractaretur in expos. B. Job, l. 9. adjunctum est:
Num. 34. *Dominus transtulit peccatum tuum:* SI peccatum David tam detestabile Dominus transtulit, quid est quod omnia, quæ de eodem peccato per Prophetam ei a Domino dicta sunt, post modum toleravit? Sed proculdubio Dominus delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur: quia nullatenus sine vindicta laxatur. Sic enim David audire post confessionem meruit: *Dominus transtulit peccatum tuum:* & tamen multis post cruciatibus afflictus ac fugiens, reatum culpæ, quam perpetraverat, exolvit. Sic nos salutis unda a culpa primi parentis absolvimur, sed tamen reatum ejusdem culpæ diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter obimus: quia delicta nostra sive per nos, sive per semetipsum resecat, etiam cum relaxat. Ab electis enim suis iniquitatum maculas studet temporali afflictione tergere, quas in eis in perpetuum non vult indicare.

CAPUT XII.

2.Reg.16.10. *Quid mihi & vobis filii Sarviæ? Dimittite eum ut maledicat: Dominus enim præcepit ei ut malediceret David.*

DUm de servanda contra tentationes in adversis patientia, per memoriam præteritorum delictorum tractaretur, in expos. B.
Num. 37. Job, l. 30. adjunctum est: *Quid mihi & vobis filii Sarviæ?* QUISQUIS fidelium divinæ gratiæ illustratione componitur, sancto desiderio de imis ad summa evehi supernæ contemplationis penna festinet; sanctorum præcedentium patrum gesta ante mentis oculos ponat, atque in eis se imitatione exercendo proficiat, & quod præsenti titillat ex vitio, vel præteritorum malorum memoria reprimat, vel donorum præcedentium consolatione restringat, vel etiam imitatione, ut dictum est, patrum præcedentium provocetur ad melius. Quod necesse est, ut sicut proposuimus, exemplis evidentioribus approbemus. Ut enim unum de multis loquar, quatenus studiosus lector multa in paucis intelligat: quisquis verborum contumeliis pressus cum virtutem patientiæ servare non sufficit, David factum ad memoriam
a reducat; quem cum Semei tot convitiis [a] urgeret, & armati proceres ulcisci contenderent, ait: *Quid mihi & vobis filii Sarviæ? Dimittite eum ut maledicat: Dominus enim præcepit ei ut malediceret David. Et quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Et paulo post: *Dimittite eum, ut maledicat juxta præceptum Domini, si forte respiciat Deus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna.* Quibus profecto verbis indicat, quia pro perpetrato Bersabeæ scelere exurgentem contra se filium fugiens, reduxit ad animum malum quod perpetravit, & æquanimiter pertulit quod audivit, & contumeliosa verba non tam convitia, quam adjutoria credidit, quibus purgari, sibique misereri posse judicavit. Tunc enim illata convitia bene toleramus, cum in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus. Leve quippe videbitur quod injuria percutimur, dum in actione nostra conspicimus, quia pejus est quod meremur. Sicque fit ut contumeliis gratia magis quam ira debeatur: quarum interventu Deo judice pœna gravior declinari posse confiditur.

CAPUT XIII.

De Joab quod Amasæ mentum manu dextra tenuit, & sinistra percussit. 2.Reg.20.19.

CUm de cavenda simulatorum malitia tractaretur, in expos. B. Job., l. 15. adjunctum est:
De Joab quod Amasæ mentum manu dextra tenuit, &c. Num. 23. QUID est quod Joab Amasæ mentum dextra tenuit, sed sinistram ad gladium latenter mittens ejus viscera effudit, nisi hoc quod patenter datur intelligi? Dextra namque mentum tenere, est quasi ex benignitate blandiri: sed sinistram ad gladium mittit, quia latenter ex malitia percutit.

CAPUT XIV.

Quod David, qui prius alienam uxorem concupiscere non timuit, postmodum vero, cum aquam de cisterna concupisset, expavit. 2.Reg. 23. 16. 17.

CUm de purgatione vitæ electorum per memoriam reprehensionis suorum excessuum tractaretur, hom. 34. in Evang. adjunctum est:
Quod David, qui prius alienam uxorem concupiscere non timuit, &c. Num. 16. COGITANDUM summopere est ut qui se illicita commisisse meminit, a quibusdam etiam licitis studeat abstinere: quatenus per hoc Conditori suo satisfaciat, ut qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debeat etiam concessa: & se reprehendat in minimis, qui se meminit in maximis deliquisse. Nimia sunt quæ loquor, si hæc ex sacri eloquii testimoniis non affirmo. Lex certe veteris Testamenti alienam Exod. 28. uxorem concupisci prohibet: a rege vero fortia juberi militibus, vel desiderari aquam non pœnaliter vetat. Et cuncti novimus quod David concupiscentiæ mucrone transfixus, alienam conjugem & appetivit & abstulit, cujus culpam digna verbera sunt secuta, & malum quod perpetravit, per pœnitentiæ lamenta correxit. Qui cum longe post contra hostium cuneos sederet, aquam bibere ex eorum cisterna ex desiderio voluit: cujus electi milites inter catervas adversantium medias erumpentes, aquam, quam rex desideraverat, illæsi detulerunt. Sed vir flagellis eruditus, semetipsum protinus cum periculo militum aquam desiderasse reprehendit, eamque Domino fundens libavit. Sicut illic scriptum est: *Libavit eam Domino.* 2.Reg.23.17. In sacrificium quippe Domini effusa aqua conversa est: quia culpam concupiscentiæ mactavit per pœnitentiam reprehensionis suæ. Qui ergo quondam concupiscere alienam conjugem

a Utic. argueret.

jugem nequaquam timuit, post etiam, eum A aquam concupisset, expavit. Quia enim se illicita perpetrasse meminerat, contra semetipsum jam rigidus etiam a licitis abstinebat.

CAPUT XV.

2 Reg 24.1. *Quod David populum numerando peccavit.*

CUm de non judicanda a subditis vita actibusque regentium tractaretur, in expos. B. Job, l. 25. adjunctum est: *Quod David populum numerando peccavit*. Num. 35. SIC pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium, ut sæpe pro malo gregis etiam vere boni delinquat vita Pastoris. Ille enim Deo attestante laudatus, B ille supernorum mysteriorum conscius David Propheta, tumore repentinæ elationis inflatus, populum numerando peccavit, & tamen vindictam populus, David peccante, suscepit: cur hoc? quia videlicet secundum meritum plebium disponuntur corda Rectorum. Justus vero judex peccantis vitium ex ipsorum animadversione corripuit, ex quorum causa peccavit. Sed quia ipse, sua scilicet voluntate superbiens, a culpa alienus non fuit, vindictam culpæ etiam ipse suscepit: nam ira sæviens, quæ corporaliter populum perculit, Rectorem quoque populi intimo cordis dolore prostravit. Certum vero est, quod ita sibi invicem & Rectorum merita connectantur & plebium, ut sæpe ex culpa Pa- C storum deterior fiat vita plebium, & sæpe ex merito plebium mutetur vita Pastorum. * Num. 36. * Sed quia Rectores habent judicem suum, magna cautela subditorum est non temere vitam judicare regentium. Matth. 21. Neque enim frustra per semetipsum Dominus æs nummulariorum fudit, & cathedras vendentium columbas evertit: nimirum significans, quia per Magistros quidem vitam judicat plebium, sed per semetipsum facta examinat Magistrorum: quamvis etiam subditorum vitia, quæ a Magistris modo vel dissimulantur judicari, vel nequeunt, ejus proculdubio judicio reservantur. Igitur dum salva fide D res agitur, virtutis est meritum, si quidquid prioris est toleratur: debet tamen humiliter suggeri, si fortasse valeat quod displicet, emendari. Sed curandum summopere est, ne in superbiam transeat justitiæ inordinata defensio, ne dum rectitudo incaute diligitur, ipsa magistra rectitudinis humilitas amittatur: ne eum sibi præesse quisque despiciat, quem fortasse contingit, ut in aliqua actione reprehendat. Contra hunc tumorem superbiæ subditorum mens ad custodiam humilitatis edomatur, si infirmitas propria incessanter attenditur. Nam vires nostras veraciter examinare negligimus, & quia de nobis fortiora credimus, idcirco eos, qui nobis prælati sunt, districte judicamus. Quo enim nosmetipsos minus agnoscimus, eo illos, quos reprehendere nitimur, plus videmus. Singula hæc mala sunt, quæ sæpe a subditis in Prælatos, sæpe a Prælatis in subditos committuntur: quia & omnes subditos, hi qui præsunt, minus quam ipsi sunt sapientes arbitrantur. Et rursum qui subjecti sunt, Rectorum suorum actiones judicant. Et si ipsos regimen tenere contingeret, se potuisse melius agere putant. Unde plerumque fit ut Rectores minus prudenter ea, quæ agenda sunt, videant: quia eorum oculos ipsa nebula elationis obscurat. Et nonnumquam is, qui subjectus est, hoc, cum prælatus fuerit, faciat, quod dudum fieri subjectus arguebat: & pro eo quod illa, quæ judicaverat, perpetrat, saltem quia judicavit, erubescat. Igitur sicut Prælatis curandum est ne eorum corda æstimatione singularis sapientiæ locus superior extollat; ita subjectis providendum est, ne sibi Rectorum facta displiceant. * Si autem Magistrorum vita jure reprehenditur, oportet ut eos * Num. 37. subditi, etiam cum displicent, venerentur. Sed hoc est solerter intuendum, ne aut quem venerari necesse est, imitari appetas, aut quem imitari despicis, venerari contemnas. Subtilis etenim via tenenda est rectitudinis & humilitatis, ut sic reprehensibilia Magistrorum facta displiceant, quatenus subditorum mens a servanda magisterii reverentia non recedat.

Finis Libri secundi Regum.

CAPITULA LIBRI NONI

IN LIBRUM TERTIUM REGUM.

1. *QUod Salomon post acceptam divinitus sapientiam, turpium mulierum de judicio causa tentatur.* E
2. *De judicio Salomonis inter mulieres, ex quibus una filium, quem vigilans lactare consueverat, dormiens occidit.*
3. *Domus autem cum ædificaretur, lapidibus dedolatis atque perfectis ædificata est.*
4. *Quod ante fores templi mare æneum, id est luterem ad abluendas ingredientium manus duodecim boves portant.*
5. *Quod templi ministerio, in basibus templi sculptorio opere leones, & boves, & Cherubim expressa sunt.*
6. *Nebula implevit domum Domini, & non poterant Sacerdotes ministrare propter nebulam.*
7. *De Propheta quem revertentem in itinere leo occidit.*
8. *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto.*
9. *Sufficit mihi, Domine, tolle, quæso, animam meam.*
10. *Ecce Dominus transit, spiritus grandis & fortis, subvertens montes, & conterens petras ante Dominum, &c.*
11. *Cum Helias vocem Domini secum loquentis audiret, in speluncæ sua ostio stetisse describitur, & faciem velasse.*
12. *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.*
13. *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæli a dextris & sinistris ejus, & dictum est: In quo decipiam Achab ut ascendat & cadat in Ramoth Galaad? & dixit alius ita, & alius aliter, &c.*

LIBER

LIBER NONUS

DE TESTIMONIIS LIBRI TERTII REGUM.

CAPUT PRIMUM.

3.Reg. 3.16. *Salomon post acceptam divinitus sapientiam, turpium mulierum de judicio causa tentatur.*

CUM de electorum tentationibus ad utilitatem profectuum proficientibus tractaretur, in expos. B. Job, lib. 8. adjunctum est: Num. 48. *Salomon post acceptam divinitus sapientiam, &c.* NOTANDUM quod postquam Dominus erroris nostri tenebras luce suæ cognitionis illustrat, mox tentationis aculeo visitando probat: quia & accendendo corda nostra ad virtutes provehit, & recedendo concuti tentatione permittit. Si enim post virtutum munera nulla tentatione concutitur, hoc se habere animus ex seipso gloriatur. Ut ergo & firmitatis dona habeat, & infirmitatem suam humiliter agnoscat, per accessum gratię ad alta sustollitur, & per recessum quid ex semetipso sit, probatur. Quod bene nobis ex historia sacræ lectionis innuitur: quia Salomon & divinitus accepisse sapientiam, & tamen post acceptam camdem sapientiam, meretricum statim pulsatus quæstione memoratur. Mox enim ut gratiam tantæ revelationis accepit, certamen turpium mulierum pertulit: quia nimirum sæpe cum mentem nostram concessis virtutibus respectus intimę largitatis illuminat, hanc protinus etiam lubricę cogitationes turbant: ut quę sublevata immenso munere exultat, etiam tentatione pul-
3. Reg. 19.3. sata, quid sit inveniat]. Sic Elias & visitatus sermone desuper cælos aperuit, & tamen probatus subitò, infirmus per deserta fugiens, unam mulierem expavit. Sic Paulus ad tertium cælum raptus, paradisi penetrans secreta considerat, & tamen ad semetipsum rediens, [a] contra carnis bella laborat. Legem aliam in membris sustinet, cujus in se rebellione fatigari
Rom. 7. 23. spiritus legem dolet. Post dationem ergo muneris idcirco Deus hominem probat; quia & collato munere sublevat, & abstracto ad paululum, ipsum sibi hominem demonstrat. Quod eo usque proculdubio patimur, quo, detersa funditus labe peccati, ad promissæ incorruptionis substantiam reformemur.

CAPUT II.

3.Reg. 3. 17. *De judicio Salomonis inter mulieres, ex quibus una filium quem vigilans lactare consueverat, dormiens occidit.*

CUm de prædicatoribus recta loquentibus, sed per propriam actionem prava auditoribus exempla præbentibus tractaretur, in
Num. 16. & 17. expos. B. Job, l. 2. adjunctum est: *De judicio Salomonis inter mulieres, &c.* QUID in hac sententia per matrum lactantium nomina, nisi doctorum ordo? Quid vero per eorum filios, nisi discipulorum persona signatur? Nam magistri nimirum vigilantes quidem scientia, sed vita dormientes, auditores suos quos per vigilias prædicationis
A nutriunt, dum quod dicunt, facere negligunt, per somnum torporis occidunt, & negligendo opprimunt quos alere verborum lacte videbantur. Unde plerumque dum ipsi reprehensibiliter vivunt, & habere discipulos vitæ laudabilis nequeunt, alienos sibi attrahere conantur; quatenus dum bonos se habere sequaces ostendunt, apud judicia hominum excusent mala quæ agunt; & quasi per subditorum vitam, mortiferam tegant negligentiam. Unde & illic mulier filium quia extinxit proprium, quæsivit alienum: sed tamen veram matrem Salomonis gladius invenit, quia videlicet cujus fructus vivat, vel cujus intereat, in extremo examine ira districti judicis demonstrat. Ubi & illud solerter intuen-
B dum est, quod vivens filius prius dividi præcipitur, ut soli postmodum matri reddatur: quia in hac vita quasi partiri conceditur vita discipuli, dum ex illa nonnumquam alter apud Deum meritum, alter vero apud hominem laudem habere permittitur. Sed falsa mater eum, quem non genuit, occidi non metuit: quia arrogantes magistri & caritatis ignari, si plenissimum nomen laudis ex alienis discipulis consequi nequeunt, eorum vitam crudeliter insequuntur. Invidiæ enim face succensi, nolunt aliis vivere quos se conspiciunt non posse possidere. Unde & illic perversa mulier clamat,
Nec meus, nec istius sit. Ut enim diximus, quos 3. Reg. 3. 26.
sibi obsequi non vident, ad gloriam tempora-
C lem eos aliis invident vivere per veritatem. Vera autem mater satagit ut ejus filius saltem apud extraneam sit & vivat: quia concedunt veraces magistri ut ex eorum discipulis alii quidem magisterii laudem habeant, si tamen integritatem vitæ iidem discipuli non amittant. Per quæ pietatis viscera hæc eadem vera mater agnoscitur: quia omne magisterium in examine caritatis approbatur, & sola totum recipere meruit, quæ quasi totum concessit: quia fideles præpositi pro eo quod ex bonis discipulis suis non solum aliis laudem non invident, sed utilitatem eis etiam profectus exorant; ipsi & integros & viventes filios recipiunt, quando in supremo examine ex eorum vita perfectæ retributionis
D gaudia consequuntur.

CAPUT III.

Domus autem cum ædificaretur, lapidibus dedolatis atque perfectis ædificata est, & malleus et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur. 3. Reg. 6. 7.

CUm de purgatione vitæ præsentis, & remuneratione quietis perpetuæ tractaretur, in expos. B. Job, l. 34. adjunctum est: *Domus autem cum ædificaretur, etc.* QUID domus illa, nisi sanctam Ec- Num. 23.
clesiam, quam in cælestibus Dominus inhabitat, figurabat? Ad cujus ædificationem electorum animæ quasi quidam expoliti lapides deferuntur. Qui
E cum ædificantur in cælis, nullus illic jam disciplinæ malleus resonat: quia dolati atque perfecti il-

a Utic. contra carnis vitia.

luc lapides ducimur, ut locis juxta meritum congruis disponamur. Hic enim foris tundimur, ut illic sine reprehensione inveniamur. Hinc malleus, hic securis, hic omnia tunsionum resonant ferramenta: in domo autem Dei nulli ictus audiuntur; quia in æterna patria omnis jam percussionum strepitus conticescit. Nequaquam ibi malleus percutit, quia nulla animadversio affligit, nequaquam securis incidit, quia receptos interius nulla foras severitatis sententia projicit. Nequaquam ferramenta perstrepunt, quia nec quelibet minima ultra jam flagella sentiuntur. Lapides ergo extra tunsi sunt, ut in constructione templi Domini absque mallei sonitu ponerentur: quia videlicet nunc foras per flagella tundimur, ut intus in templum Dei postmodum sine disciplinæ percussione disponamur; quatenus quidquid in nobis est superfluum, modo percussio resecet, & tunc sola in ædificatione concordia caritatis liget.

CAPUT IV.

3. Reg. 7. 23. *Quod ante fores templi mare æneum, id est luterem ad abluendas ingredientium manus duodecim boves portant, qui quidem facie exterius eminent, sed ex posterioribus latent.*

Cum per meritum vitę regentium de purgandis subditorum maculis tractaretur, Regul. Past. parte 2. adjunctum est: *Quod ante fores templi mare æneum, id est luterem ad abluendas ingredientium manus duodecim boves portant, &c.* QUID per duodecim boves, nisi universus Pastorum ordo signatur? De quibus Paulo disserente Lex dicit: *Non tu obturabis os bovi trituranti*. Quorum quidem nos aperta opera cernimus, sed apud districtum judicem quę illos posterius maneant in occulta retributione nescimus. Qui tamen cum condescensionis suæ patientiam diluendis proximorum confessionibus præparant, velut ante fores templi luterem portant; ut quisquis intrare æternitatis januam nititur, tentationes suas menti Pastoris indicet, ut quasi in boum lutere, cogitationis vel operis manus lavet.

Cap. 5 circa finem. 1. Cor. 9. 9. Ex Deut. 25. 4.

CAPUT V.

3. Reg. 7. 29. *Quod in templi ministerio, in basibus templi sculptorio opere leones, & boves, & Cherubim expressa sunt.*

Cum de perfectione sacerdotalis officii tractaretur, homil. 17. in Evang. adjunctum est: *Quod in templi ministerio, &c.* CHERUBIM, plenitudo scientiæ dicitur. Sed quid est quod in basibus nec leones sine bobus, nec boves sine leonibus fiunt? Quid enim aliud designant bases in templo, nisi Sacerdotes in Ecclesia? Qui dum sollicitudinem regiminis tolerant, quasi more basium superimpositum onus portant. In basibus igitur Cherubim exprimuntur: quia decet nimirum ut Sacerdotum pectora plenitudine scientiæ sint referta. Per leones autem terror severitatis, per boves vero patientia mansuetudinis figuratur. Itaque in basibus nec leones sine bobus, nec boves sine leonibus exprimuntur: quia semper in sacerdotali pectore cum terrore severitatis custodiri debet virtus mansuetudinis, ut & iram mansuetudo condiat, & eamdem mansuetudinem, ne fortasse dissoluta sit, zelus districtionis accendat.

Num. 12.

CAPUT VI.

Nebula implevit domum Domini, & non poterant sacerdotes ministrare propter nebulam. 3. Reg. 8. 10.

Cum per intellectum reprobum ad perscrutanda sacri verbi mysteria, de cæcis Judæorum mentibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 30. adjunctum est: *Nebula implevit domum Domini, etc.* EXIGENTIBUS meritis, dum superbi Judæorum Pontifices divina mysteria per parabolas audiunt, Sacerdotes in domum Domini quasi propter nebulam ministrare nequiverunt, qui & in Testamento veteri dum sensus mysticos litteræ velamine coopertos inter obscuras allegoriarum caligines investigare despiciunt, debitum fidei suæ ministerium propter nebulam perdiderunt. Quibus & tunc in nebula doctrinæ suæ vocem Dominus protulit, cum de se etiam aperta narravit. Quid est enim apertius quam, *Ego et Pater unum sumus*? Quid apertius quam, *Ante Abraham ego sum*? Sed quia auditorum mentes infidelitatis caligo compleverat, quasi emissum solis radium nebula interjacens abscondebat. Quid per nebulam, nisi caligo intelligentiæ designatur? Et quia apparente in carne Domino Sacerdotum sensus de ejus intellectu caliginem pertulit, nebula Synagogam, id est domum Domini implevit. Et Sacerdotes propter nebulam ministrare non poterant: quia dum ad intellectum incarnati Dei perfidiæ suę peste obscurati sunt, veri sacerdotii ministerium perdiderunt.

Num. 2. Joann. 10. 30. Joan. 8. 58.

CAPUT VII.

De Propheta, quem revertentem in itinere leo occidit. 3. Reg. 13. 16. 17. 18.

Dum de reprimenda in prosperis elatione cordis per cognitionem infirmitatis tractaretur, in expos. B. Job, l. 23. adjunctum est: *De Propheta, quem revertentem in itinere leo occidit.* QUID est homo, cujuslibet sit meriti, si a Conditoris sui protectione deseratur? Quæ nimirum protectio minus necessaria creditur, nisi semper habeatur. Sed utiliter plerumque subtrahitur, ut sibimetipsi homo, quam sine illa nihil sit ostendatur. Manus igitur Domini aliquando nos nobis per adversa insinuat, quæ etiam nescientes nos in prosperis portat: quia destituti dum cadere incipimus, & tamen adjuti retinemur: & doctrina fit, quod in lapsum trepidavimus; & custodia, quod in statu permanemus. Nemo ergo se alicujus virtutis æstimet, etiam cum quid fortiter potest. Quia si divina protectio deserat, ibi repente enerviter obruitur, ubi se valenter stare gloriabatur. Quid est enim quod vir Dei contra altare Samariæ ad prophetandum directus, prę̨sente rege auctoritatem liberę vocis exercuit, ejusdemque regis extensum brachium in rigorem mirabiliter astrinxit, quod tamen mox misericorditer saluti restituit? Cujus in domo invitatus comedere noluit: quia ne in via comederet prohibitionis Dominicæ pręcepta servavit, qui tamen in eadem via & seductus comedit, & pastus interiit. Qua in re quid subtili consideratione colligimus; quid, ut ita dixerim, formidandum suspicamur, nisi quod forsitan dum apud semetipsum tacitus pro præceptis Dominicis regem se contemsisse gloriabatur, ab interna mox soliditate quassatus est, &

Num. 53. & 54.

& inde ei opere culpa subripuit, unde gloria in corde surrexit: ut Prophetæ falsi verbis deceptus disceret, quia nequaquam propriæ fortitudinis fuerit, quod regis verbis restitisset. Bene autem ex ejus ore mortis sententiam accepit, cujus seductione a viræ præcepto deviavit, ut inde pœnam veraciter sumeret, unde culpam negligenter admisisset.

CAPUT VIII.

3.Reg.17.1. *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto.*

Num. 49. DUm de differendo intellectu sacri aloquii, tractaretur, in expos. B. Job, l. 11. adjunctum est: *Vivit Dominus Deus Israel, &c.* SCIENDUM est quod duobus modis in conspectum Domini venimus: uno quidem, quo hic peccata nostra subtiliter perpendentes, in ejus nos conspectu [a] ponimus, & flendo dijudicamus. Alio vero modo in conspectum Domini venimus, cum in extremo judicio ante tribunal ejus assistimus. Nam quoties Conditoris nostri potentiam ad sensum reducimus, toties in conspectu illius stamus. Unde recte nunc per virum Dei Eliam dicitur: *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto.*

CAPUT IX.

3.Reg.19.4. *Sufficit mihi, Domine, tolle, quæso, animam meam.*

Num. 9. & 10. CUm de electorum per occultam dispensationem tentationibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 19. adjunctum est: *Sufficit mihi, Domine, tolle quæso animam meam.* SANCTI viri, qui sublevante spiritu ad summa rapiuntur, quamdiu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur, ut nequaquam tantum proficere valeant, quantum volunt. Sed ne extollantur superbia, fit in eis ipsarum quædam mensura virtutum. Hinc est enim quod Elias dum tot virtutibus in alta profecisset, quadam mensura suspensus est, dum Jezabel postmodum quamvis reginam, tamen mulierculam fugit. Perpendo quippe hunc miræ virtutis virum, ignem de cælo trahere, & secundo quinquagenarios viros cum suis omnibus petitione subita concremare, verbo cælos a pluviis claudere, verbo cœlos ad pluvias aperire, suscitantem mortuos, ventura quoque prævidentem: & ecce rursus animo occurrit quo pavore ante unam mulierculam fugerit. Considero virum timore perculsum de manu Dei mortem petere, nec accipere: de manu mulieris mortem fugiendo vitare. Quærebat enim mortem dum fugeret, dicens: *Sufficit mihi, tolle animam meam, neque enim melior sum quam patres mei.* Unde ergo sic potens, ut tot illas virtutes faciat? Unde sic infirmus, ut ita feminam pertimescat? Nisi quia dispensatione superni nutus mensura occulta libraminis appenduntur, ut ipsi sancti Dei homines, & multum valeant per potentiam Dei, & rursum quadam mensura moderati sunt per infirmitatem suam? In illis virtutibus Elias quid de Deo acceperat, in istis infirmitatibus quid de se esse poterat agnoscebat. Illa potentia virtus fuit, ista infirmitas custos virtutis. In illis virtutibus ostendebat quid acceperat, in istis infirmitatibus hoc quod acceperat custodiebat. In miraculis monstrabatur Elias, in infirmitatibus servabatur.

CAPUT X.

3.Reg.19.11. & 12. *Ecce Dominus transit, spiritus grandis & fortis subvertens montes, & conterens petras ante Dominum. Non in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio: non in commotione Dominus: & post commotionem ignis: non in igne Dominus; & post ignem sibilus auræ tenuis, & ibi Dominus.*

DUm de incircumscriptæ divinæ substantiæ visione corporeis in quantum negata est oculis tractaretur, in expos. B. Job, l. 5. adjunctum est: *Ecce Dominus transit, &c.* SPIRITUS Num. 66. ante Dominum evertit montes, & petras conterit: quia pavor, qui ex adventu ejus irruit, & altitudinem cordis nostri dejicit, & duritiam liquefacit. Sed spiritui commotionis & igni non inesse Dominus dicitur: esse vero in sibilo auræ tenuis non negatur, quia nimirum mens cum in contemplationis sublimitate suspenditur, quidquid perfecte conspicere prævalet, Deus non est. Cum vero subtile aliquid conspicit, hoc est quod de incomprehensibili substantia æternitatis audit. Quasi enim sibilum tenuis auræ percipimus, cum saporem incircumscriptæ veritatis contemplatione subita subtiliter degustamus. Tunc ergo verum est quod de Deo cognoscimus, cum plene nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus. Unde bene illic subditur: Ibidem. *Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, & ingressus stetit in ostio speluncæ.* Post auræ tenuis sibilum, vultum suum Propheta pallio operuit, quia in ipsa subtilissima contemplatione veritatis, quanta ignorantia homo tegatur, agnoscit. Vultui namque pallium superducere, est ne altiora mens quærere audeat, hanc ex consideratione propriæ infirmitatis velare, ut nequaquam intelligentiæ oculos ultra se præcipitanter aperiat, sed ad hoc quod apprehendere non valet, reverenter claudat. Qui hæc agens in speluncæ ostio stetisse describitur: quid namque spelunca nostra est, nisi hæc corruptionis habitatio, in qua adhuc ex vetustate retinemur? Sed cum aliquid percipere de cognitione divinitatis incipimus, quasi jam in speluncæ nostræ ostio stamus. Quia enim progredi perfecte non possumus, ad cognitionem tamen veritatis inhiantes, jam aliquid de libertatis aura captamus. In ingressu ergo speluncæ stare, est represso nostræ corruptionis obstaculo, ad cognitionem veritatis incipere exire. Unde & nube in tabernaculum descendente, Israelitæ e longinquo cernentes in papilionum suorum ostiis stetisse memorantur: quia qui adventum divinitatis utcumque conspiciunt, quasi jam ex habitaculo carnis procedunt.

CAPUT XI.

3.Reg.19.9. 13. *Cum Elias vocem Domini secum loquentis audiret, in speluncæ suæ ostio stetisse describitur, & faciem velasse.*

Num. 17.18. CUm [b] de electorum profectu per supernam gratiam tractaretur in expos. Ezech. l. 2. ho. 1. adjunctum est: *Cum Elias vocem Domini secum loquen-*

a Excusi, *ponimus*. Sequimur mss.

b In Michael. & Gemet. legebatur hujus. 2. in Ezech. (ubi minime repetitur.

quentis audiret, *&c.* QUID est quod Propheta A cum vocem Domini secum loquentis audivit, in speluncæ suæ ostio stat, & faciem velat: nisi quia dum per contemplationis gratiam vox supernæ intelligentiæ fit in mente, totus homo jam intra speluncam non est: quia animum carnis cura non possidet? Sed stat in ostio, quia mortalitatis angustias exire meditatur. Sed jam qui in ostio speluncæ consistit, & verba Dei in aure cordis percipit, necesse est ut faciem velet: quia dum per supernam gratiam ad altiora intelligenda ducimur, quanto subtilius levamur, tanto semper per humilitatem nosmetipsos in intellectu nostro premere debemus, B ne conemur plus sapere quam oportet sapere, (Rom. 12.) sed sapere ad sobrietatem. Ne dum nimis invisibilia discutimus, aberremus; ne in illa natura incorporea, corporei luminis aliquid quæramus. Aurem enim intendere, & faciem operire, est vocem interioris substantiæ audire per mentem, & tamen ab omni specie corporea oculos cordis avertere, ne quid sibi in illa corporale animus fingat, quæ ubique tota, & ubique incircumscripta est.

CAPUT XII.

(3 Reg. 19. 18) *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.*

CUm de cavendo elationis vitio tractaretur, in expos. B. Job, l. 31. adjunctum (Num. 105.) est: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* CERTUM est quod cordis sui oculum per elationis tenebras extinguit, qui cum recta agit, considerare meliorum merita negligit. At contra magno humilitatis radio semetipsum illuminat, qui aliorum bona subtiliter pensat: quia dum ea, quæ ipse fecerit, facta foris & ab aliis conspicit, cum, qui de singularitate intus erumpere nititur, superbiæ tumorem premit. Hinc est enim quod vocem Domini ad Eliam solum se æstimantem dicitur: *Reliqui mihi septem millia virorum,* D *qui non curvaverunt genua ante Baal*; ut dum non solum se remisisse cognosceret, elationis gloriam, quæ ei de singularitate surgere poterat, declinaret. Propheta nempe erat, & sæpe mysteria superna cognoverat. Quid ergo difficile fuit agnoscere in hoc mundo fideles Deo famulos & alios remansisse? sed hinc solerter intuendum est, oculum cordis elatio quam nequiter claudat; quia qui humilis & occulta Dei judicia noverat, elatus & aperta nesciabat.

CAPUT XIII.

(3 Reg. 22. 19. &c.) *Vidi Dominum sedentem super solium suum, &* E *cæli exercitum a dextris, & a sinistris ejus, & dictum est: In quo decipiam Achab ut ascendat, et cadat in Ramoth Galaad? Et dixit alius ita, et alius aliter. Et egressus est unus, et dixit: Ego decipiam Achab. Et dictum est: In quo decipies? Qui respondit dicens: Egrediar; et ero mendax spiritus in ore omnium Prophetarum ejus.*

CUm de electorum atque reproborum spirituum ministeriis per occultum divinæ distributionis ordinem tractaretur, in expos. B. Job, l. 2. adjunctum est: *Vidi Dominum sedentem super solium suum*, *etc.* QUID solium Domini, nisi (Num. 18.) angelicas potestates accipimus? Quarum mentibus altius præsidens, inferius cuncta disponit. Et quid exercitus cæli, nisi ministrantium Angelorum multitudo describitur? Quid est ergo quod exercitus cæli a dextris & a sinistris ejus stare perhibetur? Deus enim, qui ita est intra omnia, ut etiam sit extra omnia, nec dextra nec sinistra concluditur; sed dextra Dei Angelorum pars electa, sinistra autem Dei pars Angelorum B reproba designatur. Neque enim ministrant Deo solummodo boni, qui adjuvent, sed etiam mali, qui probent. Non solum qui a culpa redeuntes sublevent, sed etiam qui redire nolentes gravent; nec quod cæli exercitus dicitur, Angelorum pars reproba in eo intelligi posse prohibetur. Quas enim suspendi in aere novimus, aves cæli nominamus. Et de eisdem spiritibus Paulus dicit: *Contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*. Quorum (Ephes. 6. 12.) caput enuntians ait: *Secundum principem potestatis aeris hujus*. (Ibi. vers. 2.) A dextera ergo Dei, & a sinistra, Angelorum exercitus stat: quia voluntas electorum spirituum divinæ pietati concordat, & reproborum sensus suæ malitiæ serviens, judicio districtionis ejus obtemperat. Unde & C mox fallax spiritus in medium prosilisse describitur, per quem Achab rex exigentibus suis meritis decipiatur. Neque enim fas est credere bonum spiritum fallaciæ deservire voluisse, ut diceret: *Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus*. Sed quia Achab rex peccatis præcedentibus dignus erat ut tali debuisset deceptione damnari, quatenus qui sæpe volens ceciderat in culpam, quandoque nolens caperetur ad pœnam; occulta justitiæ licentia malignis spiritibus datur, ut quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati pœnam etiam nolentes trahant. [a] Is, qui vitam reproborum non (a) vitat, a perpetrandis peccatis animum non avertit; cum a Prophetа aliquid requirit, illa audit D Deo disponente quæ meretur audire damnandus. Ecce enim, ut unum vel duo ex multis loquamur, ab omnipotentis Dei cultu domus Israel sub idolorum servitute recesserat, & tamen ad Prophetas a quibus decipi consueverat, sæpe veniebat prospera requirens. Cum vero ex ore Prophetarum perversa agens prospera audiret, quid aliud superna judicia agebant, nisi ut peccator populus in suo corde caperetur? Quatenus qui perfidiam sequendo deliquerat, sic Prophetarum suorum blandis sermonibus deciperetur, ut jam nec pertimesceret quia deliquisset; & tanto post durius caperetur ad pœnam, quanto nunc securius viveret in culpa. Sed ecce jam, largiente omnipotente Deo, ab idolorum cultu remotum est genus humanum, veram fidem publice E fatetur, subdi lignis & lapidibus vel cuilibet creaturæ adoratione renuit. Securus ergo jam Prophetam quilibet in fide positus consulit, quia hoc auditurus est quod audire fidelem decet. Fidenter dicam, si ab immunditiis aliis atque pravis actibus recessisset, securus esset. Nam Paulus egregius prædicator clamat: *Et avaritia, quæ est idolorum servitus*. (Ephes. 5. 5.) Quisquis enim adhuc avaritiæ subjectus est, a cultu idolorum liber non est. Si ergo is, qui avaritiæ æstibus anhelat,

io

a Hæc loca indica [illegible] Exstant in mss. Michael. tamquam ab antecedentibus separata, ut considere licet ex majori littera quæ incipit lineam, simili prorsus iis quæ initio capitulorum ponuntur. In Gemetic. præmittitur: *Item unde supra.* Et in Utic. *Item in eodem libro.*

in fide quidem positus esse videtur; sed aliena ambit accipere, honores mundi desiderat, præ ceteros temporali gloria concupiscit, atque de hac eadem gloria Prophetam consultat: justum valde est ut ex culpæ suæ merito a Prophetæ ore prospera audiat. Quatenus qui verba Dei audire in sacro eloquio noluit, ut terrena despiceret, cælestia amaret; illud, Deo judice, ex Prophetæ sui ore audiat unde amplius obligatus cadat, dum spe terrenæ gloriæ delectatus pascitur, suisque desideriis ad ima semper ducatur. Neque enim bonus fuit ille spiritus qui mendax esse appetiit in ore Prophetarum. Unde & præmissum est, quia exercitus cæli stetit a dextris & sinistris ejus. Deus enim qui incircumscripta est veritas, in illa æterna beatitudine, quæ dextra ejus dicitur, sinistram non habet, quia nihil ibi esse quod displiceat, potest; sed quia simul omnia continetur, simul cuncta aspicit. Ea autem, in qua bonus spiritus & malus vivit, exercitum cæli a dextris & a sinistris habere describitur; ut per dexteram intelligamus Angelos electos, per sinistram vero spiritus reprobos. Nec movere debet quod exercitus cæli etiam repulsi Angeli vocantur, quia & ipsi quamvis ab æthereo cælo expulsi sunt, adhuc tamen in aereo cælo demorantur, sicut Paulus ait: *Contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Ephes. 6. 12.

Finis expositionis Libri tertii Regum.

CAPITULA LIBRI DECIMI

IN LIBRUM QUARTUM REGUM.

1 *Quod Elias in cælo raptus sit.*
2 *De muliere vidua, quæ ne duos filios auferente creditore amitteret, Elisæi Prophetæ dictis obedivit, &c.*
3 *De filio Sunamitis quem puer ab Elisæo missus cum baculo non resuscitat, per semetipsum vero Elisæus veniens, seque super mortuum sternens, atque ad ejus membra se colligens, &c.*
4 *Quod Prophetarum filii dum in Jordane ligna cæderent, uni eorum securis ex manubrio in profundum lapsa disparuit, in quo jactatum per Elisæum manubrii lignum, ad eum ferrum redit.*
5 *Dies tribulationis, & increpationis, & blasphemiæ dies hæc; quia venerunt filii usque ad partum, & vires non habet parturiens.*
6 *Quodcumque reliquum fuerit de domo Juda mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum.*
7 *Item unde supra.*
8 *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.*
9 *Obsecro, Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto.*
10 *Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ in domo tua sunt, in Babylonem.*
11 *Occidit rex Babylonis filios Sedechiæ in Reblatha coram eo: oculos quoque Sedechiæ eruit.*

LIBER DECIMUS.

DE TESTIMONIIS IN QUARTUM LIBRUM REGUM.

CAPUT PRIMUM.

4 Reg. 2. 11. 12. *De Elia quod in cælum raptus sit.*

Num. 5. & 6. CUm de ascensione Dominica per raptum Eliæ præfigurata tractaretur, hom. 29. in Evang. adjunctum est: *De Elia quod in cælum raptus sit.* QUID est quod Elias in cælum raptus dicitur? Numquidnam eum adhuc in carne corruptibili positum ad illius summæ quietis sinum ante resurrectionem ascensionemque Domini credimus esse perductum? Sed aliud est cælum aereum, aliud æthereum. Cælum quippe aereum, terræ est proximum. Unde & aves cæli dicimus, quia eas volitare in aere videmus. In cælum quippe aereum Elias sublevatus est, ut in secretam quamdam terræ regionem repente duceretur, ubi in magna jam carnis & spiritus quiete viveret, quousque ad finem mundi redeat, & mortis debitum solvat. Sublevatus namque Elias ascensionem Dominicam designavit. Ille enim mortem distulit, non evasit: Redemtor autem noster quia non distulit, superavit, eamque resurgendo consumsit, & resurrectionis suæ gloriam ascendendo declaravit. Notandum quoque quod Elias in curru legitur ascendisse, ut videlicet aperte monstraretur, quia homo purus adjutorio egebat alieno. Per Angelos quippe illa facta & ostensa sunt adjumenta: quia nec in cælum, quod est aereum, per se ascendere poterat, quem naturæ suæ infirmitas gravabat. Redemtor autem noster non curru, non Angelis sublevatus legitur: quia is, qui fecerat omnia, nimirum super omnia sua virtute ferebatur. Illuc etenim revertebatur ubi erat, & inde redibat ubi remanebat. Quia cum per humanitatem ascenderet in cælum, per divinitatis suæ potentiam, & terram pariter continebat & cælum. Sicut autem Joseph a fratribus venditus, venditionem nostri Redemtoris figuravit: sic Enoch translatus, atque ad cælum aereum Elias sublevatus, ascensionem Dominicam uterque designavit. Genes. 5. Ascensionis ergo suæ Dominus prænuntios & testes habuit, unum ante Legem, alium sub Lege, ut quandoque veniret ipse qui veraciter cælos penetrare potuisset. Unde & ipse ordo in eorum quoque utrorumque sublevatione per quædam incrementa distinguitur. Nam Enoch translatus, Elias vero ad cælum subvectus esse memoratur; ut veniret postmodum qui nec translatus, nec

subvectus cælum æthareum sua virtute penetraret. A Qui nobis in se credentibus quia carnis suæ quoque munditiam largiretur, & sub eo per incrementa temporum virtus castitatis excresceret, in ipsa quoque eorum translatione qui ascensionem Dominicam, ut videlicet famuli designaverunt, & in se ipso, qui ad cælum ascendit, Dominus ostendit. Nam Enoch quidem uxorem & filios habuit; Elias vero neque uxorem, neque filios legitur habuisse. Pensate ergo quomodo per incrementa temporum creverit munditia castitatis; quod & per translatos famulos, & per ascendentis Domini personam patenter ostenditur: translatus namque est Enoch per coitum genitus, & per coitum generans. Raptus est Elias per coitum genitus, sed non jam per coitum generans. Assumtus vero est Dominus, neque per coitum genitus, neque per coitum generans.

CAPUT II.

4.Reg. 4.1.2. *De muliere, quæ ne duos filios auferente creditore amitteret, Elisæi Prophetæ dictis obedivit, & ex eo quod parum olei habebat, per vasa vacua effudit, quæ cuncta post, usque ad summum repleta sunt, & ex eorum repletione mulier a creditoris sui debito est soluta.*

CUm de Gentilis Judaicique populi per Ecclesiam credulitate per meritum crescentis Ecclesiæ tractaretur, hom. 3. in Ezech. adjun- Num. 6. ctum est: *De muliere, quæ ne duos filios auferente creditore amitteret, &c.* QUID per hanc mulierem, C nisi sancta Ecclesia designatur? Duorum populorum, id est Judaici & Gentilis, quasi duorum filiorum mater, quæ ex perverso opere per callidi spiritus persuasionem, quasi quemdam peccati nummum a creditore acceperat, & duos, quos in fide genuit, amittere filios timebat. Sed Prophetæ verbis, id est Scripturæ sacræ præceptis obediens, ex parvo quod habebat olei, vasa vacua infudit: quia dum ab unius ore Doctoris parvum quid de amore divinitatis multorum vacuæ mentes audiunt, exuberante gratia, unguento divini amoris usque ad summum replentur. Et jam hunc multorum corda, quæ prius fuerant vacua vascula, unguento spiritus plena sunt, quæ ex paucitate olei D solummodo infusa videbantur. Quod dum aliis atque aliis datur, & ab auditoribus fides accipitur, Sareptana mulier, videlicet sancta Ecclesia sub creditoris sui jam debito non tenetur.

CAPUT III.

4.Reg. 4.27. 28. &c. *De filio Sunamitis, quem puer ab Elisæo missus cum baculo non resuscitat, per semetipsum vero Elisæus veniens, seque super mortuum sternens, atque ad ejus membra se colligens, huc & illuc deambulans, & in ore mortui septies aspirans, hunc ad redivivam lucem protinus per mysterium compassionis animatis.*

CUm de novi Testamenti gratia per Mediato- E rem exhibita tractaretur, in expos. B. Job, Num. 63. lib 9. adjunctum est: *De filio Sunamitis, &c.* AUCTOR humani generis Deus quasi mortuum puerum doluit, cum extinctos nos iniquitatis aculeo miseratus aspexit. Et quia per Moysen terrorem Legis protulit, quasi per puerum virgam misit. Per Legem quippe virgam Deus tenuerat cum Hebr. 7.19. dicebat: *Si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur.* A peccati igitur morte timor nos suscitare non va- A luit, sed ad statum vitæ aspiratæ mansuetudinis gratia erexit: Sed puer cum baculo mortuum suscitare non valuit: quia, Paulo attestante, *nihil ad perfectum duxit Lex.* Ipse autem per semetipsum veniens, & super cadaver se humiliter sternens, ad exæquanda sibi mortui membra se colligit: quia *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est* Philip. 2.6. *esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Huc illucque deambulat: quia & Judæam juxta, & longe positas gentes vocat. Super mortuum septies aspirat: quia per apertionem divini muneris gratiæ septiformis spiritum in peccati morte jacentibus aspirat. Moxque vivens erigitur; quia is, quem terroris B virga suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam rediit.

CAPUT IV.

Quod Prophetarum filii dum in Jordane ligna cæderent, uni eorum securis ex manubrio in profundum lapsa disparuit. In quo jactato per Elisæum manubrii ligno, ad eum ferrum rediit. 4.Reg. 6.4.1.

CUm de servando in exhibitione operis intelligentiæ dono tractaretur, in expos. B Jobi, Num. 9. 10. l. 22. adjunctum est: *Quod Prophetarum filii dum in Jordane ligna cæderent, &c.* FERRUM in manubrio, est donum intellectus in corde. Ligna vero per hoc cædere, est prave agentes increpare. C Quod nonnumquam dum fluxe agitur, dum lapsus vanæ gloriæ in accepta eadem scientia non vitatur, ferrum in aqua perditur; quia ex dissoluto opere intelligentia fatuatur. Quam profecto intelligentiam ad hoc novimus dari, ut ante dantis oculos ex bona debeat actione restitui. Unde & recte is, qui ferrum amiserat clamabat: *Heu, heu, heu,* 4.Reg. 6.5. *Domine mi, & hoc ipsum mutuo acceperam.* Habent enim hoc electi proprium, ut si quando eis in sua scientia furtiva vanæ gloriæ culpa surrepit, ad cor velociter redeant, & quidquid in se ante districti judicis oculos damnabile inveniunt, lacrymis insequantur. Qui flentes, non solum caute inspiciunt mala quæ commiserunt, sed ex accepto munere quæ reddere etiam bona debuerunt: quia nimirum D tanto se amplius peccatores sentiunt, quanto ex neglectis bonis, quæ agere poterant debitores tenentur. Recte ergo qui ferrum perdidit clamabat: *Heu, heu, heu, Domine mi, & hoc ipsum mutuo acceperam.* Ac si dicat: Illud per dissolutionem negligentiæ perdidi, quod ut per bona opera redderem, ex gratia Conditoris accepi. Sed numquam Deus mentem deserit, quæ in peccatis se veraciter agnoscit. Unde & mox Elisæus veniens, lignum deorsum mittit, & ferrum in superficiem: quia videlicet Redemtor noster, pie nos respiciens, cor peccatoris humiliat, & ei quam amiserat intelligentiam reformat. Lignum mergit, & ferrum revelat: quia cor affligit, & scientiam reparat. Unde bene Transf. 70. alia translatio dicit, quod confregit lignum atque E jactavit, & sic ferrum sustulit. Lignum namque confringere, est cor ab elatione conterere. Lignum ad ima jactare, est elatum cor in cognitione, ut diximus, propriæ infirmitatis humiliare. Atque illico ferrum ad superficiem redit: quia ad usum exercitationis pristinæ intelligentia recurrit. Igitur quoniam donum intellectus, quod accipitur, vix cum tot difficultatibus custoditur: curandum valde est, ne otio torpeat, curandum ne exercitatione operis vitio elationis evanescat. Sancti namque

vira

viri minime exultant, cum cognoscunt quæ faciant, sed cum faciunt quæ cognoverant. Et si intelligendo congaudent muneri largitoris, mœrentes tamen considerant debitum operis, ut videlicet actione persolvant quod eis prærogatum est in cognitione. Stultus namque est debitor, qui gaudens pecunias mutuas accipit, & tempus quo reddere debeat non attendit. Moderatur autem lætitia accipiendi, quando solerti providentia etiam constitutum tempus reddendi cogitatur.

CAPUT V.

4 Reg 19.3. *Dies tribulationis, & increpationis, & blasphemiæ dies iste. Venerunt filii usque ad partum, & vires non habet pariens.*

CUm de difficultate in exhibitione concepti operis tractaretur, adjunctum est: *Dies tribulationis, &c.* [a] HÆC juxta litteram peccatis facientibus videmus, quia cum hostes irruunt, desensores vestri præparantur, sed nullatenus præparata convalescunt. Scriptum namque est: *Requiescet super eum spiritus consilii & fortitudinis.* (Isa. 11.) Quæ utraque sibi necessario juncta sunt, quia neque virtus sine consilio esse utilis valet, neque consilium sine virtute. Quid igitur prosunt qui per consilium præparantur, dum ad prælium per fortitudinem non procedunt? Afflictus ergo atque turbatus Ezechias rex loquitur, dicens: *Dies tribulationis, & blasphemiæ dies iste. Venerunt filii usque ad partum, & vires non habet parturiens.* Filii quippe usque ad partum veniunt, quando apta consilia usque ad desiderium efficiendi operis procedunt. Sed virtutem non habet parturiens, quia dum infirmus quisque consilia concipit, hæc ad utilitatem aliquam per partum operis non perducit.

CAPUT VI.

4 Reg. 19.30. *Quodcumque reliquum fuerit de domo Juda, mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum.*

CUm de mansuris in æterna retributione electorum cogitationibus tractaretur, in expos. B. Job, lib. 12. adjunctum est: *Quodcumque reliquum fuerit de domo Juda, &c.* (Num. 54.) QUOD radix arbori, hoc cuique hominum cogitatio sua est: quia in hoc quod exterius videtur, per illud tenetur quod exterius non videtur. Unde & nunc dicitur: *Mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum.* Cum enim cogitationem nostram ad compatiendum indigenti proximo tendimus, quasi radicem deorsum mittimus, ut retributionis fructum superius faciamus.

CAPUT VII.

Item unde supra.

Num. 81. IN expos. B. Job, l. 8. QUID hoc loco radicum nomine, nisi latentes cogitationes accipimus, quæ in occulto prodeunt, sed in ostensione operum per apertum surgunt? Radicem ergo deorsum mittere, est cogitationem bonam in abditis multiplicare. Fructum vero sursum facere, est per efficaciam operis recta, quæ cogitavit, ostendere:

A *Mitte ergo radicem deorsum, ut faciat fructum sursum.* Ac si aperte diceretur: In imis cogitatio nascitur, ut in summis retributio reddatur.

CAPUT VIII.

Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives. 4 Reg. 20. 1.

DUm per præfixum de ordine divinæ scientiæ ordinem, de humanæ vitæ termino tractaretur, in expos. B. Job, l. 12. adjunctum est: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* (Num. 2.) NULLA, quæ in hoc mundo hominibus fiunt, absque omnipotentis Dei occulto consilio veniunt.
B Nam cuncta Deus secutura præsciens, ante secula decrevit qualiter per secula disponantur. Statutum quippe jam homini est, vel quantum hunc mundi prosperitas sequatur, vel quantum adversitas feriat, ne electos ejus aut immoderata prosperitas elevet, aut nimia adversitas gravet. Statutum quoque est quantum in ipsa vita mortali temporaliter vivat: nam etsi annos quindecim Ezechiæ regi ad vitam addidit omnipotens Deus, cum eum mori permisit, tunc eum præscivit esse moriturum. Qua in re quæstio oritur, quomodo ei per Prophetam dicatur: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* Cui cum mortis sententia dicta est, protinus ad ejus lacrymas est vita addita. Sed per prophetam Dominus dixit quo tempore mori ipse me-
C rebatur, per largitatem vero misericordiæ illo eum tempore ad mortem distulit, quo ante secula ipse præscivit. Nec propheta igitur fallax, quia tempus mortis innotuit, quo vir ille mori merebatur: nec Dominica statuta convulsa sunt, quia ut ex largitate Dei anni vitæ crescerent, hoc quoque ante secula præfixum fuit, atque spatium vitæ quod inopinate foris est additum, sine augmento præscientiæ fuit intus statutum.

CAPUT IX.

Obsecro Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto. 4 Reg 20. 3.

D CUm [b] de postulanda apud Dominum cordis munditia tractaretur, in expos. B. Job, l. 12. adjunctum est: *Obsecro, Domine, &c.* (Num. 36.) PLERUMQUE justi aliquibus necessitatibus afflicti, sua opera coguntur fateri. Sed cum eorum dicta injusti audiunt, hæc per elationem potius, quam per veritatem existimant prolata: ex suis enim cordibus verba justorum pensant, & dici humiliter posse verba bona non æstimant. Sicut enim gravis culpa est sibi hoc hominem arrogare quod non est, sic plerumque culpa nulla est, si humiliter bonum dicat, quod est. Unde sæpe contingit, ut justi & injusti habeant verba similia, sed tamen cor longe semper dissimile: & ex quibus dictis Dominus ab injustis offenditur, in eisdem quoque a justis placa-
E tur. Nam Pharisæus ingressus templum dicebat: *Jejuno bis in Sabbato: decimas do omnium, quæ possideo.* (Luc. 18. 12.) Sed justificatus magis Publicanus quam ille, exiit. Ezechias quoque Rex cum molestia corporis afflictus ad extremitatem pervenisset vitæ, in oratione compunctus dixit: *Obsecro, Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in cor-*

a In mss. Michael. legitur hæc ex hom. 10. in Ezech excerpta esse; ubi tamen non habentur. In Gemet. assignatur hom. 5. in Ezech.

b In editis legitur: *merita sua viri justi sine superbia interdum ad memoriam revocant.* Id sane habet Gregorii testimonium. At sequimur mss. Utic. Michael Gemet. &c.

corde perfecto. Nec tamen Dominus hanc confessionem perfectionis ejus despexit aut rennit, quem mox in suis precibus exaudivit. Ecce Pharisæus se justificavit in opere, Ezechias justum se asseruit etiam in cogitatione. Atque unde ille offendit, inde iste Dominum placavit. Cur itaque hoc, nisi quia omnipotens Deus singulorum verba a cogitationibus pensat, & in ejus auribus superba non sunt quæ humili corde proferuntur.

CAPUT X.

4. Reg. 20. 17. 18. *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, in Babylonem.*

Num. 81 82. a CUm de cavenda in prosperis elatione cordis tractaretur, in expos. B. Job, l. 8. adjunctum est: *Ecce dies venient, &c.* [a] QUID hoc loco Prophetæ sententia contra Ezechiam Regem significat, nisi arrogantiam hypocritarum, qui cogitationes suas in exquirenda hominum admiratione multiplicant? Per omne enim quod hypocritæ faciunt, quia occultis cogitationibus laudes hominum requirunt, quasi radices scirpi in acervum petrarum mittunt. Operaturi quippe laudes suas cogitant, laudati autem has secum taciti in cogitationibus versant. Gaudent se præcipuos in humana æstimatione claruisse. Cumque inflati favoribus apud semetipsos intumescunt, sæpe mirantur taciti etiam ipsi quod sunt. Videri quotidie semetipsos altiores cupiunt, ac miris intentionibus in opere excrescunt: quia sicut virtus humilitatis omne vitium enervat, sic arrogantia roborat. Cogit namque mentem juvenescere, & contra vires valere: quia & quod negat vigor valetudinis, imperet amor laudis. Unde & factis suis, ut diximus, * arbitros inquirunt. Si vero eorum operi testes deesse contingat, narrant ipsi quæ gesserint. Cumque efferri favoribus cœperint, sæpe eisdem suis operibus, quæ peregisse se referunt, mentiendo aliquid adjungunt. Cum vero & vera dicunt, hæc dicendo aliena faciunt: quia quæsitis remunerati favoribus, ab eorum intima retributione vacuantur. In eo enim quod bona sua patefaciunt, ostendunt malignis spiritibus quasi insidiantibus hostibus quæ prædentur. Quorum profecto vitam illa cunctis notissima Ezechiæ culpa figuravit, qui postquam una prece, & sub unius noctis spatio, centum octoginta quinque millia hostium Angelo feriente prostravit, postquam occasui proximum ad altiora cæli spatia solem reduxit, postquam vitam propinquanti jam termino coarctatam in tempora longiora protelavit: susceptis Babylonici regis nuntiis, bona omnia, quæ possidebat, ostendit. Sed Prophetæ voce protinus audivit: *Ecce dies venient, & auferent omnia quæ in domo tua sunt in Babylonem: non relinquetur quidquam, dicit Dominus*. Sic nimirum hypocritæ postquam magnis virtutibus excrescunt, quia cavere malignorum spirituum insidias negligunt, & celari in eisdem virtutibus nolunt, bona sua ostendendo, b [b] ostium faciunt, & prodentes subito amittunt, quidquid diutius studentes operantur. Hinc per Psalmistam dicitur: *Tradidit in captivitatem virtutes eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.* (Ps. 77. 61.) Virtus quippe & pulchritudo arrogantium inimici manibus traditur: quia omne bonum, quod per concupiscentiam laudis ostenditur, occulti adversarii juri mancipatur. Hostes namque ad rapinam provocat, qui suas eorum notitiæ divitias denudat. Quousque enim ab æternæ patriæ securitate disjungimur, per latronum insidiantium iter ambulamus. Qui ergo in itinere deprædari formidat, abscondat necesse est bona quæ portat. O miseri! qui affectantes laudes hominum in semetipsis dissipant fructus laborum, cumque se ostendere alienis oculis appetunt, damnant quod agunt. Quos nimirum maligni spiritus, cum ad jactantiam provocant, eorum sicut diximus, opera captivantes denudant. B Hinc est enim quod per Evangelium Veritas dicit: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* (Ibid. multis interjectis. Matt. 6. 3.) Hinc quod de electorum Ecclesia per Psalmistam dicitur: *Omnis gloria ejus filiæ regum ab intus.* (Ps. 45. 14.) Hinc Paulus ait: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* (2 Cor. 1. 12.) Filia quippe regum Ecclesia, quæ in bono est opere spiritualium principum prædicatione generata, gloriam intus habet: quia hoc quod agit, in ostentationis jactantia non habet. Gloriam suam Paulus testimonium conscientiæ memorat: quia favores oris alieni non appetens, vitæ suæ gaudia extra semetipsum ponere ignorat. Occultanda sunt ergo quæ agimus, ne hæc in hujus vitæ itinere C incaute portantes, latrocinantium spirituum incursione perdamus.

* In mss. arbitrus.

a Brevior est io : ulgatis sententia: sequimur autem mss. Sagiensem, Utic. Gemet. & præsertim Michael. emendatiorem.

b Sag. *prædam faciunt*. In aliis mss. legitur, *hostium faciunt*, quod duplicem patitur sensum. Primum, *hostibus permittunt*. Secundum, *ostium aperiunt*. In mss. enim ostium per h, scribitur.

CAPUT XI.

4 Reg. 25. 6. 7. *Occidit rex Babylonis filios Sedechiæ in Reblatha coram eo: oculos quoque Sedechiæ eruit.*

Num. 17. DUm de perseveranti cordis innocentia, & de cavendis antiqui adversarii subtilissimæ tentationis aculeis tractaretur, in expos. B. Job, l. 7. adjunctum est: *Occidit rex Babylonis filios Sedechiæ in Reblatha coram eo, &c.* CUM Scriptura sacra Sedechiæ captivitatem narrat, ordinem captivitatis internæ denuntiat. Rex quippe Babylonia, D est antiquus hostis possessor intimæ confusionis. Qui prius filios ante intuentis oculos trucidat: quia sæpe sic bona opera interficit, ut hæc se amittere ipse qui captus est, dolens cernat. Nam bona gignit plerumque animus, & tamen carnis suæ delectationibus victus, bona quæ genuit amans perdit: & quæ patitur damna considerat, nec tamen virtutis brachium contra regem Babylonis levat. Sed dum videns nequitiæ perpetratione percutitur, ad hoc quandoque peccati usu perducitur, ut ipso quoque rationis lumine privetur. Unde Babylonis rex extinctis prius filiis Sedechiæ oculos eruit: quia malignus spiritus subductis prius bonis operibus, post & intelligentiæ lumen tollit. Quod recte Sedechias in Reblatha patitur: Reblatha quippe, multa hæc, interpretatur. E Etenim quandoque & lumen rationis clauditur, qui pravo usu ex iniquitatis suæ multitudine gravatur. [c]

c Post hoc caput aliud legitur in mss. Gemet. ac Michael. excerptum ex l. 24. in Job, cujus testimonii initium est: cum scriptum sit, *Caro & sanguis, &c.* sic autem absolvitur: *eamdem per naturam, diversam per gloriam: eamdem per veritatem, diversam per potentiam*. Quæ collecta sunt ex n. 72. & seq.

Finis Libri quarti Regum.

CA-

CAPITULA LIBRI UNDECIMI SUPER PSALMOS.

1 *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.*
2 *Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.*
3 *Item unde supra.*
4 *Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.*
5 *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.*
6 *Filii hominum usquequo gravi corde?*
7 *Irascimini & nolite peccare.*
8 *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.*
9 *Mane astabo tibi, & videbo.*
10 *Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me.*
11 *In inferno autem quis confitebitur tibi?*
12 *Turbatus est præ ira oculus meus.*
13 *Inveteravi inter omnes inimicos meos.*
14 *Deus judex justus, fortis, & longanimis.*
15 *Arcum suum tetendit & paravit, &c.*
16 *Concepit dolorem & peperit iniquitatem.*
17 *Ut destruas inimicum, & defensorem.*
18 *Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum.*
19 *Pisces maris qui perambulant semitas maris.*
20 *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem, &c.*
21 *Non in finem oblivio erit pauperum, &c.*
22 *Sub lingua ejus labor et dolor, sedet in insidiis &c.*
23 *Insidiatur in occulto sicut leo in cubili suo.*
24 *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer?*
25 *Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent, &c.*
26 *Palpebræ ejus interrogant filios hominum.*
27 *Item unde supra.*
28 *Pluet super peccatores laqueos ignis, sulphur, & spiritus, &c.*
29 *Eloquia Domini, eloquia casta.*
30 *In circuitu impii ambulant.*
31 *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.*
32 *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*
33 *Dixi Domino, Deus meus es tu.*
34 *Funes ceciderunt mihi in præclaris, &c.*
35 *Ego clamavi quoniam exaudisti me Deus.*
36 *Sub umbra alarum tuarum protege me.*
37 *Diligam te, Domine, virtus mea.*
38 *Caligo sub pedibus ejus, & ascendit super Cherubim, &c.*
39 *Item unde supra.*
40 *Posuit tenebras latibulum suum.*
41 *Tenebrosa aqua in nubibus aeris, præ fulgore, &c.* E
42 *Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum.*
43 *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveteraverunt, & claudicaverunt a semitis suis.*
44 *Cæli enarrant gloriam Dei.*
45 *In sole posuit tabernaculum suum.*
46 *Ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.*
47 *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, &c.*
48 *Deus meus clamabo per diem, nec exaudies, &c.*
49 *Item unde supra.*

A 50 *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.*
51 *Impinguasti in oleo caput meum.*
52 *Qui non accepit in vano animam suam.*
53 *De necessitatibus meis eripe me.*
54 *Proba me, Domine, & tenta me.*
55 *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo.*
56 *Item unde supra.*
57 *Unam petii a Domino, hanc requiram.*
58 *Abscondes eos in abscondito vultus tui, &c.*
59 *Ego dixi in excessu mentis meæ, projectus sum a vultu oculorum tuorum.*
60 *Item unde supra.*
B 61 *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum.*
62 *Item unde supra.*
63 *Item unde supra.*
64 *Beati quorum remissæ sunt iniquitates.*
65 *Conversus sum in ærumna mea dum configitur spina.*
66 *Dixi, pronuntiabo adversus me injustitias meas Domino, &c.*
67 *In chamo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.*
68 *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus, &c.*
C 69 *Congregans quasi in utre aquas maris.*
70 *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus.*
71 *Divites eguerunt & esurierunt.*
72 *Declina a malo, & fac bonum.*
73 *Item unde supra.*
74 *Dominus custodit omnia ossa eorum.*
75 *Fiant sicut pulvis ante faciem venti, & Angelus Domini, &c.*
76 *Fiant viæ eorum tenebræ & lubricum.*
77 *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?*
78 *Item unde supra.*
79 *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros, &c.*
D 80 *Computruerunt, & deterioraverunt cicatrices meæ, &c.*
81 *Incurvatus sum, & humiliatus usquequaque.*
82 *Ego autem ad flagella paratus sum.*
83 *Iniquitatem meam ego pronuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.*
84 *Posui ori meo custodiam; dum consisteret, &c.*
85 *Obmutui, & non aperui os meum: quoniam tu fecisti.*
86 *Verumtamen vane conturbatur omnis homo.*
87 *Eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis, &c.*
88 *Multa fecisti, tu Domine Deus meus, mirabilia tua.*
89 *Annuntiavi, et locutus sum, multiplicati sunt super numerum.*
90 *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.*
91 *Item unde supra.*
92 *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.*
93 *Memor ero tui de terra Jordanis, et Hermonilm.*
94 *In die mandavit Dominus misericordiam suam, etc.*
95 *Humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis.*
96 *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.*

97 *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.*
98 *Intende, prospere procede, & regna, &c.*
99 *Item unde supra.*
100 *Myrrha, & gutta, & casia a vestimentis tuis, &c.*
101 *Adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus.*
102 *Omnis gloria ejus, filiæ regis ab intus.*
103 *Item unde supra.*
104 *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, &c.*
105 *Transferentur montes in cor maris.*
106 *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus.*
107 *Deus in gradibus ejus dignoscetur cum suscipiet eam.*
108 *Item unde supra.*
109 *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.*
110 *Non dabit Deo placationem suam, &c.*
111 *Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes.*
112 *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei.*
113 *Advocavit cælum desursum, & terram, ut discernat populum suum.*
114 *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias? &c.*
115 *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.*
116 *Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.*
117 *Videbunt justi & timebunt, & super eum ridebunt.*
118 *Illic trepidaverunt timore ubi non erat timor.*
119 *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.*
120 *Præcipita, Domine, & divide linguas eorum.*
121 *Descendant in infernum viventes.*
122 *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.*
123 *Ipsi calcaneum meum observabunt.*
124 *Filii hominum dentes eorum arma & sagitta, & lingua eorum, &c.*
125 *Super eos cecidit ignis, et non viderunt solem.*
126 *Lætabitur justus cum viderit vindictam, &c.*
127 *Adjutor meus tibi psallam, quia tu Deus susceptor meus es.*
128 *Commovisti terram & conturbasti eam, &c.*
129 *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis. &c.*
130 *In Idumæam extendam calceamentum meum.*
131 *Melior est misericordia tua super vitam.*
132 *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.*
133 *Rivos ejus inebrians, multiplica generationes ejus.*
134 *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.*
135 *Et convalles abundabunt frumento.*
136 *Venite, & videte opera Domini, quam terribilis in consiliis, &c.*
137 *Benedicat nos Deus, Deus noster, &c.*
138 *Iter facite ei qui ascendit super occasum.*
139 *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ, &c.*
140 *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, &c.*
141 *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.*
142 *Visi sunt gressus tui, Deus.*
143 *Æthiopia præveniet manus ejus Deo.*
144 *Laboravi sustinens.*
145 *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.*
146 *Propter inimicos meos eripe me.*
147 *Consolantem me quæsivi, & non inveni.*
148 *Obscurentur oculi eorum, ne videant: & dorsum eorum semper incurva.*
149 *Confundantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, euge.*
150 *Inimici ejus terram lingent.*

A 151 *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt, &c.*
152 *Dejecisti eos, dum elevarentur.*
153 *Tu dirupisti fontes, & torrentes: tu siccasti fluvios Ethan.*
154 *Dixi iniquis: Nolite inique agere: &c.*
155 *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.*
156 *Turbati sunt omnes insipientes corde, &c.*
157 *Dormitaverunt qui ascenderunt equos.*
158 *Eripe me de luto ut non inhæream.*
159 *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum.*
160 *Exercitatus sum & defecit paulisper spiritus meus.*
161 *Etenim sagittæ tuæ transierunt.*
162 *Attendite, popule meus, legem meam.*
B 163 *Filii Ephrem intendentes arcum, & mittentes sagittas, &c.*
164 *Statuit aquas quasi in utre.*
165 *Recordatus est quia caro sunt.*
166 *Conversi sunt in arcum perversum.*
167 *Tradidit in captivitatem virtutes eorum, &c.*
168 *Item unde supra.*
169 *Immissiones per Angelos malos: viam fecit semitæ iræ suæ.*
170 *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum.*
171 *Potum dedit nobis in lacrymis, & in mensura.*
172 *Sumite Psalmum, & date tympanum.*
173 *Exaudivi te in abscondito tempestatis, &c.*
174 *Erit tempus eorum in æternum.*
175 *Deus meus, pone illos ut rotam, & velut stipulam ante faciem venti.*
C 176 *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.*
177 *Etenim passer invenit sibi domum, &c.*
178 *Ascensus in corde ejus disposuit in convalle lacrymarum.*
179 *Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.*
180 *Posuerunt me in abominationem sibi, &c.*
181 *Inter mortuos liber.*
182 *In me pertransierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt me.*
183 *Misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo.*
184 *Beatus populus qui scit jubilationem.*
185 *Mane sicut herba transeat, mane floreat, & pertranseat.*
186 *Posuisti munitiones ejus in formidinem.*
D 187 *Quis novit potestatem iræ tuæ? &c.*
188 *Ipse liberavit me de laqueo venantium, & a verbo aspero.*
189 *Scapulis suis obumbrabit tibi.*
190 *Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi.*
191 *Mirabiles elationes maris, mirabilis in excelsis Dominus.*
192 *Donec justitia convertatur in judicium.*
193 *Secundum multitudinem dolorum meorum, etc.*
194 *Qui fingis dolorem in præcepto.*
195 *Non repellet Dominus plebem suam, quoniam in manu ejus, etc.*
196 *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini.*
197 *Tunc exultabunt omnia ligna silvarum.*
198 *Honor regis judicium diligit.*
E 199 *Filii servorum tuorum habitabunt.*
200 *Ipse enim scit figmentum nostrum.*
201 *Memoria retinentibus mandata ejus ut faciant ea.*
202 *Ascendunt montes, et descendunt campi.*
203 *Introite portas ejus in confessione, &c.*
204 *Potum meum cum fletu temperabam.*
205 *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.*
206 *Confessionem et decorem induisti, amictus lumine, etc.*
207 *Extendens cælum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus.*

208 Item

208 *Item unde supra.*
209 *Qui ponit nubem ascensum suum.*
210 *Qui ambulat super pennas ventorum.*
211 *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentem.*
212 *Item unde supra.*
213 *Ascendunt montes, & descendunt campi.*
214 *Montes excelsi cervis: petra refugium herinaciis.*
215 *Item unde supra.*
216 *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt, &c.*
217 *Auferes spiritum eorum & deficient, & in pulverem, &c.*
218 *Emitte spiritum tuum, & creabuntur: & renovabis faciem terræ.*
219 *Verbi, quod mandavit in mille generationes.*
220 *Item unde supra.*
221 *Quoniam in seculum misericordia ejus.*
222 *Ferrum pertransiit animam ejus.*
223 *Ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyssos.*
224 *Effusa est contentio super Principes eorum, & seduxerunt, &c.*
225 *Et omnis iniquitas obturavit os suum.*
226 *Excussus sum sicut locusta.*
227 *Induantur sicut diploide confusione sua.*
228 *Dixit Dominus Domino meo, &c.*
229 *De torrente in via bibit, propterea exaltavit caput.*
230 *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.*
231 *Confessio & magnificentia opus ejus.*
232 *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*
233 *Dominus mihi adjutor, & ego despiciam inimicos meos.*
234 *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut, &c.*
235 *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factum est, &c.*
236 *Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris.*
237 *Tunc non confundar, cum prospexero in omnia mandata tua.*
238 *In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas.*
239 *Item unde supra.*
240 *Ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque.*
241 *Defecit in salutari tuo anima mea.*
242 *Os meum aperui, & attraxi spiritum.*
243 *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua, Deus.*
244 *Latum mandatum tuum nimis.*
245 *Super seniores intellexi.*
246 *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.*
247 *Fiat manus tua ut salvum me faciat.*
248 *Declinate a me maligni, & scrutabor mandata Dei mei.*

A 249 *Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis.*
250 *Item unde supra.*
251 *Cum dederit dilectis suis somnum, hæc est hereditas Domini.*
252 *Qui confidit in Domino sicut mons Sion.*
253 *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*
254 *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua.*
255 *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum.*
256 *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.*
257 *Item unde supra.*
B 258 *Fiant sicut fenum ædificiorum, quod priusquam evellatur, exaruit.*
259 *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.*
260 *Sacerdotes tui induantur justitia.*
261 *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.*
262 *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.*
263 *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.*
264 *Et nox illuminatio mea in deliciis meis.*
265 *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, &c.*
C 266 *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam? &c.*
267 *Labor labiorum ipsorum operiet eos.*
268 *Obumbra caput meum in die belli.*
269 *In miseriis non subsistent.*
270 *Elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum.*
271 *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ, &c.*
272 *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*
273 *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas, &c.*
D 274 *Protector meus, & in ipso speravi: subjicies populos sub me.*
275 *Domine, inclina cælos tuos, & descende: tange montes, &c.*
276 *Qui liberasti David servum tuum de gladio maligno.*
277 *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.*
278 *Humiliavit peccatores usque ad terram.*
279 *Qui producit in montibus fenum, & herbam servituti hominum.*
280 *Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum.*
281 *Mittet verbum suum, & liquefaciet ea; flabit spiritus ejus, &c.*
E 282 *Præceptum posuit, & non præteribit.*
283 *Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo, &c.*
284 *Exultabunt Sancti in gloria, Lætabuntur in cubilibus suis.*
285 *Laudate eum in potentatibus ejus, laudate eum, &c.*
286 *Laudate eum in tympano & choro.*
287 *Item unde supra.*

LIBER UNDECIMUS.

DE TESTIMONIIS IN PSALMOS.

CAPUT PRIMUM.

Psal. 1. 1. *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.*

Cap. 34. Admon. 33. CUM de cavendis perversi studii operationibus tractaretur, Reg. Past. par. 3. adjunctum est; *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.* CATHEDRA judicis esse vel præsidentis solet. In cathedra autem pestilentiæ sedere, est ex judicio prava committere, & ex ratione mala discernere, & tamen ex deliberatione perpetrare. Quasi in perversi consilii cathedra sedet, qui tanta iniquitatis elatione attollitur, ut adimplere malum etiam per consilium conetur. Et sicut assistentibus turbis prælati sunt, qui cathedræ honore fulciuntur; ita delicta eorum qui præcipitatione corruunt, exquisita per studium peccata transcendunt.

CAPUT II.

Psal. 1. 3. *Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.*

Num. 6. DUm de mysterio incarnationis Dominicæ tractaretur hom. 2. in Ezech. adjunctum est: *Et erit tamquam lignum, &c.* QUID per lignum juxta aquarum decursus plantatum, nisi incarnationem nostri Redemtoris accipimus? Qui per ejusdem incarnationis suæ mysterium propinquare dignatus est peccatorum suorum pondera portanti generi humano, quod ab ortu suo quotidie defluit ad mortem. *Erit enim tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.* Juxta decursus quippe aquarum plantatus est, quia juxta lapsus incarnatus est defluentium populorum.

CAPUT III.

Item unde supra.

Num. 51. IN expos. B. Job, l. 19. DECURSUS aquarum sunt quotidiani transitus deficientium populorum.
Luc. 23. 31. Et de semetipsa Veritas dicit: *Si in ligno viridi hæc faciunt, in arido quid fiet?* Lignum ergo secus decursus aquarum, est qui fructum & protectionem sui nobis umbraculi proferens, apparuit Creator in carne, ut humanum genus per resurrectionem robustum figeret, quod per defectum quotidie ibat in mortem.

CAPUT IV.

Ps. 2. 9. *Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.*

Num. 19. CUm de distinguendis percussionum qualitatibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 7. adjunctum est: *Reges eos in virga ferrea, &c.* SCIENDUM est, quia aliquando nos adversarius, aliquando autem conterit Deus. Ex contritione autem adversarii a virtute deficimus, per contritionem vero Domini fracti, a vitiis in virtute roboramur. Hanc contritionem Propheta conspexerat cum dicebat: *Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli conteres eos.* In virga nos ferrea Dominus regit & conterit: quia dispensationis fortitudine cum nos interius reficit, exterius affligit. Nam quo virtutem carnis humiliat, intentionem spiritus exaltat. Unde & hæc eadem contritio figuli vasi comparatur: sicut & per Paulum dicitur: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Qui simul contritionem & regimen exprimens ait: *Licet is, qui foris est, noster homo corrumpitur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem.* 2. Cor. 4. 7.

CAPUT V.

Ps. 2. 11. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.*

Num. 8. IN [a] expos. B. Job, l. 20. adjunctum est: *Servite Domino in timore, &c.* SANCTI viri sic de spe certi sunt, ut tamen semper sint de tentatione suspecti; quippe quibus dicitur: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore,* ut & de spe exultatio, & de suspicione nascatur tremor.

CAPUT VI.

Ps. 4. 3. *Filii hominum usquequo graves corde?*

Num. 8. CUm de distinguendo intellectu sacri eloquii tractaretur, in expos. B. Job, l. 19. adjunctum est: *Filii hominum usquequo graves corde?* ALIUD est gravem esse per consilium, aliud per peccatum, aliud gravem esse per constantiam, aliud per culpam. Ista enim gravitas pondus habet oneris, illa virtutis. Pondus ergo accipiunt animæ, ut ab intentione Dei non jam levi motu dissiliant, sed in eum fixa constantiæ gravitate consistant. Adhuc ille populus leviter movebatur, de quo per Prophetam dicitur: *Abiit vagus in viam cordis sui: viam ejus vidi, & dimisi eum.* Grave autem consilium Isa. 57. 17. cordis, omnem inconstantiam vagationis expellit. Et quoniam sunt animæ, quæ levi motu nunc ista, nunc illa desiderant, omnipotens Deus, quia ipsas leves fluctuationes mentium non leviter pensat, vagationem cordis relinquendo dijudicat. Sed cum per gratiam respicit, vagam mentem in consilii stabilitatem figit. Cum enim leves motus animi misericorditer dignatur aspicere, hunc protinus ad constantiæ maturitatem firmat.

CAPUT VII.

Ps. 4. 5. *Irascimini, & nolite peccare.*

Num. 82. DUM [b] de discretione commotionis animi tractaretur, in expos. B. Job, l. 5. adjunctum est: *Irascimini, & nolite peccare.* QUOD nimirum non recte intelligunt, qui nos irasci nobis tantummodo, non etiam proximis delinquentibus volunt. Si enim sic proximos ut nos amare præcipimur, restat ut sic eorum erratibus sicut nostris vitiis irascamur.

CA-

a Omittitur caput hoc in mss.

b Istud etiam deest in nostris codd.

CAPUT VIII.

Psal. 5. 13.

Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

a DUm [a] de discernendis in sacro eloquio multiplicibus rerum significationibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 33. adjunctum est:
Num. 49. *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* SCRIPTURA sacra scuti nomine aliquando in parte prospera, aliquando in adversa uti consuevit. Nam sæpe scuti defensio pro divina protectione ponitur: nonnumquam vero pro humana repugnatione memoratur. Pro divina enim protectione per Psalmistam dicitur: *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Scuto nos Dominus coronare perhibetur: quia quos protegens adjuvat, remunerans coronat. Rursum pro humana repugnatione per eumdem Prophetam scutum ponitur, sicut alibi
Exod. 63. 4. ait: *Ibi confregit cornua, arcum, scutum, gladium, & bellum.* In cornibus quippe elatio superborum, in arcu insidiæ longe ferientium, in scuto obstinata duritia defensionum, in gladio vicina percussio, in bello autem ipsa contra Dominum mentis motio designatur. Quod nimirum totum in sancta Ecclesia confringitur, dum mentes Deo resistentium superposito jugo humilitatis edomantur. Hine rursus per eumdem Psalmi-
Psal. 45. 10. stam dicitur: *Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni.* Arcum enim Dominus conterit, cum occulta insidiantium machinamenta dissolvit. Arma confringit, cum ea, quæ contra se arecta fuerant, patrocinia humana comminuit: scuta igne comburit, cum peccantium mentes obstinata se duritia defendentes ad pœnitentiæ, & confessionis ardorem sancti Spiritus calore succendit.

CAPUT XI.

Psal. 5. 5.

Mane astabo tibi, & videbo.

b IN [b] axpos. B. Job, l. a. adjunctum ast: *Mane*
Num. 39. *astabo tibi, & videbo.* NOX quippe ast vita præsens, in qua quamdiu sumus, per hoc quod interna conspicimus sub incerta imaginatione caligamus. David quoque hujus noctis caliginem videns, claritatem veri luminis præstolatus, ait: *Mane astabo tibi, & videbo.* Adhue ergo in nocte minus se videre conspicit, qui ad videndum Deum futurum mane concupiscit.

CAPUT X.

Psal. 6. 2.

Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me.

DUm de cavenda extremi judicii sententia per donum bonę operationis tractaretur, hom. 16. in Ezech. seu 4. libri 2. adjunctum est: *Domine,*
Num. 2. *ne in ira tua arguas, &c.* SEPTEM diebus universum tempus evolvitur. Æterna etenim dies, quæ expleta septem dierum vicissitudine sequitur, scilicet octava est. Unde nunc Psalmista resurrectionis diem considerans, quia de extremi judicii erat districtione locuturus, præmisit titulum dicens: *In finem Psalmus David pro octava.* Ut enim quam octavam diceret, demonstraret, diem illam tremendi terroris in Psalmi inchoatione secutus est, dicens: *Domine, ne ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me;* Modo enim quisquis per flagella corripitur & correptionibus amendatur, in mansuetudine corripitur, non in ira. In districto autem illo examine omnis [c] argutio atque correptio, furor & ira est: quia venia post correctionem non est. c

CAPUT XI.

Psal. 6. 6.

In inferno autem quis confitebitur tibi?

IN expos. B. Job, l. 8. adjunctum est: *In inferno, &c.* [d] POTEST inferni nomine peccatoris Num. 10. d
desperatio designari, de qua per Psalmistam dicitur: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Unde Prov. 18.
rursum scriptum est: *Impius cum venerit in profundum peccatorum, contemnit.*

CAPUT XII.

Psal. 6. 8.

Turbatus est præ ira oculus meus.

CUm de commoti animi discretione tractaretur, in expos. B. Job, l. 5. adjunctum est: Num. 82. e
Turbatus est præ ira oculus meus. [e] IRA per vitium oculum mentis excęcat, ira zelum turbat: quia cum saltem recti æmulatione concutitur, ea, quę nisi tranquillo corde percipi non potest, contemplatio dissipatur. Ipse namque zelus rectitudinis, quia inquietudine mentem agitat, ejus mox aciem obscurat, ut altiora in commotione non videat, quæ bene prius tranquilla cernebat. Sed inde subtilius ad alta reducitur, onde ad tempus ne videat reverberatur. Nam ipsa recti æmulatio æterna, post paululum in tranquillitate largius aperit, quæ hic interim per commotionem claudit. Et unde mens turbatur ne videat, inde proficit ut ad videndum verius clarescat. Sicut infirmanti oculo cum collyrium immittitur, lux penitus negatur; sed inde eam post paululum varaciter recipit, unde hanc ad tempus salubriter amittit. Numquam vero commotioni contemplatio jungitur, nec prævalet mens perturbata conspicere, ad quod vix tranquilla valet inhiare: quia nec solis radius cernitur, cum commotæ nubes cæli faciem obducunt: nec turbatus fons inspicientis imaginem reddit, quam tranquillus proprie ostendit, quia quo ejus unda palpitat, eo in se speciem similitudinis obscurat. Sed cum per zelum animus movetur, curandum summopere est, ne hæc eadem, quę instrumento virtutis assumitur, menti ira dominetur, nec quasi domina præeat, sed velut ancilla ad obsequium parata, a rationis tergo nequaquam recedat. Tunc enim robustius contra vitia erigitur, cum subdita rationi famulatur. Nam quamtumlibet ira ex zelo rectitudinis surgat, si immoderata mentem vicerit, rationi protinus servire contemnit: & tanto se impudentius dilatat, quanto impatientiæ vitium virtutem putat. Unde necesse est ut hoc ante omnia, qui aelo rectitudinis movetur, attendat, ne ira extra mentis dominium transeat. Sed ultione peccati tempus modumque considerans, consurgentem animi perturbationem subtilius pertractando restringat, animositatem reprimat, & motus servi-

a In mss. *de differendis, &c.*
b Abest a mss. nostris.
c Editi male, *argutia.*

d Abest a mss. Michael. & aliis, nec reperitur locus in editis indicato.
e Neque hoc caput legitur in codd. nostris.

dos sub æquitate disponat, ut eo fiat justior ultor A alienus, quo prius extitit victor suus: quatenus sic culpas delinquentium corrigat, ut ante ipse qui corrigit, per patientiam crescat, & fervorem suum transcendendo dijudicet: ne intemperanter excitatus ipso zelo rectitudinis, longe a rectitudine aberret.

CAPUT XIII.

Psal. 6. 8. *Inveteravi inter omnes inimicos meos.*

a Num. 53. DUm de abdicandis vitiis, & [a] sectandis virtutibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 59. adjunctum est: *Inveteravi inter omnes inimicos meos.* CUNCTIS vera scientibus liquet, quod ad vetu- B stam vitam vitia pertinent, virtutes ad novam. Col. 3. 9. Rom. 6. 6. Unde & Paulus dicit: *Exuentes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum.* Et iterum ait: *Vetus homo noster simul crucifixus est.* Psalmista itaque ex typo humani generis loquens, inter malignos spiritus deprehensus dicit: *Inveteravi inter omnes inimicos meos.* A fervore etenim mentis vel inter spirituales inimicos, vel inter carnales quosque proximos ipso aliquo modo vivendi usu veterascimus, & assumtæ novitatis speciem fuscamus. A qua tamen vetustate quotidie si studia circumspectionis invigilant, orando, legendo, bene vivendo renovamur: quia vita nostra dum C lacrymis lavatur, bonis operibus exercetur, sanctis meditationibus tenditur, ad novitatem suam sine cessatione reparatur.

CAPUT XIV.

Psal. 7. 12. *Deus judex justus, fortis, & longanimis.*

Num. 5. DUm de divini judicii vi tractaretur, hom. 53. in Evang. adjunctum est: *Deus judex justus, fortis, & longanimis.* DICTURUS longanimem, præmisit justum, ut quem vides peccata delinquentium diu patienter ferre, scias hunc quandoque etiam districte judicare. Hinc per quemdam sapientem dicitur: Eccli. 5. 4. *Altissimus enim est patiens redditor.* Patiens enim redditor dicitur, quia peccata hominum & patitur, & reddit. Nam quos diu ut convertantur tolerat, non conversos durius damnat. D

CAPUT XV.

Psal. 7. 13. *Arcum suum tetendit & paravit: & in ipso paravit vasa mortis.*

b Num. 53. [b] CUm de discernendis in Scriptura sacra rerum significationibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 59. adjunctum est: *Arcum suum tetendit & paravit, &c.* QUID hoc loco per arcum, nisi sacra Scriptura signatur? Ipsa quippe arcus Ecclesiæ, ipsa arcus est Domini. De qua ad corda hominum sicut ferientes sagittæ, sic terrentes sententiæ veniunt. Arcum suum Dominus tetendit: quia cunctis peccatoribus per Scripturam sacram minas exhibuit. In quo arcu scilicet vasa mortis præparat: quia secundum eloquii sui sententiam eos, qui nunc corrigi negligunt, reprobos damnat. In quo etiam sagittas suas ardentibus efficit: quia ad eos, quos per terrorem corrigit, accensas verborum sententias emittit. E

a mss. *studendis virtutibus.*
b Hic etiam in mss. legitur, *de differendis.*

CAPUT XVI.

Psal. 7. 16. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.*

Num. 36. c IN expos. B. Job, l. 28. adjunctum est: *Concepit dolorem, &c.* [c] VULVÆ nomine oculta & malitiosa carnalium cogitatio designatur. Quæ vulva non ad proferendam prolem concipit substantiam corporis, sed ad explendam nequitiam, causam doloris. De hac vulva cordis iniquorum alias dicitur: *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Per hanc vulvam pravi concipiunt, mala cogitant: per hanc vulvam pariunt, cum mala, quæ cogitaverint, operantur.

CAPUT XVII.

Psal. 8. 3. *Ut destruas inimicum & defensorem.*

Num. 59. IN expos. B. Job, l. 55. adjunctum est: *Ut destruas inimicum & defensorem.* INIMICUS quippe & defensor est, qui Deum, quem prædicat, impugnat.

CAPUT XVIII.

Psal. 8. 4. *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum.*

Num. 7. DUm de intellectu historico ac mystico tractaretur hom. 13. in Ezech. seu hom. 1. lib. 2. adjunctum est: *Quoniam videbo cælos tuos, &c.* IN Scriptura sacra, & ea quæ accipi secundum historiam possunt, plerumque spiritualiter intelligenda sunt, ut & fides habeatur in veritate historiæ, & spiritualis intelligentia capiatur in mysteriis allegoriæ. Sicut hoc quoque novimus quod Psalmista ait: *Quoniam videbo cælos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ tu fundasti.* Ecce enim juxta veritatem historiæ stat sermo orationis: quia & cæli opera Dei sunt: & luna ac stellæ ab eo creatæ atque fundatæ sunt. Sed si hoc Psalmista juxta solam historiam, & non etiam secundum intellectum mysticum asserit, qui cælos opera Dei esse professus est, dicturus lunam & stellas, cur non etiam solem quem scimus, quia ejus opus est, pariter enumeravit? Si enim juxta solam historiam loquebatur, dicturus luminare minus, prius luminare majus dicere debuit, ut ante solem, & post lunam atque stellas fundatas esse perhiberet. Sed quia juxta intellectum mysticum loquebatur, ut lunam sanctam Ecclesiam, & stellas homines sanctos accipere deberemus; solem nominare noluit, quia videlicet ipsi æterno Soli loquebatur, de quo scriptum est: *Vobis autem, qui timetis Dominum, orietur sol justitiæ.* Malach. 4. 2. Sap. 5. 6. De quo reprobi in fine dicturi sunt: *Sol justitiæ non ortus est nobis.* Dicendo ergo lunam, & stellas, quas tu fundasti, & tamen tacendo solem, qui factus est, indicavit quia illi Soli locutus est, qui non solum solem, & lunam, atque stellas corporaliter, sed etiam lunam Ecclesiam, atque stellas sanctos homines spiritualiter fecit.

CAPUT XIX.

Psal. 8. 9. *Pisces maris, qui perambulant semitas maris.*

Num. 5. d IN expos. B. Job, l. 55. adjunctum est: *Pisces maris, qui perambulant semitas maris.* [d] QUID per pisces maris, nisi curiosos hujus seculi debemus ac-

cj-

c Capp. 16. & 17. non habentur in mss.
d Non extat in mss.

eipere, qui in magnis rerum inquisitionibus quasi in abditis fluctibus latent? A

CAPUT XX.

Psal. 9. 15. *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.*

Num. 21. CUM de perfectorum studiis per aspirationem divinæ gratiæ tractaretur, in expos. B. Job, l. 59. adjunctum est: *Qui exaltas me de portis mortis, etc.* QUID per portas filiæ Sion, nisi bona quæque actio designatur, per quam anima ad conventum regni cælestis ingreditur? Unde nunc Propheta ait: *Qui exaltas me de portis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* B Portæ quippe mortis sunt actiones pravæ, quæ ad interitum trahunt. Quia autem Sion, speculatio dicitur, portas Sion actiones bonas accipimus, per quas supernam patriam ingredimur, ut regis nostri gloriam contemplemur.

CAPUT XXI.

Psal. 9. v. ult. *Non in finem oblivio erit pauperum, patientia pauperum non peribit in finem.*

Num. 9. DUm de contemtu præsentium, & spe futuri premii tractaretur, hom. 35. in Evang. adjunctum est: *Non in finem oblivio erit pauperum, etc.* C QUANTUMLIBET vel in adversis patientes, vel in prosperis humiles simus, in hac vita retribui nobis bona presentia nullo modo requiramus, nam pro labore patientię, bona speranda sunt sequentis vitæ: ut tunc premium nostri laboris incipiat, quando omnis jam labor funditus cessat. Hinc ergo per Psalmistam dicit: *Oblivio non erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.* Quasi perisse patientia pauperum cernitur, cum nihil pro illa in hac vita humilibus recompensatur. Sed patientia pauperum in finem non peribit, quia tunc ejus gloria percipitur, cum simul omnia laboriosa terminantur.

CAPUT XXII.

Matt. 9. 7. *Sub lingua ejus labor et dolor: sedet in insidiis cum divitibus in occultis.*

Num. 23. CUm de subdolis reproborum mentibus eorumque capitis virulenta malitia tractaretur, in expos. B Job, l. 15. adjunctum est: *Sub lingua ejus labor et dolor, etc.* PERVERSI quique quum malum non in lingua, sed sub lingua habent, sermonibus dulcia pretendunt, & cogitationibus perversa moliuntur. De ipso ergo capite scriptum est: *Sub lingua ejus labor et dolor.* Qui enim non aperte mala, quæ cogitat, ostendit, laborem & dolorem eorum, quorum mortem appetit, non in lingua exerit, sed sub lingua premit. E Cujus tamen hoc loco, nisi personam Antichristi Psalmista descripsit? Propter enim perversa dogmata sub lingua ejus labor & dolor est: propter miraculorum vero speciem sedet in insidiis: propter autem secularis potestatis gloriam, cum divitibus in occultis. Quia enim simul & miraculorum fraude & terrena potestate utitur, in occultis & cum divitibus sedere perhibetur.

a Abest a mss.

CAPUT XXIII.

Insidiatur in occulto sicut leo in cubili suo. Psal. 9. 30.

DUm de operationibus antiqui adversarii tractaretur, in expos. B. Job, l. 33 adjunctum est: *Insidiatur in occulto sicut leo in cubili suo.* Num. 21. Hoc de ultima sęvitia diaboli Propheta testatur, dum in sua fuerit virtute laxatus. Ad apertam namque potentiam sufficisset ut leo esset, etiamsi insidians non fuisset. Rursumque ad occultas versutias sufficisset, ut insidians insidias surriperet, etiamsi leo non esset. Sed quia antiquus hostis in cunctis suis viribus effrenatur, sęvire per utraque permittitur, ut contra electos in certamine & fraude & virtute laxetur: virtute per potentiam, fraude per signa. Recte ergo & leo, & insidians dicitur: insidians per miraculorum speciem: leo per fortitudinem secularem. Ut enim eos, qui aperte iniqui sunt, ad se pertrahat, secularem potentiam ostentat: ut vero etiam justos fallat, signis sanctitatem simulat. Illis enim suadet elatione magnitudinis: istos decipit ostensione sanctitatis.

CAPUT XXIV.

In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer? Psal. 10. 1.

IN expos. B. Job, l. 33. adjunctum est: *In Domino confido, &c.* a CUM enim fideli animę unitate derelicta, in tumenti doctrina confidere hæretici predicatoris dicitur, deserto Domino quasi in montem transmigrare suadetur. Num. 2.

a ...

CAPUT XXV.

Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. Psal. 10. 2.

CUm de reproborum insidiis contra electos tractaretur, in expos. B. Job. l. 31. adjunctum est: *Paraverunt sagittas suas in pharetra, &c.* QUID pharetræ nomine, nisi pravarum machinatio designatur? Num. 62. D Iniqui enim cum dolos quos bonis excogitant, secretis machinationibus occultant, quasi in pharetra sagittas portant, & in hac presentis vitæ caligine velut in obscuro rectos corde feriunt, quia malitiosa eorum jacula & sentiri per vulnus possunt, & tamen venientia deprehendi non possunt.

CAPUT XXVI.

Palpebræ ejus interrogant filios hominum. Psal. 10. 5.

DUm de occultis mysteriis divinæ operationis tractaretur, in expos. B. Job, l. 28. adjunctum est: Num. 13. *Palpebræ ejus interrogant filios hominum.* APERIENDO nobis quædam, atque claudendo nos interrogat Deus, sicut per Prophetam dicitur: E *Palpebræ ejus interrogant filios hominum.* Palpebris quippe apertis cernimus, clausis nihil videmus. Quid ergo per palpebras Dei, nisi ejus judicia accipimus? Quæ juxta aliquid clauduntur hominibus, & juxta aliquid reserantur; ut homines qui se nesciunt, sibimetipsis innotescant: quatenus dum quędam intelligendo comprehendunt, quædam vero cognoscere omnino non possunt, eorum corda sese latenter iniquirant, si illos divina judicia

vel

vel clausa non stimulant, vel aperta non instant. Hac enim Paulus interrogatione probatus est, qui post perceptam internam sapientiam, post aperta claustra paradisi, post ascensum cæli tertii, post supernæ locutionis mysteria adhuc dicit: *Ego me non arbitror comprehendisse*. Et rursum: *Ego sum minimus omnium Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus*. Et rursum: *Non quia sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. Apertis ergo palpebris Dei interrogatus Paulus recte respondit, qui & superna secreta attigit, & tamen in humilitate cordis sublimiter stetit. Qui rursum cum secreta Dei judicia de repulsione Judæorum, & Gentium vocatione discuteret, atque ad ea pervenire non posset, quasi clausis Dei palpe- B bris interrogatus est. Sed rectum valde responsum reddidit, qui Deo se in ipsa sua ignorantia scienter inclinavit, dicens: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Ecce enim absconsis mysteriis, quasi clausis palpebris inquisitus, placita ac recta respondit. Qui secreti aditum pulsans, quia per cognitionem intromitti ad interiora non valuit, per confessionem ante januam humilis stetit, & quod intus comprehendere non potuit, foris timendo laudavit.

Philip. 3. 12. 1. Cor. 15. 9. 2. Cor. 3. 5. Rom. 11. 33.

CAPUT XXVII.

Item unde supra.

Num. 4. a

HOm. 17. in Ezech. [a] PER ea enim, quæ nobis in sacra Scriptura cooperta sunt, nostra humilitas approbatur; quia quidquid in illa non intelligimus non superbe reprehendere, sed venerari humiliter debemus. Unde de Domino scriptum est: *Palpebræ ejus interrogant filios hominum*. Palpebræ quippe ejus judicia sunt, quæ aliquid nobis claudunt, & aliquid aperiunt. Quæ aperiendo nos interrogant, si intelligendo non extollimur: claudendo nos interrogant, si non despicimus quæ intelligere non valemus. Per ea autem, quæ de caritate nostra proximis nostris non loquimur, in conspectu Dei verius probamur. In quorumdam enim ore caritas ficta est, in quorumdam cordibus vera; & sæpe de caritate ostenditur quod non est, & non demonstratur quod est. Amorem itaque nostrum erga proximum plus bona operatio loquitur, quam lingua; ut in ipso bono opere proximus noster amari se videat, & eum tantum non possimus, quantum volumus operari, omnipotenti Deo occulta amoris nostri sufficiant.

CAPUT XXVIII.

Psal. 10. 7. *Pluet super peccatores laqueos, ignis, sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.*

b Num. 13.

CUm de [b] vi districtioris judicii tractaretur, in expos. B. Job, l. 15. adjunctum est: *Pluet super peccatores laqueos*, &c. DICENDO laqueos, ignis, sulphur, & spiritus procellarum, multos nimirum dolores intulit. Sed quia ab eis doloribus peccator, qui non corrigitur, ad æterna supplicia vocatur, eosdem dolores non jam totum calicem, sed partem calicis dixit: quia videlicet eorum passio hic A quidem per dolores incipitur, sed in ultione perpetua consummatur.

CAPUT XXIX.

Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum. Psal. 11. 7.

Num. 6. in fine.

DUm de operatione divini eloquii tractaretur, in expos. B. Job, l. 4. adjunctum est: *Eloquia Domini*, &c. ELOQUIUM Domini argentum igne examinatum dicitur, quia sermo Dei si in corde figitur, tribulationibus probatur.

CAPUT XXX.

B *In circuitu impii ambulant.* Psal. 11. 9.

Num. 7.

CUm de sequentibus antiqui adversarii operationem tractaretur, in expos. B. Job, l. 2. adjunctum est: *In circuitu impii ambulant*. SOLET per circuitum laboris anxietas designari, sicut de Satanæ responsione scriptum est: *Circuivi terram, & perambulavi eam*. Sed Satan laborans, terram circuivit: quia quietus in cæli culmine stare contempsit. Cumque se non transvolasse, sed perambulasse insinuat, quanto peccati pondere in imis prematur, demonstrat. Perambulans ergo terram C circuit, qui ab illo spiritualis potentiæ volatu corruens, malitiæ suæ pressus gravedine, foras ad gyrum laboris venit. De hujus ergo capitis imitatoribus, ejus videlicet membris per Psalmistam dicitur: *In circuitu impii ambulant*, quia malitiæ illius tabe corrupti, dum interiora non appetunt, in exteriorum labore fatigantur.

Job. 2. 2.

CAPUT XXXI.

Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Psal. 13. 1.

Num. 25.

DUm de reprobis ob amorem visibilium perversa de Deo sentientibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 15. adjunctum est: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus*. MENS hominis male exterius fusa sic in rebus corporeis sparsa est, ut neque ad semetipsam intus redeat, ne- D que eum, qui est invisibilis, cogitare sufficiat. Unde carnales viri jussa spiritualia contemnentes, Deum quia corporaliter non vident, quandoque ad hoc perveniunt, ut etiam non esse suspicentur. Unde scriptum est: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus*. Plerumque enim plus appetunt homines servire hominibus quos corporaliter vident, quam servire Deo quem non videns. Per omne enim quod faciunt, ad fidem oculorum tendunt. Et quia in Deum oculos corporis tenere non possunt, ei obsequia præbere vel despiciunt, vel si cœperint, fatigantur. Esse enim, sicut dictum est, non credunt, quem corporaliter non intuentur. Qui si Auctorem omnium Deum humiliter quærerent, id quod E non videtur, ex eo quod videtur esse, melius in semetipsis invenirent. Ipsi quippe ex anima invisibili & corpore visibili subsistunt: & si hoc ab eis, quod non videtur, abstrahitur, illic corruit quod videtur. Et patent quidem carni oculi, sed videre quidquam vel sentire non possunt. Sensus enim visionis perit: quia habitator recessit, & domus carnis remanet vacua, quia abscessit ille invisibilis spiritus, qui per ejus respicere fenestras solebat.

a Non est in aliis.

b Alias in vigoris, ibid.

bat. Quia ergo rebus visibilibus invisibilia præstantiora sunt, carnales quique ex semetipsis pensare debuerunt, atque per hanc, ut ita dixerim, scalam considerationis tendere in Deum: quia eo est, quo invisibilis permanet; & eo summus permanet, quo comprehendi nequaquam potest.

A

CAPUT XXXII.

Psal. 13.5. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*

Num. 32. DUm de pusillanimitate infirmarum mentium tractaretur, in expos. B. Job, l. 7. adjunctum est: *illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* SCIENDUM est quod plerique agere recta desiderant, sed sunt nonnulla, quæ infirmis eorum mentibus ex præsenti vita contradicunt. Cumque adversa in infimis perpeti metuunt, in superni judicii rectitudine offendunt. Unde sæpe nonnulli dum temporalia adversa pertimescunt, districtioni se æternæ animadversionis objiciunt. De his ergo bene per Psalmistam dicitur: *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Iste namque veritatem jam libere defendere appetit, sed tamen in ipso suo appetitu trepidus indignationem potestatis humanæ pertimescit. Cum in terra hominem contra veritatem pavet, ejusdem veritatis iram cælitus sustinet. Ille peccatorum suorum conscius, ea, quæ possidet, indigentibus jam largiri desiderat, sed tamen ne datis rebus egeat, ipse formidat. Cumque carnis subsidia reservando trepidus præparat, ab alimentis misericordiæ animam necat. Et cum pati in terra inopiam metuit, æternam sibi abundantiam supernæ refectionis abscindit. Qui enim conculcanda in infirmis metuunt, a summis metuenda patiuntur: & cum transire nolunt quod calcare poterant, judicium de supernis excipiunt, quod tolerare nequaquam possunt.

B

CAPUT XXXIII.

Psal. 15.2. *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Num. 2. a IN expos. B. Job, l. 16. adjunctum est: *Dixi Domino, &c.* IN [a] omni quippe quod bene agimus, nosmetipsos, non autem Dominum juvamus. Ipse enim vere nobis Dominus, quia & utique Deus est, qui bono non indiget servientis, sed bonitatem confert quam recipit, ut oblata bonitas non ipsi, sed prius accipientibus, & post reddentibus prosit. Nam etsi in judicio Dominus veniens dicit: Matt. 25.40. *Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis,* mira hoc pietate loquitur ex suorum compassione membrorum; & ipse nos per hoc, quod caput nostrum est, adjuvat, qui per nostra bona opera in suis membris adjuvatur.

C

CAPUT XXXIV.

Psal. 15. 6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hereditas mea præclara est mihi.*

Num. 18. CUm de distinguendis multiplicibus rerum significationibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 33. adjunctum est: *Funes ceciderunt mihi in præclaris, &c.* SCRIPTURA sacra aliquando fune dimensionum sortes, aliquando peccata, aliquando fidem designare consuevit. Nam propter

a In mss. non continetur.
b Omittitur in mss.

hereditarias dimensionum sortes dicitur: *Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hereditas mea præclara est mihi.* Funes quippe in præclaris cadunt, dum per humilitatem vitæ sortes nos patriæ melioris excipiunt. Rursum quia fune peccata signantur, per Prophetam dicitur: *Væ qui trahitis iniquitates in funiculis vanitatis.* Isa. 5. 18. Iniquitas namque in funiculis vanitatis trahitur, dum per augmentum culpa protelatur. Unde per Psalmistam dicitur: *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Psal. 118. 61. Quia enim funis addendo torquetur ut crescat, non immerito peccatum in fune figuratur, quod perverso corde sæpe dum defenditur, multiplicatur. Rursum fune fides exprimitur, Salomone attestante, qui ait: *Funiculus triplex difficile rumpitur:* Eccl. 4. 12. quia videlicet fides, quæ de cognitione Trinitatis ab ore prædicantium texitur, fortis in electis permanens, in solo reproborum corde dissipatur.

CAPUT XXXV.

Ego clamavi: quoniam exaudisti me Deus. Psal. 16. 6.

IN expos. B. Job, l. 35. adjunctum est: *Ego clamavi, &c.* [b] NON enim ait: quia clamavi, exaudisti me; sed *clamavi, quoniam exaudisti me.* Num. 4. b Qui enim loquens exauditus fuerat, votis proficientibus exauditus clamabat: *Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te:* quia tunc nimirum misericordiæ Domini miræ apud nosmetipsos, qui eripimur, fiunt, cum per easdem misericordias quam gravia fuerint pericula, quæ evasimus, agnoscuntur.

CAPUT XXXVI.

Sub umbra alarum tuarum protege me. Psal. 16. 8.

DUm de custodia divina circa nos tractaretur, in expos. B. Job, l. 32. adjunctum est: *Sub umbra alarum tuarum protege me.* Num. 7. QUIA nos parvulos Dominus dum protegit, nutrit, & non gravi atque onerosa, sed levi & blanda protectione nos refovet, dum suas in nos misericordias exercit, quasi more avium, super nos alas tendit.

D

CAPUT XXXVII.

Diligam te, Domine, virtus mea. Psal. 17. 1.

IN expos. B. Job, l. 32. adjunctum est: *Diligam te, &c.* Num. 10. c CERTUM quippe est, quia minus diligit ereptorem suum, qui minus intelligit periculum quod evasit: & vile solatium defensoris deputat, qui virtutem adversarii debilem putat. Unde bene ereptionem suam Domino retribuens Propheta dicebat: *Diligam te, Domine, virtus mea:* aperte videlicet dicens, eo te magis diligo, quo infirmitatem propriam sentiens, virtutem meam te esse cognosco.

E

CAPUT XXXVIII.

Caligo sub pedibus ejus: & ascendit super Cherubim, & volavit; volavit super pennas ventorum, & posuit tenebras latibulum suum. Psal. 17. 10.

CUm de divinæ essentiæ celsitudine tractaretur,

N

c Abest a mss.

Num. 39. tur, in expos. B. Job, l. 17. adjunctum est: *Caligo sub pedibus ejus*, &c. CALIGO sub pedibus est, quia non in ea claritate ab inferioribus cernitur, qua in superioribus dominatur. *Ascendit enim super Cherubim, & volavit*: Cherubim quippe plenitudo scientiæ dicitur. Proinde super plenitudinem scientiæ ascendisse perhibetur & volasse: quia majestatis ejus celsitudinem scientia nulla comprehendit. Volavit ergo, quia longe in altum ab intellectu nostro se rapuit. Volavit super pennas ventorum, quia scientiam transcendit animarum. *Posuit tenebras latibulum suum*: quia dum caligine nostræ infirmitatis obscuramur, per ignorantiam nostram nobis absconditur, ne a nobis modo in æterna, & intima claritate videatur. Unde ei & in Canticis canticorum a sponsa dicitur: *Fuge, dilecte mi, fuge*.

Cant. 8. 14.

CAPUT XXXIX.

Item unde supra.

a SUPER Cherubim Dominus ascendit & volavit, quia super plenitudinem scientiæ, quæ esse in hominibus potuit, incarnationis suæ gloriam exaltare dignatus est; ut hoc ejus volare sit, potentiæ suæ mysterium ab intellectu humano subducere. Quantalibet enim plenitudine scientiæ vita spiritualium fulgeat, apprehendere non valet quomodo factum sit, ut qui extitit, conciperetur, & ante secula Auctor hominum nasceretur homo in fine seculorum, Deus caro esset, Verbum in fine fieret. Unde recte & illic additur: *Volavit super pennas ventorum*, quia videlicet transcendit omnes intellectus animarum. Vento quippe animas figurari pro velocitate suæ cogitationis non inconvenienter accipimus.

CAPUT XL.

Psal. 17. 12. *Posuit tenebras latibulum suum.*

Num. 12. & 13. DUm de bono pœnitentiæ per aspirationem supernæ gratiæ tractaretur, in expos. B. Job, l. 5. adjunctum est: *Posuit tenebras latibulum suum*. AUCTOR noster, quia nobis in hoc exilium dejectis lucem suæ visionis abstulit, sese nostris oculis quasi in tenebrarum latibulo abscondit. Quas nimirum cæcitatis nostræ tenebras cum studiose conspicimus, mentem ad lamenta provocamus. Flet enim cæcitatem, quam foris patitur, si humiliter meminit quod interiorum lumine privetur. Cumque tenebras, quibus circumdatur, respicit, splendoris intimi ardenti se desiderio affligit, omnique intentionis nisu semetipsam concutit, & supernam lucem, quam condita deseruit, repulsa quærit. Unde fit plerumque ut in ipsis piis fletibus, illa interni gaudii claritas erumpat: & mens, quæ in torpore cæca jacuerat, ad inspectionem fulgoris intimi suspiriis vegetata convalescat.

CAPUT XLI.

Psal. 17. 18. & 13. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris. Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando & carbones ignis.*

Num. 30. DUm de prædicatorum Ecclesiæ virtutibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 17. adjunctum est: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, &c. Tenebrosa aqua, quid aliud, quam occultam signat scientiam Prophetarum, qui ante adventum Domini dum occultis sacramentis gravidi mysteria immensa gestarent, intuentium oculis, eorum intelligentia caligabat? Præ fulgore vero nubes transierunt, quia prædicatores sancti universa mundi spatia miraculorum claritate percurrunt. Qui etiam grando & carbones ignis vocati sunt: quia & per correctionem feriunt, & per flammam caritatis accendunt. Ipsa quoque libera Sanctorum increpatio, natura grandinis convenienter exprimitur. Grando enim veniens percutit, liquata rigat. Sancti autem viri corda audientium & terrentes feriunt, & blandientes infundunt. Nam quemadmodum feriant Propheta testatur dicens, *Virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt*. Et quemadmodum blandientes rigent, secutus adjunxit: *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, & justitia tua exultabunt*.

Item lib. 27. num. 25. 1 e lib. 29. num. 38.

Psal. 144. 6. Ibid. v. 7.

CAPUT XLII.

Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum. Psal. 17. 34.

Num. 24. CUm de perfectorum studiis tractaretur, in expos. B. Job, l. 26. adjunctum est: *Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum*. ROBUSTORUM mentes in Deo immobiliter fixæ, tanto adversa quæque despiciunt, quanto cernunt quod contra præcepta Conditoris excrescunt. Æternitatis quippe premia prestolantes, vires ex adversitatibus sumunt: quia crescente pugna gloriosiorem sibi, non ambigunt manere victoriam. Sic itaque electorum desideria dum premuntur, adversitate proficiunt, sicut ignis flatu premitur ut crescat: & unde quasi extingui cernitur, inde roboratur. In eo namque ostendimus quanta ad Deum cupiditate flagramus, si non solum ad eum per tranquilla & mollia, sed etiam per aspera & dura transimus. Bene ergo per Psalmistam dicitur: *Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum*. Cervus enim cum montium juga conscendit, quæque se aspera, quæque se objiciunt sentibus illigata, dato saltu transgreditur, & absque ullo cursus sui obstaculo in superioribus elevatur. Ita etiam electorum mentes, quæque sibi in hoc mundo obsistere atque obviare conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt, & more cervorum, despectis terrenorum sentibus, in superna se evehunt. Unde idem Psalmista iterum dicit: *Et in Deo meo transgrediar murum*. Murus quippe est omne quod itineri nostro objicitur, ne ad eum, qui diligitur, transeatur. Sed murum transgredimur, cum præ amore superne patriæ quæque in hoc mundo fuerint objecta calcamus.

Ibid. 30.

CAPUT XLIII.

Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveteraverunt, & claudicaverunt a semitis suis. Psal. 17.

Num. 40. IN expos. B. Job, l. 19. adjunctum est: *Filii alieni mentiti sunt mihi*, &c. b ISRAELITICUS populus idcirco claudus nominatur, quia sanum gressum in operatione non habuit. Quippe quia utroque pede uti noluit, dum unum Testamentum recipit, aliud spernit.

CA-

a In cod. Michael. legitur hoc desumtum ex Commentariis Ezech. homilia. Sed quæ est hæc homilia? Nullibi certe id nobis occurrit. Libro 1. comm. in 1. Regum cap. 1 num. 19. legitur pene similia.
b Caput hoc, & duo sequentia non habentur in m.ss.

[b] CAPUT XLIV.

Psal. 18. 2. *Cæli enarrant gloriam Dei.*

Num. 10. IN expos. B. Job, l. 4. adjunctum est: *Cæli enarrant gloriam Dei*. QUID cælorum nomine, nisi prędicantium vita signatur? Ipsi igitur sunt cęli, ipsi sol esse memorantur. Cęli scilicet, quia intercedendo protegunt: sol, quia prędicando, vim luminis ostendunt.

CAPUT XLV.

Psal. 18. 6. *In sole posuit tabernaculum suum.*

Num. 25. IN expos. B. Job, l. 34. adjunctum est: *In sole posuit tabernaculum suum*. AC si diceret: Humanitatis assumtæ sacramentum in lumine manifestæ visionis ostendit.

CAPUT XLVI.

Ibidem. *Ipse enim tamquam sponsus procedens de thalamo suo.*

DUm de mysterio incarnationis Dominicæ tractaretur, hom. 38. in Evang. adjunctum est: Num. 3. *Ipse enim tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* TAMQUAM sponsus Redemtor noster de thalamo suo processit, qui ad conjungendam sibi Ecclesiam incarnatus Deus de incorrupto utero Virginis exivit.

CAPUT XLVII.

Psal. 20. 10. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus in ira sua conturbabit eos; & devorabit eos ignis;*

DUm de iniquorum futuræ retributionis pœna tractaretur, in expos. B. Job, l. 15 adjunctum Num. 33. est: *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, &c.* SCIENDUM est quod omnes reprobi, quia ex anima simul & carne peccaverunt, illic in anima pariter & carne cruciantur. Clibanus namque intrinsecus ardet: is vero qui ab igne devoratur ab exteriore incipit parte concremari. Ut ergo sacra eloquia ardere & exterius & interius reprobos demonstrarent, eos & ab igne devorari, & sicut clibanum poni testantur, ut per ignem crucientur in corpore, & per dolorem ardeant in mente. * In tempore itaque vultus Domini, injusti omnes & ut clibanus puniuntur, & ab igne devorantur: quia apparente judice, cum a visione illius eorum multitudo repellitur, & intus per desiderium ardet conscientia, & foris carnem cruciat gehenna.

* Ibid. lib. 6, num. 47.

CAPUT LXVIII.

Psal. 21. 3. *Deus meus clamabo per diem, nec exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.*

DUm de dispensatorio divinæ misericordiæ dono circa electos tractaretur, in expos. B. Job, Num. 61. l. 20. adjunctum est: *Deus meus clamabo per diem, &c.* SANCTA Ecclesia persecutionis tempore, fide stat, desideriis clamat. Sed dolet se quasi non respici, dum sua videt in tribulationibus vota differri. Alto namque consilio omnipotens Deus cum A Sancti ejus adversariorum persecutionibus comprimuntur, cumque assiduis ut liberentur interpellationibus clamant, differre solet voces petentium, ut merita patientium crescant; quatenus eo magis exaudiantur ad meritum, quo citius non exaudiuntur ad votum. Dicit ergo Psalmista: *Deus meus clamabo per diem, nec exaudies, & nocte*. Atque ipsa utilitas de exaudiendi mora mox subditur, cum illic protinus subinsertur: *Et non ad insipientiam mihi*. Ad multiplicandam quippe Sanctorum sapientiam proficit, quod postulata tarde percipiunt, ut ex dilatione crescat desiderium, ex desiderio intellectus augeatur. Intellectus vero cum intenditur, ejus in Deum ardentior affectus aperitur. Affectus autem ad promerenda cælestia tanto fit capax, B quanto fit expectando longanimis. Sed tamen inter hæc Sanctorum patientiam dolor urget ad vocem, & cum dilati proficiunt, metuunt ne deficiant, & vacui rebus despecti reprobentur.

CAPUT XLIX.

Item unde supra.

IN expos. B. Job, l. 26. NEMO qui tardius auditur, credat quod a superna cura negligatur. Num. 34.

Sæpe enim nostra desideria, quia celeriter non fiunt, exaudiuntur: & quod impleri concite petimus, ex ipsa melius tarditate prosperatur. Sæpe vox nostra eo perficitur, quo differtur: & cum C superficietenus petiti negligitur, vota nostra altius in cogitationum radice complentur, sicut & semina messium gelu pressa solidantur: & quo ad superficiem tardius exeunt, eo ad frugem multipliciora consurgunt. Desideria itaque nostra dilatione extenduntur ut proficiant: proficiunt, ut ad hoc quod perceptura sunt, convalescant. Exercitantur in certamine, ut majoribus cumulentur præmiis in retributione. Labor protrahitur pugnæ, ut crescat corona victoriæ. Suos ergo Dominus cum velociter non exaudit, quo repellere creditur, trahit: Internus quippe est medicus, & peccatorum in nobis contagia, quæ inesse medullitus reprobat, secat: abscindit virus putredinis ferro tribulationis: & quo voces ægri audire dissimulat, eo ægritudinis D finem procurat. Hinc est ergo quod Propheta ait: *Clamabo per diem, nec exaudies: & nocte & non ad insipientiam mihi*. Ac si diceret: Nequaquam mihi ad insipientiam proficit, quod die ac nocte clamantem me continuo non exaudis: quia unde me in temporali tribulatione quasi deseris, inde ad æternam sapientiam plus erudis. Hinc etiam dicit: *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*. In tribulatione quippe dicturus, opportunitatem præmisit: quia sæpe tribulatione conterimur, & tamen opportunum nondum est ut desiderio ereptionis adjuvemur. Psal. 21. 3. Psal. 9. 10.

CAPUT L.

E *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Psal. 22. 4.

IN expos. B. Job, l. 20. adjunctum est: *Virga tua, & baculus tuus, &c.* [a] VIRGA percutimur, & baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgę, quæ feriat, sit econtra consolatio baculi, quæ sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderate sæviens: sit pietas, sed non plus quam expediat parcens. Num. 24. a

a Cap. 50. & 52. in mss. non sunt.

CAPUT LI.

Psal. 22. 5. *Impinguasti in oleo caput meum.*

Num. 33. IN expos. B. Job, l. 3. adjunctum est: *Impinguasti in oleo caput meum*. AC si dicat: caritatis pinguedine replesti mentem meam. *Exaruit velut testa virtus mea*. Etenim testa igne solidatur. Caro autem eo ex passione sua robustior extitit, quo per infirmitatem moriens, a morte sine infirmitate surrexit. Et iterum: *Exaruit velut testa virtus mea*. Sicut testa enim ejus virtus exaruit, quia susceptę carnis infirmitatem passionis suæ igne roboravit.

Psal. 21. 16.

CAPUT LII.

Psal. 23. 4. *Qui non accepit in vano animam suam.*

Num. 38 CUm de studio boni operis tractaretur, in expos. B. Job, l. 7. adjunctum est: *Qui non accepit, &c.* DE unoquoque electo per Psalmistam dicitur: *Qui non accepit in vano animam suam*. In vano namque animam suam accipit, qui sola præsentia cogitans, quę sequantur in perpetuum non attendit. In vano animam suam accipit, qui ejus vitam negligens, ei curam carnis anteponit. Sed animam suam in vanum justi non accipiunt, quia intentione continua ad ejus utilitatem referunt quidquid corporaliter operantur; quatenus & transeunte opere, operis causa non transeat, quę vitę pręmia post vitam parat. Sed hæc curare reprobi negligunt, quia profecto ambulantes in vacuum, vitam sequentes fugiunt, invenientes perdunt. Unde melius a pravorum imitatione compescimur, si eorum damna ex fine pensamus.

CAPUT LIII.

Psal. 24. 18. *De necessitatibus meis eripe me.*

a DUm de [a] cohibendis per usum bonæ operationis, infirmitatis humanæ desideriis tractaretur, in expos. B. Job, l. 20. adjunctum est: *De necessitatibus meis eripe me*. NATURA humana bene condita, sed ad infirmitatem vitio proprię voluntatis lapsa in calamitatem cecidit: quia pressa innumeris necessitatibus, nihil in hac vita nisi unde affligeretur, invenit. Sed cum eisdem naturę nostræ necessitatibus plerumque plusquam expedit, deservimus, mentisque curam negligimus, ex miseria negligentiæ, infirmitati nostrę addimus squalorem culpę. Necessitates namque naturales hoc habere valde periculosum solent, quod sępe in eis minime discernitur, quid circa illas per utilitatis studium, & quid per voluptatis vitium agatur. Crebro enim occasione seductionis inventa, dum necessitati debita reddimus, voluptatis vitio deservimus, & infirmitatis velamine ante discretionis oculos excusatio nostra se palliat, ac quasi sub patrocinio explendę utilitatis occultat. Infirmitatem vero naturę nostrę per negligentiam relaxare nihil est aliud, quam calamitati miseriam addere, ac vitiorum squalorem eadem miseria multiplicare. Unde sancti viri in omne quod agunt, studiosissima intentione discernunt, ne quid plus ab eis naturæ suæ infirmitas, quam sibi debetur, exigat, A ne sub necessitatis tegmine in eis vitium voluptatis excrescat. Aliud enim ex infirmitate, aliud ex tentationis suggestione sustinet; & quasi quidam rectissimi [b] arbitres inter necessitatem, voluptatemque constituti, hanc consolando sublevant, illam premendo frenant. Unde fit ut etsi infirmitatis suæ calamitatem tolerent, tamen ad squalorem miseriæ per negligentiam non descendant. Hoc ipsum enim esse in calamitate, est necessitatem naturæ, ex carnis adhuc corruptibilis infirmitate sustinere: quas videlicet necessitates cupiebat evadere, qui dicebat: *De necessitatibus meis eripe me*. Sciebat enim plerumque voluptatum culpas ex necessitatum occasione prorumpere, ne quid sponte illicitum admitteret, B hoc ipsum satagebat evelli, quod nolens ex radice tolerabat. At contra pravi gaudent in his corruptionis suæ necessitatibus, quia nimirum eas ad usus voluptatum retorquent. Cum enim reficiendis cibo corporibus naturæ serviunt, per delectationem gulæ in voluptatis ingluvie distenduntur. Cum tegendis membris vestimenta quærunt, non solum quæ tegant, sed etiam quę extollant, appetunt: & contra torporem frigoris, non solum quę per pinguedinem muniant, sed etiam quę per mollitiem delectent; non solum quę per mollitiem tactum mulceant, sed etiam quę per colorem oculos seducant. De his ergo necessitatibus liberari Psalmista desiderans dicit: *De necessitatibus meis eripe me*. Necessitatis C enim causam in usum voluptatis vertere, quid est aliud quam calamitati suæ squalorem miseriæ sociare?

Num. 28. & 29.

b

CAPUT LIV.

Proba me, Domine, & tenta me. Psal. 25. 2.

CUm de providæ circumspectionis electorum studiis tractaretur, in expos. B. Job, l. 7. adjunctum est: *Proba me, Domine, & tenta me*. CUM securos nos, ac de virtutum affluentia elatos, repentinus vel flagelli dolor, vel infirmitatis tentatio percutit, protinus ab status sui vertice mentis nostræ elatio succisa cadit; ut de semetipsa nihil D audeat, sed infirmitatis suę ictu prostrata, manum levantis quęrat. Hinc est quod sancti viri, cum de occulta erga se dispositione suspecti sunt, plus prospera ipsa pertimescunt, tentari appetunt, flagellari concupiscunt: quatenus incautam mentem metus, & dolor erudiat, ne in hac peregrinationis via hoste ex insidiis erumpente, sua eam deterius securitas sternat. Recte ergo per Psalmistam dicitur: *Proba me, Domine, & tenta me*. Ac si aperte dicat: Prius vires inspice, & tunc ut ferre valeo tentari permitte. Hinc iterum dicit: *Ego ad flagella paratus sum*. Quia enim sanctę mentes suæ corruptionis vulnus sine putredine non esse considerant, libenter se sub manu medici ad sectiones parant, ut aperto vulnere virtus peccati exeat, quod sana E cute intus occidebat.

Num. 21. Psal. 37. 18.

CAPUT LV.

Dominus illuminatio mea, & salus mea: quem timebo? Psal. 26. 1.

IN expos. B. Job, l. 14. adjunctum est: *Dominus illuminatio, &c.* [c] Ex pœna culpæ est, videre bonum, Num. 41. c

a In excusis, *de discernendo voluptatis & necessitatis negotio*.

b Ita mss. omnes, non *arbitri*, ut legitur in vulgatis. Familiarem nostro Grego vocem hanc jam sæpe probavimus.

c Caput 53. & 59. in mss. desiderantur.

num quod agere debeat, & tamen implere non posse. Et rursum ex graviori pœna culpæ est, quod agere debeat, nec videre. Unde & contra hæc utraque Psalmistæ voce dicitur: *Dominus illuminatio mea, & salus mea*. Contra ignorantiæ enim tenebras illuminatio, contra infirmitatem vero salus est Dominus, quando & ostendit quid debeat ad agendum appeti, & vires præbet ut quod ostenderit, possit impleri.

CAPUT LVI.

Item unde supra.

Num. 39. IN expos. B. Job, l. 19. CREBRO namque peccatum, aut ignorantia, aut infirmitate perpetratur: ut vel nesciat homo quid velle debeat, vel non omne, quod voluerit, possit. Quo contra recte per Psalmistam dicitur: *Dominus illuminatio mea, & salus mea*. Quia enim & scientiam Dominus & virtutem præbet: & contra ignorantiam illuminatio, & contra infirmitatem salus vocatur:

CAPUT LVII.

Psal. 26. 7. *Unam petii a Domino, hanc requiram.*

a Num. 57. CUm [a] de cavendis pravorum desideriis, & appetendis bonorum studiis tractaretur, in expos. B. Job, l. 4. adjunctum est: *Unam petii a Domino, hanc requiram*, OMNES, qui vel illicita appetunt, vel in hoc mundo videri aliquid volunt, densis cogitationum tumultibus in corde comprimuntur. Dumque desideriorum turbas intra se excitant, prostratam mentem, pede miseræ frequentationis calcant. * Ibid. n. 15. * At contra, sancti viri, quia nihil hujus mundi appetunt, nullis procul dubio in corde tumultibus premuntur. Omnes quippe inordinatos motus desideriorum, a cubili cordis manu sanctæ considerationis ejiciunt: & quia transitoria cuncta despiciunt, ex his nascentes b cogitationum [b] insolentias non patiuntur. Solam namque æternam patriam appetunt: & quia nulla hujus mundi diligunt, magna mentis tranquillitate perfruuntur. Annon cunctos a se cogitationum tumultus expulerat, qui dicebat: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut habitem in domo Domini?* A frequentia quippe terrenorum desideriorum sugerat, & ad magnam videlicet solitudinem semetipsum contulerat; ubi eo tutius nihil extraneum conspiceret, quo competens nil amaret. A tumultu rerum temporalium magnum quemdam secessum petierat quietam mentem, in qua tanto purius Deum cerneret, quanto hunc cum se solo solum inveniret.

CAPUT LVIII.

Psal. 30. 31. *Abscondes eos in abscondito vultus tui a conturbatione hominum.*

Num 19. & lib 5. num. 9. CUm de electorum virtutibus tractaretur, in expos. B. Job, lib. 4. adjunctum est: *Abscondes eos in abscondito vultus tui a conturbatione hominum*. ELECTUS quisque in judicio per internum visum, in vultu divinitatis absconditur, dum reproborum foris cæcitas districta animadversione A justitiæ repulsa turbatur. Sancti itaque viri ab importunitate desideriorum temporalium, a tumultu inutilium curarum, a clamore perstrepentium perturbationum semetipsos sacri verbi gladio mortificare non desinunt, atque intus ante Dei faciem in sinu mentis abscondunt. Unde recte per Psalmistam dicitur: *Abscondes eos abdito vultus tui a conturbatione hominum*. Quod quamvis perfecte postmodum fiat, etiam nunc ex magna parte agitur, cum a temporalium desideriorum tumultibus, delectatione in interiora rapiuntur, ut mens totum dum in amorem Dei tota tenditur, nulla inutili perturbatione laceretur. Hinc est quod Paulus per contemplationem mortuos, & quasi in secreto divinitatis absconditos discipulos viderat, quibus di- B cebat: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Colos. 3. 3. Qui enim mortificare se appetit, valde ad inventam requiem contemplationis hilarescit, ut extinctus mundo lateat, & a cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra sinum se intimi amoris [c] abscondit. c

CAPUT LIX.

Ego dixi in pavore meo: projectus sum a vultu oculorum tuorum. Ps. 30. 23.

CUm de electorum profectibus, per propriæ infirmitatis cognitionem tractaretur, in expos. B. Job, l. 23. adjunctum est: *Ego dixi in* Num. 41 42. & 43. C *pavore meo, &c.* VIR sanctus æternam patriam [d] d contemplatus, & hæc mala pensans in quibus erat, atque illa bona considerans, in quibus adhuc non erat, ait: *Ego dixi in pavore meo, projectus sum a vultu oculorum tuorum*. Sublevatus quippe in exstasi (quod nostri interpretes pavorem non proprie vocaverunt) a vultu oculorum Dei vidit se esse projectum. Post interni quippe luminis visionem, quæ intus anima per contemplationis gratiam radio claritatis emicuit, a semetipso recessit, & cognitione percepta, vel quibus illic bonis deesset, vel quibus malis hic adesset invenit: neque enim quis præsentis vitæ mala sicut sunt, conspicere prævalet, si bona æternæ patriæ per contemplationis gustum contingere necdum valet. Unde & a vultu oculorum Dei projectum se esse cognovit. Sublevatus D quippe vidit, quod se hic videre non posse ad se relaxatus ingemuit. Perfectam scilicet animam ista compunctio afficere familiarius solet, quia omnes imaginationes corporeas insolenter sibi obviantes discutit, & cordis oculum figere in ipso radio incircumscriptæ lucis intendit. Figuras corporalium specierum ad se intus ex infirmitate corporis trahit; sed perfecte compuncta, hoc summopere invigilat ne eum veritatem quærit, eam imaginatio circumscriptæ visionis illudat: cunctasque sibi obviantes imagines respuit. Quia enim per illas infra se lapsa est, sine illis super se ire conatur. Et postquam per multa indecenter sparsa est, in unum se colligere nititur, ut, si magna vi amoris prævalet, esse unum atque incorporeum contem- E pletur. [e] Unde aliquando ad quamdam insolitam dulcedinem interni saporis admittitur, & raptim aliquomodo ardenti spiritu afflata renovatur, e tantoque magis inhiat, quanto magis quod amet degustat. Atque hoc intra se appetit, quod sibi dulce sapere intrinsecus sentit: quia videlicet ejus

 amo-

a In editis, *de mentis tranquillitate a mundi tumultibus avellendo*

b Michael. *tumultus*. Utic. utramque lectionem exhibet.

c Editi cum Michael. *abscondat*.

d Utr. & Gemet. *contemplatur*.

e Reliqua desunt in mss.

amore dulcedinis sibi coram viluit: & postquam A hanc utcumque percipere potuit, quid sine illa dudum fuisset, invenit. Cui inhærere conatur, sed ab ejus fortitudine, sua adhuc infirmitate repellitur. Et quia ejus munditiæ contemperari non valet, flere dulce habet, sibique ad se cadenti infirmitatis suæ lacrymas sternere. Neque enim potest mentis oculum in id quod contra se raptim conspexerat, figere: quia ipso vetustatis suæ usu deorsum ire compellitur. Inter hæc anhelat, æstuat, super se ire conatur, sed ad familiares tenebras suas victa fatigatione relabitur.

CAPUT LX.

Item unde supra.

Nom. 67. a IN expos. B. Job, lib. 18. [a] CONTEMPLATUS quippe interna gaudia visionis Dei, & socialem frequentiam Angelorum persistentium, reduxit oculos ad ima: vidit quo jaceret, qui ad hoc conditus fuerat ut in cælestibus stare potuisset. Pensavit ubi esset; & quod esset, ingemuit. Projectumque se a vultu oculorum Dei doluit: quia in comparatione lucis intimæ, graviores senserat exilii sui tenebras, quas tolerabat.

CAPUT LXI.

Ps. 30. 25. *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum.*

Nom. 24. IN expos. B. Job, l. 7. adjunctum est: *Viriliter agite, &c.* JUSTORUM fortitudo est carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, hujus mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, adversitatis metum in corde superare. Reproborum vero fortitudo est transitoria sine cessatione diligere, contra flagella Conditoris insensibiliter perdurare, ab amore rerum temporalium nec ex adversitate quiescere, ad inanem gloriam etiam cum vitæ detrimento pervenire, malitiæ augmenta exquirere, bonorum vitam non solum verbis ac moribus, sed etiam gladiis impugnare, in semetipsis spem ponere, iniquitatem quotidie sine ullo desiderii defectu perpetrare.

CAPUT LXII.

Item unde supra.

Nom. 63. IN expos. B. Job, lib. 26. DICENS enim, *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum*, quod illico subdidit, quasi sexum cordis munire curavit. Luxuriosi quippe mens corrumpitur si rebus transitoriis delectetur.

CAPUT LXIII.

Ps. 30. 25. *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum.*

Nom. 12. DUm de differendo intellectu sacri eloquii tractaretur, in expos. B. Job, l. 28. adjunctum est: *Viriliter agite, &c.* SCRIPTURA sacra viros vocare consuevit, qui nimirum vias Domini fortibus & non dissolutis gressibus sequuntur. Unde &
Hebr. 12. 12. Paulus ait: *Remissas manus & dissoluta genua erigite.*
Prov. 8. 4. Unde & Sapientia in Proverbiis dicit: *O viri, ad vos clamito.* Ac si aperte diceret: Ego non feminis, sed viris loquor: quia hi, qui fluxa mente sunt, mea verba percipere nequaquam possunt.

a MS. non habent capita 60. 61. 62.

CAPUT LXIV.

Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Ps. 31. 1.

CUm de electorum per internam gratiam studiis tractaretur, hom. 4. in Ezech. adjunctum est: Nom. 4. b
Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, &c. [b] SANCTI viri ante Dei oculos student culpas linguæ tegere meritis vitæ. Student pondere bonorum operum premere immoderata verborum. Unde sancta Ecclesia in suis electis quotidie otiosæ locutionis vitium virtute boni operis tegit. *Beati, ergo, quorum remissæ sunt iniquitates; & quorum tecta sunt* Hebr. 4. 13.
B *peccata.* Sed rursum cum scriptum sit: *Omnia nuda & aperta sunt oculis ejus*, quomodo tegi possunt quæ ejus oculis, cui cuncta nuda sunt, abscondi nequaquam possunt? Sed quia hoc, quod tegimus, inferius ponimus: atque hoc unde tegimur, nimirum superducimus, ut quod est subterpositum tegamus: tegere peccata dicimur, quæ quasi subterponimus, dum abdicamus, eisque aliud superducimus, dum bonæ actionis opus ad hoc post eligimus, ut præferamus. Peccata itaque tegimus, cum bona facta malis actibus superponimus. Quando ergo abdicamus mala quæ fecimus, & eligimus bona quæque ut faciamus, quasi tegmen ei rei superducimus, quam erubescimus videri. Qui ergo priora mala deserit, & bona posterius facit, per hoc, quod addit, transactam nequitiam tegit, cui boni operis meritum superducit. Quamlibet enim sancti viri in hac adhuc vita sint, habent tamen quod ante Dei oculos operire debeant: quia omnino est impossibile ut aut in opere, aut in locutione, aut in cogitatione numquam delinquant.

CAPUT LXV.

Conversus sum in ærumna mea, dum confringitur spinas. Ps. 31. 4.

DUm de bono pœnitentiæ tractaretur, in expos. B. Job, l. 20. adjunctum est: *Conversus sum in ærumna mea, &c.* QUID hoc loco Nom. 21.
D per spinam, nisi omne peccatum evidenter exprimitur? Quia dum trahit ad delectationem, quasi pungendo lacerat mentem. Hinc ergo justi & pœnitentis voce dicitur: *Conversus sum in ærumna mea, dum confringitur spina*: quia scilicet mens ad lamentum vertitur, ut peccati punctio pœnitendo frangatur. In translatione vero alia non confringi; sed configi spina perhibetur. Quod videlicet ab eodem sensu non dissonat, quia pœnitentis animus ad luctum ducitur, dum perpetrata culpa in memoria fixa retinetur.

CAPUT LXVI.

Dixi: Pronuntiabo adversus me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Ps. 31. 5.
E

DUm de abstergendis cogitationum nondum procedentibus in opere flagitiis tractaretur, Reg. Past. par. 3. adjunctum est: *Dixi, &c.* Cap. 29. Admon. 30.
SÆPE misericors Deus eo citius peccata cordis abluit, quo hæc exire ad opera non permittit, & cogitata nequitia tanto citius solvitur, quanto esse-

b In cod. Michael. indicatur lib. 39. in Job. In Utic. lib. 32. Extat hæc hom. 4. in Ezech. loco allegato.

ectu operis districtius non ligatur. Unde recte per Psalmistam dicitur: *Dixi, Pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.* Qui enim impietatem cordis subdidit, quia cogitationum injustitias pronuntiare vellet, indicavit. Dumque ait: *Dixi, Pronuntiabo*, atque illico adjunxit: *Et tu remisisti*, quam super hæc sit facilis venia, ostendit: qui dum se adhuc promittit petere, hoc quod se petere promittebat, obtinuit; quatenus quia usque ad opus non venerat culpa, usque ad cruciatum non perveniret pœnitentia, sed cogitata afflictio mentem tergeret, quam nimirum tantummodo cogitata iniquitas inquinasset.

CAPUT LXVII.

Ps. 31. 9. *In camo, & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.*

CUm de utilitate temporalis flagelli tractaretur, in expos. B. Job, lib. 26. adjunctum est: *In camo, &c.* SÆPE qui jubentis verba non audiunt, ferientis verberibus admonentur; ut ad bona desideria saltem pœnæ trahant, quos præmia non invitant. Si vero etiam flagella conspiciunt, constat nimirum quod tanto illic gravioris vindictæ supplicia sentiant, quanto hic majoris providentiæ gratiam calcant.

Num. 36.

CAPUT LXVIII.

Ps. 32. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt; & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

DUm de Apostolorum virtutibus per sancti Spiritus donum tractaretur, in expos. B. Job, lib. 27. adjunctum est: *Verbo Domini cæli firmati sunt, &c.* QUID cælorum nomine, nisi sancti Apostoli designantur? Qui verbis pluunt, & coruscant miraculis, quorum virtus ex dono confortatur spiritus. De quibus per eumdem Psalmistam dicitur: *Cæli enarrant gloriam Dei.* Quibus tunc virtutem dedit spiritus, cum replevit: quod Luca referente didicimus, qui ait: *Factus est repente de cælo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant sedentes: & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque super singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Ex eo ergo acceperunt ornamenta virtutis, quos immensa ante possederat fœditas timoris. Scimus enim quod ille Apostolorum, id est cælorum primus, ante acceptam hujus spiritus gratiam, quoties dum mori timuit, vitam negavit. Qui non pœnis, non afflictionibus, non terribili potestate cujusquam, sed unius mancipii sola est interrogatione prostratus. Et quidem mancipium ne sexus firmior terribile demonstraret, ancilla est inquirente tentatus. Rursusque ut talis sexus infirmitas etiam officii sui dejectione vilesceret, non ab ancilla tantum, sed ab ostiaria est ancilla requisitus. Ecce quam vilis est ad tentandum persona requisita, ut aperte proderetur, quanta eum timoris infirmitas possederit, qui nec ante vocem ostiariæ ancillæ subsisteret. Sed jam hic paulo ante timidus, qualis, post acceptam virtutem spiritus existeret, videamus. Certe Luca testante didicimus contra Sacerdotes ac Principes quanta Dominum auctoritate prædicavit. Nam cum facto miraculo quæstio funditus exorta, & Sacerdotum Principes, Seniores, ac Scribæ in Apostolorum persecutione concurrerent, eos in medio statuentes, in qua virtute miraculum fecerint percunctari curaverunt. Quibus, repletus Spiritu sancto Petrus, dixit: *Principes populi & Seniores, si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est, notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel: quia in nomine Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus.* Cumque ergo hæc persequentium furor excresceret, eosque Sacerdotes ac Principes Jesum prædicare prohiberent, contra minas Principum, qua auctoritate Petrus excreverat, indicatur, cum illic protinus subditur: *Petrus vero & Apostoli dixerunt: Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Sed cum auctoritatem prædicantium resistentium præcepta non premerent, ad flagella pervenitur, nam subditur: *Tunc Principes sacerdotum cæsis denuntiaverunt ne loquerentur in nomine Jesu, & dimiserunt eos.* Sed quia Apostolorum virtutem premere nec flagella valuerunt, patenter ostenditur, cum protinus subinfertur: *Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Mox etiam post flagellorum gaudia quid agerent, indicatur: *Omni autem die in templo, & circa domos non cessabant, docentes & evangelizantes Jesum Christum.* Ecce ille, qui paulo ante timidus, jam linguis loquitur, coruscat miraculis, infidelitatem Sacerdotum ac Principum libera voce increpat, ad prædicandum Jesum exemplum auctoritatis ceteris præstat. Ne in nomine Jesu loqui debeat verberibus prohibetur, nec tamen compescitur. Contemnit flagella cædentium, qui paulo ante requirentium verba timuerat, & qui ancillæ vires requisitus expavit, vires Principum cæsus premit. *Spiritu ergo oris ejus omnis virtus eorum.* Ejusdem enim jam sancti Spiritus virtute solidatus, hujus mundi altitudines libertatis calce deprimebat, ut in imo esse cerneret quod contra Creatoris gratiam altum tumeret. Hæc est firmitas cælorum, hæc sunt dona spiritus, quæ diversis manifestari virtutibus solent. Quas occultæ dispensationis munere divisas Paulus enumerat, dicens: *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ, secundum eumdem spiritum; alteri fides in eodem spiritu, alii autem gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii interpretatio spirituum, alii genera linguarum, alii discretio sermonum.* Quem mox generali definitione concludens, ait: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.* Bene itaque dicitur: *Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum:* quia prædicatores sancti, nisi promissa Paracleti dona perciperent, nullo fortitudinis decore claruissent.

Num. 48. 49. & 50.

Ps. 18. 1.

Act. 2. 2.
Ex hom. 30. in Evang. n. 7 & 8.

Act. 4. 8.

Act. 5. 29.

Act. 5. 40.

Ibid. 41.

Ibid. 42.

1. Cor. 12. 8. & seq.

CAPUT LXIX.

Ps. 32. 7. *Congregans quasi in utre aquas maris.*

DUm de perversis contra Ecclesiam machinationibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 19. adjunctum est: *Congregans quasi in utre aquas maris.* AQUAS maris quasi in utre Dominus congregat, cum miro moderamine cuncta disponens, in suis clausas cordibus carnalium minas frenat. Extremi namque temporis persecutione crescente, apertas hæreticorum voces sancta Ecclesia tolerare

Num. 25.

com-

compellitur, cum motus cordis sui, quos nunc intra cogitationum sinus contegent, tunc in voce manifesti erroris aperiunt. Nunc enim sicut per Johannem dicitur: *Draco in abysso clausus tenetur*: quia diabolica malitia in eorum subdolis cordibus occultatur. Sed sicut illic dictum est, *Educetur draco de puteo abyssi*: quia quod modo præ timore tegitur, tunc contra Ecclesiam publice de iniquorum cordibus omne serpentinum virus aperitur. Nunc enim abscondit se sub blandiente lingua sæviens conscientia, & malitia calliditatis quasi quadam se tegit abysso simulationis. Nunc Dominus, sicut Psalmistæ voce dicitur: *Congregat sicut in utre aquas maris*. Uter quippe est carnalis cogitatio: aquæ ergo maris in utre congregatæ sunt, cum amaritudo perversæ mentis non erumpit exterius in vocem pravæ libertatis.

Apoc 20. 3.

CAPUT LXX.

Psal 33. 9. *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.*

CUm de nutriendo in Deum desiderio, per experimentum bonorum actuum tractaretur, hom. 36. in Evang. adjunctum est: *Gustate, & videte, &c.* AUGENT semper spirituales deliciæ desiderium in mente dum satiant: quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur quod avidius ametur: & idcirco non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. Quis enim amare valeat quod ignorat? Proinde Psalmista nos admonet, dicens: *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus*. Ac si aperte dicat: Suavitatem ejus non cognoscitis, si hanc minime gustatis. Sed cibum vitæ ex palato cordis tangite, ut probantes ejus dulcedinem amare valeatis. Sed has homo delicias tunc amisit, cum in paradiso peccavit, cum os a cibo internæ dulcedinis clausit. Unde nos quoque nati in hujus peregrinationis ærumna, huc fastidiosi jam venimus, nec scimus quid desiderare debeamus, tantoque se amplius fastidii nostri morbus exaggerat, quanto se magis ab esu illius dulcedinis animus elongat: & eo jam internas delicias non appetit, quo eas comedere diu longeque desuevit. Fastidio ergo nostro tabescimus, & longa inediæ peste fatigamur. Et quia gustare intus nolumus paratam dulcedinem, amamus foris miseri famem nostram.

Hom. 36.

CAPUT LXXI.

Psal 33. 11. *Divites eguerunt, & esurierunt.*

DUm de distinguendis veris & falsis deliciis tractaretur, in expos. B. Job, l. 15. adjunctum est: *Divites eguerunt, & esurierunt*. SI de exteriori fame egestas divitum, & esuries diceretur, profecto divites non essent, qui pane corporis indigerent. Sed quia dum exterius multiplicantur, interius inanes fiunt: & divites pariter & egentes esse memorantur: quia videlicet pane sapientiæ saturati minime nutriuntur.

Hom. 9.

CAPUT LXXII.

Psal 36. 27. *Declina a malo, & fac bonum.*

CUm de perfectorum virtutibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 2. adjunctum est: *Declina a malo, & fac bonum*. NEQUAQUAM bona Deo accepta sunt, quæ ante ejus oculos malorum admixtione maculantur. Hinc namque per Salomonem dicitur: *Qui in uno offenderit, multa bona perdit*. Hinc Jacobus attestatur dicens: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*. Hinc Paulus ait: *Modicum fermentum totam massam corrumpit*.

Hom. 8.

Eccles. 9. 18. Jac. 2. 10. 1 Cor. 5. 6.

CAPUT LXXIII.

Item unde supra.

IN expos. B. Job, l. 23. [a] DECLINARE quippe a malo, est ab eo, quo jacuit, surgere. Bonum vero facere, est mercedis opera, in quibus requiescere debeat, præparare. Qui enim declinat a malo, sed bona non facit, surrexit quidem ab eo, quo jacuit: sed ubi requiescere debeat, necdum paravit. Hom. 46. a

CAPUT LXXIV.

Dominus custodit omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur. Psal 33. 21.

IN expos. B. Job, l. 33. adjunctum est: *Dominus custodit omnia ossa eorum, &c.* QUOD utique non de ossibus corporis, sed de viribus dicitur mentis. Nam certe novimus, quod & multorum corporaliter ossa confracta sunt: & persecutores Domini, latronis illius cui dictum est: *Hodie mecum eris in paradiso*, sicut latronis alterius, in cruce crura fregerunt. Hom. 48. Luc 23. 43.

CAPUT LXXV.

Fiat sicut pulvis ante faciem venti, & Angelus Domini affligens eos. Psal 34. 5.

DUm de tentationum exercitio casuque tractaretur, in expos. B. Job, l. 3. adjunctum est: *Fiant sicut pulvis ante faciem venti, &c.* QUI in corde suo aura tentationis rapitur, quasi ante faciem venti pulvis elevatur: & cum inter hæc divina districtio percutit, quid aliud quam Angelus Domini affligit? Sed hæc aliter aguntur a reprobis, aliter ab electis. Illorum namque corda ita tentantur, ut consentiant: justorum vero, tentationes quidem suscipiunt, sed repugnant. Illorum mens delectabiliter capitur: & si ad tempus, quod malis suggeritur, displicet: sed postmodum per deliberationem libet. Isti vero sic tentationum jacula excipiunt ut semper resistendo fatigentur: & si quando usque ad delectationem tentata mens rapitur, ipsi tamen citius subreptionem suæ delectationis erubescunt, & forti censura redarguunt quidquid [b] intra se carnale deprehendunt. Hom. 62. 63. b

[c] CAPUT LXXVI.

Fiant viæ eorum tenebræ, & lubricum. Psal 34. 6. c

IN expos. B. Job, l. 19. adjunctum est: *Fiant viæ eorum tenebræ, & lubricum*. Ut scilicet per tenebras, ire quo ire debent, non videant: qui etsi recta viderint, in eis tamen per lubricum stare non possunt. Isti itaque per lubricum inter bona claudicant, illi per tenebras, quæ bona sequantur ignorant. Hom. 39.

CA-

a Hoc caput cum sequenti omittitur in mss.
b Mss. Utic. & Michael. quidquid, inde saepe suggestio-
ne, &c.
c Hoc caput in mss. hic abest.

CAPUT LXXVII.

Psal.34.10. *Omnia ossa mea, dicent, Domine, quis similis tibi?*

Num. 55. CUm de comprimenda sui præsumtione per cognitionem divini occultique judicii tractaretur, in expos. B. Job, lib. 5. adjunctum est: *Omnia ossa mea, &c.* QUID per ossa nisi fortia acta signantur? De quibus & per Prophetam dicitur: *Dominus custodit omnia ossa eorum.* Et sæpe quæ agunt homines, esse alicujus momenti æstimant, quia districtionis intimæ quam sit subtile judicium ignorant. Sed cum per contemplationem rapti superna conspiciunt, ab ipsa aliquo modo præsumtionis suæ securitate liquefiunt: & tanto magis in divino conspectu trepidant, quanto nec bona sua digna ejus examine quem conspiciunt, pensant. Hinc est enim, quod is, qui fortia operando profecerat, per spiritum sublevatus clamabat: *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?* Ac si diceret: Carnes meæ verbum non habent: quia infirma mea apud te funditus silent; ossa autem mea tuæ magnitudinis laudem dicunt: quia ipsa quoque, quæ esse in me fortia credidi, tua consideratione contremiscunt.

Psal.34.10.

CAPUT LXXVIII.

Item unde supra.

Num. 79. IN expositione B. Job, l. 18. Dum de qualitate divinæ in homine similitudinis tractaretur, adjunctum est: *Domine quis similis tibi.* AD hoc Sancti omnes ad illa gaudia æterna perveniunt, ut esse Deo similes possint, sicut scriptum est: *Cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Et tamen scriptum est: *Domine Deus virtutum, quis similis tibi?* Et iterum ait: *Quis similis erit Domino inter [a] filios?* Unde ergo similes, & unde non similes, nisi quia huic sapientiæ & similes erunt ad imaginem, & tamen non erunt similes ad æqualitatem? Aspiciendo quippe æternitatem Dei, fit eis ut æterni sint. Et dum visionis ejus donum percipiunt, ex perceptione beatitudinis imitantur quod vident. Et similes ergo sunt, quia beati sunt, & tamen Creatori similes non sunt, quia creaturæ sunt. Et habent itaque quamdam Dei similitudinem, quia non habent finem. Et tamen incircumscripti æqualitatem non habent: quia habent circumscriptionem.

1. Johan.3.2.

Ps.88.5.

a

CAPUT LXXIX.

Ps.36.35. b *Vidi impium superexaltatum, & elevatum [b] sicut cedros Libani: transivi, & ecce non erat.*

Num. 68. CUm de provectu meritorum, & de malorum cognitione tractaretur, in expos. B. Job, l. 15. adjunctum est: *Vidi impium superexaltatum, &c.* DAVID Propheta quoniam a dilectione præsentis seculi jam corde transierat, iniqui gloriam describens dicebat: *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani.* Sed quia cor huic mundo non subdidit, hunc jure despexit, dicens: *Transivi, & ecce non erat.* Esset quippe aliquid in ejus æstimatione impius, si ipse ab hoc seculo per intentionem minime transisset. Sed is qui non transeunti magnum aliquid esset, transeunti animo, quam

A nihil esset, apparuit: quia dum æterna retributio cogitatur, præsens gloria quam sit nulla cognoscitur. Hinc Moyses, cum supernæ contemplationis gloriam quæreret, dixit: *Transiens videbo visionem.* Exod.3.3. Nisi enim gressum cordis a seculi amore movisset, nequaquam intelligere superna potuisset.

CAPUT LXXX.

Computruerunt, & deterioraverunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ. Ps.37.6.

CUm de abolenda memoria præteritorum excessuum tractaretur, in expos. B. Job, l. 9. adjunctum est: *Computruerunt, &c.* QUI peccatum corrigit & plangit, cicatricem vulneri superducit. Sed cum mens decepta hoc unde jam pœnituit, ad delectationem sui revocat; cicatrix pœnitentiæ, quæ superducta fuerat, ad putredinem vulneris redit, ut fœtorem prava delectatio habeat, postquam salutem vulneris jam cicatrix sarcita cute monstrabat. Quid itaque cicatrices, nisi sanationes sunt vulnerum? Laxatas namque nequitias ad delectationem memoriæ redire conspexerat, qui cicatrices deflebat. Cicatrices quippe computrescere, est sanata jam peccatorum vulnera rursus in tentationem serpere, atque ex eorum suggestionibus post superductam cutem pœnitentiæ, fœtorem culpæ iterum, doloremque sentire: quia videlicet in re & nihil foris opere agitur, & sola intus cogitatione peccatur, districtoque se reatu mens obligat, nisi hoc sollicitis lamentis tergat.

Num. 23.

B

C

CAPUT LXXXI.

Incurvatus sum, & humiliatus sum usquequaque. Ps.37.7.

DUm de cavendo usu pravæ consuetudinis tractaretur, hom. 13. in Evang. adjunctum est: *Incurvatus sum, &c.* PLERUMQUE videmus quæ agenda sunt, sed opere non implemus: nitimur & infirmamur. Mentis judicium rectitudinem conspicit, sed ad hanc operis fortitudo succumbit: quia nimirum jam de pœna peccati est, ut ex dono quidem possit bonum conspici, sed tamen ab eo, quod aspicitur, contingat per meritum repelli. Usitata etenim culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem. Conatur & labitur: quia ubi sponte diu perstitit, ibi & cum noluerit, coacta cadit. Unde bene de hac nostra incurvatione ex typo humani generis per Psalmistam dicitur: *Incurvatus sum, & humiliatus sum usquequaque.* Contemplatus quippe quod ad supernam lucem intuendam homo conditus fuerat, sed peccatis exigentibus foras missus, mentis suæ tenebras portat, superna non appetit, in infimis intendit, cælestia nequaquam desiderat, terrena semper in animo versat. Et hoc, quod de suo genere doluit, in seipso exclamavit dicens: *Incurvatus sum, & humiliatus sum usquequaque.* Contemplationem namque cælestium perdens, si sola carnis necessaria homo cogitaret, incurvatus & humiliatus esset, sed tamen usquequaque non esset. Quem ergo a supernis cogitationibus non solum necessitas dejicit, sed etiam voluptas illicita sternit, non solum incurvatus, sed usquequaque incurvatus est.

Num. 7.

D

E

a Nonnulli mss. *inter filios hominum.*

b In Gemet. hic & deinceps, *super cedros.*

a ## * CAPUT LXXXII.

Ps. 37. 18. *Ego autem ad flagella paratus sum.*

Num. 22. CUm de parato semper ad suscipienda flagella electorum animo tractaretur, in expos. B. Job, l. 7. adjunctum est: *Ego autem ad flagella paratus sum*. QUIA enim Sancti mentis suæ corruptionis vulnus sine putredine non esse considerant, libenter se sub manu medici ad sectiones parant: ut aperto vulnere virus peccati exeat, quod sana cute intus occidebat.

CAPUT LXXXIII.

Ps. 37. 19. *Iniquitatem meam ego pronuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.*

Num. 37. DUm de non abolenda ad corrigendum per cognitionem infirmitatis propriæ peccati memoria tractaretur, in expos. B. Job, lib. 8. adjunctum est: *Iniquitatem meam ego pronuntiabo, &c.* TRIBULATIO spiritus electorum linguam commovet, ut reatum pravi operis vox confessionis impugnet. Sciendum quoque est, quia sæpe b reprobi peccata confitentur, [b] sed deflere contemnunt. Electi autem culpas suas, quas vocibus confessionis aperiunt, districtæ animadversionis fletibus insequuntur. Unde & Propheta postquam se iniquitatem suam pronuntiare spopondit, cogitare se etiam de eis subdidit. Ac si aperte fateretur dicens: Sic reatum lingua loquitur, ut nequaquam expers a mœroris stimulo per alia spiritus vagetur, sed culpas loquens vulnus aperio: culpas vero ad correptionem cogitans, salutem vulneris ex medicamine mœroris quæro. Qui enim mala quidem, quæ perpetravit, insinuat: sed flere quæ insinuaverit, recusat; quasi subducta veste vulnus detegit, sed torpente mente medicamentum vulneri non apponit. Confessionis igitur vocem solus necesse est ut mœror excusiat, ne vulnus proditum sed neglectum, quo licentius jam per humanam notitiam tangitur, deterius putrescat. Psalmista ergo plagam cordis non solum detexerat, sed detectæ etiam medicamentum mœroris adhibebat, dicens: *Iniquitatem meam pronuntiabo, & cogitabo pro peccato meo*. Pronuntiando enim occultum vulnus detegit, cogitando autem quid aliud quam medicamentum vulneri apponit? Sed afflictæ menti, & sua sollicite damna cogitanti, rixe pro semetipsa oritur contra semetipsam. Nam cum se ad lamenta pœnitentiæ instigat, occulta se increpatione dilaniat.

c ## * CAPUT LXXXIV.

Ps. 38. 2. *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me.*

Num. 18. IN expos. B. Job, lib. 23. adjunctum est. *Posui ori meo, &c.* INFLAMMANTUR quippe corda justorum, cum non corsepte crescere conspiciunt acta malorum, eorumque culpæ se participes credunt, quod in iniquitate crescere silendo permittunt. David Propheta postquam sibi silentium indixerat, dicens: *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Obmutui, & humiliatus sum, & silui a nobis*: in ipso suo silentio justo zelo caritatis exarsit. Qui illico subdidit: *Et dolor meus renovatus est. Concaluit cor meum intra* Ibid. v. 3. *me, & in meditatione mea exardescet ignis*. Intus ergo cor concaluit, quia dilectionis ejus ardor per admonitionem locutionis exterius emanare recusavit. Ignis in meditatione cordis exarsit: quia increpatio delinquentium a correptione oris refrixit. Caritatis enim zelus consolatione admirabili augendo se temperat: quando contra iniquorum opera per vocem correptionis emanat, ut & quæ corrigere non valet, increpare non desinat: ne se participem delinquentium, ex consensu taciturnitatis addicat.

CAPUT LXXXV.

Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti. Ps. 38. 10.

CUm de non reluctando divinis judiciis tractaretur, in expos. B. Job, l. 23. adjunctum est: *Obmutui, &c.* FLAGELLATUS homo considerans quia illo major est Deus in omne quod patitur, ejus judicio se postponat cui se minorem esse non dubitat. Et quod a meliore patitur justum credat, etiam si ejusdem justitiæ causas ignorat. Quisquis enim pro peccato percutitur, nisi murmurando renitatur, eo ipso jam justus esse inchoat, quo ferientis justitiam non accusat. Homo namque sub Deo est conditus; & ad conditionis ordinem redit, quando sibi æquitatem judicis sui, etiam quam non intelligit, anteponit: ut considerata potentia Creatoris, defserveat tumor mentis per memoriam conditionis. Unde David Propheta, cum percussionis pondere in excessum vocis erumpere cogeretur, ad considerationem conditionis suæ se recolligens, ait: *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti me*. Pensavit enim conditionis suæ ordinem, & justitiam percussionis invenit; quia qui benigne eum, qui non erat, condidit, eum profecto, qui erat, nonnisi juste percussit. Num. 38.

CAPUT LXXXVI.

Verumtamen vane conturbatur omnis homo. Ps. 38. 7.

DUm de humanæ naturæ infirmitatibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 22. adjunctum est: *Verumtamen vane conturbatur omnis homo*. Num. 34. 35. & 36. inverso ordine. QUAMQUAM ad imaginem Dei ambulet homo, tamen vane conturbatur. Plerumque agitur ut & turbetur vir sanctus exterius, & imperturbabilis duret interius: & quod vane conturbari potest, de infirmitate carnis fit; quamvis in imagine Dei ambulet, de virtute mentis: quatenus & roboratur intus divino adjutorio, tamen adhuc foris sarcina prematur humana. Magna namque est securitas cordis, nil concupiscentiæ habere secularis. Nam si ad terrena adipiscenda cor inhiat, securum tranquillumque esse nullatenus potest: quia aut non habita concupiscit ut habeas, aut adepta metuit ne amittat: & dum in adversis sperat prospera, in prosperis formidat adversa; huc illucque quasi quibusdam fluctibus volvitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur. Sin vero semel in appetitione supernæ patriæ forti stabilitate animus figitur, minus rerum temporalium per-

a Abest a mss.
b Utic. & Michael. *sed de his cogitare contemnunt.*

c Abest a mss.

perturbatione vexatur. A cunctis quippe externis motibus eamdem intentionem suam quasi quemdam secretissimum secessum petit: ibique [a] incommutabili inhærens, & mutabilia cuncta transcendens, ipsa jam tranquillitate quietis suæ in mundo extra mundum est; excedit profecto ima omnia intentione summorum: & cunctis rebus, quas non appetit, libertate quadam superesse se sentit, nec tempestatem rerum temporalium intus sustinet, quam intuetur foris: quia terrena omnia, quæ concupita opprimere mentem poterant, despecta subterjacent. Unde bene per Prophetam

Jerem. 31. 21. dicitur: *Statue tibi speculam*, ut dum quisque speculatur summa, supereminent infimis. Hinc etiam

Habac. 2. 1. Habacuc dicit: *Super custodiam meam stabo*. Stat quippe super custodiam suam, qui per solertiam disciplinæ terrenis desideriis non succumbit, sed supereminet: ot dum semper stantem appetit æternitatem, infra se fit ei omne quod transit. Tamen quia vir sanctus quantalibet virtute profecerit, eum in hac vita positum adhuc extrinsecus carnis infirmitas premit, bene Habacuc iterum onam sententiam protulit, ad utraque servientem, ait etenim:

Habac. 3, 16. *Et introivit tremor in ossa mea, & subtus me turbata est virtus mea*. Ac si diceret: Non mea virtus est, in qua superius raptus imperturbabilis maneo, sed mea infirmitas est, in qua inferius turbor. Ipse ergo super se imperturbabilis est, ipse sub se perturbabilis: quia super se ascenderat in quantum rapiebatur ad summa: &, sub semetipso erat, in quantum adhuc reliquias trahebat in infima.

C Ipse super se imperturbabilis, quia in Dei jam contemplationem transierat. Ipse sub se perturbabilis; quia sub semetipso adhuc infirmus homo remanebat. Huic sententiæ David Propheta concinens, ait: *Ego dixi in excessu mentis meæ: Om-*

Ps. 115. 2. *nis homo mendax*. Cui responderi potest: si omnis, & tu: falsaque jam erit sententia, quam mendax ipse protulisti. Si vero ipse non es mendax, vera jam sententia non erit: quia dum tu verax es, non omnis homo cognoscitur mendax. Sed notandum quod præmittitur: *Ego dixi in excessu mentis meæ*. Per excessum ergo mentis etiam semetipsum transiit, cum de hominis qualitate definivit. Ac si patenter dicat: De falsitate omnium hominum inde veram sententiam protuli, unde ego ipse super hominem fui.

D In tantum vero & ipse mendax, in quantum homo. In tantum autem omnino non mendax, in quantum per excessum mentis super hominem. Sic itaque, sic perfecti omnes, quamvis adhuc aliquid turbulentum de infirmitate carnis tolerent; jam tamen intrinsecus tranquillissimo secreto perfruuntur per contemplationem mentis, ut quidquid acciderit exterius, in nullo turbet interius.

CAPUT LXXXVII.

Ps. 39. v. 2. 3. 4. *Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis: & statuit super petram pedes meos, & direxit gressus meos: & immisit in os meum canticum novum, hymnum Deo nostro.*

Hom. 4. Cum de incrementis bonorum operum tractaretur, l. 1. hom. 9. in Ezech. adjunctum est: *Eduxit me de lacu miseriæ, &c.* QUI adhuc ex superbiæ vertice stamus, cum jam de æternitatis timore aliquid sentire cœperimus, dignum est ut ad pœnitentiam cadamus; & cum infirmitatem no-

E A strain subtiliter cognoscentes, humiliter jacemus, per divini verbi consolationem surgere ad fortiora opera debemus: & cum jam in bonorum operum soliditate persistimus, necesse est ut unde nosmetipsos correximus, inde jam prædicantes & alios revocemus. Nam jacenti non præcipitur, ut ad prædicationem pergat, ne infirmus quisque hoc, quod verbo ædificare potest, opere destruat. Recte ergo nunc per Prophetam dicitur: *Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis: statuit super petram pedes meos, &c.* Postquam de luto fæcis se eductum asseruit, staturosque pedes suos super petram conspexit, immissum in os suum canticum novum asseruit. Prius enim de luto pravitatis educitur, ut ejus pedes per fidem in petra solidentur. Et post-

B quam boni operis pedes & gressus jam in petra fixerat, tunc prædicationis canticum accipit, ut hymnum Deo dicere & operibus & vocibus possit. Sic Saulus dum superbus Damascum pergeret, Redemtoris voce prostratus jacuit: & qui prædicator futurus erat, non tamen mox ut prædicaret quod viderat, audivit: sed ei jacenti dicitur: *Ingredere in civitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere*. Act. 9. 7.

Jacens ergo hoc solum audire potuit, ut surgens disceret quod audierat. Surgens vero hoc didicit, ut quæ didicerat, prædicaret.

CAPUT LXXXVIII.

Multa fecisti, tu Domine Deus meus, mirabilia tua. Ps. 39. 6.

Cum de Creatoris potentia ex creaturarum miraculis tractaretur, in expos. B. Job, l. 6. adjunctum est: *Multa fecisti, &c.* QUIS omnipotentis Dei mirabilia perscrutari sufficiat, quod cuncta ex nihilo creavit, quod ipsa mundi fabrica mira potentiæ virtute disposita sit, & super aera cælum suspenditur, & super abyssum terra libratur? Quod ex rebus invisibilibus omnis hæc universitas axistit: quod hominem fecerit, ut ita dixerim, in brevi colligens mundum alterum, sed rationalem: quod hunc ex anima & carne constituens, investigabili virtutis dispositione permiscuit spiritum & lutum? Ex his itaque aliud novimus, aliud & sumus: sed tamen mirari negligimus, quia ea, quæ incomprehensibili indagatione mira sunt, in humanis oculis usu viluerunt. Unde fit, ut si mortuus homo suscitetur, in admirationem omnes exiliant; & quotidie homo, qui non erat, nascitur, & nemo miratur: dum proculdubio omnibus constet, quia plus sit creari quod non erat, quam reparari quod erat. Quia arida Aaron virga floruit, cuncti mirati sunt: & quotidie ex arente terra arbor producitur, virtusque pulveris in lignum vertitur, & nemo miratur. Quia quinque panibus quinque millia hominum satiati sunt, crevisse escam sub dentibus cuncti mirati sunt: quotidie sparsa grana seminum plenitudine multiplicantur spicarum, & nemo miratur. Aquam semel in vinum permutatam videntes cuncti mirati sunt: quotidie humor terræ in radice vitis attractus per botrum in vinum vertitur, & nemo miratur. Mira itaque sunt omnia, quæ mirari homines negligunt: qui ad considerandum, ut prædiximus, usu torpescunt.

Num. 17. Johan. 6. Johan. 2.

a Ita Utic. Michael. & alii, Gemet. autem quam sequuntur excusi, *Incommutabiliter inhærens*, &c.

CAPUT LXXXIX.

Ps. 39. 6. *Annuntiavi, & locutus sum, multiplicati super numerum.*

CUm de stabilitate electorum, & reprobatione malorum, fidem intra sanctam Ecclesiam specietenus tenentium tractaretur, hom. 19 in Num. 9. Num. 22. Evang. & in expos. B. Job, l. 25. adjunctum est: *Annuntiavi, & locutus sum, &c.* VOCANTE Domino, super numerum multiplicantur fideles, quia etiam ii ad fidem veniunt, qui ad electorum numerum non pertingunt. Hinc enim fidelibus per confessionem admixti sunt, sed propter vitam reprobam illic connumerari in sorte fidelium non merentur. Propheta itaque intuens tantos hoc Ecclesiæ tempore specietenus credere, quantos nimirum certum est electorum numerum summamque transire, ait: *Multiplicati sunt super numerum*. Ac si diceret: Multis Ecclesiam intrantibus etiam ii ad fidem specietenus regni veniunt, qui a numero regni cælestis excluduntur: quia electorum summam sua videlicet multiplicitate transcendunt.

[a] CAPUT XC.

Ps. 40. 4. *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.*

Num. 41. IN expos. B. Job, l. 8. adjunctum est: *Universum stratum ejus versasti, &c.* QUIA dum nos tentatio carnis concutit, tremefacta nostra infirmitas etiam mentis cubile confundit.

CAPUT XCI.

Ps. 40. 4. *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.*

b Num. 46. 47. DUm [b] de multiplicibus in sacro eloquio rerum significationibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 23. adjunctum est: *Universum stratum ejus versasti, &c.* QUID hoc loco per stratum, nisi requies temporalis accipitur? Cum enim quisque curis secularibus fatigatus, deserere per divinam gratiam hujus mundi itinera laboriosa compungitur cogitare solet quomodo præsentis vitæ desideria fugiat, & ab ejus laboribus requiescat; sibique mox desideratæ quietis ordinem quærit, & velut quoddam stratum sicut a cunctis laboribus cessationis locum invenire concupiscit. Sed quia in hac vita adhuc homo positus in cujuslibet ordinis loco, in cujuslibet secreti secessu vivere sine tentationibus nullatenus potest, plerumque in id, quod ad requiem construitur, major dolor tentationis invenitur. Unde & recte per Prophetam dicitur: *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus*. Ac si diceret: Omne quod hic sibi paravit ad requiem, hoc ei mutasti occulto judicio ad perturbationem. Quod pio quidem Dei consilio agitur, ut hujus peregrinationis tempore electorum vita turbetur. Via quippe est vita præsens, qua ad patriam tendimus; & idcirco hic occulto judicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. Solent enim nonnulli viatores cum amœna fortasse in itinere prata conspiciunt, pergendi moras innectere, & a cœpti itineris rectitudine declina-

A re, eorumque gressus tardat pulchritudo itineris, dum delectat. Unde electis suis ad se pergentibus Dominus hujus mundi iter asperum facit; ne dum quisque vitæ præsentis requie quasi vitæ amœnitate pascitur, magis eum diu pergere quam citius pervenire delectet; ne dum oblectatur in via, obliviscatur quod desiderabat in patria.

CAPUT XCII.

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Ps. 41. 4.

CUm de fructu compunctionis tractaretur, in expos. B. Job, [a] l. 5. adjunctum est: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte.* LUCTU Num. 15.
B suo anima pascitur, cum ad superna gaudia flendo sublevatur. Et totus quidem doloris sui gemitum tolerat, sed eo refectionis pabulum percipit, quo hic vis amoris per lacrymas emanat.

CAPUT XCIII.

Memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim. Ps. 41. 7.

CUm de bono humilitatis tractaretur, in expos. B. Job, l. 33. adjunctum est: *Memor ero tui de terra Jordanis, &c.* QUID Jordanis nisi descensio? Hermoniim autem anathema, id est alienatio interpretatur. De terre ergo Jordanis & Hermoniim Dei reminiscitur, qui in eo quod semetipsum dejicit, atque a se alienus existit, ad Conditoris sui memoriam revocatur. Hinc est enim quod voce Veritatis dicitur: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum*. Semetipsum enim abnegat, qui, calcato typho superbiæ, ante Dei oculos esse se alienum demonstrat. Num. 13. C Luc. 9. 23.

CAPUT XCIV.

In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte declaravit. Ps. 41. 9.

CUm de electorum probationibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 23. adjunctum est: *In die mandavit Dominus misericordiam suam, &c.* Num. 32.
D QUIA videlicet unusquisque superni doni gratiam in tranquillitate quietis percipit, sed quantum perceperit in adversitate perturbationis ostendit. Misericordia ergo Domini in die mandatur, quia in tranquillo tempore cognoscendo percipitur: in nocte vero declaratur, quia donum, quod in tranquillitate sumitur, in tribulationibus manifestatur.

CAPUV XCV.

Humiliasti nos in loco afflictionis, & operuit nos umbra mortis. Ps. 43. 20.

IN expos. B. Job, l. 26. adjunctum est: *Humiliasti nos in loco afflictionis, &c.* LOCUS afflictionis est vita præsens. Qui ergo ad æternam patriam tendunt, nunc semetipsos temporaliter in afflictionis loco dejiciunt, ut tunc in loco gaudii veraciter sublimentur. * Electorum namque animas modo dies afflictionis possident, quia dies lætitiæ post sequuntur. Scriptum quippe est: *Timenti Deum, bene erit in extremis*. Et rursum de Ecclesia dicitur: *Ridebit in die novissimo*. Nunc enim tem- Num. 34. E * Ibid. lib. 20. num. 56. Eccles. 1. 13. Prov. 31. 25.

a Abest a mss.
b In excusis legitur: *De variis hujus peregrinationis perturbationibus, ne præsens magis vita, quam futura delectet.*

tempus afflictionis est bonis, ut sequatur eos exultatio quandoque sine tempore. Sequitur: *Et operuit* * Ibid. lib. 4. num. 30. *nos umbra mortis.* * Quid hoc loco per umbram mortis, nisi mors carnis accipitur? Quia sicut vera est mors qua anima separatur a Deo, ita & umbra mortis est, qua caro separatur ab anima. De hac itaque nunc voce Martyrum per Prophetam dicitur: *Humiliasti nos in loco afflictionis, & operuit nos umbra mortis.* Quos enim constat non spiritu, sed sola carne mori, nequaquam se vera morte, sed umbra dicunt mortis operiri. * Ibid. lib. 33. num. 6. * a Quid enim per umbram, quæ tamen cum adjectione mortis ponitur, nisi mors carnis exprimitur? vel quilibet reprobi, qui antiqui hostis tenebras studio pravæ operationis imitantur. Unde voce Martyrum per Psalmistam dicitur: *Humiliasti nos in loco afflictionis, & operuit nos umbra mortis.* B Umbra enim mortis electos Dei opprimit, cum mors carnis, quæ imago mortis æternæ est, ab hac eos vita disjungit; quia sicut illa a Deo animam, ita hæc ab anima separat corpus. Vel certe umbra eos mortis opprimit, quia de antiquo hoste scriptum est: Apoc. 6. 8. b *Nomen illi mors.* Umbra ergo mortis sunt omnes reprobi, quia illius nequitiam elationis imitantur, ejusque imaginem quasi umbram exprimunt, dum ejus in se malitiæ similitudinem trahunt. Qui electos Dei operiunt, cum contra illos atrocitate persecutionis temporaliter convalescunt.

CAPUT XCVI.

Ps. 44. 2. *Lingua mea, calamus scribæ velociter scribentis.*

Num. 7. IN expos. B. Job, l. 33. adjunctum est: *Lingua mea, &c.* QUIA quod loquitur transit, quod scribimus permanet, lingua patris scribæ calamus dicitur: quia ab eo est Verbum illico æternum, ac sine transitu generatum.

CAPUT XCVII.

Ps. 44. 4. c c *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.*

Num. 26. IN comm. Ezech. ho. 8. adjunctum est: *Accingere gladio tuo, &c.* QUID in femore nisi propago carnis exprimitur? De femore ergo Abrahæ virgo Maria exiit, in cujus utero unigenitus Patris incarnari dignatus est, ex qua incarnatione universo innotuit mundo Deus. Ipsi ergo per Prophetam dicitur: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.* Gladium etenim circa femur sumsit, quia sermo prædicationis illius ex incarnatione convaluit.

d d CAPUT XCVIII.

Ps. 44. 5. *Intende, prospere procede, & regna, propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam.*

Num. 62. IN expos. B. Job, l. 9. adjunctum est: *Intende, prospere, &c.* PER Legem quippe Deus virgam tenuerat cum dicebat: *Si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur.* Sed incarnatus Dominus virgam abstulit, quia vias vitæ per mansuetudinem ostendit. Unde & ei per Psalmistam dicitur: *Intende, prospere procede, & regna, propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam.* A Timeri quippe quasi Deus noluit, sed quasi pater, ut amaretur, inspiravit.

CAPUT XCIX.

Item unde supra.

IN expos. B. Job, l. 1. VERITATEM exequens, Num. 33. mansuetudinem cum justitia conservavit, ut nec zelum rectitudinis in mansuetudinis pondere amitteret, nec rursum pondus mansuetudinis zelo rectitudinis perturbaret.

CAPUT C.

Myrrha, & gutta, & casia a vestimentis tuis, a gradibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. Ps. 44. 9.

IN expos. B. Job, l. 35. adjunctum est: *Myrrha, & gutta, &c.* Num. 40. QUID myrrhæ, guttæ, & casiæ nomine, nisi virtutum suavitas designatur? quid eburneis gradibus, nisi magna nitens fortitudine proficientium ascensus exprimitur? Redemtor igitur veniens, myrrha, gutta, & casia in vestimento utitur, quia ex electis suis, quibus se misericorditer induit, miræ virtutis fragrantiam aspergit, in quibus idem odor ab eburneis gradibus ducitur: quia in eis virtutum opinio non ex ostensione simulationis, sed ex veri ac solidi operis ascensu generatur. C Bene autem subditur, *Ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.* Sanctæ namque animæ ab antiquis patribus ad cognitionem veritatis editæ, Redemtorem suum in honore ejus delectant, quia ex eo, quod bene agunt, suæ laudi nihil vendicant.

e CAPUT CI.

Adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus. Ps. 44. 13. e

IN expos. B. Job, l. 35. adjunctum est: *Adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus.* Num. 34. APERIRE libet oculos fidei, & illud extremum sanctæ Ecclesiæ de susceptione Israelitici populi convivium contemplari. D Ad quod nimirum convivium magnus ille veniens Elias convivantium invitator adhibetur; & tunc propinqui, tunc noti ad eum cum muneribus veniunt, quem in flagello paulo ante positum contemserunt. Appropinquante enim die judicii, vel præcursoris vocibus, vel quibusdam erumpentibus signis, ipsa eis jam aliquo modo advenientis Domini virtus interlucet. Cujus iram dum prævenire festinant, conversionis suæ tempus accelerant. Conversi autem cum muneribus veniunt, quia eum quem paulo ante in passione deriserunt, tunc virtutum opera quasi munera offerendo venerantur; illud proculdubio sua oblatione complentes, quod & cernimus magna ex parte jam factum, E & adhuc credimus perfecte faciendum. *Adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus.* Tunc namque eum plenius filiæ Tyri in muneribus adorant, cum Israelitarum mentes hujus nunc mundi desideriis subditæ, ei quem superbientes necaverant quandoque cognito, suæ hostias confessionis apportant.

a Hoc loco in mss. legitur: *item unde supra.*
b In pluribus mss. *nomen illius mors.*
c In pluribus mss. *accinge gladium.*
d Omittitur in mss.
e Quatuor capita quæ sequuntur, desunt in mss.

CAPUT CII.

Psal. 44. 14. *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.*

Num. 20. IN expos. B. Job, l. 19. adjunctum est: *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* SED quia exteriora etiam irreprehensibilia Ecclesia custodit, jure de ea subdidit: *In fimbriis aureis circumamicta varietate*: ut & pulchra intus sibi sit, & aliis foris: & se provehens per internam gloriam, & alios erudiens per exteriora operum exempla.

CAPUT CIII.

Item unde supra.

Num. 83. IN expos. B. Job, l. 8. FILIA regum Ecclesia quæ in bono est opere spiritualium principum prædicatione generata, gloriam intus habet: quia hoc, quod agit, in ostentationis jactantia non habet.

CAPUT CIV.

Psal. 44. 17. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos Principes super omnem terram.*

Num. 61. 5. IN expos. B. Job, l. 4. adjunctum est: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, &c.* PRINCIPES sanctæ Ecclesiæ Rectores vocat, quos indesinenter in loco prædicatorum præcedentium divina dispensatio subrogat.

CAPUT CV.

Psal. 45. 2. *Transferentur montes in cor maris.*

Num. 30. IN expos. B. Job, l. 18. adjunctum est *Transferentur montes in cor maris.* QUID per montes nisi prædicantium altitudo signatur? Electi quippe prædicatores æternæ patriæ non immerito montes vocantur, quia per vitæ suæ celsitudinem ima terrenorum deserunt, & cælo propinqui fiunt. De his ergo nunc montibus dicitur: *Transferentur montes in cor maris.* In cor enim maris montes translati sunt, cum prædicantes Apostoli a Judææ perfidia repulsi, ad intellectum Gentilium venere. Act. 13. 46. Unde ipsi quoque in suis Actibus dicunt: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quia repulistis illud, & indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.*

CAPUT CVI.

Psal. 45. 11. *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus.*

Num. 19. & 20. IN expos. B. Job, l. 5. adjunctum est: *Vacate & videte, &c.* NISI quibusdam mentibus contemplativa vita potius quam activa congrueret, nequaquam per Prophetam Dominus diceret: *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus.* Vacant qui bene in potestate sunt, cum terrenarum actionum strepitus pro divino amore intermittendo postponunt, ne dum ima indesinenter occupant, cor funditus e summis cadat. Sciunt enim quia nequaquam mens ad superna attollitur, si curarum tumultibus continue in infimis occupatur. Quid enim de Deo occupata obtineat, quæ de illo apprehendere aliquid etiam vacans laborat? Bene ergo per Psalmi- A stam dicitur: *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus*: quia qui vacare Deo negligit, suo sibi judicio lumen ejus visionis abscondit. Qui ergo rebus temporalibus occupantur, tunc bene exteriora disponunt, cum sollicite ad interiora refugiunt, cum nequaquam foris perturbationum strepitus diligunt, sed apud semetipsos intus in tranquillitatis sinu requiescunt. Pravæ etenim mentes temporalium rerum tumultus intra semetipsas versare non cessant, etiam cum vacant. In cogitatione enim servant depicta quæ amant, & quamvis nihil exterius faciant, apud semetipsas tamen sub pondere inquietæ quietis laborant. Quibus si earumdem rerum administratio præbeatur, semetipsas funditus deserunt, & fugitiva temporalia B per intentionis cursum cursum continuis cogitationum passibus sequuntur. Piæ autem mentes hæc & cum desunt, non quærunt, & graviter etiam cum adsunt, ferunt: quia per exteriorum curas a se exire pertimescunt.

a Gregor. idem Propheta.

CAPUT CVII.

Psal. 47. 3. *Deus in gradibus ejus dignoscetur, cum suscipiet eam.*

Num. 3. LIb. 2. hom. 3. in Ezech. adjunctum est: *Deus in gradibus ejus dignoscetur, etc.* QUID C per hos gradus, nisi virtutum merita designantur? Sive enim in cognitione Mediatoris Dei & hominum, hominis Jesu Christi, seu in scientia divini eloquii, seu in ipsa fide quam de illo accepimus, quibusdam gradibus ad altiora incrementa pervenimus. Nemo enim repente fit summus, sed in bona conversatione a minimis quisque inchoat, ut ad magna perveniat. Deus ergo in gradibus ejus dignoscetur, cum suscipiet eam. Dum enim sanctam Ecclesiam Dominus suscipit, in gradibus ejus dignoscitur, quia ejus gloria per illius incrementa declaratur: quantum enim sancta Ecclesia ascendendo profecerit, tantum Deus hominibus ex ejus virtutibus innotescit. De quibus gradibus rursum scriptum est: *Per singulos gradus meos pronuntiabo illum.* Job 31. 37. Omnipotentem quippe Dominum per singulos gradus suos pronuntiat, qui D per incrementa virtutum quæ cœpit, ei semper laudem suæ pietatis reddit. Si quidam gradus in cordis ascensione non essent, [a] item Psalmista non diceret: *Ambulabunt de virtute in virtutem.* Psal. 83. 8. Nec mirum si de virtute in virtutem gradus sunt, quando ipsa unaquæque virtus quasi quibusdam gradibus augetur, & sic per incrementa meritorum ad summa perducitur. Aliud namque sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Si enim & ipsa fides ad perfectionem suam non quibusdam gradibus duceretur, sancti Apostoli minime dixissent: *Adauge nobis fidem.* Luc. 17. 5. Et quidam venit ad Dominum, qui curari voluit filium suum, sed requisitus an crederet, respondit: *Credo, Domine, adjuva* Marc. 9. 23. E *incredulitatem meam.* Pensate ergo quod dicitur: Si credebat, cur incredulitatem dicebat? Si vero incredulitatem habere se noverat, quomodo credebat? Sed quia per occultam inspirationem gratiæ, meritorum suorum gradibus fides crescit, uno eodemque tempore is, qui necdum perfecte crediderat, simul & credebat, & incredulus erat.

CA-

CAPUT CVIII.

Item unde supra.

a HOm. 15. in Ezech.[a] OMNIPOTENS Deus in Ecclesiæ suæ gradibus agnoscitur, quia in singulis ejus virtutibus atque miraculis quam timendus sit, & amandus omnibus demonstratur. Quem videlicet amorem tunc suscipit, cum a culpis suis ad pœnitentiam redit. Cujus electi laudantur cum dicitur: Quoniam ecce reges vocantur, qui pro eo quod transacta mala per pœnitentiam corrigunt, ipsa quoque eorum pœnitentia qualiter

Psal. 47. 6. 7. 8. agatur, adjungitur: *Ipsi videntes tunc admirati sunt, conturbati sunt, & commoti sunt, tremor apprehendit* B *eos. Ibi dolores sicut parturientis: in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.* Vident quippe & admirantur, sed admirantes in tremore turbantur. Nam cum inter pœnitentię lacrymas ad mentis notitiam cælestis patrię lumen erumpit, & admiratur animus & pavescit, (quia libet quod terret) tunc dolores in anima sicut parturientis fiunt. Dolor enim pœnitentis quasi dolor parturientis est, quia cum fletibus a se ejicit quod male in voluptate concepit. Tharsis vero exploratio gaudii dicitur. Et scimus quia qui omnes voluptates hujus seculi sequitur, temporalia sibimet gaudia explorat. Sed omnipotens Deus in spiritu vehementi naves Tharsis conterit, quia mentes carnalium, quæ prius in hujus mundi fluctibus vagabantur, per sancti Spiri- C tus adventum in mœrore pœnitentię affligit, ut contritæ a superbia salubriter in humilitate jaceant, quas prius in hoc mari seculi ad alta vanitatis, prosperitatis suę unda sublevabat. Per hunc itaque spiritum jacent contritæ naves: quia quibus pœna videbatur ab hominibus despici, postmodum grave sit ab hominibus honorari. Et quia antea mala perpetrare consueverant, & gaudebant, postmodum non timent etiam affligi pro bonis.

CAPUT CIX.

Psal. 47. 8. *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.*

Num. 35. IN expos. B. Job, l. 4. adjunctum est: *In spi-* D *ritu vehementi conteres naves Tharsis.* THARSIS exploratio gaudii dicitur. Sed cum vehemens pœnitentię spiritus mentem occupat, omnem in ea explorationem reprehensibilis gaudii perturbat, ut nil ei jam nisi flere libeat: nihil nisi quod se terrere possit attendat. Ponit namque ante oculos illic districtionem justitiæ, hic meritum culpæ conspicit, quo supplicio digna sit si parcentis pietas desit, quæ per lamenta præsentia ab ęterna eruere pœna consuevit. Spiritus ergo vehemens Tharsis naves conterit, cum vis compunctionis valida, mentes nostras huic mundo quasi mari deditas salubri terrore confundit.

CAPUT CX.

Psal. 48. 8. *Non dabit Deo propitiationem suam, & pretium redemtionis animæ suæ.*

Num. 57. IN expos. B. Job, l. 12. adjunctum est: *Non dabit Deo propitiationem suam, &c.* QUOTIES post culpam eleemosynas facimus, quasi pro pravis actibus pretium damus. Unde per Prophetam de eo

A qui hæc non agit, dicitur: *Non dabit Deo propitiationem suam, & pretium redemtionis animæ suæ.* Nonnumquam divites elati inferiores opprimunt, & aliena rapiunt; & tamen quasi quædam aliis largiuntur. Et cum multos deprimant, aliquando quibusdam opem defensionis[b] ferunt, & pro iniquitatibus, quas numquam deserunt, dare pretium videntur. Sed tunc eleemosynæ pretium nos a culpa liberat, cum perpetrata plangimus & abdicamus. Nam qui & semper peccare vult, & quasi semper eleemosynam largiri, frustra pretium tribuit; quia non redimit animam, quam a vitiis non compescit. Pretium enim redemtionis dare, est opus bonum præveniente nos gratia reddere.

CAPUT CXI.

Non videbit interitum, cum videris sapientes morientes. Psal. 48. 11.

IN expos. B. Job, l. 26. adjunctum est: *Non videbit interitum, &c.* JUSTORUM adversarii, quos visibiliter emori conspiciunt, invisibiliter vivere posse non credunt, atque eo reatum infidelitatis suæ cumulant, quo visa morte fidelium de æternitate desperant. Igitur violenti quique inde interius deficiunt, unde contra vitam innocentium exterius convalescunt, tantoque illos intima veritas a se foras ejicit, quanto eos contra suos temporaliter quod volunt, posse permittit. Quisquis itaque bonorum vitam persequitur, tunc pejore ultione damnatur, cum nulla ei adversitate resistitur: & tunc fortioris iræ periculis subjacet, cum prospere peragit, quod nequiter concupiscit: quia videlicet vindicta superni judicii eum ad futura supplicia reservando deserit, cui hic in malo obviare contemsit. Num. 32. & 33.

CAPUT CXII.

Confitebitur tibi, cum benefeceris ei. Psal. 48. 19.

IN expos. B. Job, l. 8. adjunctum est: *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei.* SCIENDUM est, quod arrogantes viri tunc divinę justitiæ rectitudinem laudant, cum se ad gaudium incolumitas sublevat, & alios flagella castigant; cum se conspiciunt rerum prosperitate perfrui, alios adversitate fatigari. Nam dum perverse agunt, sed tamen se rectos arbitrantur, hoc quod sibi prospera suppetunt, deberi suis meritis credunt, eoque colligunt, quod Deus injuste non judicat, quod quasi justos se adversitas nulla contristat. Sed si eorum vitam quamlibet breviter vis supernæ correptionis attigerit, pulsati protinus consilium divini examinis increpant, quod paulo ante incolumes admirando præferebant; justumque esse judicium, quod suis moribus adversatur, negant: de divina æquitate disputant, ad resultationis verba prosiliunt, & correpti quia E deliquerint, gravius delinquunt. Recte ergo per Psalmistam contra peccatoris confessionem dicitur: *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei.* Defecta quippe vox confessionis est, quam format jucunditas prosperitatis. Sola autem confessio habet magni meritum ponderis, quam a veritatis rectitudine nequaquam separat vis doloris, quam usque ad judicium vocis exacuit adversitas testis cordis. Num. 59.

CA-

a Assignatur in Michael. hom. 1. in Ezech.

b Utic. & alii, quærunt.

CAPUT CXIII.

Psal. 49. 4. *Advocavit cælos desursum, & terram, ut discerneret populum suum.*

Num. 37. IN expos. B. Job, l. 15. adjunctum est: *Advocavit cælos desursum, &c.* CÆLOS sursum advocat, cum hi, qui sua omnia relinquentes, conversationem cælestis vitæ tenuerunt, ad confidendum in judicio convocantur, atque cum eo judices veniunt. Terra etiam sursum vocatur, cum ii, qui terrenis actibus obligati fuerant, in eis tamen Matth. 25. 43 plus cælestia quam terrena lucra quæsierunt, quibus dicitur: *Hospes eram, & collegistis me: nudus, et operuistis me.*

CAPUT CXIV.

Psal. 49. 16. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?*

CUm de institutione prædicantium tractaretur, Num. 23. in expos. B. Job, l. 19. adjunctum est: *Peccatori autem dixit Deus, etc.* LEX est ipsis prædicatoribus posita, ut vivendo impleant quod loquendo suadere festinant. Nam loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adjuvatur. Hinc enim per Psalm. istam dicitur: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos post te.* Sermones etenim Domini post se prædicator projicit, cum hoc, quod dicit, facere contemnit. Quando autem dictis ejus alter obediat, dum ipse respuit opere, quod Matt. 5. 19. prædicat voce, & dissimulat audire quod narrat? De ista prædicationis lege scriptum est: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Regnum cælorum, videlicet præsentem Ecclesiam Matt. 13. 41 appellat, de qua scriptum est: *Et colligent de regno ejus omnia scandala.* In superno etenim regno scandala, quæ ex eo colligi debeant, non habentur. Qui ergo solvit opere, & sic docet voce, in isto regno celorum erit minimus; in illo, nec minimus.

CAPUT CXV.

Psal. 50. 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.*

Num. 70. IN expos. B. Job, l. 11. adjunctum est: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Is, qui per se solus est mundus, mundare prævalet immunda. Homo enim in corruptibili carne vivens, habet tentationum immunditias impressas in semetipso: quia nimirum eas traxit ab origine. Ipsa quippe propter delectationem carnis ejus conceptio, immunditia est. Unde nunc per Psalmistam dicitur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis concepit me mater mea.* Hinc est ergo quod plerumque tentatur & nolens: hinc est quod immunda quædam in mente patitur, quamvis ex judicio reluctetur; quia conceptus de immunditia, dum ad munditiam tendit, hoc conatur vincere quod est. Quisquis autem occultæ tentationis motus atque immunditiam cogitationis vicerit, nequaquam sibi suam munditiam tribuat: quia de immundo conceptum semine nullus facere mundum potest, nisi is, qui mundus per semetipsum solus est. Qui ergo A jam ad locum munditiæ mente pervenit, conceptionis suæ viam respiciat, per quam venit, atque inde colligat, quia ex sua virtute non habet munditiam vivendi, cui de immunditia factum est initium subsistendi.

CAPUT CXVI.

Cor contritum & humiliatum, Deus, non despicies. Psal. 50. 19.

IN Reg. Past. part. 3. sub fin. adjunctum est: *Cor contritum & humiliatum, &c.* QUISQUIS enim Cap. 30. Admon. 31. peccata plangit, nec tamen deserit, cor quidem conterit, sed humiliare contemnit. Quisquis vero peccata jam deserit, nec tamen plangit, jam cor B quidem humiliat, sed tamen conterere recusat.

CAPUT CXVII.

Videbunt justi, & timebunt, & super eum ridebunt. Psal. 51. 8.

IN expos. B. Job, l. 6. adjunctum est: *Videbunt justi, &c.* JUSTUS cum iniquos omnes extrema Num. 48. ultione pereuti conspicit, ipse de gloria dignæ retributionis hilarescit. Nec damnatis jam tunc ex humanitate compatitur, quia divinæ justitiæ per speciem inhærens, inconcusso districtionis intimę vigore solidatur. Erectas namque in claritate supernę rectitudinis electorum mentes nulla miseri- C cordia afficit, quia has a miseriis altitudo beatitudinis alienas reddit. Bene ergo dicitur: *Videbunt justi, & timebunt, et super eum ridebunt.* Iniquos enim justi nunc vident & metuunt, tunc visuri sunt & ridebunt. Quia enim modo ad eorum labi imitationem possunt, hic habent formidinem. Quia vero damnatis tunc prodesse nequeunt, illic non habent compassionem. Æterno itaque supplicio deditis non esse miserandum, in ipsa qua beati sunt, justitia judicantis legunt: qui, quod suspicari fas non est, qualitatem sibi perceptæ felicitatis imminuunt, si in regno positi volunt quod implere nequaquam possunt. Sed quisquis ad vitæ præcepta se dirigit, priusquam præmia æterna percipiat, hic jam initia sequuturę in perpetuum secu- D ritatis degustat, ut antiquum hostem non timeat, & interveniente mortis articulo violentos ejus impetus nullatenus perhorrescat. Justis namque initium retributionis, est ipsa plerumque in obitu securitas mentis.

CAPUT CXVIII.

Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Psal. 52. 6.

IN expos. B. Job, l. 7. adjunctum est: *Illic trepidaverunt timore, etc.* SUNT plerique qui verita- Num. 32. tem jam libere defendere appetunt, sed tamen in ipso suo appetitu trepidi indignationem potestatis humanæ pertimescunt. Cumque in terra hominem E contra veritatem pavent, ejusdem veritatis iram cælitus sustinent. Sunt namque nonnulli, qui peccatorum suorum conscii, ea quę possident, indigentibus jam largiri desiderant; sed tamen ne datis rebus egeant, ipsi formidant. Cumque carnis subsidia reservando trepidi præparant, ab alimentis misericordię animam necant. Et cum pati in terra inopiam metuunt, æternam sibi abundantiam supernę refectionis abscidunt. De quibus recte per Psalmistam dicitur: *Illic trepidaverunt timore, ubi non*

non erat timor. Quia profecto qui conculcanda in infimis metuunt; metuenda patiuntur: & cum transire nolunt quod calcare poterant, judicium de supernis excipiunt, quod tolerare nequaquam possunt.

CAPUT CXIX.

Psal. 54. 8. *Ecce elongavi fugiens: & mansi in solitudine.*

Num. 57. & 58. IN expos. B. Job, l. 4. adjunctum est: *Ecce elongavi fugiens, &c.* FUGIENS elongat, qui a turba desideriorum temporalium in altam Dei contemplationem se sublevat. Manet vero in solitudine qui perseverat in remota mentis intentione. Omnes enim qui vel illicita appetunt, vel in hoc mundo videri aliquid volunt, densis cogitationum tumultibus in corde comprimuntur. Dumque desideriorum turbas extra se excitant, prostratam mentem pede miseræ frequentationis calcant. Alius namque juri se luxuriæ subdit, atque ante mentis oculos schemata turpium perpetrationum fingit: & cum effectus non tribuitur operis, hoc crebrius agitur intentione cogitationis. Voluptatis perfectio quæritur, & concussus enerviter animus hinc inde & sollicitus & cæcatus, occasionem nequissimæ expletionis rimatur. Mens itaque hæc quasi quemdam populum patitur, quæ insolenti cogitationum tumultu vastatur. Alius iræ se dominio stravit: & quid in corde nisi jurgia etiam quæ desunt peragit? Hic sæpe [a] præsentes non videt, absentibus contradicit, intra semetipsum contumelias profert & recipit, receptis autem durius respondet; & cum qui obviet nullus adsit, magnis clamoribus rixas in corde componit. Turbam itaque hic intus sustinet, quem pondus vehemens inflammatæ cogitationis premit. Alius juri se avaritiæ tradit, & fastidiens propria, aliena concupiscit. Hic plerumque concupita adipisci non valens, dies quidem in otium, noctes vero in cogitationem versat. Torpet ab utili opere, quia fatigatur illicita cogitatione. Consilia multiplicat, & sinum mentis cogitationum inventionibus latius expandit: pervenire ad concupita satagit, atque ad obtinenda hæc quosdam secretissimos causarum meatus quærit. Qui mox ut in causa aliquid subtile invenisse se æstimat, jam se obtinuisse quod concupierat exultat. Jam quid etiam adeptæ rei adjungat, excogitat, atque ut in meliore statu debeat excoli, pertractat. Quam quia jam quasi possidet, & quasi ad meliorem speciem adducit, mox insidias invidentium considerat, & quid contra se jurgii moveatur, pensat, & exquirit quid respondeat. Et cum rem nullam teneat, jam in defensione rei, quam appetit, vacuus litigator elaborat. Quamvis ergo nil de concupita re ceperit, habet tamen in corde jam fructum concupiscentiæ, & laborem rixæ. Gravi itaque populo premitur, qui instigantis avaritiæ tumultu vastatur. Alius se tyrannidi superbiæ subjicit, & cor miserum dum contra homines erigit, vitio substernit, honorum sublimium infulas appetit, exaltari successibus exquirit, totumque quod esse desiderat, sibi apud semetipsum in cogitationibus depingit. Jam quasi tribunali præsidet; jam sibi parere obsequia subjectorum videt, jam ceteris eminet, jam mala aliis irrogat, aliis, quæ irrogaverit, recompensat. Jam apud semetipsum stipatus cunctis in publicum procedit; jam quibus obsequiis fulciatur, conspicit. Qui tamen hæc cogitans solus [b] repetit: jam alia conculcat, alia sublevat, jam de conculcatis satisfacit odiis, jam de sublevatis recipit favores. Qui igitur tot phantasmata cordi imprimit, quid iste aliud quam somnium vigilans videt? Qui ergo tot rerum causas, quas fingit, tolerat, nimirum intrinsecus natas ex desideriis turbas portat. Alius jam illicita refugit, sed tamen bonis mundi carere pertimescit. Concessa tenere appetit, videri inter homines minor erubescit, & curat summopere ne inops in domo sit, ne despectus in publico: exquirit quid sibi sufficiat, quid necessitas subjectorum petat; atque ut sufficienter jura patronatus subditis expleat, patronos quærit quibus ipse famuletur. Sed his dum familiariter jungitur, eorum proculdubio causis implicatur. Quibus sæpe consentit in illicitis: & mala, quæ pro semetipso non appetit, committit propter aliena, quæ non derelinquit. Nam sæpe dum honorem suum in hoc mundo imminui trepidat, ea apud majores personas approbat, quæ jam per proprium judicium damnat. Is, dum sollicite cogitat, quid patronis debeat, quid subjectis; quid sibi augeat, quid affectibus prosit; quasi tanta frequentia turbarum premitur, quanta curarum importunitate laceratur. At contra sancti viri, qui nihil hujus mundi appetunt, nullis procul dubio in corde tumultibus premuntur. Omnes quippe inordinatos desideriorum motus a cubili cordis manu sanctæ considerationis ejiciunt. Et quia transitoria cuncta despiciunt, ex his nascentes cogitationum insolentias non patiuntur. Solam namque æternam patriam appetunt, & quia nulla hujus mundi diligunt, magna mentis tranquillitate perfruuntur. Unde nunc recte per Prophetam dicitur: *Elongavi fugiens: et mansi in solitudine*. In solitudine quippe manere, est a secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere: & una intentione æternæ patriæ in amorem intimæ quietis anhelare. Annon cunctos a se cogitationum tumultus expulerat, qui dicebat: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini?* Psal. 26. 4. A frequentia quippe terrenorum desideriorum fugerat ad magnam videlicet solitudinem semetipsum, ubi eo tutius nil extraneum conspiceret, quo incompetens nil amaret. A tumultu rerum temporalium magnum quemdam secessum petierat, quietam mentem, in qua tanto purius Deum cerneret, quanto hunc cum se solo solum inveniret.

CAPUT CXX.

Præcipita, Domine, & divide linguas eorum. Psal. 54. 10.

IN expos. B. Job, l. 34. adjunctum est: *Præcipita, Domine, et divide linguas eorum*. Num. 8. & 9. SICUT perniciosum est, si unitas desit bonis: ita perniciosius, si non desit malis. Reproborum quippe unitas bonorum vitam tanto durius impetit, quanto se ei per collectionem durior opponit. Hanc unitatem reproborum perniciosam sibi Paulus conspexerat, cum in medio Sadducæorum Pharisæorumque deprehensus dicebat: *De spe & resurrectione mortuorum ego judicor*. Act. 23. 6. Qua nimirum voce percussa, protinus contra se vicissim audientium turba dissiluit.

a Utic. & Gemet. *præsentibus invidet*.

b Melius legitur loco Moralium assignato, *solus repit*.

lit. Cumque in duas partes tumultuantium multitudo dividitur, Paulo via ereptionis apertus: A quia quem turba persequentium unita constrinxerat, divisa relaxabat. Eripiuntur enim justi; dum dividuntur injusti: & electorum vota ad
Exod. 14. perfectum perveniunt, dum reproborum agmina per discordiam confunduntur. Quod bene etiam maris rubri scissione signatur. Dum enim in duas partes una dividitur, ab electo populo ad terram repromissionis tenditur: quia dum malorum unitas scinditur, bonę mentes ad hoc, quod appetunt, perducuntur. Si malorum unitas noxia non fuisset, nequaquam divina providentia superbientium linguas in tanta diversi-
Gen. 11. tate dissipasset. Hanc ergo unitatem reproborum contra electos Propheta considerans, de sanctæ B Ecclesiæ hostibus dicit: *Præcipita, Domine, et divide linguas eorum*.

CAPUT CXXI.

Psal. 54. 16. *Descendant in infernum viventes.*

Num. 19. IN expos. B. Job, l. 18. adjunctum est: *Descendant, etc.* AD majoris culpę cumulum hostes suos sancta Ecclesia perhibet & scire quod sequi debeant, & sequi nolle quod sciant. De his ergo per Psalmistam dicitur: *Descendant in infernum viventes*. Vivi sunt qui sentiunt quę erga illos fiunt. C Mortui enim nec sciunt omnino, nec sentiunt. Mortui itaque qui non sentiunt, pro nescientibus; viventes vero qui sentiunt, pro scientibus poni solent. Viventes ergo in infernum descendere, est scientes sentientesque peccare. Dum enim viviquę circa illos aguntur, sciunt & sentiunt; mortui autem sentire nihil possunt; mortui in infernum descenderent, si mala nesciendo perpetrarent: cum vero sciunt mala, & tamen faciunt iniquitates, in infernum viventes miseri, sentientesque descendunt.

CAPUT CXXII.

Psal. 54. 24. *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.*

Num. 72. IN expos. B. Job, l. 5. adjunctum est: *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.* D DIES dimidiare, est tempus vitæ malæ in voluptatibus ductum ad pœnitentiæ lamenta dividere, atque hoc ad bonum usum partiendo reparare. Sed iniqui dies suos nequaquam dimidiant, quia perversam mentem nec in extremo tempore immutant. Quo contra bene Pau-
Ephes. 5. 16. lus admonet, dicens: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*. Tempus quippe redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus.

a CAPUT CXXIII.

Psal. 55. 7. *Ipsi calcaneum meum observabunt.*

Num. 53. IN expos. B. Job, l. 1. adjunctum est: *Ipsi calcaneum meum observabunt.* QUIA enim in calcaneo finis est corporis, quid per hunc nisi terminus signatur actionis? Sive ergo maligni spiritus, sive pravi quique homines illorum sequaces superbiæ, calcaneum observant, cum actionis bonę finem vitiare desiderant.

a Caput hoc cum sequenti omittitur in MS.

CAPUT CXXIV.

Psal. 56. 5. *Filii hominum dentes eorum, arma, & sagittæ; & lingua eorum gladius acutus. Salvum faciet de gladio oris eorum, & de manu violenti, pauperem.*

Num. 55 IN expos. B. Job, l. 9. adjunctum est: *Filii hominum dentes eorum, &c.* IPSE quippe iste
2 Cor. 8. 9. pauper est, de quo per Paulum dicitur: *Propter vos egenus factus est, cum dives esset*. Et quia Judæi accusando Dominum tradiderunt, quem traditum Gentiles occiderunt, potest per oris gladium, accusantium Hebræorum lingua signari, de quibus per Psalmistam dicitur: *Filii hominum dentes eorum, arma, & sagittæ: & lingua eorum, machæra acuta*. Qui Evangelio etiam teste cla-
Marc. 15. Luc. 23. 21. maverunt: *Crucifige, crucifige*. Per illud vero, *violenti manu*, ipsa crucifigens Gentilitas exprimitur, quę in Redemptoris mortem Hebręorum voces opere implevit. Deus itaque hunc pauperem & de violenti manu, & de oris gladio salvum fecit: quia videlicet Redemtor noster & vires Gentilium, & linguas Hebręorum moriendo ex humanitate pertulit; sed ex divinitatis suæ potentia resurgendo superavit.

CAPUT CXXV.

Psal. 57. 9. *Super eos cecidit ignis, et non viderunt solem.*

Num. 97. IN expos. B. Job, l. 9. adjunctum est: *Super eos cecidit ignis, etc.* IGNIS super impios cadit, sed sol igne cadente non cernitur: quia illos, quos gehennę flamma devorat, a visione veri luminis cæcat: ut & foris eos dolor combustionis cruciet, & intus pœna cæcitatis obscuret: quatenus qui Auctori suo corpore & corde deliquerunt, simul corpore & corde puniantur; & utrobique pœnas sentiant, qui dum hic viverent, pravis suis delectationibus ex utroque serviebant.

CAPUT CXXVI.

Psal. 57. 11. *Lætabitur justus cum viderit vindictam impiorum: manus suas lavabit in sanguine peccatorum.*

Num. 17. IN expos. B. Job, l. 18. adjunctum est: *Lætabitur justus cum viderit vindictam impiorum, etc.* PLERIQUE dum alienum interitum conspiciunt, revocantur ad cor, ut recogitent suum. Et unde alius ad tormenta ducitur, a tormento inde alius liberatur. Conspicit namque in aliena pœna quid timeat, & dum delinquentem sic percussum aspicit, dissoluta sua opera justitiæ vigore constringit. Sicque fit, ut iniquus vivens qui multos ad culpam traxerat delectatione peccati, quosdam moriens a culpa revo- E cet terrore tormenti. Quod etiam provenire bonis Psalmista testatur dicens: *Lætabitur justus cum viderit vindictam impiorum: manus suas lavabit in sanguine peccatorum*. In peccatorum morientium sanguine justi lavantur manus; quia dum eorum pœna conspicitur, conspicientis vita mundatur.

CA-

CAPUT CXXVII.

Ps. 58. 2. *Adjutor meus tibi psallam, quia tu Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia mea.*

Num. 7. IN hom. 39. in Evang. adjunctum est: *Adjutor meus tibi psallam, &c.* PERPENDENS Propheta in quibus laboribus humana sit vita constituta, Deum appellat adjutorem. Et quia a tribulatione præsenti in requiem æternam nos suscipit, appellat etiam susceptorem. Sed considerans quod mala nostra aspicit & portat, culpas nostras tolerat; & tamen nos per pœnitentiam ad præmia reservat, noluit Deum misericordem dicere, sed hunc ipsam misericordiam vocavit, dicens: *Deus meus, misericordia mea*. Revocemus ergo ante oculos nostros mala quæ fecimus: pensemus ex quanta Dei benignitate toleramus: consideremus quæ sunt pietatis ejus viscera; ut non solum culpas indulgeat, sed cæleste regnum pœnitentibus etiam post culpam promittat. Atque ex omnibus medullis cordis dicamus singuli, dicamus omnes: *Deus meus misericordia mea*.

[a] CAPUT CXXVIII.

Ps. 59. 4. *Commovisti terram, & conturbasti eam: sana contritiones ejus, quia commota est.*

Num. 18. IN hom. 10. in Ezech. adjunctum est: *Commovisti terram, &c.* TERRA quippe commota & turbata, est peccator de cognitione reatus sui anxius, & ad pœnitentiæ lamenta perductus. Gen. 3. 19. Peccanti enim homini dictum est: *Terra es, & in terram ibis*. Exoret ergo ut sanetur contritio terræ, quia mota est, quatenus peccator, qui de culpis suis affligitur, de cælestis misericordiæ gaudio consoletur.

CAPUT CXXIX.

Ps. 59. 1. *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis. Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.*

Num. 34. IN expos. B. Job, l. 39. adjunctum est: *Ostendisti populo tuo dura, &c.* QUID hoc loco per arcum, nisi dies extremi judicii designatur? In arcu enim quanto longius trahitur chorda, tanto de eo districtior exit sagitta. Sic nimirum, sic extremi judicii dies quanto longius differtur ut veniat, tanto cum venerit, de illo districtior sententia procedit. Idcirco autem diversis nunc cladibus percutimur, ut hic correcti, paratiores tunc inveniri valeamus. Unde illic præmissum est: *Ostendisti populo tuo dura*. Flagella videlicet seculi quæ sequuturum gravius judicii diem præcurrunt. *Potasti nos vino compunctionis*, ut terrena gaudia in lacrymas verterentur. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus*. Ac si diceret: Hoc tempus misericordiæ est, illud tempus judicii erit. Per ista ergo hujus temporis flagella significas, quo modo tunc percussurus es, quando non parcens judicas, qui sic districte modo percutis, quando parcis.

CAPUT CXXX.

In Idumæam extendam calceamentum meum. Ps. 59. 10.

IN hom. 7. in Evang. adjunctum est: *In Idumæam extendam calceamentum meum*. QUID Num. 3. per Idumæam, nisi Gentilitas? & quid per calceamentum, nisi assumta mortalitas designatur? In Idumæam ergo Dominus calceamentum se extendere asserit, quia dum per carnem Gentibus innotuit, quasi calceata ad nos divinitas venit. Quia ergo nesciat quod calceamenta ex mortuis animalibus fiunt? In carne ergo Dominus veniens, quasi calceatus apparuit, qui in divinitate sua morticina nostræ corruptionis assumsit.

CAPUT DXXXI.

Melior est misericordia tua super vitam. Ps. 62. 40.

IN expos. B. Job, l. 8. adjunctum est: *Melior est* Num. 31. *misericordia tua super vitam*. AD abluendam culpam qualibet humanæ actionis virtus infirma est, nisi hanc misericordia parcentis foveat, & non justitia recte judicantis premat. Unde per Psalmistam dicitur: *Melior est misericordia tua super vitam*: quia quamlibet quis videatur innocens, apud districtum judicem nostra nos vita non liberat, si ei reatus sui debitum misericordiæ benignitas non relaxat.

CAPUT CXXXII.

Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Ps. 62. 6.

IN exposit. B. Job, l. 8. adjunctum est: *Sicut* Num. 14. *adipe & pinguedine repleatur anima mea*: ADEPS pinguedine animam replet, cum hanc contra præsentium desideriorum æstum supernæ spei infusio refovet.

[b] CAPUT CXXXIII.

Rivos ejus inebrians, multiplica generationes ejus, in stillicidiis suis lætabitur, cum exorietur. Ps. 64. 11.

LIbro 1. in Ezech. hom. 10. adjunctum est: *Rivos ejus inebrians, &c.* RIVI quippe Ecclesiæ Num. 40. sancti prædicatores sunt, qui terram nostri cordis infundunt. Sed cum inebriantur rivi, generationes Ecclesiæ multiplicantur: quia cum uberiorem gratiam spiritus prædicatores accipiunt, fidelium numerus augetur. Quæ sancta Ecclesia in suis stillicidiis lætatur. In stillicidio etenim aqua de tecto in terram cadit, quæ de cælo ceciderat in tectum. Tectum vero Ecclesiæ sanctæ, sancti prædicatores sunt, qui nos intercedendo & admonitionibus muniendo protegunt. Sed quia illorum cor divinitus in prædicatione infunditur, quasi aqua de cælo venit in tectum. Quia vero nos eorum verbis irrigamur, quasi aqua de tecto defluit in terram. Sancta itaque Ecclesia dum exoritur, in stillicidiis suis lætatur: quia cum in fide & bonis operibus nascitur, ea quæ accepit, dona considerat, & in verbis prædicantium exultat. Auditoribus porro ad meliora surgentibus, eorum quoque prædicatoribus gratia multiplicatur.

[a] In mss. non extat.

[b] Caput hoc cum duobus sequentibus abest a mss.

CAPUT CXXXIV.

Ps.64.12. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.*

Num. 37. IN expos. B. Job, l. 4. adjunctum est: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* QUASI corona anni benedicitur, cum finito laboris tempore virtutum remuneratio confertur.

CAPUT CXXXV.

Ps.65.14. *Et convalles abundabunt frumento.*

Num. 3. IN expos. Evang. hom. 20. adjunctum est. *Et convalles abundabunt frumento.* A montibus namque aquæ dilabuntur, quia superbas mentes veritatis doctrina deserit. Sed fontes in convallibus surgunt, quia mentes humilium verbum prædicationis accipiunt. Jam videmus, jam convalles frumento abundare conspicimus, quia illorum ora pabulo veritatis impleta sunt, qui mites ac simplices huic mundo despicabiles esse videbantur.

CAPUT CXXXVI.

Ps.65.5. *Venite, & videte opera Domini, quam terribilis in consiliis super filios hominum!*

Num. 1. IN expos. Evang. hom. 4. adjunctum est: *Venite, & videte opera Domini, &c.* SCIENDUM valde est, ut in omne quod agimus, omnipotentis Domini super nos consilia occulta timeamus, ne dum mens nostra exterius fusa, a sua se voluptate non revocat, intus contra eam judex terribiliter adversa disponat. Quod bene Psalmista intuens, ait: *Venite, & videte opera Domini, quam terribilis in consiliis super filios hominum!* Vidit namque quod alius misericorditer vocatur, alius justitia exigente repellitur. Et quia alia parcendo, alia Dominus irascendo disponit, expavit quod penetrare non potuit, & quem non solum investigabilem, sed etiam in quibusdam sententiis suis inflexibilem vidit, terribilem in consiliis esse memoravit.

CAPUT CXXXVII.

Ps.66.8. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.*

Num. 70. IN expos. B. Job, l. 29. adjunctum est: *Benedicat nos Deus, &c.* DAVID ut Auctorem omnium Deum, Trinitatem ostenderet, dixit: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Ac ne tertio Deum nominans, tres deos dixisse putaretur, illico unitatem ejusdem Trinitatis insinuans addidit: *Et metuant eum omnes fines terræ.* Qui enim non eos, sed eum subdidit, unum tria, quæ dixerat, intimavit. Unde Isaias cum laudem de unitate Trinitatis aperiret, Seraphim voce exprimens, Isai.6.3. ait: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Ac ne tertio Sanctum nominans, unitatem divinæ substantiæ scindere videretur, adjunxit: *Dominus Deus Sabaoth.* Qui ergo non Domini dii, sed Dominus Deus, addidit, unum existere, quod tertio Sanctum vocaverat, indicavit. Hinc est quod Paulus ut operationem sanctæ Trinitatis ostenderet, ait: *Ex ipso,* Rom.11.36. *& per ipsum, & in ipso sunt omnia:* atque ut unitatem ejusdem Trinitatis intimaret, protinus ad-

A didit: *Ipsi gloria, in secula seculorum.* Qui igitur non ipsis, sed ipsi subdidit, unum naturaliter, tria secundum personas innotuit, quod superius tertio idipsum dixit.

CAPUT CXXXVIII.

Iter facite ei, qui ascendit super occasum. Ps.67.4.

IN expos. B. Job, l. 29. adjunctum est: *Iter facite ei, &c.* SUPER occasum namque Dominus ascendit, quia unde in passione occubuit, inde majorem suam gloriam resurgendo manifestavit. Super occasum videlicet ascendit, qui mortem, quam pertulit, resurgendo calcavit. Ait ergo: Num. 6.
B *Qui ascendit super occasum, iter facite ei,* id est resurgenti Domino in vestris cordibus per fidem præbete viam. Ei itaque qui ascendit super occasum, iter facimus, cum ejus gloriam fidelibus mentibus prædicamus, ut eas & ipse post veniens, per amoris sui præsentiam illustret. Hinc Johanni per spiritum dicitur: *Præibis ante faciem Domini parare vias ejus.* Luc. 1. 76. Quisquis etenim prædicando a sordibus vitiorum corda audientium mundat, venienti sapientiæ viam præparat.

CAPUT CXXXIX.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in specie auri. Ps.67.14.

C IN expos. [a] Ezech. hom. adjunctum est: *Si dormiatis inter medios cleros, &c.* CLEROS Latina lingua sortes dicimus. Dormire autem nostrum, est a prava actione quiescere. Et quia electi quique a perversorum operum se inquietudinibus compescunt, terrena deserunt, cælestia concupiscunt, nimirum inter medios cleros dormiunt: quoniam fugiendo temporalia, & æterna præmia desiderando, a perversis actibus quiescunt. Mente quippe ad summa evolant, unde & pennæ vocati sunt. Quæ bene pennæ columbæ deargentatæ esse memorantur. Columba vero deargentata, sancta Ecclesia est, quæ aperte prædicationis luce resplen-
D det. Sed hæc columba in pennis quidem deargentata est, sed posteriora dorsi ejus in auri specie refulgent: quia sancta Ecclesia, quæ modo per prædicantium linguas clara est, in illa remuneratione, quæ sequitur, non jam argenti sed auri fulgore decoratur. Ad illa quippe invisibilia bona perveniens, ad illa cælestia dona pertingens, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, jam prædicationis eloquio non indigebit, sed sola auri specie in posterioribus pulchra est, quia in eo, quod post accipiet, solo resplendet fulgore claritatis.

CAPUT CXL.

Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Ps.67.10.

E IN expos. Evang. hom. 29. adjunctum est: *Ascendens in altum, &c.* QUID his Prophetæ verbis, nisi ascensio Dominica declaratur? *Ascendens quippe in altum, captivam duxit captivitatem,* quia corruptionem nostram virtute suæ incorruptionis absorbuit. *Dedit vero dona hominibus,* quia misso desuper Spiritu, alii sermonem sapientiæ, alii sermo- Num. 10.

[a] Quæ sit hæc hom. non assignatur in mss. Pars tamen ultima huius sacri contextus expon. in hom. 3. l. 2. n. 14.

monem scientiæ, alii gratiam virtutum, alii gratiam curationum, alii genera linguarum, alii interpretationem sermonum tribuit. Dedit ergo dona hominibus, dum per hujus spiritus gratiam eorum in mundo virtus excrevit. A

[c] CAPUT CXLI.

Ps. 67. 14. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.*

Num. 15. IN expos. B. Job, l. 20. adjunctum est: *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* QUID hoc loco canum nomine, nisi sancti Doctores vocantur? qui fidelium in sancta Ecclesia custodes steterunt, qui dum pro Domino suo diurnis nocturnisque vigiliis intenti clamaverunt, magnos, ut ita dixerim, latratus prædicationis dederunt. Nonnulli quippe ab idolorum cultibus revocati, facti sunt prædicatores Dei. Lingua ergo canum Ecclesiæ ex inimicis prodit: quia conversos Gentiles Dominus etiam prædicatores facit: Unde Judæorum tarditas, qui pro Domino loqui noluerunt, increpante Propheta reprehenditur, qui ait: *Canes muti non valentes latrare.* [a] * Nonnumquam solent in sacro eloquio per canes prædicatores intelligi. Canum etenim lingua, vulnus dum lingit, curat: quia & Doctores sancti dum in confessione peccati nostri nos instruunt, quasi vulnus mentis per linguam tangunt. Et quia nos loquendo a peccatis eripiunt, quasi tangendo vulnera ad salutem reducunt: Quia cum canum nomine, prædicatorum lingua signatur, a Domino per Psalmistam dicitur: *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* Ex Judæis quippe infidelibus sancti prædicatores electi sunt, qui in assertione veritatis contra fures latronesque venientes, magnos pro Domino, ut ita dicam, latratus dederunt. Quo contra de quorumdam reprobatione dicitur: *Canes muti non valentes latrare.*

Isa. 56. 10. a

* Hom. 40. in Evang. n. 2.

CAPUT CXLII.

Ps. 67. 25. *Visi sunt gressus tui, Deus: ingressus Dei mei regis, qui est in Sancto.*

Num. 41. IN expos. B. Job, l. 16. adjunctum est: *Visi sunt gressus tui, Deus, &c.* QUASI quidam namque gressus Dei sunt ipsæ, quas cernimus, operationes ejus: quibus bonus quisque malusque regitur: quibus justi, injustique suis ordinibus disponuntur: quibus & subjectus quisque ad meliora quotidie ducitur, & adversus ad deteriora corruens toleratur. De quibus nimirum Propheta gressibus dicebat: *Visi sunt gressus tui, Deus.* Nos itaque cum virtutem longanimitatis atque pietatis ejus intuemur, & intuentes imitari contendimus, quid aliud quam gressuum ejus vestigia sequimur, quia extrema quædam operationis imitamur? *Visi sunt gressus tui, Deus; ingressus Dei mei regis, qui est in Sancto.* Qui inordinatos motus animi, divinorum judiciorum memoria, in se reprimi conspicit, quasi deambulantis in se gressus Domini vidit.

CAPUT CXLIII.

Ps. 67. 32. *Æthiopia præveniet manus ejus Deo.*

Num. 8. IN expos. B. Job, l. 18. adjunctum est: *Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* DAVID Propheta videns quod ad Judæam redimendam veniret Dominus, sed ante Gentilitas crederet, postmodum Judæa sequeretur, sicut scriptum est: *Donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret,* Rom. 11. 25. dicit: *Æthiopia præveniet manus ejus Deo*, id est priusquam Judæa credat, salvandam se offert omnipotenti Domino peccatis nigra Gentilitas. Agamus itaque gratias unico summi Patris, nos qui ex Gentilitate collecti, atque ejus lumine perfusi, Judæam quoque ipsam præcessimus ad fidem, ut impleretur quod scriptum est: *Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* Nigri ergo perfidiæ meritis fuimus, sed per fidei meritum suscipientes candorem gratiæ, ipsam etiam Synagogam, per cujus sobolem vocati sumus ad gratiam Dei, prævenimus. B

CAPUT CXLIV.

Laboravi sustinens. Ps. 68. 4.

HOm. 8. in Ezech. adjunctum est: *Laboravi sustinens.* [b] HOC ex persona Redemtoris nostri Propheta de perverse adhuc viventibus dicit: *Laboravi * sustinens.* Non enim sustinendo Dominus laborat, cujus divinitatis potentiam, nulla fatigatio contingit, sed verbis humanitatis loquens, ipsam suam circa nos patientiam laborem vocat.

b

* Ubi legimus, clamans.

CAPUT CXLV.

C *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Ps. 68. 16.

IN expos. B. Job, l. 26. adjunctum est: *Non me demergat tempestas aquæ, &c.* OMNIS qui jam viam vitæ deserens, in peccatorum se tenebras dejicit, semetipsum quasi in puteum vel in foveam mergit. Si vero diuturna perpetratione etiam consuetudine iniquitatis opprimitur, ne ad superiora jam possit exurgere, quasi angusto ore putei coarctatur. Hinc ergo David sub specie peccantium orat dicens: *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Quem enim mali operis iniquitas a bona stabilitate commovit, quasi tempestas aquæ rapuit. Sed si adhuc longa consuetudine non prævaluit, non demersit. Jam in puteum cecidit, qui hoc quod divina Lex prohibet, perpetravit. Sed si adhuc longa consuetudo non deprimit, nequaquam os suum puteus coangustavit. Tanto ergo facilius egreditur, quanto minor consuetudine coarctatur. Quædam namque quasi conclusi oris angustia est, ab opprimente mala consuetudine exurgere velle, nec posse. Jam quidem desiderio ad superna tendere, sed adhuc actu in infimis remanere, præire corde, nec tamen sequi opere, atque in semetipso [c] contradictorem perpeti semetipsum. Cum vero ita tendens anima manu gratiæ exaltantis adjuvatur, ab angusto ore ad latitudinem pervenit: quia, victis difficultatibus, opera bona perficit, quæ concupiscit. David Propheta conclusionem angusti oris aspexerat, cum dicebat: *Salvam fecisti de necessitatibus animam meam, nec conclusisti me in manibus inimici.* Latissime autem salvatum se noverat, cum subderet, dicens: *Statuisti in* loco Ps. 30. 9.

Num. 65. 66.

D E c

a Reliqua capitis in mT desiderantur.
b In Mich. assignatur hom. 8. in Ezech. ubi tamen hæc desiderantur.

c Sic legitur in omnibus nostris mss. licet in Moralibus, pro, contradictorem, sit, contradictionem, consentientibus omnibus etiam codicibus.

loco spatio pedes meos. In spatioso quippe loco pedes stabiliti sunt, quando & ad congruentia bona tendimus, & nulla difficultate præpedimur. Quasi enim per latum locum, quo volumus, pergimus, quia nullis objectis difficultatibus angustamur.

Ps. 68. 19.

CAPUT CXLVI.

Propter inimicos meos eripe me.

Num. 32.

IN expos. B. Job, l. 26. adjunctum est: *Propter inimicos meos eripe me*. PLERUMQUE accidit, ut justi in tribulatione deprehensi, supernum solatium etiam temporaliter percipiant, quod tamen non temporaliter implorant. Salvari enim non propter se, sed pro adversariorum salute concupiscunt; ut dum illos omnipotens Deus ab immensis periculis facto quodam miraculo liberat, virtutem suam ipsis etiam persecutoribus innotescat, atque inde adversarios ad æternitatem redimat, unde suos temporaliter salvat. Hinc est quod Psalmista voces Martyrum suscipiens, ait: *Propter inimicos meos eripe me*. Ac si diceret: Propter me quidem eripi de temporalibus tribulationibus non appeto, sed tamen eripi propter adversarios concupisco: ut dum mea vita salvari mirabiliter cernitur, ipso miraculorum visu inimicorum duritia convertatur. Sicut ergo sæpe Dominus suorum vitam temporaliter pro inimicorum conversione eripit, ita sæpe suorum voces, propter damnationem persequentium, non exaudit; ut videlicet inde reatum suum cumulent, unde prævaluisse se nequiter gaudent. Nam qui invisibilia despiciunt, mutari nonnumquam visibilibus miraculis possunt. Sed idcirco cum justis plerumque nihil mirum visibiliter agitur: quia eorum adversarii illuminari visibiliter non merentur.

a

ᵃ CAPUT CXLVII.

Ps. 68. 21.

Consolantem me quæsivi, & non inveni.

Num. 5.

IN expos. B. Job, l. 17. adjunctum est: *Consolantem me quæsivi, & non inveni*. TUNC solum quippe sancta Ecclesia consolantem invenit, cum ex ea morte, quam vir ejus pertulit, multos intra semetipsam surgere ad vitam cernit.

CAPUT CXLVIII.

Ps. 68. 24.

Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva.

Cap. 1.

IN Reg. Past. part. 1. adjunctum est: *Obscurentur oculi eorum ne videant, &c.* HOC a Propheta de reprobis prænuntiandi studio, non autem maledicentis dicitur voto. Oculi quippe sunt, qui in ipsa honoris summi facie positi, providendi itineris officium suscipiunt. Quibus hi nimirum, qui subsequenter inhærent, dorsa nominantur. Obscuratis ergo oculis dorsum flectitur: quia cum lumen scientiæ perdunt qui præeunt, profecto ad portanda peccatorum onera curvantur qui sequuntur. Ait ergo: *Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva*. Ac si dicat: Qui humanæ vitæ actionibus, quasi prævidendis itineribus præsunt, veritatis lucem non habeant, ut & qui sequuntur, subditi iniquitatum suarum oneribus incurvati, omnem statum rectitudinis amittant. * Quod factum procul dubio in Judæa novimus, cum in ipso nostri Redemtoris adventu Pharisæorum turba atque Sacerdotum a vero lumine mentis oculos clausit, & per præpositorum exempla gradiens, in infidelitatis tenebris populus erravit. * Matth. 15. 24. n. 40.

ᵇ CAPUT CXLIX. b

Confundantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, euge. Ps. 39. 4.

IN expos. Ezech. l. 1. hom. 11. adjunctum est: *Confundantur statim erubescentes, &c.* ADULATIO etenim si vel ad tempus patienter suscipitur, augetur, & paulisper demulcet animum, ut a rigore suæ rectitudinis emollescat, in delectatione sermonis: sed ne crescere debeat, statim est sine mora ferienda. Num. 24.

CAPUT CL.

Inimici ejus terram lingent. Ps. 71. 9.

IN expos. B. Job, l. 20. adjunctum est: *Inimici ejus terram lingent*. LIBET intueri hoc, quod per Psalmistam dictum est: *Inimici ejus terram lingent*. Duo quippe sunt genera hominum, ambitioni suæ servientium: unum videlicet, quod semper ad avaritiam blandimentis utitur linguæ; aliud vero, quod aperta vi intendit rapinæ. Nam rodimus, cum aliquid exterius forti adnisu atterimus: lambitur enim, quando hoc quod edi facile non potest, impressa linguæ lenitate gustatur. Omnes igitur etiam sub specie fidei graviter viventes, qui aliena appetunt, sed ea, quæ appetunt, rapere nequaquam possunt; blandis autem sermonibus, & quasi mollitia dulcedinis concupita abstrahere conantur, quid aliud quam terram lingunt? quia terrena quæque, quæ virtute nequeunt auferre, mollitie linguæ moliuntur. Qui vero in hoc mundo aliqua potestate fulti sunt, & concupiscentes aliena, blandiri quidem ex fraude despiciunt: quia etiam injusto robore possunt implere quod volunt: hi hoc quod appetunt, non lambunt, sed rodunt; quoniam propinquorum vitam fortitudine virium, velut adnisu dentium demoliuntur. Num. 16. 27.

CAPUT CLI.

Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei: quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns. Ps. 72. 2. 3.

IN expos. B. Job, l. 6. adjunctum est: *Mei autem pene moti sunt pedes, &c.* CUM malos florere infirmi conspiciunt, trepidant, & apud semetipsos peccantium prosperitate turbati, intus in gressibus mentis nutant. Harum ergo speciem sumsit Psalmista, cum diceret: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei: zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns*. Cum vero eorum gloriam fortes aspiciunt, protinus quæ post gloriam pœna sequatur attendunt, & ᶜ alta intus cogitatione despiciunt hoc quod superbi foris fastu vanæ inflationis intumescunt. Unde & de hoc perfectorum de- Num. 7 & 8.

c

a Abest a mss.
b Non legitur in mss.
c Utic. alta mentis.

Job. 5. 3. despectu per beatum Job dicitur: *Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini ejus statim*. Pulchritudini quippe stulti maledicere, est ejus gloriam ex considerata damnatione judicare: quia eo atrocius in tormentis obruitur, quo altius in peccatis elevatur: quia transit quod extollitur, permanet quod punitur. Qui honoratur in via, in perventione damnabitur, & quasi per amœna prata ad carcerem pervenit, qui per vitæ præsentis prospera ad interitum tendit.

CAPUT CLII.

Ps. 72. 18. *Dejecisti eos, dum elevarentur.*

Cap. 25. Adm. 27. IN Reg. Past. par. 3. adjunctum est; *Dejecisti eos, dum ellevarentur*. REPROBI cum recta opera [a] divinis muneribus non rependunt, cum totos se hic deserunt, & affluentibus prosperitatibus dimittunt, unde exterius proficiunt, inde ab intimis cadunt. Hinc est quod in inferno cruciato diviti dicitur: *Recepisti bona in vita tua*. Idcirco enim bona hic recipit malus, ut illic plenius mala reciperet: quia hic fuerat nec per bona conversus. Non ergo ait: Dejecisti eos postquam elevati sunt; sed, cum ellevarentur: quia hoc ipsum fit superbis interius dejici, quod eis falsa contingit gloria exterius elevari. Ordinante etenim divino judicio, non eis hic aliud culpa est atque aliud pœna, sed sua illis in pœnam vertitur culpa, ut elatis fastu superbiæ hoc ipsum sit vere intus cadere, quod foris ostenditur profecisse.

Luc. 16. 25.

CAPUT CLIII.

Ps. 73. 15. *Tu dirupisti fontes, & torrentes: tu siccasti fluvios Ethan.*

Num. 30. IN expos. B. Job, l. 33. adjunctum est: *Tu dirupisti fontes, &c.* ETHAN interpretatur fortis. Et quis est hic fortis, nisi de quo per Evangelium Veritas dicit: *Nemo potest vasa fortis ingressus domum diripere, nisi prius alliget fortem?* Fontes itaque & torrentes Dominus dirupit; dum in Apostolorum suorum cordibus fluenta veritatis operuit. De quibus rursum per Prophetam alium dicitur: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Ad eorum quippe doctrinam sitientes pergimus, ut veritate plenas cordium nostrorum lagunculas reportemus. Sed emanantibus his fontibus Ethan fluvios exsiccavit, dum doctrinam fortis & maligni spiritus ostenso radio suæ veritatis arescit.

Marc. 3. 27.

Isa. 12. 3.

CAPUT CLIV.

Ps. 74. 5. *Dixi iniquis: Nolite inique agere: & delinquentibus: Nolite exaltare cornu.*

Cap. 30. Adm. 31. IN Reg. Past. part. 3. adjunctum est: *Dixi iniquis, &c.* CORNU delinquentes exaltant, si nequaquam se ad pœnitentiam ex cognitione suæ iniquitatis humiliant. Hinc rursum dicitur: *Cor contritum & humiliatum Deus non spernit*. Quisquis enim peccata plangit, nec tamen deserit, cor quidem conterit, sed humiliare contemnit. Quisquis vero peccata jam deserit, nec tamen plangit, jam quidem humiliat, sed tamen conterere cor recusat.

Ps. 50. 19.

a Gemet. *divinis operibus*.

CAPUT CLV.

Ps. 75. 5. *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.*

Num. 16. IN expos. B. Job, lib. 27. adjunctum est: *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis*. QUI orientem contemplari non valet, irradiatos montes aspicit, & quia sol ortus sit deprehendit. Ex æternis montibus nos Deus illuminat: quia per admiratam vitam patrum præcedentium, radio nos suæ claritatis illustrat. Ecce in studio devotionis Dominicæ & caritatis accendimur, sed in hac devotione atque caritate melius horum montium contemplatione formamur. Quid enim devotius Petro? Quid carius Johanne? Ille per devotionem fluida maris dorsa calcare non timuit: iste per amorem in ipso auctoris nostri pectore requievit: & qui ad corporalis cœnæ refectionem venerat, spiritualem pabulum de sinu Redemtoris sumsit. Sed quia signari per montes præcedentium patrum vitam diximus, necesse est ut adhuc ad medium etiam superiorum patrum exempla deducamus. Ecce cum præceptis cælestibus subdi per obedientiam cupimus, consideratis antiquorum patrum vestigiis juvamur. Quid enim Abraham obedientius, qui ad unam vocem Dominicam cognatos & patriam deserit, & pro adipiscenda æterna hereditate ipsum ferire non trepidat, quem senex jam & pene moriturus acceperat heredem? Cum patientiæ apprehendere virtutem conamur, præcedentium exempla conspicimus. Quid enim Isaac patientius, qui ligna portat, de holocausto rogat, atque post paululum ligatur, & non loquitur: aræ superponitur, & non reluctatur? Quid ergo isto viro dici patientius potest? Qui quasi ad solatium ducitur, & requiritur ad feriendum ligatur, & conticescit: & oblaturus holocaustum interrogat, offerendus in holocaustum tacet. Cum accingi ad laborum tolerantiam nitimur, exemplis præcedentium informamur. Quid enim Jacob laboriosius, qui ad Laban tam longo tempore propinquus jure cogitationis opera exercuit servitutis, & vice obsecutus est famuli, ut perfrueretur premiis heredis? Cum arcem continentiæ & castitatis ascendere nitimur, exemplis præcedentium sublevamur. Quid enim Joseph castius, qui ad desiderium petulantis dominæ, jugo luxuriæ premi non potuit, etiam captivus? Et quidem hominibus servus extitit, sed contra dominantem nequitiam, & in servitio liber fuit. Cum mansuetudine repleri concupiscimus, præcedentium exemplis adjuvamur. Quid enim Moyse mansuetius, qui commissi sibi populi seditionem tolerat, & tamen irascentem Dominum pro suis persecutoribus rogat, seque pro illis divino furori objicit: quia in sancto ejus pectore etiam ex persecutione caritas ignescit? Cum contra adversa mundi firmare mentis constantiam nitimur, præcedentium consideratione fulcimur. Quid enim Josue constantius, qui ad explorandam qualitatem Gentium missus, nec proceritatis magnitudinem, nec numerositatis multitudinem expavit? Unde & easdem Gentes [b], quas explorando non timuit, etiam prœliando prostravit. Cum benignitatis culmen apprehendere conamur, præcedentium exemplis instruimur: Quid enim Samuele benignius, qui de principatu regendi populi dejectus, successorem sibi humiliter,

Matt. 14. 29. Johan 13. 25. Gen. 12. Gen. 22. Gen. 29. Gen. 39. Exod. 32. Num 13. 14. 1 Reg. 10. & 12.

ter requirit, inventumque ungit in regem: unctum mox tolerat persecutorem? A quo ne moriatur, trepidat: & tamen ne ei Dominus irascatur, rogat. Ipse quippe cum mitteretur, ait: *Audiet Saul, & interficiet me.* Et ei per semetipsam Veritas dicit: *Usquequo tu luges Saulem, cum ego abjecerim eum?* Quid ergo isto viro dici benignius potest, qui & hunc non vult divinitus percuti, a quo formidat occidi? Cum ad pietatis atque humilitatis celsitudinem tendimus, præcedentium exemplis levamur. Quid enim David misericordius, quid humilius dici potest, qui a rege reprobo pro victoriis contumelias recipit, qui de manu hostili Israeliticam Gentem fortis eripuit, & tamen ne ipse moriatur, quasi debilis fugit? Qui & se electum divino judicio, & persecutorem suum reprobum agnoscit, & tamen eidem persecutori suo crebræ satisfactionis humilitate se subjicit. Qui persecutoris lanceam tollit, oram chlamydis detruncat, atque ad cacumen montis protinus properat, & uno eodemque tempore, quia occidendi potestatem habuerat, ostentat, & ne occidatur, rogat. * Hinc est quod de prædicatoribus per Prophetam dicitur: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* * In cunctis ergo quæ spiritualiter appetimus, exemplis præcedentibus informamur. More enim nubium extensa super nos patrum vita tegimur, ut ad fructum fecundi germinis infundamur: & quasi intuentes cælum, prius nubes aspicimus, quia ante bonorum facta admirando cernimus: & post, illa quæ sunt cælestia, experiendo penetramus.

1. Reg. 16. 2. Ibid. v. 1. 1 Reg. 17. 18. & 19. * Ex no. 15. Isa. 60. 8. * Num. 17.

[a] CAPUT CLVI.

Ps. 75. 6.

Turbati sunt omnes insipientes corde. Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

IN expos. B. Job, lib. 18. adjunctum est: *Turbati sunt omnes insipientes corde, &c.* UT in sua manu divites post mortem quidquam inveniant, eis ante mortem dicitur, divitias suas in quorum manibus ponant: *Facite*, inquit, *vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Dives ergo cum dormierit, nihil in manibus suis inveniet. Res ergo suas, cum moreretur, secum tolleret, si ad petentis vocem, cum viveret, sibi tulisset. Nam terrena omnia, quæ servando amittimus, largiendo servamus: patrimoniumque nostrum retentum perditur, manet erogatum. Diu enim cum rebus nostris durare non possumus, quia aut nos illas moriendo deserimus, aut illæ nos viventes quasi deserunt pereundo. Agendum ergo nobis est, ut res absolute perituras in non pereuntem cogamus transire mercedem. Dormit namque dives, & nihil invenit: nihil nimirum de rebus, quas tenuit. Nam culpa rerum simul ducitur, quamvis hic omnia, pro quibus culpa perpetrata est, relinquantur. Erat ergo nunc, & acceptis rebus tumeat, seseque super ceteros extollat: glorietur se habere quod proximus non habet. Veniet quandoque tempus ut evigilet, & tunc cognoscat, quam vacuum fuerit, quod in somno tenuerat. Sæpe namque contingit dormienti inopi, ut se per somnium divitem videat, atque ex eisdem rebus animum extollat: lætetur se habere quod non habuit, jamque dedignari quærat, a quibus dedignatum esse se doluit. Sed repente evigilans evigilasse se dolet, qui interim divitiarum imaginem vel dormiens tenebat. Gemit enim protinus sub paupertatis pondere, & inopiæ suæ angustiis premitur, & eo pejus quo ad tempus brevissimum, vel vacue dives fuit. Sic, sic nimirum hujus mundi sunt divites, qui rebus acceptis tument. Bene operari de sua abundantia nesciunt. Quasi dormientes sunt divites, sed paupertatem suam evigilantes inveniunt: quia nihil secum ad illud judicium, quod permanet, ferunt: & quanto nunc ad breve tempus sublimius elati sunt, tanto contra se in perpetuum gravius ingemiscunt. [a] Qui, teste Sapientia, damnationis suæ tempore dicturi referuntur: *Quid nobis profuit superbia, & divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra, & tamquam nuntius percurrens.* Vilia ergo & fugitiva fuisse, quæ tenuerant, jam amissa cognoscunt. Quæ quamdiu aderant, stultis eorum cordibus & magna & mansura videbantur. Sero dives aperuit oculos, quando Lazarum requiescentem vidit, quem jacentem ante januam videre contempsit. Intellexit ibi quod hic facere noluit, & in damnatione sua cognoscere compulsus est, quid fuit quod perdidit, quando indigentem proximum non agnovit. Cum enim corpus obdormiscit in morte, tunc anima evigilat in vera cognitione: & cum carne moritur, ejus anima videre cogitur, quod providere contempsit. Tunc esse conspicit quod timebat, tunc se vacuam invenit, quæ plena rebus præ ceteris hominibus se esse jactabatur.

Num. 28. 25. Luc. 16. 9. Job. 27. 19. Sap. 5. 8. Luc. 16. 23.

[b] CAPUT CLVII.

Ps. 75. 7.

Dormitaverunt qui ascenderunt equos.

IN expos. B. Job, lib. 31. adjunctum est: *Dormitaverunt qui ascenderunt equos.* EQUI nomine, dignitas temporalis accipitur, Propheta attestante, qui ait: *Dormitaverunt qui ascenderunt equos*: id est, morte animæ mentis oculos a veritatis luce clauserunt, qui in præsentis vitæ honore confisi sunt.

Num. 41.

CAPUT CLVIII.

Ps. 68. 15.

Eripe me de luto, ut non inhæream.

IN expos. B. Job, l. 24. adjunctum est: *Eripe me de luto, &c.* LUTO inhærere, est sordidis desideriis concupiscentiæ carnalis inquinari.

Num. 27. in fine.

CAPUT CLIX.

Ps. 76. 3.

Negavi consolari animam meam: memor fui Dei, & delectatus sum.

CUm [c] de perfectorum intra sanctam Ecclesiam desideriis tractaretur, in expos. B. Job, l. 18. adjunctum est: *Negavi consolari animam meam, &c.* SANCTI viri ad animum suum ex præsenti vita nullius gratiæ consolationem admittunt. Nam plerumque hujus seculi divites, solent mentis tædio affecti, bona temporaliter accepta conspicere, & tristitiam delinire. Cum enim mœrore quodam tangi

Num. 66.

a In Uticensi multa alia hic intertia leguntur quæ ex loco Moralium assignato sunt excerpta.

a Caput hoc cum sequenti abest a mss.
c Ita legitur in Gemet.

tangi se sentiunt, equos aspiciunt, auri argentique sui vascula contemplantur, prædia circumeunt. Cumque per hæc temporalia oculos libenter trahunt, obortum animæ mœrorem vincunt. Unde Luc. 6.24. eis & in Evangelio Veritas dicit: *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram*. Sed sanctus vir, qui hoc luget, quia ab æternis gaudiis cecidit, consolationem de temporalibus non admittit, dicens: *Negavi consolari animam meam*. Ac si aperte dicat: Qui de temporalium amissione non lugeo, de temporalium abundantia consolari nequaquam possum. Cui tamquam si nos audientes ista diceremus: Quid igitur quæris, qui consolari in his, quæ mundi sunt, renuit? Illico adjecit: *Memor fui Dei, & delectatus sum*. Ac si aperte dicat: Terrenarum rerum me nec abundantia refovet; auctoris autem mei, quem adhuc videre non valeo, vel sola memoria delectat.

CAPUT CLX.

Ps. 76.4. *Exercitatus sum, & defecit paulisper spiritus meus.*

Num. 46. DUm de incrementis profectuum tractaretur, in expos. B. Job, l. 22. adjunctum est: *Exercitatus sum, &c.* QUID est quod ait: *Spiritus meus*, nisi spiritus hominis, videlicet spiritus elationis? Et quia per occultam gratiam ad amorem Dei temperatâ desuper mensura proficimus, quanto in nobis de Dei spiritu virtus crescit, tanto noster spiritus deficit. Qui spiritus erroris, quia non a nobis subito penitus amputatur, bene paulisper defecisse perhibetur. Tunc vero in Deo plene proficimus, cum a nobis ipsis funditus defecerimus.

[a] CAPUT CLXII.

Ps. 26.29. *Etenim sagittæ tuæ pertransierunt:*

Num. 47. IN expos. B. Job, l. 29. adjunctum est: *Etenim sagittæ tuæ pertransierunt*. DE imbre namque Isa. 5.6. sanctæ prædicationis alias dicitur: *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem*. De cursu vero imbris, qui in electorum cordibus agitur, Psal-Ps. 147. 15. mista testatur dicens: *Velociter currit sermo ejus*. Plerumque vero imber est, & cursum non habet: quia prædicatio ad aures venit, sed cessante interna gratia, ad corda audientium non pertransit. De cujus prædicationis verbis, propter electos dicitur: *Etenim sagittæ tuæ pertransierunt*. Sagittæ quippe Dei pertranseunt, quando verba prædicationis ejus ab auribus ad corda descendunt. Quod quia solo divino munere agitur, imbri cursum Dominus se dedisse testatur.

CAPUT CLXII.

Ps. 77.1. *Attendite, popule meus, legem meam.*

Cap. 2. n. 3. DUm de servando modo sacri eloquii tractaretur, in Præfat. Moral. adjunctum est: *Attendite, popule meus, legem meam*. NON lex David, aut populus David, sed personam ejus, ex quo loquebatur, assumens, ipsius auctoritate loquitur, cujus inspiratione replebatur. Hoc quotidie fieri in Ecclesia cernimus, si vigilanter intueamur. Nam stans in medio populi lector clamat: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob*: Exod. 3. 6. & quod ipse Deus sit, vere profecto non dicit; nec tamen per hoc, quod dicit, veritatis regulam deserit: quia cujus ministerium lectionis exhibet, ejus dominium voce prætendit. Itaque Scriptores sacri eloquii, quia repleti sancto Spiritu super se trahuntur, quasi extra semetipsos fiunt, & sic de se sententias quasi de aliis proferunt.

CAPUT CLXIII.

Filii Ephrem intendentes arcum, et mittentes sagittas suas, conversi sunt in die belli. Ps. 77. 9.

DUm de pusillanimitate prædicantium tractaretur, in Ezech. hom. 9. adjunctum est: *Filii Ephrem intendentes arcum, et.* [b] PLERUMQUE nos, qui doctores videmur, dum prædicamus, audientes instruimus, & loquendo armamus alios, sed ipsi ad laborem certaminis ire recusamus. Et scriptum est: *Filii Ephrem intendentes arcum, et mittentes sagittas suas, conversi sunt in die belli*. Ephrem quippe fructificatio dicitur. Et quæ est talis vel tanta fructificatio, nisi lingua doctorum? Qui dum verbum seminant, multiplicant fructus animarum. Qui eum docere præparamus, & sensum sacræ Scripturæ exquirimus, arcum intendimus. Cum verba correptionis facimus, sagittas emittimus. Arcus enim nonnumquam in sacro eloquio ipsum sacrum eloquium poni solet, quod ex utroque Testamento velut ex cornu & chorda constat. Vetus quippe Testamentum figuratur cornu propter duritiam, novum vero, quod incarnato Domino factum est, signatur chorda. Et dum chorda trahitur, cornu curvatur: quia cum Testamentum novum discutitur a duritia litteræ, vetus inclinatur, & ad intellectum spiritualem flectitur, quia rigor ejus duritiæ non tenetur. Sagittæ enim sunt hæc ipsa verba, quæ doctores proferunt. Unde bene etiam per Prophetam de sanctis doctoribus Gentilitatem ingredientibus dicitur: *Cum sagittis et arcu ingredientur illuc*. Nos ergo Isa. 7. 24. cum Scripturę sacrę dicta pensamus, arcum intendimus; cum verba doctrinę damus, sagittas emittimus. Sed in die belli convertimur: quia nonnumquam contra vitiorum certamina laborem subire recusamus.

CAPUT CLXIV.

Statuit aquas quasi in utre. Ps. 77. 13.

DUm de reproborum contra Ecclesiam machinationibus tractaretur, in expos. B. Job, l. Num. 30. 8. adjunctum est: *Statuit aquas quasi in utre*. AQUÆ in utre, sunt lubrica pravorum desideria, quia cum operis effectum non inveniunt, sub carnali corde deprimuntur.

CAPUT CLXV.

Recordatus est, quia caro sunt. Ps. 77. 39.

CUm de providentia divinę misericordię erga genus humanum tractaretur, in expos. B. Job. Num. 8. l. 4 adjunctum est: *Recordatus est, etc.* OMNIPOTENS Deus, sicut ex nihilo bona facere potuit: ita cum voluit, per incarnationis suę myste-

rium

a Caput hoc non est in mss.
b In cod. mss. indicatur hom. 9. in Ezech. ubi frustra hæc quæsivimus. Pauca extant in hom. 11. quæ est nona libri 2.

rium etiam perdita bona reparavit. Duas vero ad intelligendum se creaturas fecerat, angelicam videlicet, & humanam. Utramque vero superbia perculit, atque a statu ingenitæ rectitudinis fregit. Sed una tegmen carnis habuit, alia vero nihil infirmum de carne gestavit. Angelus namque solummodo spiritus, homo vero & spiritus est, & caro. Misertus ergo Creator ut redimeret, illam ad se debuit reducere, quam in perpetratione culpæ ex infirmitate aliquid constat habuisse; & eo altius debuit apostatam Angelum repellere, quo cum a persistendi fortitudine corruit, nihil infirmum ex carne gestavit. Unde & recte Psalmista cum misertum Redemtorem hominibus diceret, ipsam quoque causam misericordiæ expressit dicens: *Et memoratus est, quia caro sunt*. Ac si diceret: Quo eorum infirma vidit, eo districte culpas punire noluit. Est adhuc aliud, quo perditus homo reparari debuit, & superbiens spiritus reparari non possit: quia nimirum Angelus sua malitia cecidit hominem vero aliena prostravit.

CAPUT CLXVI.

Ps 77 57. *Conversi sunt in arcum perversum.*

Num. 75. DUm de cavendo elationis vitio, & studio veræ humilitatis tractaretur, in exposit. B. Job, lib. 27. adjunctus est: *Conversi sunt in arcum perversum*. ARCUS perversus ipsum, a quo intenditur, percutit. Unde in dictis suis arrogantium linguæ arcui perverso sunt similes: quia dum contra elationem verba faciunt, in suis auctoribus sagittas figunt. Unde summa cura providendum est, ne accepta sapientia, cum ignorantiæ tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat, ut jam sapientia esse nequeat: quæ etsi virtute locutionis fulgeat, elationis tamen velamine
* Num. 76. cor loquentis obscurat. * Alia namque sunt bona summa, alia bona media. Bona etenim summa sunt fides, spes, & caritas. Quæ cum veraciter habentur, in malum inflecti non possunt. Bona autem sunt media, prophetia, doctrina, curationum virtus, & cetera: quæ ita inter utrumque sunt posita, ut aliquando per hæc sola æterna patria, aliquando vero gloria terrena requiratur. Medias ergo has virtutes dicimus, quas ad quodcumque mens appetit, inclinamus. Quibus perceptis ita uti animus sicut terrenis divitiis potest. Per terrenas namque divitias, alii in gloriæ ostentatione superbiunt, alii erga proximorum indigentiam ministeria pietatis operantur. Cum per doctrinam igitur, atque prophetiam laus exterior quæritur, quasi per corporales divitias terrenæ gloriæ culmen ambitur. Cum vero doctrina, atque prophetia lucrandis animabus impenditur, quasi acceptæ divitiæ egenis fratribus largiuntur. Quia ergo sæpe per ipsa dona, quæ se percipere exultat, a manu dantis incautus animus elongat, vigilanti provisione curandum est, ut & prius subigantur vitia, & post sub circumspectione dona teneantur. Nam si in eis mens incaute se deserit, non per hæc adjuta subvehitur, sed quasi pro anteactis laboribus remunerata reprobatur. Unde fit etiam ut accepta virtus, dum in usu transitoriæ laudis assumitur; quia vitio militat, virtus non sit. Quia enim origo virtutis humilitas est, illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est in humilitate perdurat; quia nimirum si abscinditur, arescit: quia vivificantem se in intimis humorem caritatis perdit.

CAPUT CLXVII.

Tradidit in captivitatem virtutes eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici. Ps. 77. 61.

CUm de vitanda in bonis operibus arrogantia tractaretur, Reg. past. par. 4. adjunctum est: *Tradidit in captivitatem virtutes eorum, &c.* IN captivitatem virtus, & pulchritudo in manus inimici traditur, cum deceptæ menti antiquus hostis ex boni operis elatione dominatur. Quæ tamen virtutis elatio, quamvis plene non superet, utcumque tamen & electorum sæpe animum tentat, sed cum elevatus destituitur, destitutus ad formidinem revocatur. Hinc etenim David dicit: *Ego dixi in abundantia mea, Non movebor in æternum*. Sed quia de confidentia virtutis intumuit, paulo post quod pertulit adjunxit: *Avertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus*. Ac si aperte dicat: Fortem me inter virtutes credidi, sed quantæ infirmitatis sim, derelictus agnovi. Hinc rursum dicitur: *Juravi & statui, custodire judicia justitiæ tuæ*. Sed quia ejus virium non erat manere in custodia, quam jurabat, debilitatem suam protinus turbatus invenit. Unde ad precis opem repente se contulit, dicens: *Humiliatus sum usquequaque, Domine, vivifica me secundum verbum tuum*.

Ps. 29. 7. — Ps. 118. 105.

CAPUT CLXVIII.

a *Item unde supra.*

IN expos. B. Job, l. 8. VIRTUS quippe & pulchritudo arrogantium inimici manibus traditur: quia omne bonum, quod per concupiscentiam laudis ostenditur, occulti adversarii juri mancipatur. Hostes namque ad rapinam provocat, qui suas eorum notitiæ divitias denudat. Quousque enim ab æternæ patriæ securitate disjungimur, per latronum insidiantium iter ambulamus. Qui ergo in itinere deprædari formidat, abscondat necesse est bona, quæ portat. O miseri, qui affectantes laudes hominum, in semetipsis dissipant fructus laborum! Cumque se ostendere alienis oculis appetunt, damnant quod agunt. Quos nimirum maligni spiritus cum ad jactantiam provocant, eorum, sicut diximus, opera captivantes denudant. Num. 82.

CAPUT CLXIX.

Immissiones per Angelos malos, viam fecit semitæ iræ suæ. Ps. 77. 49.

IN expos. B. Job, l. 25. adjunctum est: *Immissiones per Angelos malos, &c.* COR quippe Dominus prioribus meritis aggravatum, juste permittit etiam subsequentibus malignorum spirituum persuasionibus falli: quod cum digne in culpa trahitur, reatus ejus in pœna cumulatur. Unde & iræ suæ Dominus viam de semita fecisse perhibetur. Latior est enim via quam semita. Ex semita vero iræ suæ viam facere, est iræ causas districte judicando dilatare, ut qui illuminati agere recte noluerunt, juste cæcati adhuc faciant unde amplius puniri mereantur. Jam meretur supplicium peccatum, & causa peccati: sed expectatur adhuc ut aug- Num. 23. 24.

a Tria quæ sequuntur capita non sunt in mss.

augmentum supplicii subrogent peccatum, & pœna peccati. Plerumque vero unum idemque peccatum, & peccatum est, & pœna peccati, & causa peccati. Quod melius ostendimus, si res ipsas ad medium deducamus. Effrenata enim ventris ingluvies, in fervorem luxuriæ plenitudinem carnis instigat; perpetrata autem luxuria sæpe aut perjurio aut homicidio tegitur, ne humanarum legum ultione puniatur. Ponamus ergo ante oculos quod quidam voracitatis sibi frena laxavit, qua voracitate superatus, adulterii facinus admisit; deprehensus autem in adulterio, latenter virum adulteræ, ne ad judicium traheretur, occidit. Hoc itaque adulterium inter voracitatem & homicidium positum; de illa videlicet nascens, hoc generans; peccatum est, & pœna, & causa peccati. Peccatum est per seipsum; pœna vero peccati est, quia culpam voracitatis auxit; causa autem peccati est, quia subsequens etiam homicidium genuit. Unum ergo idemque peccatum est, & pœna præcedentis, & causa culpæ subsequentis: quia & transacta dum exaggerat, damnat: & adhuc subsequentia quæ damnari debeant, seminat.

CAPUT CLXX.

Psal. 78. 12. *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum.*

Num. 32. IN exposit. B. Job, lib. 22. adjunctum est: *Redde vicinis nostris, &c.* SCRIPTURA etenim sacra plerumque sinum ponere pro mente consuevit. Sicut voce Ecclesiæ de persecutoribus nostris, qui nobis natura quidem conjuncti sunt, sed vita disjuncti, per Psalmistam dicitur: *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum.* Ac si aperte diceretur: In mente sua recipiant hoc, quod in nostris corporibus sævientes, operantur: ut dum nos exterius ex parte puniunt, ipsi interius perfecte puniantur.

CAPUT CLXXI.

Ps. 77. 6. *Potum dedit nobis in lacrymis, & in mensura.*

Cap. 30. Admon. 30. DUm de studio dignæ pœnitentiæ tractaretur, Reg. Past. par. 3. adjunctum est: *Potum dedit nobis, &c.* PROVIDENDUM est iis qui peccata suorum operum deplorant, ut consummata mala perfecto diluant lamento; ne plus astringantur in debito perpetrati operis, & minus solvant fletibus satisfactionis. Scriptum quippe est: *Potum dedit nobis in lacrymis, & in mensura*, ut videlicet uniuscujusque mens tantum pœnitendo compunctionis suæ bibat lacrymas, quantum se a Deo meminit aruisse per culpas.

CAPUT CLXXII.

Psal. 80. 2. *Sumite Psalmum, & date tympanum;*

Num. 31. IN expos. B. Job, l. 33. adjunctum est: *Sumite Psalmum, &c.* IN prædicatione fidei, quasi quoddam negotium geritur, dum verbum datur, & fides ab auditoribus sumitur. Quasi quoddam negotium faciunt, qui prædicationem prærogant, & a populis fidem reportant: fidem impertiunt, & eorum sanctam protinus vitam sumunt. Si enim justorum prædicatio negotium non fuisset, profecto Psalmista non diceret: *Sumite Psalmum, & date tympanum:* In tympano etenim corium siccatur, ut sonet. Quid est ergo dicere: *Sumite Psalmum & date tympanum?* nisi, accipite spirituale canticum cordis, & reddite temporalem macerationem corporis.

CAPUT CLXXIII.

Exaudivi te in abscondito tempestatis, probavi te ad aquas contradictionis. Ps. 80. 8.

CUm de cavendis prava contra votum suadentibus tractaretur, in expos. B. Job, l. 26. adjunctum est: *Exaudivi te in abscondito tempestatis, &c.* ABSCONDITUM tempestatis est, cum in corde contrito cogitationum tentantium fluctus intumescunt, cum contra amoris sancti studium curarum secularium se tumultus illidunt. In abscondito ergo tempestatis auditur, quia clamor deprecantis est hæc ipsa fluctuatio tribulationis. Quia vero omnino non desunt, qui bona quærentibus suadere perversa moliantur, aquæ contradictionis sunt populi resistentes. Et quia tunc probatur desiderium, cum aliqua ei adversitate resistitur, recte dicitur: *Probavi te ad aquas contradictionis.* Num. 24.

[a] CAPUT CLXXIV.

Erit tempus eorum in æternum. Ps. 80. 16.

DUm de percuntium defectu tractaretur, in expos. B. Job, l. 4. adjunctum est: *Erit tempus eorum in æternum.* QUIA per momenta tempus deficit, nomen temporis eorum defectum vocavit, ostendens quod sine fine omnimodo defectu deficiunt ii, qui a visionis internæ consolatione separantur. Num. 5.

CAPUT CLXXV.

Deus meus, pone illos ut rotam, & velut stipulam ante faciem venti. Ps. 82. 14.

CUm de pœna reproborum mentium tractaretur, in expos. B. Job, l. 16. adjunctum est: *Deus meus, pone illos ut rotam, &c.* UT rota ponuntur iniqui, quia in circuitu laboris missi, dum ea, quæ anteriora sunt, negligunt, & ea, quæ deserenda sunt, sequuntur, ex posterioribus elevantur, & in anterioribus cadunt. Qui recte quoque stipulæ ante faciem venti comparantur: quia irruente aura tentationis, dum nulla subnixi sunt ratione gravitatis, elevantur ut corruant: & sæpe eo se alicujus meriti existere æstimant, quo eos in altum flatus erroris portat. Num. 39.

CAPUT CLXXVI.

Concupivit & defecit anima mea in atria Domini. Ps. 83. 3.

IN expos. B. Job, l. 8. adjunctum est: *Concupivit, &c.* SUNT nonnulli justorum, qui sic cælestia appetunt, ut tamen a terrenorum spe minime frangantur. Largita divinitus patrimonia ad necessitatis subsidium possident, honores sibi temporaliter impensos tenent, aliena non ambiunt, suis licite utuntur. Qui tamen ab eisdem rebus, quas habent, alieni sunt: quia ad hæc ipsa, quæ possident, ex desiderio non tenentur. Et sunt nonnulli justorum; Num. 42.

a MSS. non habent hoc caput.

rum, qui ad comprehendendum culmen perfe- A
ctionis accincti, dum altiora interius appetunt, exterius cuncta derelinquunt: qui rebus se habitis nudant, gloria honoris exspoliant. Qui internorum desiderio per assiduitatem se amici mœroris afficiunt, habere de exterioribus consolationem nolunt: qui in æternis gaudiis, dum mente appropiant, vitam in se funditus corporeæ delectationis necant.
Coloss. 3. 3. Talibus namque per Paulum dicitur: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* Horum itaque voces Psalmista expresserat cum dicebat: *Concupivit, et defecit anima mea in atria Domini*. concupiscunt enim, sed non deficiunt, qui jam quidem cælestia appetunt, sed adhuc tamen a terrenorum delectationibus minime laxantur. Concupiscit vero & in Dei atria deficit, qui cum æterna desiderat, in amore temporalium non perdurat.
Ps. 118. 81. Hinc Psalmista iterum dicit: *Defecit in salutari tuo anima mea*. Hinc per semetipsam Veritas admonet,
Matt. 16. 24. dicens: *Si quis vult post me venire, abneget semetip-*
Luc. 14. 33. *sum*. Et rursum: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. In salutari ergo Dei animam justi deficere, est præsentis vitæ bona electione æternitatis deserere, mansura quærere, & in rebus temporalibus fiduciam non habere.

CAPUT CLXXVII.

Ps. 83. 4. *Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum, ubi reponat pullos suos.*

Dum de fidelium desideriis in pace Ecclesiæ
Num. 48. educatis tractaretur, in expos. B. Job, l. 19. adjunctum est: *Etenim passer invenit sibi domum, etc.* QUID per nidi nomen exprimitur, nisi tranquilla quies fidei, qua unusquisque infirmus nutritur? Nam nisi sancta Ecclesia infirmos quosque filios nunc in nido pacis enutriret, Psalmista non diceret: *Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum, ubi reponat pullos suos*. Jam quippe domum invenit passer: quia æternum cæli habitaculum noster Redemtor intravit. Et turtur invenit nidum, quia sancta Ecclesia amore Conditoris affecta, crebris gemitibus utitur, & velut nidum sibi, id est pacatissimam fidei quietem construit, in qua crescentes filios, quasi plumescentes pullos quousque ad superiora evolent, caritatis gremio fovet.

CAPUT CLXXVIII.

Ps. 83. 6. *Ascensus in corde ejus disposuit in convalle lacrymarum.*

Num. 64. Cum de electorum studiis tractaretur, in expos. B. Job, l. 30. adjunctum est: *Ascensus in corde ejus disposuit in convalle lacrymarum*. SANCTI viri quanto magis se exterius despiciendo dejiciunt, tanto amplius interius revelationum contemplatione pascuntur. Quos enim exterius in fletu continet convallis humilitatis, eos interius sublevat ascensus contemplationis.

[a] CAPUT CLXXIX.

Ps. 85. 11. *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.*

Num. 8. In exposit. B. Job, lib. 20. adjunctum est: *Lætetur cor meum, etc.* SANCTI etenim viri sic de spe certi sunt, ut tamen semper sint de tentatione suspecti, quorum voce Psalmista dicit: *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum*. In quo notandum, quod non ait: Lætetur, ut securum sit: sed lætetur, ut timeat. Meminerunt namque, quamvis eorum actio prosperetur, quia adhuc in hac vita sunt, de qua per eumdem Job dicitur: *Tentatio est vita humana super terram*. Me- Job. 7. 1.
minerunt rursum quod scriptum est: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit* Sap. 9. 15.
terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Meminerunt, & metuunt, & certitudinem sibi in se promittere non præsumunt: sed positi inter gaudium spei & tentationis metum, confidunt & timent: confortantur & titubant: certificantur &
B suspecti sunt.

CAPUT CLXXX.

Posuerunt me in abominationem sibi; traditus sum, & non egrediebar. Ps. 87. 9.

Cum de mysteriis Dominicæ passionis tractaretur, in exposit. B. Job, lib. 22. adjunctum est: *Posuerunt me in abominationem sibi, &c.* HOC de tempore passionis suæ Redemtor noster per Prophetam insinuat. Ipse namque traditus egressus non est, quia sub ipsa jam hora passionis cum humanitatis infirma pateretur, divinitatis potentiam exercere noluit. Mediatori
C quippe Dei & hominum quasi egredi fuisset, si cum teneretur homo, majestatis suæ potentiam voluisset ostendere, & per divinitatis magnitudinem susceptæ carnis infirma transire. Ut enim apertius homo mori posset, Deus mansit occultus: *quia si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Egressus ergo non est, qui & requisitus a Pilato tacuit, atque inter persecutorum manus & corpus passioni obtulit quod pro electis assumserat, & resistentibus noluit demonstrare quod erat. Cum enim despiceretur quia homo videbatur, egressus esset si occultam majestatem suam ostentare voluisset. Sed quia infirmitatem prodidit, potentiam abscondit; in eo quod persecutoribus suis incognitus mansit, ad eos minime exi-
D vit. Qui tamen ad electos exit, qui divinitatis suæ suavitatem quærentibus aperit. Unde et per Prophetam dicitur: *Exiisti in salutem populi tui, ut* Habac. 3. 13.
salvos facias Christos tuos.

Num. 42.
1. Cor. 2. 8.

[b] CAPUT CLXXXI.

Inter mortuos liber. Ps. 87. 5.

In expos. B. Job, l. 10. adjunctum est: *Inter* Num. 66.
mortuos liber. OMNIS *qui peccat, servus est pec-* Joban. 8. 34.
cati. Et quia incarnatus Dominus particeps nostræ factus est naturæ, non culpæ, liber dimissus dicitur, quia sub peccati dominio non tenetur. Inter mortuos liber dicitur, quia naturam nostram suscipiens, iniquitatis jugo nullo modo tenetur. Quem
E quamvis macula culpæ nostræ non attigit, passio tamen nostræ mortalitatis astrinxit: *Esurire enim, * Num. 67.
sitire, lassescere, teneri, flagellari, crucifigi, nostræ mortalitatis vinculum fuit. Sed cum expleta morte velum templi rumperetur, scinderentur petræ, monumenta panderentur, inferni claustra patescerent, quid aliud tot argumentis tantæ virtutis ostenditur, nisi quod illa infirmitatis nostræ vin-

a Non legitur in mss.

b Non extat in mss.

vincula ſolvebantur, ut is, qui ad ſuſcipiendam ſervi formam venerat, in ipſa ſervi forma ab inferni vinculis abſolutus, ad cælum etiam cum membris liber rediret?

CAPUT CLXXXII.

Pſal. 87. 17.

In me tranſierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt me.

Num. 6.

CUm de fructuoſo electorum pavore tractaretur, in expoſ. B. Job, l. 7. adjunctum eſt: *In me tranſierunt iræ tuæ*, &c. JUSTORUM mens non ſolum perpendit quod tolerat, ſed etiam pavet quod reſtat. Videt qualia in hac vita patitur, metuit ne poſt hanc graviora patiatur. Luget, quia in hujus cæcitatis exilio, a paradiſi gaudiis cecidit; timet ne cum exilium relinquitur, mors æterna ſubſequatur. Jam ergo ſententiam tolerat in pœna, ſed minas adhuc venturi judicis formidat ex culpa. Recte ergo per Pſalmiſtam dicitur: *In me tranſierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt me.* Interni quippe judicii poſtquam iræ pertranſeunt, etiam terrores conturbant: quia jam aliud de damnatione patimur, & adhuc aliud de æterna ultione formidamus.

CAPUT CLXXXIII.

Pſal. 88. 1.

Miſericordias tuas, Domine, in æternum cantabo.

Num 71. & 72.

DUm de pavore electorum & retributionis incertitudine tractaretur, in expoſ. B. Job, l. 4. adjunctum eſt: *Miſericordias tuas, Domine, in æternum cantabo.* PLERUMQUE mens juſti jam quidem quod perverſe ſe egiſſe meminit, deplorat: jam prave acta non ſolum deſerit, ſed amariſſimis etiam lamentis punit: ſed dum eorum, quæ egit, reminiſcitur, graviter judicii pavore terretur. Jam ſe perfecte convertit, ſed adhuc ſe perfecte in ſecuritatem non erigit: quia dum quanta ſit diſtrictio extremi examinis penſat, inter ſpem ac formidinem ſollicita trepidat; quia juſtus judex veniens quid de perpetratis reputet, quid relaxet, ignorat. Nam quam prava commiſerit, meminit; & an commiſſa digne defleverit, neſcit: ac ne culpæ immanitas modum pœnitentiæ tranſeat, metuit. Et plerumque culpam jam veritas relaxat, ſed mens afflicta adhuc de venia dum valde ſibi eſt ſollicita, trepidat. Sanctus ergo vir etiam hic miſericordiam ſuſcipit, ſed ſuſcepiſſe ſe neſcit: [a] quia peccatum ſuum homo jam corrigendo & pœnitendo deſerit, ſed tamen adhuc diſtrictum judicem de ejus retributione pertimeſcit. Illic ergo juſtus quilibet miſericordias Domini libere in æternitate cantat, ubi jam de peccati venia dubietas non erit, ubi jam ſecuram mentem culpæ ſuæ memoria non addicit, ubi non ſub reatu animus trepidat, ſed de ejus indulgentia libere exultat. Sed ſi nulla ibi homo peccati ſui memoria tangitur, ereptum ſe unde gratulatur? Aut quomodo largitori gratias refert de venia, quam accepit, ſi interveniente oblivione tranſactæ nequitiæ eſſe ſe pœnæ debitorem neſcit? Ait enim Pſalmiſta: *Miſericordias tuas, Domine, in æternum cantabo.* Quomodo ergo miſericordias Dei in æternum cantat, ſi ſe fuiſſe miſerum ignorat? & ſi miſeriæ tranſactæ non meminit, unde largitori miſericordiæ laudes reddit? Sed rurſum quærendum eſt quomodo electorum mens perfecta eſſe in beatitudine poterit, ſi hanc inter gaudia memoria ſui reatus tangit? Aut quomodo perfectæ lucis clareſcit gloria, quam reducta ad animum obumbrat culpa? Sed ſciendum eſt, quia ſicut ſæpe nunc triſtium læti reminiſcimur: ita tunc tranſactæ nequitiæ ſine læſione noſtræ beatitudinis recordamur. Plerumque enim incolumitatis tempore ad memoriam dolores præteritos ſine dolore reducimus: & quo ægros nos recolimus, eo nos incolumes plus amamus. Erit ergo & in illa beatitudine culpæ memoria, non quæ mentem polluat, ſed quæ nos lætitiæ arctius aſtringat: ut dum doloris ſui animus ſine dolore reminiſcitur, & debitorem ſe medico verius intelligat, & eo magis acceptam ſalutem diligat, quod de moleſtia meminit, quam evaſit. In illa itaque lætitia ſic tunc ſine tædio mala noſtra conſpicimus, ſicut nunc in luce poſiti ſine ulla cordis caligine animo tenebras videmus. Quia etſi obſcurum eſt quod mente cernimus, de judicio eſt hoc luminis, non de paſſione cæcitatis. Et in æternum ergo laudes miſericordiæ largitori noſtro referimus, & nequaquam miſeriæ conſcientia gravamur: quia dum mala noſtra ſine aliquo mentis malo reſpicimus, & numquam erit quod corda laudantium de tranſactis iniquitatibus polluat, & ſemper erit quod hæc ad laudem liberatoris accendat.

CAPUT CLXXXIV.

Beatus populus, qui ſcit jubilationem. Pſal. 88. 16.

DUm de ineffabili electorum gaudio mente concepto tractaretur, in expoſ. B. Job, l. 24. adjunctum eſt: *Beatus populus, qui ſcit jubilationem.* JUBILUM dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abſcondi poſſit, nec ſermonibus operiri, & tamen quibuſdam motibus proditur, quamvis nullis proprietatibus exprimatur. Unde David Propheta intuens electorum animas tantum gaudium mente concipere, quantum ſermone non valeant aperire, ait: *Beatus populus, qui ſcit jubilationem.* Non enim ait, qui loquitur, ſed, *qui ſcit*: quia ſciri quidem jubilatio intellectu poteſt, ſed dicto exprimi non poteſt. Sentitur per illam quippe quod ultra ſenſum eſt. Et cum vix ad hoc contemplandum ſufficiat conſcientia ſentientis, quomodo ad hoc exprimendum ſufficiat lingua dicentis?

Num 20.

[a] CAPUT CLXXXV.

Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat & pertranſeat. Pſal. 89. 6.

Num 52

IN expoſ. B. Job, l. 29. adjunctum eſt: *Mane ſicut herba tranſeat*, &c. IN Scriptura ſacra aliquando per herbam viror gloriæ temporalis accipitur, ſicut Pſalmiſta ait: *Mane ſicut herba tranſeat.* Mane namque ſicut herbam florere atque tranſire, eſt in proſperitate hujus ſeculi temporalis gloriæ velociter decus areſcere.

CAPUT CLXXXVI.

Poſuiſti munitiones ejus in formidinem. Pſal. 88. 41.

DUm de occultis divinorum judiciorum diſpoſitio-

a Abeſt a mſſ.

a sitionibus tractaretur, adjunctum est: *Posuisti munitiones ejus in formidinem*. SÆPE quis fallaciæ vel iræ, vel immunditiæ, vel superbiæ fugit memmit, & se in humilitatis loco a mundi hujus strepitu abscondit. Sed dum ad regendum populum post occultationem suam ducitur, hinc inde subintrantibus peccatorum jaculis feritur, atque timere incipit ne ad hoc ipsum jam sit ad judicium, quia bonum quietis intime degustavit, quod tenere non potuit. Sicut scriptum est: *Posuisti munitiones ejus in formidinem*. Cum enim humilem locum pro rectitudine mentis appetimus, quid aliud quam munitionis arcem tenemus? Sed cum ad turbas atque strepitus mundi vel coacti revertimur, inter irruentia peccata deprehensi, & ipsam munitionem nostram pertimescimus: quia de subtili omnipotentis Dei examine hoc quoque formidare incipimus, quod bene viasse credebamus.

CAPUT CLXXXVII.

Psal. 89. 11. *Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?*

CUm de justorum formidine ob divinorum judiciorum incertitudinem tractaretur, in Num. 16. expos. B. Job, l. 5. adjunctum est: *Quis novit potestatem iræ tuæ*, &c. POTESTAS divinæ iræ nostra non potest mente comprehendi: quia ejus dispensatio obscuris super nos dispositionibus sæpe unde æstimatur deserere, inde nos recipit; & unde nos recipere creditur, inde derelinquit, ut plerumque hoc fiat gratia, quod ira dicitur: & hoc aliquando ira fit, quod gratia putatur. Nonnullos enim flagella corrigunt: nonnullos ad impatientiæ vesaniam perducunt, & alios prospera, quia demulcent, ab insania mitigant: alios quia elevant, funditus ab omni spe conversionis eradicant. Cunctos autem visa ad ima pertrahunt, sed tamen quidam eo ab his facilius redeunt, quo se in eis corruisse altius erubescunt. Et semper virtutes ad superna sublevant, sed nonnumquam quidem dum tumorem de virtutibus concipiunt, per ipsum tramitem ascensionis cadunt. Quia ergo potestas divinæ iræ minime cognoscitur, in cunctis necesse est ut sine cessatione timeatur.

CAPUT CLXXXVIII.

Psal. 90. 3. *Ipse liberavit me de laqueo venantium, & a verbo aspero.*

CUm de electorum exercitio ex reprobatione detrahentium tractaretur, in expos. B. Job, l. 6. adjunctum est: *Ipse liberavit me* Num. 41. *de laqueo venantium*, &c. VENANTES nihil aliud quam carnes quærunt. Sed a venantium laqueo, atque ab aspero verbo eripimur, quando & insidias carnalium & irrisionum probra despiciendo superamus. Aspera quippe eorum verba sunt, quæ bonis nostris itineribus adversantur. Sed asperitatem verbi evadere, est irrisiones detrahentium dissimulando calcare. Sancta ergo anima ab aspero verbo liberatur: quia dum in hoc mundo honorem laudis non quærit, nec contumelias detractionis sentit.

CAPUT CLXXXIX.

In scapulis suis obumbrabit tibi. Psal. 90. 4.

CUm de modo sacri eloquii tractaretur, in a expos. B. Job, l. 32. adjunctum est: *In scapulis suis obumbrabit tibi*. CUM in Deo Num. 7. scapulæ, oculi, brachium dicuntur, cavendum summopere est ne quid in eo mens corporeum suspicetur. In antropomorphitarum namque heresim cadere est, eum qui incircumscripte implet & circumplectitur omnia, intra corporalia lineamenta concludere. Sed omnipotens Deus ad sua nos trahens, usque ad nostra se humiliat, atque ut alta insinuet, humilibus condescendit: quatenus parvulorum animus rebus cognitis enutritus, ad inquirenda exurgat incognita, atque ab eo, qui longe super ipsum est, quædam juxta se audiens, quasi quibusdam ad illum passibus moveatur. Unde fit ut per Scripturam suam aliquando a corporibus hominum, aliquando a mentibus, aliquando vero ab avibus, aliquando vero ab insensatis rebus quasdam longe dissimiles in se similitudines trahat. Plerumque enim a corporibus hominum in se similitudinem trahit, sicut de eo speranti homini per Prophetam dicitur: *In scapulis suis obumbrabit tibi*, cum constet quod in natura sua nec oculum Deus, nec scapulas, nec certa lineamenta membrorum habeat. Sed quia nos per oculum cernimus, in scapulis vero onera sustinemus: Deus, quia omnia videt, oculum habere perhibetur. Quia vero nos tolerat, atque eo ipso quo tolerat, servat, obumbrare nobis in scapulis dicitur. Ait enim: *In scapulis suis obumbrabit tibi*. Ac si diceretur peccatori homini, & post peccatum veniam deprecanti: Ea pietate Dominus te protegit, qua pietate toleravit. Obumbrat enim scapulis suis: quia dum portat, defendit.

CAPUT CXC.

Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, & bene patientes erunt, ut annuntient. Psal. 91. 15.

DUm de collectione fidelium extremi temporis tractaretur, in expos. B. Job, l. 35. adjunctum est: *Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi*, &c. PRÆDICATORES namque sanctæ Ec- Num. 25. clesiæ benedictione extremi temporis Psalmista ditari conspexerat, qui dicebat: *Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi*. Qui in senecta uberi multiplicantur, quia cum eorum vita differtur, semper ad melius fortitudo producitur, atque per augmentum temporis crescunt etiam lucra meritorum. Bene autem patientes sunt, ut annuntient: quia cælestia prædicantes tanto robustius adversa tolerant, quanto & per tolerantiam suam animarum commoda locupletius reportant.

CAPUT CXCI.

Mirabiles elationes maris, mirabilis in excelsis Dominus. Psal. 92. 4.

CUm de reprehensa reproborum superbia & divitiis in prædicatorum virtute miraculis tractaretur, in expos. B. Job, l. 9. adjunctum est: *Mira-* Num. 12. *biles elationes maris*, &c. CUM morem suum Gentilitas

a Legitur in mss. Michael. Celestin. & Parisi. id ex hom. 10. in Ezechielem esse descriptum: ubi tamen frustra a nobis quæsitum est.

tilitas destrui novæ conversationis prædicatione A conspiceret, cum mundi hujus divites elationi suæ contraire facta pauperum cernerent: cum sapientes seculi adversari sibi imperitorum verba pensarent, in persecutionum protinus tempestatem tumuerunt. Sed qui verborum adversitate commoti ad persecutionis procellas insiliuns, signorum admiratione temperantur. Quia ergo contra electorum vitam ad persecutionis undas mundus se mirabiliter extulit, has supernorum Conditor sublevata virtute prædicantium mirabilius stravit. *Mirabiles* ergo *elationes maris, mirabilis in excelsis Dominus*. Ministros etenim suos plus ostendit posse per miracula, quam potestates terrenæ tumuerant per iram. Quod bene etiam per Jeremiam Dominus exteriora narrans, interiora denuntiat, dicens: B
Jerem. 5. 21. *Posui arenam terminum mari. præceptum sempiternum*.

[a] CAPUT CXCII.

Psal. 93. 15. *Donec justitia convertatur in judicium*.

Num. 53. IN expos. B. Job, l. 26. adjunctum est: *Donec justitia convertatur in judicium*. PAULUS de se, suisque consortibus dicit: *Ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*. Justitia ergo in judicium convertitur, quia si qui nunc juste atque irreprehensibiliter vivunt, tunc judicandi potentiam nanciscuntur.

2. Cor. 5. 21.

CAPUT CXCIII.

Psal. 93. 19. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ, Domine, lætificaverunt animam meam*.

Num. 22. IN expos. B. Job, l. 35. adjunctum est: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, &c.* IN ea enim mensura consolatum se, in qua afflictus fuerat, indicat, qui lætificatum se secundum multitudinem dolorum clamat.

CAPUT CXCIV.

Psal. 93. 20. *Qui fingis dolorem in præcepto*.

Num. 35. IN expos. B. Job, l. 18. adjunctum est: *Qui fingis dolorem in præcepto*. FLAGELLUM namque tunc diluit culpam, cum mutaverit vitam. Nam cujus mores non mutat, non expiat actiones. Omnis ergo divina percussio, aut purgatio in nobis vitæ præsentis est aut initium pœnæ sequentis. Propter eos enim qui ex flagello proficiunt, dictum est: *Qui fingis dolorem in præcepto*: quia cum flagellatur iniquus & corrigitur, audire præceptum noluit, audit dolorem. Dolor in præcepto fingitur ei, qui a malis operibus quasi præcepti vice dolore cohibetur. De his vero, quos damnat flagella & non liberant, dicitur: *Percussisti eos, nec doluerunt: attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam*. His flagella ab hac vita inchoant, & in æterna percussione perdurant.

Jerem. 5. 3.

[a] Caput hoc cum duobus sequentibus abest a mss.

CAPUT CXCV.

Non repellet Dominus plebem suam, quoniam in manu ejus sunt omnes fines terræ: & altitudines montium ipse conspicit. Psal. 94. 4.

CUm de conversione potentum seculi per aspirationem supernæ gratiæ tractaretur, in expos. B. Job, l. 30. adjunctum est: *Non repellet Dominus plebem suam, &c.* ALTITUDINES montium, elationes sunt utique superborum: quas Dominus conspicere dicitur, id est ab iniquitate sua in melius commutare. Convertit namque Dominus eum quem conspicit. Unde scriptum est: *Conversus Dominus respexit Petrum; & recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei Dominus: quia priusquam gallus cantet, ter me negabis; & egressus foras, flevit amare*. Et sicut Salomon ait: *Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu*. De hac altitudine montium rursum per Prophetam dicitur: *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini*: quia post perversitatis suæ duritiam divina formidine liquefacti, ab illo prius rigido tumore subtracti sunt.

Num. 78. Luc. 22. 61. Prov. 20. 8. Psal. 96. 5.

[b] CAPUT CXCVI.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini. Psal. 96. 5.

IN expos. B. Job, l. 32. adjunctum est: *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini*. QUIA multi, qui prius alta rigiditate tumuerunt Domino in carne apparente, magno sunt per pœnitentiam timore liquefacti. Num. 20.

CAPUT CXCVII.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum. Psal. 95. 12.

IN expos. Evang. hom. 36. adjunctum est: *Tunc exultabunt omnia ligna silvarum*. LIGNA silvæ, Gentes vocatæ sunt, quia in infidelitate suæ tortæ, & infructuosæ semper fuerunt. Num. 8.

CAPUT CXCVIII.

Honor regis judicium diligit. Psal. 98. 4.

IN expos. B. Job, l. 25. adjunctum est: *Honor regis judicium diligit*. UT videlicet qui jam Dominum honorat ex fide, sollicite judicet quid ei debeat in operatione. Num. 22.

CAPUT CXCIX.

Filii servorum tuorum inhabitabunt ibi. Psal. 101. 29.

DUm de pravorum desperatione tractaretur, in expos. B. Job, l. 8. adjunctum est: *Filii servorum tuorum inhabitabunt ibi*. LOCUS quippe hominis, sed non localis, ipse scilicet Conditor extitit, qui hunc ut in semetipso consisteret, creavit. Quem nimirum locum tunc homo deseruit, cum seductoris verba audiens, a Conditoris amore discessit. Sed cum omnipotens Deus redimendo se homini etiam corporaliter ostendit, ipse, ut ita dixerim, fugitivi sui vestigia subsequens, ad retinendum, quem amiserat, hominem, locus venit. Si enim appellari locus nequaquam Conditor posset, Deum laudans Psalmista non diceret: *Filii*

Num. 35.

[b] Hoc caput & cetera usque ad 203. in mss. non habentur.

lii servorum tuorum inhabitabunt. Ibi enim non dicimus, nisi cum locum specialiter designamus. Sed sunt plerique qui etiam post perceptum Redemtoris auxilium ad desperationis tenebras devolvuntur, & tanto nequius pereunt, quanto & oblata remedia misericordiæ contemnunt.

CAPUT CC.

Psal. 102. 14. *Ipse enim scit figmentum nostrum.*

Num. 37. IN expos. B. Job, l. 13. adjunctum est: *Ipse enim scit figmentum nostrum*. SCIRE ejus, est nostra suscepisse. Quid enim mirum si figmentum nostrum dicatur specialiter scire, dum constet nil esse quod nesciat? Sed figmentum nostrum scire ejus, est hoc in seipso ex pietate suscepisse.

CAPUT CCI.

Psal. 102. 18. *Memoria retinentibus mandata ejus ut faciant ea.*

Num. 17. IN expos. B. Job, l. 15. adjunctum est: *Memoria retinentibus mandata ejus ut faciant ea*. QUI mandata illius memoria retinet, sed nequaquam servat, hic in doctrinæ verbis sententias, quibus damnetur, tenet.

CAPUT CCII.

Psal. 103. 8. *Adscendunt montes, & descendunt campi.*

Num. 2. IN expos. B. Job, l. 33. adjunctum est: *Ascendunt montes, & descendunt campi*. PLERIQUE persecutores Domini, superbi contra eum veniunt, sed ab eo humiles revertuntur. Qui montes ascendunt per tumorem potentiæ, sed campi descendunt, plani videlicet facti per cognitionem culpæ.

CAPUT CCIII.

Psal. 99. 4. *Intrate portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis confitemini illi.*

Num. 1. CUm de modo dignæ pœnitentiæ tractaretur, l. 2. hom. 4. in Ezech. adjunctum est: *Intrate portas ejus in confessione, &c.* CUM peccata nostra per lacrymas confitemur, angustæ vitæ portam intramus: sed cum post hæc ad æternam vitam perducimur, portæ nostræ atria in confessionum laudibus intramus: quia ibi jam angustia non erit, cum nos lætitia æternæ solemnitatis assumserit. Propter confessionis nostræ angustiam Veritas dicit: *Intrate per angustam portam*. Et cum se Psalmista recipi in latitudine gaudii æterni præsumeret, dicebat: *Statuisti in loco spatioso pedes meos.*

Matth. 7. 13.

Psal. 30. 9.

CAPUT CCIV.

Psal. 101. 10. *Potum meum cum fletu temperabam.*

Num. 19. CUm de divino judicio in homine tractaretur, in expos. B. Job, l. 25. adjunctum est: *Potum meum cum fletu temperabam*. CUNCTIS vera scientibus liquet, quo in illa extrema requisitione examen publicum facturus

A est omnipotens Deus, ut alios ad tormenta deferat, alios ad participationem regni cælestis admittat. Sed hoc nunc secreto Dei judicio quotidie agitur, quod tunc publico demonstrabitur. Nam juste ac misericorditer singulorum corda vel examinans vel disponens, alios in exteriora respuit, alios ad ea, quæ sunt intrinsecus, trahit. Hos accendit interna appetere, illos pro voluptatibus suis deserit exteriora cogitare. Horum mentem ad superna erigit, illorum per superbiam in infimis desideriis mergit. Aliena autem corda humanis oculis clausa sunt, & nescitur qui repellitur: quia penetrari nequeunt quæ ab unoquoque cogitantur. Nam sæpe de corde perverso necdum processit usque ad effe-B ctum operis deliberatio cogitationis, & adhuc fortasse per habitum intus astringitur, qui jam mente foris vagatur. Sed talis quilibet iste tunc ante oculos interni judicis cecidit, cum ab appetendis interioribus per desiderium exivit. Nonnumquam vero alii post malæ operationis usum ad spem cælestem subito amore reviviscunt, & qui in perversa actione se sparserant, ad sinum internæ retractationis semetipsos increpando recolligunt. Hos adhuc despicientes homines, quales dudum in opere noverant, tales putant. At contra illi per districtæ considerationis examen, vitam suam qualem fuisse recoC lunt, insequuntur, sciturque quid fuerint, sed quid jam cœperint esse, nescitur. In hoc ergo utroque genere hominum sæpe contingit, ut & qui videntur stare humano judicio, jam in conspectu æterni judicis jaceant: & qui adhuc coram hominibus jacent, jam in conspectu æterni judicis stent. Quis enim hominum æstimare potuisset Judam vivendi sortem, etiam post ministerium Apostolatus, amittere? Et quis econtra, latronem crederet causam vitæ posse etiam in ipso articulo mortis invenire? Occultus autem judex præsidens, & utrorumque cor discernens, alterum pie statuit, alterum juste confregit: illum districte exterius repulit, hunc introrsus misericorditer traxit. Hinc est ergo quod per Prophetam casuros alios passionis suæ tempore, atque alios surrecturos annuntians, ait: D *Potum meum cum fletu temperabam*. Potus quippe ab exterioribus interius trahitur: fletus autem ab interioribus exterius emanat. Potum ergo Domino cum fletu temperare, est alios ab exterioribus introrsus trahere, alios ab interioribus ad exteriora reprobare.

a CAPUT CCV. a

Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Psal. 101. 28.

IN expos. B. Job, l. 4. adjunctum est: *Tu autem idem ipse es, &c.* HUNC electorum locum esse denuntiat, subdens: *Filii servorum tuorum inhabitabunt tibi*. Deus enim qui sine siE tu omnia continet, nobis ad se venientibus locus non localis manet: ad quem locum dum pertingimus, etiam ipsa in hac vita mentis nostræ tranquillitas, quanta fuerit perturbatio, videmus. Quia etsi jam justi in pravorum comparatione quieti sunt, in æstimatione tamen quietis intimæ omnimodo quieti non sunt. Num. 8.

CA-

a Abest a mss.

CAPUT CCVI.

Ps.103.2. *Confessionem & decorem induisti, amictus lumen sicut vestimentum.*

Num. 8. DUm de celsitudine divinæ essentiæ tractaretur, in expos. B. Job, l. 32. adjunctum est: *Confessionem & decorem induisti, &c.* REDEMTOR noster confessionem & decorem induit, quia sanctorum Angelorum choros, quos condidit, in usum sui decoris assumsit, & velut quamdam vestem gloriosam sibi Ecclesiam exhibet, non habentem maculam aut rugam. Confessionem ergo & decorem induit, hoc est, hic confessionem, illic decorem: quia quos hic per pœnitentiam confitentes fecerit, illic fulgentes per decorem justitiæ ostendit. Luce ergo sicut vestimento amicietur, quia Sanctis omnibus, quibus dictum est, *Vos estis lux mundi*, in illa æterna gloria vestietur. Unde & per Evangelium dicitur: Quia transfigurato in monte Domino, vestimenta ejus facta sunt candida sicut nix. In qua transfiguratione quid aliud quam resurrectionis ultimæ gloria nuntiatur? In monte enim vestimenta ejus sicut nix facta sunt, quia in supernæ claritatis culmine Sancti omnes ei luce justitiæ fulgentes adhærebunt.

Matt.5.14. Matth.17.

a CAPUT CCVII.

Ps. 103. 2. *Extendens cælum sicut pellem, qui tegis in aquis superiora ejus.*

Num. 4. HOm. 17. in Ezech. seu hom. 5. lib. 2. adjunctum est: *Extendens cælum sicut pellem, &c.* CÆLUM quippe sicut pellis extenditur: quia per ora mortalium Scriptura sacra nobis explicatur. Sed sunt aquæ in cælo, superiores videlicet multitudines, id est Angelorum agmina, in quibus ejusdem cæli teguntur superiora: quia ea, quæ in sacro eloquio altiora & obscuriora sunt, angelicis solummodo spiritibus patent, & nobis adhuc incognita perdurant.

CAPUT CCVIII.

Ps.103.2. *Extendens cælum sicut pellem, qui tegis in aquis superiora ejus.*

Num. 30. CUm de intellectu sacri eloquii, per dispensationem inspirationis intimæ tractaretur, hom. 9. in Ezech. adjunctum est: *Extendens cælum sic pellem, &c.* QUID cæli nomine, nisi sacra Scriptura signatur? de qua nobis & sol sapientiæ, & luna scientiæ, & ex antiquis patribus stellæ exemplorum atque virtutum lucent. Quod sicut pellis extenditur? quia per Scriptores suos carnis lingua formatum ante oculos nostros, & per verba doctorum exponendo displicatur. Quid vero aquarum nomine, nisi purissimi Angelorum signantur chori? De quibus scriptum est: *Et aquæ, quæ* Ps.144.4. *super cælos sunt, laudent nomen Domini.* Hujus ergo cæli superiora Dominus in aquis tegit: quia alta sacri eloquii, id est ea, quæ de natura divinitatis, vel de æternis gaudiis narrat, nobis adhuc nescientibus, solis Angelis in secreto sunt cognita. Cælum ergo hoc & coram nobis extenditur, & tamen in aquis superiora illius conteguntur, quia quædam sacri eloquii jam nobis per apertio-A nem spiritum pateant, & quædam, quæ solis Angelis possunt esse manifesta, nobis adhuc servantur occulta. De quibus tamen occultis jam partem per spiritualem intelligentiam sentimus, jam sancti spiritus pignus accepimus qui hæc & plene necdum cognovimus, & tamen medullitus amamus, & in multis spiritualibus sensibus, quos jam cognovimus, veritatis pabulo pascimur.

CAPUT CCIX.

Qui ponit nubem ascensum suum. Ps.103.3.

DUm de incarnationis divinæ mysterio tractaretur, hom. 8 in Ezech. adjunctum est: *Qui* Num. 29. B *ponit nubem ascensum suum.* QUID hoc loco per nubem, nisi Redemtoris nostri carnem non inconvenienter accipimus? Nubem quippe ascensum suum posuit, quia hic, qui divinitate ubique est, carne ad cælestia ascendit.

CAPUT CCX.

Qui ambulat super pennas ventorum. Ps.103.3.

IN expos. B. Job, l. 19. adjunctum est: *Qui ambulat super pennas ventorum.* SOLENT in sacra Scriptura velocitate ac subtilitate ventorum, animæ designari, sicut per Psalmistam dicitur de Deo: *Qui ambulat super pennas ventorum*, id est, C qui transgreditur virtutes animarum. Num. 8.

b CAPUT CCXI.

Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentem. Ps.103.4.

IN expos. B. Job, l. 11. adjunctum est: *Qui facit Angelos suos spiritus, &c.* ANGELI quippe, id est nuntii, in sacro eloquio nonnumquam Prædicatores vocantur: sicut per Prophetam dicitur: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Omnipotens ergo Dominus Angelos suos spiritus facit, quia prædicatores suos spirituales efficit. Num. 9. Malach. 2.7.

D

c CAPUT CCXII.

Item unde supra.

HOm. 34. in Evang. SCIENDUM vero quod Angelorum vocabulum, nomen est officii, non naturæ. Nam sancti illi cælestis patriæ spiritus, semper quidem spiritus sunt, sed semper vocari Angeli nequaquam possunt: quia tunc solum sunt Angeli, cum per eos aliqua nuntiantur. Unde & per Psalmistam dicitur: *Qui facit Angelos suos spiritus.* Ac si patenter dicat: Qui eos, quos semper habet spiritus, etiam cum voluerit, Angelos facit. Hi autem, qui minima nuntiant, E Angeli: qui vero summa annuntiant, Archangeli vocantur. Hinc est enim quod ad Mariam virginem non quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur. Num. 8. Luc. 1.

a Non habetur in mss.

b Hoc caput cum sequenti non legitur in mss.

CAPUT CCXIII.

Ps. 103. 8. *Ascendunt montes, & descendunt campi.*

Num. 9. CUm de superbientibus ad humilitatem per donum gratiæ redactis tractaretur, in expos. B. Job, l. 33. adjunctum est: *Ascendunt montes, &c.* PLERIQUE persecutores Domini, superbi contra eum veniunt, sed humiles revertuntur: qui montes ascendunt per tumorem potentiæ, sed campi descendunt, plani videlicet facti per cognitionem culpæ. Unde rursum per eumdem Prophetam de his
Ps. 96. 5. montibus dicitur: *Montes sunt cera fluxerunt a facie Domini*: quia multi, qui prius alta rigiditate tumuerunt, Deo in carne apparente magno sunt per pœnitentiam timore liquefacti.

CAPUT CCXIV.

Ps. 103. 6. *Montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis.*

Num. 64. CUm de intellectu sacri eloquii secundum meritum auditorum tractaretur, in expos. B. Job, l. 30. adjunctum est: *Montes excelsi cervis, &c.* QUID hoc loco per montes, nisi altæ sententiæ Scripturæ sacræ accipiendæ sunt? Hi enim qui jam clare contemplationis saltus noverunt, altos sententiarum divinarum vertices, quasi cacumina montium ascendunt: ad quæ profecto cacumina, quia infirmi non valent pervenire, recte illic subditur: *Petra refugium herinaciis*, quia videlicet invalidos non sublimiter intelligentia exercet, sed sola in Christo fides humiliter continet.

CAPUT CCXV.

a [a] *Item unde supra.*

Num. 11 HOmil. 9. in Ezechiel. HABEANT montes intelligentiæ qui jam contemplationis saltus clare noverunt. Sed petra sit refugium herinaciis: quia nos parvuli, & peccatorum nostrorum spinis cooperti, etsi intelligere alta non possumus, in petræ tamen nostræ refugio, id est in Christi fide salvamur.

CAPUT CCXVI.

Ps. 103. 20 *Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvarum: catuli leonum rugientes ut rapiant, & quærant a Deo escam sibi.*

CUm de reprobatione infidelium per rectitudinem divini judicii tractaretur, in expos. B. Job, l. 8. adjunctum est: *Posuisti tenebras, &*
Num. 49 *facta est nox &c.* TENEBRAS Dominus ponit, cum peccatis judicia rependens, lumen suæ intelligentiæ subtrahit: & nox efficitur, quia pravorum mens ignorantiæ suæ erroribus cæcatur. In qua omnes bestiæ silvæ dum pertranseunt, maligni spiritus sub E opacitate fraudis latentes, in reproborum cordibus pravitates suas explendo percurrunt. In qua & catuli leonum rugiunt: quia nequissimarum, sed tamen eminentium potestatum ministri spiritus, importunis tentationibus insurgunt. Qui tamen a Deo escam expetunt: quia nimirum capere ani-

A mas nequeunt, nisi justo judicio prævalere divinitus permittantur. Ubi & apte subjungitur: *Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis se collocaverunt*: quia veritatis lumine per carnem apparente, a fidelium mentibus excussi, quasi ad cubilia sua reversi sunt, dum sola infidelium corda tenuerunt. Ibid. 22.

CAPUT CCXVII.

Auferes spiritum eorum et deficient, et in pulverem suum revertentur. Ps. 103. 29.

IN expos. B. Job, l. 24. adjunctum est: *Auferes spiritum eorum*, etc. QUID eorum spiritus, nisi Num. 49. spiritus superbiæ nominatur? Tollatur ergo B spiritus eorum ut deficiant, id est subducto superbiæ spiritu nihil se esse cognoscant; & revertantur in pulverem, id est humilientur ex infirmiæ conditione. Propter hunc pulverem, ad cujus memoriam qui semetipsos considerant, revocantur, per Sapientiam dicitur: *Justi fulgebunt sicut sol, et sicut scintillæ in arundineto discurrent*. Sancti enim Sap. 3. 7. viri dum peccatoribus permiscentur, eos exemplorum suorum igne succendunt, atque omne quod nitet, in cinerem redigunt, quia pietatis flamma consumti, dum infirmitatem conditionis suæ conspiciunt, nihil aliud quam favillam se esse cognoscunt, ut a superbiæ suæ duritia resoluti, Ps. 102. 14. per pœnitentiam dicant: *Memento, Domine, quod pulvis sumus.*

C

[b] CAPUT CCXVIII. b

Emitte spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ. Ps. 103. 30.

IN expos. B. Job, l. 29. adjunctum est: *Emitte spiritum tuum*, etc. SIC enim, sic facies terræ virtute renovationis immutatur, dum fidea Num. 53. dudum mens gratia veniente compleitur, & post ariditatem pristinam, quasi productis herbis, scientiæ viriditate vestitur.

CAPUT CCXIX.

D *Verbi quod mandavit in mille generationes.* Ps. 104. 8.

IN expos. B. Job, l. 9. adjunctum est: *Verbi quod mandavit in mille generationes*. IN Scriptura sa- Num. 7. cra millenarius numerus pro universitate solet intelligi. Sed cum constet, quod ab ipso mundi Luc. 3. exordio usque ad Redemtoris adventum per Evangelistam non amplius quam septuaginta septem propagines numerentur, quid hoc loco mille generationibus nisi ad proferendam novam sobolem perfecta universitas præscitæ generationis exprimitur? Hinc & per Johannem dicitur: *Regnabunt cum* Apoc. 20. 6. *eo mille annis*, quia videlicet regnum sanctæ Ecclesiæ universitatis perfectione solidatur.

[c] CAPUT CCXX. c

Item unde supra.

IN exposit. B. Job, l. 35. MILLENARIUS quoque Num. 42. numerus in sacro eloquio perfectus accipitur; quia appellatione ejus universitas designatur. Unde

a De hoc capite nihil in mss.
b Non legitur in mss.

c Neque tria quæ sequuntur capita habentur in laudatis mss.

de scriptum est: *Verbi quod mandavit in mille generationes*. Cum enim nequaquam credendum sit quod ad centum generationes mundus extendatur, quid aliud per mille generationes, nisi generationum universitas figuratur?

CAPUT CCXXI.

Ps.106.1. *Quoniam in seculum misericordia ejus.*

Num. 30. IN expos. B. Job, l.8. adjunctum est: *Quoniam in seculum misericordia ejus*. QUIA nimirum quem nequaquam modo misericordia eripit, sola post presens seculum justitia addicit.

CAPUT CCXXI.

Ps.104.18. *Ferrum pertransivit animam ejus.*

Num. 30. IN expos. B. Job, l. 35. adjunctum est: *Ferrum pertransivit animam ejus*. OMNIS necessitas non congrue ferrum vocatur, quia vitam inopit, mœrorit vulnere cruciat; sicut de ejus quoque necessitatibus scriptum est, qui a fratribus venditus, afflictam vitam ducebat: *Ferrum pertransivit animam ejus*. Quid ergo sunt arma ferrea, nisi necessitates vite presentis, que dure premunt, & vitam inopis insequuntur?

CAPUT CCXXIII.

Ps.106.26. *Ascendunt usque ad calos, et descendunt usque ab abyssos.*

Num. 23. IN expos. B. Job, l. 9. adjunctum est: *Ascendunt usque ad calos, etc.* PLERUMQUE anima ut divini amoris igne accenditur, atque ad intuenda celestia & arcana sublevetur, ad summa jam rapitur, & perfecto desiderio compuncta ab infimis alienatur. Sed repentina tentatione percussa, que intentione fortiter erecta in Deum fuerat, obortis cogitationibus transfixa curvatur: itaut seipsam discernere nequeat, atque inter vitia virtutesque deprehensa, ex qua parte sit valentior, non agnoscat. Nam sepe ad hoc usque perducitur, ut miretur quomodo iam summa comprehendat, quam cogitatio illicita polluit. Et rursum, quomodo illicitas cogitationes recipiat, quam super se validus fervor spiritus rapit. Hos ergo alternantes cogitationum motus in animo bene Psalmista intuens, ait: *Ascendunt usque ad calos, et descendunt usque ad abyssos*. Usque ad cælos quippe ascendimus, cum summa penetramus: sed ad abyssos usque descendimus, cum repente a contemplationis culmine per turpia tentamenta dejicimur. Motus itaque animi dum inter vota & vitia alternant, nimirum sibi certitudinem exauditionis obnubilant.

CAPUT CCXXIV.

Ps.106.40. *Effusa est contentio super principes eorum, & seduxerunt eos in invio, & non in via.*

Num. 27. IN expos. B. Job, l. 19. adjunctum est: *Effusa est contentio super principes eorum, &c.* QUI hoc loco principum nomine designantur, nisi hæreticæ pravitatis auctores? a qui etenim dum dispensationem Dei perverse interpretari non metuunt, profecto plebes subditas non in eam viam, quæ Christus est, sed in invium trahunt. Super quos recte quoque effusa contentio dicitur: quia suis sibi vicissim allegationibus contradicunt. Arius quippe tres personas in divinitate suscipiens, tres etiam Deos credidit. Quem contra Sabellius unum suscipiens, unam credidit esse personam. Quos inter, sancta Ecclesia rectum prædicationis suæ tramitem indeclinabiliter tenens, & unum Deum prædicans, tres personas contra Sabellium asserit; & tres personas asserens, unum Deum contra Arium confitetur. Quia autem in sacro eloquio Manichæus virginitatem laudari comperit, conjugia damnavit. At contra Jovinianus, quia concedi conjugia cognovit, virginitatis munditiam despexit. Unde fit ut semper hæreticis perversa intelligentia confusis, vicissim sibi eorum nequitia, & in culpa concordet, & in sententia discrepet. At contra, sancta Ecclesia per medias utrarumque partium lites ordinata pace graditur, & sic scit superiora bona suscipere, ut noverit etiam inferiora venerari: quatenus nec summa æquet infimis, nec rursum ima despiciat, cum summa veneratur.

Tom. IV. Pars II.

a CAPUT CCXXV.

Et omnis iniquitas obturavit os suum. Ps.106.42.

IN expos. B. Job, adjunctum est: *Et omnis iniquitas obturavit os suum*: INIQUITAS autem contrahit os suum. Os enim suum nunc adhuc iniquitas dilatat, quia humani generis Redemtorem lingua infidelium contumeliis lacessere nequaquam cessat. Sed tunc os contrahit, cum hoc, quod non vult per studium, per supplicium claudit. Quod tamen bene accipi etiam de conversis persecutoribus potest: Salvato enim paupere, dum egenus ad spem redit, contracto ore, iniquitas obmutescit: quia resurrectionis ejus clarescente miraculo, dum copiosa multitudo infidelium credidit, a Redemtoris sui injuriis, contumeliisque cessavit. Os enim suum, quod ad Deum deridendum aperuit, jam formidando contraxit.

CAPUT CCXXVI.

Excussus sum sicut locusta. Ps.108.23.

IN exposit. B. Job, lib. 31. adjunctum est: *Excussus sum sicut locusta*. QUID hoc loco locustæ nomine, nisi Redemtoris nostri resurrectio designatur? Teneri enim se a persecutoribus usque ad mortem pertulit, sed sicut locusta excussus est: quia ab eorum manibus saltu subitæ resurrectionis evolavit. Num. 48.

CAPUT CCXXVII.

Induantur sicut diploide confusione sua. Ps.108.19.

IN expos. B. Job, l.9. adjunctum est: *Induantur sicut diploide confusione sua*. DUOBUS modis in hac vita hominem judicat Deus; quia aut per mala præsentia irrogare jam tormenta sequentia incipit, aut tormenta sequentia flagellis præsentibus extinguit. Nisi enim delictis exigentibus justus judex & nunc, & postmodum quosdam percuteret, de iniquis Psalmista non diceret: *Induantur sicut* di- Num. 62.

a In ml. Michael. & in aliis omittitur.

diploide confusione sua. Diploidem quippe, duplex vestimentum dicimus. Confusione ergo sicut diploide induti sunt, qui juxta reatus sui meritum, & temporali & perpetua animadversione feriuntur. Unde & Judas ait: *Secundo eos, qui non crediderunt, perdidit*. Solos quippe pœna a supplicio liberat, quos immutat. Nam quos præsentia mala non corrigunt, ad sequentia perducunt. Si autem nequaquam quosdam pœna præsens a supplicio
1.Cor. 11.32. æterno defenderet, Paulus minime dixisset: *Cum judicamur a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*. Hinc voce Angeli ad Johannem dici-
Apoc.3.19 Hebr 12.6. tur: *Ego quos amo, arguo, & castigo*. Hinc etiam scriptum est: *Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit*. Sed sæpe mens justi, ut magis secura sit, altius trepidat, & cum flagellis tunditur, superni judicii incertitudine turbatur. Pavet ne initium sequentis damnationis sit omne quod patitur, & per cogitationem interrogat judicem, quia de vitæ suæ meritis ambigit in percussione. Sed cum vitæ virtus ad oculos mentis reducitur, quasi consolatio ad judicem respondetur: quia nequaquam ad perdendum percutit, quem in actionis innocentia feriendo custodit.

[a] CAPUT CCXXVIII.

Ps. 109.1. *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.*

Hom. 19. IN expos. B. Job, l. 8. adjunctum est: *Dixit Dominus Domino meo*, &c. NON quod a dextris Domini nequaquam Dominus sedeat, postquam inimicos illius ferens, ejus potestati substernit: sed quod in æterna cunctis beatitudine præsidet, & priusquam rebellium suorum corda conculcet: in qua nimirum constat, quia subjectis hostibus sine fine, & posterius regnat.

CAPUT CCXXIX.

Ps. 109. v. ult. *De torrente in via bibit, propterea exaltavit caput.*

Hom. 7. Num. 21. Evlib 15. Num. 16. MIxtim ex hom. 25. in Evang. ac expos. B. Job, l. 14. adjunctum est: *De torrente in via bibit*, &c. CONDITOR ac Redemtor noster citius a morte voluit surgere, ne nostra diu anima in infidelitatis morte remaneret. In humano quippe genere ab ipso mundi initio torrens mortis effluxerat. Sed de hoc torrente Dominus quasi de quodam flumine passionis nostræ non in mansione bibere, sed in via dignatus est: quia mortem transitorie, id est ad triduum contigit: atque in ea morte, quam contigit, nequaquam sicut nos usque ad finem seculi remansit, qui mortalis vitæ pœnam in quodam transitu attigit. Et idcirco diu eidem morti, cui sponte succubuit, non inhæsit: atque ideo exaltavit caput, quia hoc, quod moriendo in sepulcro posuit, surgendo super Angelos elevavit: & inde antiquum hostem in æternum perculit, unde sævire contra se mines persequentium temporaliter permisit.

[b] CAPUT CCXXX.

Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus. Ps. 110.2.

IN expos. B. Job, l. 6. adjunctum est: *Magna opera Domini*, &c. SIC quippe ejus opera magna sunt, ut per omne, quod ab hominibus agitur, ejus voluntas exquiratur. Nam sæpe inde perficitur, unde repelli putabatur. Num. 38.

CAPUT CCXXXI.

Confessio, & magnificentia opus ejus. Ps. 110.3.

IN expos. B. Job, lib. 18. adjunctum est: *Confessio & magnificentia opus ejus*. AB eo itaque accipimus recta confiteri, a quo nobis & magna dantur operari. Num. 65.

CAPUT CCXXXII.

Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Ps. 115.7.

IN expos. B. Job, l. 9. adjunctum est: *Dirupisti vincula mea*, &c. TUNC igitur ad plangendum dolorem nos Dominus dimittit, cum & mala nobis quæ fecimus, demonstrat: atque ad hæc eadem flenda, quæ cognoscimus, adjuvat. Culpas oculis objicit, & pia manu gratiæ vincula cordis solvit, ut ad vacationem pœnitentiæ mens nostra se erigat; & carnis soluta compedibus, in auctorem suum libera gressum amoris tendat. Num. 94.

CAPUT CCXXXIII.

Dominus mihi adjutor, & ego despiciam inimicos meos. Ps. 117.7.

IN expos. B. Job, l. 29. adjunctum est: *Dominus mihi adjutor*, &c. TENEBROSA ostia, maligni spiritus vocantur: quia dum per occultationis suæ insidias non videntur, deceptis mentibus viam mortis aperiunt. Quæ tenebrosa ostia Dominus videt: quia immundorum spirituum fraudulentam malitiam & respicit & premit. Quos nisi ipse nobis nescientibus videndo prohiberet, & nil de insidiis mens nostra cognosceret, & eisdem insidiis capta deperiret. Quæ tenebrosa ostia nos etiam cernimus, quando supernæ lucis radiis illustramur. Unde per Prophetam dicitur: *Dominus mihi adjutor est, et ego videbo super inimicos meos*. Hostes igitur nostros ipse videt, qui suo eos munere nobis visibiles facit. Num. 23.

CAPUT CCXXXIV.

Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis. Ps. 117.12.

IN hom. 8. in Ezech. adjunctum est: *Circumdederunt me sicut apes*, &c. APES enim in ore mel habent, in aculeo caudæ vulnus. Et omnes, qui lingua blandiuntur, sed latenter ex malitia feriunt, apes sunt: quia loquendo, dulcedinem mellis proponunt, sed occulte feriendo vulnus infigunt. Isti vero facientes exardescunt, sicut ignis in spinis: quia flamma detrahentium, non justorum vita comburitur: sed si quæ eis inesse poterant peccatorum spinæ, concremantur. Num. 21.

CA-

a Caput hoc deest a mss.

b Quinque capitibus sequentibus carent mss. nostri.

CAPUT CCXXXV.

Ps. 117. 22. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.*

Num. 19. IN expos. B. Job, lib. 28. adjunctum est: *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, &c.* JAM per divinam gratiam omnibus liquet quia Scriptura sacra lapidem, qui in anguli caput factus sit, vocet profecto illum, qui dum in se hinc Judaicum, illinc Gentilem populum suscipit, in una Ecclesiæ fabrica quasi duos parietes jungit: illum, de quo scriptum est: *Fecit utraque unum*: quia angularem se lapidem non solum in inferioribus, sed & in supernis exhibuit: quia & in terra plebi Israeliticæ nationes Gentium, & utraque simul Angelis in cælo sociavit. Eo quippe nato, clamaverunt Angeli: Luc. 2. 14. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* In ortu enim regis nequaquam pro magno offerrent hominibus pacis gaudia, si discordiam non haberent. Hujus lapidis typum Matth. 1. Jechonias rex tenuit, quem Matthæus dum quaterdenas generationes describeret, secundo numeravit. Quem enim fini secundæ, ipsum rursum initio tertiæ generationis inseruit. Ipse namque in Babyloniam cum Israelitica plebe migratus est, qui dum ab aliis ad alia ducitur, pro utriusque parietis latere non immerito secundo numeratur. Cujus migrationis flexu, angularem lapidem signat. Ubi enim ordo a rectitudine flectitur, or eat in diversum tamquam angulum facit. Recte enim numerari bis potuit, quia per utrumque parietem, quasi in se duo latera ostendit. Unde & ejus bene imaginem tenuit, qui in Judæa ortus, Gentilitatem colligens, quasi ab Jerosolymis Babyloniam venit, atque hanc in semetipso fidei fabricam prius discordiæ studio scissam, arte caritatis intexuit.

CAPUT CCXXXVI.

Ps. 117. 27. *Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris.*

Num. 43. IN expos. B. Job, l. 9. adjunctum est: *Constituite diem solemnem, &c.* SOLEMNEM diem Domino in confrequentatione constituit, qui se assidue in ejus desiderio affligit. Qui nimirum solemnitatis dies usque ad altaris cornu tendi præcipitur, quia tamdiu necesse est, ut quisquis se afficiat, quousque ad superni sacrificii altitudinem, & ad gaudia æterna pertingat.

CAPUT CCXXXVII.

Ps. 118. 6. *Tunc non confundar, dum respicio in omnia mandata tua.*

Num. 9. & 10. IN expos. B. Job, l. 18. adjunctum est: *Tunc non confundar, &c.* SCIENDUM est quod quisquis a præceptis Dominicis discordat opere, quoties ea audit, a corde suo reprehenditur atque confunditur: quia id, quod non fecerit, memoratur. Nam in quo se errasse considerat, ipsa se latenter conscientia accusat. Hinc ergo David Propheta deprecatur, dicens: *Tunc non confundar, dum respicio in omnia mandata tua.* Graviter namque unusquisque confunditur, quando man-A data Dei vel legendo, vel audiendo respicit, quæ vivendo contemsit. Hinc etenim Johannis voce dicitur: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, ab eo accipiemus.* 1. J Ac si diceret: Si id quod præcepit facimus, id quod petimus obtinebimus. Valde namque apud Deum utraque hæc sibi necessario congruunt, ut & operatione oratio, & oratione fulciatur operatio. Hinc etenim Jeremias ait: *Scrutemur vias nostras, & quæramus, & revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cælum.* Thren. 3. 21. Vias etenim nostras scrutari, est cogitationum interna discutere. Cor vero cum manibus levat, qui orationem suam operibus roborat. Nam quisquis orat sed operari B dissimulat, cor levat & manus non levat. Quisquis vero operatur & non orat, manus levat & cor non levat. Juxta ergo Johannis vocem, tunc cor fiduciam in oratione accipit, cum sibi vitæ pravitas nulla contradicit.

CAPUT CCXXXVIII.

In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas. Ps. 118. 15.

IN exposit. B. Job, lib. 17. adjunctum est: *In mandatis tuis exercebor, &c.* Num. 9. AC si aperte spondeat, dicens: Quæ mea sunt, videre refugio: quia per imitationis tuæ viam pergere C conversationis gressibus inardesco. Qui enim præsenti jam mundo contradicit, amoris excitatione continua, ad Redemtoris sui vias cordis oculos objicit, ut mens prospera fugiat, & ad adversa præparetur. Nihil quod demulcet, appetat; nihil quod deterrere creditur, pertimescat. Mœrorem gaudium deputet, præsentis vitæ gaudia, damna mœroris putet: abjectionis detrimenta non timeat, sed per hæc manentis gloriæ locum quærat. Has etenim vias sequentium monstrabat oculis Veritas, cum dicebat: *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* Johan. 12. 26 Ad has vias jumenta discipulorum corda revocabat, cum locum jam gloriæ quærerent, sed ejusdem gloriæ iter ignorarent, dicens: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum*: Matt. 20. 22. Confessionis quippe illius D celsitudinem a dextris, sinistrisque quæsierant; sed quanta ad hanc esset itineris angustia, non videbant. Unde & eorum mox oculis imitandus calix passionis objicitur, ut videlicet si ad sublimitatis gaudia tenderent, prius viam humilitatis invenirent.

[a] CAPUT CCXXXIX.

Item unde supra.

IN exposit. B. Job, lib. 29. VIA quippe est Num. 30. incarnatæ sapientiæ omnis actio, quam temporaliter gessit. Viæ ejus sunt vivendi ordines, quos ad se venientibus stravit. Tot ita-E que ad se venientibus vias præbuit, quot bene vivendi exempla monstravit. Humilitatis ejus Propheta vias aspexerat cum suspirabat; dicens: *In mandatis tuis me exercebo, & considerabo vias tuas.*

a In mss. hoc minime legitur.

CAPUT CCXL.

Psal. 118 43. *Ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque.*

Num. 23. IN expos. B. Job, l. 11. adjunctum est: *Ne auferas, &c.* CUM Sacerdos non agit bona quæ loquitur, ei etiam sermo subtrahitur ne loqui audeat quod non operatur. Unde & per eumdem Prophetam dicitur: Ps. 49 16. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis Testamentum meum per os tuum?* Hinc est ergo quod nunc precatur, dicens: *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque.* Perpendit namque quod omnipotens Deus veritatis verbum facientibus tribuit, & non facientibus tollit. Qui ergo hoc de ore suo non auferri petiit, quid aliud quam gratiam bonæ operationis quæsivit? Ac si aperte diceret: A bono opere me errare non finas; ne, dum amitto ordinem bene vivendi, rectitudinem perdam loquendi. Et plerumque doctor qui docere audet quod negligit agere, cum deserit bona loqui, quæ operari contemsit, docere subjectos incipit prava quæ agit; ut justo omnipotentis Dei judicio in bono jam nec linguam habeat, qui habere bonam vitam recusat; quatenus cum mens ejus terrenarum rerum amore incenditur, de terrenis rebus semper loquatur. Matt. 12. 35. Unde in Evangelio Veritas dicit: *Ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala.* 1. Johan. 4. 5. Hinc etiam Johannes ait: *Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur.*

CAPUT CCXLI.

Psal. 118 81. *Defecit in Salutari tuo anima mea.*

Num. 67. IN expos. B. Job, l. 4. adjunctum est: *Defecit in Salutari tuo anima mea.* OMNES, qui in hoc mundo fortes sunt robore, quasi fortes sunt, non robore desessi. Qui vero in Auctoris sui amore roborantur, quo magis in concupita Dei fortitudine convalescunt, eo a propria virtute deficiunt: & quo robustius æterna appetunt, eo a temporalibus salubri defectione lassantur. Hinc ergo Psalmista amoris sui Ps. 83 3. robore fessus dicebat: *Defecit in Salutari tuo anima mea.* In Salutari enim Dei proficiendo defecerat, quia æternitatis lucem conspiciens, a carnis jam fiducia fractus anhelabat. Hinc rursum dicit: *Concupivit & defecit anima mea in atria Domini.* Qui nimirum, cum diceret: *Concupivit*, recte subdidit: *Et defecit*: quia valde minor est divinitatis concupiscentia, quam non mox etiam proprius sequitur defectus. Qui enim ad appetenda æternitatis atria accenditur, dignum profecto est ut ab hoc temporalitatis amore lassetur, ut tanto frigescat a studio seculi, quanto surgit ardentius in amorem Dei. Quem scilicet si perfecte arripit, mundum etiam plene derelinquit, & eo funditus temporalibus moritur, quo ad supernam vitam altius afflatu æternitatis animatur. Annon robore suo fessam se invenerat, Cant. 5. 6. quæ dicebat: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est?* Quia nimirum mens, dum occultæ locutionis aspiratione tangitur, a statu suæ fortitudinis infirmata, ipso a quo absorbetur desiderio liquatur: & inde se apud semetipsam fessam invenit, unde ultra se esse conspicit fortitudinem quam conscendit. Hinc Propheta cum visionem Dei conspexisse

A diceret, adjungit: *Elangui, & ægrotavi per dies plurimos:* quia cum ad virtutem Dei mens astringitur, a fortitudine propria caro lassatur. Hinc Jacob qui Angelum tenuit, uno mox pede claudicavit: quia qui vero amore sublimia respicit, jam in hoc mundo duplicibus incedere desideriis nescit. Uno enim pede innititur, qui solo Dei amore roboratur: & necesse est ut alius marcescat: quia mentis virtute crescente, oportet proculdubio ut carnis fortitudo torpescat. Dan. 8. 27. Gen. 32.

[a] CAPUT CCXLII.

Os meum aperui, & attraxi spiritum. Ps. 118. 131.

B IN hom. 9. in Ezech. adjunctum est: *Os meum aperui, &c.* NON enim spiritum attraheret, nisi os aperiret: quia nisi ad prædicandum proximis se impenderet, spiritualis doctrinæ in eo gratia non crevisset. Num. 28.

CAPUT CCXLIII.

Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua, Domine. Ps. 118. 85.

IN expos. B. Job, l. 7. adjunctum est: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua, Domine.* Num. 15. 16. 17.

SÆPE verba carnalium dum se importune nostris auribus ingerunt, in corde bellum tentationum C gignunt. Et quamvis hæc, & ratio respuat, & lingua reprehendat, cum labore tamen intus vincitur quod foris cum auctoritate judicatur. Unde necesse est ut nec ad aures veniat quod mens a cogitationis aditu vigilans repellat. Sancti igitur viri cum æternitatis desideriis anhelant, in tantam altitudinem vitæ se sublevant, ut audire jam quæ mundi sunt, grave sibi ac deprimens pondus credant: Valde namque insolens atque intolerabile æstimant, quidquid illud non sonat, quod intus amant. Sed sæpe mens jam per desiderium ad sublimia rapitur, jam funditus ab stulta terrenorum hominum locutione separatur, nec tamen adhuc pro amore veritatis ad perferendos præsentis vitæ cruciatus accingitur: jam superna appetit, jam in infimis stulta contemnit. Sed nec D dum se ad perferendæ adversitatis tolerantiam dirigit; sed plerumque mens justi ad tantum se virtutis culmen extendit, ut & apud se internæ rationis arce præsideat, & quorumdam foris stultitiam tolerando convertat. Quos enim ad fortia trahere nitimur, eorum necesse est ut infirma toleremus; quia nec jacentem erigit, nisi qui status sui rectitudinem per compassionem flectit. Cum vero alienæ infirmitati compatimur, valentius nostra roboramur, ut amore futurorum mens ad præsentia adversa se præparet, & cruciatus corporis, quos timebat, expectet: auctis namque desideriis cælestibus angustatur. Cumque æternæ patriæ quanta sit dulcedo considerat, pro ea præsentis vitæ amaritudines ardenter amat. His itaque divinæ legis, id est mandatorum cælestium vinculis sese ad alta sustollit, quisquis ab iniquorum nunc suggestionibus aurem E removens, intentionem suam in superni desiderii, quo avelli non valeat, secreto suspendit.

CA-

a Caput hoc non legitur in mss.

CAPUT CCXLIV.

Psal. 118, 96. *Latum mandatum tuum nimis.*

Num. 15. IN homil. 14 in Ezech. adjunctum est: *Latum mandatum tuum nimis.* NIL latius quam omnes in sinu amoris recipere, & nullas odii angustias sustinere. Sic quippe lata est caritas, ut in amplitudine dilectionis suæ capere etiam inimicos possit. Unde & præcipitur: *Diligite inimicos vestros, bene-* Luc. 6. 27. *facite his, qui oderunt vos.*

[a] CAPUT CCXLV.

Ps. 118, 100. *Super seniores intellexi.*

Num. 24. IN expos. B. Job, l. 11. adjunctum est: *Super seniores intellexi.* DOCTRINA senum ablata est, postquam hanc Ecclesia ex Gentibus videlicet juvencula accepit. Quam quia operando tenuit, qualiter super seniores intellexerit, ostendit, dum protinus subdit, dicens: *Quia mandata tua exquisivi.* Quia enim studuit operando implere quod didicit, accepit intelligere quod doceret.

CAPUT CCXLVI.

Ps. 118. 162. *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.*

Num. 25. IN expos. B. Job, l. 34. adjunctum est: *Lætabor ego super eloquia tua, &c.* QUÆ spolia idcirco vocata sunt, quia ad fidem Domini, Gentilitate transeunte, Judæi sacris eloquiis, quibus induti fuerant, exuuntur.

CAPUT CCXLVII.

Ps. 118. 237. *Fiat manus tua, ut salvum me faciat.*

Num. 7. IN hom. 2. in Ezech. adjunctum est: *Fiat manus tua, &c.* MANUS vel brachium Domini filius dicitur: quia per ipsum omnia facta sunt. Sed quid est quod dicitur, *Fiat manus tua?* Manus ergo Dei, quæ per divinitatem non est facta, sed genita, per humanitatem facta est, ut humani generis vulnera sanaret.

[b] CAPUT CCXLVIII.

Ps. 118. 115. *Declinate a me maligni, & scrutabor mandata Dei mei.*

Num. 23. IN expos. B. Job, l. 16. adjunctum est: *Declinate a me maligni, &c.* SÆPE cum eloquiis sacris intendimus, malignorum spirituum insidias gravius toleramus: quia menti nostræ terrenarum cogitationum pulverem aspergunt, ut intentionis nostræ oculos a luce internæ visionis obscurent. Quod nimirum Psalmista pertulerat, cum dicebat: *Declinate a me maligni, & scrutabor mandata Dei mei:* videlicet patenter insinuans, quia mandata Dei perscrutari non poterat, cum malignorum spirituum insidias in mente tolerabat.

[c] CAPUT CCXLIX.

Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis. Ps. 126. 3.

HOmil. in Ezech. adjunctum est: *Vanum est vobis ante lucem surgere, &c.* IN quibusdam locis sacri eloquii sola exquirenda est allegoria, & verba litteræ omnino postponenda. Ut unum de multis dicam, indicat Psalmista qui ait: *Vanum est vobis ante lucem surgere.* Quod si quis accipere juxta litteram velit, nocturnis Dei laudibus contradicit. Et quomodo idem Propheta loquitur, dicens: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi?* Si enim vanum est Ps. 118. 62. ante lucem surgere, cur ad confitendum Domino media nocte surrexit? Sed ille ante lucem surgit, qui ante diem venturi seculi in hac vita, quæ nocti est similis, extolli ac proficere appetit.

CAPUT CCL.

Item unde supra.

IN expos. B. Job, l. 8. ANTE lucem surgere, est Num. 8. priusquam claritas æternæ retributionis appareat, in præsentis vitæ nocte gaudere. Sedendum ergo prius est, ut post recte surgamus: quia quisquis nunc se sponte non humiliat, nequaquam hunc sequens gloria exaltat.

[d] CAPUT CCLI.

Cum dederit dilectis suis somnum, hac est hereditas Domini. Ps. 126. 4.

IN hom. 27. in Evang. adjunctum est: *Cum dederit dilectis suis somnum, &c.* QUISQUIS igitur jam Num. 5. æterna cognovit, apud ejus animum temporales fructus vilescant. Tales fructus operemur, qui maneant: qui, cum mors cuncta interimat, ipsi exordium a morte sumant. Nam quod a morte incipiat fructus Dei, testatur Propheta, qui dicit: *Cum dederit dilectis suis somnum, hæc est hereditas Domini.* Omnis qui dormit in morte, perdidit hereditatem. Sed cum dederit dilectis suis somnum, hæc est hereditas Domini: quia electi Dei postquam pervenerint ad mortem, tunc inveniunt hereditatem.

CAPUT CCLII.

Qui confidit in Domino, sicut mons Sion. Ps. 124. 1.

IN expos. B. Job, l. 33. adjunctum est: *Qui confidit in Domino, &c.* SION namque speculatio dici- Num. 2. tur, per quam scilicet speculationem contemplans Deum Ecclesia designatur.

CAPUT CCLIII.

Venientes autem venient in exultatione, portantes manipulos suos. Ps. 125. 6.

CUm de sterili malorum hominum labore tra- Num. 35. ctaretur, in expos. B. Job, l. 15. adjunctum est: *Venientes autem venient in exultatione, &c.* IN vacuum quippe ambulant, qui nihil secum de fructu sui laboris portant. Alius namque adipiscendis honoribus exsudat: alius multiplicandis facultatibus exæstuat: alius promerendis laudibus anhelat. Sed

a Non legitur in mss. Idem dicimus de sequenti.
b Deest in mss.
c In cod. Mich. legitur ex hom. in Ezech. id esse sumtum; sed ex quota, siletur: nullibi a nobis visum.
d Septem consequentes capita non leguntur in mss.

Sed quia cuncta hæc quisque moriens deserit, labores in vacuum perdidit, quia secum ante judicem nihil tulit. Quo contra bene per legem dicitur: *Non apparebis in conspectu Domini vacuus*. Qui enim promerendæ vitæ mercedem bene agendo non providet, in conspectu Domini vacuus apparet. Hinc de justis per Psalmistam dicitur: *Venientes autem venient in exultatione, portantes manipulos suos*. Ad examen quippe judicii portantes manipulos veniunt, qui in semetipsis recta opera, quibus vitam mereantur, ostendunt.

Exod. 23, 15.

CAPUT CCLIV.

Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Ps. 125, 6.

Num. 36. IN expos. B. Job, l. 10. adjunctum est: *Euntes ibant, &c.* TANTO namque spes in Deum solidior surgit, quanto pro illo quisque graviora pertulerit: quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic prius pia tribulatione seminatur. Quia igitur nunc per tribulationem seritur, ut post gaudii fructus metatur: tanto major fiducia mentem roborat, quanto hanc fortior pro veritate afflictio angustat.

CAPUT CCLV.

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum. Ps. 120, 8.

Num. 46. IN hom. 1. l. 2. in Ezech. adjunctum est: *Dominus custodiat introitum tuum, &c.* CUSTODIT enim Dominus uniuscujusque animæ introitum, quo intrat ad fidem: exitum quoque, quo exit ad spem: ut neque intrans Ecclesiam, erroribus supplantetur, neque ab hac temporali ad æternam exiens, ab antiquo hoste rapiatur. Propter hunc vero egressum nostrum, quem quotidie debemus mente meditari, de Redemtore nostro Paulus quoque loquitur, dicens: *Ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.*

Hebr. 13, 12.

CAPUT CCLVI.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. Ps. 128, 3.

Num. 9. IN expos. B. Job, l. 13. adjunctum est: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* ESSE hoc perversorum proprium solet, ut mala sua per convitium bonis ingerant, priusquam de his ipsis veraciter accusentur. Et dum metuunt increpari de his quæ faciunt, adversantes suis pravitatibus justos hæc facere testantur. Sancti autem viri patienter audiunt etiam, quæ se nunquam fecisse meminerunt, quamvis ea mala, quæ sibi ingeri conspiciunt, ab ipsis suis criminatoribus noverint perpetrata: & cum eos prædicando corrigere non possunt, patiendo tolerant, quatenus si fructum conversionis eorum consequi non valent, ex ipsis tamen præmium longanimitatis acquirant. Unde & sancta Ecclesia David Prophetæ vocibus dicit: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*, quia videlicet dum hæreticos, vel quoslibet reprobos, quos corrigere non valet, tolerat, facta peccantium supra dorsum portat.

CAPUT CCLVII.

Item unde supra.

Cap. 10. IN Reg. Past. par. 2. IN dorso quippe onera sustinemus. Super dorsum igitur suum fabricasse peccatores queritur, ac si aperte dicat: Quos corrigere nequeo, quasi superimpositum onus porto.

CAPUT CCLVIII.

Fiant sicut fenum ædificiorum, quod priusquam evellatur, exarescit. Ps. 128, 6.

IN expos. B. Job, l. 8 adjunctum est: *Fiant sicut fenum ædificiorum, &c.* HOC de hypocritarum persona per Psalmistam exprimitur. Fenum quippe ædificii in alto nascitur, sed nequaquam pingui radice solidatur: quia & hypocrita summa quidem sunt quæ agere cernitur, sed non in eis ex cordis puritate roboratur. Quod nimirum fenum & non evulsum citius arescit: quia videlicet hypocrita & in præsenti adhuc vita subsistit, & jam sanctitatis opera quasi viriditatis speciem amittit. Quia enim sine intentione rectæ cogitationis bona studuit agere, hæc amittens, indicat se sine radice floruisse. Num. 68.

[a] CAPUT CCLIX.

Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. Ps. 130. 1.

IN expos. B. Job, l. 28. adjunctum est: *Neque ambulavi in magnis, &c.* IN præcipitio enim pedem porrigit, qui mensurarum suarum limitem non attendit. Bene itaque David intra acceptas ex divina largitate mensuras pedem cordis presserat, cum dicebat: *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Super se quippe in magnis ambularet, si apparere magnus ultra quam poterat, quæreret. Super se namque in mirabilibus attollitur, qui & in his, ad quæ ipse non sufficit, videri idoneus conatur. Num. 23.

CAPUT CCLX.

Sacerdotes tui induantur justitia. Ps. 131, 9.

IN expos. B. Job, l. 14. adjunctum est: *Sacerdotes tui induantur justitia.* GLORIA quippe uniuscujusque justitia est. Sicut vestimentum tegit a frigore, ita justitia munit a morte. Unde non immerito justitia vestimento comparatur, cum per Prophetam dicitur: *Sacerdotes tui induantur justitia.* Num. 42.

CAPUT CCLXI.

In salicibus, in medio ejus, suspendimus organa nostra. Ps. 136, 2.

IN expos. B. Job, l. 33. adjunctum est: *In salicibus, &c.* QUID per sterilitatem salicum, nisi vita peccantium designatur? Nam si hoc non esset, nequaquam ex voce prædicantium contra Babyloniam Psalmista dixisset: *In salicibus, in medio ejus, suspendimus organa nostra.* Babylonis quippe medio inesse salices describuntur; quia nimirum infructuosi quique, atque ab amore patriæ cælestis alie- Num. 21.

a Duo quæ sequuntur capita, in mss. minime leguntur.

alieni, totis visceribus cordis in hac seculi confusione radicantur. Unde & prædicatores sancti in istis salicibus non exercent organa, sed suspendunt: quia cum infructuosas ac reprobas mentes aspiciunt, vim prædicationis suæ non exhibent, sed potius lugentes silent.

CAPUT CCLXII.

Ps. 136.7. *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.*

Num. 27. IN exposit. B. Job, l. 25. adjunctum est: *Exinanite, &c.* QUI digna fidei opera servare contemnunt, etiam fidem perdunt quam tenere videbantur. Super quos bene Propheta sub Jerusalem specie, inimicorum destruentium verba memorat; a quibus scilicet dicitur: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea*. Paulus quippe ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*. Inimici ergo destruentes usque ad fundamentum Jerusalem, exinaniunt, quando perversi spiritus a corde fidelium, destructo prius ædificio boni operis, soliditatem quoque exhauriunt religionis. Sicut enim supra fundamentum fabrica, sic supra fidem opera construuntur. Usque ad fundamentum ergo exinanisse, est everso bene vivendi opere etiam robur fidei dissipasse.

1. Cor. 3. 11.

CAPUT CCLXIII.

Ps. 138. 12. *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.*

Num. 2. IN expos. B. Job, l. 5. adjunctum est: *Sicut tenebræ ejus, &c.* IN Scriptura sacra nonnumquam lucis appellatione prosperitas: noctis autem nomine, hujus mundi adversitas designatur. Unde & per Psalmistam dicitur: *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*. Quia enim sancti viri ita prosperitatem seculi despicientes calcant, sicut adversitatem ejus calcantes tolerant; per magnam mentis celsitudinem, mundi sibi & adversa & prospera substernentes dicunt: *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*. Ac si apertius dicant: Sicut intentionis nostræ fortitudinem ejus tristia non premunt, ita hanc nec blanda corrumpunt.

a CAPUT CCLXIV.

Ps. 138. 11. *Et nox illuminatio mea in deliciis meis.*

Num. 24. IN expos. B. Job, l. 16. adjunctum est: *Et nox illuminatio mea in deliciis meis*. QUIA dum per intellectum mysticum studiosa mens reficitur, jam in ea vitæ præsentis obscuritas fulgore diei subsequentis illuminatur; ut etiam in hujus corruptionis caligine in intellectum illius, vis futuri luminis erumpat, & verborum deliciis pasta, prægustando discat quid de pabulo veritatis esuriat.

CAPUT CCLXV.

Ps. 138. 17. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum.*

Num. 4. IN homil. 27. in Evang. adjunctum est: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus*: AMICUS quasi animi custos vocatur. Quia igitur Psalmista prospexit electos Dei a mundi hujus amore separatos, custodire in mandatis cælestibus voluntatem Dei, miratus est amicos Dei, dicens: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus*. Et tamquam si ab eo protinus causas tanti honoris nobis insinuari quæreremus, illico adjunxit: *Nimis confortatus est principatus eorum*. Ecce electi Dei carnem domant, spiritum roborant, dæmonibus imperant, virtutibus coruscant, præsentia despiciunt: æternam patriam cum voce & moribus prædicant, eam etiam moriendo diligunt, atque ad illam per tormenta pertingunt: occidi possunt, & flecti nequeunt. *Nimis ergo confortatus est principatus eorum*. In ista ipsa passione, qua ceciderunt in mortem carnis, videte quantum fuerit culmen mentis. Unde hoc, nisi quia confortatus est principatus eorum? Sed sic magni forsitan pauci sunt. Ideo subjunxit: *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur*. Totum mundum, fratres, aspicite, martyribus plenus est. Jam pene tot qui videamus non sumus, quot veritatis testes habemus. Deo ergo numerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt: quia quanti sint, a nobis comprehendi non possunt. Sed quisquis ad hanc pervenit dignitatem ut amicus vocetur Dei, sese in se conspiciat: dona autem, quæ percipit, super se: nihil suis meritis tribuat, ne ad inimicitias erumpat.

CAPUT CCLXVI.

Nonne qui oderant te, Deus, oderam; & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi. Ps. 138. 21.

IN Reg. Past. part. 3. adjunctum est: *Nonne qui oderant te, Deus, oderam, &c.* INIMICOS Dei perfecto odio odisse, est & quod facti sunt diligere, & quod faciunt increpare: mores pravorum premere, & vitæ prodesse. Pensandum est etenim, quando ab increpatione quiescitur, quanta culpa est, si cum pessimis pax tenetur, si Propheta tantus hoc velut in hostiam Deo obtulit, quod contra se pro Domino pravorum inimicitias excitavit. Cap. 22. Admon. 23.

CAPUT CCLXVII.

Labor labiorum ipsorum operiet eos. Ps. 139. 10.

IN Reg. Past. par. 3. adjunctum est: *Labor labiorum ipsorum operiet eos*. NIHIL est ad defendendum puritate tutius, nihil ad dicendum veritate facilius. Nam dum fallaciam suam tueri conatur, duro cor labore fatigatur. Hinc ergo scriptum est: *Labor labiorum ipsorum operiet eos*. Qui enim nunc implet, tunc operiet: quia cujus nunc animum per blandam inquietudinem exerit, tunc per asperam retributionem premit. Hinc per Jeremiam dicitur: *Docuerunt linguas suas loqui mendacium; ut inique agerent, laboraverunt*. Ac si aperte diceretur: Qui amici esse veritatis sine labore poterant, ut peccent laborant: cumque vivere simpliciter renuunt, laboribus exigunt ut moriantur. Cap. 11. Admon. 12. Jerem. 9. 9.

b CAPUT CCLXVIII.

Obumbra caput meum in die belli. Ps. 139. 8.

CUm de verbi Dei pabulo tractaretur, in expos. B. Job, l. 6. adjunctum est: *Obumbra caput meum*

a In mss. non continetur.

b Non legitur in mss.

Num. 44. *meum in die belli*, BELLUM quippe patimur, cum carnis nostræ tentationibus impugnamur. De quo bello per Prophetam dicitur: *Obumbra caput meum in die belli*. Quia igitur reprobi, dum fame verbi deficiunt, etiam belli gladio transfiguntur, electos suos Dominus in fame a morte eripit, & in bello a gladio abscondit; quia eorum mentes dum verbi sui pabulo reficit, contra tentationes corporis fortes reddit.

CAPUT CCLXIX.

Ps. 139. 12. *In miseriis non subsistent.*

Num. 48. IN expos. B. Job, l. 2. adjunctum est: *In miseriis non subsistent*. HOC de reproborum inter flagella impatientia Psalmista testatur: quia in miseriis subsisterent, si æquanimiter adversa tolerarent. At postquam mente inter flagella corruunt, quasi inter illatas miserias subsistendi constantiam perdunt.

CAPUT CCLXX.

Ps. 144. 2. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*

Num. 5. IN expos. B. Job, l. 26 adjunctum est: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. QUIA Redemtor noster juxta mundi finem vim persequentium pertulit, semetipsum pro nobis sacrificium vespertinum dedit.

CAPUT CCLXXI.

Ps. 140. 3. *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.*

Num. 41. IN expos. B. Job, l. 7. adjunctum est: *Pone, Domine, &c.* STUDIOSE lingua sub magni moderaminis libratione frenanda est, non insolubiliter obliganda: ne aut laxata in vitium defluat, aut restricta etiam ab utilitate torpescat. Quod bene Psalmista considerans, brevi postulatione complexus est, dicens: *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis*. Ostium namque aperitur, & clauditur. Qui ergo ori suo nequaquam poni obstaculum, sed ostium petiit, aperte docuit quod & per disciplinam retineri lingua debeat, & ex necessitate laxari; quatenus os discretum & congruo tempore vox aperiat, & rursum
Eccli. 20. 7. congrua taciturnitas claudat. Hinc namque per quemdam dicitur: *Sapiens tacebit usque ad tempus*: ut nimirum cum opportunum considerat, postposita censura silentii, loquendi quæ congruunt, in usum se utilitatis impendat. Hinc Salomon ait:
Eccl. 3. 7. *Tempus tacendi, & tempus loquendi*. Discreta quippe vicissitudine pensanda sunt tempora, ne aut cum restringi lingua debet, per verba se inutiliter solvat: aut cum loqui utiliter potest, semetipsam pigre restringat.

CAPUT CCLXXII.

Ps. 140. 5. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

Num. 3. IN hom. 12. in Evang. adjunctum est: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*. QUID per appellationem capitis, nisi ea, quæ principatur corpori, mens vocatur? Impinguat ergo caput oleum peccatoris, cum demulcet mentem favor adulantis.

[a] CAPUT CCLXXIII.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Ps. 143. 1.

IN expos. B. Job, lib. 15. adjunctum est: *Benedictus Dominus Deus meus, &c.* PER manus videlicet operationem, per digitos vero discretionem signat. Num. 43.

CAPUT CCLXXIV.

Protector meus, & in ipso sperabo, subjiciens populum meum sub me. Ps. 143. 2.

IN expos. B. Job, l. 26. adjunctum est: *Protector meus, & in ipso sperabo, &c.* SANCTIS mentibus populi subiguntur, cum ab eis per districtæ severitatis præsentiam cogitationes stultæ desiliunt; ut non per abrupta phantasmatum rapiant, sed rationi subditæ, a corde humiliter conquiescant. Num. 84.

CAPUT CCLXXV.

Domine, inclina cælos tuos, & descende: tange montes, & fumigabunt. Ps. 143. 5.

IN expos. B. Job, l. 30. adjunctum est: *Domine, inclina cælos tuos, etc.* QUID cælorum nomine, nisi prædicatorum ordo signatur? Nisi ergo prædicatores sancti ab illa immensitate contemplationis internæ, [b] quam capiunt, ad infirmitatem nostram humillima prædicatione, quasi quadam inclinatione descenderent, numquam utique in fide filios gignerent. Nobis quippe prodesse non possent, si in suæ altitudinis erectione persisterent. Si enim sancti viri ea nobis prædicare vellent, quæ capiunt, cum in superna contemplatione debriantur, & non magis scientiam suam quodam moderamine & sobrietate temperarent, adhuc angusto intelligentiæ sinu illa superni fontis fluenta quis caperet? Unde nunc bene dicitur: *Domine, inclina cælos tuos, et descende*. Cum enim inclinantur cæli, descendit Dominus: quia cum se in prædicatione sua sancti doctores attrahunt, divinitatis notitiam nostris cordibus infundunt. Nequaquam quippe ad nos Dominus descenderet, si prædicatores ejus in contemplationis rigore inflexibiles permanerent. Inclinantur ergo cæli, ut descendat Dominus: quia nimirum si nostræ infirmitati non condescenderent, nos ad suam celsitudinem numquam elevarent. Num. 48.

CAPUT CCLXXVI.

Qui liberasti David servum tuum de gladio maligno. Ps. 143. 10.

IN expos. B. Job, l. 34. adjunctum est: *Qui liberasti David servum tuum de gladio maligno*. QUID hoc loco per malignum gladium, nisi ira vel persuasio maligni hostis exprimitur? Benignus quippe sanctæ prædicationis est gladius, quo percutimur, ut a culpa moriamur. Malignus vero est diabolicæ persua- Num. 17.

a Abest a mss.

b Utic. rapiunt.

suasionis gladius, quo male quisque percutitur, ut a A vita rectitudinis extinguatur. Antiqui namque hostis est gladius ille tunc damnatus homo; in usum ministerii ejus assumtus. Ipsum quippe per malitiam fraudis exhibet, & infirmorum corda transfigit.

a ᵃ CAPUT CCLXXVII.

Ps. 141. 4. *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.*

Num. 41. IN expos. B. Job, l. 10. adjunctum est: *In illa dies peribunt omnes cogitationes eorum.* QUIA æterna mala numquam cogitata reperiunt, & subito amittunt bona temporalia, quæ diu tractando tenuerunt.

CAPUT CCLXXVIII.

Ps. 146. 6. *Humiliat autem peccatores usque ad terram.*

Num. 30. IN expos. B. Job, l. 35. adjunctum est: *Humiliat autem peccatores usque ad terram.* QUÆ major poterit esse humiliatio, quam, deserto Creatore, creaturam quærere; desertis supernis gaudiis, infimis rebus inhiare? Amissis enim cælestibus, terrenum est omne quod sitiunt: & dum plus videre conantur, minus est quod appetunt: De quibus per Jeremiam dicitur: *Recedentes a te, in terra scribentur.* At contra de electis: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Jerem. 17. 13. Luc. 10. 20.

CAPUT CCLXXIX.

Ps. 146. 8. *Qui producit in montibus fenum, & herbam servituti hominum.*

Num. 52. IN exposit. B. Job, lib. 29. adjunctum est: *Qui producit in montibus fenum, &c.* QUID hoc loco per herbam, nisi sustentatio prædicantium demonstratur, cum dicitur: *Qui producit in montibus fenum, & herbam servituti hominum?* In montibus quippe fenum & herba servituti hominum producitur, cum sublimes hujus seculi ad fidei cognitionem vocati, sanctis prædicatoribus in hujus vitæ itinere spiritualiter sibi servientibus transitorie alimenta largiuntur.

CAPUT CCLXXX.

Ps. 146. 9. *Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum.*

Num. 28. 29. IN expos. B. Job, l. 30. adjunctum est: *Qui dat jumentis escam ipsorum, &c.* JUMENTA escam accipiunt, dum sacræ Scripturæ pabulo mentes dudum brutæ satiantur. Pullis vero corvorum, filiis scilicet Gentium esca datur: cum eorum desiderium nostra conversatione reficitur. Iste corvus esca fuit, dum ipsum sancta Ecclesia quæreret: sed nunc escam accipit, cum ipse ad conversionem alios exquirit. Cujus videlicet pulli, id est prædicatores ex eo editi, non in se præsumunt, sed in viribus Redemtoris sui. Unde bene dicitur: *Et pullis corvorum invocantibus eum.* Nihil enim sua virtute posse se sciunt. Et quamvis animarum lucra piis votis esuriant, ab illo tamen, qui cuncta intrinsecus operatur, hæc fieri exoptant. Vera enim fide comprehendunt: quia, *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* 1. Cor. 3. 7.

CAPUT CCLXXXI.

Ps. 147. 18. *Mittet verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus ejus, & fluent aquæ.*

Num. 31. IN expos. B. Job, l. 27. adjunctum est: *Mittet verbum suum, &c.* PER has aquas, ad se currentes Dominus signat. Aquæ namque de gelu currunt, quia plerique ex duris persecutoribus magni prædicatores fiunt. Gelu igitur in aquam liquatur, cum torpor interni frigoris ad irrigationem vertitur prædicationis. An Paulus gelu non erat, qui acceptis epistolis Damascum pergens, in corde fidelium quasi in terra Dei jactata verbi semina, ne ad Act. 9. 2. B perfectionem operum surgerent, restringere quærebat? Sed gelu hoc in aquam rediit: quia quos persequendo prius premere studuit, hos postmodum fluentis sanctæ exhortationis infudit; ut tanto uberior electorum ᵇ messis exurgeret, quanto hanc imber Dei, etiam ab ore persecutoris irrigaret. b

ᶜ CAPUT CCLXXXII. c

Ps. 148. 6. *Præceptum posuit, & non præteribit.*

Num. 45. IN expos. B. Job, l. 16. adjunctum est: *Præceptum posuit, &c.* QUIA semel fixa judicia Dei mutari nequaquam possunt. Cum ergo exterius mutari videtur sententia, interius consilium non mutatur: C quia de unaquaque re immutabiliter intus constituitur, quidquid foris mutabiliter agitur.

CAPUT CCLXXXIII.

Ps. 146. 6. *Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo, ut det illis hereditatem Gentium.*

Num. 14. IN expos. B. Job, l. 18. adjunctum est: *Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo, &c.* AC si aperte dicat: Idcirco fortitudinem suæ operationis insinuat, ut eum, qui audierit, donis ditescat.

CAPUT CCLXXXIV.

Ps. 149. 5. D *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.*

Num. 41. IN expos. B. Job, l. 8. adjunctum est: *Exultabunt Sancti in gloria, &c.* QUIA scilicet cum mala ab exterioribus fugiunt, securi intra mentium secreta gloriantur. Sed tunc lætitia cordium perfecta erit, cum carnis ab exterioribus pugna non fuerit. Nam quousque caro illicit (quia quasi nostræ domus paries quatitur) etiam cubile turbatur.

CAPUT CCLXXXV.

Ps. 150. 2. *Laudate eum in potentatibus ejus, laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.*

Num. 19. E IN expos. B. Job, l. 9. adjunctum est: *Laudate eum in potentatibus ejus, &c.* DIVINÆ fortitudinis facta tunc verius explemus, cum hæc nos explere non posse cognoscimus. Tunc facundius loquimur, cum ab his obstupescendo reticemus. Ad narranda quippe Dei opera, habet defectus noster, quam sufficienter exerat linguam suam, ut quæ comprehendere idonee non valet, hæc idonee mutus laudet.

a Caput hoc cum sequenti abest a mss.

b In omnibus mss. nostris legitur, *mens exurgeret*; at legendum, *messis*, ut loco Moral. designato.

c Tria quæ succedunt capita desunt in mss.

Unde bene nunc per Psalmistam dicitur: *Laudate eum in potentatibus ejus: Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus*. Ille quippe Deum laudat secundum multitudinem magnitudinis, qui se succumbere in ejus laudis expletione considerat.

CAPUT CCLXXXVI.

Ps. 150. 4. *Laudate eum in tympano, & choro.*

Num. 8. IN homil. 8. in Ezech. adjunctum est: *Laudate eum in tympano, & choro*. QUANTA sit concordiæ virtus, ostenditur, cum sine illa virtute, reliquæ virtutes non esse monstrantur. Magna enim est virtus abstinentiæ; sed si quis ita ab alimentis abstineat, ut ceteros in cibo dijudicet, & alimenta eadem, quæ Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione, in fidelibus etiam damnet; quid huic virtus abstinentiæ facta est, nisi laqueus culpæ? Hinc ergo Psalmista nullam esse abstinentiæ virtutem sine concordia designans, ait: *Laudate eum in tympano, & choro*. In tympano enim corium siccum resonat, in choro autem voces concorditer cantant. Quid ergo per tympanum nisi abstinentia, & quid per chorum, nisi caritatis concordiam designat? Qui itaque sic abstinet, ut concordiam deserat: laudat quidem in tympano, sed non laudat in choro.

CAPUT CCLXXXVII.

Item unde supra.

IN Reg. Past. par. 3. SÆPE nonnulli quædam specialiter dona percipiunt, sed dum superbiunt, donum concordiæ, quod majus est, amittunt: ut si fortasse carnem præ ceteris gulæ refrenatione quis edomat, concordare eis, quos superat, abstinendo contemnat. Sed qui abstinentiam a concordia separat, quid admoneat Psalmista, perpendat: ait enim: *Laudate eum in tympano, & choro*. In tympano namque sicca & percussa pellis resonat: in choro autem voces societate concordant. Quisquis itaque corpus affligit, sed concordiam deserit, Deum quidem laudat in tympano, sed non laudat in choro. Cap. 22. admon. 23.

Finis expositionis in Psalmos.

CAPITULA LIBRI DUODECIMI

IN PROVERBIA.

LIBER DUODECIMUS.

DE TESTIMONIIS IN PROVERBIA.

CAPUT PRIMUM.

Prov. 3. 32. *Cum simplicibus sermocinatio ejus.*

Cap. 11. Adm. 12. IN Regula Pastorali part. 3. adjunctum est: *Cum simplicibus sermocinatio ejus*. DEO enim sermocinari, est per illustrationem suæ præsentiæ humanis mentibus arcana revelare. Cum simplicibus igitur sermocinari dicitur: quia de supernis mysteriis illorum mentes radio a sui doni illuminat, quos nulla umbra duplicitatis obscurat.

CAPUT II.

Prov. 4. 18. *Justorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem.*

Num. 5. IN hom. 5. in Ezech. adjunctum est: *Justorum semita, &c.* IN eorum namque animis bonum desiderium, atque intellectus lucis intimæ jam pars diei est. Sed quia usque ad finem vitæ in virtute proficiunt, ad perfectum diem tum veniunt, quando ad regna cælestia perducti, in ea luce, quam desiderant, jam minus aliquid non habebunt.

CAPUT III.

Prov. 4. 23. *Omni custodia serva cor tuum, quia de ipso vita procedit.*

Num. 33. IN expos. B. Job, l. 19. adjunctum est: *Omni custodia serva cor tuum, &c.* DICTURUS enim: *Custodia*, præmisit *omni*, ut videlicet unusquisque hinc inde se diligenter inspiciat. Et quamdiu in hac vita est, contra inimicos spirituales in acie se positum sciat, ne mercedem, quam per has actiones colligit, per alias amittat: ne hinc hostis fores obstruat, & aliunde aditum pandat. Si qua etenim civitas contra insidiantes inimicos magno vallatur aggere, fortibus cingatur muris, insomni muniatur custodia: unum vero in ea foramen tantummodo immunitum per negligentiam relinquatur, inde proculdubio hostis ingreditur, qui undique exclusus esse videbatur.

CAPUT IV.

Item unde supra.

Num. 49. IN expos. B. Job, l. 1. VIRTUTES ergo, quas agimus, dignum est ut summopere ab intentionis origine pensemus, ne ex malo ortu prodeant, etiam si recta sunt quæ ostentantur.

CAPUT V.

Prov 4. 25. *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.*

Cap. 15. Admon 16. IN cod. Reg. Past. part. 3. adjunctum est: *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos*. Palpebræ quippe gressus præcedunt, cum operationem nostram consilia recta præveniunt. Qui enim negligit considerando prævidere quod facit, gressus tendit, oculos claudit. Pergendo iter conficit, sed prævidendo sibimetipsi non antecedit, atque idcirco citius corruit: quia quo pedem operi ponere debeat, per palpebram consilii non attendit.

CAPUT VI.

Fili mi, attende ad sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam, ut custodias cogitationes. Prov 5. 1.

Cap. 14. Admon. 15. IN cod. Reg. Past. part. 3. adjunctum est: *Fili mi, attende ad sapientiam meam, &c.* NIHIL quippe in nobis est corde fugacius, quod a nobis toties recedit, quoties per pravas cogitationes defluit. Hinc etenim Psalmista ait: *Cor meum dereliquit me*. Hinc ad semetipsum rediens dicit: *Invenit servus tuus cor suum, ut oret te*. Cum ergo cogitatio per custodiam restringitur, cor, quod fugere consuevit, invenitur. Plerumque autem nimis taciti, cum nonnulla injusta patiuntur, eo in acriorem dolorem prodeunt, quo ea, quæ sustinent, non loquuntur. Nam si illatas molestias tranquillæ linguæ sermone dicerent, a conscientia dolor emanaret. Vulnera enim clausa plus cruciant. Nam cum putredo, quæ interius fervet, ejicitur, ad salutem dolor aperitur. Psal. 39. 13. 2 Reg 7. 27.

CAPUT VII.

Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena: & gemas in novissimis, quando consumseris carnes & corpus tuum. Prov. 5. 9. & seq.

Cap. 12. Admon. 13. IN cod. Reg. Past. p. 3. adjunctum est: *Ne des alienis honorem tuum, &c.* QUI namque a nobis alieni sunt, nisi maligni spiritus, qui a cælestis sunt patriæ sorte separati? Quis vero honor noster est, nisi quia etiam in luteis corporibus conditi, ad Conditoris tamen nostri sumus imaginem & similitudinem creati? Vel quis alius crudelis est, nisi ille apostata Angelus, qui & semetipsum pœna mortis superbiendo perculit, & inferre mortem humano generi etiam perditus non pepercit? Honorem itaque suum alienis dat, qui ad Dei imaginem ac similitudinem conditus, vitæ suæ tempora malignorum spirituum voluntatibus administrat. Annos etiam suos crudeli tradit, qui ad voluntatem male dominantis adversarii, accepta vivendi spatia expendit. Ubi bene subditur: *Ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena*. Quisquis enim per acceptam valetudinem corporis, per tributam sibi sapientiam, mentis non exercendis virtutibus, sed perpetrandis vitiis elaborat, nequaquam suis viribus suam domum, sed extraneorum habitacula, id est immundorum spirituum facta multiplicat: nimirum vel luxuriando, vel superbiendo agens, ut etiam

a Ita mss. Sag. Utic. &c. licet loco indicato legamus, *suæ visitationis*.

etiam si addito perditorum numerus crescat. Bene autem subditur: *Et gemas in novissimis, quando consumseris carnem, & corpus tuum*. Plerumque enim accepta salus carnis per vitia expenditur: sed cum repente subtrahitur, cum molestiis caro atteritur, cum jam anima egredi urgetur, diu male habita quasi ad bene vivendum salus amissa requiritur; & tunc gemunt homines, quod Deo servire noluerunt, quando damna suæ negligentiæ recuperare serviendo nequaquam possunt.

CAPUT VIII.

Prov. 5. 15. & seq. *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui. Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas divide: Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.*

Hom. 15. IN commentario Ezech. homil. 12. adjunctum est: *Bibe aquam de cisterna tua, &c.* VALDE contraria videntur esse quæ dicit: *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas divide*: cum protinus adjungit: *Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui*. Quomodo enim aquam scientiæ solus habere poterit, si hanc in plateis dividit? Quomodo alieni aquarum ejus participes non sunt, si fontes illius foras derivantur? Sed cum prædicamus in populis, nimirum in plateis aquas dividimus: quia in auditorum multitudinem verba scientiæ dilatamus. Cum vero nos adjuvante divina gratia intrinsecus custodimus, & maligni spiritus qui vere a nobis alieni sunt, quia sortem beatitudinis perdiderunt, ne nobis in elatione subripiant, sollicitudine cauta circumspicimus, soli habemus aquas: quas in plateis dividimus, ut nobis in eis alieni participes non sint. Hi nimirum, de quibus scriptum est: Psal. 53. 5. *Alieni insurrexerunt in me, & fortes quæsierunt animam meam*. Aquas ergo & in plateis dividit, & solus habet, qui per hoc, quod multis prædicat, in temporali se cogitatione gloriæ non exaltat. Tunc etenim possidet homo quod docet, quando non se gaudet innotescere, sed prodesse.

CAPUT IX.

Item unde supra.

Cap. 24. Admon. 25. IN cod. Reg. Past. part. 3. AQUAM quippe prædicator de cisterna sua bibit, cum ad cor suum rediens prius audit ipse, quod dicit: *Bibit sui fluenta putei, si sui irrigatione infunditur verbi*. Ubi bene subjungitur: *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas divide*. Rectum quippe est, ut ipse prius bibat, & tunc prædicando aliis influat. Fontes namque foras derivare, est exterius aliis vim prædicationis infundere: in plateis autem aquas dividere, est in magna auditorum amplitudine juxta uniuscujusque qualitatem divina eloquia dispensare. Et quia plerumque inanis gloriæ appetitus subrepit, dum sermo Dei ad multorum notitiam currit, postquam dictum est: *In plateis aquas divide*, recte subjungitur: *Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui*. Alienos quippe malignos spiritus vocat, de quibus per Prophetam tentati hominis voce dicitur: Psal. 53. 5. *Alieni insurrexerunt in me, & fortes quæsierunt animam meam*. Ait ergo: Aquas in plateis A divide, & tamen solus bibe. Ac si apertius dicat: Si necesse est ut prædicationi exterius servias, quatenus per elationem te immundis spiritibus non conjungas: ne in divini verbi ministerio hostes tuos ad te participes admittas. Aquas ergo in plateis dividimus, & tamen soli possidemus, quando exterius late prædicationem fundimus, & tamen per eam humanas laudes assequi minime ambimus.

CAPUT X.

Prov. 6. 1. & seq. *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam: illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus. Fac* B *ergo quod dico tibi, fili mi, & temetipsum libera: quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, ne dormitent palpebræ tuæ.*

Cap. 4. Admon. 5. IN cod. Reg. Past. part. 3. adjunctum est: *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, &c.* SPONDERE namque pro amico est, alienam animam in periculo suæ conversationis accipere. Unde & apud extraneum manus defigitur: quia apud eum sollicitudinis, quæ ante deerat, mens ligatur. Verbis vero oris sui illaqueatus C est, ac propriis sermonibus captus: quia dum commissis sibi cogitur bona dicere, ipsum prius necesse est quæ dixerit, custodire. Illaqueatur igitur verbis oris sui, dum ratione exigente constringitur, ne ejus vita ad aliud quam admonet, relaxetur. Unde & apud districtum judicem cogitur tanta in opere exolvere, quanta eum constat aliis voce præcepisse. Unde bene mox exhortatio subditur, & dicitur: *Fac ergo quod dico, fili mi, & temetipsum libera: quia incidisti in manus proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, ne dormitent palpebræ tuæ*. Quisquis enim ad vivendum aliis in exemplum præponitur, non solum ut ipse vigilet, sed etiam ut amicum suscitet, admonetur. Ei namque vigilare bene vivendo non sufficit, [a] si non & illum, cui præest, a peccati torpore disjungit. Bene autem dicitur: *Ne* D *dederis somnum oculis tuis*. Somnum quippe oculis dare, est intentione cessante subditorum curam omnino negligere. Palpebræ vero dormitant, cum cogitationes nostræ, quæ in subditis arguenda cognoscunt, pigredine deprimente dissimulant. Plene enim dormire, est commissorum acta nescire, nec corrigere Non autem dormire, sed dormitare est, quæ quidem reprehendenda sunt cognoscere, sed tamen propter mentis tædium dignis ea increpationibus non emendare. Dormitando vero oculus ad plenissimum somnum ducitur: quia dum plerumque qui præest, malum, quod cognoscit, non resecat, ad hoc quandoque negligentiæ suæ merito pervenit, ut quod a subjectis delinquitur, E nec agnoscat.

CAPUT XI.

Usquequo piger dormis? Prov. 6. 10.

Hom. 20. IN expos. B. Job, l. 8. adjunctum est: *Usquequo piger dormis?* ELECTUS igitur quisquis cum peccati somno premitur, ad justitiæ vigilias exurgere

a Ita Sagiensis & Michael. at in Ulic. & Gemet. *Ei non & illum cui præest peccati torporem disjungit.*

re conatur. Sed sæpe cum surrexerit, ipsa se A extolli virtutum magnitudine sentit. Unde & tentari se præsentis vitæ adversitatibus post virtutes desiderat: ne pejus ex confidentia virtutum cadat. Si enim servari se melius per tentationem non cognosceret, nequaquam Psalmi
Psal. 25 2. sta dixisset: *Proba me, Domine, & tenta me.*

CAPUT XII.

Prov. 6. 12 *Homo apostata, vir inutilis graditur ore perverso: annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & in omni tempore jurgia seminat.*

Cap. 23. Admon. 24 IN cod. Reg. Pastoralis part. 3. adjunctum est: B *Vir inutilis graditur ore perverso, &c.* ECCE quem seminantem jurgia dicere voluit, prius apostatam nominavit: quia nisi more superbientis Angeli a conspectu Conditoris prius intus aversione mentis caderet, foras postmodum, usque ad seminanda jurgia, non veniret. Qui recte describitur quod annuit oculis, digito loquitur, terit pede. Interior namque est custodia, quæ ordinata servat exterius membra. Qui ergo statum mentis perdidit, subsequenter foras inconstantia motionis fluit, atque exteriori mobilitate indicat, quod nulla interius radice subsistat. Audiant jurgiorum seminatores quod scriptum est: *Beati pacifi-*
Matth. 5. 9 *ci, quoniam filii Dei vocabuntur:* atque e diverso colligant, quia si Dei vocantur filii qui pacem faciunt, proculdubio Satanæ sunt filii qui confundunt. Omnes autem qui per discordiam separantur, a viriditate dilectionis arescunt; qui & si boni operis fructus in suis actibus proferunt, profecto nulli sunt: quia non ex unitate caritatis oriuntur. Hinc ergo perpendant seminantes jurgia, quam multipliciter peccent: qui dum unam nequitiam perpetrant, ab humanis cordibus cunctas simul virtutes eradicant. In uno enim malo innumera peragunt: quia seminando discordiam, caritatem, quæ nimirum virtutum omnium mater est, extinguunt. Quia autem nihil est pretiosius Deo virtute dilectionis, nihil desiderabilius est diabolo extinctione caritatis: quisquis D igitur seminando jurgia a dilectione proximorum perimit, hosti Dei familiarius servit: quia qua ille amissa cecidit, hanc iste vulneratis cordibus subtrahens, eis iter ascensionis abscidit.

CAPUT XIII.

Prov. 8. 1 *Numquid non sapientia clamitat, & prudentia dat vocem suam in summis excelsisque virtutibus, super viam in mediis stans semitis?*

Num. 29. & 30. IN expos. B. Job, l. 25. adjunctum est: *Numquid non sapientia clamitat, &c.* TRANSIRE fortasse E per viam vitæ temporalis cum ejus ignorantia poteramus, si hæc eadem sapientia in semitæ angulis constitisset. Investiganda fuerat, si occulta esse voluisset. Sed postquam incarnationis suæ mysteria publice ostendit, postquam humilitatis exempla superbientibus prebuit, semetipsam nobis quasi transeuntibus in mediis semitis fixit, ut videlicet in eam, quam quærere nolumus, impingamus: & quam transeuntes videre negleximus, tangamus offendentes.

CAPUT XIV.

O viri, ad vos clamito. Prov. 8. 4

IN expos. B. Job, l. 27. adjunctum est: *O viri, ad vos clamito.* DE Domino igitur viri canunt. cum nobis ejus potentiam vel superni spiritus, vel perfecti quique doctores, innotescunt. Sed tamen opus ejus ignoratur: quia nimirum judicia illius ipsi etiam qui hunc prædicant, impenetrata venerantur. Et sciunt ergo quæ prædicant, & tamen ejus opera ignorant: quia cognoscunt per gratiam eum a quo facti sunt, sed ejus judicia comprehendere nequeunt, quæ ab illo etiam super ipsos fiunt. Quod enim omnipotens Deus perspicue in sua acti ne non cernitur, Psalmista testatur, dicens: *Qui posuit tenebras latibulum suum.* a Num. 5 Psal. 17. 12

CAPUT XV.

Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, proposuit mensam. Misit ancillas, ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis: Si quis est parvulus, veniat ad me. Prov. 9. v. 1 & seq.

IN expos. B. Job, l. 17. adjunctum est: *Sapientia* Num. 43 C *ædificavit sibi domum, &c.* IMMOLAVIT enim Dominus victimas, seipsum offerendo pro nobis: miscuit vinum, præceptorum suorum poculum ex narratione historica & intelligentia spirituali contemperans. Unde alias dictum est: *Calix in manu Domini, vini meri, plenus est mixto:* Psal. 74 9 Et proposuit mensam, id est Scripturam sacram, quæ fessos ad se atque a seculi oneribus venientes, pane verbi nos reficit; & contra adversarios sua refectione nos roborat. Unde & alias ab Ecclesia dicitur: *Posuisti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me.* Misit ancillas suas, Psal. 22. 5. Apostolorum videlicet animas, in ipso suo initio infirmas ut vocarent ad arcem, & mœnia civitatis supernę: quia dum ęternam vitam denuntiant, ad alta nos mœnia supernæ civitatis levant. Quæ profecto mœnia nisi humiles non ascendunt. Unde illic ab eadem Sapientia subditur: *Si quis est parvulus, veniat ad me.* Ac si aperte dicat: Quisquis se apud se magnum æstimat, aditum sibi mei accessus angustat: quia tanto ad me altius pertingitur, quanto unicujusque mens apud se verius humiliatur. Sed quantalibet quisque virtute proficiat, quantalibet scientia excrescat, penetrare non sufficit, quo nos Conditor moderamine judiciorum regit.

CAPUT XVI.

Item unde supra.

IN expos. B. Job, l. 33. SAPIENTIA quippe domum sibi condidit, cum unigenitus Dei filius Num. 33 in semetipso intra uterum Virginis, mediante anima, humanum sibi corpus creavit; sic quippe corpus Unigeniti, domus Dei dicitur, sicut etiam templum vocatur. Itaut unus idemque Dei atque hominis filius ipse sit, qui inhabitat, ipse qui inhabitatur. Quod tamen recte aliter accipitur, si domus sapientię Ecclesia vocetur. Quę septem columnas

a Hoc loco multa in mss. Sag. Utic. & Michael. adduntur, quæ consequenter leguntur numero Moralium indicato. Pleraque etiam ex sequentibus cap. in laudatis codicibus sunt longe prolixiora; additis multis vel in initio vel in medio vel in fine.

lumnas excidit: quia ab amore præsentis seculi disjunctas, ad portandum ejusdem Ecclesiæ fabricam mentes prædicantium erexit. Quæ pro eo quod perfectionis virtute subnixæ sunt, septenario numero designantur. Immolavit victimas, quia vitas prædicantium mactare in persecutione permisit. Vinum miscuit, quia divinitatis & humanitatis suæ pariter nobis arcana prædicavit. Mensam quoque proposuit, quia Scripturæ sacræ nobis pabula aperiendo preparavit. Ancillas etiam suas misit, quæ ad arcem nos, atque ad civitatis mœnia vocarent: quia prædicatores infirmos abjectosque habere studuit, qui fideles populos ad spiritualis patriæ ædificia superna colligerent. Unde Dominus in Evangelio Nathanaelem laudat, (Joh. an. 1. 47) nec tamen in sorte prædicantium numerat: quia ad prædicandum eum tales venire debuerant, qui de laude propria nihil habebant: ut tanto solidius veritatis cognosceretur esse quod agerent, quanto & aperte cerneretur, quia ad hoc agendum per se idonei non fuissent. Ut ergo mira potentia per predicatorum linguas claresceret, prius mirabilius actum est, ut eorumdem prædicantium meritum nullum esset.

CAPUT VXII.

Qui erudit derisorem, ipse sibi injuriam facit. (Prov. 9. 10)

IN expos. B. Job, l. 10. adjunctum est: *Qui erudit derisorem, &c.* NAM fit plerumque, ut cum correpta in se mala defendere nequeunt, ex verecundia pejores fiant: ac sic in sua defensione superbiunt, ut quædam vitia contra vitam corripientis exquirant, & eo se criminosos non æstimant, si crimina aliis imponant. Qui cum vera invenire nequeunt, fingunt; ut ipsi quoque habeant, quod impari justitia increpare videantur. (Num. 3.)

CAPUT XVIII.

Noli arguere derisorem, ne oderit te. (Prov. 9. 10)

IN expos. B. Job, l. 8. adjunctum est: *Noli arguere derisorem, &c.* NEQUE enim justo timendum est, ne derisor cum corripitur, contumelias inferat, sed ne tractus ad odium pejor fiat. Inter hęc sciendum est, quod justorum bona, quia ex corde incipiunt, usque ad pręsentis vitæ terminum crescunt. Hypocritarum vero opera, quia nequaquam sunt in occulto radicata, sępe ante deficiunt, quam pręsens vita finiatur. Nam plerumque studio sacræ eruditionis insistunt; & quia hanc non preparandis meritis, sed promerendis favoribus inquirunt, statim ut judicium humanæ laudis arripiunt, & per hoc gratiam transitorii provectus assequuntur, tota mente secularibus curis inserviunt, atque a sacra funditus eruditione evacuantur: & agendo post indicant, quantum temporalia diligant, qui sola prius ęterna prædicabant. Plerumque autem assumtę speciem maturitatis ostendunt: quiete silentii, longanimitate patientię, continentię virtute decorantur. Sed cum per hæc quęsiti culmen honoris attigerint, cumque sibi jam reverentia a cunctis impenditur, protinus se in lasciviam voluptatis infundunt, & bona se non ex corde tenuisse ipsi sibi testes sunt, qui hęc cito dimiserunt. Nonnumquam vero aliqui quæ possident tribuunt, atque indigentibus cuncta largiuntur: sed tamen ante vitæ terminum, avaritiæ prurigine accensi, aliena appetunt, qui sua largiri videbantur, & pertinaci post crudelitate ambiunt quod ficta prius pietate reliquerunt. (Num. 67. & 68)

CAPUT XIX.

Item unde supra.

IN expos. B. Job, l. 20. SI ab increpatione idcirco reticemus, quia contra nos insurgere derisoris odia formidamus, non jam lucra Dei, sed nostra quærimus. Qua in re sciendum est, quod nonnumquam, cum redarguuntur pravi, deteriores existunt. Ipsis ergo & non nobis parcimus, si ab eorum redargutione pro eorum amore cessamus. Unde necesse est ut aliquando toleremus tacendo quod sunt, quatenus in nobis discant videndo quod non sunt. [a] Quia igitur sancta Ecclesia, quæ verba sua semper per caritatem exerit, ea etiam nonnumquam ex caritate restringit, dicat: Noli, &c. (Num. 33.)

CAPUT XX.

Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior. (Prov. 9. 17)

IN expos. B. Job, l. 23. adjunctum est: *Aquæ furtivæ dulciores sunt, &c.* PER panem hæreticorum interdum prædicatio designatur, sicut per Salomonem mulier hæreticæ Ecclesiæ typum gestans, & stultos convocans dicit: *Panes occultos libenter edite.* Vel ut in nostra translatione scriptum est: *Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior.* Sunt enim nonnulli hæretici, qui aperte metuunt prædicare quod sentiunt, & apud infirmorum mentes verba sua tanto magis condiunt, quanto quasi amplius reverenter abscondunt. Unde non immerito dicitur: *Panes occultos libenter edite.* Miseris enim cordibus occulta hæreticorum verba eo magis sapiunt, quo cum reliquis communiter non habentur. (Num. 49.)

CAPUT XXI.

Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. (Prov. 10. 9)

IN cod. Reg. Past. part. 3. adjunctum est: *Qui ambulat simpliciter, &c.* FIDUCIA quippe magnæ securitatis, est simplicitas actionis. (Cap. 11. Admon. 12)

CAPUT XXII.

Quasi tempestas transiens non erit impius. (Prov. 25)

IN expos. B. Job, l. 20. adjunctum est: *Quasi tempestas transiens, &c.* CUM infirmus quisque perversos florere conspicit, hunc in perversitatis pelagus unda mergit miseræ imitationis. (Num. 50.)

CAPUT XXIII.

Manus in manu non erit innocens malus. (Prov. 11. 21.)

IN expos. B. Job, l. 25. adjunctum est: *Manus in manu non erit innocens malus.* MANUS enim manui jungi solet, quando quiescit in otio, & nullus (Num. 7.)

a Gemeticens. *igitur.* Legitur tamen, *Quia*, loco Moralium indicato.

lus eam in usus laboris exercet. *Manus* ergo *in* A *manu non erit innocens malus*. Ac si diceret: Et cum manus cessat ab iniquo opere, malus tamen non est innocens per cogitationem. Quia ergo novimus quod districte omnia non solum facta, sed etiam cogitata pensentur; quid faciemus de incessu mali operis, si sic subtiliter Deus judicat gressus cordis? Ecce occulta mentis nostræ itinera nullus hominum videt, & tamen ante Dei oculos tot gressus ponimus, quot affectus movemus: toties ante illum labimur, quoties a recto itinere infirmæ cogitationis pede claudicamus.

CAPUT XXIV.

Prov. 11.22 *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra, & fatua.*

Num. 2. IN expos. B. Job, l. 31. adjunctum est: *Circulus aureus in naribus suis. &c.* HÆRETICA namque doctrina nitore videtur eloquii resplendere, nec tamen sapientiæ apto intellectu congruere. Ait ergo: *Circulus aureus in naribus suis*, id est pulchra & circumplexa locutio in sensibus mentis stultæ: cui ex eloquio aurum pendet, sed tamen ex terrenæ intentionis pondere, more suis, ad superiora non respicit. Quod secutus exposuit, dicens: *Mulier pulchra & fatua*; id est doctrina hæretica: pulchra per verbum, fatua per intellectum.

CAPUT XXV.

Prov. 11.23. *Præstolatio impiorum furor.*

Num. 79. IN expos. B. Job, l. 5. adjunctum est: *Præstolatio impiorum furor*. SICQUE fit ut perturbatus animus majorem strepitum sui silentii sentiat, eumque gravius clausæ iræ flamma consumat.

CAPUT XXVI.

Prov. 11.25 *Anima quæ benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoque inebriatur.*

Cap. 25. Admon. 26. IN cod. Reg. Past. part. 3. adjunctum est: *Anima quæ benedicit, &c.* QUI enim nimirum exterius prædicando benedicit, interioris augmenti pinguedinem recipit. Et dum vino eloquii auditorum mentem debriare non desinit, potu multiplicati muneris debriatus excrescit.

CAPUT XXVII.

Prov. 11.26 *Qui abscondit frumenta, maledicitur in populis.*

Cap. 25. Adm. n. 26 IN cod. Reg. Past. part. 3. adjunctum est: *Qui abscondit frumenta, &c.* FRUMENTA quippe abscondere, est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicitur, quia in solius culpa silentii pro multorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur. Si medicinalis artis minime ignari secandum vulnus cernerent, & tamen secare recusarent: profecto peccatum fraternæ mortis ex solo torpore committerent. Quanta ergo culpa involvantur aspiciant, qui dum cognoscunt vulnera mentium, curare ea negligunt
Jerem. 48.10. sectione verborum? Unde bene per Prophetam dicitur: *Maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine*. Gladium quippe a sanguine prohibere, est prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione retinere.

CAPUT XXVIII.

Qui stultus est, serviet sapienti. Prov. 11.29.

IN expos. B. Job, l. 20. adjunctum est: *Qui stultus est, serviet sapienti*. SÆPE tamen conspicimus sapientes subesse, stultos vero arcem dominii tenere: sapientes serviliter obsequi; stultos tyrannica elatione dominari. Quomodo igitur definitione divinæ sententiæ sapienti stultus servit, dum plerumque hunc jure temporalis dominii comprimit? Sed sciendum est quia contra sapientis vitam, dum stultus præeminens, terrorem potestatis exercet, dum nunc laboribus B fatigat, contumeliis lacerat, profecto hunc ab omni vitiorum rubigine urendo purgat. Stultus ergo sapienti etiam dominando servit, quem ad meliorem statum premendo provehit; sic nonnumquam pupillis dominis ad disciplinæ magisterium servi præsunt, terrent, premunt, feriunt: & tamen esse servi nullo modo desistunt; quia ad hoc ipsum ordinati sunt, ut proficientibus dominis etiam feriendo famulentur. Quia igitur mala reproborum bonos, dum cruciant, depurgant, utilitati justorum militat etiam potestas iniquorum. Sed plerumque justi tribulatione deprehensi, tardam manum subvenientis æ- C stimant, cum se persequentium immanitas paulo longius angustat: & concita quidem sunt ereptionis remedia, sed hoc, quod ab ereptore citius agitur, dolori tardum videtur. Cumque adesse postulationi auxilium quæritur, si vocem non statim sequitur, quia desit, æstimatur. Num. 52.

CAPUT XXIX.

Cogitationes justorum judicia. Prov. 12.5.

IN expos. B. Job, l. 25. adjunctum est: *Cogitationes justorum judicia*. DEBET enim cujusque mens, & causas suas apud Dominum, & causas Domini contra se sollicita inquisitione discutere: debet caute pensare, vel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bonis illius perverse vivendo responderit. Quod electi quidem quo- D tidie facere omnino cessant. Unde bene Salomon ait: *Cogitationes justorum judicia*. Accedunt enim ad secretarium judicis intra sinum cordis, considerant quam districte quandoque feriat, qui diu patienter expectat. Metuunt in his, quæ se egisse meminerunt, & puniunt flendo, quod perpetrasse se intelligunt, timent subtilia divina judicia, etiam de his, quæ in semetipsis intelligere fortasse non possunt. Vident enim videri divinitus, quod ipsi in se per humanitatem non vident. Conspiciunt districtum judicem, qui quo tardius venit, eo severius percutit. Sanctorum etiam patrum residere conventum cum eo pariter contemplantur, eorumque vel exempla, vel dicta se contempsisse repre- E hendunt, atque in hoc secreto interioris judicii ipsa mentis suæ executione constricti pœnitendo feriunt, quod superbiendo commiserunt. Ibi namque adversum se, quidquid se impugnat enumerant, ibi ante oculos suos omne, quod defleant, coacervant. Ibi quidquid per iram districti judicis discerni possit, intuentur: ibi tot patiuntur supplicia, quot pati timent. Nec deest in hoc judicio mente concepto omne ministerium, quod punire reos suos plenius debeat: nam conscien- Num. 13

scientia accusat, ratio judicat, timor ligat, dolor excruciat. Quod judicium eo certius punit, quo interius sævit: quia videlicet ab exterioribus non accedit. Unusquisque enim cum causam hujus examinis contra se aggredi cœperit, ipse est actor qui exhibet, ipse reus, qui exhibetur. Odit se; qualem fuisse se meminit, & ipse qui est, per semetipsum insequitur illum qui fuit; atque ab ipso homine adversus semetipsum fit quædam rixa in animo, parturiens pacem cum Deo.

CAPUT XXX.

Prov. 12. 7. *Verte impios, & non erunt.*

Num. 2. IN hom. 32. in Evang. adjunctum est: *Verte impios, & non erunt.* CONVERSI namque impii non erunt, non quia omnino non erunt in essentia, sed scilicet non erunt impietatis culpa. Tunc ergo nosmetipsos relinquimus, tunc nosipsos abnegamus, cum mutamus quod per vetustatem fuimus: & ad hoc nitimur, quo per novitatem vocamur.

CAPUT XXXI.

Prov. 14. 3. *In ore stulti virga superbiæ.*

Num. 40. & 41. IN expos. B. Job, l. 24. adjunctum est *In ore stulti virga superbiæ.* QUIA videlicet percutere rigide scit, sed compati humiliter nescit. Solent etiam prædicatores justi, auditores suos objurgando corrigere, solent in eorum vitiis districtâ increpatione sævire. Unde scriptum est:
Eccles. 12. 11. *Verba sapientum quasi stimuli: & sicut clavi in altum defixi.*

CAPUT XXXII.

Prov. 14. 10. *Cor, quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio illius non miscebitur extraneus.*

Num. 3. & 4. IN expos. B. Job, l. 5. adjunctum est: *Cor, quod novit amaritudinem animæ suæ, &c.* IN amaritudine namque sunt corda reproborum, quia ipsis etiam pravis desideriis affliguntur; sed eamdem amaritudinem nesciunt, quia pensare quod tolerant, sponte sua excæcati, non possunt. At contra, cor bonorum amaritudinem suam novit: quia ærumnam exilii, in qua projectum laceratur, intelligit: & quam sint tranquilla, quæ perdidit; quam confusa, in quibus cecidit, sentit. Sed hoc amaricatum cor ad gaudium suum quandoque reducetur, atque in ejus gaudio extraneus non miscebitur: quia is, qui nunc [a] ab hoc mœrore cordis, foras se per desideria seculi ejicit, exclusus tunc ab illa intima ejus solemnitate remanebit. Hi itaque, qui in amaritudine animæ sunt, mori mundo funditus concupiscunt: ut, sicut in seculo ipsi nihil appetunt, ita jam a seculo nulla obligatione teneantur. Et plerumque contingit ut homo mundum mente non teneat, sed tamen mundus hominem occupationibus adstringat. Et ipse quidem mundo jam mortuus est, sed ipsi mundus adhuc mortuus non est. Quasi enim vivus adhuc mundus eum conspicit, dum alio intentum in suis actionibus rapere contendit.

a Utic. *ad hoc in errore cordis foris se ad desideria ejicit.*

CAPUT XXXIII.

Item unde supra.

IN expos. B. Job, l. 6. HUMANA etenim mens animæ suæ amaritudinem scit, cum æternæ patriæ desideriis accensa, peregrinationis suæ pœnam flendo cognoscit. Sed in ejus gaudio extraneus non miscebitur: quia qui nunc a mœrore compunctionis alienus est, tunc particeps ad lætitiam consolationis non est. Hinc est quod in Evangelio Veritas dicit: *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos; mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Num. 23. Joan. 16. 20.

CAPUT XXXIV.

Est via, quæ videtur hominibus recta: novissima autem ejus ducunt ad mortem. Prov. 14. 12.

IN expos. B. Job, l. 5. adjunctum est: *Est via, &c.* UNDE sancti viri, cum mala superant, sua etiam bene gesta formidant; ne, cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur: ne pestifera tabes putredinis, sub boni specie lateat coloris. Sciunt enim, quia corruptionis adhuc pondere gravati, dijudicare bona subtiliter nesciunt; & cum ante oculos extremi examinis regulam deducunt, hæc ipsa, in se nonnumquam, & quæ approbant, metuunt, & tota quidem mente interna desiderant, & tamen de incertitudine trepidi, quo gradiuntur, ignorant. Num. 12.

CAPUT XXXV.

Corona sapientium divitiæ, fatuitas stultorum imprudentia. Prov. 14. 24.

IN expos. B. Job, l. 22. adjunctum est: *Corona sapientium divitiæ, &c.* SI enim coronas sapientium, terra divitias diceret, proculdubio fatuitatem stultorum, paupertatem potius quam imprudentiam fateretur. Sed dum fatuitatem stultorum imprudentiam subdidit, sapientum divitias, quia prudentiam dixerit, indicavit. Has in se Paulus scientiæ divitias contemplatus, & contemplationem suam consideratione humanæ fragilitatis humilians, ait: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* 2. Cor. 4. 7. Multas itaque apud nos divitias reperimus, cum dona abundantis intelligentiæ sacra eloquia investigando percipimus, atque in his plura nec tamen sibimet diversa sentimus. Non est autem secura lætitia in divinis paginis vel fortia vel multa cognoscere, sed cognita custodire. Nam qui bene intelligit, qui intelligendo operari debeat, agnoscit. Quanto enim per intellectum latius extenditur, tantum ad explenda opera enixius ligatur. Num. 8.

CAPUT XXXVI.

In timore Domini fiducia fortitudinis. Prov. 14. 26.

IN expos. B. Job, l. 5. adjunctum est: *In timore Domini fiducia fortitudinis.* TIMORI quippe Domini inesse fiducia fortitudinis dicitur; quia nimirum mentes nostra tanto valentius terrores rerum temporalium despicit, quanto se auctori earum- Num. 33.

rumdem veracius per formidinem subdit. Quæ A in timore Domini constituta non invenit, extra quod metuat: quia dum, recto metu Conditori omnium jungitur, potestate quadam supra omnia sublevatur. Fortitudo autem nonnisi in adversitate ostenditur: unde & mox post fortitudinem patientiæ subrogatur. Tanto enim se quisque ad fortitudinem profecisse verius demonstrat, quanto aliena mala robustius tolerat. Nam minus in se convaluit, quem aliena iniquitas sternit. Qui in eo, quod ferre contrarietatem non valet, pusillanimitatis suæ gladio confossus jacet. Quia vero perfectio de patientia nascitur, statim post patientiam, vierum perfectio subinfertur. Ille enim vere perfectus est, qui erga imperfectionem proximi impatiens non est. Nam B qui alienam imperfectionem ferre non valens, patientiam deserit, ipse sibi testis est, quod perfecte necdum proficit. Hinc in Evangelio
Luc. 21. 19. Veritas dicit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

CAPUT XXXVII.

Pro. 14. 30. *Vita carnium sanitas cordis, putredo ossium invidia.*

IN expos. B. Job, l. 5. adjunctum est: *Vita carnium sanitas cordis, &c.* QUID enim per vitam carnis, nisi infirma quædam ac tenera; Num. 65. & quid per ossa, nisi fortia acta signantur? Plerumque contingit ut quidam cum vera cordis innocentia in nonnullis suis actibus infirmi videantur, quidam vero jam quædam ante humanos oculos robusta exerceant, sed tamen erga aliorum bona intus invidiæ pestilentia latenter tabescant. Bene ergo dicitur: *Vita carnium sanitas cordis*, quia si mentis innocentia custoditur, etiam si qua foris infirme sunt, quandoque roborantur. *Putredo ossium invidia*, quia per livoris vitium ante Dei oculos pereunt, etiam quæ humanis oculis fortia videntur. Ossa quippe per invidiam putrescere, est quædam etiam robusta deperire. a

Finis expositionis super Proverbia.

a Post hæc verba in ms. Vaticano multa sunt attexta ex his quæ loco assignato sequuntur, usque ad hæc: *Nihil est quod eius erga proximum caritati contradicat.*

CAPITULA LIB. DECIMI-TERTII.

IN CANTICA CANTICORUM.

LIBER DECIMUS-TERTIUS
DE TESTIMONIIS IN CANTICA CANTICORUM.

CAPUT PRIMUM.

Cant. 1. 1. *Osculetur me osculo oris sui.*

Num. 58. IN expos. B. Job, lib. 14 adjunctum est: *Osculetur me osculo oris sui*. SANCTA Ecclesia quot præcepta ex ejus prædicatione cognovit, quasi tot oris ejus oscula accepit. Osculum recte Conditoris sui desiderat, quæ se ei obsequi per amorem parat.

CAPUT II.

Cant. 1, 3. *Adolescentulæ dilexerunt te.*

Num. 8. IN expos. B. Job, l. 24. adjunctum est: *Adolescentulæ dilexerunt te*. SCRIPTURA sacra sæpe adolescentiam pro novitate vitæ ponere consuevit. Unde venienti Sponso dicitur: *Adolescentulæ dilexerunt te*, id est electorum animæ gratia baptismatis renovatæ: quæ non vitæ veteris usu deficiunt, sed novi hominis conversatione decorantur.

CAPUT III.

Cant. 1. 5. *Posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi.*

Num. 14. IN hom. 17. in Evang. adjunctum est: *Posuerunt me custodem in vineis*, &c. VINEÆ quippe, nostræ actiones sunt, quas usu quotidiani laboris excolimus. Sed custodes in vineis positi, nostram vineam minime custodimus, quia dum extraneis actionibus implicamur, ministerium actionis nostræ negligimus.

CAPUT IV.

Cant. 1. 6. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.*

Num. 17. IN hom. 33. in Evang. adjunctum est: *Indica mihi*, &c. CERVORUM quippe hinnulus, Dominus appellatur, juxta assumtam carnem; antiquorum filius patrum. Ferventior vero in meridie æstus ardescit, & umbrosum locum hinnulus quærit, quem æstus igne afficit. In illis ergo cordibus Dominus requiescit, quæ amor præsentis seculi non incendit, quæ carnis desideria non exurunt; quæ incensa suis anxietatibus in hujus mundi concupiscentiis non arescunt. Umbrosa ergo loca in meridie ad pascendum hinnulus quærit, quia talibus mentibus Dominus pascitur, quæ per respectum gratiæ temperatæ, corporalibus desideriis non uruntur.

CAPUT V.

Item unde supra.

Num. 79. IN expos. B. Job, l. 30. PASCITUR quippe Dominus, cum bonis nostris actibus delectatur. Cubat vero in meridie, cum ex desideriis carnalibus A ardenti corda reproborum, apud electorum suorum pectora refrigerium invenit cogitationis bonæ.

CAPUT VI.

Cant. 1. 7. *Nisi cognoveris te, o pulchra inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum, & pasce hædus tuos.*

Cap. 21. sub init. Bibl. l. 30. Num. 56. IN expos. B. Job, l. 16. adjunctum est: *Nisi cognoveris te, o pulchra inter mulieres*, &c. ID est, nisi honorem tuum, quo ad similitudinem Dei es condita, bene vivendo cognoveris, a conspectu meæ contemplationis egredere & imperitorum vitam imitare populorum. [a] Semetipsam namque B ea, quæ est inter mulieres pulchra, cognoscit, quando electa quæque anima etiam inter peccantes posita, quod ad Auctoris sui imaginem ac similitudinem sit condita, meminit; [illegible] perceptæ similitudinis ordinem incedit. Quæ si se non cognoscit, egreditur: quia a secreto sui cordis expulsa, in exterioribus concupiscentiis dissipatur. Egressa vero abit post vestigia gregum, quia sua interna deserens, ad latam videlicet viam ducitur, & sequitur exempla populorum. Nec jam agnos, sed hœdos pascit: quia non innoxias cogitationes mentis, sed nutrire pravos motus carnis intendit.

CAPUT VII.

C Cant. 1. 11. [a] *Donec Rex in recubitu suo est, nardus mea dedit odorem suum.*

Num. 43. IN expos. B. Job, l. 35. adjunctum est: *Donec Rex in recubitu suo est*, &c. AC si aperte dicat: Quousque meis obtutibus Rex apud se in requie secreti cælestis absconditur, electorum vita miris virtutum odoribus exercetur, ut quo adhuc eum quem appetit, non videt, ardentius per desiderium flagret. Rege quippe in recubitu suo posito, nardus odorem dat, dum quiescente in sua beatitudine Domino, Sanctorum virtus in Ecclesia magnæ nobis gratiam suavitatis administrat.

D

CAPUT VIII.

Cant. 2. 5. *Fulcite me floribus, & stipate me malis: quia amore langueo.*

Num. 9. IN comment. in Ezech. l. 2. hom. 3. adjunctum est: *Fulcite me floribus*, &c. QUID namque sunt flores, nisi animæ bonum jam opus inchoantes, & desiderium cæleste redolentes? Quid mala de floribus, nisi perfectæ jam bonorum mentes, quæ ad fructum perveniunt boni operis, de initio sanctæ propositionis? Quæ ergo amore languet, fulciri quærit floribus, stipari malis: quia si illum, quem desiderat videre, adhuc non permittitur, magna ei est consolatio, si de aliorum profectibus læte-E tur. Anima ergo sancto amore languida, floribus malisque fulciatur, ut requiescat in bono opere proximi, quæ adhuc contemplari non valet vultum Dei.

CA-

[a] Hic incipit caput in Michael.

CAPUT IX.

Cant. 2. 5. * juxta 70. Num. 42.

** Vulnerata caritate ergo sum.*

IN exposit. B. Job, lib. 6. adjunctum est: *Vulnerata caritate ego sum.* MALE enim sana anima, atque in hujus exilii cæca securitate prostrata, nec videbat Dominum, nec videri requirebat a Domino. Percussa autem caritatis ejus spiculis, vulneratur in intimis affectu pietatis, ardet desiderio contemplationis, & miro modo vivificatur ex vulnere, quæ prius mortua jacebat in salute. Æstuat, anhelat, etiam videre desiderat quem fugiebat. Percussione ergo ad salutem reducitur, quæ ad securitatem quietis intimæ, amoris B sui perturbatione revocatur. Sed cum sauciata mens anhelare in Deo cœperit, cum cuncta mundi hujus blandimenta despiciens, ad supernam patriam per desiderium tendit, ad tentationem ei protinus vertitur quidquid amicum prius in seculo, blandumque putabatur. Nam qui peccantem amare consueverant, recte viventem crudeliter impugnant; & rectus in Deo animus carnis suæ bella tolerat, in qua prius vitiis serviens delectabiliter jacebat. Voluptates priscæ ad memoriam redeunt, & contradicentem mentem gravi certamine affligunt. Sed dum transitorio labore atterimur, a perpetuo dolore liberamur.

CAPUT X.

Cant. 2. 6.

Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Cap. 26. Admon. 27. IN cod. Reg. Past. part. 3. adjunctum est: *Læva ejus sub capite meo, &c.* SINISTRAM Dei, prosperitatem videlicet vitæ præsentis, quasi sub capita posuis, quam intentione summi amoris premit. Dextera vero Dei eam amplectitur, quia sub æterna ejus beatitudine tota devotione continetur.

CAPUT XI.

Cant. 2. 8.

Ecce iste venit saliens in montibus, & transiliens colles.

Num. 10. IN expos. Evang. in hom. 29. adjunctum est: *Ecce venit saliens in montibus, &c.* CONSIDERAVIT namque tantorum operum culmina, & ait: *Ecce iste venit saliens in montibus.* Veniendo quippe ad redemtionem nostram, quosdam, ut ita dixerim, saltus dedit. De cœlo venit in uterum, de utero venit in præsepe, de præsepe venit in crucem, de cruce venit in sepulcrum, de sepulcro rediit in cælum. Ecce, ut nos post se currere faceret, quosdam pro nobis saltus manifestata per carnem Veritas dedit.

CAPUT XII.

Cant. 2. 9.

En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.

Num. 25. IN expos. Ezech. lib. 2. homil. 1. adjunctum est: *En ipse stat post parietem nostrum, &c.* QUI cum humanis oculis hoc, quod de mortali natura assumsit, ostendit, & in ipso invisibilis A permansit in aperto se videre quærentibus, quasi post parietem stetit: quia videndum se manifesta majestate non præbuit. Quasi enim post parietem stetit, qui humanitatis naturam, quam assumsit, ostendit, & divinitatis naturam humanis oculis occultavit. Unde & illic subditur: *Respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Quisquis enim per fenestras, vel per cancellos respicit, nec totus latet, nec totus videtur. Sic nimirum Redemtor noster ante dubitantium oculos factus est, quia si miracula faciens nil pertulisset, ut homo, plene cis apparuisset Deus: & rursum humana patiens, si nulla fecisset ut Deus, putaretur purus homo. Sed quia & divina fecit, & humana pertulit, quasi per fenestras, vel per cancellos ad homines prospexit, ut Deus appareret ex miraculis, & lateret ex passionibus; & homo cerneretur ex passionibus, sed tamen esse ultra homines ex miraculis agnosceretur.

CAPUT XIII.

Surge, propera, amica mea, formosa mea, & veni: jam enim hyems transiit, imber abiit, & recessit. Cant. 2. 10.

IN expos. B. Job, l. 27. adjunctum est: *Surge, propera, amica mea, &c.* TRANSEUNTE hyeme, imber recedit: quia cum vita præsens peragitur, in qua nos ignorantiæ nubilo carnis corruptibilis torpor adstrinxerat, omne ministerium prædicationis cessat. Clarius quippe per nos tunc videbimus hoc quod Sanctorum nunc vocibus obscurius audimus. Num. 41.

C

CAPUT XIV.

In lectulo meo per noctem quæsivi illum, & non inveni. Cant. 3. 1.

IN expos. B. Job, lib 8. adjunctum est: *In lectulo meo per noctem quæsivi illum &c.* IN lectulo quippe, & per noctem dilectus quæritur: quia nimirum invisibilis Conditoris species repressa omni corporeæ visionis imagine, in cubili cordis invenitur. Num. 41.

D

CAPUT XV.

Quæsivi illum, & non inveni. Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem: Num quem diligit anima mea vidistis? Cum paululum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea. Cant. 3. 1.

IN expos. Evang. hom. 25. adjunctum est: *Quæsivi illum, & non inveni, &c.* DILECTUM in lectulo quærimus, quando in præsentis vitæ aliquantula requie, Redemtoris nostri desiderio suspiramus. Per noctem quærimus: quia etsi jam in illo mens vigilat, tamen adhuc oculus caligat. E Sed qui dilectum suum non invenit, restat ut surgat, & civitatem circumeat, id est sanctam electorum Ecclesiam mente & inquisitione percurrat. Per vicos eum & in plateis quærat, id est per angusta & lata gradientes aspiciat, ut si qua invenire in eis valeat, ejus vestigia exquirat: quia sunt nonnulli etiam vitæ secularis, qui imitandum aliquid habeant de actione virtutis. Quærentes autem nos Num. 2.

T iij vigi-

* a Abest a Michael. in quo solo legimus Paterii lucubrationem in Cantica.

vigiles inveniunt, qui custodiunt civitatem: quia A sancti Patres, qui Ecclesiæ statum custodiunt, bonis nostris studiis occurrunt, ut suo vel verbo, vel scripto nos doceant. Quos cum paululum pertransimus, invenimus quem diligimus: quia Redemtor noster, etsi humilitate homo inter homines, divinitate tamen super homines fuit. Cum ergo transeuntur vigiles, dilectus invenitur: quia cum Prophetas & Apostolos infra ipsum esse conspicimus, illum qui natura Deus est, esse supra homines consideramus. Prius ergo non inveniendus quæritur, ut post inventus, strictius teneatur.

CAPUT XVI.

Item unde supra.

Num. 4. IN expos. B. Job, l. 27. DILECTUS in lectulo per noctes quæritur, quia intra secreta cordis cubilia, in tribulatione spiritus desideratur. Quem tamen quærens Sponsa non invenit: quia electa quæque anima jam quidem amoris ejus facibus flagrat, sed adhuc quæsiti negatur species, ut amantis desiderium crescat. Ex quasi in siti aqua subtrahitur, ut ejusdem sitis æstus augeatur: & quo hanc diutius sitiens desiderat, eo quandoque, cum invenerit, avidius sumat. Sed hanc quærentem vigiles inveniunt, eamque vulnerant, & ejus pallium tollunt: quia unamquamque animam Redemtoris sui jam speciem requirentem, cum solliciti doctores inveniunt, hanc per prædicationis verbum cœlestis amoris spiculis vulnerant. Et, si quod ei adhuc de vetusta conversatione tegmen inest, subtrahunt: ut quo exuta ab hujus mundi onere redditur, eo, is qui quæritur, ab illa citius inveniatur.

CAPUT XVII.

Item unde supra.

Num. 13. IN comment. Ezech. hom. 19. IN lectulo enim dilectum quærit, quando in ipso suo otio, & vacatione, quam appetit, jam videre anima Dominum concupiscit, jam ad eum exire desiderat, jam carnis præsentis vitæ tenebris anhelat. Sed quærit illum, & non invenit: quia quamvis magno amore desideret, adhuc tamen ei videre non conceditur, quem amat.

CAPUT XVIII.

Item unde supra.

Num. 6. IN expos. B. Job, l. 5. ABSCONDIT se Sponsus cum quæritur, ut non inventus ardentius quæratur, & differtur quærens Sponsa, ne inveniat, ut tarditate sua capacior reddita, multiplicius quandoque inveniat quod quærebat.

CAPUT XIX.

Item unde supra.

Num. 8. IN expos. B. Job, l. 18. QUOS vigiles qui civitatem custodiunt, nisi priores Patres vel Prophetas accipimus, qui studuerunt ad custodiam nostram sanctæ prædicationis voce vigilare? Sed cum Redemtorem suum Ecclesia quæreret, in ipsis antiquis prædicatoribus spem figere noluit, quæ dicit: A *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* Istum quippe invenire non potuisset, si istos pertransire noluisset. In istis se custodibus infideles fixerant, qui Christum Dei filium unum quemlibet esse illorum credebant. Voce igitur ac fide Patri inventos vigiles, sancta Ecclesia transiit, quæ Prophetarum Dominum unum quemlibet ex Prophetis credere contemsit.

CAPUT XX.

Item unde supra.

IN expos. B. Job, l. 27. PAULULUM *cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea:* Quia Num. 4.
B visionis ejus mens avida nisi Prophetarum æstimationem, nisi Patriarcharum celsitudinem, nisi cunctorum hominum mensuram transcenderet, eum qui est super homines, non inveniret. Transire ergo vigiles, est etiam eos quos miratur anima, in ejus comparatione postponere: & tunc is qui quærebatur, cernitur, si homo quidem, sed tamen extra mensuras hominum credatur.

CAPUT XXI.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii? Cant. 3. 6.

C IN expos. B. Job, l. 1. adjunctum est: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, &c.* SANCTA Ecclesia sicut fumi virgula ex aromatibus ascendit, quia ex vitæ suæ virtutibus in interni quotidie incensi rectitudinem proficit, nec sparsa per cogitationes defluit, sed sese intra arcana cordis in rigoris virga constringit. Quæ ea quæ agit, dum recogitare semper ac retractare non desinit, myrrham quidem & thus habet in opere, sed pulverem in cogitatione. Num. 54.

CAPUT XXII.

Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Cant. 3. 8.

IN exposit. B. Job, l. 19. adjunctum est: *Omnes tenentes gladios, &c.* QUID in divina Scriptura per gladium figuretur, Paulus aperuit, dicens: *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Salomon autem non ait: Omnes habentes gladios, sed tenentes: quia videlicet verbum Dei non est mirabile solummodo scire, sed facere. Habet quippe, sed non tenet gladium, qui divinum quidem eloquium novit, sed secundum illud vivere negligit: & doctus esse ad bella jam non [b] valet, qui spiritualem, quam habet, gladium minime exercet. Nam resistere tentationibus omnino non sufficit, qui hunc verbi Dei tenere gladium male vivendo postponit. Num. 36. D Ephes. 6. 17.

CAPUT XXIII.

Uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. [a] Cant. 3. 8.

E IN expos. B. Job, l. 20. adjunctum est: *Uniuscujusque ensis super femur suum, &c.* NOCTURNI quippe timores sunt insidiæ tentationis occultæ. Ensis autem super femur, est custodia vigilans, carnis illecebras premens. Ne ergo nocturnus timor, id est occulta & repentina tentatio subrepat, semper necesse est ut femur nostrum superposi- Num. 8.

a Non habetur in ms.

b Ita mss. Ed. valet.

positus custodiæ ensis premat. Sancti etenim viri sic de spe certi sunt, ut tamen semper sint de teotatione suspecti: quippe quibus dicitur: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Ps. 2. 11.

CAPUT XXIV.

Cant. 3. 9. & seq. *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum media caritate constravit propter filias Jerusalem.*

Num. 31. 14. & 15. IN commentario Ezech. lib. 2. hom. 3. adjunctum est: *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, &c.* NEQUE enim credendum est Salomonem tantæ magnitudinis regem, qui sic immensis divitiis affluebat ut pondus auri ejus æstimari non posset, & argentum in diebus illis pretium non haberet, quia ferculum sibi ligneum fecit. Sed est Salomon, videlicet pacificus noster, qui sibi de lignis Libani ferculum fecit. Libani quippe ligna cedrina, valde sunt imputribilia. Ferculum itaque regis nostri sancta Ecclesia est, quæ de sontibus patribus, id est de imputribilibus mentibus est constructa. Quæ recte ferculum dicitur: quia ipsa fert quotidie animas ad æternum convivium Conditoris sui. Cui ferculo columnæ argenteæ factæ sunt: quia prædicatores Ecclesiæ sanctæ, eloquii luce resplendent. Est autem cum columnis argenteis reclinatorium aureum: quia per hoc quod a sanctis prædicatoribus lucide dicitur, mentes audientium fulgorem claritatis animæ, in qua reclinentur, inveniunt. Per hoc enim quod luculente & aperte audiunt, in illud, quod clarescit, in corde requiescunt. Columnæ ejus argenteæ, & reclinatorium aureum factum est: quia per lucem sermonis invenitur apud animum claritas quietis. Illius jam quippe fulgor internus mentem irradiat, ut per intentionem ibi requiescat, ubi prædicationis gratia non quærebatur. Sed ad hoc, quod clarum intus ostenditur, qualis sit ascensus adjungit, cum de eodem ferculo protinus subdit: *Ascensum purpureum.* Vera quippe purpura, quia de sanguine tingitur, non immerito in colore sanguinis videtur: quia maxima multitudo fidelium in exordio nascentis Ecclesiæ per martyrii sanguinem pervenit ad regnum. Rex noster ascensum purpureum fecit in ferculo, quia ad clarum, quod intus aspicitur, per tribulationem sanguinis pervenitur. Quid ergo nos miseri, atque ab omni fortitudine destituti, quid acturi sumus? Ecce in hoc ferculo columnæ esse non possumus: quia in nobis nec fortitudo operis, nec lumen emicat prædicationis. Reclinatorium aureum non habemus, quia necdum sicut oportet, per intellectum, spiritualem requiem internæ claritatis aspicimus. Ascensus purpureus non sumus: quia pro Redemtore nostro fundere sanguinem non valemus. Quid ergo de nobis agendum est? quæ spes erit, si nullus ad regnum pervenit, nisi qui summis præditus virtutibus fuerit? Sed adest quoque nostra consolatio. Amemus, in quantum possumus, Deum; diligamus proximum, & simul quoque nos ad Dei ferculum sternimus: quia sicut illic scriptum est, *Media caritate constravit.* Habe quippe caritatem, & ibi sine dubio pertinges, ubi & columna argentea erigitur, & ascensus purpureus tenetur. Tamen quia hoc propter nostram infirmitatem dicitur, aperte monstratur, cum illic protinus subditur: *Propter filias Jerusalem.* Sermo etenim Dei, qui non filios, sed filias dicit, quid aliud per sexum femineum, quam mentium infirma signavit? Quod ergo illic inter columnas argenteas reclinatorium aureum, & ascensum purpureum inesse media caritas dicitur, propter filias Jerusalem, hoc hic inter thalamos per quinque cubitos designatur: quia & qui in virtutibus infirmantur, si ipsi bona quæ possunt facere cum caritate non negligunt, a Dei ædificio alieni non sunt.

CAPUT XXV.

Dentes tui sicut greges detonsarum ascendentium de lavacro. Cant. 4. 2.

IN expos. B. Job, l. 33. adjunctum est: *Dentes tui sicut greges, &c.* NON immerito Sancti detonsis ac lotis ovibus comparantur; quia innocuam vitam sumentes, in lavacro baptismatis, conversationis pristinæ vellera vetusta posuerunt. Num. 47.

CAPUT XXVI.

Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. Cant. 4. 3.

IN exposit. B. Job, lib. 2. adjunctum est: *Sicut vitta coccinea labia tua, &c.* VITTA quippe crines capitis adstringit. Labia ergo Sponsæ sicut vitta sunt: quia exhortatione sanctæ Ecclesiæ, cunctæ in auditorum mentibus diffusæ cogitationes ligantur; ne amissæ defluant, ne sese per illicita spargant, ne sparsæ cordis oculos deprimant, sed quasi ad unam se intentionem colligant, dum vitta eas sanctæ prædicationis ligat. Quam recte & coccineam asserit, quia Sanctorum prædicatio solo caritatis ardore flammescit. Quid vero per caput, nisi ea quæ principale uniuscujusque actionis est, mens ipsa signatur? ut & alias dicitur: *Et oleum de capite tuo non deficiat.* Oleum quippe in capite, est caritas in mente: & a capite oleum non deficit, cum caritas a mente non discedit. Num. 82. Eccl. 9. 8.

CAPUT XXVII.

Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis; donec aspiret dies, & inclinentur umbræ. Cant. 4. 5.

IN expos. B. Job, l. 24. adjunctum est: *Duo ubera tua sicut hinnuli capreæ gemelli, &c.* QUÆ sunt duo ubera, nisi ex Judæa & Gentilitate veniens uterque populus, qui in sanctæ Ecclesiæ corpore per intentionem sapientiæ arcano est cordis infixus? Ex quo populo hi, qui electi sunt, idcirco capreæ hinnulis comparantur, quia per humilitatem quidem parvos sese ac peccatores intelligunt, sed eis per caritatem currentibus, si qua obstacula de impedimento temporalitatis obviant, transeunt: & datis contemplationum saltibus, ad superna conscendunt: quia ut hæc agant, præcedentium Sanctorum exempla conspiciunt. Unde & in liliis pasci referuntur. Quid enim per lilia, nisi illorum vita declaratur, qui veraciter dicunt: *Christi bonus odor sumus Deo?* Electi ergo ut assequi summa prævaleant, conspecta odorifera & candida justorum vita satiantur. Jam quidem videre Dominum sitiunt, jam de ejus contemplatione satiari caritatis æstibus inardescunt. Sed Num. 57. 2. Cor. 2. 15.

quia

A quia in hac vita positi, needum valent, per præcedentium interim patrum exempla pascuntur. Unde & apte illic tempus de ipso liliorum pastu definitur, dum dicitur; *Donec aspiret dies, & inclinentur umbræ*. Tamdiu quippe refici justorum exemplis indigemus, donec præsentis mortalitatis umbras, æterno die aspirante, transeamus. Cum enim hujus temporalitatis umbra transacta hac mortalitate fuerit inclinata: quia ipsius diei internum lumen cernimus, nequaquam jam appetimus, ut ad amorem ejus per aliorum exempla flagremus. Nunc autem, quia needum eum intueri possumus, summopere necesse est, ut eorum, qui illum perfecte secuti sunt, conspectis actionibus incitemur. Intueamur ergo quam pulchra est agilitas sequentium, & videamus quam turpis hebetudo pigrorum. Statim namque ut beneagentium gesta respicimus, nosmetipsos, confusione intima ulciscente, judicamus. Mox verecundia mentem concutit, mox juste sæviens reatus addicit; & vehementer hoc etiam displicet, quod adhuc fortasse turpiter libet.

CAPUT XXVIII.

Cant. 4. 8. *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum.*

Num. 52. IN expos. B. Job, l. 17. adjunctum est: *Coronaberis de capite Amana, &c.* QUID aliud leonum nomine, quam dæmonia signantur, quæ ira C contra nos atrocissimæ crudelitatis insæviunt? quia & peccatores ad fidem vocati sunt, quorum corda leonum cubilia fuerunt, dum vicisse mortem Dominus eorum confessione creditur, quasi de leonum cubilibus coronatur. Remuneratio quippe victoriæ corona est. Toties ergo ei coronam fideles offerunt, quoties hunc vicisse mortem ex resurrectione confitentur.

CAPUT XXIX.

Cant. 4. 10. *Meliora ubera tua vino.*

Num. 48. IN expos. B. Job, l. 30. adjunctum est: *Meliora ubera tua vino*. UBERA sunt, quæ in arca pectoris fixa, lacte nos potant: quia Prædicatores arcanis summæ contemplationis inhærentes, subtili prædicatione nos nutriunt.

CAPUT XXX.

Cant. 4. 11. *Mel & lac sub lingua tua.*

Num. 13. IN expos. B. Job, l. 15. adjunctum est: *Mel & lac sub lingua tua*. SICUT plerique justorum, cum quosdam agere perverse conspiciunt qui duris sunt increpationibus feriendi, in lingua asperitatem sumunt, sed sub lingua mentis suæ benignitatem contegunt. Unde & sanctæ Ecclesiæ Sponsi voce dicitur: *Mel & lac sub lingua tua*. [a] Qui enim mentis suæ dulcedinem aperire infirmis nolunt, sed loquentes quadam eos asperitate feriunt, & tamen inter verba aspera quasi latenter quiddam dulcedinis intermittunt, hi videlicet non in lingua, sed sub lingua habent dulcedinem: quia inter dura, quæ proferunt, emittunt quædam blanda, & dulcia, quibus contristati mens possit ex benignitate refoveri. Ita perversi quippe, quia malum non in lingua, sed sub lingua habent, sermonibus dulcia prætendunt, & cogitationibus perversa moliuntur.

[b] CAPUT XXXI.

Surge Aquilo, & veni Auster: perfla hortum meum, & fluant aromata illius. Cant. 4. 16.

IN exposit. B. Job, lib. 9. adjunctum est: *Surge Aquilo, & veni, &c.* QUID nomine Austri, nisi fervor sancti Spiritus designatur? quo dum repletus quisque fuerit, ad amorem patriæ B spiritalis ignescit. Unde & Sponsi voce in canticorum Canticis dicitur: *Surge Aquilo, & veni Auster: perfla hortum meum, & fluant aromata illius*. Austro quippe veniente, Aquilo surgens recedit, cum adventu sancti Spiritus expulsus antiquus hostis, qui in corpore mentem constrinxerat, deserit. Atque hortum Sponsi Auster perflat, ut aromata defluant: quia nimirum, dum sanctam Ecclesiam donorum suorum virtutibus Spiritus veritatis impleverit, ab ea longe lateque odores boni operis spargit. Num. 17.

CAPUT XXXII.

[c] *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Cant. 5. 2.

DUm de somno tribus modis in Scriptura sacra accepto tractaretur, in exposit. B. Job, lib. 5. adjunctum est: *Ego dormio, &c.* SCIENDUM est, quod in sacra Scriptura tribus modis somnus accipitur. Aliquando somno mors carnis, aliquando torpor negligentiæ, aliquando calcatis terrenis desideriis quies vitæ exprimitur. Somni namque vel dormitionis nomine, carnis mors intimatur, sicut Paulus ait: *Nolo vos ignorare, fratres, de dormientibus*. Et paulo post: *Ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo*. Somno rursus torpor negligentiæ designatur, sicut ab eodem Paulo dicitur: *Hora est jam nos de somno surgere*. Et rursum: *Evigilate justi, & nolite* D *peccare*. Somno quoque calcatis carnis desideriis, vitæ quies figuratur, sicut Sponsæ voce in Canticis canticorum dicitur: *Ego dormio, et cor meum vigilat*: quia videlicet sancta mens quo se a strepitu temporalis concupiscentiæ comprimit, eo verius interna cognoscit: & tanto alacrius ad intima vigilat, quanto se ab exteriori inquietudine occultat. Num. 54. 1. Thess. 4. 12. Rom. 13. 11. 1. Cor. 15. 34.

[d] CAPUT XXXIII.

Item unde supra.

IN expos. B. Job, l. 23. QUI exterioribus officiis inoffense deserviunt, & ad secreta cordis E currere incessabiliter curant, vocem Dei quasi per somnium audiunt, dum in meditatione mentis a carnalibus motibus abstrahuntur. Hinc est quod Sponsa in Canticis canticorum ait: *Ego dormio, et cor meum vigilat*. Ac si diceret: Dum exteriores sensus ab hujus vitæ sollicitudinibus sopio, vacante mente vivacius interna cognosco. Foris dor- Num.

a Ad hæc verba incipit caput in ms.
b Caput hoc longe prolixius est in ms.
c In ms. versus hujus explicatio desumitur ex hom. 14. in Ezech. *vigilanti corde dormit*. &c. usque ad verba: & *post ad visionis ejus gloriam pertingat*.
d Caput hoc cum plerisque sequentibus deest in ms. ubi quatuor duntaxat supersunt capita.

dormio, sed intus cor vigilat: quia dum exteriora quasi non sentio, interiora solerter apprehendo.

CAPUT XXXIV.

Cant. 5.4. *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum ejus.*

Num. 10. IN comment. Ezech. lib. 2. hom. 7. adjunctum est: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, &c.* DILECTUS manum per foramen mittit, quando virtute sua Dominus nostrum animum per subtilem intellectum pulsat. Et venter in tactu illius contremiscit: quia infirmitas nostra per hoc, quod cælestis gaudii intellectu tangitur, ipsa exultatione turbatur: & fit in mente pavor cum lætitia: & si jam sentit quid de cælesti gaudio diligat, adhuc metuit [a] ne non percipiat quod vix tenuiter sentit. Quid igitur restat, nisi ut se ad perfectioris vitæ cursum dirigant omnes, qui illa gaudia patriæ cælestis agnoscunt?

CAPUT XXXV.

Cant. 5.6. *Anima mea liquefacta est.*

Num. 2. IN expos. Ev. hom. 25. adjunctum est: *Anima mea liquefacta est.* MENS namque hominis, Conditoris sui speciem non quærentis male dura est, quia in semetipsa remanet frigida: at si ardere jam ex desiderio cœperit, ad sequendum quem diligit liquefacta per ignem amoris currit.

CAPUT XXXVI.

Cant. 5.11. *Caput ejus aurum optimum.*

Num. 26. IN expos. B. Job, l. 34. adjunctus est: *Caput ejus aurum optimum.* AURI appellatione in sacro eloquio aliquando divinitatis claritas, aliquando splendor supernæ civitatis, aliquando claritas, aliquando nitor gloriæ secularis, aliquando pulchritudo sanctitatis accipitur. Auri enim nomine, ipsa intima divinitatis claritas designatur, sicut in canticorum Canticis Sponsi species describitur: *Caput ejus aurum optimum*: quia caput Christi Deus, nil vero est in metallis auro fulgentius. Sponsi caput aurum dicitur, quia ejus humanitas ex divinitatis suæ nobis claritate principatur. Rursum auri nomine splendor supernæ civitatis accipitur, sicut hanc Johannes se vidisse testatur, dicens: *Ipsa civitas aurum mundum simile vitro mundo.* Aurum namque ex quo illa civitas constat, simile vitro dicitur: ut & per aurum clara, & per vitrum perspicua designetur. Rursusque auri nomine caritas intimatur, sicut Angelum, quem sibi loqui idem Johannes aspexit, ad mamillas zona aurea cinctum vidit: quia nimirum supernorum civium pectora dum pœnali jam nequaquam timori subjecta sunt, atque a se vicissim nulla scissione solvuntur, ex sola se caritate constringunt. Zonam vero auream circa mamillas habere, ast cunctos mutabilium cogitationum motus per solius jam amoris vinculum restringere. Rursus auri nomine nitor gloriæ temporalis exprimitur, sicut per Prophetam dicitur: *Calix aureus Babylon.* Quid enim Babylonis nomine, nisi hujus mundi gloria designatur? quæ calix aureus dicitur: quia dum pulchra esse temporalia ostentat, stultas mentes in sua concupiscentia debriat, ut speciosa temporalia appetant, & invisibilia pulchra contemnant. Hoc aureo calice prima sponte sua Eva debriata est: de qua historiæ Veritas dicit: *Quia cum vetitum lignum concupisceret, vidit quod esset pulchrum visu, aspectuque delectabile, & comedit.* Aureus ergo Babylon calix est, quia dum visum exterioris pulchritudinis ostendit, sensum internæ rectitudinis subtrahit. Rursum auri nomine splendor sanctitatis accipitur. Sicut Judaicum populum a splendore justitiæ ad nequitiæ tenebras commutatum Jeremias deplorat, dicens: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* Sicut enim superius diximus, aurum obscuratur, cum consequentibus iniquitatum tenebris, justitiæ pulchritudo deseritur: color optimus mutatur, cum splendor innocentiæ in fœditatem vertitur culpæ.

(Margin: Apoc. 21.21. — Apoc. 1. — Jerem. 51.7. — Gen. 3.6. — Thren. 4.1.)

CAPUT XXXVII.

Cant. 6.3. *Pulchra es amica mea, suavis, & decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.*

Num. 6. 7. IN commentario Ezech. hom. 8. adjunctum est: *Pulchra es amica mea, &c.* QUIA Jerusalem pacis visio interpretatur, cujus nomine patria cælestis exprimitur, sancta Ecclesia suavis & decora ut Jerusalem dicitur: quia ejus vita & desiderium visioni jam pacis intimæ comparatur; ut in eo, quod auctorem suum diligit, quod ejus speciem videre concupiscit, de quo scriptum est: *In quem desiderant Angeli prospicere*: per ipsa jam amoris sui desideria Angelis similis dicitur. Quæ quantum Deo amabilis efficitur, tanto agitur ut malignis spiritibus terribilis fiat. Qualiter autem sit terribilis subjuncta comparatione ostenditur, id est ut castrorum acies ordinata. Quid est quod sancta Ecclesia ab hostibus suis, ut castrorum acies, sit timenda? non enim a magno intellectu vacat ista comparatio, & idcirco est subtiliter intuenda. Scimus enim & constat, quia castrorum acies tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit constipata atque densata, ut in nullo loco interrupta videatur: nam si ita disponitur, ut locus vacuus, per quem hostis possit ingredi, dimittatur, profecto jam suis hostibus terribilis non est. Et nos ergo cum contra malignos spiritus, spiritualis certaminis aciem ponimus, summopere necesse est ut per caritatem semper uniti atque constricti, numquam interrupti per discordiam inveniamur: quia quælibet bona in nobis opera fuerint, si caritas desit, per malum discordiæ locus aperitur in acie, unde ad feriendos nos hostis valeat intrare. [b] Antiquus vero inimicus castitatem in nobis, si sine caritate fuerit, non timet: quia ipse nec carne premitur, ut in ejus luxuria dissolvatur. Abstinentiam non timet: quia ipse cibo non utitur, quia necessitate corporis non urgetur. Distributionem terrenarum rerum non timet, si eidem operi caritas desit, quia divitiarum subsidiis nec ipse eget. Valde autem in nobis caritatem veram, id est amorem humilem, quem nobis vicissim impendimus, timet, & nimis concordiæ nostræ invidet; quia hanc nos tenemus in terra, quam

(Margin: 1. Petr. 1.12.)

a Editi, ne non percipiat; gravi errore quem alias emendavimus: occurrit enim hom. 19. seu lib. 1. hom. 7. in ed. Vatic. Guss. &c. MSS. codices vero habent sentiat, aut percipiat; quod hic lego in cod. Michael.

b Hic absolvitur hoc caput, & prima pars expositionis Paterii in cod. Michael.

quam ipse tenere nolens amisit in cælo. Bene ergo dicitur: *Terribilis ut castrorum acies ordinata*: quia electorum multitudinem eo maligni spiritus pertimescunt, quo eos per caritatis concordiam munitos contra se & conglobatos aspiciunt.

CAPUT XVXVIII.

Cant. 6. 8. *Sicut cortex mali punici genæ tuæ absque occultis tuis.*

Num. 8. IN commentario Ezech. lib. 2. hom. 4. adjunctum est: *Sicut cortex mali punici genæ tuæ absque occultis tuis*. GENÆ quippe sunt sanctæ Ecclesiæ spirituales patres: qui nunc in ea miraculis coruscant, & velut in ejus facie venerabiles apparent. Cum enim videmus multos mira agere, ventura prophetare, mundum perfecte relinquere, cælestibus desideriis ardere, sicut cortex mali punici sanctæ genæ rubent.

CAPUT XXXIX.

Cant. 6. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?*

Num. 19. IN expos. B. Job, l. 4. adjunctum est: *Quæ est ista, &c.* AURORA Ecclesia dicitur, quæ a peccatorum suorum tenebris ad lucem justitiæ permutatur. Unde hanc Sponsus in canticorum Canticis miratur, dicens: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Quasi aurora quippe electorum surgit Ecclesia, quæ pravitatis pristinæ tenebras deserit, & sese in novi luminis fulgorem convertit. In illa igitur luce quæ in districti judicis adventu monstratur, corpus damnati hostis ortum surgentis auroræ non videt: quia cum districtus judex ad retributionem venerit, iniquus quisque suorum caligine meritorum pressus, quanta claritate sancta Ecclesia in intimum lumen cordis surgat, ignorat. Tunc namque electorum mens in altum rapitur ut divinitatis radiis illustretur: & quo ejus respectu perfunditur, eo ultra se, gratia coruscante, sublevatur. Tunc sancta Ecclesia plena aurora fit, cum mortalitatis atque ignorantiæ tenebras funditus amittit. In judicio ergo adhuc aurora est, sed in regno dies: quia etsi jam cum restauratione corporum lumen videre in judicio inchoat, ejus tamen visum plenius in regno consummat. Ortus itaque auroræ, est exordium clarescentis Ecclesiæ; quem videre nequeunt reprobi: quia a conspectu districti judicis, malorum suorum pondere pressi, ad tenebras pertrahuntur.

CAPUT XL.

Item unde supra.

Num. 2. 3. IN expos. B. Job, l. 29. SANCTA Ecclesia cælestis vitæ præmia appetens, aurora vocata est: quia dum peccatorum tenebras deserit, justitiæ luce fulgescit. Habemus tamen subtilius aliquid, quod considerata qualitate diluculi vel auroræ, pensemus. Aurora namque vel diluculum noctem præteriisse nuntiant, nec tamen diei claritatem integram ostentant: sed dum illam pellunt, hanc suscipiunt, lucem tenebris mixtam tenent. Quid itaque in hac vita omnes, qui veritatem sequimur, nisi aurora vel diluculum sumus? Quia & quædam jam, quæ lucis sunt agimus; & tamen in quibusdam, adhuc tenebrarum reliquiis non caremus.

CAPUT XLI.

Nasus tuus sicut turris, quæ est in Libano. Cant. 7. 4.

IN expos. B. Job, l. 31. adjunctum est: *Nasus tuus sicut turris, &c.* QUID per nasum, nisi provida Sanctorum discretio designatur? Turris vero speculationis in altum ponitur, ut hostis veniens a longe videatur. Recte ergo nasus Ecclesiæ turri in Libano similis dicitur: quia Sanctorum provida discretio, dum sollicite circumquaque conspicit, in altum posita, priusquam veniat culpa, deprehendit; eamque quo vigilantius prænotat, eo fortius declinat. Num. 85.

CAPUT XLII.

Item unde supra.

IN commentario Ezech. hom. 11. QUID per nasum, nisi speculatorum discretio designatur? Num. 7. Qui nimirum nasus, & sicut turris esse, & Libani dicitur: quia videlicet præpositorum discretio, & munita semper debet esse ex circumspectione, & in altitudine vitæ consistere, id est in valle infirmi operis non jacere. Sicut enim turris in monte idcirco ad speculandum ponitur, ut hostes, qui veniunt, longius videantur: sic prædicatoris vita semper in alto debet fixa permanere, ut more narium discernat fœtores vitiorum, odoresque virtutum; occursus malignorum spirituum longe prospiciat, & commissas sibi animas per suam prudentiam cautas reddat.

CAPUT XLIII.

Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt. Cant. 7. 3.

IN exposit. B. Job, lib. 12. adjunctum est: *Mane surgamus ad vineas, &c.* FLORENT quippe vineæ, cum mentes fidelium bona opera proponunt; sed fructus non pariunt, si ab eo quod proposuerint, aliquibus victi erroribus infirmantur. Non ergo intuendum est si vineæ floreant, sed si flores ad partum fructuum convalescant: quia mirum non est si quis bona inchoet, sed valde mirabile est, si intentione recta in bono opere perduret. Unde fit plerumque ut si in bono opere recta intentio non teneatur, etiam ipsum hoc opus quod bonum creditur, amittatur. Num. 60. 61

CAPUT XLIV.

Quæ est ista, quæ ascendit dealbata. Cant. 8.

IN expos. B. Job, l. 18. adjunctum est: *Quæ est ista, &c.* QUIA, enim sancta Ecclesia cælestem vitam naturaliter non habet, sed supervenientè spiritu, pulchritudine donorum componitur, non alba, sed dealbata memoratur. Num. 27.

CAPUT XLV.

Pone me sicut signaculum super cor tuum. Cant. 8. 6.

IN expos. B. Job, l. 29. adjunctum est: *Pone me sicut* Num. 12.

sicut signaculum super cor tuum. IDCIRCO namque A signaculum rebus ponitur, ne qua diripientium præsumtione temerentur. Sponsus ergo in corde signaculum ponitur, quando fidei ejus mysterium in custodia nostræ cogitationis imprimitur; ut ille infidelis servus, nimirum noster adversarius, cum signata corda considerat, tentando ea irrumpere non præsumat.

CAPUT XLVI.

Cant. 8. 6. *Fortis est ut mors dilectio.*

Num. 6. IN exposit. Evang. hom. 11. adjunctum est: *Fortis est ut mors dilectio.* SICUT mors corpus interimit, sic ab amore rerum corporalium æternæ vitæ caritas occidit. Nam quem perfecte absorbuerit, ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit.

CAPUT XLVII.

Cant. 8. 8. *Soror nostra parvula est; et ubera non habet.*

Num. 19. IN exposit. B. Job, l. 19. adjunctum est: *Soror nostra parvula est, etc.* SANCTA Ecclesia priusquam proficeret per incrementa virtutis, infirmis quibusque auditoribus præbere non potuit ubera prædicationis. Adulta vero Ecclesia dicitur, quando Dei verbo copulata, sancto repleta Spiritu, per prædicationis ministerium in filiorum conceptione [a] fecundatur, & quos exhortando parturit, convertendo parit.

a In Moralibus legitur, ex mss. feratur.

CAPUT XLVIII.

Cant. 8. 13. *Quæ habitas in hortis amici, ausculta, fac me audire vocem tuam.*

Num. 4. IN comment. Ezech. hom. 14. adjunctum est: *Quæ habitas in hortis amici, etc.* IN hortis enim unaquæque anima habitat, quæ etiam viriditate spei est, & bonorum operum repleta. Sicca quippe spes est hujus seculi: quia omnia, quæ hic amantur, B cum festinatione marcescunt. Et Petrus nos Apostolus festinare admonet, dicens: *In hereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcessibilem.* 1. Petr. 1. 4. Quæ ergo jam in hortis habitat, oportet ut Sponsum suum vocem suam audire faciat, id est canticum bonæ prædicationis emittat, in qua ille delectetur quem desiderat. Quia amici auscultant, videlicet omnes electi, qui ut ad cælestem patriam reviviscant, verba vitæ audire desiderant.

CAPUT XLIX.

C

Cant. 8. 14. *Fuge, dilecte mi, fuge.*

Num. 19. IN expos. B. Job, lib. 17. adjunctum est: *Fuge, dilecte mi, fuge.* FUGIT nos, dicimus, quoties id, quod reminisci volumus, memoria non tenemus. Sancta ergo Ecclesia postquam mortem ac resurrectionem Domini, ascensionemque describit, clamat ei prophetico plena spiritu: *Fuge, dilecte mi, fuge.* Ac si diceret: Tu, qui ex D carne comprehensibilis factus es, divinitate tua intelligentiam nostri sensus excede, & in teipso nobis incomprehensibilis permane.

Finis expositionis super Cantica canticorum et primæ partis in vetus Testamentum.

SANCTI PATERII

DE EXPOSITIONE VETERIS TESTAMENTI

PARS SECUNDA.

LIBER PRIMUS.

EXCEPTIONES EX OPUSCULIS B. GREGORII PAPÆ in subjectis capitulis libri Sapientiæ.

1 *DEus tentavit illos, et invenit illos dignos se.*
2 *Fulgebunt justi, et tamquam scintillæ in arundineto discurrent.*
3 *Pugnabit pro eis orbis terrarum contra insensatos.*
4 *In viis ostendit illis se hilariter, et in omni providentia occurrit illis.*
E
5 *Mihi autem det Deus hæc dicere ex sententia.*
6 *Quod in sapientia sit spiritus stabilis et mobilis.*
7 *Cum sis justus, juste omnia disponis.*
8 *Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore.*
9 *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis.*

CAPUT PRIMUM.

De tentationibus vitiorum sive flagellorum.

Moral. in Job. lib. 29. c. 25. & 26. à n. 52. ad n. 53. IDCIRCO moderamine occultæ dispensationis ita tentari permittimur, ut qui ex divino munimine in virtute proficimus, ex infirmitatis nostræ memoria etiam quid sumus ex propria infirmitate memoremur: & qui ex perceptione muneris opera virtutis inferimus, ex infirmitatis nostræ memoria sacrificium humilitatis offeramus. Aliquando autem post profectum virium, non solum tentant vitia, sed etiam flagella castigant. Cum autem tentamur vitiis, pia dispensatione nobiscum agitur, ne his virtutibus quibus proficimus extollamur. Cum vero flagellis atterimur, malis increpantibus

admonemur, ne mundo blandiente seducamur. Vitia dum nos tentant, proficientes in nos virtutes humiliant. Flagella dum tentant, surgentes in corde hujus mundi voluptates eradicant. Per tentantia vitia discimus quid de nobis simus; per ferientia flagella cognoscimus quid de hoc mundo fugiamus; per illa restringimur ne intrinsecus extollamur, per ista comprimimur ne quid extrinsecus appetamus. In hac ergo vita dum sumus, & flagellis atteri, & aliquando vitiis tentari necesse est; sive enim in laboribus flagellorum, seu in certaminibus vitiorum, non solum nobis nostra infirmitas innotescit, sed etiam in quanta virtute profecerimus, agnoscimus. Nemo quippe vires suas in pace agnoscit; si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt. Improvidus miles est qui fortem se in pace gloriatur. Sæpe virium merita per flagellorum patefiunt adversa, quia dum flagellis arguentibus carnalis delectatio extenuatur, ea quæ quasi sub carne latuerant virtutum fortia patefiunt. Nemo quippe quantum profecerit, nisi inter adversa cognoscit. Cum enim adsunt prospera, cerni virium documenta non possunt. Unde alias scriptum est: *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte declaravit*; quia videlicet unusquisque superni doni gratiam in tranquillitate quietis percipit, sed quantum perceperit in adversitate perturbationis ostendit. Feriamur ergo paternis correptionibus, ut quantum proficimus agnoscamus. Flagellis enim Domini carnalis atteritur delectatio, & virtutum nostrarum [a] aperitur fortitudo. Decus nostrum exterius ipsa mundi hujus adversitate fœdatur; sed quid in nobis latebat intrinsecus ostenditur. Cæsis namque Apostolis denuntiatum est ne ultra loquerentur in nomine * Domini, sed magna exultatione gavisi sunt quod digni habiti sint pro ejus nomine contumelias pati; susque adversariis cum fiducia responderunt: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*. Ecce inter adversa validius virtutum fideique robur emicuit; Hinc de eis dicitur: *Deus tentavit illos, et invenit illos dignos se*. Tentati sunt quippe adversitate plagarum; sed digni inventi sunt * ostensione virtutum. Vires ergo uniuscujusque per adversa patefiunt; & dum quod infirmum est flagellis atteritur, per hoc quod in nobis validum latet, aperitur. In ipsa quippe adversitate tentationis non solum detegitur robur fortitudinis; sed etiam cognoscitur infirmitas humanitatis; & tentatus quisque ostendit quantum de Deo profecerit, & in ipsis flagellorum afflictionibus * quantum de semetipso sit infirmus, cognoscit.

Psal. 41. 9. — Act. 5. — * Jesu. — Ibid. v. 29. — Sap. 3. 5. — * nudatione ostensionis. — * etiam.

CAPUT II.

Quod Sancti peccatores exemplo suo convertant.

FULGEBUNT *justi, et tamquam scintillæ in arundineto discurrent*. Arundinetum appellat vitam secularium, qui more arundinum per temporalem gloriam foris quasi ad alta proficiunt; sed intus a soliditate inanescunt veritatis. Sancti autem viri dum peccatoribus permiscentur, eos exemplorum suorum igne succendunt, atque omne quod nitent, in cinerem redigunt; quia pietatis flamma consumti, dum infirmitatem conditionis suæ conspiciunt, nihil aliud quam favillam se esse cognoscunt; ut a superbiæ suæ duritia resoluti, per pœnitentiam dicant: *Memento, Domine, quia pulvis sumus*.

Sap. 3. 7. Moral. lib. 18 c. 3. n. 7. — Ibid. l. 24. c. 11. n. 49. — Ps. 102. 15.

CAPUT III.

Quod pro peccatis nostris ab insensibilibus flagellamur.

PER occulta mentium merita & aperta prodeunt flagella pœnarum, & sensus nostri malitia exigit ut a rebus insensibilibus * feriamur. Ecce enim cernimus quod ad correptionem nostram expectatus imber ab arente terra suspenditur, & caliginosus aer in ardescente sole siccatur. Mare procellis tumescentibus sævit, & alios ad transmeandum susceptos intercipit; aliis desideratum iter erecta in * tumulum unda contradicit. Terra non solum germina fecunditatis imminuit, sed etiam semina accepta consumit. In quibus nimirum cunctis patenter aspicitur hoc quod de Domino dicitur: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos*. Orbis quippe terrarum cum Domino contra insensatos pugnat, cum in pœna delinquentium, & elementorum adversitas militat. * Omnia namque quæ ad usum vitæ percipimus, ad usum culpæ convertimus; sed cuncta quæ ad usum pravitatis inflexlmus, ad usum nobis vertuntur ultionis. Tranquillitatem quippe humanæ pacis ad usum vertimus vanæ securitatis. Peregrinationem terræ pro habitatione dileximus patriæ, salutem corporum in usum redegimus vitiorum, ubertatis abundantiam, non ad necessitatem carnis, sed ad perversitatem intorsimus voluptatis. Ipsa serena blandimenta aeris ad amorem nobis servire coegimus terrenæ delectationis. Jure igitur restat ut simul nos omnia feriant, * quia simul omnia vitiis nostris male subacta serviebant; ut quot prius in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de * ipsis cogamur postmodum sentire tormenta.

Moral. lib. 6. c. 12. n. 14. — * feriatur. — * cumulum. — Sap. 5. 21. — * cum. — * Hom. 35. in Evang. n. 1. — * quæ. — * ipso.

CAPUT IV.

Quod per visibilia cognoscitur Deus.

SI vigilanter exteriora conspicimus, per ipsa eadem ad interiora revocamur. Vestigia quippe Creatoris nostri, sunt mira opera visibilis creaturæ. Ipsum namque adhuc videre non possumus, sed jam ad ejus visionem tendimus; si eum in his quæ fecit miramur. Ejus * vero vestigia creaturam dicimus, quia per hæc quæ ab ipso sunt, sequendo imus ad ipsum. Unde Paulus ait: *Invisibilia ejus per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas*. Unde & in libro Sapientiæ scriptum est: *Per magnitudinem enim creaturæ et speciem, potest intelligibiliter Creator videri*. Menti enim nostræ peccato suo exterius sparsæ necdum Deus sicut est interius innotescit, sed dum facturæ suæ decus foras proponit, quasi quibusdam nobis nutibus innuit, & quæ intus sequamur ostendit; at miro modo istis formis exterioribus nos ad interiora perducit. Innuit immensa admiratione quod est; mira hæc exterius ostendendo * quod non est. Hinc enim de Sapientia scriptum est: *In viis ostendit se illis hilariter, et in omni providentia occurrit illis*. Viæ quippe ad Creatorem sunt opera considerata creaturæ: quæ dum facta cernimus, potentiam factoris miramur. In istis viis a Sapientia omni providentia nobis occurritur, quia factoris nobis virtus inquirenda proponitur,

Moral. lib 26 c. 12. n. 17. — * ergo. — Rom. 1. 20. — Sap. 13 5. — * quæ. — Sap. 6. 17.

a Apud S. Gregorium *offertur virtus*. Deinceps ad marginem retinuimus variantes has lectiones.

tur, in omne quod mirabiliter factum videtur: & *quo sese vertit anima si vigilanter intendit, in iisdem ipsis Deum invenit, per quæ reliquit ejus potentiam. Ex eorum rursus consideratione cognoscit quorum amore deservit: & per quæ perversa cecidit, per hæc conversa revocatur. Ubi enim lapsi sumus, ibi incumbimus ut surgamus; & quasi ibi surgendo manum considerationis figimus, ubi pede amoris lubrici corruentes negligendo jacebamus. Quia enim ab invisibilibus per visibilia cecidimus, dignum est ut ad invisibilia ipsis rursum invisibilibus innitamur: ut quo casu anima venit ad infima, eo gradu revertatur ad summa; atque eisdem quibus corruit passibus surgat, dum, sicut dictum est, ita nos ad Deum bene considerata revocent, quæ nos ab eo male electa diviserunt.

* quocumque.

CAPUT V.

De arrogantibus.

Moral. lib. 23. c. 17. n. 31

ARROGANTES etsi secreta quædam intelligendo percipiunt, eorum dulcedinem experiri non possunt; & si noverint quomodo sunt, ignorant quomodo sapiunt. Et fit plerumque ut fortiter dicant, sed tamen juxta ea quæ dicunt vivere nesciant. Unde bene quidam Sapiens dicit: *Mihi autem det Deus hæc dicere ex sententia.* Sententia quippe a sensu vocata est; & recta quæ intelligit, non ex sola scientia, sed etiam ex sententia dicere appetit, qui nequaquam tantummodo sciendo dicere, sed sentiendo desiderat experiri quod dicit. Sed mens arrogantium dictorum suorum sensum non penetrat, quia ab interno gustu recto judicio in eos favores reliditur, quos foris amat. Vera autem scientia afficit, non extollit; nec superbientes quos impleverit, sed lamentantes facit.

Sap. 7. 15.

CAPUT VI.

Quomodo Spiritus sanctus sit mobilis & stabilis.

Lib. 2. hom. 5. in Ezech. n. 9.

SPIRITUS sanctus Deus ante secula patri est & filio coæternus, & cuncta intra ipsum sunt; & locus nusquam est ubi non sit, sicut scriptum est: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Et tamen cum laus Sapientiæ describeretur: *Est enim in illa spiritus intellectus, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, mobilis.* Et paulo post: *humanus, stabilis.* In quibus verbis magna nobis quæstio oritur, cur iste spiritus qui implet omnia, simul * stabilis & mobilis dicatur. Sed si ad usum consuetudinis humanæ recurrimus, usum citius loquentis invenimus. Homo quippe qui in ea regione in qua est ubique discurrit, proculdubio ubique obviam venit, & repente ubi non creditur, invenitur. Omnipotens ergo spiritus ut ubique præsens signaretur, simul & stabilis & mobilis dicitur. Stabilis, quia per naturam omnia continet; mobilis autem dicitur, quia ubique etiam nescientibus occurrit. Tenens ergo omnia, stabilis: præsentem se omnibus exhibens, mobilis appellatur.

Sap. 1. 7. Ibid. 7. 22. Vers. 23.

* mobilis & stabilis.

CAPUT VII.

Cur Deus filium suum absque peccato flagellari permiserit.

Moral. lib. 3. c. 14. n. 26.

MEDIATOR Dei & hominum homo Christus Jesus, ut culpas nostræ transgressionis extingueret, venit mortalitatis nostræ flagella tolerare: & qui patri æqualis est per divinitatem, venit propter nos ad flagella per carnem: *quia nimirum flagella non susciperet, nisi formam damnati hominis redimendo sumsisset: nisi primus homo delinqueret, secundus ad passionum probra minime veniret. Nisi enim Adam primum diabolus per voluntarium vitium in animæ mortem traxisset, Adam secundus sine vitio in carnis mortem voluntariam non veniret. Frustra itaque afflictus est, qui carne natus, propria admissa non habuit, & tamen pœnam carnalium sine culpa suscepit. Hinc est enim quod per Prophetam loquitur, dicens: *Quæ non rapui, tunc exsolvebam.* Alius namque ad paradisum conditus, divinæ potentiæ similitudinem superbe rapere voluit: sed tamen culpas hujus superbiæ sine culpa Mediator exsolvit. Hinc est quod patri quidam Sapiens dicit: *Cum sis justus, juste omnia disponis: eum quoque qui non debet puniri condemnas.* Sed pensandum est quomodo justus sit & omnia juste disponat, si eum qui non debet puniri condemnat. Mediator etenim noster pro semetipso puniri non debuit, quia nullum culpæ contagium perpetravit: sed si ipse indebitam non susciperet, nunquam nos a debita morte liberaret. Patet ergo cum justus sit, justum puniens, juste omnia disponit; quia per hoc cuncta justificat, quod eum qui sine peccato est pro peccatoribus damnat: ut eo electa omnia ad culmen justitiæ surgerent, quo is qui est super omnia, damna injustitiæ nostræ sustineret. Qui juxta semetipsum frustra afflictus est, juxta vero nostra acta, non frustra: rubigo quippe vitii purgari non potuit, nisi igne tormenti. Venit itaque sine vitio, qui se subjiceret sponte tormento; ut debita nostræ iniquitatis supplicia eo reos suos juste amitterent, quo hunc a semetipsis liberum injuste tenuissent. Frustra ergo, & non frustra afflictus est, qui in se quidem admissa non habuit, sed cruore proprio reatus nostri maculam tersit.

* quam.

Psal. 68. 4.

Sap. 12. 15.

CAPUT VIII.

Quod divinus sermo qualitati audientium condescendat.

Moral. lib. 6. c. 16. n. 24.

ALIUS elatione erigitur, alius pondere timoris inclinatur, alius libidine æstuat, alius avaritia anhelat, alius remissione se dejicit, alius ira fervescit; sed per doctrinam sacri eloquii dum superbo humilitas tribuitur, timido confidentia præbetur; luxuriosus per castitatis studium ab immunditia tergitur; avarus per continentiam ab ambitionis æstu temperatur; remissus zeli rectitudine erigitur; iracundus a præcipitationis suæ excitatione refrenatur. * Vim sui sermonis Deus in singulis juxta morum diversitatem format, ut hoc in ejus eloquio quisque inveniat, per quod virtutis necessariæ germen ferat. Unde per quemdam sapientem de mannæ dulcedine dicitur: *Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, atque omnis saporis suavitatem.* Manna quippe omne delectamentum atque omnis saporis in se suavitatem habuit, quod videlicet in ore spiritualium juxta voluntatem edentium saporem dedit; quia divinus sermo & omnibus congruens, & a semetipso non discrepans,

* Universa Deus aquis irrigat.

Sap. 16. 20.

pans, qualitati audientium condescendit: quem dum electus quisque utiliter juxta modum suum intelligit, quasi acceptum manna in voluntarium saporem* venit.

* vertit.

CAPUT IX.

Quod nemo se de ignorantia peccati excusare queat.

Moral. lib. 27 c. 23. n. 48.

CREATOR omnipotens Deus a cunctis insensibilibus irrationabilibusque distinctum rationabilem creaturam hominem condidit, quatenus quid egerit ignorare non possit. Naturæ enim lege scire compellitur seu pravum, sive rectum sit quod operetur. Nam ad judicium pro actione cur venit, * si non potuit nescire quod egit? Et ipsi ergo qui præceptis dominicis * eruditi contemnunt, utrum bona an mala sint quæ faciunt, sciunt. Nam si bona se facere nesciunt, cur de aliquibus factis in * ostensionem gloriantur? Rursum si mala se agere ignorant, cur in eisdem factis alienos oculos declinent? ipsi enim sibi testes sunt, quia sciunt malum esse quod agunt, quod videri ab aliis verentur. Si enim veraciter malum esse non crederent, nequaquam hoc ab aliis videri formidarent. Unde & bene per quemdam Sapientem dicitur: *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis*; quia dum de facto suo conscientiam suam pulsans, timor redarguit, ipsa sibi testi- A monium perhibet damnabile esse quod agit. Et cum illicita quisque perpetrat, pavet quod facit; & apertus damnationis testis est ipse timor iniquitatis; quia & timetur quod agitur, & tamen malum non vincitur quod timetur. Fugiant ergo iniqui humanos oculos, semetipsos certe fugere non possunt: quia enim malum quod faciunt noverunt, habent testem conscientiam, habent judicem rationem suam. In peccato igitur quod committunt prius contra se judicium suæ rationis inveniunt, & post ad districtionem æterni examinis perducuntur. Et hoc est fortasse quod per Psalmistam dicitur: B *Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum*; quia dum miro ordine dispositionis occultæ, malum non permittitur nesciri quod agitur, & suo se jam judicio peccator in conscientia condemnat, & post condemnationem propriam, ad æterni judicis sententiam properat: Abysso ergo abyssum invocari, est de judicio ad judicium pervenire. Eant ergo Prædicatores sancti, redarguant facta peccantium; auditores autem pravi contemnent verba justorum, defendant quantum voluerint pravitates suas, atque impudenter gestas, impudentius defendendo multiplicent: certe ipsi sibi in conscientia C testes sunt qui excusabiles non sunt. Eo enim ipso quo rationabilem creaturam Deus hominem condidit, in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua.

ostentatione.

Sap. 17. 10.

Psal. 41. 8.

LIBER SECUNDUS.

EXCEPTIONES EX OPUSCULIS B. GREGORII PAPÆ in subjectis capitulis de libro Ecclesiastico.

1 *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore.*
2 *Væ peccatori terram ingredienti duabus viis.*
3 *Væ his qui perdiderunt sustinentiam.*
4 *Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam.*
5 *Ne dicas, peccavi; & quid accidit triste?*
6 *Ne iteres verbum in oratione.*
7 *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua.*
8 *Initium omnis peccati superbia.*
9 *In die bonorum ne immemor sis malorum.*
10 *Non agnoscitur in bonis amicus, & non abscondetur in malis inimicus.*
11 *Qui sibi nequam est; cui bonus est?*
D 12 *Omni dato ne des tristitiam mali verbi.*
13 *Qui modica negligit, paulatim decidit.*
14 *Peccasti, ne adjicias iterum.*
15 *De stercore boum lapidatus est piger.*
16 *Transi hospes, & orna mensam.*
17 *Ducem te constituerunt, noli extolli.*
18 *A filiis tuis cave, & a domesticis tuis attende.*
19 *Multos errare fecerunt somnia.*
20 *Qui offert sacrificium de substantia pauperis.*
21 *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit illum.*
22 *Grave jugum super filios Adam.*
23 *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier.*
E 24 *Sapientiam scribe in tempore otii.*

CAPUT PRIMUM.

De tentationibus conversorum.

Moral. lib. 24 c. 11 n. 25 ad 30.

SOLERTER intuendum est tres esse vices, quibus unusquisque anxietate mœroris afficitur, & post mœrorem protinus ad securitatem lætitiæ revocatur. Quod si vigilanter attendimus, has tres vices mœroris & lætitiæ uniuscujuscumque electi animo istis modis alternati invenimus; id est conversione, tentatione, & morte. In prima quippe, quam diximus, conversionis vice gravis mœror est, cum sua unusquisque peccata considerans, curarum secularium vult compedes rumpere, & viam Dei per spatium securæ conversationis ambulare; desideriorum temporalium grave onus abjicere, & leve jugum Domini libera servitute portare. Cogitanti enim iste occurrit ille familiaris sui carnalis delectatio, quæ inveterata dudum, quanto eum diutius tenuit, tanto arctius adstringit, atque a se tardius abire permittit: & quis ibi mœror, quæ anxietas cordis, quando hinc spiritus vocat, hinc caro revocat; huc amor novæ conversationis invitat, huc usus vetustæ perversitatis impugnat: hinc desiderio ad spiritualem patriam flagrat: & hinc in seipso carnalem concupiscentiam tolerat, quæ cum aliquo modo etiam

tiam invitum delectat? Sed quia divina gratia diu nos istis difficultatibus affici non permittit, citius non ruptis peccatorum vinculis ad libertatem novæ conversationis consolando perducit; & præcedentem tristitiam subsequens lætitia resovet: itaut conversi uniuscujusque animus eo magis ad votum suum perveniendo gaudeat, quo magis se pro illo meminit laborando doluisse. Fit cordi immensa lætitia, quia ei quem desiderat, jam per spem securitatis propinquat. At ne conversus quisque jam sanctum se esse credat, & quam pugna mœroris superare non valuit, * ne ipsa postmodum securitas sternat: dispensante Deo permittitur, ut post conversionem suam tentationum stimulis fatigetur. Jam quidem per conversionem rubrum mare transitum est, sed adhuc in eremo vitæ præsentis ante faciem hostes occurrunt. Jam peccata præterita velut extinctos Ægyptios post terga reliquimus, sed adhuc nocentia vitia, quasi hostes alii obviant, ut ad terram repromissionis pergentibus cœptum iter intercludant. Jam priores culpæ, velut insequentes adversarii, sola divina virtute prostratę sunt, sed tentationum stimuli quasi hostes alii, contra faciem veniunt, qui & cum nostro labore superentur. Conversio videlicet securitatem parit: mater autem negligentiæ solet esse securitas. Nec ergo securitas negligentiam generet, sicut scriptum est: *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Non enim ait, ad requiem, sed ad tentationem, quia hostis noster adhuc in hac vita nos positos, quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit. Eos enim pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit. Contra nos vero eo vehementius incitatur, quo ex corde nostro quasi ex jure propriæ habitationis expellitur. Hoc enim in seipso Dominus sub quadam dispensatione figuravit, qui diabolum nonnisi post baptisma se tentare permisit; ut signum nobis quoddam futuræ conversationis innueret, quod membra ejus, postquam ad Deum proficerent, tunc acriores tentationum insidias tolerarent. Post primam igitur vicem mœroris lætitiæ, quam unusquisque per studium conversionis agnoscit, hæc secunda suboritur: quia ne * securitas negligentia dissolvatur, impulsu tentationis afficitur; & quidem quisque in ipso conversionis initio magna plerumque excipitur dulcedine consolationis, sed durum laborem postmodum probationis experitur. Tres quippe sunt modi conversorum: inchoatio, medietas, atque perfectio. In inchoatione autem * inveniuntur blandimenta dulcedinis: in medio quoque tempore certamina tentationis: ad extremum vero * perfectio plenitudinis. Prius ergo illos dulcia suscipiunt, quæ consolentur; postmodum amara quę exerceant; & tunc demum suavia atque sublimia quæ confirment. Nam & Sponsam suam vir quisque prius dulcibus blandimentis fovet, quam tamen jam conjunctam asperis increpationibus probat; probatam vero securis cogitationibus possidet. Unde & plebs Israelitica, cum spondente se Deo ad sacras mentis nuptias ex Ægypto vocaretur, quasi arrharum vice prius accepit blandimenta signorum; conjuncta autem, probationibus exercetur in eremo; probata vero, in promissionis terra virtutis plenitudine confirmatur. Ante igitur in miraculis degustavit quid appeteret; postmodum in labore tentata est, si custodire noverat quod

* valuit, ipsa postmodum.

Eccl. 2. 2.

* securitatis.

* inveniunt.

* perfectionem.

A gustasset; ad extremum quoque plenius accipere meruit, quod laboribus probata custodivit. Ita ergo vitam uniuscujusque conversi, & inchoatio blanda permulcet, & aspera medietas probat, & plena post perfectio roborat. * Sæpe autem tam diutina sunt tentationum certamina, quam longa inchoationum fuerant blandimenta. Sæpe vero majus datur in inchoatione dulcedinis, minus autem in labore probationis: sæpe minus in inchoatione dulcedinis, majus in labore probationis. Numquam vero laborem tentationis dispar sequitur perfectio infirmitatis: quia juxta summam certaminis, remuneratur quisque plenitudine perfectionis. Plerumque autem in eo quisque conversus labitur, quod dum quibusdam donis gratiæ dulcedine inchoationis excipitur, confirmationem accepisse se perfectionis arbitratur, & plenitudinem consummationis æstimat, quæ adhuc blandimenta esse inchoationis ignorat. Unde fit ut dum subita tentationis procella tangitur, despectum se & præditum Deo suspicetur: qui si inchoationi suæ non passim crederet, adhuc in prosperis positus, mentem ad adversa præpararet, & vitiis venientibus postmodum tam firmus resisteret, quam ea etiam sagacius prævidisset. Quæ quidem si tranquillius prævidet, tolerat: eorum tamen omnino certamina etiamsi prævideat non declinat; quia cursus nostri itineris nequaquam peragitur, sine pulvere tentationis. Plerumque autem conversus talibus quisque tentationum stimulis agitur, qualibus ante conversionis gratiam numquam pulsatum se esse reminiscitur: non quia tunc hæc eadem radix tentationis deerat, sed quia non apparebat. Humanus quippe animus multis cogitationibus occupatus, sæpe sibimet ipsi aliquo modo maneat incognitus, ut omnino quod tolerat nesciat; quia dum per multa spargitur, ab interna sui cognitione removetur. Si autem Deo soli vacare appetat, & ramos multimodæ cogitationis abscidat; tunc libera conspicit quod de intima procedit radice carnis. Carduus namque si nascatur in via, itinerantium pedibus teritur, atque ipso usu transeuntium ejus superficies ne appareat confricatur. Sed quamvis desuper frutificantes spinæ non appareant, subter tamen radix occulta perdurat. Si autem eam transeuntium pedes terere & calcare cessaverint, mox in superficiem surgendo progreditur, & per spinam prodit in publicum, quidquid in radice vivebat occultum. Ita & in corde secularium sæpe occulta quædam tentationum radix non facile apparet exurgere, quia velut in via actionum sita, transeuntium pede teritur cogitationum, & per innumeras curas quasi multis itinerantibus premitur ne videatur. Si autem per conversionis gratiam a via cordis curarum turba removetur, ut nulla actionum insolentia conterat, nullus cogitationum tumultus premat: tunc quod occultum latebat agnoscitur, tunc de radice vitiorum pungit libere spina tentationum. Contra quam bene viventis manu agitur, ut quantum potest fieri non tegatur occulta, sed radicitus evellatur. Quod donec fiat, uniuscujusque conversi animum ita hæc spina conturbat, ut sæpe percussione subita pene superari se sentiat, ejusque vulnus medullitus inflictum exitiabiliter pertimescat. Plerumque vero ipsi tentationum stimuli dum in usum veniunt, dilatantur; & non quidem acriores, sed longiores existunt. Minus autem dolerent, sed magis inficiunt: quia

* *Ibid.* n. 19.

quia dum menti diutius adhærent, tanto fiunt minus pavendi, quanto magis assueti. Inter hæc ergo deprehensa mens huc illucque distenditur, & multiplicibus tentationum æstibus dissipatur, & sæpe hinc inde provocata cui tentanti vitio obviet, vel quod primum impugnet, ignorat. Unde plerumque evenit ut dum nimis insurgentia vitia cruciant, dum repugnantis animum jam jamque in lapsum quasi desperationis inclinant; conversus quisque hanc sublimitatis viam, quam sibi ad remedium elegit, expavescat: & quasi in summo eductus titubat, quia in imo solidus stabat. Sed quia misericors Deus non probari permittit tentationibus, non tolerat reprobari; sicut scriptum est: *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere*; citius nobis ope consolationis * occurrit, & surgentes tentationum stimulos mitigat, impugnantesque se cogitationum motus interna pace tranquillat. Moxque anima immensam de spe cælesti lætitiam percipit, dum devictum malum respicit quod toleravit. His itaque duabus vicibus, id est, confessionis & probationis, per mœrorem lætitiamque transactis; superest tertia cujus, & mœrorem adhuc sustineat, & gaudia consequatur. Post conversionis namque certamina, post probationis ærumnam, restat adhuc dura tentatio: quia venire non potest ad perfectæ gaudia libertatis, nisi prius debitum solverit humanæ conditionis. Conversus autem quisque sibi caute sollicitus tacite secum considerare non cessat, æternus judex quam districtus adveniat; suumque terminum quotidie prospicit; & ante severitatem tantæ justitiæ quas rationes vitæ suæ positurus sit attendit: & si cuncta prava opera quæ intelligere potuit devitavit, venturus tamen coram districto judice, illa magis quæ in semetipso non intelligit pertimescit. Quis enim considerare valeat quanta mala, per momenta temporum ipsis inconstantibus cogitationum motibus perpetramus? Facile est autem opera perversa vitare; sed nimis difficile est ab illicita cogitatione cor tergere. Sæpe ergo electis, etiam nolentibus, in cogitatione surripit quod in se quidem solerter aspiciunt, & ante Dei oculos quanti sit reatus ostendunt: & cum de his omnibus semper districta judicia pertimescant, tunc tamen hæc vehementer metuunt, cum ad solvendum humanæ conditionis debitum venientes, districto judici propinquare se cernunt: & fit tanto timor acrior, quanto & retributio æterna vicinior. Crescit pavor vicina retributione justitiæ, & urgente solutione carnis, quanto magis districtum judicium jam jamque quasi tangitur, tanto vehementius formidatur. Et si ea quæ sciunt, numquam se prætermisisse meminerunt, formidant tamen illa quæ nesciunt: quia videlicet semetipsos dijudicare, & comprehendere omnino non possunt; atque urgente exitu, subtiliori terrentur metu. Unde Redemtor noster solutioni carnis appropinquans, & membrorum suorum speciem servans, factus in agonia cœpit prolixius orare. Quid enim pro se ille cum * agonia peteret, qui in terris positus cælestia cum potestate tribuebat? Sed appropinquante morte, nostræ mentis in se certamen expressit, qui vim quamdam terroris atque formidinis patimur, cum per solutionem carnis æterno judicio propinquamus. Neque enim tunc cujuslibet anima immerito terretur, quando post pusillum hoc invenit

1. Cor. 10. 13

* succurit.

* in agonia esset.

A quod in æternum mutare non possit. Consideramus quippe quod viam vitæ præsentis nequaquam sine culpa transire potuimus. Consideramus etiam quia ne hoc quidem sine aliquo reatu nostro est, quod laudabiliter gessimus, si remota pietate judicemur. Quis enim nostrum vitam præcedentium patrum valeat, vel superare vel assequi? Et tamen David dicit: *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: Paulus cum diceret: *Nihil mihi conscius sum*; caute subjunxit: *Sed non in hoc justificatus sum*. Jacobus dicit: *In multis offendimus omnes*. Johannes dicit: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est*. Quid ergo B faciant tabulæ ubi & tremunt columnæ? aut quomodo virgulta * mobilia stabunt, si hujus pavoris turbine etiam cedri quatiuntur? Solutioni ergo carnis appropinquans, nonnumquam terrore vindictæ etiam justi anima turbatur; cui & si quod tranquillum in hac vita sapere potuit, mortis articulo interveniente concutitur? Sed quia justorum animæ a levibus quibusque contagiis ipso sæpe pavore mortis purgantur, & æternæ retributionis gaudia jam ab ipsa carnis solutione percipiunt: plerumque vero contemplatione quadam retributionis æternæ, etiam priusquam carne exspolientur hilarescunt; & dum debitum vetustatis solvunt, novi jam muneris lætitia perfruuntur. Electi igitur uniuscujusque C mens his tribus vicibus, id est vel labore conversionis, vel tentatione probationis, vel formidine solutionis * afficitur, & magis postmodum securitatis gaudiis refovetur.

Psal. 142. 2

1. Cor. 4. 4.

Jac. 3. 2.

1 Johan. 1. 8

* immobilia.

* atteritur.

CAPUT II.

De hypocritis.

VÆ *peccatori terram ingredienti duabus viis*. Duabus quippe viis peccator terram ingreditur, quando & Dei est quod opere exhibet, & mundi quod per cogitationem quærit. Sunt namque nonnulli qui in bonis quæ faciunt, non retributionem interius, sed exterius favorem D quærunt.

Eccli. 2. 14

Moral. lib. 8 c. 26. n. 3.

CAPUT III.

De amatoribus, & contemtoribus mundi.

SÆPE dum præsentis vitæ brevitas quasi diu perseveratura diligitur, ab æterna spe animus frangitur, & delectatur præsentibus: cumque longum putat quod ad vivendum sibi spatium restat, repente vitam deserens, æterna invenit, quæ vitare jam nequeat. Hinc est quod per quemdam Sapientem dicitur: *Væ his qui perdiderunt sustinentiam*. Sustinentiam videlicet perdunt, qui dum diu se immorari visibilibus æstimant, spem invisibilium derelinquunt. Cumque mens in præsentibus E figitur, vita terminatur, & repente ad supplicia improvisa perveniunt, quæ decepti suis præsumtionibus, aut numquam se contingere, aut tarde crediderunt. Hinc scriptum est: *Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet*. Quia enim ad rapiendam animam propinquans minime conspicitur, furi in nocte comparatur. Tanto igitur debet quasi semper veniens metui, quanto a nobis non valet ventura præsciri. Unde & sancti viri quia brevitatem vitæ indesinenter aspiciunt, quasi quotidie morientes vivunt: & tanto se solidius mansuris præ-

Moral. lib. 7. c. 30. n. 45.

Eccli. 2. 16.

1. Thessal. 5. 2

præparant, quanto & nulla esse transitoria semper ex fine pensant. Hinc Psalmista veloci cursu fugere vitam peccatoris aspiciens, ait: *Pusillum adhuc & non erit peccator*. Hinc mentes præsumentium Jacobus corripit, dicens: *Quæ est vita* * *nostra? vapor est ad modicum parens*. Immensum quippe est quod sine termino sequitur, & parum est quidquid finitur: longum autem nobis non debet videri quod cursu * ad occasum sui temporis tendit, ut non sit. Quod dum per momenta ducitur, ipsa hæc momenta sua quæ * deserunt, impellunt; atque unde teneri cernitur, inde agitur ne teneatur.

Ps. 36. 10. — * vestra. — Jacob. 4. 15. — * sui temporis. — * differunt.

CAPUT IV.

De verecundia bona vel mala.

SICUT verecundia laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono. Erubescere enim malum, sapientiæ est; bonum vero erubescere, fatuitatis. Unde scriptum est: *Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam*. Qui enim erubescit pœnitendo mala quæ fecit, ad vitæ libertatem pervenit: qui vero erubescit bona facere, ab statu rectitudinis cadit, atque ad damnationem tendit, sicut per Redemtorem dicitur: *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua*.

Lib. 1. hom. 10 in Ezech. n. 17. — Eccli. 4. 25. — Luc. 9. 26.

CAPUT V.

De patientia Dei ergo peccatores.

DIVINA severitas eo iniquum acrius in judicio punit, quod diutius pertulit; & tanto sequitur districtior sententia, quanto peccanti ei magna est patientia prorogata. Iniquus autem dum diu omne quod nequiter concupiscit exercet, quia non subito percutitur, sed ejus in finem pœna differtur, nequissima ejus actio a Deo videri non creditur. * Æstimatur Deus injusti acta non cernere, quia differt juste damnare, & magna ejus patientia quasi quædam negligentia putatur. Iniquus quoque ipse toties se in peccatis suis non videri a Deo credidit, quoties inulte peccavit. Cui per quemdam Sapientem dicitur: *Ne dicas, peccavi, & quid accidit mihi triste?* Emendare non vult nequitiam, pro qua dignam non pertulit pœnam. Et quo pie expectatus est, eo ad peccandum nequiter est instigatus: & patientiam supernæ longanimitatis despiciens, unde corrigere culpam suam debuit, inde cumulavit. Sæpe etiam quia pœnam quam meretur, repente non suscipit, hoc ipsum Deo non æstimat displicere quod facit. Eat ita nunc, & ad quaslibet blasphemias præsumendo prorumpat, * voluntatum suarum nequitias impleat, aliena rapiat, innocentum oppressione satietur; & quia necdum percutitur, vias suas aut non videri a Domino æstimet, aut quod pejus est, approbari. Veniet profecto, veniet æterna & repentina percussio; & tunc cognoscet * ab eo cuncta conspici, quando se improviso exitu viderit pro cunctorum retributione damnari. Tunc considerasse omnia verum judicem sentiet, quando malorum suorum meritum jam evadere sentiendo non possit. Nemo igitur dicat humana facta Deum non cernere, cum iniquum quempiam iniquitates suas libere prospicit cumulare. * Nemo hanc Dei longanimitatem negligat, quia tanto districtiorem justitiam in judicio exercet, quanto longiorem patientiam ante judicium prærogavit. Hinc etenim Paulus dicit: *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: secundum autem duritiam tuam & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei*. Hinc Psalmista ait: *Deus judex, justus, fortis, & longanimis*. Dicturus quippe longanimam, præmisit justum, ut quem vides delinquentium peccata diu patienter ferre, scias hunc quandoque etiam districte judicare. *Altissimus est enim patiens redditor*: patiens enim redditor dicitur, quia peccata hominum & patitur & reddit: nam quos diu ut convertantur tolerat, non conversos durius damnat.

Moral. lib. 25 c. 4. n. 5. & 6. — * Ibid. c. 5. — Eccli. 5. 4. — * voluptatum. — * a Deo. — * Lib. 1. hom. 19 in Evang. n. 5. — Rom. 2. 4. — Eccli. 5. 4.

CAPUT VI.

De oratione.

MENS in Deo se per studium orationis attollens, ab spei fiducia protinus frangitur, si eam intendentem reatus sui accusat conscientia, si intenta precibus necdum devictæ culpæ mordetur memoria. Diffidit namque accipere se posse quod appetit, quæ profecto reminiscitur nolle se adhuc facere quod divinitus audivit. Hinc per Johannem dicitur: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus ab eo accipiemus*. Hinc Salomon ait: *Qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis*. Cor quippe nos in petitione reprehendit, cum resistere se præceptis ejus, quem postulat, meminit: & oratio fit execrabilis, cum a censura avertitur legis; quia dignum profecto est ut ab ejus beneficiis sit quisque extraneus, cujus nimirum jussionibus non vult esse subjectus. Quia in re hoc est salubre remedium, ut cum se mens ex memoria culpæ reprehendit, hoc prius in oratione defleat quod erravit; quatenus erroris macula cum fletibus tergitur, in petitione sua cordis facies ab auctore munda videatur. Sed curandum nimis est ne ad hoc rursus proruat, quod se mundasse fletibus exultat; ne dum plorata iterum culpa committitur, in conspectu judicis justi ipsa etiam lamenta levigentur. Solerter quippe debemus meminisse quod dicitur: *Ne iteres verbum in oratione tua*. Quo videlicet dicto vir sapiens nequaquam nos prohibet sæpe veniam petere, sed culpas iterare. Verbum quippe in oratione iterare, est post fletum committere quod rursum necesse sit deflere. Ac si aperte dicat: Cum male gesta defleveris, nequaquam rursum facias quod in precibus iterum plangas. Ante igitur orationis tempora debet sollicite conspici, quidquid potest in oratione reprobari. Talem quippe se mens, & cum ab oratione cessat, exhibere festinet, qualis apparere judici in ipso orationis tempore exoptat. Sæpe namque immunda quædam vel illicita in animo * vertimus, quoties a precibus vacamus. Sed cum se mens ad studia orationis erexerit, earum rerum imagines reverberata patitur, quibus libenter prius otiosa premebatur. Sæpe curis mundi libenter occupamur: cumque posthæc studio orationis intendimus, nequaquam se mens ad cælestia erigit, quia pondus hanc terrenæ sollicitudinis in profundum mersit. Nonnumquam vero cor a cunctis excutimus, & illicitis motibus etiam cum a prece vacat obviamus: sed tamen quia culpas rarius committimus, aliena pigrius

Moral. lib. 10 c. 15 n. 27. — 1. Johan. 3. 21. — Prov. 28. 9. — Eccli. 7. 15. — * versamus.

grius delicta laxamus; & quo peccare noster animus sollicitius metuit, eo districtius hoc quod in se ab alio delinquitur abhorrescit. Unde fit ut eo invenitur quisque tardus ad veniam, quo proficiendo factus est cautus ad culpam. Sed quid hac doloris macula inveniri deterius potest, quæ in conspectu judicis non inquinat caritatem, sed necat? Vitam quippe animæ quælibet culpa polluit: servatus vero contra proximum dolor occidit. Menti namque ut gladius figitur, & mucrona illius ipsa viscerum occulta perforantur: qui scilicet a transfixo corde si prius non educitur, nihil in precibus divinæ opis obtinetur; quia vulneratis membris imponi salutis medicamina nequeunt, nisi ferrum a vulnere ante subtrahatur.

Matth. 6.15. Hinc est quod per semetipsam Veritas dicit: *Nisi remiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester qui in cælis est, remittet vobis peccata vestra.* Hinc

Ibid. 12. constitutioni postulationis conditionem pietatis posuit, dicens: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: ut profecto bonum quod a Deo compuncti petimus, hoc primum cum proximo conversi faciamus. Tunc ergo vere oramus, cum nec nos prohibita mala committimus, nec ea quæ in nos commissa sunt ex proprio zelo retinemus. Gravi mens nostra orationis suæ tempore confusione deprimitur, si hanc aut sua adhuc operatio inquinat, aut alienæ malitiæ servatus dolor accusat.

* Mor. l. 16. c. 20. * Nam sicut per corporis faciem hominibus, ita per interiorem imaginem Deo noti atque conspicabiles sumus: cum vero reatu culpæ deprimimur, ad Deum levare cordis nostri faciem veremur. Dum C enim nulla bonorum operum confidentia fulcitur, intueri summa mens trepidat, quia ipsa se conscientia accusat. Cum vero jam pœnitentiæ lamentis culpa diluitur, & sic perpetrata plangantur, plangenda minime perpetrantur: magna in mente fiducia nascitur, & ad inspicienda supernæ retributionis gaudia cordis nostri facies levatur.

CAPUT VII.

Quod pro mortis memoria evalantur crimina.

Eccli 7. 40. Moral. lib. 13 c. 29. n. 31. IN *omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*. Qui enim considerat qualis erit timidus in morte, semper fit D timidus in operatione: nihil quod transeat appetit; cunctis præsentis vitæ desideriis contradicit; & pene mortuum se considerat; quia se moriturum minime ignorat. Perfecta enim vita est mortis imitatio; quam dum justi sollicite * custodiunt, culparum laqueos evadunt.

* peragunt.

CAPUT VIII.

De superbia.

Moral. lib. 31 c. 45. n. 87. & c. Eccli. 10. 15. RADIX cuncti mali superbia est, Scriptura attestante qua dicitur: *Initium omnis peccati superbia*. Prima autem ejus soboles inanis gloria. Septem nimirum principalia vitia de hac virulenta radice proferuntur: scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Nam quia his septem vitiis superbiæ nos captos doluit, ideo Redemptor noster ad spiritale liberationis prælium Spiritus septiformis gratiæ plenus venit. Sed ex his septem principalibus vitiis alia vitiorum pullulant germina.

A Nam de inani gloria: inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ, & novitatum præsumtiones oriuntur. De invidia: odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur. De ira: * timor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ proferuntur. De tristitia: malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita nascitur. De avaritia: proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiæ, & contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur. De ventris ingluvie: inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur.

* tumor.

B De luxuria: cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis seculi, horror autem vel desperatio futuri generantur. Ex his ergo principalibus vitiis, quinque sunt spiritualia & duo carnalia. Sed unumquodque eorum tanta sibi cognatione jungitur, ut nonnisi unum de altero proferatur. Prima namque superbiæ soboles inanis est gloria, quæ dum oppressam mentem corruperit, invidiam gignit: quia nimirum dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat, tabescit. Invidia quoque iram generat: quia quanto interno livoris vulnere animus sauciatur, tanto etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur; & quia quasi dolens membrum tangitur, idcirco oppositæ actionis manus velut gravius pressa sentitur. Ex ira quoque tristitia oritur, C quia turbata mens quo inordinate se concutit, eo addicendo confundit; & cum tranquillitatis dulcedinem amiserit, nihil hanc nisi ex perturbatione subsequens mœror pascit. Tristitia quoque ad avaritiam derivatur: quia dum confusum cor bonum lætitiæ in semetipso intus amiserit, unde consolari debeat foris quærit; & tanto magis exteriora bona adipisci desiderat, quanto gaudium non habet ad quod intrinsecus recurrat. Post hæc vero duo carnalia vitia, id est ventris ingluvies & luxuria supersunt. Sed cunctis liquet quod de ventris ingluvie luxuria nascitur, dum in ipsa distributione membrorum ventri genitalia * subnixa videantur: unde dum unum inordinate reficitur, aliud proculdubio ad contumelias excitatur. Radix ergo & regina vitiorum superbia, cum devictum plene cor ceperit, mox D illud his septem vitiis principalibus devastandum trahit.

* subnexa.

* Mor. l. 14. c. 31. n. 47. & c. * Sicut autem inferius radix tegitur, sed ab illa rami extrinsecus expanduntur: ita se superbia intrinsecus celat, sed ab illa protinus aperta vitia pullulant. Nulla quippe mala ad publicum prodirent, nisi hæc mentem in occulto constringeret. Intus namque prius ebullit in elatione; quod foras postmodum spumat in opere. Sed quia occasio de superbiæ disputatione se præbuit, debemus hanc subtilius sollicitiusque discutere, atque ad humanas mentes quanta vel E qualis veniat, & quibus qualiterve surripiat, demonstrare. Alia quippe vitia eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur: ut videlicet ira patientiam, gastrimargia abstinentiam, libido continentiam expugnet. Superbia autem, quam vitiorum radicem diximus, nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, & quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit: ut quidquid illa invadente agitur, etiamsi virtus esse ostenditur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ serviatur

viatur

viatur. Quasi enim tyrannus quidam obsessam civitatem intercipit, cum mentem superbia irrumpit: & quo ditiorem quemque ceperit, eo in dominio durior exurgit: quia quo amplius res virtutis sine humilitate agitur, eo latius ista dominatur. Quisquis vero ejus in se tyrannidem captiva mente susceperit, hoc primum damnum patitur, quod * cluso cordis oculo judicii æquitatem perdit. Nam cuncta quæ ab aliis vel bene geruntur displicent, & sola ei quæ vel prave ipse egerit placent: semper aliena opera despicit, semper miratur quod ipse facit: quia & quidquid egerit, egisse se singulariter credit, atque in eo quod exhibet per gloriæ cupiditatem, sibimet ipsi favet per cogitationem: & cum se in cunctis transcendere ceteros æstimat, per lata cogitationum spatia secum deambulans, laudes suas tacitus clamat. Nonnumquam vero ad tantam elationem mens ducitur, ut in eo quod tumet, etiam per ostentationem locutionis effrenetur: sed tanto facilius ruina sequitur, quanto apud se quisque impudentius exaltatur. Hinc enim scriptum est: *Ante ruinam exaltatur cor.* Hinc per Danielem dicitur: *In aula Babylonis deambulabat Rex; respondit que, & ait: Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, in gloria decoris mei?* Sed hunc tumorem quam concita vindicta represserit, illico adjungit dicens: *Cum adhuc sermo esset in ore Regis, vox de cælo ruit: tibi dicitur, Nabuchodonosor Rex, regnum tuum transiet a te; & ab hominibus te ejicient; & cum bestiis & feris erit habitatio tua; fenum quasi bos comedes, & septem tempora immutabuntur super te.* Ecce quia tumor mentis usque ad aperta verba se protulit, patientia judicis protinus usque ad sententiam erupit: tantoque hunc districtius perculit, quanto ejus se superbia immoderatius erexit. Et quia enumerando bona dixit in quibus sibi placuit, enumerata mala in quibus ferietur audivit. Sciendum vero est quod, ipsa hæc de qua tractamus elatio, alios ex rebus secularibus, alios vero ex spiritalibus possidet. Alter namque intumescit auro, alter eloquio; alter in infimis & terrenis rebus, alter summis cælestibusque virtutibus; una tamen eademque res ante oculos Dei agitur, quamvis ad humana corda veniens, in eorum obtutibus diverso amictu pallietur. Nam cum is qui de terrena prius gloria superbiebat, postmodum de sanctitate extollitur: nequaquam cor ejus elatio deseruit, sed ad eum consueta veniens ut cognosci nequeat, vestem mutavit. Sciendum quoque est quod aliter hæc præpositos, aliter subditos tentat. Prælato namque in cogitationibus suggerit, quia solo vitæ merito super ceteros excrevit: & si qua ab eo bene aliquando gesta sunt, hæc importune ejus animo objicit: & cum hunc Deo singulariter placuisse insinuat, quo facile suggesta persuadeat, ipsam ad testimonium potestatis traditæ retributionem vocat, dicens: quia nisi omnipotens Deus de his omnibus meliorem cerneret, omnes hos sub tuo regimine non dedisset. Ejusque mox mentem erigit: viles atque inutiles eos ostendit qui subjecti sunt; itaut jam nullum quasi dignum respiciat, cui æquanimiter loquatur. Unde & mox mentis tranquillitas in iram vertitur: quia dum cunctos despicit, dum sensum vitamque omnium sine moderatione reprehendit: tanto * irrefrenatius se in iracundiam dilatat, quanto eos qui sibi

* clauso.
Prov. 16. 18.
Dan. 4. 26.
Vers. 28.
* effrenatius.

A commissi sunt, esse sibimet indignos putat. At contra cum subjectorum cor superbia instigat, hoc summopere agere nititur, ut sua acta considerare funditus negligant, & semper tacitis cogitationibus Rectoris sui judices fiant: qui dum in illo quod reprehendere debeant importune respiciunt, in semetipsis quod corrigant numquam vident. Unde & tanto atrocius pereunt, quanto a se oculos avertunt: quia in hujus vitæ itinere offendentes corruunt, dum alibi intendunt. Et quidem peccatores se asserunt, nec tamen tantum ut tam noxie in regimine personæ traderentur. Et dum ejus facta despiciunt, dum præcepta contemnunt; ad tantam usque vesaniam devolvuntur, ut Deum res humanas B curare non æstiment, quia ei qui quasi jure reprehenditur, esse se commissos dolent. Sicque dum contra Rectorem superbiunt, etiam contra judicia Conditoris intumescunt: & dum Pastoris sui vitam dijudicant, ipsam quoque sapientiam omnia * disponentem impugnant. Sæpe autem Rectoris sui dictis proterve obviant, & eamdem vocis superbiam libertatem vocant: * sicque prope elatio se quasi pro rectitudine libertatis objicit; sicut sæpe timor pro humilitate supponit. Nam sicut plerique reticent ex timore, & tamen tacere se existimant ex humilitate: ita nonnulli loquuntur per impatientiam elationis, & tamen loqui se credunt per libertatem rectitudinis. C Aliquando autem subditi proterva quæ sentiunt nequaquam produnt; & hi quorum loquacitas vix compescitur, nonnumquam ex sola amaritudine intimi rancoris obticescunt. Qui per dolorem mentis procacitatis suæ verba subtrahentes, cum male loqui soleant, pejus tacent: quia cum peccando aliquid de correptione audiunt, indignantes etiam responsionis verba suspendunt. Cum his quando aspere agitur, sæpe ad querelæ voces de hac ipsa asperitate prosiliunt. Cum vero eos magistri sui blande præveniunt, de hac ipsa humilitate qua præventi sunt gravius indignantur; & tanto eorum mens vastius accenditur, quanto consideratius infirma judicatur. Hi nimirum, quia humilitatem, quæ virtutum mater est, nesciunt, D usum sui laboris perdunt, etiamsi qua bona sunt quæ operari videantur: quia surgenti fabricæ robusta celsitudo non figitur, quæ nequaquam per fundamenti fortitudinem in petra solidatur. Soli ergo ruinæ crescit quod ædificant, quia ante molem fabricæ humilitatis fundamina non procurant: quos bene ab intimis prodimus, si paucis in exterioribus ostendamus. Cunctis namque superba apud se cogitatione tumentibus, inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum E mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad * lacessendum vero importuna, ad ea quæ facere debet & prævalet ignava, ad ea autem quæ facere nec debet nec prævalet parata. Hæc in eo quod sponte non appetit nullis exhortationibus flectitur: ad hoc autem quod latenter desiderat, quærit ut cogatur: quia dum metuit ex desiderio suo vilescere, optat vim in ipsa sua voluntate tolerare. Igitur quia humanos animos aliter tentari ex rebus carnalibus, atque aliter ex spiritalibus diximus, audiant illi: *Omnis caro fenum, & omnis gloria ejus sicut flos feni.* Audiant isti quod quibusdam post miracula * dici-

* dispensantis.
* sic quippe elatio.
* lacessendos.
Isai. 40. 6.

Luc. 13. 27. tur: *Nescio vos unde sitis: discedite a me omnes operarii iniquitatis.* Rursumque aliter tentari prælatos, & aliter subditos præfati sumus. Audiant illi, cum de accepta potestate gloriantur, hoc quod *Luc. 16. 25.* Abrahæ voce ardenti diviti dicitur: *Memento, fili, quia recepisti bona in vita tua.* Audiant isti, cum contra Rectores suos in querelam prosiliunt, hoc quod murmuranti populo, Moysi & Aaron vocibus *Exod. 16. 8.* respondetur: *Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum: nos enim quid sumus?* Contra hujus languoris pestem audiamus cuncti quod magistra Veritas docet, dicens: *Matt. 11. 29.* *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.* Ad hoc namque unigenitus Dei filius formam humilitatis nostræ suscepit: ad hoc invisibilis, non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit; ad hoc contumeliarum B ludibria, irrisionum * proba (* opprobria.), passionumque tormenta toleravit; ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Quanta ergo * humilitaa (* humilitatis) virtus est, propter quam solam veraciter edocendam is qui sine æstimatione est magnus, usque ad passionem factus est parvus? quia enim originem perditioni nostræ prebuit superbia diaboli, instrumentum redemtionis nostræ inventa est humilitas Dei. Hostis quippe noster magnus inter omnia conditus, videri supra omnia voluit elatus: Redemtor autem noster, magnus manens supra omnia, fieri inter omnia dignus est parvus. Sed melius & elationis causam detegimus, & fundamenta humilitatis aperimus, si brevi commemoratione perstringimus quid mortis auctor, quid vitæ Conditor C * suadeat (* docat.). Ille nihil aliud mentes sibi subditas docet, quam celsitudinis culmen appetere, cuncta æqualia mentis tumore transcendere, societatem omnium hominum alta elatione transire, sese & contra potentiam Conditoris erigere, sicut de eisdem per Psalmistam dicitur: *Ps. 72. v. 8.* *Transierunt in dispositione cordis, cogitaverunt & locuti sunt nequitiam; iniquitatem in excelso locuti sunt.* Iste ad sputa, ad palmas, ad colaphos, ad spineam coronam, ad crucem, ad lanceam, atque ad mortem veniens; membra sua admonet, dicens: *Joh. 12. 26.* *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* Quia igitur Redemtor noster corda regit humilium, & mortis auctor rex est superborum: aperte cognoscimus quod evidentissimum signum reproborum superbia est, at D contra humilitas electorum. Cum igitur quam quisque habeat cognoscitur, sub quo rege militet invenitur. Unusquisque enim quasi quemdam titulum portat operis, quo facile ostendat sub cujus serviat potestate Rectoris. Unde & per Evangelium dicitur: *Matt. 7. 16.* *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Qui ergo sub rege superbiæ militant, licet aliquando speciem humilitatis assumant, semetipsos tamen celare in omnibus nequaquam possunt: quia eorum superbia diu latere non sustinens, cum ex alia tegitur, ex alia actione nudatur. Qui vero sub rege humilitatis militant, semper pavidi atque ex omni latere circumspecti, adversum jacula elationis pugnant, & quasi contra venientes ictus solum magis in suo corpore E oculum custodiunt, dum in semetipsis principaliter humilitatem tuentur.

CAPUT IX.

Quod in adversis prosperorum, in prosperis adversorum meminisse debeamus.

Moral. lib. 5. c. 9. n. 16. MAGNA consolatio tribulationis est si, cum adversa patimur, auctoris nostri ad memoriam dona revocemus. Ne frangit quod ex dolore obviat, si menti citius * quod (* hoc.) ex munere sublevat occurrat. Hinc scriptum est: *Eccli. 11. 27.* *In die bonorum ne sis immemor malorum; & in die malorum, ne immemor sis bonorum.* Quisquis enim dona percipit, sed donorum tempore nequaquam etiam flagella pertimescit, in elatione per lætitiam corruit. Quisquis autem flagellis atteritur, sed flagellorum tempore nequaquam se ex donis quæ eum contigit accepisse consolatur, ab statu mentis omnimoda desperatione destruitur. Sic ergo utraque jungenda sunt, ut unum ex altero fulciatur; quatenus & flagelli pœnam memoria temperet doni, & doni lætitiam mordeat suspicio & formido flagelli.

CAPUT X.

De dilectione Dei, & proximi.

Moral. lib. 7. c. 24. n. 28. DUo sunt præcepta caritatis, Dei videlicet amor & proximi. Per amorem Dei amor proximi gignitur: & per amorem proximi amor Dei nutritur. Nam qui amare Deum negligit, profecto diligere proximum nescit: & tunc plenius in Dei dilectione proficimus, si in ejus dilectionis gremio prius proximi * dilectione (* caritate.) lactamur. Quia enim amor Dei amorem proximi generat, dicturus per legem Dominus: *Deut. 6. 5. & 10. 12.* *Diliges proximum*: præmisit, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum*; ut scilicet in terra pectoris nostri prius C amoris sui radicem figeret, quatenus per ramos postmodum dilectio fraterna germinaret. Et rursum quia amor Dei ex proximi amore coalescit, testatur Johannes dicens: *1. Joh. 4. 20.* *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Quæ tamen divina dilectio per timorem nascitur, sed in effectum crescendo permutatur. Sæpe vero omnipotens Deus ut quantum quisque a caritate ejus ac proximi longe sit, vel in ea quantum profecerit innotescat, miro ordine cuncta dispensans; alios flagellis deprimit, alios successibus fulcit: & cum quosdam temporaliter deserit, in quorumdam cordibus quod malum latet ostendit. Nam plerumque ipsi nos miseros insequuntur, qui D felices sine comparatione coluerunt. Cum enim quis positus in prosperitate diligitur, incertum valde est utrum prosperitas, an persona diligatur. Amissio autem felicitatis, interrogat vim dilectionis. * Unde dicitur (* bene quidam Sapiens dicit.): *Eccli. 12. 8.* *Non agnoscitur in bonis amicus: & non absconditur in malis inimicus.* Nec prosperitas quippe amicum indicat, nec adversitas inimicum celat: quia & ille sæpe prosperitatis nostræ reverentia tegitur, & iste ex confidentia adversitatis aperitur. Qui vero ex adversitate proximum despicit, aperte convincitur quod hunc in prosperis non amavit. Et cum omnipotens Deus ideo quosdam percutiat, ut & percussos erudiat, & non percussis occasionem boni operis præbeat; quisquis percus- E sum despicit, occasionem a se virtutis repellit; & tanto se nequius contra * actorem (* auctorem.) erigit, quanto hunc nec pium in salutem propria, nec justum in alieno vulnere agnoscit.

CAPUT XI.

De his qui aliis impendunt misericordiam, nec tamen deserunt injustitiam.

Moral. lib. 19. c. 23. n. 38. ILLE bene agit qui pia sunt, qui scit prius servare

vare quæ justa sunt, ut collatus in proximos rivus misericordiæ, de justitiæ fonte ducatur. Nam multi proximis quasi opera misericordiæ impendunt, sed injustitiæ facta non deserunt. * Quod si veraciter proximis misericordiam facere studerent, sibi ipsis debuerant prius juste vivendo misereri. Unde scriptum est: *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Qui ergo misereri vult proximo, a se trahat necesse est originem miserendi. Scriptum namque est: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Quomodo ergo alteri miserendo pius est, qui adhuc injuste vivendo fit impius sibimetipsis? Unde dicitur: *Qui sibi nequam est, cui bonus erit?* Ad exhibendam quippe misericordiam ut indigentibus plene exterius valeat impendi, duo sibi necessaria congruunt, id est homo qui præbeat, & res quæ præbeatur. Sed longe incomparabiliter melior est homo quam res. Qui itaque indigenti proximo exteriorem substantiam præbet, sed vitam suam a nequitia non custodit; rem suam Deo tribuit, & se peccato. Hoc quod minus est obtulit * auctori, & quod majus est servavit iniquitati.

[* qui.] [Eccli. 30. 24.] [Matt. 19. 19.] [Eccli. 14. 5.] [* auctori.]

CAPUT XII.

Quod pietas & humilitas inesse debeant eleemosynarus.

DUÆ virtutes, humilitas scilicet & pietas, ita sibimet connexæ debent esse, ut * vicaria se per opera fulciant: quatenus nec humilitas cum veneratur proximum, largitatis gratiam deserat; nec pietas cum largitur, intumescat erga indulgentiam. Itaque proximi humilitatem pietas fulciat, humilitas pietatem: ut eum indigentem rebus necessariis naturæ tuæ consortem vides, nec per * pietatem desinas tegere, nec per superbiam negligas venerari quem tegis. Nam sunt nonnulli qui mox ut ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati; post dona largituri, in eis prius contumeliosa verba jaculantur. Qui etsi rebus ministerium pietatis perficiunt, verbis tamen humilitatis gratiam perdunt: ita ut plerumque * videantur, quia illatæ jam injuriæ satisfactionem solvunt, cum post contumelias dona largiuntur. Nec magni est operis quod postulata tribuunt, quia ipso dationis suæ munera vix eumdem excessum sermonis tegunt. Quibus bene dicitur: *Omni dato non des tristitiam mali verbi.* Et rursum: *Ecce verbum super datum bonum; & utraque cum homine justificato;* ut videlicet datum exhiberi debeat per pietatem, & bonum verbum tribui per humilitatem. At contra alii egenos fratres non student rebus fulcire cum possunt, sed blandis tantum sermonibus fovere; quos vehementer Jacobi prædicatio sancta reprehendit, dicens: *Si autem frater aut soror nudi sunt, & indigent victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis, ite in pace & calefacimini & saturamini; non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit vobis?* Quos Johannes quoque Apostolus admonet, dicens: *Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua; sed opere & veritate.* Dilectio * itaque nostra semper exhibenda est, & veneratione sermonis, & ministerio largitatis. Multum vero ad edomandam dantis superbiam valet, si cum terrena tribuit, verba sollicite cælestis magistri penset, qui ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, vos recipiant in æterna tabernacula.* Si enim eorum amicitiis æterna tabernacula acquirimus; dantes procul dubio pensare debemus, quia patronis munera potius offerimus, quam egenis dona largimur. Hinc per Paulum dicitur: *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum:* ut videlicet sollicite perpendamus, quia & eos quos nunc inopes cernimus, abundantes quandoque videbimus, quandoque inopes erimus. Qui itaque nunc temporale subsidium pauperi tribuit, ab * ea postmodum perpetua recepturus, ut ita dicam, quasi ad frugem terram excolit, quæ quod acceperit uberius reddit. Restat ergo ut numquam elatio surgat ex munere; quando videlicet dives ex eo quod pauperi tribuit, agit ut in perpetuum pauper non sit. Quisquis autem super eum cui aliquid attribuit, fastu se elationis extollit, majorem culpam intrinsecus superbiendo peragit, quam extrinsecus largiendo mercedem: fitque & ipse bonis interioribus nudus, cum nudum despicit vestiens; eo quod agit ut seipso deterior fiat, quo se indigenti proximo meliorem putat: minus quippe inops est qui vestem non habet, quam qui humilitatem. Unde necesse est ut cum naturæ nostræ consortes exteriora non habere conspicimus, quam multa nobis desint dona interiora pensemus: quatenus sese super inopes cogitatio nostra non elevet, cum solerter videt quia nos tanto verius, quanto & interius indigentes sumus. Sunt quippe nonnulli, qui pietatis suæ viscera tendere usque ad incognitos nesciunt, sed solis quos per assiduitatem notitiæ didicerint miserentur: apud quos nimirum plus familiaritas quam natura valet, dum quibusdam necessaria, non quia homines sunt, sed quia noti sunt, largiuntur. Sed unusquisque qui indiget, eo ipso quo homo est, ei jam incognitus non est; & apud ipsam mentem plus natura valet quam notitia.

[Moral. lib. 21 c. 19. n. 29.] [* vicario semper opere fulciantur.] [* impietatem.] [* videatur.] [Eccli. 18. 16. 17.] [Jacob. 2. 15.] [1. Johan. 3. 18] [* namque.] [Luc. 16. 9.] [2 Cor 8 14.] [* eo.]

CAPUT XIII.

De vitandis minutis peccatis.

QUi modica spernit, paulatim decidet. Qui peccata minima flere ac devitare negligit, ab statu justitiæ non quidem repente, sed partibus totus cadit.

[Eccli. 19. 1.] [Reg. Pastoral. par. 3. c. 33.]

CAPUT XIV.

De defendentibus peccata sua.

PEccasti: ne adjicias iterum. Peccato peccatum adjicit, qui male gesta etiam defendit, qui culpæ suæ * etiam patrocinia defensionis adjungit.

[Eccli. 21 1.] [Moral. lib. 4. c. 2. n. 49] [* tenebris.]

CAPUT XV.

De his qui affliguntur pro amissione temporalium.

DE stercore boum lapidatus est piger. Gaudia vitæ præsentis, quæ injusti æstimant magna bona, justi ut stercora deputant: is autem qui Deum sequi noluerit, ab amore æternæ vitæ pigrescit, & quoties rerum temporalium damno percutitur, ex his nimirum affligitur, quæ justi viri velut stercora contemnunt. Qui ergo * externarum rerum percussione atteritur, quia aliud quam de stercore boum * flagellatur?

[Eccli. 22. 2.] [Moral. lib. 15 c. 9. n. 5.] [* ex terrenarum] [* lapidatur.]

CAPUT XVI.

De hypocritis.

Eccli. 29. 39. Moral. lib. 32. c. 13. n. 19. *TRansi hospes, & orna mensam*. Transeundo hospes ornare mensam dicitur, quia si ad altare Dei quis positus, per bona opera gloriam propriam quærit, & de ostentatione sanctitatis ejus laus altaris extenditur; & ipse tamen apud Dominum in numero civium non habetur. Aliis ejus opinio proficit: & tamen a Deo extraneus ipse pertransit. Mensam itaque transeundo decoravit, quia stare ad sacra* voluit, qui per omne quod agere studuit, ad humanas laudes mente decucurrit. Nonnulli namque hominum, & apud Deum* reprobi sunt, & apud homines sanctitatis nomine censentur; cum & ante humanos oculos aliud ostendit vita, & ante divina judicia aliud intendit conscientia.

* noluit.

* fenum.

CAPUT XVII.

De bonis & malis Prælatis.

Moral. lib. 31. c. 1. n. 8. SANCTÆ universalis Ecclesiæ spiritualis quisque prædicator, in cunctis quæ dicit solerter curare inspicit, ne in eo quod recte prædicat, vitio se elationis extollat: ne vita a lingua discordet; ne pacem cum in Ecclesia annuntiat, in semetipso, dum bene dicit & male vivit, amittat: sed studet summopere contra maledicos rumores adversantium, & defendere loquendo quod vivit, & ornare vivendo quod dicit. Nec in his omnibus suam, sed* actoris gloriam quærit: atque omnem sapientiæ gratiam, quam ut loqueretur accepit, non suis se æstimat meritis, sed eorum intercessionibus pro quibus loquitur, accepisse. Sicque dum se infra dejicit, superest: quia nimirum suæ mercedi magis proficit quod bona quæ exercere prævalet, alienis meritis reddit: indignum se omnibus judicat, etiam dum dignius cunctis vivit. Scit enim quod bona quæ innotescunt hominibus, sine periculo vix esse possunt: & quamvis sapientem esse se sentiat, vellet tamen esse sapiens nec videri: atque hoc sibi omnimodo quod loquendo proditur pertimescit, & si liceat tacere appetit, dum esse multis tutius silentium cernit, eosque* se feliciores putat, quos intra sanctam Ecclesiam locus inferior per silentium occultat. Et tamen ut sancta Ecclesia defendatur, quia ad loquendum vi caritatis impellitur, ex necessitate quidem officium locutionis suscipit, sed ex magno desiderio otium taciturnitatis quærit: hoc servat voto, illud* observat ministerio. Hanc autem dicendi formulam arrogantes ignorant: neque enim loquuntur quia causæ eveniunt, sed causas evenire* optant, ut loquantur. * Ipsi etiam, sicut sæpe novimus, inordinatum sibi metum a subditis exigunt: & non tam propter Dominum quam pro Domino venerari volunt: intus enim se tumore cordis extollunt, cunctosque subditos in sui comparatione despiciunt; nec condescendendo* consolantur, sed dominando premunt: quia videlicet alta cogitatione se erigunt, & æquales se esse illis, quibus eos præesse contigit, non agnoscunt. Contra hunc tumorem Prælatorum dicitur: *Ducem te constituerunt: noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis*. Hunc tumorem Dominus per Prophetam in Pastoribus increpans, ait: *Vos autem cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.*

* auctoris.

* esse.

* exercet.

* appetunt.

* Moral. lib. 24. c. 13. n. 52. & seq.

* consulunt.

Eccli. 32. 1.

Ezech. 34. 4

A Ipsa enim bona quæ subditis dicunt, dominando potius quam consulendo proferunt: quia videlicet quidquam eis quasi ex æquo dicere, seipsos existimant dejecisse: singularitate autem gaudent culminis, & non æqualitate conditionis. Unusquisque autem superbus Rector toties ad culpam* superbiæ dilabitur, quoties præesse hominibus delectatur, & honoris sui singularitate lætatur: sub quo enim sit non considerat; & quod æqualibus quasi non sit æqualis, exultat. Unde autem hæc vitiorum radix pullulat in corde regentium, nisi ex imitatione illius qui, despectis Angelorum societatibus, dixit: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo?* Rectores ergo quoties extolluntur in eo quod ceteros regunt, toties per lapsum superbiæ a summi Rectoris servitio separantur: & B cum æquales sibi subditos despiciunt, ejus super se dominium, sub quo omnes æquales sunt, non agnoscunt. Quia vero dominando præsunt, exemplo suæ superbiæ subditos ad impietatem trahunt: ad viam autem pietatis ducerent, si eorum oculis humilitatis exempla monstrarent. Dux autem est impius, qui per tumorem a tramite veritatis exorbitat; & dum ipse in præceps ruit, ad abrupta sequentes invitat. Dux est impius, qui per tumoris exempla viam ostendit erroris. Paulus * impius dux esse metuebat, cum potestatis suæ celsitudinem reprimebat, dicens: *Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis; cum possimus oneri esse ut Christi Apostoli; sed facti sumus parvuli in* C *medio vestrum*. Parvulus in medio eorum fuerat factus, quia timebat ne si inter discipulos honorem suæ celsitudinis vindicaret, exempla elationis ostenderet. Timebat nimirum ne dum sibi ipse potestatem Pastoralis potentiæ quæreret, grex* subditorum per abrupta sequeretur; & ad impietatem sequentes duceret, qui pietatis officium suscepisset. Unde necesse est ut is qui præest, quæ exempla subditis præbeat solerter attendat: & tantis se sciat vivere, quantis præesse: ac vigilanter inspiciat, ne in eo quod Prælatus est intumescat; ne jura debitæ potestatis immoderatius exigat; ne disciplinæ jus in rigorem mutetur superbiæ, & unde a perversitate subditos restringere poterat, inde magis intuentium corda pervertat; ne, ut dictum est, impietatis dux per officium pietatis existat. D Non autem debet hominum ducatum suscipere qui nescit homines bene vivendo præire: ne qui ad hoc eligitur ut aliorum culpas corrigat, quod resecare debuit ipse committat. Hinc inde se ergo qui præsunt* conspiciant, ut sibi subditis vivant: ut bonum quod faciunt, & intra sinum mentis abscondant, & eo ad provectum sequentium exempla rectæ operationis impertiant: ut subditorum culpas animadvertentes corrigant; nec tamen per vim ejusdem animadversionis intumescant: ut quædam leniter correpta tolerent, nec tamen disciplinæ vincula eadem lenitate dissolvant: ut quædam tolerando dissimulent, nec tamen ea crescere dissimulando permittant. Laboriosa sunt ista, & nisi divina gratia fulciat, ad custodiendum diffici- E lia. Recte ergo de adventu judicis per Sapientiæ librum dicitur: *Horrende & cito apparebit* * *quam durissimum judicium* * *in his, qui præsunt, fiet*. Quia ergo plerumque per potestatem regiminis ad culpam prorumpitur elationis: * initium superbiæ ab ipsa mox radice secandum est, ut cum latenter oritur, tunc vigilanter abscidatur; ne provectu vigeat, ne usu roboretur. Difficile enim in se quisque inveteratam superbiam deprehendit: quia nimirum hoc vitium quanto magis patimur, tanto

* apostasia.

Isai. 14. 14.

* dux esse impietatis

1. Thess. 2. 6.

* subditus.

* circumspiciant.

Sap. 6. 6.
* quoniam.
* his.
* Ibid. c. 23. num. 50.
* unde vitium.

to minus videmus. Sic quippe in mente superbia sicut in oculis caligo generatur: quo se hæc latius dilatat, eo vehementius lumen * angustatur. Paulisper ergo elatio in præcordiis crescit: & cum se vastius extenderit, oppressæ mentis oculum funditus claudit; ut captivus animus elationis typum & pati possit, & tamen id quod patitur videre non possit. * Unde magnopere curandum est, ut qui regendis hominibus præfertur, apud se intra secretarium mentis in cathedra præsideat humilitatis: cumque judicanti ei a ceteris foris assistitur, vigilanti oculo incessanter aspiciat, cui quandoque judici ipse de his judicandus assistat: ut quanto nunc ante eum quem non videt * sollicitus trepidat, tanto cum eum viderit securior cernat. Penset ergo quia qui ad satisfaciendum districto judici de sua tantummodo anima fortasse vix sufficit; quot regendis subditis præest, reddendæ apud eum rationis tempore, ut ita dicam, tot solus animas habet. Quæ nimirum cogitatio si assidue mentem excoquit, omnem superbiæ tumorem premit: & Rector providus tanto jam neque * superbus neque dux impius vocabitur, quanto ei cogitatione sollicita potestas quæ accepta est, non honor sed onus æstimatur. Nam cur esse nunc judicem libet, huic videre tunc judicem non libet: numerari enim culpæ nequeunt, quæ habendæ potestatis amore perpetrantur. Tunc vero solum potestas bene geritur, cum non amando sed timendo retinetur: quæ ut ministrari recte valeat, oportet primum ut hanc non cupiditas, sed necessitas imponat: percepta autem nec pro formidine debet deseri, nec ex libidine amplecti; ne aut pejus quis quasi ex humilitate superbiat, si divinæ dispensationis ordinem fugiendo contemnat, aut eo jugum superni Rectoris abjiciat, quo eum super ceteros privatum regimen delectat. Potestas ergo cum percipitur, non ex libidine amanda est, sed ex longanimitate toleranda: ut inde tunc ad judicium salubriter levis sit, unde nunc ad ministerium patienter gravis innotescit.

* angustat.
* Ibid c. 25. num. 55.
* sollicitius.
* nec apostata.

CAPUT XVIII.

Quod per domesticos quærat diabolus decipere justos.

A *Filiis tuis cave, &c. a domesticis tuis attende*. Antiquus adversarius non solum per semetipsum, sed per eos etiam qui nobis adhærent, statum satagit nostræ mentis inclinare: cum enim cor nostrum sua persuasione non subruit, ad hoc nimirum per linguas adhærentium repit. Hinc per Prophetam dicitur: *Unusquisque se a proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam*. Hinc rursum scriptum est: *Inimici hominis domestici ejus*. Callidus namque adversarius cum a bonorum cordibus repelli se conspicit, eos qui ab illis valde diliguntur exquirit; & per eorum verba blandiens loquitur, qui plus cæteris amantur: ut dum vis amoris cor perforat, facile persuasionis * gladius ad intimæ rectitudinis munimina irrumpat.

Eccli. 32. 26. Moral lib. 3. c. 8. num. 3.
Jerem. 9. 4.
Matth. 10. 36.
* ejus.

CAPUT XIX.

Quot modis tangant animum imagines somniorum.

ALIQUANDO somnia ventris plenitudine vel inanitate, aliquando vero illusione, aliquando cogitatione simul & illusione, aliquando revelatione, aliquando cogitatione simul & revelatione generantur. Sed duo quæ prima diximus, omnes experimento cognoscimus; subjuncta autem quatuor in sacræ Scripturæ paginis invenimus. Somnia etenim nisi plerumque ab occulto hoste per illusionem fierent, nequaquam hoc vir Sapiens indicaret, dicens: *Multos errare fecerunt somnia, & illusiones vanæ*. Vel certe: *Non augurabimini, nec observabitis somnia*. Quibus profecto verbis cujus sint detestationis ostenditur, quæ auguriis conjunguntur. Rursum nisi aliquando ex cogitatione simul & illusione procederent, Salomon minime dixisset: *Multas curas sequuntur somnia*. Et nisi aliquando somnia ex mysterio revelationis orirentur, Joseph præferendum se fratribus somnio non videret: nec Mariæ sponsum ut ablato puero in Ægyptum fugeret, per somnium * Veritas admoneret. Rursum nisi aliquando somnia cogitatione simul & revelatione procederent, nequaquam Daniel Propheta Nabuchodonosor visionem disserens, a radice cogitationis inchoasset, dicens: *Tu rex cogitare cœpisti in strato tuo quid esset futurum post hæc: & qui revelat mysteria, ostendit tibi quæ * futura sunt*. Et paulo post: *Videbas, & ecce quasi statua una grandis; statua illa magna, & * statura sublimis stabat contra te, &c.* Daniel itaque dum somnium, * & implendum reverenter insinuat, & ex qua ortum sit cogitatione manifestat: patenter ostenditur quia hoc plerumque ex cogitatione simul & revelatione generetur. Sed nimirum cum somnia tot rerum qualitatibus alternent, tanto eis difficilius credi debet, quanto & ex quo impulsu veniant facilius non elucet. Sæpe namque malignus spiritus his quos amore vitæ præsentis vigilantes intercipit, prospera etiam dormientibus promittit: & quos formidare adversa considerat, eis hoc durius somnii imaginibus intentat: quatenus indiscretam mentem diversa qualitate afficiat, eamque aut spe sublevans, aut deprimens timore, confundat. Sæpe etiam Sanctorum corda afficere somniis nititur, ut ab intentione cogitationis solidæ ad tempus saltem momentoque deriventur, quamvis ipsi protinus animum ab illusionis * imagine discutiant: sed hostis insidians quos vigilantes minime superat, eo dormientes gravius impugnat: quem tamen hoc maligne agere superna dispensatio benigne permittit, ne in electorum cordibus ipse saltem a passionis præmio somnus vacet.

Moral lib. 8. c. 14. n. 43.
Eccli. 34. 7.
Levit. 19. 26.
Eccle. 5. 2.
Gen. 37.
Matth. 2.
* Angelus.
Daniel. 2. 29.
Ibid. 31.
* quarum.
* statura.
* ad.
* imaginatione.

CAPUT XX.

De victimis impiorum.

ALIUD est pro peccatis misericordiam facere, aliud pro misericordia facienda peccare. Quæ jam nec misericordia nuncupari potest, quia ad dulcem fructum non proficit quæ per virus pestiferæ radicis amarescit. Hinc est enim quod ipsa etiam sacrificia per Prophetam Dominus reprobat, dicens: *Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocaustum*. Hinc iterum dicitur: *Hostiæ im-*

Reg. Pastor. par. 3. c. 21. Admon. 22.
Isa. 61. 8.
Prov. 21. 27.

impiorum dominabitur, quia offeruntur ex scelere. Sæpe enim indigentibus subtrahunt * quod * indigentibus largiuntur: sed quanta eos animadversione renuat, per quemdam Sapientem Dominus demonstrat, dicens: *Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Quid namque esse intolerabilius potest quam mors filii * in conspectu patris? Hoc itaque sacrificium quanta ira aspiciatur ostenditur, quod orbati patris dolori comparatur.

* quæ. * Deo. Eccli. 34. 24. * ante oculos.

CAPUT XXI.

De iterantibus peccata sua.

Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit illum, quid * prodest lavatio ejus? Baptizatur quippe a mortuo, qui * lavatur fletibus a peccato: sed post baptisma mortuum tangit, qui culpas post lacrymas repetit.

Eccli. 34. 30. Reg. Pastor. 3. part. c. 30. Admon. 31. * mundatur.

CAPUT XXII.

De quotidianis flagellis hominum.

Grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque ad diem sepulturæ in * matre omnium. In Adam quippe primo homine a * Domino recedente, repulsi a gaudiis in hanc mortalis vitæ ærumnam cecidimus, & quam gravem culpam serpentis suasione commisimus, pœnæ nostræ ultione sentimus. Hic enim lapsi, nihil extra Deum nisi quo affligeremur invenimus. Et quia per oculorum visum carnem secuti sumus, de ipsa carne quam præceptis Dei præposuimus, flagellamur. In ipsa quippe quotidie gemitum, in ipsa cruciatum, in ipsa interitum patimur; ut hoc nobis mira dispensatione Dominus in pœnam verteret, per quod fecimus culpam, nec aliunde esset interim censura supplicii, nisi unde fuerat causa peccati: ut ejus carnis amaritudine homo erudiretur ad vitam, cujus oblectatione * superbe pervenit ad mortem. * Homo quippe serpentis persuasionibus captus, dum Domini præcepta contemnens, eum peccando dereliquit, humilitatis arcem deserens, ad infirmitatis jugum superbiendo pervenit, & cervicem cordis erigendo supposuit: quia qui subesse divinis jussionibus noluit, sub suis se necessitatibus stravit. Quod melius ostendimus, si ea quæ dejectus sustinet, & prius carnis, & post pondera mentis exprimamus. Ut enim taceamus hoc, quod dolores tolerat, quod febribus anhelat, sui quadam ægritudine constringitur ipsa hæc nostri corporis quæ salus vocatur. Nam otio tabescit, opere deficit; inedia deficiens cibo reficitur ut subsistat, refectione lassescens, abstinentia relevatur ut vigeat: aqua perfunditur, ne arescat: linteis tergitur, ne ipsa nimis perfusione liquefiat: labore vegetatur, ne quiete torpeat; quiete refovetur, ne laboris exercitatione succumbat. Fatigatur vigiliis, somno reparatur, oppressa somno vigiliis excutitur, ne sua pejus quiete lassetur. Vestibus tegitur, ne frigoris adversitate penetretur; quæsito calore deficiens aurarum flatu refovetur: cumque inde molestias invenit, unde molestias fugere quæsivit, male sauciata, ut ita dixerim, de ipso suo medicamine languescit. Remotis ergo febribus, cessantibusque doloribus, ipsa nostræ salus ægritudo est, cui curandi necessitas * non deest: quot enim solatia ad vivendi usum quærimus, quasi tot nostræ ægritudinis medicamentis obviamus: sed ipsum quoque medicamen in vulnus vertitur, quia exquisito remedio paulo diutius inhærentes, ex eo gravius deficimus, quod provide ad refectionem paramus. Sic nimirum debuit præsumptio corripi, sic sic superbia sterni: quia enim elatum semel spiritum sumsimus, ecce * defluentem quotidie portamus * luctum: ipsa quoque mens nostra a secreti interioris * gaudio exclusa; modo spe decipitur, modo pavore vexatur, modo despiciendo dolore dejicitur, modo falsa hilaritate relevatur. Transitoria pertinaciter diligit, eorumque amissione incessanter atteritur, quia & incessanter cursu rapiente permutatur. Rebus autem mutabilibus subdita, & a semetipsa variatur; nam quærens quod non habet, anxia percipit: cumque hoc habere cœperit, tædet hanc percepisse quod quæsivit. Amat sæpe quod despexerat, despicit quod amabat; cum labore quæ æterna sunt discit, sed eorum repente obliviscitur, si laborare desierit. Diu quærit ut parum quid de summis inveniat; sed ad consueta citius relabens, nec parum in his quæ invenerit perseverat. Eruditi appetens, vix suam ignorantiam superat; sed erudita, gravius contra scientiæ gloriam pugnat. Vix carnis suæ sibi tyrannidem subjicit; sed tamen adhuc intus culpæ imagines tolerat, cujus jam foris opera vincendo restrinxit. In * actoris sui inquisitione se erigit, sed reverberatam hanc corporearum rerum amica caligo confundit. Semetipsam, qualiter incorporea corpus regat intueri vult & non valet. Requirit mire quod sibi respondere non sufficit; & sub eo ignara deficit, quod prudenter requirit. Amplam se simul & angustam considerans, qualem se veraciter æstimet ignorat: quia si ampla non esset, nequequam tam investiganda requireret, & rursus si angusta non esset, hoc ipsum saltem quod ipsa requirit, inveniret. Quia ergo repulsus homo & a carne molestias, & a mente quæstiones tolerat: grave nimirum pondus semetipsum portat; undique languoribus premitur; undique infirmitatibus urgetur: ut qui relicto Deo se sibi ad requiem sufficere credidit, nihil in se nisi tumultum perturbationis inveniret, inventumque se fugere quæreret, sed * actore contemto, quo se fugeret non haberet. * Si subtiliter etiam consideretur omne quod hic agitur, expulsi hominis gravis pœna & miseria est. Quod enim multa cautela custoditur salus corporis, quod etiam custodita amittitur, amissa cum gravi * dolore reparatur, & tamen reparata semper in dubio est, quid hoc aliud quam mortalis vitæ miseria est? Quod amamus amicos, suspecti ne offendi valeant; formidamus inimicos, atque de eis securi non sumus utique quos formidamus: quod plerumque inimicis loquimur, & nonnumquam pura verba proximorum, & multum nos fortasse diligentium, quasi verba suscipimus inimicorum; & qui falli numquam vel fallere volumus, ex cautela nostra gravius erramus. Quid itaque hoc nisi humanæ vitæ * gravis pœna est? Quod emissa cælesti patria repulsus homo delectatur exilio, gravatur curis; & tamen cogitare dissimulat quam grave sit, quia multa cogitantur. Quod privatus est interno lumine, & tamen in hac vita diu vult perpeti cæcitatem suam: quid hoc aliud quam de pœna nostra nata miseria est? Sed quamvis diu hic stare desideret, ipso tamen cursu mortalis vitæ impellitur, ut egrediatur: * cujus infirmitatis pondera bene qui-

Eccli. 40. 1. Moral. lib. 34. c. 4. n. 7. * matrem. * Deo. * superbe. * Moral. Lib. 4. c. 31. n. 34. & seq. * ne quam. * defluentem. * lutum. * secreto. * auctoris. * auctore. * Ibid. lib. 11. c. 49. n. 66. * labore. * miseria est. * Lib. 8. c. 32. n. 55.

quidam Sapiens contemplatus, ait: *Grave jugum* A *super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum,*
* matrem. *usque ad diem sepulturæ in * matre omnium.*

CAPUT XXIII.

Quod melior sit discretus homo peccans, quam indiscretus bene agens.

Eccli.42.14. Moral.lib.22 c.43.n.61. MElior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier. Vir etenim fortis quilibet & discretus vocatur; mulier vero mens infirma vel indiscreta accipitur. Et sæpe contingit ut etiam discretus quisque subito labatur in culpam, atque indiscretus alius & infirmus bonam exhibeat operationem. B Sed is qui indiscretus atque infirmus est, nonnumquam de eo quod bene egerit amplius elevatur, atque gravius in culpam cadit: discretus vero quisque etiam ex eo quod male se egisse intelligit, ad districtionis regulam arctius se reducit; & inde altius ad justitiam proficit, unde ad tempus a justitia cecidisse videbatur. Qua in re recte dicitur: *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier:* quia nonnumquam etiam culpa fortium occasio virtutis fit, & virtus infirmorum occasio peccati.

CAPUT XXIV.

De Sapientia.

Eccli.38.25. Moral.lib.18 c.43.n.68. SApientia in tempore otii: *& qui minoratur actu, ipse percipiet eam.* Nullus quippe eam plene recipit, nisi qui ab omni se abstrahere actionum carnalium fluctuatione contendit. Num. 69. * Sed quid quod plerosque antiquorum patrum novimus hanc sapientiam & intrinsecus vivaciter tenuisse, & curas mundi extrinsecus solemniter ministrasse? Gen 41.43. An perceptione hujus Sapientiæ Joseph privatum dicimus, qui famis tempore totius Ægypti curas suscipiens, non solum Ægyptiis alimenta præbuit, sed vitam quoque exterorum advenientium ministerii sui arte servavit? An ab hac sapientia Daniel alienus extitit; Dan. 2. qui a Chaldæorum rege in Babylonia Princeps magistratuum effectus, tanto majoribus curis occupatus est, quanto & sublimiori dignitate omnibus prælatus? Qua vero aliquando qui solam cælestem patriam diligunt, terrenæ patriæ curis subjacent, pleni superna sapientia discernunt qualiter debeant vacare ad aliud intrinsecus, & ad aliud extrinsecus occupari: ut si forte occulta Dei ordinatione aliquid eis non appetentibus de hujus seculi curis imponitur, cedant Deo quem diligunt, & præ amore ejus intrinsecus solam ejus desiderent visionem, præ timore vero ejus impositam sibi extrinsecus humiliter expleant actionem: ut & vacare Deo appetant ex gratia dilectionis, & rursum curas superimpositas ex conditione expleant servitutis. Cumque occupationes extrinsecus perstrepunt, intrinsecus in amore pacatissima quies tenetur; atque occupationum tumultus exterius perstrepentes dispensat interius præsens judex ratio, & tranquillo moderamine ea quæ circa se minus tranquilla sunt, disponit. Sicut enim vigor mentis frenandis præest motibus carnis; sic sæpe superimpositos tumultus occupationis bene regit amor quietis: quia exteriores curæ, si perverso amore non appetantur, non confuso sed ordinato animo ministrari queunt. Sancti enim viri nequaquam eas appetunt, sed occulto ordine sibi superimpositas gemunt: & quamvis illas per meliorem intentionem fugiant, tamen per subditam mentem portant; quas quidem summopere, si liceat, vitare festinant: sed timentes occultas dispensationes Dei, tenent quod fugiunt, exercent quod vitant. Intrant enim ad cor suum & ibi consulunt quid velit occulta voluntas Dei, seseque subditos esse debere summis ordinationibus cognoscentes, humiliant cervicem cordis jugo divinæ dispensationis. Quisquis talis est, quilibet tumultus versentur extrinsecus, numquam ad ejus interiora perveniunt. Itaque agitur ut & aliud intrinsecus voto, & aliud extrinsecus teneatur officio: & hac ipsa sapientia C non jam turbulenta atque confusa, sed tranquilla corda repleantur. * Mira autem divinitatis pietate agitur, cum is qui perfecto corde ad contemplationem tendit, humanis ministeriis occupatur: ut & multis infirmioribus ejus mens perfecta proficiat; & quo semetipsum imperfectum respicit, inde ad humilitatis culmen perfectior assurgat. Ibid.lib.5. c.4.n.5. Nonnumquam enim sancti viri unde desideriorum suorum detrimenta tolerant, inde majora lucra conversis aliis reportant: quia dum eis vacare, ut appetunt, non licet, rapere secum alios quibus admiscentur libet. Fit ergo mira dispensatione pietatis, ut unde se destructiores æstimant, inde locupletiores ad cælestis patriæ D constructionem surgant. * Nonnumquam vero idcirco ad concepta desideria minime perveniunt, Num. 6. ut ipsa interveniente tarditate, ad eadem desideria laxato mentis sinu dilatentur. Et quæ extenuari fortasse impleta poterant, magna dispositione agitur ut repulsa erescant. Sic quippe mortificari appetunt ut jam perfecte, si liceat, Conditoris sui faciem contemplentur: sed eorum desiderium differtur ut proficiat, & tarditatis suæ sinu nutritur ut crescat. * Intus itaque servant desiderium pietatis, Ibid n. 11. foris autem explent ministerium ordinis, E quatenus nec a perfectione per intentionem recedant, nec per superbiam dispositioni Conditoris contradicant. Qui vivit & regnat per infinita seculorum secula. Amen.

LIBER TERTIUS.

EXCEPTIONES EX OPUSCULIS B. GREGORII PAPÆ in subjectis capitulis Isaiæ Prophetæ.

1 *COgnovit bos possessorem suum.*
2 *Lavamini, mundi estote.*
3 *Auferte malum cogitationum vestrarum.*
4 *Quiescite agere perverse.*
5 *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini.*
6 *Ingredere in petram, abscondere fossa humo.*
7 *Quiescite ab homine cujus spiritus in naribus ejus est.*
8 *Peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt.*
9 *Popule meus, qui te beatificant ipsi te decipiunt.*

10 *In die illo erit fructus terræ sublimis.* A
11 *Væ qui conjungitis domum ad domum.*
12 *Nobiles eorum interierunt fame.*
13 *Væ qui trahitis iniquitates in funiculis vanitatis.*
14 *Anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem.*
15 *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum.*
16 *Jugum oneris ejus, & virgam humeri ejus, & sceptrum exactoris ejus superasti.*
17 *Verbum misit Dominus in Jacob, & cecidit in Israel.*
18 *Lateres ceciderunt, sed quadris ædificabimus.*
19 *Computrescet jugum a facie olei.*
20 *Requiescet super eum spiritus sapientiæ.*
21 *Habitabit lupus cum agno.* B
22 *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis.*
23 *Ecce desolabit Dominus linguam maris Ægypti.*
24 *Sedebo in monte testamenti.*
25 *Væ terræ Cymbalo alarum.*
26 *Custos quid de nocte.*
27 *Qui habitatis in terra Australi, cum panibus occurrite fugienti.*
28 *Erubesce Sidon, ait mare.*
29 *Erit sicut populus sic Sacerdos.*
30 *Ponetur in ea murus, & antemurale.*
31 *Domine, exaltetur manus tua ut non videant.*
32 *Mortui non vivent; Gigantes non resurgent.*
33 *Intra in cubicula tua, claude ostia tua.* C
34 *Super Leviathan serpentem vestem.*
35 *Sola vexatio intellectum dabit auditui.*
36 *Ut faciat opus suum, alienum opus ejus est ab eo.*
37 *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.*
38 *Ut frenum erroris canticum erit vobis.*
39 *Vivit Dominus cujus ignis est in Sion.*
40 *Super humum populi mei spinæ & vepres erunt.*
41 *Beati qui seminatis super omnes aquas.*
42 *Qui ambulat in justitiis, & loquitur veritatem, iste in excelsis habitabit.*
43 *Locus fluviorum rivi latissimi.*
44 *Inebriatus est in cælo gladius meus.*
45 *Orientur in domibus ejus spinæ & urticæ.*
46 *Erit cubile draconum.*
47 *Ibi cubavit lamia, & invenit requiem.*
48 *In cubilibus in quibus dracones habitabant.*
49 *Ponam circulum in naribus tuis.*
50 *Vox clamantis in deserto.*
51 *Omnis caro fenum.*
52 *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion.*
53 *Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem.*
54 *Ponam desertum in stagnum aquæ.*
55 *Calamum quassatum non conteret.*
56 *Tacui, semper silui, patiens fui.*
57 *Dicam Aquiloni, da; & Austro, noli prohibere.*
58 *Glorificabunt me bestiæ agri.*
59 *Germinabunt inter herbas sicut salices.*
60 *Ego Dominus & non est alter.*
61 *Redite prævaricatores ad cor.*
62 *Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon.*
63 *Posuisti profundum maris viam.*
64 *Qui dixerunt animæ meæ, incurvare ut transeamus.*
65 *Mundamini, qui fertis vasa Domini.*
66 *Ad dexteram & ad lævam dilataberis.*
67 *Ego sternam per ordinem lapides tuos.*
68 *Omnes sitientes venite ad aquas.*
69 *Pro saliunca ascendet abies.*
70 *Eunuchis qui custodierunt Sabbata mea, dabo in domo mea locum.*
71 *Mentita es, & non es mei recordata.*
72 *Clama, ne cesses.*
73 *In diebus jejuniorum vestrorum invenitur voluntas vestra.*
74 *Sustollam te super altitudines terræ.*
75 *Ova aspidum ruperunt.*
76 *Qui sunt isti qui ut nubes volant.*
77 *Ut prædicarem annum placabilem Domini.*
78 *Quare rubrum est indumentum tuum?*
79 *Cecidimus quasi folium universi.*
80 *Puer centum annorum morietur.*
81 *Erit mensis ex mense.*
82 *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

D

CAPUT PRIMUM.

Isa. 1. 3. Moral. lib. 1. c. 16. n. 23. * Gentiles. Matth. 21. * venire.

Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. In Scriptura sacra, aliquando per boves Judææ operarii; per asinum * Gentes populi designantur. Unde Dominus Jerusalem tendens asellum sedisse perhibetur. Quid est enim sedendo asinum Jerusalem * tendere, nisi Gentilitatis simplicia corda possidendo, ea ad visionem pacis regendo & præsidendo perducere? Quis enim bos nisi Judaicus populus extitit, cujus cervicem jugum Legis attrivit: & quis asinus nisi Gentilitas fuit, quam quilibet seductor reperit quasi brutum animal, & nulla ratione renitens, quo voluit errore substravit? Bos ergo possessorem, & asinus Domini præsepe cognovit; quia & Hebraicus populus Dominum quem colebat, sed ignorabat, reperit; & Gentilitas, Legis pabulum quod non habebat, accepit.

CAPUT II.

Reg. Past. 3. p. c. 30. adm. 31.

Qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, flendo inaniter se mundant: * quia vivendo nequiter se post inquinant, cum idcirco se lacrymis * mundant, ut mundi ad sordes redeant. Hinc per Isaiam dicitur: *Lavamini, mundi estote.* Post lavacrum enim mundus esse negligit, quisquis post lacrymas vitæ innocentiam non custodit. Et lavantur ergo, & nequaquam mundi sunt: quia commissa flere non desinunt, sed rursus flenda committunt.

* qui. * lavant. Isa. 1. 16.

CAPUT III.

Moral. l. 25. c. 5. n. 7.

Occultas mentis nostræ cogitationes nullus hominum videt: & tamen ante Dei oculos toties labimur, quoties a recto itinere in- E firma cogitatione declinamus. Hinc per Prophetam clamat, dicens: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Hoc nimirum dicens, vim coopertæ nostræ malitiæ quasi ferre se non posse testatur. Quæ cooperta illi esse non potest, quia videlicet importune ejus conspectui ingeritur, quidquid a nobis illicitum * mente cogitatur. Omnia enim, sicut scriptum est, nuda & aperta sunt oculis ejus, * & mala hominum, nec cogitata ignorat,

* occulte. Hebr. 4. 13. * Ibid. n. 8.

rat, nec perpetrata obliviscitur, nisi ab ejus oculis pœnitendo deleantur. * Quid ergo faciemus de malis operibus, si a Deo subtiliter omnia, non solum facta, sed etiam cogitationes pensantur, & ab eo districte judicabuntur? * Nunc ergo dum possumus, in conspectu æterni judicis & male cogitata & pejus perpetrata deleamus. Revocemus ante oculos cordis quidquid perverse egimus: per nequitiam præsumtionis nihil sibi nostra blandiatur infirmitas; &, in his quæ recolit, seipsam delicate non palpet; sed quanto sibi mali male sit conscia, tanto in se benignius sit severa. Proponat contra se futurum judicium: & quæque in se sentit districte ferienda per sententiam judicis, hæc in se feriat pie per pœnitentiam conversionis.

* Ibid. n. 7.
* Moral. lib. 25 c. 6. n. 11.

CAPUT IV.

Quiescite agere perverse; discite benefacere: & venite, & arguite me. Ei namque quem arguimus, rationis auctoritate contraimus. Quid est ergo quod Dominus agere sancta nos admonens, adjungit: *Venite, & arguite me*, nisi quod aperte insinuat, quantam bonis actibus fiduciam præstet? Ac si patenter dicat: Recta agite, & animadversionis meæ motibus, non jam per deprecationis gemitum, sed per fiduciam auctoritatis obviate. Hinc enim Johannes dicit: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*. Hinc est quod arguentem Dominus non habuisse se queritur per Prophetam, dicens: *Quæsivi virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me, ne dissiparem eam; & non inveni*. Hinc Isaias graviter deplorat, dicens: *Iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos: non est qui invocet nomen tuum; qui consurgat & teneat te*.

Isa. 1. 16. Moral. lib. 9. c. 38. n. 60.
1. Johan. 3. 21
Ezech. 22. 30
Isa. 64. 7

CAPUT V.

In Scriptura sacra cum numero singulari mons ponitur, aliquando incarnatus Dominus; aliquando apostata Angelus designatur. Cum vero plurali numero montes nominantur, aliquando celsitudo Apostolorum & Prophetarum exprimitur. Mons namque Dominum signat: * Sicut Isaias incarnandum prospiciens eum esse venturum per prophetiæ spiritum sublevatus, ait: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*. Domus enim Domini Israeliticus populus fuit. Mons itaque domus Domini ille appellatus est, qui ex Israelitico populo incarnari dignatus est. Fuerunt autem in eodem populo sancti viri qui montes jure vocarentur. Quia per vitæ meritum ad cælestia propinquaverunt. Sed incarnatus Dominus istis montibus æqualis non fuit, * quia natura vitæ merita omnium ex sua divinitate transcendit. Unde & recte mons super verticem montium dicitur, quia excelsus ex divinitate sua inventus est etiam super cacumina Sanctorum; ut hi qui multum in Domino * proficerent, ejus vestigia vix potuissent tangere ex vertice cogitationis. * Mons itaque est in vertice montium incarnatus Dominus, transcendens celsitudinem Prophetarum. Rursum per montem Angelus apostata designatur; sicut sub Babylonis regis specie de antiquo hoste per eumdem Isaiam in sequentibus dicitur prædicationibus: *Super montem caliginosum levate signum*. Prædicatores quippe sancti super caliginosum montem signum elevant, quando contra Satanæ superbiam qui sæpe sub nebula simulationis absconditur, virtutem crucis exaltant.

Moral. lib. 33 c. 1. n. 2
* Lib. 2. hom. in Ezech. hom. 4
Isa. 2. 2
* quia naturam, vitam.
* profectant.
* Moral. l. 33 c. 1. n. 8
Isa. 13. 2

CAPUT VI.

Cordis nostri duritia crebris perscrutationum ictibus est rumpenda; sicut ad Isaiam Dominus dicit: *Ingredere in petram: abscondere fossa humo a facie timoris Domini, & a gloria majestatis ejus*. Petram ingredimur, cum * corporis nostri duritiam penetramus: & a facie timoris Domini fossa humo abscondimur, si terrenas cogitationes egerentes, ab ira districti judicis in humilitate mentis nostræ celamur. Quo enim plus terra fodiendo projicitur, eo pavimentum semper inferius demonstratur. Unde & nos si a nobis studiosius terrenas cogitationes ejicimus, quo apud nosipsos abscondamur humilius, invenimus. Ecce enim quia divini judicii dies imminet, quasi ipsa jam timoris ejus facies apparet: tantoque magis necesse est ut unusquisque illum terribilius timeat, quanto jam gloria majestatis ejus appropinquat. Quid ergo agendum est, quove fugiendum? quo enim quis latere potest eum qui ubique est? Sed ecce petram ingredi, fossa humo occultari præcipimur, ut videlicet cordis nostri duritiam disrumpentes, eo iram invisibilem declinemus, quo ab amore rerum visibilium apud nosipsos in corde subtrahimur: ut cum pravæ cogitationis terra ejicitur, mens apud se ipsam tanto tutius, quanto humilius abscondatur.

Moral. lib. 31 c. 27. n. 55
Isa. 2. 10
* cordis.

CAPUT VII.

Quiescite ab homine cujus spiritus in naribus ejus est, quia excelsus reputatus est ipse. Naribus præscientia designatur: quia sæpe id quod non videmus, odore comprehendimus; itaut nonnullæ res, etiam cum longe jaceant, fragrantia nobis suæ qualitatis innotescant: dumque per nares spiritum ducimus, plerumque aliqua & invisa præscimus. Redemtoris ergo nostri spiritus esse in naribus dicitur; ut videlicet scientia illius esse in præscientia designetur: quia quæcumque se scire in natura humanitatis innotuit, hæc nimirum ante secula ex divinitate præscivit. Qui unde spiritum in naribus * habuit Propheta subjungit: quia excelsus reputatus est ipse. Ac si diceret: In inferioribus ventura desuper * præscit, quia ad ima de cælestibus venit.

Isa. 2. 22 Moral. lib. 34 c. 26. n. 51
* habuerit.
* præscivit.

CAPUT VIII.

Sunt quidam qui postquam Deum in mente contemserint, multo magis humana judicia spernunt: & omne malum quod appetunt, nulla aperta verecundia retardati, audaciter peragere non erubescunt. * Cum vero pravus quisque impudenter innotescit: quo liberius omne facinus perpetrat, eo etiam licitum putat: & quod licitum suspicatur, in hoc proculdubio multiplicius mergitur. Unde scriptum est: *Peccatum suum, sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt*. Peccatum enim suum si Sodoma absconderet, adhuc sub timore peccaret: sed funditus frena timoris amiserat, quia ad culpam nec tenebras requirebat.

Moral. lib. 4 c. 27. n. 51
* Regul. Past. 3. part. c. 31 Admon. 32
Isa. 3. 9

CAPUT IX.

In Ezech. l. 1 hom. 9 n. 25. * semper tacitis.
IN omni quod de nobis dicitur, * tacite recurrere ad mentem debemus, interiorem testem & judicem quærere. Quid enim prodest si omnes laudent, cum conscientia accuset? aut quid poterit obesse, si omnes nobis derogent, & sola
Isa. 3. 12.
conscientia nos defendat? Hinc Isaias ait: *Populus meus, qui te beatificant ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Qui videlicet populus ne verba suæ laudis attenderet, & in culpas altius periret, statim ei dicitur, quem aspiciat, cujus judicium pertimescat, cum subditur: *Stat ad judicandum*
Ibid. 13.
Dominus: stat ad judicandos populos. Ac si aperta dicat: Judicia humana cur sequeris, qui stare B te cælestem scis judicem?

CAPUT X.

In Ezech. l. 2 hom. 2, n. 9.
MEDIATOR Dei & hominum Christus Jesus, non solum homo ultra homines, sed homo etiam super Angelos factus est. Hinc
Isa. 4. 2.
enim de illo per Isaiam dicitur: *In die illa erit fructus terræ sublimis*: Creator etenim noster quia pro nobis incarnatus est, fructus terræ factus est nobis. Sed jam fructus sublimis terræ est, quia homo na-
Psal. 8. 8.
tus in terra, super Angelos regnat in cælo, quia
Hebr. 2. 8.
juxta David & Pauli vocem, omnia subjecit sub pedibus ejus: in eo enim quod illi subjecit omnia, nihil dimisit non subjectum ei.

CAPUT XI.

In Pastor. Reg. 3 part. c. 20 admon. 21 Isa. 5. 8. * agro.
MULTIPLICARE larga habitationis spatia cupientibus Dominus per Isaiam dicit: *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum ad * agrum copulatis, usque ad terminum loci. Numquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Ac si aperta diceret: Quousque vos extenditis qui habere in communi mundo consortes minime potestis? conjunctos quidem premitis: sed contra quos vos valeatis extendere semper invenitis.

CAPUT XII.

Moral. lib. 1. c. 21 n. 29.
SCRIPTURA sacra aliquando nobis cibus est, aliquando potus: Cibus est in locis obscurioribus, quia quasi exponendo frangitur, & mandendo glutitur: potus vero est in locis apertioribus, quia ita sorbetur sicut invenitur. Quasi cibum & po-
* defuisse.
tum vidit Propheta Isaias Judææ * defecisse, cum
Isa. 5. 13.
diceret: *Nobiles ejus interierunt fame*. Paucorum quippe est fortia & occulta cognoscere: multorum vero historiæ aperta sentire: & idcirco Judææ nobiles non siti, sed fame interiisse asserit; quia ii qui præesse videbantur dum totos se exteriori intelligentiæ dederant, quod de intimis discutiendo manderent non habebant. Quia vero sublimioribus ab interno intellectu cadentibus, parvulorum intelligentia & in exterioribus exsiccatur; recte illic adjungitur, *Multitudo ejus siti exaruit*. Ac si aperte diceret: Dum vulgus vitæ suæ studium deserit, jam nec historiæ fluenta exquirit. Cibum vidit Jeremias Scripturam sacram qui exponen-
Thren. 4. 4.
do frangeretur, cum diceret: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*: Id est, infirmi quique Scripturæ sacræ valentiores sententias petierunt exponendo comminui, sed qui exponere
* Lib. 1 ho 3. in Ezech. n. 19.
debeat non valet inveniri. * Inter hæc considerare libet nos qui sumus, qui usque ad sacri aloquii

A perscrutanda mysteria sublevamur. Certe in antiquis parentibus nostris cultores idolorum fuimus, sed ecce per spiritum gratiæ verba jam cælestia sitimamur. Unde hoc nobis? Sed implevit Redemtor humani generis quod per Isaiam dixit: *Et deser-* Isa 5. 17.
ta in ubertatem versa, advenæ comedent. Hæc quippe Prophetarum dicta deserta apud Judæos fuerunt, quia per intellectum mysticum ea excolere inquirendo noluerunt: nobis autem in ubertatem versa sunt; quia juxta historiam dicta, largiente Deo, menti nostræ spiritualiter sapiunt, & jam advenæ comedimus, quæ cives Legis manducare noluerunt.

CAPUT XIII.

VÆ qui trahitis * iniquitates in funiculis vanita- Isa. 5. 18.
tis. Per funem peccata signantur. Itaque Moral. 13. c. 10 n. 13.
iniquitas in funiculis vanitatis trahitur, dum * iniquitatem.
per augmentum culpa protelatur: quia enim funis addendo torquetur ut crescat, non immerito peccatum in fune figuratur; quia perverso corde sæpe dum defenditur multiplicatur.

CAPUT XIV.

SCIENDUM est, quia quamdiu in hac mortali carne vivitur, nullus ita in contemplationis Lib. 2 hom. 2. in Ezech. n. 14.
virtute proficit, ut in ipso jam incircumscripto luminis radio mentis oculos infigat. Neque enim
C omnipotens Deus jam in sua claritate conspicitur, sed quiddam sub illa speculatur quo anima videndo proficiat, & post ad visionis ejus gloriam pertingat. Sic namque Isaias cum se Deum vidisse fateretur, dicens: *Anno quo mortuus est rex Ozias,* Isai. 6. 1.
vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum; protinus adjunxit: *Et ea quæ sub ipso erant, implebant templum.* Quando Ozias rex superbus ac præsumtor moritur, videtur Dominus; quia cum mundi hujus elatio a desiderio mentis occiditur, tunc ipsa mens gloriam Dei contemplatur. Et notandum quod Dominus super solium excelsum & elevatum sedet: quid namque est ejus solium nisi creatura angelica vel humana, cui per intellectum quem dedit, præsidet? Quod videlicet
D solium excelsum & elevatum dicit; quia & natura humana, ad cælestem gloriam elevata, proficit; & creatura angelica, dum multis spiritibus cadentibus jam solidata est in cælo ne cadat, inde elevata est unde & confirmata. Templum vero hoc est quod solium; quia æternus rex ibi habitat ubi sedet. Nos ergo templum illius sumus, in quorum mentibus habitare dignetur. Sed ea quæ sub ipso erant, implebant templum: quia quidquid de illo modo conspicitur, adhuc non est ipse, sed sub ipso est. Sic Jacob Angelum vidit, & vidisse se Genes. 28.
Dominum fatetur: quia cum * mysteria ejus * ministeria, id est, ministros, scilicet Angelos.
conspicimus, jam multum est quod super nosipsos levamur. Notandum vero quod dicitur, *implebant templum*: quod etsi Angelus appareret, infir-
E mæ tamen mentis desiderio * satisfaceret, ut si ad- * satisfecit
huc majus non potest, jam tamen minus quod videt admiretur. Ea vero quæ sub ipso sunt, implent templum: quia sicut dictum est, & cum mens in contemplatione profecerit, non jam quod ipse est, sed id quod sub ipso est contemplatur.

CA-

CAPUT XV.

Dialog. l. 3. cap. 15. TURBIS popularibus admixti dum frequenter otiosa, nonnumquam vero etiam graviter noxia loquimur; os nostrum omnipotenti Deo tanto longinquum fit, quanto huic mundo proximum: multum quippe deorsum ducimur, dum locutione continua secularibus admiscemur. Quod bene Isaias postquam regem Dominum exercituum vidit * seipsum reprehendit & pœnituit, dicens: *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum*. Qui cur labia polluta haberet aperuit, dum subjunxit: *In medio populi labia polluta habentis ego habito*. Pollutionem namque labiorum habere se doluit, sed unde hanc contraxerit, indicavit, cum in medio populi polluta labia habentis se habitare perhibuit. Valde enim difficile est ut lingua secularium mentem non inquinet quam tangit; quia dum plerumque eis ad quædam loquenda condescendimus, paulisper ab otiosis ad noxia, a levibus ad gravia verba venimus; & os nostrum ab omnipotente Deo tanto jam minus exauditur in prece, quanto amplius inquinatur stulta locutione.

* in semetipso. *Isa. 6. 5.*

CAPUT XVI.

Moral. lib. 30. c. 35. n. 72. Isa. 9. 4. REDEMTORI nostro Gentilitatem a diaboli dominio liberanti per Isaiam dicitur: *Jugum oneris ejus, & virgam humeri ejus, & sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian*. Eripiens quippe Gentilitatem Dominus, superavit jugum oneris ejus, cum eam adventu suo ab illa dæmoniacæ tyrannidis servitute liberavit; superavit virgam humeri ejus, cum percussionem illius * qua ex perverso opere graviter deprimebat, ab humano genere redemto compescuit. Superavit sceptrum exactoris ejus, cum regnum ejusdem diaboli qui pestifera perpetratione vitiorum exigere consueverat debita tributa pœnarum, de fidelium corde destruxit. Sed quomodo hæc acta sunt audiamus; subjunctum est: *Sicut in die Madian*. Hoc Madianitarum bellum, quod in comparatione adventus dominici a Propheta vigilanter illatum est, in libro Judicum superius disertum est.

* quæ.

CAPUT XVII.

Isa. 9. 8. Moral. lib. 2. c. 35. n. 57. VErbum misit Dominus in Jacob, & cecidit in Israel. Jacob * supplantator: Israel vero vir videns Deum, dicitur. Quid per Jacob nisi Judaicus populus; & quid per Israel, nisi Gentilis populus designatur? quia quem Jacob per mortem carnis supplantare studuit, hunc nimirum per oculos fidei Gentilitas Deum vidit. Ad Jacob ergo missum verbum in Israel cecidit, quia eum quem ad se venientem Judaicus respuit, hunc repente consistens populus Gentilis invenit.

* quippe.

CAPUT XVIII.

Lib. 2. hom. 9. in Ezech. num. 5. CUM Judæorum populum Isaias a fide perire cognosceret, & sanctos Apostolos fortes surgere in Ecclesia prævideret, per quos multi sunt ex Gentibus in fidei & vitæ fortitudine solidati; in magna consolatione locutus est, dicens: *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus*. Lapis quadrus æque stat in quocumque latere * ceciderit. Quos ergo lapides quadros accipimus, nisi quos habet sanctos, quorum vita in prosperitate, & adversitate novit fortiter stare, nec casum in qualibet permutatione habere? Videns itaque Propheta in sancta Ecclesia Apostolos, Martyres, & Doctores surgere; & de laterum casu, id est * Judæorum minus doluit, quia omnipotentis Dei ædificium, id est Ecclesiam sanctam de quadris lapidibus ædificari conspexit.

Isa. 9. 10. * fuerit versus. * de Judæorum perditione.

CAPUT XIX.

*Isa. 10. 27. Moral. lib. 29. c. 13. & * hom. ad initiandum num. 4.* COmputrescet jugum a facie olei. Nomine olei ipsa sancti Spiritus unctio designatur: * sub jugo quippe tenebamur dæmoniacæ dominationis, sed uncti sumus oleo Spiritus sancti: & quia nos gratia sancti Spiritus unxit, dominationis dæmoniacæ jugum, quo libertatis nostræ colla premebantur, repulsum computruit, & a captivitatis nostræ servitute sumus liberati, Paulo attestante, qui ait: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*. * De hoc rursus oleo scriptum est: *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei*. Filius quippe olei fidelis populus dicitur, quia ad fidem Dei interna Spiritus sancti unctione generatur.

* *Ibid. l. 29. c. 15. n. 29. 2. Cor. 3. 17. Isa. 5. 1.*

CAPUT XX.

Lib. 2. hom. 7. in Ezech. num. 7. PER sancti Spiritus septiformem gratiam aditus nobis cælestis vitæ aperitur. Quam septiformem gratiam Isaias in ipso nostro capite, vel in ejus corpore quod sumus, enumerans dicit: *Requiescet super eum Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini*. Quos gradus de cælestibus loquens, descendendo magis quam ascendendo numeravit; videlicet sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, pietatem, timorem. Et cum scriptum sit: *Initium sapientiæ timor Domini*; constat proculdubio quia a timore ad sapientiam ascenditur, non autem a sapientia ad timorem reditur; quia nimirum perfectam habet sapientia caritatem; & scriptum est: *Perfecta caritas foras mittit timorem*. Propheta ergo quia de cælestibus ad ima loquebatur, cœpit a sapientia & descendit ad timorem: sed nos qui de terrenis ad cælestia tendimus, a timore ad sapientiam numerantes ascendimus: Est itaque primus gradus ascensionis timor Domini in mente. Sed qualis timor iste est si pietas in eo non est? Qui enim compati tribulationi proximi vel ignorat vel dissimulat; hujus timor ante Deum nullus est, quia ad pietatem non sublevatur: sed pietas per inordinatam misericordiam, * cum peccata quæ parcenda non sunt, & quæ feriri gehennæ ignibus possunt, * temporaliter parcit, ad æternum supplicium pertrahit. Ut ergo vera & ordinata sit pietas, ad scientiam est sublevanda: ut sciat quid ex justitia puniat; quid ex misericordia dimittat. Sed quid, si sciat quid agere quis debeat, virtutem vero agendi non habeat? Scientia ergo nostra crescat ad fortitudinem; ut cum videt quid agendum sit, hoc agere per mentis fortitudinem possit, ne a timore trepidet, & timore lapsa non valeat defendere bona quæ sentit. Sed sæpe fortitudo si improvida fuerit, & minus contra vitia circumspecta, ipsa sui præsumtione in casum ruit. Ascendat ergo ad consilium, ut prævidendo præmuniat omne quod agere fortiter potest. Sed esse consilium non potest, si intellectus deest: quia

Isa. 11. 2. 3. *Prov. 9. 10.* *1. Johan. 4. 18.* * errare solet, si forte ipsa pepercerit quæ parcenda non sunt. Peccata enim. * disciplinæ verbere sunt corrigenda. Sed inordinata pimas cum.

qui non intelligit malum quod agentem gravat, quomodo potest bonum solidare quod adjuvat? Itaque a consilio ascendamus ad intellectum. Sed quid si intellectus magno quidem acumine vigilet, & moderari se nesciat per maturitatem? Ab intellectu ergo ascendatur ad sapientiam; ut hoc quod acute intellectus invenit, sapientia mature disponat. Quia igitur per timorem surgimus ad pietatem; per pietatem ducimur ad scientiam; per scientiam ad fortitudinem roboramur; per fortitudinem ad consilium tendimus; per consilium in intellectum proficimus; per intellectum ad sapientiam pervenimus: per septiformem sancti Spiritus gratiam nobis ascendentibus aditus vitæ cælestis aperitur.

CAPUT XXI.

Lib. 2. hom. 4. in Ezech. n. 9.

AD audiendum verbum omnipotentis Domini, nos qui religioso induti habitu videmur, ex diversa mundi qualitate convenimus, & ex dissimilibus iniquitatibus in sanctæ Ecclesiæ concordia congregati sumus: ita ut * patenter factum esse videatur quod de repromissione Ecclesiæ per Isaiam dicitur: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit*. Lupus quippe cum agno habitat: quia ii qui in seculo raptores fuerunt, cum mansuetis & mitibus in pace conquiescunt: & pardus cum hædo accubat; quia is qui peccatorum suorum maculis varius fuerit, cum eo qui se despicit, & peccatorem fatetur, humiliari consentit. Ubi & subditur: *Vitulus, & ovis, & leo simul morabuntur*; quia & is qui per contritum cor ad quotidianum se Deo sacrificium præparat, & alius qui tamquam leo ex crudelitate sæviebat, & alter qui velut ovis innocentiæ suæ simplicitate perdurat, in caulis sanctæ Ecclesiæ convenerunt. Sequitur: *Et puer parvulus minabit eos*. Quis est iste parvulus, nisi is de quo scriptum est: *Puer natus est nobis*? Puer ergo parvulus nos simul minat habitantes, quia is qui paulo minus quam Angeli minoratus est; corda nostra per internum desiderium ad suum amorem incessanter accendit, & per dilectionis suæ caritatem quam nobis tribuit, in hoc nos mundo mentem figere non permittit.

* jam. — Isa. 11. 6 — Ibidem. — Ibidem. — Isa. 9. 6

CAPUT XXII.

Moral. lib. 17 c. 32. n. 51.

ANTIQUUS hostis nunc Sanctos omnes non tenendo possidet, sed tentando persequitur: & quia intus dominium perdidit, bella molitur foris. Ille enim eum de carnalibus hominum cordibus expulit, qui propter homines ad incarnationem venit. Unde per Isaiam dicitur: *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, & in cavernam reguli qui ablactatus fuerit manum suam mittet: non nocebunt, neque occident in universo monte sancto meo*. Quem namque infantem ab ubere, vel eum qui ablactatus fuerit nisi Dominum appellat? Quid vero foramine aspidis, vel caverna reguli, nisi corda signavit iniquorum? Quia antiquus hostis, dum totum se in eorum consensu contulit, quasi in foramine * proprie coluber tortuosus sinus astutiæ colligendo glomeravit: quem & aspidis appellat nomine occulte sævientem, & regulum aperte ferientem. Manum ergo suam in foramine reguli, & aspidis misit Dominus, quando iniquorum corda divina potestate tenuit, & comprehensum exinde aspidem vel regulum, id est diabolum, captivum traxit; ut in monte sancto ejus, quod est Ecclesia, electis fidelibus non noceret.

Isa. 11. 8 — * proprio.

CAPUT XXIII.

Moral. lib. 33 c. 10. n. 18 19

INCARNATUS Dominus noster ab electorum suorum cordibus cuncta diabolicæ fallaciæ argumenta destruxit, & veritate ejus cognita, cuncta erroris & falsitatis doctrina conticuit. Unde per Isaiam dicitur: *Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti*: lingua quippe maris Ægypti est scientia doctrinæ secularis. Bene ergo mare Ægyptus dicitur, quia peccati obscuritate fuscatur: linguam vero maris Ægypti Dominus desolat, quia hujus mundi falsam sapientiam, per carnem se ostendendo destruxit.

Isa. 11. 15

CAPUT XXIV.

Isa. 14. 13 — Lib. 1 hom. 8. in Ezech. num. 9

SEdebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Malignus spiritus qui hæc loquitur montem testamenti tenuit; quia Judaicum populum qui legem acceperat sibi in perfidia subjugavit. Quando enim corda doctorum tenet, in monte testamenti diabolus præsidet. Qui etiam in lateribus Aquilonis sedet, quia mentes hominum frigidas possidet. * Pro eo enim quod ventus Aquilo constringit in frigore, non incongrue Aquilonis nomine torpor maligni spiritus designatur.

* Ibidem.

CAPUT XXV.

Moral. lib. 33 c. 10. n. 13

SICUT incarnatus Dominus in prædicatione sua pauperes, idiotas, & simplices elegit; sic econtra ille damnatus homo, quem in fine mundi apostata Angelus assumet ad prædicandum falsitatem suam, astutos ac duplices, & hujus mundi scientiam habentes, electurus est. Unde per Isaiam dicitur: *Væ terræ Cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ, quæ mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas*. Terra quippe cui væ dicitur, ille principaliter damnatus homo est: qui alarum Cymbalum vocatur, quia hi qui per superbiam in altitudinem cogitationis evolant, eumdem perversum hominem prædicando sonant. Quæ videlicet terra recte trans flumina Æthiopiæ esse perhibetur; Æthiopia enim nigrum populum mittit, & omnem hominem mundus iste, quia peccatorem profert, quasi nigrum Æthiopia populum parit. Sed terra cui væ dicitur, trans flumina Æthiopiæ esse perhibetur, quia damnatus ille homo tanta immensitate iniquus est, ut omnium peccantium peccata transcendat. Qui mittit in mare legatos; quia prædicatores suos in seculo spargit: de quibus recte subditur qualiter mittantur dum dicitur: *In vasis papyri super aquas*. Ex papyro quippe charta est. Quid itaque per papyrum nisi secularis scientia designatur? Vasa ergo papyri sunt corda doctorum secularium. In vasis ergo papyri super aquas legatos mittere, est prædicationem suam in sapientium carnalium sensibus ponere, & defluentes ad culpam populos vocare.

Isa. 18. 1

CAPUT XXVI.

Moral. lib. 1 c. 19. n. 34 & lib. 16. cap. 59 num. 74.

JUDÆI persecutores Redemtoris nostri, in eo divinæ virtutis miracula cernebant; & tamen de ejus divinitate dubitabant, & in ipsa veritatis præ-

sen-

Isa. 21. 11.

sentia perfidiæ errore cæcati sunt: sicut Isaias dicit: *Custos quid de nocte, custos quid de nocte? Dixit custos: venit mane & nox*. Per mane, adventus dominicæ incarnationis intelligitur. De nocte itaque custos venit: quia humani generis protector, & manifestus in carne apparuit, & tamen hunc pressa perfidiæ suæ tenebris Judæa minime cognovit. Ubi bene ex voce custodis additur: venit mane & nox: quia per ejus præsentiam & novæ lucis primordia mundo fulserunt, & tamen in corde infidelium vetusta cæcitas remansit, & a persecutorum cordibus perfidiæ suæ tenebræ non sunt detersæ: quorum cæcitas ad crudelitatem, crudelitas usque ad aperta opera persecutionis exarsit. * Nam doctrinæ veritatis invidentes, oportunitatem dominicæ traditionis exquirebant. De quibus dicit Propheta: *Et nunc ignis adversarios consumit*. Ac si aperte dicat: Malos non solum ignis per vindictam post cruciat, sed nunc etiam per livorem cremat: quia qui post puniendi sunt retributionis supplicio, nunc seipsos afficiunt invidiæ tormento. Dum vero a doctoribus, qui vera docere videbantur, flamma invidiæ exarsit, imperitus populus adversitatem Pharisæorum & Principum tolerare timent, concrematione pariter consumtus est infidelitatis, & a præpositis invidiæ flamma descendens, corda plebis subvertendo succendit: impleta prophetia quæ dicit: *Zelus apprehendit populum ineruditum*. Ac si aperte dicat: Dum Prophetarum verba plebs discutere noluit, sed crudelitatem suam verbis invidentium dedit, zeli igne periit, quia in alienæ invidiæ se flamma concremavit.

* Ibid lib. 2. c. 31. n. 51. Isa. 26. 11.

Rom. 10. 2.

CAPUT XXVII.

Moral. 25. c. 23. n. 45. Isa. 21. 14.

IN Scriptura sacra eruditio divinæ doctrinæ designatur; sicut per Isaiam dicitur: *Qui habitatis in terra Australi; cum panibus occurrite fugienti*. In terra Australi habitant qui in sancta Ecclesia positi, superni spiritus caritate perflantur: fugit autem qui hujus mundi mala evadere concupiscit. Qui ergo in terra Australi habitat, fugienti cum panibus occurrat, id est is qui jam sancto Spiritu intra Ecclesiam positus est, eum qui mala sua evadere nititur eruditionis eloquio consolatur. Fugienti scilicet cum panibus occurrere, est metuenti æterna supplicia doctrinæ sacræ escas offerre, & modo tumorem terrore comprimere, modo pavorem exhortatione refovere. Quia panis refectio Scripturæ sacræ non inconvenienter accipitur: per eumdem Prophetam Judæis solam litteram servantibus dicitur: *Quare appenditis argentum, & non in panibus?* Ac si diceret; Pensatis sacra eloquia, sed non in refectione: quia dum solam speciem litteræ custoditis, de spirituali intelligentia pinguedinem internæ refectionis amittitis. Unde & * aperte subjungitur: *Et laborem vestrum non in saturitate*.

Isa. 55. 2.

Ibidem. * apte.

CAPUT XXVIII.

Præf. Moral. c. 2. n. 5.

PLERUMQUE ex vita Gentilium redarguitur vita sub Lege positorum, & ex actione secularium confunditur actio religiosorum: dum isti etiam promittendo non servant quæ in præceptis audiunt; & isti vivendo ea custodiunt in quibus nequaquam mandatis legalibus adstringuntur: * dum illi ultra habitum assumunt opera; & isti juxta ordinem proprium non excitant corda. Quod per Isaiam breviter dicitur: *Erubesce Sidon, ait mare*. In Sidone quippe figuratur stabilitas in lege positorum & religiosorum, in mare vero vita Gentilium & secularium. Quasi ergo per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per comparationem vitæ Gentilium & secularium atque in hoc mundo fluctuantium Christianorum, & Religiosorum, qui muniti & quasi stabiles cernuntur, vita reprobatur.

* Regul. Past. 3. part. c. 28. admon. 29.

Isa. 23. 4.

CAPUT XXIX.

EX ira justæ retributionis per Isaiam Dominus minatur, dicens: *Erit sicut populus sic Sacerdos*: Sacerdos quippe est sicut populus, quando ea agit is qui spirituali officio fungitur, quæ illi nimirum faciunt, qui adhuc de studiis carnalibus judicantur: quando in terrenis negotiis, quæ reprehendere in aliis debuit, Pastor animarum versatur.

In Reg. Past. 2. part. c. 7. Osee 4. 9.

CAPUT XXX.

PLERUMQUE in sacro eloquio ex profectionis suæ * munere murus dici incarnatus Dominus solet, de quo pro Ecclesiæ sanctæ ædificatione per Isaiam dicitur: *Ponetur in ea murus & antemurale*. * Ipse enim nobis est murus qui nos undique custodiendo circumdat, qui ad corda nostra pertingere malignorum spirituum cursum vetat: * antemurale vero muri nostri omnes Prophetæ fuerunt qui priusquam appareret Dominus in carne, ad construendam fidem prophetando missi sunt. Recte quippe antemurale vocantur qui dum subsequentem prædicaverunt Dominum, quasi ante murum steterunt. In sancta ergo Ecclesia Dominus murus nobis, & Prophetæ ejus antemurale sunt positi, quia ad nos quos ipse perfecte protegi, etiam Prophetarum verba in fidei constructione venerunt. Unde bene prius murus, & post antemurale ponitur, quia vocati ex Gentibus nisi prius Dominum cognovissemus, Prophetarum illiut dicta minime suscepissemus.

Ezech. hom. 2. lib. part 2. 3. * munimine.

Isa. 26. 1. * Moral. l. 29. cap. 31. * In Ezech. lib. 2. homil. 5.

CAPUT XXXI.

INTELLECTUM reproborum nunc merita obscurant, sed in die judicii cognitio reatus illuminat; ut & modo sequendam vitam non videant, & tunc eam postquam amiserint, cernant. De quibus per Isaiam dicitur: *Domine, exaltetur manus tua ut non videant; videant & confundantur*. Nunc quippe æterna intelligere negligunt, vel appetere intellecta contemnunt: sed tunc ea intelligentes desiderantasque conspiciunt, & considerata assequi pudore confusi nequaquam possunt.

Moral. 7. c. 32. n. 47.

Isa. 26. 11.

CAPUT XXXII.

MOrtui non vivent, Gigantes non resurgent. Quos mortuos Isaias hic nominat, nisi peccatores: & quos Gigantes, nisi eos qui de peccato etiam superbiunt, appellat? Illi vero non vivunt, quia peccando vitam justitiæ perdiderunt: isti etiam resurgere post mortem nequeunt, quia post culpam suam inflati per superbiam, ad pœnitentiæ remedia non recurrunt.

Isa. 26. 14. Moral 17. c. 21. n. 30.

CA-

CAPUT XXXIII.

*Isa. 26. 20. Moral. 4. c. 26. n. 47. *in cubicula.*

INtra * *cubilia tua, claude ostia tua.* Ostia sunt desideria concupiscentiæ carnalis; cubilia quippe ingredimur, cum secreta nostræ mentis intramus: ostia vero claudimus, cum desideria illicita coercemus.

CAPUT XXXIV.

Moral 4. c 9 n. 15. Isa. 27. 1.

DOMINUS Angelum apostatam describens, dicit per Isaiam: *Super serpentem Leviathan vectem, serpentem tortuosum.* Leviathan interpretatum dicitur additamentum eorum, scilicet hominum: recte autem additamentum eorum dicitur; quia eos immortales in paradiso reperit, sed divinitatem immortalibus promittens, quasi eis aliquid ultra quam erant se addere blande spopondit. Serpens vero tortuosus vocatur, quia in eo quod se addere homini promisit, tortuosis ad eum sinibus irrepsit: quia dum falso impossibilia spopondit, vere & possibilia sustulit. Quærendum vero est cur qui serpentem dixerat tortuosum, subjungens interposuit vectem; nisi forte in serpentis fortitudine fluxa mollities, in vecte autem est duritia rigiditatis. Ut ergo hunc durum designaret & mollem, & vectem nominat & serpentem. Durus est per malitiam; mollis per blandimenta: vectis dicitur, quia usque ad necem percutit; serpens vero, quia se per insidias molliter infundit.

CAPUT XXXV.

*Moral. lib. 15. n. 58. Isa. 28. 19. *Lib. 11. c. 29 num. 41.*

NESCIT impius mala quæ fecit nisi cum pro eisdem malis ceperit puniri. Unde per Isaiam dicitur: * *Sola vexatio dabit intellectum auditui.* Cum enim de præceptis Dei contemtis verberari & vexari per vindictam ceperit, tunc intelliget quod audivit.

CAPUT XXXVI.

Lib. 2. hom. 4 in Ezech. num. 20. Isa. 28. 21.

SALUTEM nostram in passione Domini contemplatus Isaias, ait: *Ut faciat opus suum, alienum est opus ejus ab eo.* Opus enim Dei est animas quas creavit colligere, & ad æternæ lucis gaudia revocare. Flagellari vero, & sputis illiniri, crucifigi, mori, & sepeliri, non hoc in sua substantia opus Dei est, sed opus hominis peccatoris, qui hæc omnia meruit per peccatum. Ut ergo faciat opus suum, alienum opus ejus est ab eo; quia incarnatus Deus ut nos ad suam justitiam colligeret, dignatus est pro nobis tamquam peccator homo vapulare; & alienum opus fecit, ut faceret proprium: quia per hoc quod infirmatus mala nostra sustinuit, nos, qui creatura illius sumus, ad fortitudinis suæ gloriam perduxit.

CAPUT XXXVII.

Lib. 2. hom. 34 in Evang. n. 16. & 17.

PENSEMUS, carissimi, super nos caritatem Conditoris nostri. Peccare nos videt, & perferti & ipse quem peccando despicimus post culpam expectare ad veniam non cessat. Aversi ab illo sumus: & tamen revocando nos, non avertitur. Quia nimirum per Isaiam post delictum misericordia vocationis exprimitur, cum averso homini dicitur: *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum,* *Isa. 30. 20.*

A *& aures tuæ audiens * verbum post tergum monentis.* Humanum quippe genus Dominus in faciem monuit, quando in paradiso condito homini, & in libero arbitrio stanti, quid facere, quidve non facere deberet indixit; sed homo in faciem Dei terga dedit, cum superbiens ejus jussa contemsit. Nec tamen superbientem Deus deseruit, quia ad revocandum hominem Legem dedit, exhortantes Angelos misit, in carne nostræ mortalitatis apparuit: ergo post tergum stans nos admonuit, qui ad recuperationem nos gratiæ etiam contemtus vocavit. Quod ergo generaliter dici potuit de cunctis, hoc necesse est specialiter sentiri de singulis: quasi enim coram positus Deo quisque verba monitionis ejus percipit, B cum priusquam peccata perpetret voluntatis ejus præcepta cognoscit. Adhuc enim ante ejus faciem stare est, necdum eum peccando contemnere: cum vero derelicto bono innocentiæ iniquitatem eligens appetit, terga jam in ejus faciem mittit. Sed ecce adhuc & post tergum Deus subsequens monet, qui etiam post culpam ad se * rediri persuadet. Vocem ergo post tergum monentis audimus, si ad invitantem nos Dominum saltem post peccata revertimur. * Superbe quidem aversos per patientiam expectat, per præcepta clamans benigne revocat. Tanta ergo Conditoris nostri misericordia duritiam nostri reatus emolliat: ut homo qui malum quod fecit experiri percussus poterat, saltem expectatus erubescat.

** mon-m. * a. qui post. 1 Past c. 28. admon. 29.*
** rediro.*
** Hom ut sup. pra. n. 17.*

C

CAPUT XXXVIII.

Lib 2. hom. 8. in Ezech. num. 22.

ANTIQUI parentes nostri lignis servierunt & lapidibus: nos vero per omnipotentis Dei gratiam de servitio creaturæ colla mentis excussimus; & in nobis impletum est quod per Isaiam dicitur: *Et frenum erroris quod erat in maxillis populorum canticum erit vobis, sicut vox sanctificatæ solemnitatis.* Frenum quippe erroris maxillas populorum constrinxerat, quando idolorum errore obligata Gentilitas, Deo vero confessionis laudem dare nesciebat. Sed hoc ipsum frenum erroris jam nobis in canticum versum est, cum gaudendo psallimus & cantamus: *Omnes dii Gen-* D *tium dæmonia: Dominus autem cælos fecit.* Quia itaque hæc omnipotenti * Deo dicimus psallendo; ipsum erroris nostri frenum, quod a laude Dei ora nostra ligaverat, vero Domino canticum fecimus. Bene autem dicitur: *sicut vox sanctificata solemnitatis;* quia dum confessionis laudem Deo reddimus, in sanctificata solemnitate gaudemus. Respondeamus ergo moribus tantæ misericordiæ Redemtoris nostri: ut qui lucem cognovimus, pravorum operum tenebras declinemus.

Isa. 30. 29.
*Psal. 95. 5. * Domino.*

CAPUT XXXIX.

Ibidem. Lib 2 hom 9. num 20. Isa. 31. 9.

E DE amore qui hic incipitur, ut ex visione Domini in æterna patria perficiatur, Isaias loquitur, dicens: *Vivit Dominus, cujus ignis est in Sion, & caminus ejus in Jerusalem.* Plus est autem caminum esse quam ignem: quia & ignis parvus esse potest; in camino vero vastior flamma succenditur. Sion vero speculatio; Jerusalem visio pacis dicitur: pacem vero nostram hic interim speculamur, ut illic postmodum plene videamus. Ex amore ergo Domini in Sion ignis est, in Jerusalem caminus: quia hic amoris ejus flammis aliquatenus ardemus,

mus, ubi de illo aliquid contemplamur, sed ibi plene ardebimus ubi illum plene videbimus, * quod amamus.

* quem.

CAPUT XL.

Moral. lib. 17 c. 17. n. 23.

SI a peccato liberi esse nequeunt, qui jam in cælestibus desideriis conversantur: quæ peccatorum pondera tolerant, qui carnis suæ deserviunt voluptatibus? Hinc per Isaiam dicitur: *Super humum populi mei spinæ & vepres ascendent: quanto magis super omnem domum gaudii civitatis exultantis?* Humum quippe populi sui Dominus electorum omnium mentem vocat, super quam spinas & vepres ascendere perhibet, quia nec ipsam quoque esse absque punctionibus vitiorum videt: domus vero gaudii civitatis exultantis est mens pravorum; quæ dum ventura supplicia conspicere negligit, in carnis voluptate se deserens, inaniter hilarescit. Ait ergo: *super humum populi, &c.* Ac si aperte dicat: Si & illorum mentem vitia deprimunt, qui se pro cælestis patriæ desiderio affligunt: quibus culpis substrati sunt, qui sine ulla formidine se in carnis voluptate derelinquunt?

Isa. 32. 13

CAPUT XLI.

Isa 32. 20 Moral. lib. 35 c. 16. n. 39. 40

B*Eati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis & asini.* Per bovem aliquando Israeliticus populus jugo Legis edomitus signatur: per asinum vero Gentilis populus voluptatibus deditus indicatur. Super omnes ergo seminare aquas, est cunctis late populis Ecclesiæ sanctæ prædicatores fructuosa verba vitæ prædicare: pedem vero bovis & asini immittere, est vias Israelitici & Gentilis populi, per præceptorum cælestium vincula religare.

CAPUT XLII.

Moral. lib. 31 c. 51. n. 102

LIBET ad medium Isaiæ verba deducere, de activa sive contemplativa vita, & quasi uno spiritu proferantur, ab eo indicare. Qui activam exprimens, ait: *Qui ambulat in justitiis, & loquitur veritatem: qui excutit manus suas ab omni munere: qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne videat malum.* * Sciendum est quod aliquando munus ab obsequio, aliquando a manu, aliquando ab ore porrigitur: munus quippe est ab obsequio, indebite impensa subjectio; nam qui nummum tribuit, munus ex manu dedit: qui vero verbum laudis impendit, munus ab ore protulit. Sed justus ab omni munere manus excutit, quia boni operis nullam retributionem in hoc mundo requirit. * Quid est autem obturare aures suas, ne audiat sanguinem, nisi peccatis suadentibus, quæ de sanguine & carne nascuntur, non præbere consensum? Et quid est ne malum videat oculos claudere, nisi omne quod rectitudini adversum est non approbare? * Cumque activæ vitæ virtutes expressisset, illico ab ejusdem vitæ gradibus ad quæ contemplationis culmina ascendatur, subjungit, dicens: *Iste in excelsis habitabit; munimenta saxorum sublimitas ejus; panis ei datus est, aqua ejus fideles sunt: regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe.* In excelsis habitare, * est cor in cælestibus ponere; licet adhuc caro in inferioribus retineatur, mentem jam in sublimibus & cælestibus ponendo * figere. Et munimenta

Isa. 33. 15

* Lib. 1. hom. 4. in Evang. num. 4.

* Mor. lib. 23 c. 25. n. 49

* Lib. 31. n. 102

* Lib. 23. ut supra.

* fixit.

saxorum sublimitas nostra est; cum præcedentium fortiumque patrum præcepta respicimus, & ab infima cogitatione separati, abjectaque desideria terrenæ conversationis calcantes, ad supernam patriam per eorum exempla sublevamur. Munimenta saxorum sublimitas nostra est; cum mente choris castrisque cælestibus jungimur, & insidiantes malignos spiritus, stantes in arce cordis, quasi subterpositos expugnamus. Tunc etiam nobis panis datur; quia in supernis erecta intentio æternitatis contemplatione reficitur, & per contemplationis donum, gratia spiritali satiamur. Per panem enim aliquando in sacro eloquio accipitur gratia doni spiritalis, sicut & de sancta Ecclesia per David Dominus dicit: *Pauperes ejus saturabo panibus:* quia in illa positæ mentes humilium, spiritualium replentur refectione donorum. * Aquæ enim nostræ fideles sunt, quia doctrina Dei, quod hic per spem promittit, hoc illic in munere exhibet. Sapientia namque hujus mundi infidelis est, quia mansura post mortem non est. Aquæ nostræ fideles sunt, quia verba vitæ quod ante mortem insinuant, hoc etiam post mortem demonstrant. Regem in decore suo oculi nostri conspiciunt, quia Redemtor noster in judicio & a reprobis homo videbitur, sed ad intuendam divinitatis ejus celsitudinem, soli qui electi sunt sublevantur: quasi enim quamdam fœditatem regis videre est, solam servilem formam, in qua ab iniquis despectus est, cernere. Sed ab electis in decore suo rex cernitur, quia ultra semetipsos rapti, in ipso deitatis fulgore oculos cordis figunt. Qui quamdiu in hac vita sunt, quia illam viventium patriam, sicut est, videre non possunt; recte adjungitur: *Cernent terram de longe.*

Ps. 131. 15

* Lib. 31. c 51. n. 102

CAPUT XLIII.

Moral. lib. 18 c. 39. n. 60 * obscura. Isa. 33. 21

ISAIAS Propheta plana sanctæ Ecclesiæ expositione verba conspiciens, & non allegoriarum tenebris * obscurata, exclamavit, dicens: *Locus fluviorum rivi latissimi & patentes.* Testamenti enim veteris dicta, quasi angusti & clausi rivi fuerant, qui immensas scientiæ suæ sententias collectione obscurissima constringebant. At contra doctrina sanctæ Ecclesiæ, rivi & lati & patentes, sunt: quia ejus dicta & invenientibus multa sunt, & quærentibus plana.

CAPUT XLIV.

Moral lib. 23 c. 23. n. 49

CONSIDERET homo quid elatus in terra mercatur, si & prælatus Angelis, Angelus in cælo prosternitur. Unde & bene per Isaiam Dominus dicit: *Inebriatus est in cælo gladius meus.* Ac si aperte diceret: Qua ira feriam superbos terræ, perpendite: si ipsos etiam, quos in cælo juxta me condidi, pro elationis vitio percuteré non peperci?

Isa 34. 5

CAPUT XLV.

Mor. 13 c. 4

PECCATORES quique in quo sibi male sunt conscii, in eo & alium peccantem defendunt, umbræ umbram ejus protegunt, dum & nequissimorum facta nequiores perversis patrociniis tuentur; ne dum culpa, in qua & ipsi obligati sunt, in aliis corrigitur, ad ipsos * quoque veniatur. * Quod factum per Isaiam Dominus sub Babylonis specie redarguit, dicens: *Orientur in domibus ejus spinæ*

* quandoque. * Ibid.

Isa. 34. 13

na & urtica, & paliurus in munitionibus ejus. Quid namque per urticas, nisi cogitationum prurigines; quid vero per spinas, nisi vitiorum punctiones accipimus? In domibus igitur Babylonis urticæ & spinæ pullulant; quia in confusione mentis reprobæ & desideria cogitationum surgunt, quæ exasperent, & operum peccata, quæ pungant. Sed hęc agentes habent etiam nequiores alios defensores suos. Unde & subditur: *Et paliurus in munitionibus ejus*. Paliurus quippe tanta spinarum circumdatione densescit, ut præ asperitate tangi vix possit. Intus ergo urtica & spina nascitur. Sed utrumque hoc exterius per paliurum munitur: quia videlicet minores iniqui mala quælibet faciunt, sed ea nequissimi majores tuentur.

CAPUT XLVI.

Mora. l. 7. c. 28 n. 36. Isa. 34 13. 14.

CONTRA perversam mentem sub Judææ specie per Isaiam dicitur: *Erit cubile draconum & pascua struthionum: & occurrent dæmonia onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum*. Quid per dracones, nisi malitia? quid vero struthionum nomine, nisi hypocrisis designatur? Struthio quippe speciem volandi habet, sed usum volandi non habet: quia & hypocrisis cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, & tenere viam sanctitatis ignorat. In perversa igitur mente draco cubat, & struthio pascitur; quia & latens malitia callide tegitur, & intuentium C oculis simulatio bonitatis interfertur. Quid vero onocentauri nomine, nisi & lubrici figurantur & elati? Græco quippe eloquio ὄνος, asinus dicitur, & appellatione asini luxuria designatur lubrici & elati: tauri vero vocabulo cervix superbiæ demonstratur. Onocentauri ergo sunt, qui subjecti luxuriæ vitiis & suæ carnis voluptatibus, expulsa verecundia, de opere confusionis gaudent; & inde cervicem erigunt, unde humiliari debuerunt. Onocentauris autem dæmonia occurrunt, quia maligni spiritus valde eis ad votum deserviunt, quos de his gaudere conspiciunt, quæ flere debuerunt. *Et pilosus clamabit alter ad alterum*. Qui namque * pilosi appellatione figurantur, nisi hi quos Græci *Panas*, Latini *Incubos* vocant? Quorum nimirum D forma ab humana effigie incipitur, sed bestiali extremitate terminatur. Pilosi ergo nomine cujuslibet peccati asperitas designatur: quod etsi quando quasi obtentu rationis incipit, semper tamen ad irrationales motus tendit. Et quasi homo in bestiam desinit, dum culpa per rationis imaginem inchoans, usque ad irrationabilem effectum trahit. Nam sæpe edendi delectatio servit gulæ, & servire se simulat indigentiæ naturæ. Cumque ventrem in ingluviem extendit, membra in luxuriem erigit. Pilosus autem alter ad alterum clamat, cum perpetrata nequitia E ad perpetrandam aliam nequitiam provocat: & quasi quadam cogitationis voce, commissa jam culpa culpam adhuc quæ committatur invitat. Sæpe namque gula dicit: Si abundanti alimento corpus non reficis, in nullo utili labore subsistis. Cumque mentem per desideria carnis accenderit, mox quoque luxuria verba propriæ suggestionis facit, dicens: Si misceri homines Deus corporaliter nollet, membra ipsa coeundi apta usibus non fecisset. Cumque hæc quasi ex ratione suggerit; mentem ad libidinum effrenationem trahit; quæ sæpe deprehensa, patrocinium mox fallaciæ & negationis inquirit,

* alii.

A reamque se esse non æstimat, si mentiendo vitam defendat. Pilosus ergo alter ad alterum clamat, quando sub aliqua ratiocinandi specie perversam mentem culpa subsequens ex occasione culpæ præcedentis illaqueat. Cumque hanc * peccatorum dura & aspera deprimunt, quasi convocati in ea concorditer pilosi dominantur.

* peccata.

CAPUT XLVII.

Moral. 33. c. 29. n. 53.

HYPOCRITÆ & callidi homines tanto vehementius culpas suas confiteri refugiunt, quanto se stultius videri ab hominibus peccatores erubescunt; & cum deprehensi corripiuntur, B defensiones objiciunt. Unde per Isaiam contra Judæam dicitur: *Ibi cubavit lamia, & invenit sibi requiem: ibi habuit foveam ericius*. Per lamiam hypocritæ, per ericium vero malitiosi quique qui diversis se defensionibus contegunt, designantur. Lamia enim humanam habere faciem dicitur, & corpus bestiale. Sic omnes hypocritæ in prima facie quod ostendunt, quasi ex ratione sanctitatis est, sed & bestiale corpus est quod sequitur: quia valde iniqua sunt, quæ sub boni specie moliuntur. Ericii vero nomine malitiosarum mentium defensio designatur. Quia videlicet ericius cum apprehenditur ejus caput cernitur, & pedes videntur, & omne corpus conspicitur; sed C apprehensus in sphæram se colligit, pedes introrsus subtrahit, caput abscondit, & inter tenentis manum totum simul amittitur, quod totum simul ante videbatur. Sic malitiosæ mentes sunt, cum in suis excessibus comprehenduntur: caput enim ericii & pedes cernuntur: quia quo initio peccator ad culpam accesserit, & quibus vestigiis nequitia sit perpetrata cognoscitur; & tamen adductis mox excusationibus malitiosa mens introrsus pedes colligit, quia cuncta iniquitatis suæ vestigia abscondit. Caput subtrahit, quia miris defensionibus, nec inchoasse se pravum aliquid ostendit; & quasi sphęra in manu tenentis remanet, * & is qui corripit, cuncta quæ jam cognoverat subito amittens, involutum * contra D conscientiam peccatorem tenet: & qui totum jam deprehendendo viderat, tergiversatione pravæ defensionis illusus, totum pariter ignorat. Foveam ergo ericius in reprobis habuit; quia malitiosa mens se intra se colligens, in tenebris defensionis abscondit.

Isa. 34. 14.

* quia.
* intra.

CAPUT XLVIII.

Moral lib. 19. c. 26. n. 52. Isa. 35. 7.

DE sancta Ecclesia per Isaiam Dominus pollicetur, dicens: *In cubilibus in quibus dracones habitabant, orietur viror calami & junci*. Quid per calamum nisi * scriptores, quid per juncum nisi pusilli, E & teneri auditores sacri eloquii designantur? * Sicut enim ad humorem aquæ & juncus & calamus nasci solet; & ex una eademque aqua utraque proficiunt; & calamus quidem ad scribendum assumitur, cum junco vero scribi non potest; sic est una doctrina veritatis, quæ multos auditores irrigat; * quia irrigati alii ad hoc usque in verbo Dei proficiunt, ut etiam scriptores fiant tamquam calami. Alii verbum vitæ audientes, tamquam junci in aqua Dei stant, bonæ spei rectorum operum viriditatem tenent; sed litteras exprimere nequaquam valent. * In draconum ergo cubilibus viror calami & junci oritur, quia in eis populis, quos antiqui hostis malitia possidebat,

* prædicatores.
* lib. 2. hom. 7. in Ezech. num. 21.
* sed.
* Mor. ut supra.

&

& doctorum scientiæ, & auditorum obedientia coacervatur.

CAPUT XLIX.

Moral. lib. 33. c. 11. n. 21.

ANTIQUUS hostis divinæ virtutis omnipotentia a callida sua crudelitate refrenatur, ne ejus sagacia contra infirmitatem hominum tantum prævaleat, quantum perditionis argumenta latenter explorat. Unde per Isaiam ab Israelitarum læsione prohibetur, cum regi Babylonis dicitur: *Ponam circulum in naribus tuis.*

Isa. 37. 29.

Per circulum divinæ virtutis omnipotentia, per nares insidiæ designantur. Ac si aperte diceretur: Cogitando insidias suspiras, sed explere quæ appetis non valendo, omnipotentiæ meæ circulum in naribus portas: ut cum bonorum mortem ardentius anhelas, ab eorum vita vacuus redeas.

CAPUT L.

Isa. 40. 3. Lib. 1. hom. 7. in Evang. num. 2. * Num. 20.

VOx clamantis in deserto. Scitis, Fratres carissimi, quia unigenitus filius Verbum Patris vocatur: & ex vestra locutione cognoscitis: & prius vox sonat, ut Verbum postmodum audiatur. * Johannes autem Baptista ideo vox vocatus est ab Isaia, quia Verbum præcedebat. Adventum itaque dominicum præcurrens vox dicitur, quia per ejus ministerium Patris Verbum ab hominibus auditur. Qui etiam in deserto clamat, quia derelictæ & destitutæ Judææ solatium Redemtoris annuntiat. Quid autem clamaret, aperitur, cum subditur: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.*

Is. ibid. Ibid. hom. 20. num. 3.

Omnis qui fidem rectam & bona opera prædicat, venienti Domino ad corda audientium viam parat: ut hæc vis gratiæ penetret, ut lumen veritatis illustret, ut rectas Deo semitas faciat; dum mundas in animo cogitationes per sermonem bonæ prædicationis format. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.* Quid hoc loco vallium nomine, nisi humiles? quid montium & collium, nisi superbi homines designantur? In adventu igitur Redemtoris valles impletæ, montes vero & colles humiliati sunt. Quia juxta ejus vocem: *Omnis qui se exaltat humiliabitur; & omnis qui se humiliat exaltabitur.*

Luc. 14. 11. & 18. 14.

Vallis enim impleta crescit, mons vero humiliatus decrescit. Quia in fide Mediatoris Dei & hominum, hominis Jesu Christi, & Gentilitas plenitudinem gratiæ accepit; & Judæa per errorem perfidiæ, hoc unde tumebat, perdidit. Omnis enim vallis implebitur, quia corda humilium sacræ doctrinæ eloquio virtutum gratia replebuntur, juxta hoc quod scriptum est: *Qui emittis fontes in convallibus.*

Psal. 103. 10.

Et rursum dicitur: *Et valles abundabunt frumento.*

Psal. 64. 14.

A montibus namque aqua dilabitur, quia superbas mentes veritatis doctrina deserit. Sed fontes in convallibus surgunt, quia mentes humilium verbum prædicationis excipiunt. Jam convalles abundare frumento conspicimus, quia illorum ora pabulo veritatis impleta sunt, qui mites & simplices huic mundo despicabiles esse videbantur. * Omnis ergo vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: quia in cordis humilitate perdurantes donum humiles accipiunt, quod apud semetipsos elata cogitatione tumentes repellunt.

* Ibid. n. 5. & 6.

Et erunt prava in directa, & aspera in vias planas. Prava directa fiunt, cum malorum corda per justitiam detorta ad justitiæ regulam diriguntur. Et aspera in vias planas immutantur; cum immites & iracundæ mentes infusione supernæ gratiæ ad lenitatem mansuetudinis redeunt. Quando enim Verbum veritatis ab iracunda mente non recipitur, quasi asperitas itineris, gressum pergentis repellit. Sed cum mens iracunda per acceptam mansuetudinis gratiam correctiones vel exhortationes recipit, ibi planam viam prædicator invenit, ubi prius propter asperitatem itineris pergere, id est prædicationis gressum non valebat ponere. *Et videbit omnis caro Salutare Dei.* Quia omnis caro accipitur omnis homo: Salutare Dei videlicet Christum in hac vita omnis homo videre non potuit. Ubi ergo in hac sententia Isaias Prophetiæ oculum, nisi ad extremum judicii diem tetendit? Cum enim apertis cælis, ministrantibus Angelis, consedentibus Apostolis, in sede majestatis suæ Christus apparuerit, omnes hunc & electi & reprobi pariter videbunt: ut & justi de munere retributionis sine fine gaudeant, & injusti in ultionis supplicii in perpetuum gemant.

CAPUT LI.

Moral. lib. 33. c. 7. n. 20. Isa. 40. 6.

ISAIAS Propheta bravitatem gloriæ carnalis pensans, denuntiat, dicens: *Omnis caro fenum, & omnis gloria ejus quasi flos feni.* Iniquorum potentia flori feni comparatur; quia nimirum carnis gloria dum nitet, cadit: dum apud se extollitur, repentino intercepta fine terminatur.

* Ibid. lib. 12. c. 31. n. 42.

Et cum iniqui & superbi humiliantur in morte, carnis gloria tabescit in putredine. Intuentur enim qualia in sepulcris jaceant divitum cadavera: quæ illa in extincta carne sit imago mortis: quæ tabes corruptionis. Et ipsi certe erant qui extollebantur honoribus, habitis rebus tumebant, ceteros despiciebant. Et dum non perpenderent quo tendebant, nesciebant quid erant. Sed despecti jacent in putredine, qui tumebant * vanitate. Et quantum * gloria carnis valeat, tabes corruptionis probat.

* in. * potentia.

CAPUT LII.

Lib. 1. hom. 11. in Ezech. num. 4.

QUISQUIS populi speculator ponitur, in alto debet stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam. Hinc speculatorem Isaias admonet, dicens: *Super excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion.*

Isa. 40. 9.

Ut videlicet qui prædicationis cælestis locum suscipit, terrenorum operum ima deserens, ad altitudinem bonæ ascendat actionis; & eorum qui sibi commissi sunt opera transcendat, quatenus subjectorum vitam tanto subtilius videat, quanto terrenis rebus quas despicit, animum non supponit; & tanto facilius subditos ad meliora pertrahat, quanto per vitæ meritum de supernis clamat.

CAPUT LIII.

Moral. lib. 18. c. 28. n. 45.

CUM cujuslibet ad vitam prædestinati cor durum & frigidum divini amoris igne tactum fuit, & emollitum; ille qui prius durus & fortis fuerat in seculi amorem, ita commutatus ad veram fortitudinem, & ita se exercet fortem in Dei amorem, ut quod antea audire renuebat, jam & credere, & prædicare incipiat. * Hanc electorum * mutationem Isaias intuens ait: *Qui confidunt in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, current & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.*

* Lib. 29. c. 19. num. 36. * commutationem.

Mutant quippe fortitudinem, quia fortes student esse in spirituali opere, qui dudum fortes fuerant in carne. a *Et conversi tanta virtute præsens seculum fugiunt, quanta hoc ante quæsierunt.* Assumunt autem pennas ut aquilæ, quia contemplando volant: currunt & non laborant, quia velocibus magna celeritate prædicant. Ambulant, & non deficient, quia intellectus sui velocitatem retinent, ut tardioribus condescendant.

CAPUT LVI.

Lib. 2. hom. 20 in Evang. n. 12. & 13.

CUM pauci sint qui spiritualia dona percipiunt, & multi qui rebus temporalibus abundant, per hoc se divites pauperum virtutibus inserunt, quo eisdem sanctis pauperibus de suis divitiis * solatium tribuunt. Unde cum per Isaiæ vocem Dominus derelictæ Gentilitati, id est sanctæ Ecclesiæ spiritualium virtutum merita tamquam deserto arbusta promitteret, ulmum pariter promittit: dicens: *Ponam desertum in * stagnum aquæ, & terram inviam in rivos aquarum.* Desertum quippe Dominus in stagna aquarum posuit, & terram inviam in rivos aquarum: quia Gentilitati, quæ prius per ariditatem mentis nullos bonorum operum fructus ferebat, fluenta sanctæ prædicationis dedit, & ipsa ad quam prius pro asperitate suæ siccitatis via prædicatoribus non patebat, doctrinæ postmodum rivos emanavit. *Dabo in solitudine cedrum & spinam, myrtum & lignum olivæ.* Per cedrum, quia magni odoris est, & imputribilis naturæ, significantur ii qui virtutes exhibent, & signa in sua operatione, qui dicere cum Paulo valent: *Christi bonus odor sumus Deo*; quorum corda * in æterno amore solidata sunt, ut ea * jam terreni amoris putredo nulla corrumpat. Per spinam signati sunt * spirituales viri, qui dum de peccatis & virtutibus disserunt, & modo æterna supplicia minantur, modo cælestis regni gaudia promittunt, corda audientium pungunt, sicque mentem dolore compunctionis perforant, ut ab eorum oculis, quasi quidam sanguis animæ lacrymæ decurrant. Per myrtum vero quæ temperativæ virtutis est, itaut dissoluta membra temperando constringat, signati sunt qui afflictionibus proximorum compati sciunt, eorumque tribulationem per compassionem temperant. Qui dum afflictis proximis verbum, vel opem consolationis ferunt, eos ad statum rectitudinis * perstringunt, ne immoderata tribulatione in desperatione solvantur. Per olivam autem misericordes accipimus. Græce enim ἔλεος, misericordia vocatur, & quasi olivæ liquor ante omnipotentis Dei oculos misericordiæ fructus lucet. Cui adhuc in promissione subjungitur: *Ponam in deserto abietem, ulmum & buxum simul*: Qui per abietem, quæ valde crescendo ad aeris alta sustollitur, nisi ii designati sunt, qui intra sanctam Ecclesiam adhuc in * terris corporibus positi, contemplando tamen celestia jam juxta æthera verticem mentis tollunt? Et quid per ulmum, nisi secularium mentes expressæ sunt, quæ dum terrenis adhuc curis inserviunt, nullum spiritualium virtutum fructum ferunt? Sed etsi fructum proprium ulmus non habet, portare tamen vitem cum fructu solet: quia & seculares viri intra sanctam Ecclesiam, quamvis spiritualium virtutum dona non habeant, dum tamen sanctos viros donis spiritualibus plenos

* solatiantur.
Isa. 41. 18. * stagna aquarum.
Ibid. v. 19.
2. Cor. 2. 15. * ita. * eadem. * doctrinæ spiritualis.
* restringant.
Isai. ibid.
* terrenis.

A sua largitate sustentant; quid aliud quam vitem cum botris portant? Buxus vero quos alios designat, quæ in altum non proficit, & quamvis fructum non habeat, viriditatem tamen habet; nisi eos qui intra sanctam Ecclesiam adhuc ex ætatis infirmitate bona opera ferre non valent, sed tamen parentum fidelium credulitatem sequentes, fidem perpetuæ viriditatis tenent? Post quæ omnia recte subjungitur: *Ut videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter.* Ad hoc enim cedrus in Ecclesia ponitur; ut quisquis a proximo odorem virtutum spiritualium trahit, ipse quoque in æternæ vitæ dilectionem non torpeat, sed ad donorum cælestium desideria ignescat. Ad hoc spina ponitur; ut qui prædicationis ejus verbo B compunctus fuerit, ipse quoque exemplo illius discat corda sequentium prædicationis verbo compungere. Ad hoc myrtus ponitur; ut qui in ardore tribulationis ab ore, vel opere proximi compatientis temperamentum consolationis acceperit, ipse etiam discat quemadmodum proximis suæ consolationis temperamentum proferat. Ad hoc oliva ponitur; ut qui alienæ opera misericordiæ cognoscit, discat quemadmodum debeat indigenti proximo & ipse misereri. Ad hoc abies ponitur; ut quisquis vim contemplationis ejus agnovit, ipse quoque ad contemplanda premia æterna succendatur. Ad hoc ulmus ponitur; ut quisquis intuetur eum qui habere fructum virtutum spiritualium non valet, si tamen eos qui spiritualibus donis sunt pleni sustentat, ipse quoque Sanctorum vitæ quanta valet largitate C inserviat, & cælestium botros, quos gignendo non valet, sustinendo ferat. Ad hoc buxus ponitur; ut qui habere multos adhuc in infirmitate positos veræ fidei viriditatem considerat, ipse etiam esse infidelis erubescat. Bene ergo descriptis prius arboribus dicitur: *Ut videant & sciant, & recogitent & intelligant pariter*; quia dum intra sanctam Ecclesiam diversi hominum mores, diversi sunt ordines; necesse est ut omnes discant simul, dum in ea spirituales viri diversæ qualitatis, ætatis, & ordinis ad imitandum simul videntur.

Ibid. v. 20.

CAPUT LV.

Moral. 11. cap. 3. n. 7. Isa. 42. 3.

D JUDÆORUM regnum calamo comparatur, cum per Isaiam, apparente in veritate carnis Domino, dicitur: *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Quid hoc loco, calami nomine, nisi Judaici populi temporale regnum denuntiat, nitens quidem exterius, sed interius vacuum? Et quia in eodem populo genus jam regale defecerat, & regnum ejus ab alienigena possidebatur, apte hoc idem regnum quassatum calamum vocat. Quid vero per linum, nisi ejus Sacerdotium exprimitur, quod lineis vestibus utebatur? Quod quia in adventu Domini caritatis ardorem perdidit, quasi amisso jam igne fidei, non ardens, sed fumigans E fuit. Incarnatus autem Dominus calamum quassatum non confregit, & linum fumigans non extinxit: quia Judææ regnum quod pene destructum jam fuerat, ejusque Sacerdotium quod ignem fidei non tenebat, non potestate judicii percussit, sed cum patientiæ longanimitate toleravit.

CA-

a Hæc Italico charactere excusa non sunt apud S. Greg. Verum præmonuimus Paterium multa & detrahere & addere Gregoriano textui.

CAPUT LVI.

Moral. lib. 9 c. 23. n. 35.

DEUS in judicio districta peccatoribus inferet pœnas; quorum in hoc seculo diu tacitus pertulit culpas. Quod breviter per Isaiam insinuat, dicens: *Tacui, semper silui, patiens fui; sicut parturiens loquar.* (Isai. 42. 14.) Parturiens namque cum dolore ejicit quod diu in abditis cum pondere portavit. * (Mor. lib. 10 c. 31. n. 54.) Post longum ergo silentium sicut parturiens Dominus loquitur: quia venturus judex, qui sine ultione diu * (* facta.) peccata hominum pertulit, quandoque cum fervore examinis, quasi cum dolore mentis, quantæ animadversionis sententiam intus servaverit ostendit: * (* Lib. 9. c. 23 num. 39.) & quod apud se nunc tacitus tolerat, in ultione quandoque judicii quasi cum dolore manifestat.

CAPUT LVII.

Moral. lib. 27 c. 43 n. 71.

CONVERSIS ad fidem Gentibus, Judæa contradicens eos suscipere dedignatur ad cælestium premia retributionum, qui dudum fuerant cultores idolorum; sicut Petro dicitur post conversionem Gentilium: *Quare introisti ad viros præputium habentes, & comedisti cum eis?* (Act. 11. 3.) Quo contra per Isaiam Dominus dicit: *Dicam Aquiloni, da; & Austro, noli prohibere.* (Isa. 43. 6.) Per Aquilonem peccati frigore constricta Gentilitas, per Austrum Judæa signatur: quæ quasi meridiano sole incaluit: quia Redemtore in carne apparente, fervorem fidei prima suscepit. *Aquiloni* ergo, *da*, dicitur: cum offerre Deo suæ fidei munera Gentilitas imperatur. Austro vero * (* jubetur.) dicitur, ne prohibeat; quia Hebræis in fide consistentibus præcipitur, ne vitam Gentium repellendo condemnent.

CAPUT LVIII.

Moral. lib. 31 c. 8. n. 11.

APERTAM malorum pravitatem & hypocritarum simulationem, se conversurum Dominus pollicetur, cum per Isajam Dominus dicit: *Glorificabunt me bestiæ agri, dracones & struthiones.* (Isa. 43. 20.) Qui enim draconum nomine, nisi in aperto malitiosæ mentes exprimuntur, quæ per terram semper * (* in infimis.) infirmis cogitationibus repunt? Qui vero per struthionum vocabulum, qui pennas quasi volatum habent, sed a terra volando elevare non valent; nisi hi qui se bonos simulant designantur; qui sanctitatis vitam, quasi volatus pennam per speciem retinent, sed per opera non exercent? Glorificari itaque se Dominus a dracone vel struthione asserit: quia & aperte malos, & ficte bonos plerumque ad sua obsequia ex intima cogitatione convertit. Vel certe bestiæ agri, id est dracones & struthiones, Dominum glorificant; cum fidem quæ in illo est, ea quæ in hoc mundo dudum membrum diaboli fuerat Gentilitas exaltat: quam & propter malitiam draconum nomine exprobrat, & propter hypocrisim vocabulo struthionum notat. Quasi enim pennas accipit Gentilitas, sed volare non potuit; quæ & naturam habuit rationis, & actionem rationis ignoravit.

CAPUT LIX.

Moral. lib. 33 c. 5. n. 11.

SALICES tantæ sunt viriditatis, ut arescere vel radicitus abscissæ & projectæ vix possint. Unde in sacro eloquio salicum nomine, aliquando boni designantur pro viriditate. Nisi enim electorum vitam per constantiam suæ viriditatis exprimerent, nequaquam de sanctæ filiis Ecclesiæ dixisset Isaias: *Germinabunt inter herbas sicut salices juxta præterfluentes aquas.* (Isa. 44. 4.) Sanctæ enim Ecclesiæ filii inter herbas sicut salices germinant, dum inter arescentem vitam carnalium hominum, & multiplici numerositate, & perpetua mentis viriditate perdurant. Qui bene juxta præterfluentes aquas germinare perhibentur: quia unusquisque eorum ubertatem ad fructum percipit ex doctrina sacri eloquii quam temporaliter percurrit.

CAPUT LX.

Moral. lib. 3 c. 9. n. 15.

CUm non sint a Domino creata mala, quæ nulla sua subsistunt natura, quid est quod Isaias dicit: *Ego Dominus & non est alter; formans lucem, & creans tenebras; faciens pacem, & creans mala?* (Isa. 45. 7.) sed creare se mala Dominus indicat, cum res bene conditas nobis male agentibus in flagellum format: ut ea ipsa & per dolorem quo feriunt delinquentibus mala sint: & per naturam qua existunt, bona. Unde & venenum mors quidem est homini, & tamen vita serpenti. Amore enim præsentium ab * (* auctoris.) actoris nostri dilectione recedimus; & perversa mens, dum dilectioni creaturæ se subdit, a Creatoris societate disjungit. Ex his ergo ferienda est ab actore, quæ errans actori præposuit: ut unde culpam homo non timet superbus admittere, inde pœnam corrigendus inveniat: & tanto citius resipiscat ad illa quæ perdidit, quanto doloris plena esse conspicit quæ quæsivit. Unde bene dicitur: *formans lucem & creans tenebras;* quia cum per flagella exterius doloris tenebræ creantur, intus per eruditionem lux mentis accenditur. *Faciens pacem & creans mala:* quia tunc nobis pax cum Deo redditur, cum hæc quæ bene sunt condita sed non bene concupita, in ea quæ nobis mala sunt flagella vertuntur. Per culpam quippe Deo discordes existimus. Dignum ergo est ut ad pacem illius per flagella redeamus; ut cum unaquæque res bene condita nobis in dolorem vertitur, correcti mens ad auctoris pacem humiliter reformetur.

CAPUT LXI.

Moral. lib. 26 c. 43. n. 81.

HYPOCRITÆ cor suum exterius in humanis laudibus fundunt, Sanctosque se esse non quia ita vivunt, sed quia ita dicuntur, credunt. Quibus bene per Isaiam dicitur: *Redite prævaricatores ad cor.* (Isa. 46. 8.) Si enim ad cor redirent, per exterioris attestationis verba se non funderent. Nam quid vicinius est nobis corde nostro, quod intra nos est? Et tamen cum per pravas cogitationes spargitur, a nobis cor nostrum longius evagatur. Longius ergo Propheta prævaricatorem * (* mittit.) videt, cum eum ad cor suum redire compellit; quia quo se exterius fudit, eo ad se unde possit redire vix invenit: quia enim ab una æternitatis intentione dividitur, cogitationum multiplicium inundatione vastatur.

CAPUT LXII.

Moral. lib. 6 c. 16. n. 24.

SUB Babylonis specie per Isaiam menti reprobæ dicitur: *Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon; sede in terra.* (Isa. 47. 1.) Hoc loco humana mens virgo, non incorrupta, ut arbitror, dicitur, sed in-

secunda. Et quia Babylon confusio interpretatur, A recte infecunda mens Babylonis filia vocatur: quæ in eo quod nequaquam bona opera germinat, dum nullo ordine rectæ vitæ componitur, quasi confusione matre generatur. Sin autem virgo non infecunda, sed incorrupta dicitur: postquam statum salutis perdidit, ad confusionis suæ cumulum appellatur quod fuit. Cui apte per interpretationem divina voce dicitur, *descende*: in alto quippe humana mens stat, quando supernis retributionibus inhiat; sed ab hoc statu descendit, cum turpiter sese victa defluentibus mundi desideriis subjicit. Cui additur, *Sede in pulvere*. * Quid per pulverem, nisi terrenas cogitationes debemus accipere, quæ dum importunæ & silenter in mente evolant, ejus oculos excæcant? Descendens B itaque in pulvere resedit: quia cælestia deserens, terrenis cogitationibus aspersa, in infimis vilescit; ubi adhuc subjungitur, *sede in terra*: Quid per terram, nisi terrena actio designatur? * Ac si aperte exprobrans dicat: Quia cælesti conversatione noluisti te erigere; sub temetipsa prostrata, in terrenis actibus humiliare. Prius ergo in pulvere, & postea in terra sedere præcipitur; quia pravorum mens quæ ab internæ rectitudinis judicio descendit, prius ad prava cogitanda dejicitur, & postmodum ad facienda prosternitur. Sequitur: *Non est solium filiæ Chaldæorum*. Chaldæi feroces interpretantur. Valde autem feroces sunt, quia voluntates proprias sequentes, nec suis parcere moribus sciunt. Ferocia sunt terrena desideria, C quæ non solum contra Conditoris, sed sæpe etiam contra percussionum verbera duram & insensibilem mentem reddunt. Sed filia ferocium solium non habet, quia mens quæ ad amorem mundi ex pravis desideriis nascitur, & eisdem desideriis obduratur; in eo quod se terrenis concupiscentiis subjicit, sedem judicii amittit, nullisque apud se solio præsidet, quia examine discretionis caret: & quasi a judicii sui sessione repellitur, quia per exteriores concupiscentias vagatur. Liquet enim quod mens quæ intus consilii sedem perdidit, foris se per desideria innumerabilia spargit: & quia agere intellecta dissimulat, cæcatur recte etiam ut nesciat quid agat: & sæpe justo judicio in sua voluntate relinquitur, & sub ea quæ D anxie appetit laboriosissima mundi ministeria relaxatur. Unde apte illic subditur: *Quia ultra non vocaberis mollis & tenera; tolle molam & mole farinam*. Constat nimirum quod teneræ suæ filiæ parentes parcunt, nec duris & servilibus hanc operibus affligunt. Omnipotens ergo Deus quasi teneram filiam vocat, quando dilectam uniuscujusque animam a laboriosis hujus mundi servitiis revocat; ne dum exterioribus actibus afficitur, ab internis desideriis induretur. Sed Chaldæorum filia mollis & tenera non vocatur: quia mens pravis desideriis dedita, in eo quem anxie apposuit, duris seculi labore relinquitur, ut foris mundo velut ancilla serviat, quæ intus Deum ut filia nequaquam amat. Unde & molam tollere, & farinam molere jubetur. Mola in gyro ducitur & farina profertur. Unaquæque vero mundi hujus E actio mola est; quæ dum multas curas congerit, humanas mentes quasi per gyrum vertit: atque ex se velut farinas projicit, quia seducto corde semper minutissimas cogitationes gignit: Nonnunquam vero qui quietus alicujus esse meriti creditur, positus in qualibet actione denudatur. Unde protinus subinfertur: *Denuda turpitudinem tuam; discooperi humerum, revela crus, transi flumina*. In administratione quippe operis turpitudo denudatur; dum vilis mens abjectaque in actionis ostentatione cognoscitur, quæ quieta prius magna putabatur. Humerum mens discooperit, quando opus suum quod ignorabatur, ostendit. Crus revelat, quia quibus desideriorum passibus lucris mundi inhiet, manifestat. Flumina etiam transit, quia actiones hujus seculi quæ quotidie ad terminum defluunt, indesinenter appetit; dumque alias relinquit, alias assequitur, quasi semper de flumine ad flumen tendit.

* Isai. 47. 1. & 47. n. 21.
* Ibid. lib. 4. 16. n. 26.
Isa. ibid.
Isa. 47. 1.
Isa. ibid.

CAPUT LXIII.

OMNIPOTENS Deus qui nulla peccatorum vincula quibus constringeretur pertulit; in infernum liber ut ligatos solveret venit, & in inferni profundum electorum suorum animas erepturus intravit. Unde per Isaiam dicitur: *Posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati*. Si mare, divini more eloquii, seculum debet intelligi, nihil prohibet profundum maris inferni claustra sentiri: hoc namque profundum maris ante Redemptoris adventum non via, sed carcer fuit; quia in se etiam bonorum animas quamvis non in locis pœnalibus clausit. Quod tamen profundum Dominus viam posuit, quia illuc veniens electos suos a claustris inferi ad cælestia redire concessit. Unde & apte dicitur: *ut transirent liberati*.

Moral. lib. 29 c. 15. n. 23.
Isa. 51. 10.

CAPUT LXIV.

NOS, fratres carissimi, viam in nobis malignis spiritibus damus, cum terrena concupiscimus, cum ad temporalia appetenda curvamur. Hinc Isaias de immundis spiritibus dicit: *Qui dixerunt animæ * tuæ, incurvare ut transeamus*. Recta quippe stat anima cum superna desiderat, & nequaquam flectitur ad ima: sed maligni spiritus, cum hanc stare in sua rectitudine conspiciunt, per eam transire non possunt. Transire namque eorum est immunda illi desideria spargere. Dicunt ergo: *incurvare ut transeamus*, quia si ipsa se ad ima appetenda non dejicit, contra hanc illorum perversitas nullatenus convalescit; & transire per eam nequeunt, quam contra se rigidam in superna intentione pertimescunt. Pudeat ergo, fratres, terrena concupiscere & dorsa mentium ascendentibus adversariis præbere.

Lib. 2. ho. 31 in Evang. n. 7. 8
Isa. 51. 23.
* tuæ.

CAPUT LXV.

NULLA Rector immunditia debet pollui, qui hoc suscepit officii ut in * aliis quoque tergat maculas pollutionis. Hinc per Isaiam dicitur: *Mundamini, qui fertis vasa Domini*. Vasa Domini ferunt, qui proximorum animas ad æterna sacraria perducendas in suæ conversationis fide suscipiunt. Apud seipsos ergo quantum debeant mundari conspiciant, qui ad æternitatis templum vasa viventia in * sinum propriæ sponsionis portant.

In Pastor. 2. part. c. 2.
* alienis quoque cordibus.
Isa. 52. 11.
* sinu.

CAPUT LXVI.

PER Isaiam sanctæ Ecclesiæ dicitur: *Ad dexteram, & ad lævam dilataberis; & semen tuum Gentes hereditabit*. * Intrante quippe multitudine Gentium ad dexteram extenditur, dum quosdam

Moral. 25. c. 8. n. 21.
Isa. 54. 3
* In tantis.

dam justificandos suscipit: ad lævam quoque dilatatur, cum ad se quosdam etiam in iniquitate permansuros admittit.

CAPUT LXVII.

Moral lib. 18 c. 11. n. 32. Isa. 54. 11. VENIENTI Ecclesiæ per Isaiam Dominus pollicetur, dicens: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in saphyris, & ponam jaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles: universos filios tuos doctos a Domino*. Stravit in sancta Ecclesia per ordinem lapides, quia in ea sanctas animas meritorum diversitate distinxit. Fundavit eam in saphyris, qui scilicet lapides coloris aerii in se similitudinem tenent; quia robur Ecclesiæ in animabus cælestia appetentibus solidatur. Et quoniam jaspis viridis est coloris, jaspidem propugnacula ejus posuit: quia illi contra adversarios pro sanctæ Ecclesiæ defensione objecti sunt, qui internis desideriis virentes, nulla * torporis reprobi ariditate * arescunt. Portas vero ejus posuit in lapides sculptos; hi quippe portæ sunt Ecclesiæ, per quorum vitam & doctrinam intrat in eam multitudo credentium. Qui pro eo * quod magnis operibus pollent, & id quod loquentes asserunt, viventes ostendunt: non puri, sed sculpti lapides esse memorantur. In quorum enim vita recta operatio cernitur, quasi in eisdem ipsis exprimitur quod egerunt. * Portæ vero non sculptæ, sed puræ essent, si vocem quidem promerent, sed sancta in se opera non demonstrarent. Et ubi secundum hoc se ostendunt vivere quod loquuntur, & portæ sunt quia intus ducunt; & sculptæ, quia sancta opera quæ aliis præcipiunt, dum vivendo custodiunt, quasi in seipsis sculpta repræsentantes ostendunt. * Dehinc omnem quoque Sanctorum numerum generali collectione concludens, subdit: *Omnes terminos tuos in lapides desiderabiles*. Sanctæ Ecclesiæ universos terminos in lapides desiderabiles positos videmus, dum in ea fideles quosque fortes in fide & caritate conspicimus. Et tamquam si audientes ista peteremus, ut hos lapides quos diceret indicaret, adjunxit: *Universos filios tuos doctos a Domino*.

* temporis. * marcescunt. * etiam. * lib. 2. hom. 6 Ezech. num. 4 * Lib 18. c. 33 ut supra.

CAPUT LXVIII.

Moral. lib. 6 c. 5. n. 86 FLUENTIS sacræ locutionis, quæ Judaicus populus in ostentatione superbiæ possederat, conversæ Gentilium mentes nunc irrigantur. Unde eis per Isaiam dicitur: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate*. (Isa. 55. 1) Quia enim argenti vocabulo eloquia divina signantur, Psalmista testatur, dicens: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum*. (Ps. 11. 7) Qui ergo argentum non habent, ad aquas vocantur: quia Gentilitas quæ Scripturæ sacræ præcepta non acceperat, sacri eloquii inundatione satiatur: quam tanto nunc avidius potat, quanto hanc diu sicca sitiebat.

CAPUT LXIX.

Moral. lib. 28 c. 20. n. 32 Isa. 55. 13 SANCTÆ Ecclesiæ per Isaiam, Domino promittente, dicitur: *Pro saliunca ascendet abies, & pro urtica crescet myrtus*. Pro saliuncula in sancta Ecclesia ascendit abies, & pro urtica crescit myrtus; dum in Sanctorum corde pro abjectione terrenæ cogitationis, altitudo supernæ contemplationis exhauritur: urtica vero igneæ omnino naturæ est: myrtum namque temperativæ ferunt esse virtutis. Pro urtica igitur crescit myrtus; cum justorum mentes a prurigine & ardore vitiorum, ad cogitationum temperiem tranquillitatemque perveniunt: dum jam terrena non appetunt, dum flammas carnis desideriis cælestibus extinguunt.

CAPUT LXX.

PECCATA carnis ignorantibus per Isaiam promittit Dominus, dicens: *Eunuchis qui custodierunt Sabbata mea, & elegerint quæ volui, dabo eis in domo mea locum, & nomen melius a filiis & filiabus*. Eunuchi sunt qui compressis motibus carnis, * effectum in se pravi operis abscidunt: quo autem apud patrem loco habentur ostenditur; quia in domo patris, videlicet æterna mansione, etiam filiis præferuntur.

In Past. 3. part. 28 admon. 29 Isa. 56. 4. 5 * affectum.

CAPUT LXXI.

NONNULLA subjectorum vitia prudenter dissimulanda sunt; sed quia dissimulantur indicanda: ut cum delinquens & deprehendi se cognoscit & perpeti, has, quas in se * tolerari considerat, augere culpas erubescat; seque judice puniat quem sibi apud se Rectoris patientia clementer excusat. Qua videlicet dissimulatione bene Judæam Dominus corripiens per Isaiam dicit: *Mentita es, & mei non es recordata; neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens & quasi non videns*. Et dissimulavit ergo culpas, & innotuit: qui & contra peccantem tacuit, & hoc ipsum tamen quia tacuerit, dixit.

Reg. Pastor. 2 part. 10 * tacite. Isa. 57. 11

CAPUT LXXII.

PRÆDICATOREM per Isaiam Dominus admonet, dicens: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam*. Præconis officium suscipit, quisquis ad Sacerdotium accedit, ut ante adventum Judicis qui terribiliter sequitur, ipse clamando gradiatur. Sacerdos ergo si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus?

Reg. Pastor. ibid. c. 4. Isa. 58. 1

CAPUT LXXIII.

ABSTINENTIBUS per Isaiam dicitur: *In diebus jejuniorum vestrorum inveniuntur voluntates vestræ*. Et paulo post: *In judicia & rixas jejunatis, & percutitis pugnis impie*. Voluntas pertinet ad lætitiam, pugnus ad iram: mentes enim abstinentium aliquando ira, aliquando corrumpit lætitia. Incassum ergo per abstinentiam corpus atteritur, si inordinatis dimissa motibus mens vitiis dissipatur: & eo abstinentiæ bonum perit, quo se a spiritualibus vitiis minime custodit.

Reg. Pastor. 3. part. 19 Isa. 58. 3

CAPUT LXXI.

SEQUENTI se animæ per Isaiam Dominus pollicetur, dicens: *Sustollam te super altitudinem terræ*. Quasi quædam inferiora sunt terræ, damna, contumeliæ, egestas, abjectio: altitudines vero ejus sunt, lucra rerum, blandimenta subditorum, divitiarum abundantia, honor & sublimitas dignitatum; quæ quisquis per ima adhuc desideria incedit, eo ipso alta æstimat, quo magna putat. At si semel cor in celestibus figitur, mox * cum ab

Moral. lib. 12 c. 47. n. 96 Isa. 58. 14 * quam.

abjecta sint cernitur, quæ alta videbantur. Nam A sicut cum montem quisque conscendit, eo paulisper cetera subjacentia despicit, quo ad altiora amplius gressum tendit: ita qui in summis intentionem figere nititur, dum annisu ipso nullam præsentis vitæ gloriam esse deprehendit, super altitudines terræ elevatur; & quod prius in imis desideriis positus super se credidit, post ascendendo proficiens sibi subesse cognoscit.

CAPUT LXXV.

Moral.lib.15 c.16.n.19 INITIUM occultæ suggestionis, quam immundus spiritus consiliis subtilibus cordi leniter persuadet, libenter suscipit; violentis se postmodum ejus tentationibus devictus tradit. Unde B per Isaiam dicitur: *Ova aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt. Qui comederit ex ovis eorum morietur, & quod confotum est, erumpet in regulum.* Quid per aspides, qui sunt parvi serpentes, nisi latentes suggestiones immundorum spirituum figurantur, qui cordibus hominum parva prius suasione surripiunt? Ova quippe aspidum pravis hominibus erumpere, est malignorum spirituum consilia quæ in eorum cordibus latent, perversis operibus aperire. Telas quoque araneæ texere, est pro hujus mundi concupiscentia temporalia quælibet operari: quæ dum nulla stabilitate solidata sunt, ea procul dubio ventus vitæ mortalis rapit. Bene autem additur: *Qui comederit de ovis eorum morietur;* quia qui immundorum spirituum consilia recipit, C vitam in se animæ occidit. *Et quod confotum est, erumpet in regulum:* quia consilium maligni spiritus quod corde tegitur, ad plenam iniquitatem nutritur. Regulus namque rex serpentium dicitur. Quis vero reproborum caput est, nisi Antichristus? Quod ergo confotum est erumpet in regulum: quia is qui in se nutrienda aspidis consilia recipit, membrum iniqui capitis factus, in corpus Antichristi accrescit.

Ibid. 59.5

CAPUT LXXVI.

Lib. 1 hom. 6. in Ezech. n.15. PRIORES patres conjugiis utebantur, filios procreabant, substantias possidebant, curis rei familiaris intendebant. Isaias vero prophetiæ spiritu prævidens prædicatores sancti Evangelii substantias deserere, conjugia non appetere, nihil in terra * appetere * vel possidere; non eos per terram velut homines ambulantes, sed ut nubes volantes nominavit, dicens: *Qui sunt isti qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Recte enim prædicatores, & justi quilibet nubes appellati sunt, quia verbis pluunt, miraculis coruscant. Qui volare quoque ut nubes dicuntur; quia in terra viventes, extra terram est omne quod agunt; * terrena despicientes, mente cælestibus appropinquantes, a terrenis contagiis sublevantur. Volant qui terram non tangunt, quia in ipsa nihil appetunt, & eos a terrenis sancta prædicatio, & sublimis vita suspendunt: qui & ad fenestras suas quasi columbæ sunt, quia pro mansuetudinis spiritu in hoc mundo per oculos nihil concupiscunt, & per omnes sensus corporis exteriora quæque intentione non respiciunt rapacitatis; eosque foras non rapit concupiscentia carnalis, sed omnia simpliciter aspiciunt.

* quærere. * nihil. Isa.60.8 * Moral.l.31 c.1.n.4

CAPUT LXXVII.

UT *prædicarem annum placabilem Domini.* Per annum intelligitur multitudo Redemtorum. Sicut ex dierum multitudine annus ducitur; ita ex collectione bonorum omnium illa electorum innumerabilis universitas expletur. Annus itaque placabilis Domini prædicatur, cum futura plebs fidelium veritatis lumine illustranda prædicitur. Isa.16.1 Moral. lib.4 c.7 n.12

CAPUT LXXVIII.

CORPUS Domini nostri Jesu Christi, quod sumsit ex Virgine, longe ante Isaias aspiciens per crucem passionis sanguine cruentatum, dixit: *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Cui ipse respondit: *Torcular calcavi solus & de Gentibus non est vir mecum.* Solus enim torcular calcavit in quo calcatus est; quia sua potentia eam quam pertulit passionem vicit. Nam qui usque ad mortem crucis passus est, de morte cum gloria resurrexit. Bene autem dicitur: *& de Gentibus non est vir mecum;* quia hi pro quibus pati venerat, passionis ejus esse participes debebant, qui pro eo quod * tempore necdum crediderant, de ipsis in passione queritur, quorum vita * illa passione quærebatur. Lib. 1 hom. 1. in Ezech. num. 9 Isa.63.2 Ibid.3 * illo. * in.

CAPUT LXXIX.

DEcidimus quasi folium universi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Quid est homo nisi folium, qui videlicet * ab arbore cecidit? Quid est nisi folium, qui tentationis vento rapitur, & desideriorum flatibus levatur? Quia ergo quod tentatione patitur, quasi tot flatibus movetur & elevatur: recte folio homo comparatur. Quasi ventus autem nos iniquitas abstulit, quia nullo fixos virtutis pondere in vanam elationem levavit. Isa 64.6 Moral lib.12 c.44.n.60. * in paradiso.

CAPUT LXXX.

QUISQUIS delinquit & vivit, idcirco divina D dispensatio hunc in iniquitate tolerat, ut ab iniquitate compescat. Sed quia accepta pœnitentiæ tempora divertit ad culpam, districtus in ultimis judex impensa argumenta misericordiæ convertit ad pœnam. Hinc Isaias ait: *Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.* Ac si aperte nos deterreat, dicens: vita quidem pueri in longum trahitur, ut a factis puerilibus corrigatur. Sed si a peccati perpetratione nec temporis longinquitate compescitur, hæc ipsa vitæ longinquitas quam per misericordiam accepit, ei ad cumulum maledictionis crescit. Unde necesse est ut cum nos diutius exspectari conspicimus, ipsa prorogatæ pietatis tempora quasi damnationis argumenta timeamus: ne ex E clementia judicis crescat supplicium peccatoris, & unde quisque eripi a morte poterat, inde gravius ad mortem tendat. Moral.lib.17 c.6.n.8 Isa.65.20

CAPUT LXXXI.

ELECTI quo amplius extremo judicio propinquare se sentiunt, eo in bonis se exercentes operibus, ad discutiendos seipsos terribilius contremiscunt; & si quas in se carnales cogitationes, Moral.lib.13 c.28.n.32

vel

vel mala opera inveniunt, pœnitentiæ ardore consumunt. Qui quoniam seipsos judicantes subtilius puniendo feriunt, peracto judicio æternam requiem pro perfecto opere bono recipient, attestante Isaia, qui ait: *Erit mensis ex mense*. * Mensis aliquando pro perfectione ponitur. Erit ergo mensis ex mense, perfectio videlicet eis in requie, quibus nunc perfectio fuerit in operatione.

Isa.66.23 * Ibid.lib.19 c.16.n.17

CAPUT LXXXII.

Moral. lib.9 c.66.n.100

REPROBI ignibus inferni traditi in suppliciis dolorem sentient, & in doloris angustia pavore ferientur, & semper tolerabunt quod timent, & quod tolerabunt sine cessatione pertimescent. De his enim per Isaiam scriptum est: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Hic flamma quæ succendit, illuminat; illic ignis qui cruciat, obscurat: hic ignis & lucem exhibet & concremationem, sed transactorum illic ultrix flamma vitiorum concremationem habet, non lumen. Hinc quod reprobis Veritas dicit: *Ite maligni in ignem æternum*. Quorum rursum omnium corpus in unius personam significans dicit: *Ligate ei manus & pedes, & mittite eum in tenebras exteriores*. Si itaque ignis qui reprobos cruciat, lumen habere potuisset; is qui repellitur, mitti in tenebras non diceretur. Hinc Psalmista ait: *Super eos cecidit ignis, & non viderunt solem*. Ignis enim super impios cadit, sed sol igne cadente non cernitur; quia quo illos gehennæ flamma devorat, a visione * veritatis cæcat; ut & foris eos dolor combustionis cruciet, & intus pœna cæcitatis obscuret: quatenus qui * actori suo corpore & corde deliquerunt, simul corpore & corde puniantur. * Expulsos ergo a conspectu districti judicis reprobos, foris dolor cruciabit, & divisos a vero lumine intus cæcitas obscurabit, foris æterno igne succendentur, & ab interno lumine obtenebrabuntur. * Erit eis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate: supplicia eos in se * dimersos ultra vires cruciabunt, & in eis vitæ subsidium extinguentes servabunt, ut sic vitam terminus puniat, quatenus semper sine termino cruciati vivant: quia & ad finem per tormenta properabunt, & sine fine deficientes durabunt. * Fiet ergo miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu; quia & mors vivet, & finis semper incipiet, & deficere defectus nesciet. Mors perimet, & non extinguet, dolor cruciabit, sed pavorem non fugabit; flamma comburet, sed tenebras non decutiet. * Quamvis autem illic ignis ad consolationem non lucebit, tamen ut magis torqueat, ad aliquid lucebit: nam sequaces quosque suos secum in tormento * flamma illustrante miro judicii ordine visuri sunt, quorum inordinato amore deliquerunt: quatenus qui eorum vitam carnaliter contra præcepta Conditoris amaverunt, ipsorum quoque eos interitus in augmento suæ damnationis affligat, & pœnam propriæ punitionis exaggeret illa actori præposita carnalis cognatio, pari ante oculos ultione damnata. Quid vero mirum si gehennæ ignem credimus habere supplicium simul obscuritatis & luminis, quando experimento novimus, quia & tædarum flamma lucet obscura? Ignis itaque qui reprobos in obscuritate cruciabit, credendum est quia lumen ad tormentum servabit, non lucebit ad consolationis gratiam, & tamen lucebit ad pœnam; ut damnatorum oculis & nulla claritate candeat, & ad doloris cumulum * dilectis qualiter crucientur ostendat. * Ecce quæ maneat damnatos pœna cognovimus, & quantus in damnatione ignis, quanta in igne obscuritas, quantus quoque in obscuritate pavor sit, nullatenus, sacro nos instruente eloquio, ambigimus. Sed quid prodest ita prænosse si non contingat evadere? Tota ergo intentione curandum est, ut cum vacationis tempus accipimus, bene vivendi studio malorum ultricia tormenta fugiamus. * Sunt autem plerique qui extremum judicium esse verbotenus sciunt; sed perverse agendo testantur, quia nesciunt: qui enim hoc non formidat ut debet, necdum cognovit eum quanto turbine terroris adveniet: Si enim pensare pondus tremendi examinis nosset, quæ in illo punienda sunt non ageret, & iræ diem utique timendo præcaveret; vitare namque terror judicis nonnisi ante judicium potest. Modo non cernitur, sed precibus placatur: cum vero in illo tremendo examine sederit, & videri potest, & placari jam non potest, quia facta pravorum quæ diu sustinuit tacitus, simul omnia reddit iratus. Unde necesse est, fratres carissimi, nunc timere judicem cum necdum judicium exercet, cum diu sustinet, cum adhuc mala tolerat quæ videt: ne cum semel manum in retributionem ultionis excusserit, tanto in judicio districtius feriat, quanto ante judicium diutius expectavit Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

Isa.66.24 — Moral. lib.9 c.61.n.97 — Matt.25.41. — Ibid.22.13. — Psal.57.9. — * veri luminis. — * auctori. — * Cap 64. num. 96. — * Ibid. c.66. num. 100. — * demersos. — * fit. — * Num.101. — * reprobi. — * dilecti. — * Num 104. — * Ibid lib 14 c.59.n.79.

LIBER QUARTUS.

EXCEPTIONES EX OPUSCULIS B. GREGORII PAPÆ in subjectis capitulis Jeremiæ Prophetæ.

CAPUT PRIMUM.

Reg. Pastor. 3 par. c. 7. DUO sunt præcepta caritatis, Dei videlicet & proximi. Per activam vitam prodesse proximis cupiens Isaias, officium prædicationis appetiit; & quærenti Domino quem mitteret, ultro se obtulit, dicens: *Ecce ego, mitte me.* (Isa. 6.) Per contemplativam vero Jeremias amori Conditoris sedulo inhærere desiderans, ne pergeret cum pavore recusans mittitur: & tamen ne mitti debeat humiliter reluctatur, dicens: *A, a, a, Domine Deus; ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* (Jerem. 1. 6.) En ab utrisque exterius diversa vox prodiit, sed non a diverso fonte dilectionis emanavit. Quod alter laudabiliter appetiit, hoc alter laudabiliter expavit: iste ne tacitæ contemplationis lucra loquendo perderet; ille ne damna studiosi operis tacendo sentiret. Sed hoc in utrisque est subtiliter intuendum; quia & is qui recusavit plene non resistit; & is qui mitti voluit, ante per altaris calculum se purgatum vidit, ne aut non purgatus adire quisque sacra prædicationis ministeria audeat, aut quem superna gratia eligit, sub humilitatis specie superbe contradicat.

CAPUT II.

Moral. lib. 18 c. 10 n. 17. ARS docentium debet esse, ut in auditorum suorum mentibus prius studeant perversa destruere, & postmodum recta prædicare: ne bonum sanctæ prædicationis semen plena malis corda non valeant capere. Unde ad Jeremiam dicitur: *Ecce constitui te hodie super Gentes & regna, ut evellas & destruas, ut ædifices & plantes.* (Jerem. 1. 10.) * Nequaquam enim rectæ veritatis fundamentum ponitur, nisi prius erroris fabrica destruatur; & nisi ab auditorum suorum cordibus spinas vani amoris prædicator evellat, frustra in eis sanctæ prædicationis verba plantat. (* Reg. Pastor. 3 par. c. 33.)

CAPUT III.

Moral. lib. 11 c. 20. n. 32. IMMUNDUS spiritus malæ suggestionis flatu, ad terrena desideria iniquorum corda succendit, Jeremia attestante, qui ait: *Ollam succensam ego video, & faciem ejus a facie Aquilonis.* (Jerem. 1. 13.) Olla succensa est cor humanum secularium curarum ardoribus desideriorumque anxietatibus fervens. Olla succenditur, cum mens humana maligni hostis suasionibus instigatur, & per consensum in desideriis pravæ persuasionis accenditur. * Ab Aquilonis autem facie humani cordis olla succenditur, (* Ibid. lib. 33. c. 37. n. 66.) cum per instigationem adversarii spiritus, qui nomine Aquilonis vocari solet, illicitis desideriis inflammatur. Ille namque qui ait: *Ponam sedem meam ad Aquilonem*, (Isa. 14. 14.) mentem quam semel cœperit, malignis persuasionis suæ facibus quasi * supposito igne accendit; & humanas mentes ad delectationes pertrahens illicitas, alias superbiæ, alias invidiæ, alias luxuriæ, alias avaritiæ facibus inflammat. (* suppositis ignibus. Ibid. c. 33.)

CAPUT IV.

Jerem. 2. 3. Ibid. l. 1. hom. 11. in Ezech. num. 1. SANCTUS *Israel Domino primitiæ frugum ejus.* Bonæ animæ fruges Dei appellantur: fruges enim Domini conversæ ad fidem Gentes postmodum factæ sunt: sed quia prius Israel Domino credidit, recte hunc Isaias frugum ejus primitias appellavit.

CAPUT V.

Moral. lib. 14 c. 10. n. 27. AD Judæam per Jeremiam dicitur: *Filii Mempheos & Taphnis constupraverunt te usque ad verticem.* (Jerem. 2. 16.) Usque ad verticem constuprari, est post malæ operationis usum, etiam in ipsa fidei sublimitate corrumpi. Cum enim nequissimi spiritus uniuscujusque animam in pravis operibus involvunt, sed integritatem fidei vitiare non possunt; quasi adhuc inferiora membra polluunt, sed ad verticem non pertingunt. Quisquis autem in fide corrumpitur, usque ad verticem constupratur. Malignus enim spiritus quasi ab inferioribus membris usque ad * summum pertingit, quando activam vitam polluens, castam celsitudinem fidei diffidentiæ morbo corrumpit. (* summa)

CAPUT VI.

Jerem. 2. 24. Moral. lib. 16 c. 47. n. 60. ONager *assuetus in solitudine; in desiderio animæ suæ attraxerit ventus amoris sui.* In hoc loco onagri nomine intelliguntur hæretici, qui in suis voluptatibus dimissi, a vinculis sunt fidei & rationis alieni. Onager itaque in solitudine assuetus est, quia dum terram cordis sui disciplinæ virtute non excolit, ibi habitat ubi fructus non est. Qui in desiderio animæ suæ ventum amoris sui attrahit: quia ea quæ ex desiderio scientiæ * mente concepit, inflare prævalent, non ædificare. (* in mente.)

CA-

CAPUT VII.

Lib. 2. ho. 33. in Evang. n. 8. Jerem. 3. 1. SUB Judææ specie unicuique peccatrici animæ a Domino per Jeremiam dicitur: *Si dimiserit vir uxorem suam, & illa recedens duxerit alterum virum; numquid ultra revertetur ad eam? numquid non polluta & contaminata est mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus*. Ecce paradigma turpis mulieris dedit. Ostendit quod post turpitudinem recipi non possit: sed hoc ipsum paradigma quod protulit, per misericordiam vincit, cum dicit fornicantem mulierem recipi non posse, & tamen fornicantem animam ut recipiat exspectat. Pensate, fratres, pondus tantæ pietatis: B dicit quod fieri non potest; & demonstrat quia hoc ipse facere etiam contra morem potest. Ecce vocat, & quos inquinatos denuntiat, hos etiam amplecti quærit, a quibus se desertum * quæritur. * esse. Ecce superna benignitas adversos nos revocat, & nobis revertentibus suæ clementiæ sinum parat: nemo oblata remedia divinæ pietatis abjiciat. Penset unusquisque quo debito constringatur; quando Deus illum exspectat, * ne contemtus exasperetur. * nec.

CAPUT VIII.

Lib. 1. hom. 12. in Ezech. num. 18. PLERUMQUE multi qui necdum in via rectitudinis firmi sunt, ad prava opera ex aliorum exemplo dilabuntur. C Hinc ad Jeremiam voce dominica de Juda & Israel dicitur: Jerem. 3. 7. *Numquid vidisti quæ fecerit adversatrix Israel? Abiit super omnem montem excelsum, & sub omni ligno frondoso; & fornicata est ibi: & dixi, cum fecisset hæc omnia, ad me revertere; & non est reversa*. Ubi statim subditur qualiter ex æmulatione ejus etiam Judas cecidit, quæ stare videbatur. Ait enim: *Et vidit prævaricatrix soror ejus Juda, quia pro eo quod mœchiata esset aversatrix Israel, dimisissem eam, & dedissem ei libellum repudii: & non timuit prævaricatrix soror Juda ejus, sed abiit & fornicata est etiam ipsa*. Ecce misericors Deus contemnitur, & * vocat aversantes se; * vocat, aversantibus se sinum. sinum misericordiæ aperit, quia peccanti dicit, ad me convertere; & tamen non est conversa. D Sed quia plebs Israelitica Deum deseruit, reverti nolens, libellum repudii accepit: deseruit, reverti nolens, libellum repudii accepit: deseruit peccando; sed libellum repudii accepit, in suis iniquitatibus sine flagello remanendo. Anima enim quæ peccat, recedit: sed si eam post peccatum prosperitas sequitur; nulla disciplina, nulla districtionis increpatio revocat ad cor. In divisione quam inter se & Dominum fecit, etiam libellum repudii accepit, ut jam velut aliena derelicta, faciat mala quæ vult, zeli Dei flagella non sentiat, quatenus ad æterna supplicia profundius descendat. Sed soror ejus Juda, * quia Israeliticam plebem aspexit in * quoniam dimissam. sua perversitate florere; etiam ipsa non timuit a conjunctione Domini, quasi a viri legitimi cubili recedere; E unde necesse est ut peccantes quosque tunc consideremus amplius miseros, quando eos conspicimus in sua culpa sine flagello derelictos.

CAPUT IX.

Moral. lib. 27 c. 26. n. 50 Jerem. 4. 14. AD Judæam Dominus per Jeremiam dicit: *Quousque morabuntur in te cogitationes noxiæ?* A Non reprehendit cur veniunt, sed cur morantur. Et in bonis cordibus cogitationes illicitæ veniunt, sed morari prohibentur; quia recti quique ne captivandam domum conscientiæ præbeant, ab ipso cordis limine hostem fugant. Qui etsi quando repentinis suggestionibus mentes bonorum ingreditur; * resistente superno adjutorio usque ad consensum prævalere prohibetur. * sed.

CAPUT X.

Lib. 1. ho 10. in Ezech. num. 6. IN sacro eloquio nonnumquam venter pro mente poni consuevit; unde per Jeremiam dicitur: Jerem. 4. 19. *Ventrem meum doleo*. Quod quia de spirituali, & non de corporeo ventre dixerit, adjunxit: Ibidem. *Et sensus cordis mei conturbati sunt*. Neque enim ad salutem populi pertinebat, si Propheta ventrem corporeum se dolere prædicaret: sed ventrem doluit, qui mentis afflictionem sensit. Hinc enim Veritas ait: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Johan. 7. 38. Quia enim de mente fidelium sanctæ prædicationes defluunt; quasi de ventre credentium aquæ vivæ flumina decurrunt.

CAPUT XI.

Moral. lib. 9. c. 16 n. 23. IRÆ Dei resisti valet, quando ipse qui irascitur, opitulatur: & resisti omnino non valet, quando se ad ulciscendum * præparat, * excitat. & precem quæ ei funditur ipse non aspirat. Unde cum Judæa Dei justitiam culpis exigentibus offendisset, & Jeremiam Dominus ab oratione prohibet, dicens: *Tu ergo noli orare pro populo hoc*. Jerem. 7. 16. Et rursum: Ibidem. *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*. Qua in re quæri utiliter potest cur relictis tot antiquioribus Patribus, ad effundendam precem Moyses & Samuel tantum nominantur: quod facile agnoscimus si ejus qua diligere & inimicos præcipimur, caritatis merita pensamus. Conditoris namque auribus illa maxime oratio commendatur, quæ pro inimicis quoque intercedere nititur. Cum vero Patrum priorum facta sacro eloquio describente revolvimus, Moysen & Samuelem exorasse pro adversantibus invenimus. Unus quippe eorum sævientis populi persecutionem fugit, & tamen pro vita sui persecutoris intervenit: alter ex principatu populi dejectus, ipsis suis adversariis dicit: *Absit a me hoc peccatum in Domino quominus cessem orare pro vobis*. 1. Reg. 12 23. Quid est ergo in difficultate deprecandi Moysen & Samuelem deducere, nisi apertius indicare, quia ejus iræ neque illi si adstarent obsisterent, qui idcirco pro amicis intervenire citius possent, quia apud hunc intercedere & pro inimicis solerent? * Ac si aperte dicat: Nec illos modo pro amicis audio, quos magnæ virtutis merito orare etiam pro inimicis scio. *Lib. 2 ho. 27 in Evang. num. 8.

CAPUT XII.

In Reg. Past. 3. part. c. 22. NIHIL ad defendendum puritate tutius; nihil ad dicendum veritate facilius. Nam dum fallaciam suam tueri cogitur, duro cor labore fatigatur. Hinc per Jeremiam dicitur: Jerem. 9. 7 *Docuerunt linguam suam loqui mendacium; ut inique agerent, laboraverunt*. Ac si aperte diceretur: Qui amici veritatis esse sine labore potuerunt, ut peccarent laboraverunt: cumque vivere simpliciter renuunt: laboribus exigunt ut moriantur. Hinc etiam scriptum est: *Labor labiorum ipsorum operiet eos*. Psal. 139. 10. Qui enim

enim nunc implet, tunc operit; quia cujus nunc animum per blandam inquietudinem exerit, tunc per asperam retributionem premit.

CAPUT XIII.

Moral. lib. 21 c. 2 n. 4. PER quinque sensus corporis quasi per fenestras quasdam, exteriora quæque anima respicit, respiciens concupiscit. Hinc Jeremias ait: Jerem. 9. 21 *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras*. Mors per fenestras ascendit & domos ingreditur, cum per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum mentis intrat. * Ibid. Hinc etiam sub Judææ voce quæ exteriora videndo concupiscens, bona interiora perdiderat, idem Propheta dicit: Thren. 3. 51 *Oculus meus deprædatus est animam meam*. Concupiscendo enim visibilia invisibiles virtutes amisit. Quæ ergo interiorem fructum per exteriorem visum perdidit, per oculum corporis pertulit prædam cordis. Unde nobis ad custodiendam munditiam cordis exteriorum quoque sensuum disciplina servanda est: nam quantalibet virtute mens polleat, quantalibet gravitate vigeat; carnales tamen sensus puerile quiddam exterius perstrepunt, & nisi interioris gravitatis pondere, & quasi juvenili quodam vigore refrenentur, ad fluxa quæque & lævia mentem enervem trahunt.

CAPUT XIV.

Ezech. hom. 9 sec. p. 1 n. 16 SÆPE contingit ut sive recta qualibet opera, seu sacræ doctrinæ verba in omnipotentis Dei judicio pereant, cum per hæc quisque transitoriis favoribus anhelat. Hinc enim per Jeremiam dicitur Judææ quod in seipsa incauta mens invenit, si saltem post culpam suas caute cogitationes rimatur: Jerem. 11. 16 *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum. Ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in eam, & combusta sunt omnia fruteta ejus*. Olivam quippe uberem & pulchram, fructiferam & speciosam Dominus vocat, cujus vel efficaciam in operatione, vel sancta studia in verbi scientia approbat. Sed ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea: quia cum laudari quis cœperit, erubescit forsitan minor videri quam dicitur, & studet esse quod dicitur: vox enim grandis loquelæ est favor adulantis. Ad vocem ergo loquelæ grandis exarsit ignis in eam, quia in magnitudine * amoris flamma in corde accenditur de amore laudis. * favoris. Sed omnia olivæ fruteta comburuntur: quia ante omnipotentis oculos vel quæ bene gesta, vel quæ scienter sunt dicta depereunt, cum jam non amore Domini, sed intentione transitoriæ laudis fiunt.

CAPUT XV.

Jerem. 11. 19 Moral. lib. 12 c. 4 n. 5. MIttamus lignum in * pane ejus. * panem. Per lignum crux Domini hic intelligitur: lignum quippe in panem ei mittere est dominico corpori crucem adhibere, & configendo ejus corpori stipitem crucis admovere. * Lib. 3. c. 15 num. 28 * *Et eradamus eum de terra viventium*. * eradere. Vitam Domini de terra viventium * eradicare se posse existimant; quem dum mortalem conspiciunt, finiri morte suspicantur.

CAPUT XIV.

Moral. lib. 27 c. 24 n. 45 VENIENTE ad judicium Domino, reprobi sancta cum agere non valebunt, sentient & rectum quod sequi debuerunt, ex * pœna sua cognoscent. * tortitu lis nis suæ pœna. Unde per Jeremiam dicitur: Jerem. 12. 3 *Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis*. In die * occisionis sanctificantur reprobi, * enim. quia tunc sancta quæ debuerunt agere sentiunt, cum digna pravitatis suæ supplicia jam declinare non possunt.

CAPUT XVII.

Jerem. 14. 5 Moral. lib. 29 c. 26 n. 52 ONagri steterunt in rupibus, traxerunt ventos quasi dracones: defecerunt oculi eorum, quia non erat herba. In hoc dicto superba & nequissima Judæorum est persecutio prophetata: ipsi quippe onagri pro mentis elatione; ipsi dracones pro virulenta cogitatione vocati sunt. Qui steterunt in rupibus, quia non in Deo sed in summis potestatibus hujus mundi confisi sunt, dicentes: Joban. 19. 15 *Regem non habemus nisi Cæsarem*. Traxerunt ventos quasi dracones: quia elationis inflati spiritu, superbia malitiosa tumuerunt. Defecerunt oculi eorum, quia spes eorum ab eo quod intendebat corruit; quæ temporalia diligens, præstolari æterna neglexit; & terrena, ideo quia Deo præposuit, amisit. Timuerunt enim ne locum non occiso Domino perderent, & tamen occiso perdiderunt. Sed cur miseris ista evenerint subdit, quia non erat herba, id est quia eorum cordibus defuit æternitatis scientia, & nullo refecit eos pabulo viriditatis internæ doctrinæ.

CAPUT XVIII.

Moral. lib. 14 c. 41 n. 49 REDEMTOR noster dum a Synagoga cognitus non fuit, in domo sua quasi peregrinus extitit: quod aperte Jeremias testatur, dicens: Jerem. 14. 8 *Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?* Quia enim ut Dominus non est auditus, non possessor agri, sed colonus est creditus: qui quasi viator ad manendum tantummodo declinavit; quia paucos ex Judæa abstulit, & ad vocationem Gentium pergens, iter cœptum peregit.

CAPUT XIX.

Jerem. 15. 17 Moral. lib. 4 c. 30. n. 60. A Facie manus tuæ solus sedebam, quoniam comminatione replesti me. Facies manus Dei est illa percussio justi judicii, qua superbientem hominem a paradiso repulit, & in hac cæcitate præsentis exilii exclusit; comminatio vero ejus est terror adhuc supplicii sequentis. Post faciem igitur manus adhuc nos minæ terrificant; quia per experimentum judicii jam nos ex pœna præsentis exilii perculit; & si peccare non desistimus, æternis adhuc suppliciis addicit. Consideret ergo vir sanctus projectus hunc unde homo ceciderit, & hunc post ista peccantem, quo adhuc justitia judicantis rapit; & cunctas a se desideriorum temporalium turbas ejiciat, seque in magna mentis solitudine abscondat, dicens: *A facie manus tuæ solus sedebam, quoniam comminatione replesti me*. Ac si aperte dicat: Dum considero quid jam per judicii experimentum patior, a tumultu desideriorum temporalium trepidus secessum mentis peto, quia & adhuc acrius illa quæ minaris æterna supplicia formido.

CA-

CAPUT XX.

Jerem. 15. 19. Moral. 18. c. 33. n. 59.

SI separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. Vilis est Deo mundus præsens; pretiosa vero est anima humana. Qui ergo a vili pretiosum separat, quasi os Domini vocatur: quia per eum Deus verba sua exerit, qui ab amore præsentis seculi, loquendo quæ potest, humanam animam evellit.

CAPUT XXI.

Moral. 31. c. 17. n. 33.

PRETIOSUM etiam a vili separat, qui humanas mentes a reproba antiqui hostis imitatione disjungit; & recte os Dei dicitur, quia per eum divina eloquia formantur.

CAPUT XXII.

Jerem. 17. 1. Moral. 14. c. 53. n. 62. * In ungue.

PEccatum Judæ scriptum est stilo ferreo, in ungue adamantino. * Unguis finis est corporis: ita vero durus est lapis adamas, ut non valeat ferro incidi. Per stilum ferreum, fortis Dei sententia; per unguem vero adamantinum signatur finis æternus. Peccatum vero Judæ stilo ferreo in ungue adamantino scriptum dicitur, quia culpa Judæorum per fortem Dei sententiam in fine servatur infinito.

CAPUT XXIII.

Moral. 23. c. 11. n. 38. Jerem. 20. 9.

JEREMIAS cum sibi, quia a populo non audiebatur, silentium indixisset, dicens: Non loquar ultra in nomine illius, illico adjunxit: Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans; & defeci, ferre non sustinens: audivi enim contumelias multorum. Pro eo enim quod se audiri minime conspexit, silentium appetiit; sed cum crescentia mala cerneret, in eodem silentio non permansit: quia enim foris tacuit ex tædio locutionis, intus ignem pertulit de zelo caritatis. Inflammantur quippe corda justorum, cum non correpta crescere acta conspiciunt malorum: eorumque culpæ se participes credunt, quos in iniquitate crescere silendo permittunt.

CAPUT XXIV.

Moral. 4. c. 4. Præfat.

JEREMIAS cum prædicationem suam cerneret audientium difficultate præpediri, maledixit, dicens: Maledictus vir qui annuntiavit patri meo dicens: Natus est tibi puer masculus. * Si ex matris suæ utero hoc in mundo Propheta affligendus prodiit, nativitatis ejus nuntius quid deliquit? Sed quid persona Prophetæ fluctuantis, nisi per pœnæ meritum veniens humani generis mutabilitas designatur? & quid per patrem illius, nisi iste de quo nascimur mundus exprimitur? & quis est ille vir qui nativitatem nostram annuntiat, nisi antiquus hostis, qui cum nos in cogitationibus fluctuare considerat, malorum mentes qui ex authoritate hujus mundi præeminent, ad persuasionem nostræ deceptionis instigat? Cumque nos agere infirma conspexerit, ea quasi fortia favoribus extollit, & quasi natos masculos loquitur, cum corruptores * veri per mendacium nos extitisse gratulatur. Patri ergo masculum natum denuntiat, quando huic mundo eum quem persuaserit factum innocentiæ corruptorem demonstrat. Nam cum cuilibet peccanti & superbienti dicitur: fecisti sicut vir; quid

Jerem. 20. 15. * Ibid.

* veritatis.

A aliud quam natus masculus in mundo perhibetur? Jure itaque vir qui masculum natum nuntiat maledicitur, quia ipso ejus nuntio reprobum gaudium nostri corruptoris indicatur.

CAPUT XXV.

Moral. 32. c. 7. n. 9. Jerem. 25. 38.

CREATOR omnium in extremo judicio in semetipso incommutabilis manebit, & cum tranquillitate bonos & malos judicabit. Hinc Jeremias ait: Deserta facta est terra a facie iræ columbæ, a facie furoris Domini. Quod enim iram columbæ prædixerat, hoc furorem Domini subjunxit. Columba namque valde simplex animal: & quia in Deum nulla furoris inæqualitas B serpit, furorem Domini iram columbæ nominavit; ut enim divinæ districtionis vim imperturbabilem demonstraret, & iram dixit & columbæ; ac si apertius * diceretur: Districtum judicium inconcussus exerit, * quia permanens mansuetus punit: sed tamen electis & reprobis nequaquam sub specie ejusdem incommutabilitatis ostenditur, quia & tranquillus justis & iratus parebit injustis: istis eum benignum ostendet anteacta justitia, & illis terribilem culpa. Hoc quotidie in usu vitæ præsentis agitur, ut cum duo ad judicium pergunt, alius innocens, alter reus, ante prolatam sententiam adhuc tacentem judicem utrique conspiciunt; & tamen reus gravem contra se iram * judicis suspica-C tur, quam iram sibi non denuntiat perturbatio judicis, sed recordatio pravitatis: at contra justitiæ amicus intus de testimonio bonæ recordationis hilarescit; & * quia apud se quod metuat non habet, * omne quod erga seipsum est blandum videt. Sic ergo in horribili Domini judicio, quamvis justi & injusti eum tranquillum videant; peccatores tamen sibi male conscii, eum erga se perturbatum & iratum putant.

* diceret. * qui.

* hoc ipsum judicis sententiam.

* quo * eo.

CAPUT XXVI.

Moral. Præf. cap. 5. n. 12.

PERCUSSIONUM diversa sunt genera. Aliquando enim peccator percutitur, ut absque D retractatione puniatur; sicut perituræ Judææ per Jeremiam dicitur: Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli. *Cum virtutem nostræ patientiæ ultra id quod possumus ferre Dei flagella transeunt; valde metuendum est ne, peccatis nostris exigentibus, non jam quasi filii a patre, sed quasi hostes a Domino feriamur.

Jerem. 30. 14. * 14. 14. c. 37.

CAPUT XXVII.

Moral. lib. 14. c. 37. n. 45.

QUI enim ita crudeliter percutitur, ut vires illius a percussione superentur; non hunc Dominus quasi filium percutit per disciplinam, sed quasi hostem per iram ferit. * aliquando peccator percutitur ut corrigatur, sicut cuidam in Evangelio E dicitur: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Verba enim salvantis indicant, quia peccata præcedentia habiti vim doloris eximebant. Aliquando quisque non pro præterita culpa diluenda, sed pro futura vitanda percutitur; quod Paulus aperte de seipso testatur, dicens: Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ: Qui enim non ait, quia extulit, sed ne extollat; aperte indicat quod percussione illa, ne eveniat, compescitur, non autem quæ evenerit, culpa purgatur. Nonnumquam ve-

* Præfat. c. 5. num. 12. Joban. 5. 14.

2. Cor. 12. 7.

ro quisque nec pro præterita, nec pro futura iniquitate percutitur, sed ut sola divinæ virtutis potentia ex amputata percussione monstretur: & dum inopinata salus percussionem sequitur, salvantis virtus cognita ardentius ametur: & cum innoxius flagello atteritur, ei per patientiam meritorum summa cumulatur. Unde cum Domino in Evangelio de cæco nato diceretur: *Quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur*; Respondit Dominus, dicens: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo*. In qua manifestatione quid aliud agitur, nisi ut ex flagello, meritorum virtus augeatur, & cum nulla præterita* culpa tergitur, magna de patientia fortitudo generetur?

Joban. 9. 2.

* iniquitas.

CAPUT XXVIII.

CUM omnipotens Deus ad conversionem sui desiderii hominem commutat, mox homo cuncta carnis suæ fluxa restringit, & quodam districtionis suæ gladio omne quod in ea male vivebat, interficit. Hoc disciplinæ gladio seipsum Jeremias interfecerat; cum dicebat: *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam; & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum*. Quid enim in femore, nisi voluptas carnis accipitur? Et quid est quod dicit, postquam ostendisti mihi, percussi femur meum: nisi quod postquam superna spiritualiter vidit, omne quod inferius in se carnaliter vivebat, extinxit; ut quanto magis* superna patescerent, tanto amplius ima quæ tenuerat non liberent? nam quanto magis incipit quisque superius vivere, tanto & inchoat inferius interire.

Moral. 24. c. 11. n. 48.

Jerem. 31. 19

* summa.

CAPUT XXIX.

UNIUSCUIUSQUE animam Jeremias admonet, dicens: *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines*. Speculam sibi statuere est, ventura vitiorum certamina ex alta consideratione prænoscere. Sibique mens electi amaritudines ponit, * quoniam & in virtutum pace constituta, dum mala insidiantia conspicit, secura quiescere non consentit.

Moral. 31. c. 45. n. 85. Jerem. 31. 21

* quando.

CAPUT XXX.

OMnis homo qui* comedit uvam acerbam, obstupescent dentes ejus. Per dentes cibus frangitur, ut glutiatur. Unde non immerito in dentibus interiores sensus accipimus, qui singula quæ cogitant, quasi mandunt & comminuunt, & ventri memoriæ transmittunt. Quid autem uva acerba, nisi peccatum est? Uva quippe acerba est fructus ante tempus. Quisquis enim præsentis vitæ delectationibus satiari desiderat, quasi fructus ante tempus comedere festinat. Qui igitur uvam acerbam comedit, dentes ejus obstupescunt, quia qui præsentis vitæ delectatione pascitur, interni ejus sensus ligantur, ut jam spiritu alia mandere, id est intelligere nequeant, Quia unde in exterioribus delectati sunt, inde in intimis obstupescunt: quia dum peccato anima pascitur, panem justitiæ edere non valet: quoniam ligati dentes ex peccati consuetudine, justum quod intus sapit nequaquam edere possunt: quia vero per dentes sensus interiores accipi solent, idem Jeremias testatur, dicens: *Fregit ad numerum dentes meos*. Dentes suos, id est sensus ad numerum fractos dicit, quia juxta mensuram uniuscujusque peccati intelligentiæ cæcitas generatur in sensibus, & secundum quod quisque egit exterius in eo obstupescit, quod de internis & invisibilibus intelligere potuit.

Jerem. 31. 30 Moral. lib. 11 c. 31. n. 43. * comedit.

Thren. 3. 16

CAPUT XXXI.

ÆDificabitur civitas Domino a turre Ananeel, usque ad portam anguli, & exivit ultra normam mensuræ. Civitatem Domini esse sanctam Ecclesiam nullus ignorat. Ananeel vero Dei gratia interpretatur: in angulo autem duplex paries jungitur. Civitas ergo Domini a turre Ananeel, usque ad portam anguli ædificari perhibetur: quia sancta Ecclesia a celsitudine supernę gratię inchoans, usque ad ingressum susceptionemque construitur utrorumque populorum Judaici videlicet & Gentilis. Sed quia in ea crescente multitudine etiam reprobi colliguntur, apte subditur: *Et exivit ultra normam mensuræ*, quia usque ad eos quoque extenditur, qui normam justitiæ transcuntes intra mensuræ cælestis numerum non sunt.

Jerem. 31 38 Moral. 25. c. 8. n. 21

CAPUT XXXII.

DIVINIS admonitionibus & præcedentium patrum exemplis adjuti, de hujus vitæ profundo liberamur, quod Jeremia in puteum misso signatum est: *Qui ut levetur ex puteo funes ei & panni veteres deponuntur*. Quid enim funibus, nisi præcepta dominica figurantur? Quæ quia nos in mala operatione positos & convinciunt & eripiunt, quasi ligant & extrahunt, coarctant & levant. Sed ne ligatus his funibus, dum trahitur, incidatur; simul etiam panni veteres deponuntur, quia ne divina præcepta nos terreant, & antiquorum patrum nos exempla confortant, & ex eorum comparatione facere nos posse præsumimus, quod ex nostra imbecillitate formidamus. Si ergo levari de hoc profundo festinamus, ligemur de his funibus, id est præceptis dominicis adstringamur. Intersint etiam panni veteres cum quibus melius teneantur funes; id est, præcedentium consortemur exemplis, ne infirmos nos & timidos præcepta subtilia vulnerent, dum levant.

Moral. lib. 25 c. 7. n. 17.

Jerem. 38. v. 11. &c.

CAPUT XXXIII.

CUM antiquus hostis intentionem boni operis vitiare non prævalet, in via positos laqueos tegit, ut in eo quod bonum agitur, cor exaltans se ex latere ad vitium diriveture. In ipsa actione se quasi in itinere opponit, ut cum per propositum mentis securior quisque egreditur, subjuncto latenter vitio quasi ex insidiis perimatur. Quod subtilius Jeremias insinuat, qui dum gesta foris referre studuit, quæ intus apud nosipsos gererentur indicavit, dicens: *Venerunt octoginta viri de Sichem & de Silo, & de Samaria rasi barba, & scissis vestibus squalentes: munera & thus habebant in manu, ut offerrent in domo Domini. Egressus autem Ismael filius Nathaniæ in occursum eorum de Naspha incedens, & plorans ibat. Cumque occurrisset eis, dixit ad eos: Venite ad Godoliam filium Aicham; qui cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos*. Barbam radunt qui sibi de propriis viribus fiduciam subtrahunt: vestes scindunt qui sibimetipsis in exterioris laceratione decoris non parcunt, oblaturi

Moral. lib. 1 c. 36. n. 54.

Jerem. 41. 5

turi in domo Domini thus & munera veniunt. A Qui exhibere se in Dei sacrificio orationem cum operibus pollicentur, sed tamen si se in ipsa sanctæ devotionis via caute circumspicere nesciunt, Ismael Nathaniæ filius in occursum eorum venit: quia quilibet malignus spiritus prioris sui Sathanæ videlicet exemplo in superbiæ errore generatus, sed laqueum deceptionis opponit. De quo & bene dicitur: *Incedens & plorans ibat*, quia ut devotas mentes interimere feriendo prævaleat, semetipsum quasi sub velamine virtutis occultat: & dum concordare se vere lugentibus simulat, ad cordis intima securius admissus, hoc quod intus de virtute latet occidit; qui plerumque spondet se ad altiora provehere. Unde & dixisse perhibetur: *Venite ad Godoliam filium Aicham*; & dum majora promittit, etiam minima subtrahit. Unde recte dictum est; *Qui cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos*. Viros ergo ad offerenda Domino munera venientes in medio civitatis interficit, quia divinis deditæ operibus mentes, nisi magna se circumspectione custodiant, subripiente hoste, dum devotionis portant hostiam, in ipso itinere perdunt vitam: de cujus hostis manu non evaditur, nisi intus ad pœnitentiam recurratur. Unde subjungitur: *Decem autem viri reperti sunt inter eos, qui dixerunt ad Ismael: Noli occidere nos, quia habemus thesauros in agro frumenti & hordei, & mellis; & non occidit eos*. Thesaurus in agro est spes in pœnitentia, quæ quia non cernitur, quasi * intra cordis fossa continetur: qui enim thesauros in agro habuere, servati sunt; quia qui post incautelæ suæ vitium ad lamentum pœnitentiæ redeunt, nec capti moriuntur.

Ibid. v. 18.

* in terra.

CAPUT XXXIV.

Moral. 9. c. 34 n. 53.

DUO sunt quæ in bonis operibus necesse est ut studiose formidentur, desidia videlicet & fraus. Unde & per Jeremiam apud vetustam translationem dicitur: *Maledictus omnis qui facit opus * Domini fraudulenter & desidiose*. Sed sciendum est, quod desidia per torporem nascitur; fraus per privatam dilectionem. Illam minor Dei amor exaggerat, hanc vero male mentem possidens proprius amor creat. Fraudem quippe in opere Dei perpetrat, quisquis seipsum inordinate diligens, per hoc quod recte egit ad remunerationis transitoria bona festinat, & per hanc fraudem, aut tacitam humani cordis gratiam, aut favoris auram, aut rem quamlibet exteriorem desiderat. *Solus ergo in opere Dei fraudem non facit, qui, cum ad studia bonæ actionis invigilat, nec ad corporalis rei præmia, nec ad laudis verba, nec ad humani judicii gratiam anhelat. Sæpe enim nonnulla bona, nostra latrocinante fraude depereunt, quia rectis se nostris actionibus concupiscentiæ terrenæ subjungunt. Sæpe enim desidia interveniente deficiunt, qui a fervore quo cœpta sunt, frigescente amore tabescunt.

Jerem. 48. 10. * Dei.

* Ibid.

CAPUT XXXV.

Reg. Pastoral. 3. part. cap. 25.

GRAVI culpa involvuntur qui dum cognoscunt vulnera mentium, curare ea negligunt sectione verborum. Unde per Jeremiam dicitur: *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine*. Gladium quippe a sanguine prohibere est, prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione retinere.

Jerem. 48. 10

CAPUT XXXVI.

Moral. 13. cap 14. n. 21.

ANTIQUUS hostis justos viros malevole tentare appetit: sed tamen hoc Dominus, vel misericorditer fieri, vel juste permittit. Erudiendos enim electos suos tentatori subjicit, ut qui elati perire poterant, humiliati tentatione liberentur a perditione. *Electos igitur Dei diabolus volens tentat, & tentando nesciens probat; in illa vero superna patria justos cælesti felicitate pollentes, nequaquam tentare permittetur, sed ante eorum oculos æternis gehennæ ignibus mancipabitur, & cum corpore suo, reprobis videlicet omnibus, flammis B ultricibus traditus sine fine cruciabitur. * Hanc super antiquum hostem extremi judicii vim venturam Jeremias contemplatus dixit: *Quomodo confractus est, & contritus malleus universæ terræ?* Ac si aperte diceret: Eum per quem vascula sua Dominus in ministerii sui usu formanda percutit, quis perpendat quo turbine, veniente extremo judicio, in æterna damnatione confringit? * Adveniente enim districto judice, de hoc mundo per iram judicii tolletur qui nunc mira mansuetudinis longanimitate toleratur, & tanto hinc pondere tortoris excussus cum judicii turbine rapietur, ut hi qui in corporibus reperiri poterunt; jam fortes & perfecti in tanti terroris turbine magna formidine concutiantur, & si quid C in eis inesse potuit levium rubigo vitiorum, hoc pavore excoquatur.

* Ibid. n. 18. & 19.

* Lib. 34. c. 14. num. 25. Jerem. 50. 23.

* Ibid. c. 7. n. 15. & 16.

CAPUT XXXVII.

Jerem. 51. 7. Moral. l. 34. c. 15. n. 26.

CAlix aureus Babylon. Auri nomine nitor exprimitur temporalis gloriæ: quid vero Babylonis nomine, nisi hujus mundi gloria designatur? Quæ calix dicitur aureus; quia dum pulchra esse temporalia ostendit, stultas mentes in sui concupiscentia debriat, ut speciosa temporalia appetant, & invisibilia pulchra contemnant. Aureus Babylon calix est, quia dum visum exterioris pulchritudinis ostendit, sensum internæ rectitudinis subtrahit.

CAPUT XXXVIII.

D

Reg. Pastoral. 3. part. cap. 13. Jerem. 51. 9.

VOCE flagellantium vitam reproborum Jeremias conqueritur, dicens: *Curavimus Babylonem, & non est sanata*. Babylon curatur nec tamen ad sanitatem verba correptionis audit, flagella correptionis percipit, & tamen ad recta salutis itinera redimere contemnit.

CAPUT XXXIX.

Moral. l. 13. cap. 12.

MAXILLA sanctæ Ecclesiæ prædicatores sancti sunt, sicut per Jeremiam sub Judææ E specie dicitur: *Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus*. Quia * adversitatem Ecclesiæ illi amplius plangunt, qui vitam carnalium confringere prædicando noverunt.

Thren. 1. 2. * quia in adversitatibus.

CAPUT XL.

Moral. lib. 1. c. 36. n. 51.

ANTIQUUS hostis aliquando intentionem in bono opere polluit, ut omne quod in actione sequitur, eo purum mundumque non exeat, quo hoc ab origine perturbat. Intentionem quippe in bono

bono opere polluit, quia cum facilta ad decipiendum corda hominum conspicit, eorum desideriis auram transitorii favoris apponit, ut in his quæ recta faciunt, ad appetenda ima tortitudine intentionis inclinentur. * Unde sub Judææ specie de unaquaque anima laqueo miseræ intentionis capta per Jeremiam dicitur: *Facti sunt hostes ejus in capite.* Ac si aperte diceretur: Cum bonum opus non bona intentione sumitur, huic adversantes spiritus ab ipso cogitationis exordio principantur; tantoque eam plenius possident, quanto per initium dominantes tenent. * Si vero semel cor in intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas & terminus ab hoste callido secure possidetur. Summa ergo cura vigilandum est, ne vel bonis operibus serviens mens reproba intentione polluatur.

* recte. — Thren. 1. 5. — * Ibid. n. 53.

CAPUT XLI.

Moral. lib. 4. c. 31. n. 35. — Thren. 1. 7.

SUNT nonnulli qui quanto securius ab externis actionibus cessant, tanto latius immunde in se cogitationis strepitum per otium congerant. Unde sub Judææ specie per Jeremiam torpens otio anima defletur, cum dicitur: *Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbata ejus.* Præcepto enim Legis ab exteriori opere in Sabbato cessatur. Hostes ergo Sabbata videntes irrident, cum maligni spiritus ipsa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt, ut unaquæque anima quo remota ab externis actionibus Deo servire creditur, eo magis eorum tyrannidi illicita cogitando famuletur.

CAPUT XLII.

Moral. lib. 25. c. 1. n. 28. — Thren. 1. 11.

JEREMIAS Propheta, cum Synagogæ perditos mores defleret, dixit: *Omnis populus ejus gemens, & quærens panem: dederunt pretiosa quæque pro cibo, ad refocillandam animam.* Per panem aliquando jocunditas humanæ delectationis accipitur. Gemens itaque populus quærit panem, cum prava hominum multitudo affligitur; quia non ad votum de præsentis vitæ jocunditate satiatur. Sed & pretiosa quæque pro cibo dat, quia virtutes mentis in appetitu transitoriæ delectationis inclinat, & refocillare animam nititur; quia perversis suis desideriis satisfacere conatur. Unde bene mox & ex voce * electæ multitudinis subditur: *Vide, Domine, & considera, quia facta sum vilis.* Vilis quippe plebs Dei efficitur, cum pravorum numero crescente, in eis non summa & cælestia, sed abjecta & terrena sectatur.

* illius. Ibidem.

CAPUT XLIII.

Moral. 25. cap. 17. Ibidem.

JEREMIAS luctum cordis sui considerari deposcens, ait: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus.* Qui præsentem vitam non quasi viam transeunt, sed quasi patriam attendunt, luctum cordis electorum considerare nesciunt: illos ergo ut dolorem suum considerent, * exquirit quos in hoc mundo animum non fixisse contigit.

* Propheta.

CAPUT XLIV.

Moral. 5. cap. 31. n. 62. — Thren. 1. 20.

SÆPE foris flagellis atterimur, & intus carnali suggestione fatigamur. Hinc est quod Jeremias A deplorat, dicens: *Foris interficit gladius, & domi mors similis est.* Foris enim interficit gladius, cum nos exterius feriens vindicta configit: sed domi mors similis est: quia & flagella quidem sustinet, & tamen intus conscientia a tentationis sordibus munda non est.

CAPUT XLV.

Moral. 11. c. 16. n. 25. Thren. 2. 1.

ISRAELITARUM casum longe ante Jeremias intuens, ait: *Factus est Dominus velut inimicus; præcipitavit Israel, præcipitavit omnia mœnia ejus, dissipavit munitiones ejus.* Mœnia in urbibus pro ornamento sunt, munitiones vero in defensionem; quia & alia sunt dona quæ nos B muniunt, alia quæ ornant. Prophetiæ quippe, doctrina, genera linguarum, curationum virtus, quasi quædam mentis mœnia sunt: quæ si quisque non habeat, stare munitus per fidem & justitiam potest, quamvis ornatus virtutum altitudine minime esse videatur. Spes vero, fides, & caritas non nostra mœnia, sed munitiones sunt; quæ si habere negligimus, hostium insidiis patemus. De Judæa ergo quia prophetiam & doctrinam, vel miraculorum signa abstulit, *mœnia præcipitavit.* Quia vero fidem, spem, & caritatem propter ejus duritiam auferre permisit, munitiones ejus auferre studuit. Rectus vero C ordo servatus est, ut prius mœnia, & post munitiones dissipatæ dicerentur: quia cum peccatrix anima relinquitur, prius ab ea dona virtutum quæ ad manifestationem spiritus data sunt, & postmodum fidei, spei, & caritatis fundamenta destruuntur.

CAPUT XLVI.

Reg. Pastoral. sec. part. c. 4. Thren. 2. 14.

POPULO delinquenti per Jeremiam dicitur: *Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* Prophetæ in sacro eloquio nonnumquam doctores vocantur, qui dum fugitiva & præsentia indicant, quæ sint ventura manifestant. Quos divinus sermo falsa videre redarguit, quia dum corripere culpas metuunt, D incassum delinquentibus promissa securitate blandiuntur. Qui iniquitatem peccantium nequaquam aperiunt, quia ab increpationis voce conticescunt. Clavis quippe apertionis est sermo correptionis, quia increpando culpam detegit, quam sæpe nescit etiam ipse qui perpetravit.

CAPUT XLVII.

Moral. 34. c. 5. n. 5. — Thren. 3. 1.

ELECTI in hoc ærumnoso vitæ præsentis exilio positi pauperes se esse, sciunt; & quia veras divitias cælestis patriæ nequaquam conspiciunt, ad eas assidue suspirantes in ærumna paupertatis istius gemunt. Hanc paupertatem Jeremias inspexerat, cum dicebat: *Ego vir* E *videns paupertatem meam, in virga indignationis ejus.* Virga indignationis Dei, est percussio districtionis; quam indignationem tunc homo pertulit, cum ex paradiso pulsus, veras interni gaudii divitias amisit. Sed quia electi quique incessanter conspiciunt quod in præsentis vitæ penuriam ab illa potestatis ingenitæ facultate ceciderunt, bene dicitur: *Ego vir videns paupertatem meam.* Quisquis enim adhuc hæc visibilia appetit, peregrinationis suæ malum

lum non intelligit, & hoc ipsum quod patitur, videre nescit. Hanc paupertatem David * intuens, ait: *Infirmata est in paupertate virtus mea*. In paupertate enim virtus infirmari dicitur, quia lapsus in hac peregrinatione animus, & corruptionis suæ molestiis reverberatus, hoc quod perdidit contemplari præpeditur.

* Propheta. Psal. 30. 11.

CAPUT XLVIII.

Hom. 12. l. 1. in Ezech. n. 13. Thren. 3. 7.

SUBTILE omnipotentis Dei judicium Jeremias intuens: ait: *Aggravavit compedem meum*. Habemus compedes ipsam infirmitatem, & corruptionem mortalitatis nostræ. Sed cum tribulatio nobis & gemitus additur, ipsæ nostræ compedes aggravantur.

CAPUT XLIX.

Moralium 20. c. 15. n. 39. Thren. 3. 15.

JEREMIAS totius in se humanæ conversationis speciem sumens per lamentum conqueritur, dicens: *Inebriavit me absinthio*. Ebrius quisque quod patitur nescit: qui vero absinthio debriatur, & hoc quod sumsit amarum est, & tamen non intelligit eamdem amaritudinem qua repletur. Humanum ergo genus recto Dei judicio in voluptatibus suis sibi dimissum, & per easdem voluptates in spontaneis tribulationibus traditum, absinthio est ebrium; quia & amara sunt quæ pro hujus vitæ amore tolerat, & tamen eamdem amaritudinem cæcitate cupiditatis, quasi insensibilitate ebrietatis ignorat. Mundi enim gloriam sitiens, dum multas pro ea tribulationes suscipit, amarum est quod bibit. Sed quia hoc nimis inhianter sumsit, ejusdem amaritudinis malum discernere jam pro ipsa ebrietate non sufficit. * A sensu rationis alienus, dum quidquid pro mundo sustinet, leve putat, & laboris amaritudinem quam tolerat, ignorat: quia delectabiliter ad cuncta ducitur in quibus pœnaliter fatigatur.

* Ibid. lib. 7. cap. 22.

CAPUT L.

Moral. 18. cap. 5 n. 10. Thren. 3. 40.

VALDE apud Deum duo congruunt necessario: ut oratione operatio, & operatione fulciatur oratio. Hinc enim Jeremias ait: *Scrutemur vias nostras, levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cælum*. Vias enim nostras scrutari, est cogitationum interna discutere. Corda vero cum manibus levat, qui orationem suam cum operibus roborat. Nam quisquis orat, sed opera dissimulat, cor levat, & manus non levat: quisquis vero operatur & non orat, manus levat & cor non levat.

CAPUT LI.

Moral. 22. c. 17. n. 37. Thren. 3. 44.

SANCTI viri qui etiam alienæ negligentiæ compatiuntur, & se pati æstimant quod pati alios sentiunt, Deo orantes dicunt: *Opposuisti nubem, ne transeat oratio*. Ac si aperte dicant: Menti nostræ terrenis voluptatibus assuetæ, curarum suarum phantasmata justo judicio objicis, quibus eam in ipsa orationis suæ intentione confundis; & quam infimis desideriis deditam non ignoras, recte cæcatam ab intuenda lucis tuæ perspicuitate reverberas; ut cum in te intenditur, ipso a te cogitationum suarum nubilo reflectatur; & quæ terrena hæc assidue cogitat, quia vult, hæc etiam toleret in oratione, cum non vult.

CAPUT LII.

Reg. Past. p. 3. part. c. 29. Thren. 3. 48.

PECCATORES singula quæque admissa considerare debent, ut dum per unumquodque erroris sui inquinationem deflent, simul se ac totos lacrymis mundent. Unde per Jeremiam dicitur, cum Judææ singula delicta pensaret: *Divisione aquarum deduxit oculus meus*. Divisas ex oculis aquas deducimus, cum peccatis singulis dispertitas lacrymas damus. Neque enim uno eodemque tempore æque mens de omnibus dolet; sed dum nunc hujus, nunc illius culpæ memoria acrius tangitur, simul de omnibus in singulis commota purgatur.

CAPUT LIII.

Moral. 26. c. 36. n. 65. Thren. 3. 53.

CUM Jeremias Judæam in iniquitatibus longa consuetudine obrutam fuisse conspiceret, in lamentis suis sub ejus specie seipsum deplorat, dicens: *Lapsa est in lacu vita mea, & posuerunt lapidem super me*. In lacum vita labitur, cum labe iniquitatis inquinatur; lapis vero superponitur, cum etiam dura consuetudine mens in peccato devoratur: ut & si velit exurgere, jam utcumque non possit, quia moles desuper malæ consuetudinis premit.

CAPUT LIV.

Reg. Pastoral. sec. part. c. 7. Thren. 4. 1.

MAGNO dolore caritatis Jeremias sub destructione templi deplorat, dicens: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum*. Quid auro quod ceteris metallis præminet, nisi excellentia sanctitatis? Quid colore optimo, nisi cunctis amabilis reverentia religionis exprimitur? Quid sanctuarii lapidibus, nisi sacrorum ordinum personæ signantur? Quid platearum nomine, nisi præsentis vitæ latitudo figuratur? Quia enim Græco eloquo πλάθος, latitudo dicitur, profecto a latitudine plateæ sunt vocatæ. * Aurum vero obscuratum doluit, quia in quibusdam claritatem innocentiæ & religionis, versam in culpæ nigredinem vidit. * Aurum quippe obscuratur, cum subsequentibus iniquitatem tenebris, justitiæ pulchritudo deseritur: cum terrenis actibus spiritualis vita polluitur. Color optimus mutatur, cum splendor innocentiæ in fœditatem vertitur culpæ. * Color optimus commutatur, cum quorumdam qui degere religiose credebantur, existimatio anteacta minuitur; nam cum quilibet post sanctitatis habitum terrenis se actibus inserit, quasi colore permutato ante humanos oculos ejus reverentia despecta pallescit. Sanctuarii quoque lapides in plateas disperguntur, cum causarum secularium foris lata itinera expetunt, hi qui ad ornamentum Ecclesiæ internis mysteriis, quasi in secretis * sanctuarii vacare debuerunt. Ad hoc quippe lapides sanctuarii fiebant, ut in Sancti sanctorum in vestimento summi Sacerdotis apparerent. Cum vero ministri religionis a subditis honorem Redemtoris sui ex merito vitæ non exigunt, sanctuarii lapides in ornamento Pontificis non sunt. Qui nimirum sanctuarii lapides dispersi per plateas jacent, cum personæ sacrorum ordinum, voluptatum suarum latitudinis deditæ, terrenis negotiis inhærent. Et notandum quod non hos dispersos in plateis, sed in capite platearum dicit; quia & cum terrena agunt,

* Moral. l. 17 cap. 32. * Moral. l. 34. cap. 15. * Reg. Past. ibidem. * tabernaculi.

summi videri appetunt, ut & lata itinera teneant A ex voluptate delectationis, & tamen in platearum sunt capite ex honore sanctitatis. Nihil ergo obstat si sanctuarii lapides eosdem ipsos quibus constructum sanctuarium existebat accipimus, qui dispersi in capite platearum jacent, cum sacrorum ordinum viri terrenis actibus ex desiderio inserviunt, ex quorum prius officio sanctitatis gloria stare videbatur. Secularia itaque negotia aliquando ex compassione sunt toleranda, numquam vero ex amore requirenda; ne cum mentem diligentis aggravant, hanc suo victam pondere ad ima de cælestibus mergant.

CAPUT LV.

Moral. l. 33. c. 27. n. 49. Thren. 3. 64.

DE Judæis contra præcepta Domini superba se defensione tuentibus, per Jeremiam dicitur: *Reddes eis, Domine, juxta opera manuum suarum*. Moxque eamdem vicem expressus subdidit, dicens: *Dabis scutum cordis laborem tuum*. (* Ibid. v. 65.) Labor Domini apparens inter homines, passionis ejus humanitas fuit; quam Judæi superbe sapientes despexerunt; eumque immortalem credere dedignati sunt, quem natura passibili mortalem viderunt. Cumque ejus humilitatem conspicerent, fastibus superbiæ obdurati, summa cura moliti sunt ne eorum mentes sancta prædicantium verba penetrarent. Dum ergo eis Dominus vicem malorum operum redderet, dedit eis scutum cor- C dis laborem suum: quia recto judicio inde illos contra se superbe obstinatos exhibuit, unde ipse pro nobis in infirmitate laboravit. Rapuerunt quippe a se verba prædicantium, quia dedignati sunt in Domino infirma passionum. Laborem igitur Domini contra eumdem Dominum scutum cordis habuerunt, quia superbe sapientibus in despectus apparuit, quo propter eos humilis fuit. * Ne enim prædicationis spicula eorum corda penetrarent, dum passionis ejus laborem dedignati sunt, quasi eumdem laborem illius pro scuto tenuerunt; ut eo ad se transire prædicatorum ejus verba non permitterent, quo eum laborare usque ad mortem * videant.

* Lib. 2. hom. 22 in Evangelium. 9.

* viderant

CAPUT LVI.

Moral. 9. c. 10 n. 11.

CUMQUE Judæi superbe sapientes, morem suum vi præceptorum Christi discipulorum prædicatione destrui conspicerent, in persecutionis procellas adversus eos se commoventes mirabiliter extulerunt. Sed has supernorum Conditor, sublevata virtute suorum prædicatorum mirabilius stravit, sicut scriptum est: *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus*. (Psal. 92. 4.) Ministros enim suos plus ostendit posse per miracula, quam potestates terrenæ tumuerant per iram. Unde bene etiam per Jeremiam Dominus exteriora narrans, interiora denuntians, ait: *Posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit; & commovebuntur, & non poterunt, & intumescent fluctus ejus, & non transibunt illud*. (Jerem. 5. 22.) E Arenam quippe Dominus terminum mari posuit, quia ad frangendam mundi gloriam abjectos & pauperes elegit. Cujus omnino maris fluctus intumescunt, cum potestates seculi ad commotionem persecutionis exsiliunt, sed transire arenam maris nequeunt, quia despectorum miraculis & humilitate franguntur.

CAPUT LVII.

Moral. 10. c. 18. n. 47.

TEMPORE Antichristi cum sancta Ecclesia adversitate premetur, hæreticis & pravis quibusque prædicatoribus licentia locutionis dabitur. Quod longe ante Jeremias intuens, ait: *Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos*. (Thren. 4. 3.) Quid namque lamias, nisi hæreticos appellat, humanam quidem faciem, sed belluina per impietatem corda gestantes; qui tunc mammam nudant, cum errorem suum libere prædicant? Tunc catulos lactant, quia male sequaces parvulorum animas, dum perversa insinuant, ad impietatem nutriendo confirmant.

B

CAPUT LVIII.

Thren. 4. 19. Moral. l. 31. cap. 47.

VElociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli. Aquilarum nomine insidiatores spiritus intelliguntur. Persecutores itaque nostri velociores aquilis cæli sunt, cum contra nos tanta maligni homines faciant, ut ipsas etiam aerias potestates inventionibus malitiæ præire videantur.

CAPUT LIX.

Moral. 32. c. 22. n. 46.

NONNUMQUAM hi qui viam sanctitatis appetunt, errore lapsi tardius emendantur. Rectum quippe æstimant esse quod agunt; & idcirco suo judicio enixius serviunt. Unde Jeremias cum diceret: *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores. Denigrata est facies eorum super carbones, & non sunt cogniti in plateis*; (Thren. 4. 7. & 8.) illico adjunxit: *Adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, & facta est quasi lignum*. Quid enim Nazaræorum nomine, nisi abstinentium & continentium vita signatur, quæ nive & lacte * candidior dicitur? (* nitidior.) Nix enim ex aqua congelascit quæ desuper venit, lac autem ex carne exprimitur, quæ in inferioribus nutritur. Quid vero per nivem, nisi candor vitæ cælestis? Quid per lac, nisi temporalis dispensationis administratio designatur? Et quia plerumque continentes viri in Ecclesia tam D mira opera faciunt, ut ab eis multi qui cælestem vitam tenuerant, multi qui * terrenam bona dispensaverunt superari videantur, & candidiores nive, & nitidiores lacte referuntur. (* terrena.) Qui etiam quia per fervorem spiritus antiquorum & fortium patrum nonnumquam vincere vitam videntur, recte adjungitur: *Rubicundiores ebore antiquo*. Dum enim ruboris * nomine exprimitur, (* nomen.) sancti desiderii flamma signatur. Ebur vero esse os magnorum animalium non ignoramus. Ebore itaque antiquo rubicundiores sunt, quia sæpe ante humanos oculos nonnullis præcedentibus patribus studii ferventioris existunt. De quibus ut simul totum ostendatur, adjungitur: *saphiro pulchriores*. Ætherei quippe coloris est saphirus, E & quia præcedentes multos, & ad superna tendentes per cælestem conversationem videntur vincere, narrantur saphiro pulchriores extitisse. Sed plerumque dum virtutum copia etiam plus quam expedit prosperatur, in quadam sui fiducia mens adducitur, & decepta præsumtione propria, repente peccato subripiente fuscatur. Unde * repente subjungitur: *Denigrata * sicut carbones facies eorum*. (* recte. * est super.) Nigri enim post candorem fiunt, quia amissa Dei justitia, cum de se præsumunt, in ea etiam quæ non intel-

intelligunt peccata dilabuntur. Et quia post amoris ignem ad frigus torporis veniunt, extinctis carbonibus ex comparatione preferuntur. Nonnumquam enim dum timorem Dei per sui fiduciam deserunt, etiam frigidis mentibus frigidiores fiunt. De quibus recte subjungitur: *Non sunt cogniti in plateis*. Platea quippe Greci sermonis ratione pro latitudine dicitur. Quid vero est humanæ menti angustius quam voluntates proprias frangere? De qua fractione Veritas dicit: *Intrate per angustam portam*. Quid autem latius quam nullis propriis voluntatibus reluctari, & quaquaversum impulsus arbitrii duxerit, se sine retractione diffundere? Qui ergo per fiduciam sanctitatis, postposito meliorum judicio, se sequuntur, quasi per plateas pergunt. Sed non sunt cogniti in plateis, quia de vita sua aliud ostenderant, quando frangendo voluntates proprias in angusto se calle retinebant. Et bene additur: *Adhæsit cutis eorum ossibus*. Quid enim in osse, nisi duritia fortitudinis? Quid in cute, nisi mollities exprimitur infirmitatis? Cutis ergo eorum adhærere ossibus dicitur, quia ab eis prava sentientibus infirmitas vitii duritia virtutis putatur. Infirma enim sunt quæ faciunt, sed elationis fiducia decepti, fortibus ea suspicionibus jungunt; & quo de se magna sentiunt, eo de sua nequitia emendari contemnunt. Unde & recte adjungitur: *Aruit & facta est quasi lignum*. Culpa quippe eorum tanto insensibilior redditur, quanto apud eos etiam laudabilis habetur: quam recte aridam asserit, quia nulla sui cognitione virescit. * Cum itaque error ab eis virtus creditur, difficilius emendatur; & tanto tardius mens eorum vitium suum deserit, quanto per virtutis speciem decepta, præmiorum etiam de eo retributionem quærit. Facile autem culpa corrigitur, quæ & erubescitur; quia esse culpa sentitur, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat per infinita seculorum secula.

Matth. 7. 13.

* Ibid. n. 45

LIBER QUINTUS.

EXCEPTIONES EX OPUSCULIS B. GREGORII PAPÆ in subjectis capitulis Ezechielis Prophetæ.

1 *De electri specie in medio ignis.*
2 *De facie quatuor animalium.*
3 *Manus hominis erant sub pennis eorum.*
4 *Junctæque erant pennæ.*
5 *Non revertebantur, cum incederent.*
6 *In circuitu & intus plena erant oculis.*
7 *Stabant & summittebant alas suas.*
8 *Audivi vocem alarum.*
9 *De libro in quo erant lamentationes & carmen & væ.*
10 *Linguam tuam adhærere faciam palato.*
11 *Sume tibi laterem.*
12 *Sume tibi gladium.*
13 *Missa similitudo manus apprehendit me.*
14 *Fili hominis, fode parietem.*
15 *Ecce sex viri veniebant de via superioris portæ.*
16 *Non ascendistis ex adverso.*
17 *De his qui consuunt pulvillos.*
18 *Mortificabant animas quæ non moriuntur.*
19 *De tribus viris liberatis, Noe scilicet, Daniel & Job.*
20 *In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus.*
21 *Habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es.*
22 *Aquila grandis magnarum alarum.*
23 *Dedi ei præcepta non bona.*
24 *Versa est mihi domus Israel in scoriam.*
25 *In Ægypto subacta sunt ubera earum.*
26 *Sanguis in medio ejus.*
27 *Tu signaculum similitudinis Dei.*
28 *Quo pulchrior es, descende & dormi cum incircumcisis.*
29 *Ibi Assur & omnis multitudo ejus.*
30 *Quod fractum est non alligastis.*
31 *Cum austeritate imperabatis.*
32 *Cum limpidissimam aquam biberetis.*
33 *Tollam vobis cor lapideum.*
34 *De calamo in manu viri.*
35 *Terra usque ad fenestras, & fenestræ clausæ.*
36 *Ostende domui Israel templum.*
37 *De fossa in altari Dei.*
38 *Sacerdotes ad populum exterius egredientes.*
39 *Sacerdotes caput non radent.*
40 *Mensus est cubitis mille.*

CAPUT PRIMUM.

Moral. lib. 28 c. 1. n. 5.

Ezech. 1.

ALIQUANDO rebus per Angelos loquitur Deus, cum nil verbo dicitur, sed ea quæ futura sunt, assumta de elementis imagine, nuntiantur; sicut Ezechiel nil verborum audiens, electri speciem in medio ignis vidit, ut videlicet dum solam speciem aspiceret, quæ erant in novissimis ventura sentiret. Electrum quippe ex auri & argenti metallo miscetur, in qua permixtione argentum clarius redditur, & fulgor auri temperatur. Quid ergo in electro, nisi Mediator Dei & hominum demonstratur? qui dum * se nobis ex divina & humana natura composuit, humanam per deitatem clariorem reddidit, & divinam per humanitatem nostris aspectibus temperavit. Quod enim virtute divinitatis ejus tot miraculis humanitas fulsit, ex auro crevit argentum; & quod per carnem cognosci Deus potuit, quodque per carnem tot adversa toleravit, quasi ex argento temperatum est aurum: quod bene in medio ignis ostenditur, quia incarnationis ejus mysterium subsequentis judicii flamma comitatur. Scriptum quippe est: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio.*

* semetipsum.

Johan. 5. 22.

CAPUT II.

Ezec. 1. Moral. 31. c. 47. n. 94.

CUM Ezechiel quatuor animalia describeret se vidisse, in eis sibi hominis, leonis, bovis & aquilæ faciem testatur apparuisse. Et quamvis singula ad unumquemque Evangelistam conveniant, dum alius humanæ nativitatis ordinem; alius per mun-

di sacrificii mactationem, quasi vituli mortem; alius potestatis fortitudinem, quasi leonis clamorem insinuat; alius nativitatem verbi intuens, quasi ortum solem aquila aspectat; possunt tamen hæc quatuor animalia ipsum suum caput cujus sunt membra signare. Ipse namque homo est, quia naturam nostram veraciter suscepit; & vitulus, quia pro nobis patienter occubuit; & leo, quia per divinitatis fortitudinem susceptæ mortis vinculum rupit; & ad extremum aquila, quia ad cælum de quo venerat, redit. Homo ergo nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, aquila ad cælos ascendendo.

CAPUT III.

Moral. 6. c. 17. n. 61. Ezech. 1. 8.

EZECHIEL animalia volantia contemplatus, ait: *Manus hominis sub pennis eorum erant*. Quid per pennas animalium, nisi contemplationes eorum possumus * dicere, quibus ad summa transvolant, & terrena deserentes sese in cælestibus librant? Quid per manus, nisi operationes accipimus? cum enim Sancti in proximi amore se dilatant, bona quæ prævalent, etiam corporaliter administrant; sed eorum manus sub pennis sunt, quia actionis suæ opera, virtute contemplationis vincunt.

* sentire Sanctorum.

CAPUT IV.

Moral. 29. c. 31. n. 71. Ezech. 1. 8.

CUM Ezechiel diversi generis animalia se vidisse diceret, adjunxit: *Junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum*. Pennæ animalium alterius ad alterum junctæ sunt, quia etsi dissimilia sunt quæ agunt, uno tamen eodem sensu sibi Sanctorum voces & virtutes sociantur: & quamvis alius rationabiliter cuncta agendo sit homo, alius in passionibus fortis adversa mundi non timendo sit leo, alius per abstinentiam seipsum vivam hostiam offerendo sit vitulus, alius in alta se rapiendo contemplationis volando sit aquila; pennis tamen se dum volant tangunt, quia & confessione vocum & virtutum sibi unanimitate junguntur.

CAPUT V.

Moral. 10. c. 13. n. 30.

IN Activa vita sine defectu & indefesse persistens mens figitur, a contemplativa vero infirmitatis suæ pondere victa descendendo lassatur, & ad hanc magnis conatibus per intervalla temporum reformatur. Quod breviter Ezechiel insinuat, cum eorum quæ viderat motus animalium narrat, dicens: *Non revertebantur cum incederent*, & paulo post subjunxit: *Et animalia ibant & revertebantur*. Sancta quippe animalia aliquando vadunt, & minime redeunt; aliquando vadunt & protinus revertuntur: quia electorum mentes cum per collectam sibi activæ vitæ gratiam erroris viam deserunt, redire ad mala mundi nesciunt quæ reliquerunt. Cum vero per contemplationis aciem ab hac eadem activa vita suspendunt, eunt & redeunt, quia per hoc quod diu * sustinere minime in contemplatione sufficiunt, sed ad operationem rursus funduntur; ut in his quæ sibi juxta sunt, se exercendo resoveant, & super se iterum surgere contemplando convalescant.

Ezech. 1. 9.
Ibid v. 14.
* persistere.

CAPUT VI.

Moral. 20. c. 11. n. 20.

SANCTI omnes foris se & intus circumspiciunt, & * reprehendi se exterius, vel mi- A quos se interius videri invisibiliter timent. Hinc est quod animalia quæ per Ezechielem videntur, in circuitu & intus plena oculis esse memorantur. Quisquis enim exteriora sua honeste disponit, sed interiora negligit, in circuitu oculos habet. Sancti vero omnes quia & exteriora sua circumspiciunt, ut bona de se exempla fratribus præbeant, & interiora sua vigilanter attendunt, quia se irreprobabiles interni judicis obtutibus parant; & in circuitu oculos & intus habere perhibentur.

* reprehendo
Ezech. 1. 18.

CAPUT VII.

Moral. 35. c. 2. n. 3. Ezech. 1. 25

B EZECHIEL loquens de quatuor animalibus, dicitur: *Cum fieret vox sup a firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant & submittebant alas suas*. Quid per volatum animalium, nisi Evangelistarum & doctorum sublimitas designatur? vel quid sunt alæ animalium, nisi Sanctorum contemplationes eos ad cælestia sublevantes? Sed cum fit vox supra firmamentum, quod super eorum caput est, stantes submittunt alas suas; quia cum internam vocem supernæ sapientiæ audiunt, quasi volatus sui alas deponunt: quia videlicet ipsam veritatis altitudinem minus se contemplari posse cognoscunt. Ad vocem ergo desuper venientem alas deponere, est, cognita superna potentia virtutes proprias humiliare, & consideratione Creatoris nihil de se aliud quam abjecta sentire.

CAPUT VIII.

Moral. 24. cap. 8. n. 19. Ezech. 1. 24.

C CUM Ezechiel animalia volantia descripsisset, adjunxit: *Audivi vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram*. Quid alas animalium, nisi virtutes debemus sentire Sanctorum, qui dum terrena despiciunt, ad cælestia volando sublevantur? Volantia itaque animalia alis se vicissim feriunt, quia Sanctorum mentes in eo quod superna appetunt, consideratis invicem alterius virtutibus excitantur. Ala enim sua me percutit, qui exemplo sanctitatis propriæ ad melius me accendit; & ala mea vicinum animal ferio, si aliquando alteri opus bonum quod imitetur ostendo. * Magna namque sollicitudine meliorum vitam conspicere debemus, quia ad cu- D ram nostræ meliorationis accingimur, quando id virtutis in aliis cernimus quod non habemus. Tanto vero ardentius ad humilitatem proficimus, quanto ex bonis quæ nos habemus inferiores nos habentibus ea pensamus, & ab elatione reprimimur; & ad provectus studium accendimur. * Sancti enim viri dum virtutum consideratione vicissim alios sibi præferunt, volantia animalia alarum percussione se tangunt, ut eo ad volatum se altius excitent, quo humilius alter in altero quod admiretur videt. * Reprobi vero non in meliorum vestigia, sed deteriorum vitam & exem- E pla considerant, quibus meliores se esse gloriantes superbiendo præferunt; & idcirco proficere ad meliora non possunt, quia hoc sibi sufficere credunt quod pessimos antecedunt.

* Ibid.
* Ibid. n. 20.
* Ibid. n. 21.

CAPUT IX.

Moral. l. 16. c. 16. n. 27.

QUIA ad æterna gaudia redire non possumus, nisi per temporalium detrimenta, tota Scripturæ sacræ intentio est, ut spes manentis lætitiæ non inter hæc transitoria adversa corroboret. Unde Eze-

Ezech. 2. 9.

chiel

chiel librum se testatur accepisse, in quo scriptæ erant lamentationes, & carmen, & væ. Quid enim libro hoc, nisi divina eloquia figurantur? quæ quia & nobis lacrymas luctusque præcipiunt, lamentationes in eo scriptæ referuntur. Carmen quoque & væ continent, quia sic de spe gaudium prædicant, ut in præsenti tamen pressuras & angustias indicent. Carmen & væ continent, quia & si illuc dulcia appetimus, prius necesse est ut hic amara toleremus.

CAPUT X.

Moral. lib. 30 c. 27. n. 82

SÆpe doctori verbum pro gratia tribuitur auditoris, & sæpe pro auditoris culpa subtrahitur sermo doctori, sicut ad Ezechielem contra Israel dicitur: *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, quia domus exasperans es.* * Ac si aperte dicat: Idcirco tibi prædicationis sermo tollitur, quia dum me in suis actionibus plebs exasperat, non est digna cui exhortatio veritatis fiat. Aliquando enim sermo prædicationis propter utrosque, doctorem scilicet & auditorem, datur: aliquando propter utrosque subtrahitur. * In his ergo quæ ubertim prædicat doctor, nulla se elatione efferat, ne fortasse non pro sua, sed pro auditoris gratia ejus repleatur lingua. Et in his quæ doctor steriliter dicit, auditor non succenseat; ne fortasse doctoris lingua non pro sua, sed pro auditoris reprobatione torpescat. * Cur autem quilibet de doctrina superbiat, cum occulto judicio vel cui quando detur, vel quando cui subtrahatur ignorat. Inter hæc igitur cum vel pro quo sermo detur, vel propter quem subtrahatur ignoramus, unum est salubre remedium, nec de iis quæ aliis majus accepimus nosipsos extollere, nec de eo alterum quod minus acceperit irridere.

Ezech. 3. 26. *Lib. 1. hom. 11 in Evang. num. 3. *Ibid Moral. lib. 30 c. 27. num. 82. *Ibid. n. 83.

CAPUT XI.

Reg. Pastor. 2. par. c. 10.

DEBITUM Rectorum est supernæ patriæ gloriam auditoribus per vocem prædicationis ostendere, quanta in hujus vitæ itinere tentamenta antiqui hostis lateant aperire, & subditorum mala quæ tolerari leniter non debent, cum magna zeli * austeritate corrigere: ne si minus contra culpas accenduntur, culparum omnium ipsi rei teneantur. Unde ad Ezechielem dicitur: *Fili hominis sume tibi laterem.* * Notandum est, quod quoties ad contemplanda cælestia Propheta Ezechiel ducitur, prius filius hominis vocatur. Ac si aperte Dominus admoneat, dicens: Ne de his quæ vides cor in elatione sublevés, cautus perpende quod es, ut cum summa penetras, esse te hominem recognoscas: quatenus dum ultra te raperis, ad teipsum sollicitus infirmitatis tuæ freno revoceris. * Ezechieli igitur magistrorum speciem tenenti dicitur: *Sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo civitatem Jerusalem.* Doctores quippe laterem sibi sumunt, cum terrenum cor auditorum ut doceant apprehendunt. Quem laterem coram se ponunt, quia tota illud sollicitudinis intentione custodiunt: in quo & civitatem Jerusalem jubentur describere, quia prædicando terrenis cordibus, curant summopere quanta sit supernæ pacis visio, demonstrare. Sed quia incassum gloria patriæ cælestis agnoscitur, nisi & quanta huic irruant hostis callidi tentamenta noscantur, apte subjungitur: *Et ordinabis adversus eam obsidionem;* Sancti enim prædicatores obsidionem circa laterem in quo Jerusalem descripta est ordinant, cum terrenæ menti sed jam supernam patriam requirenti, quanta eam in hujus vitæ tempore vitiorum impugnet adversitas demonstrant. Cum enim unumquodque peccatum quomodo * menti insidietur ostenditur, quasi obsidio circa civitatem Jerusalem voce prædicatoris ordinatur. Sed quia non solum insinuatur quomodo mentem vitia expugnent, sed etiam quomodo custoditæ virtutes roborent, subjungitur: *Et ædificabis munitiones.* Munitione sanctus prædicator ædificat, cum quæ virtutes quibus vitiis obveniant insinuat. Et quia crescentibus virtutibus, plerumque tentationis bella augentur, bene adhuc subditur: *Et comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro.* Aggerem comportat, cum prædicator quisque molem crescentis tentationis indicat; & contra Jerusalem castra erigit, cum rectæ intentioni audientium hostis callidi circumventiones patefacit, & quasi incomprehensibiles insidias prædicit. Et in gyro parietes ponit, cum tentationum aculeos in hac vita nos undique circumdantes, & virtutum murum perforantes innotescit. Sed cuncta hæc licet subtiliter Rector insinuet, nisi contra delicta singulorum æmulationis spiritu ferveat, nullam sibi in perpetuum absolutionem parat. Unde recte additur: *Et tu sume tibi sartaginem ferream.* Per sartaginem frixura mentis, per ferrum vero fortitudo ostenditur increpationis. Quid vero acrius doctoris mentem quam zelus Domini frigit & excruciat? Et quia quisquis zelo Dei contra peccantes accenditur, forti in perpetuum custodia munitur, ne ex neglecta prædicationis & regiminis cura damnetur, recte subditur: *Et pones eam murum ferreum inter te & inter civitatem.* Sartago ferrea murus ferreus inter Prophetam & civitatem ponitur, quia cum nunc fortem zelum doctores exhibent, eumdem postmodum inter se & auditores suos fortem munitionem tenent: ne tunc ad vindictam destituti sint, si nunc fuerint in correctione dissoluti. * Nunc ergo doctores necesse est ut appetant zeli ardoribus frigi, ne cogantur post de torpore negligentiæ igne gehennæ cruciari.

* asperitate. Ezech. 4. 1. * Ibid. 4. par. * Ibid. 2 par. cap. 10. Vers. 2. * proficientibus. Ibidem. Ibid. v. 3. Ibidem. Moral. lib. 26 c. 6. n. 10

CAPUT XII.

FIli hominis sume tibi gladium & duces per caput tuum & per barbam tuam. Hoc Prophetæ facto judicium Redemtoris exprimitur, qui in carne apparens caput rasit, quia a Judaico sacerdotio præceptorum suorum sacramenta abstulit. Barbam rasit, quia regnum Israeliticum deserens, decorem virtutis ejus amputavit.

Ezech. 5. 1. Moral. lib. 2 cap. 35.

CAPUT XIII.

SANCTI viri dum cogitationes cordis a visibilium appetitu constringendo, intra seipsos colligunt, occulta etiam aliena delicta deprehendunt. Unde per Ezechielem dicitur: *Emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & elevavit me spiritus inter cælum & terram, & adduxit me in Jerusalem, in visione Dei, juxta ostium interius quod respiciebat ad Aquilonem, ubi erat statutum idolum zeli, ad æmulationem provocandam.* Quid est cincinnus capitis, nisi collectæ cogitationes mentis, ut non sparsæ * fluant, sed per

Moral. lib. 31 c. 14. n. 19. Ezech. 8. 3. * diffluant.

per disciplinam constrictæ subsistant? Manus ergo desuper mittitur, & Propheta per cincinnum capitis elevatur, quia cum nostra mens se per custodiam colligit, vis superna sursum nos ab infimis trahit. Bene ergo inter terram & cælum sublevatum se asserit, quia quilibet Sanctus in carne mortali positus, plene quidem adhuc ad superna non pervenit, sed jam tamen ima de relinquit. In visione vero Dei in Jerusalem ducitur, quia videlicet unusquisque proficiens per caritatis zelum, qualis esse Ecclesia debeat contemplatur. Bene quoque additur quia juxta ostium interius ductus est quod respiciebat ad Aquilonem; quia nimirum sancti viri, dum per aditum internæ contemplationis aspiciunt, plus prava intra Ecclesiam fieri quam recta deprehen-
B dunt, & quasi in Aquilonis parte oculos, id est ad solis sinistram flectunt, quia contra vitiorum frigora, caritatis se stimulis accendunt. Ubi & subjungitur, quia illic erat statutum idolum zeli ad provocandam æmulationem. Dum enim intra sanctam Ecclesiam a nonnullis specie sola fidelibus rapinas & vitia perpetrari considerant, quid aliud quam in Jerusalem idolum vident? Quod idolum zeli dicitur, quia per hoc contra nos æmulatio superna provocatur; & tanto districtius delinquentes ferit, quanto nos carius Redemtor amat.

CAPUT XIV.

Moral. lib. 28 c. 6. n. 7.

SANCTI doctores sæpe solent exaggerare delinquentium vitia, & ex quibusdam signis publicis rimari occulta, ut possint ex minimis cognoscere majora. Unde ad Ezechielem dicitur:

Ezech. 8. 8.

Fili hominis fode parietem. Per Ezechielem præpositorum persona significatur; per parietem duritia subditorum: & quid est parietem fodere, nisi acutis inquisitionibus & asperis correptionibus duritiam cordis aperire? & cum perfodisset parietem, apparuit ostium; quia cum cordis duritia percunctationibus & asperis increpationibus scissa aperitur, quasi quædam janua ostenditur ex qua omnia in eo qui corripitur, cogitationum interiora videantur. Unde & sequitur: *Ingredere & vide abominationes pessimas quas isti faciunt*. Quasi ingreditur ut abominationes videat, qui discussis quibusdam

Ibid. v. 9.

D signis exterius apparentibus, ita corda subditorum penetrat, ut cuncta ei quæ illicite cogitantur innotescant. Unde & subdit: *Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio*. In reptilibus cogitationes omnino terrenæ signantur: in animalibus vero, jam quidem aliquantulum a terra suspensæ, sed adhuc terrenæ mercedis præmia requirentes. Nam reptilia toto ex corpore terræ inhærent, animalia vero ventre a terra suspensa sunt; appetitu tamen gulæ ad terram semper inclinantur. Reptilia itaque sunt intra parietem, cum cogitationes volvuntur in mente, quia a terrenis desideriis numquam levantur. Animalia quoque sunt intra parietem, cum & si qua jam justa, si qua honesta cogitantur, appetendis tamen lucris temporalibus honoribusque deserviunt; & per seipsa quidem jam quasi a terra suspensa sunt, sed adhuc per ambitum, quasi per gulæ desiderium sese ad ima submittunt. Unde & bene subditur:

Ibidem v. 10.

Ibidem.

Et universa idola domus Israel depicta erant in pariete. Scriptum quippe est, & avaritia quæ est idolorum servitus. Recte ergo post animalia, idola describuntur, quia & si honesta actione quasi a terra nonnulli se erigunt, ambitione tamen inhonesta seipsos ad terram deponunt. Bene autem dicitur:

Coloss. 3. 5.

A *depicta erant*, quia dum exteriorum rerum intrinsecus species attrahuntur, in corde quasi depingitur quidquid fictis imaginibus cogitatur. Notandum itaque est quia prius foramen in pariete, & deinde ostium cernitur, tunc demum occulta abominatio demonstratur: quia uniuscujusque peccati prius signa forinsecus, deinde janua iniquitatis aperte ostenditur; & tunc demum omne malum quod intus latet aperitur. Idcirco ergo etiam sancti doctores graviter solent minuta discutere, ut ab extremis exterioribus ad occulta majora possint pervenire.

CAPUT XV.

Moral. 28. c. 18. n. 44.

B NOVUM Testamentum Dominus ad redemtionem nostram veniens in extremo condidit, quod bene Ezechiel denuntiat, dicens:

Ezech. 9. 2.

Ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem. Quid namque aliud in sex viris venientibus, nisi sex ætates humani generis designantur? Quæ de via portæ superioris veniunt, quia a conditione paradisi sicut ab ingressu mundi a superioribus generationibus evolvuntur? Quæ porta ad Aquilonem respicit, quia videlicet mens humani generis vitiis aperta, nisi calorem caritatis deserens, torporem mentis appeteret, ad hanc mortalitatis latitudinem non exisset. *Et uniuscujusque vas interitus in manu ejus*; quia unaquæque generatio, singulis quibusque ætatibus evoluta ante Redemtoris adventum, in sua operatione

Ibidem.

C habuit unde pœnam damnationis sumsit. *Vir quoque unus in medio eorum vestitus lineis*, quia Redemtor noster qui etiam de sacerdotali tribu juxta carnem parentes habere dignatus est, vestitus lineis perhibetur: vel certe quia linum de terra, non autem sicut lana de corruptibili carne nascitur; quia qui indumentum sui corporis ex matre virgine non autem ex corruptione commixtionis sumsit, profecto ad nos vestitus lineis venit. *Et atramentarium scriptoris ad renes ejus*. In renibus posterior pars corporis est; & quia ipse Dominus, postquam pro nobis mortuus est, & resurrexit, & ascendit in cælum, tunc Testamentum novum per Apostolos scripsit, vir iste atramentarium ad renes habuit. Qui enim Scripturam novi Testamen-

Ibidem.

Ibidem.

D ti postquam discessit condidit, atramentarium quasi * ad renes habuit.

* a tergo portavit.

CAPUT XVI.

Lib. 3. Ep. 25 edit. recent.

SÆPE doctores humanam amittere gratiam formidantes loqui libere recta pertimescunt. Hinc eos per Ezechielem Dominus increpat, dicens: *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini*. Ex adverso ascendere, est pro defensione commissi gregis quibuslibet hujus mundi potestatibus libera voce contraire; & in die Domini pro domo Israel stare, * est & murum opponere pravis decertantibus ex amore justitiæ resistere, & fi-

Ezech. 13. 5.

E deles innocentes contra perversorum injustitiam ex justitiæ auctoritate vindicare. Pastori enim recta timuisse dicere, quid est aliud quam tacendo terga præbuisse? Qui nimirum si pro grege se objicit, murum pro domo Israel hostibus opponit.

* Est pravis certantibus ex justitiæ amore resistere, & murum opponere, est fideles innocentes, &c.

CA-

A

CAPUT XVII.

Moral.lib.31 c.4. n.8 SUNT nonnulli qui dum male facta hominum laudibus efferunt, augent quæ increpare debuerunt. Hinc per Ezechielem dicitur : *Væ his qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub omni capite ad capiendas animas*. Ezech.13.18
Ad hoc pulvillus ponitur, ut molliter quiescatur. * Pulvillos itaque sub omni cubito manus ponere, est cadentes a sua rectitudine animas & in hujus mundi se delectatione reclinantes, blanda adulatione fovere. Quasi enim pulvillo cubitus vel cervicalibus caput jacentis excipitur, cum correctionis duritia peccanti subtrahitur, eique mollities favoris adhibetur: ut in errore molliter jaceat, quem nulla asperitas contradictionis pulsat. * Quisquis ergo male agentibus adulatur, pulvillum sub cubito vel capite jacentis ponit; ut qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat. Hinc per eumdem Prophetam scriptum est: *Ipse ædificabat parietem, & illi liniebant eum*. Parietis quippe nomine peccati duritia designatur. Ædificare ergo parietem, est contra se quempiam obstacula peccati construere; sed parietem liniunt qui peccata perpetrantibus adulantur, ut quod illi perverse agentes ædificant, isti adulantes quasi nitidum reddant.

* Reg. Past. 3.part. c.8.

* Mor. ibid.

Ezech.13.10

B

CAPUT XVIII.

Lib.2. ho.26. in Evang. n.5. SOLVENDI & ligandi auctoritatem in Ecclesia suscipiunt, qui regiminis sortiuntur gradum: & quia plerumque contingit ut hic judicii locum teneat cui ad locum vita non concordat, sæpe agitur ut vel damnet immeritos, vel ligatus ipse solvat alios. Sæpe in solvendis & ligandis subditis suæ voluntatis motum, non autem causarum merita sequitur. Sæpe erga quemlibet odio vel gratia movetur. Judicare vero digne de subjectis nequeunt, qui in eorum causis vel sua odia, vel gratiam sequuntur. Unde per Ezechielem dicitur : *Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt*. Non morientem quippe mortificat, qui justum damnat; & non victurum vivificare nititur, qui reum à supplicio absolvere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt; & tunc ligandi & solvendi potestas exercenda.

Ezech.13.19.

CAPUT XIX.

Moral.lib.32 c.20.& ho.4 lib.2. in Ezech.n.5. POST Apostolos tres distinctiones in Ecclesiæ conversatione secutæ sunt: Rectorum, Continentium, & Conjugatorum. Unde Ezechiel tres liberatos viros audisse se asserit, Noe scilicet, Daniel, & Job. Quid * ergo per Noe qui arcam in undis rexit, nisi præpositorum ordo signatur; qui dum ad formam populis præsunt, sanctam Ecclesiam in tentationum fluctibus regunt? Et quid per Danielem cujus mira abstinentia scribitur, nisi continentium vita figuratur? qui dum cuncta quæ mundi sunt deserunt, despectæ Babyloniæ alta mente dominantur. Quid per Job, nisi bonorum conjugum vita signatur? qui de rebus mundi quas possident, dum pia opera faciunt, quasi per terræ viam ad cælestem patriam tendunt.

Ezech.14.14.

* enim.

CAPUT XX.

SEMINARIUM luxuriæ feminis in umbilico continetur, sicut Ezechiel testatur: qui sub feminæ specie prostitutæ Judææ petulantiam increpans, ait: *In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus*. In die quippe ortus umbilicum præcidere, est conversionis tempore carnis luxuriam resecare. Quia enim difficile est mala inchoata corrigere, & semel formata deformiter in melius reformare, de ortu suo Judæa reprehenditur; quæ dum in Deo nata est, impræcisum umbilicum retinuit; quia fluxa luxuriæ non abscidit. Moral lib.32 c.14.n.20. Ezech. 16.4.

CAPUT XXI.

SUB Jerusalem specie virtute superbiens anima reprobatur, cum per Ezechielem dicitur : *Perfecta eras in decore meo quem posueram super te; dicit Dominus: & habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo*. Fiducia quippe suæ pulchritudinis animus attollitur, cum de virtutum meritis læta apud se securitate gloriatur. Sed per hanc eamdem fiduciam ad fornicationem ducitur, quia cum interceptam mentem cogitationes suæ decipiunt, hanc maligni spiritus per innumera vitia seducendo corrumpunt. Notandum vero quod dicitur: *Fornicata es in nomine tuo*, quia cum respectum mens superni Rectoris deserit, laudem protinus privatam quærit, & sibi arrogare incipit omne bonum, quod ut largitoris præconio serviret, accepit. Opinionis suæ gloriam dilatare desiderat, satagit ut mirabilis cunctis innotescat. In suo ergo nomine fornicatur, quæ legalis thori connubium deserens, corruptori spiritui in laudis appetitu substernitur. In Reg Past. 3. par. Ezech.16.15

C

CAPUT XXII.

AQuila grandis magnarum alarum; longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, & summitatem frondium ejus evulsit. Hæc Aquila quis alius nisi Nabuchodonosor rex Babyloniæ designatur; quæ pro immensitate exercitus, magnarum alarum: pro diuturnitate temporum, longo membrorum ductu: pro multis vero divitiis, plena plumis: pro innumera autem terrenæ gloriæ compositione, plena varietate describitur. Quæ Judææ celsitudinem petens, nobilitatem regni ejus quasi medullam cedri abstulit; & dum tenerrimam regum prolem a regni sui culmine captivando sustulit, quasi summitatem frondium ejus evulsit. Ezech 17. Moral lib 31 c.47.n 94.

D

CAPUT XXIII.

PRÆCEPTA quæ rudi Judæorum populo & inchoanti Dominus dedit, ipse reprehendit per Ezechielem, dicens: *Ego dedi eis præcepta non bona*. Mala enim quasi mala esse definunt comparatione pejorum, & bona quasi bona non sunt comparatione meliorum. Nam sicut pejus delinquenti Judææ de * Sodoma & Gomorrha dicitur: *Justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas operata es*. Ita melioribus Testamenti novi præceptis subsequentibus, præcepta bona quæ rudibus data sunt, non bona esse memorantur. Moral lib 28 c 18 n.42. Ezech.20.25.

E

* atque Samaria Ezech 16 51

CA-

CAPUT XXIV.

In Past. Reg. 3. par. c. 13. *Ezech. 22. 18.*

CAPTIVO Israelitico populo nec tamen ab iniquitate converso per Ezechielem Dominus exprobrat, dicens : *Versa est mihi domus Israel in scoriam : omnes isti in æs, stannum, ferrum, & plumbum versi sunt ; quia non ad virtutem ; sed ad vitia etiam in tribulatione proruperunt.* Æs quippe dum percutitur, amplius ceteris metallis sonitum reddit ; qui igitur in percussione positus erumpit ad sonitum murmurationis, in æs versus est, in medio fornacis. Stannum vero cum ex arte componitur, argenti speciem mentitur : qui igitur simulationis vitio non caret in tribulatione, stannum factus est in fornace. Ferro vero utitur qui vitæ proximi sui insidiatur : ferrum itaque in fornace est, qui nocendi malitiam non amittit in tribulatione. Plumbum quoque ceteris metallis est gravius. In fornace ergo plumbum invenitur, qui sic peccati sui pondere premitur, ut etiam in tribulatione positus a terrenis desideriis non lavetur. Hinc per eumdem Prophetam scriptum est : *Multo labore sudatum est, & non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem.* Ignem quippe nobis tribulationis admovet, ut in nobis rubiginem vitiorum purget ; sed nec per ignem rubiginem amittimus, quando & inter flagella vitio non caremus. Hine Propheta * dicit : *Frustra conflavit conflator ; malitiæ eorum non sunt consumta.*

Ibid. 24. 6.

** iterum, Jerem. 6. 29.*

CAPUT XXV.

In Reg. Past. 3. par. c. 30. *Ezech. 23. 3.*

SUB Judææ specie Dominus per Ezechielem corruptis in hoc mundo mentibus transactas culpas ad memoriam revocat, quatenus polluti in futuris erubescant, dicens : *In Ægypto subacta sunt ubera earum, & fracta sunt mammæ pubertatis earum.* In Ægypto ubera subiguntur, cum turpi hujus mundi desiderio humanæ mentis voluntas substernitur : in Ægypto pubertatis mammæ franguntur, cum naturales sensus adhuc in seipsis integri pulsantis concupiscentiæ corruptione vitiantur.

CAPUT XXVI.

Moral. lib. 13. cap. 30. *Ezech. 24. 7.*

GRAVIUS est si quis justis potius quam peccatoribus noceat. Unde per Ezechielem dicitur : *Sanguis ejus in medio ejus est : super limpidissimam petram effudit illum, non autem super terram, ut possit operiri pulvere.* Per terram & pulverem peccatores, per petram vero limpidissimam justum significans, qui gravibus peccatorum contagiis non exasperatur. Sanguis ergo super limpidissimam petram effunditur, quando malitia cruentæ mentis in afflictione justæ animæ grassatur. Cum ergo sit gravius justos quam * injustos affligere, multo tamen gravius est, & justis pariter & injustis nocere.

** injuste.*

CAPUT XXVII.

Moral. lib. 32. c. 23. n. 47. 48. *Ezech. 28. 12.*

ANGELO qui primus conditus per Ezechielem dicitur : *Tu signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia & perfectus decore : in deliciis paradisi Dei fuisti.* Mulsa de ejus magnitudine locuturus, primo verbo cuncta complexus est. Quid namque boni non habuit, si signaculum similitudinis Dei fuit ? De sigillo quippe an-

A nuli talis similitudo imaginaliter exprimitur, qualis in sigillo eodem essentialiter habetur. Et licet homo ad similitudinem Dei creatus sit, Angelo tamen quasi majus aliquid tribuens, non eum ad similitudinem Dei conditum, sed ipsum signaculum similitudinis Dei dicitur : ut quo subtilior est natura, eo in illo similitudo Dei plenius credatur expressa. Hinc est quod primatus ejus potentiam adhuc insinuans, idem Propheta subjungit : *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum : sardius, topasius, jaspis, chrysolitus, onix, & berillus, saphyrus, carbunculus, & smaragdus.* Novem dixit genera lapidum, quia nimirum novem sunt ordines Angelorum. Nam cum per sacra eloquia Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Virtutes, Principatus, Potestates, Cherubim & Seraphim aperta narratione memorantur, superiorum civium quantæ sint distinctiones ostenditur. Quibus tamen primus Angelus opertus fuisse describitur : quia eos quasi vestem ad ornamentum suum habuit, quorum dum claritatem transcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit. De cujus illic adhuc descriptione subjungit : *Aurum opus decoris tui, & foramina in die qua conditus es, præparata sunt.* Aurum opus decoris ejus extitit, quia sapientiæ claritate canduit, quam bene creatus accepit. Foramina vero idcirco in lapidibus fiunt, ut vinculati auro in ornamenti compositione jungantur, & nequaquam a se dissideant quos intersusum aurum repletis foraminibus ligas. Hujus ergo lapidis in die conditionis suæ foramina præparata sunt, quia videlicet capax caritatis est conditus : qua si repleri voluisset, stantibus Angelis tamquam positis in regis ornamento lapidibus, potuisset inhærere. Si enim caritatis auro se penetrabilem præbuisset, sanctis Angelis sociatus in ornamento * regi lapis fixus remaneret : habuit ergo lapis iste foramina, sed per superbiæ vitium caritatis auro non sunt repleta. Nam quia idcirco ligantur auro ne cadant, ideo iste cecidit, quia etiam perforatus manu artificis, amoris vinculis ligari contemsit. Nunc vero ceteri lapides qui huic similiter erant perforati, penetrante se invicem caritate, ligati sunt, & hoc in munere isto cadente meruerunt, ut nequaquam jam de ornamento regio cadendo solvantur. Hujus Principatus celsitudinem adhuc idem Propheta intuens, adjunxit : *Tu Cherub extentus & protegens in monte sancto Dei : in medio lapidum ignitorum perfectus ambulasti.* Cherub quippe plenitudo scientiæ interpretatur. Et idcirco iste Cherub dicitur, quia transcendisse cunctos scientia non dubitatur. Qui in medio lapidum ignitorum perfectus ambulavit ; quia inter Angelorum corda caritatis igne succensa clarus conditionis gloria extitit. Quam bene extentum & protegentem dicit : omne enim quod extenti protegimus, obumbramus. Et quia comparatione claritatis suæ obumbrasse ceterorum claritatem creditur, ipse extentus & protegens fuisse perhibetur. Reliquos quasi obumbrando operuit, qui eorum magnitudinem excellentia majore transcendit. * Nam cum Deus cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem reddidit. Hujus etiam primatus eminentiam adhuc idem Propheta inspiciens, ait : *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adæquaverunt summitatem ejus. Platani non fuerunt æquæ frondibus ejus : omne lignum paradisi Dei non est assimilatum ei & pulchritudini ejus, quoniam speciosum fecit eum in multis condensisque* fron-

Ibid. v. 13. *Ibidem.* ** regio.* *Ibid. v. 14.* ** Ibid. n. 47.* *Ezech. 31. 8.*

frondibus. Qui namque accipi in cedris, abietibus, A & platanis possunt, nisi illa virtutum cælestium proceræ celsitudinis agmina, in æternæ lætitiæ viriditate plantata? Quæ quamvis excelsa sint condita, huic tamen nec prælata sunt, nec æquata. Qui speciosus factus in multis condensisque frondibus esse dicitur, quia prælatum ceteris legionibus tanta illum species pulchriorem reddidit, quanta & supposita Angelorum multitudo decoravit. Ista arbor in paradiso Dei tot quasi condensas frondes habuit, quot sub se positas supernorum spirituum legiones accendit. Qui & idcirco peccans sine venia est damnatus, quia magnus sine comparatione fuerat creatus.

CAPUT XXVIII.

B

Reg. Pastor. 4. part. Ezech. 32. 19.

EXTOLLENTI se animæ per Ezechielem dicitur: *Quo pulchrior es, descende & dormi cum incircumcisis*. Ac si aperte diceretur: Quia ex virtutum decore te elevas: ipsa tua pulchritudine impelleris, ut cadas. * Omnis enim qui fœditatem infirmitatis suæ considerare negligit sed per elationis fastum virtutis suæ gloriam attendit, unde pulchior est, inde descendit: quia extollendo se de suis meritis, inde in ima * interius corruit, unde gloriosum se esse judicavit. Qui descendens cum incircumcisis dormit, quia in æterna morte cum ceteris peccatoribus deficit.

Moral. lib. 24. cap. 3.

* interitus.

CAPUT XXIX.

C

Moral. lib. 9. c. 40. n. 102.

INFINITE patens inferni barathrum devorabit quos nunc elatio exaltat inanis; & qui quolibet ex vitio hic voluntatem callidi persuasoris expleverunt, tunc cum duce suo reprobi ad tormenta perveniunt. * Et quamvis Angelorum & hominum longe sit natura dissimilis, una tamen pœna implicat, quos unus in crimine reatus ligat. Quod breviter insinuat Ezechiel, qui ait: *Ibi Assur & omnis multitudo ejus, & in circuitu ejus sepulcra illius*. Quis namque Assur superbi regis nomine, nisi ille per elationem cadens antiquus hostis exprimitur? Qui pro eo quod multos ad culpam pertrahit, cum cuncta sua multitudine ad inferni claustra descendit. Sepulcra autem mortuos tegunt. Et quis alius mortem acrius pertulit, quam is qui Conditorem suum despiciens vitam reliquit? Quem videlicet mortuum cum humana corda suscipiunt, ejus proculdubio sepulcra fiunt. Sed in circuitu ejus sepulcra illius sunt, quia in quorum se mentibus nunc per desideria sepelit, hos sibi postmodum per tormenta conjungit. Et quoniam nunc in se ipsis reprobi malignos spiritus illicita perpetrando suscipiunt, tunc sepulcra cum mortuis ardebunt. * Tunc edax flamma comburet, quos nunc carnis delectatio polluit. * Et in corde & in corpore pœnas sentient, qui pravis suis delectationibus ex utroque serviebant, dum hic viverent. Unde per eumdem Prophetam dicitur: *Descenderunt in infernum cum armis suis*. Arma quippe peccantium, sunt membra corporis quibus perversa desideria quæ concipiunt exequuntur. Unde per Paulum dicitur: *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato*. Cum armis ergo ad infernum descendere, est cum ipsis quoque membris quibus desideria voluptatis expleverunt æterni judicis tormenta tolerare; ut tunc eos undique dolor absorbeat, qui nunc suis delectationibus subditi, undique contra justitiam juste judicantis pugnant.

* Num. 103.

Ezech. 32. 22.

* Num. 104.

* Ibidem c. 45 num. 97.

Ibid. v. 27.

Rom. 6. 13.

CAPUT XXX.

In Reg. Past. 2. par. c. 6. Ezech. 34. 4.

PASTORES per Ezechielem Dominus increpat, dicens: *Quod fractum est non alligastis, & quod abjectum non reduxistis*. Abjectus reducitur, cum quisque in culpa lapsus ad statum justitiæ, ex pastoralis sollicitudinis vigore, revocatur. Fracturam vero ligamen adstringit, cum culpam disciplina deprimit: ne plaga usque ad interitum defluat, si hanc districtionis severitas non coarctat. Sed sæpe deterius frangitur cum fractura incaute colligatur, ita ut gravius scissuram sentiat, si hanc immoderatius ligamenta constringant. Unde necesse ut cum peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magna se sollicitudine etiam districtio ipsa moderetur: quatenus sic jura disciplinæ contra delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat.

CAPUT XXXI.

Moral lib. 24. cap. 13.

HOC proprium arrogantes Pastores habent, ut humiliter nesciant inferre quod docent, & apud se ut * quodam summitatis culmine residentes, longe infra se positos velut in imo respiciunt quos docent, quibus non consulendo loqui, sed vix dominando dignantur. Recte autem his per Ezechielem Dominus dicit: *Vos autem cum austeritate imperabatis eis & cum potentia*. Cum austeritate autem & cum potentia imperant, quia subditos suos non tranquille ratiocinando corrigere, sed aspere inflectere dominando festinant.

* in.

Ezech. 34. 4.

CAPUT XVXII.

In Reg. Past. 1. par. c. 2.

SUNT nonnulli Pastores qui solerti cura spiritualia præcepta perscrutantur, sed quæ intelligendo penetrant, vivendo conculcant. Repente docent quæ non opere, sed meditatione didicerunt, & quod verbis prædicant, moribus impugnant. Hinc per Ezechielem Dominus contra contemtibilem Pastorum scientiam queritur, dicens: *Cum * limpidissimam aquam biberitis, reliquam pedibus vestris turbabatis; & oves meæ, quam pedes vestri turbaverant, hanc bibebant*. Aquam vero limpidissimam Pastores bibunt, cum fluenta veritatis recte intelligentes hauriunt; sed eamdem aquam pedibus perturbare, est sanctæ meditationis studia male vivendo corrumpere. Aquam scilicet eorum pedibus turbatam oves bibunt, cum subjecti ea ad exemplum vivendi appetunt, quæ prælati pravo opere pervertunt; nec sectantur verba quæ audiunt, sed sola pravitatis exempla imitantur quæ conspiciunt: qui cum dicta sitiunt, quia per opera pervertuntur, quasi corruptis fontibus in potibus lutum sumunt. Hinc rursum de malis Pastoribus per eumdem Prophetam Dominus dicit: *Facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis*. Nemo quippe in Ecclesia amplius nocet, quam qui perverse agens nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum vehementer culpa extenditur, * quoniam pro reverentia ordinis peccator honoratur. * Unde fit ut cum Pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequatur.

D

E

Ezech. 34. 19. * ipsi. * & omnem quæ conculcata pedibus vestris fuerat, potabantur, & quæ.

Ezech. 44. 12.

* quando.

* Ibidem.

CAPUT XXXIII.

Moral. lib. 26. cap. 14. Ezech. 36. 26.

QUIBUSDAM per Ezechielem Dominus misericorditer dicit: *Tollam vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum*. Cor lapideum tollit, cum a nobis superbiæ duritiam subtrahit; & cor carneum tribuit, cum eamdem nostram protinus duritiam ad sensibilitatem vertit. Quia qui humilitatis viscera gestat, cum sagitta divinæ formidinis penetrat. Quisquis vero pertinacia insensibilitatis obdurescit, quasi cor lapideum * gerit, ne hoc consodiant jacula superni timoris.

* firmat.

CAPUT XXXIV.

Moral. lib. 30. cap. 16. n. 53. Ezech. 4. 5.

NEQUAQUAM in hoc mundo contemplatio perficitur, quamvis ardenter inchoetur; quod per Ezechielem congruenter exprimitur: qui pro mensura civitatis in monte conditæ, in manu viri calamum sex cubitorum & palmi se vidisse testatur: in monte quippe electorum Ecclesia sita est, quia fundata in infimis desideriis non est. Quid vero per cubitum, nisi operatio? Quid per senarium numerum, nisi operationis perfectio designatur? quia & sexto die cuncta opera Dominus explesse memoratur. Quid ergo super sex cubitos palmus insinuat, nisi contemplationis vim, quæ jam initia æternæ & septimæ quietis demonstrat? Quia enim æternorum contemplatio hic minime perficitur, mensura cubiti septimi non expletur. Electorum itaque Ecclesia, quia cuncta quæ operanda sunt perficit, in sex cubitis sese in monte posita civitas ostendit. Quia vero hic adhuc initia contemplationis inspicit, de septimo cubito nonnisi palmum tangit.

CAPUT XXXV.

Lib. 1. hom. 10. in Ezech. num. 16.

EZECHIEL templum in monte positum videns, quæ in eodem conspexit inter cetera narrat, dicens: *Terra usque ad fenestras, & fenestræ clausæ*. Paulus Apostolus dicit: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*. In hoc templo fenestræ Sacerdotes & speculatores sunt, qui in populo fidelium lumen prædicationis sanctæ fundunt, sed cum terra usque ad fenestras est, fenestræ clausæ sunt; quia cum terrena cogitatio in Sacerdotum cordibus excrescit, fenestræ lumen non fundunt, quia Sacerdotes ab officio prædicationis obmutescunt. * Loqui enim de Deo, quietæ multum & liberæ mentis est.

1 Cor. 3. 17.

* Ibid.

CAPUT XXXVI.

Moral. lib. 24. cap. 18.

QUICUMQUE perduci ad summa desiderant, necesse est ut meliorum provectibus intendant; quatenus tanto districtius in se culpas confusione intima ulciscente judicent, quanto in illis altius quod admirentur vident. Unde per Ezechielem dicitur: *Fili hominis, ostende domui Israel templum, ut confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, & erubescant ex omnibus quæ fecerunt*. Templum quippe Dei filiis Israel ad confusionem ostenditur, cum uniuscujusque justi anima quam inspirando Deus anhelat, quanta sanctitate fulgeat ad confusionem suam peccatoribus demonstratur; ut in illa bonum quod negligunt videant, & in seipsis malum quod operantur erubescant. Metiri vero fabricam, est pensare subtiliter justorum vitam: sed dum metimur fabricam, necesse est ut ex cunctis quæ fecimus erubescamus, quia bonorum vitam quanto subtilius pensando discutimus, tanto severius in nobis omnia inique gesta reprobamus. Bene autem Prophetæ dicitur, ut ostendat templum; quia enim justorum rectitudinem peccator considerare dissimulat, saltem hanc ex voce prædicantis agnoscat. Templum quippe peccatoribus ostendere, est sponte sua considerare nolentibus Rectorum opera narrare.

Ezech. 43. 10.

CAPUT XXXVII.

In Reg. Past. 3. par. c. 9.

CUM patientia relinquitur, etiam bona reliqua quæ jam gesta sunt destruuntur. Unde bene ad Ezechielem esse in altari Dei fossa * perhibetur, ut in ea holocausta superposita serventur. Si enim in altari fossa non esset, omne quod in eo sacrificium reperiret, superveniens aura dispergeret. Quid vero accipimus altare Dei, nisi animam justi, quæ quot bona egerit, tot super se ante ejus oculos sacrificia imponit? Quid autem est altaris fossa, nisi bonorum patientia, quæ dum mentem adversa tolerando humiliat, quasi more foveæ * in imo positam demonstrat. Fossa ergo in altari fiat, ne superpositum sacrificium aura dispergat: id est, electorum mentem patientia custodiat, ne commota vento impatientiæ, & hoc quod bene operata est amittat. Bene ergo hæc eadem fossa unius cubiti esse monstratur, quia nimirum si patientia non deseritur, unitatis mensura servatur. Unde & Paulus dicit: *Invicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi*. Lex Christi est caritas unitatis, quam soli perficiunt, qui nec cum gravantur excedunt.

* præcipitur.

* haec.

Galat. 6. 2.

CAPUT XXXVIII.

Lib. 1. hom. 12. in Ezech. num. 28.

NIHIL tam onerosum est in ordine Sacerdotum, quam rigorem mentis compatiendo flectere, & cum personis supervenientibus animum mutare; & tamen hoc valde est necessarium. Nam quando ex prædicatione ejus ad boni operis gratiam peccator reducitur, ipse qui prædicat videtur ingratus. Unde per Ezechielem dicitur, ut Sacerdotes qui intrinsecus ministrant, vestibus laneis non utantur. De quibus subditur: *Cumque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimentis suis, in quibus ministraverant, & reponent ea in gazophylacio sanctuarii*. Grossiora quippe sunt vestimenta lanea. Sed cum Sacerdos ad sanctum ministerium accedit, cum intus per compunctionem ingreditur, subtiliori intellectu necesse est quasi lineo vestimento induatur. Sed cum ad populum foras egreditur, oportet ut vestimenta in quibus intrinsecus ministraverat, reponat, & populo aliis vestibus indutus appareat. Quia si in compunctionis suæ rigore se teneat, si in eo quem orationis tempore habuit mœrore perduret, exteriorum rerum verba suscipere non admittit. Et quid grex de necessariis faciat, si audire & perpendere hoc quod præsens tempus exigit, Pastor recusat? Grossiora ergo indumenta Sacerdos exiens ante populum induat, ut mentis suæ habitum pro utilitate filiorum etiam ad terrena toleranda componat. Pensandum vero est, quatenus Sacerdoti labor sit ad sublimia cor tendere, & hoc repente ad ima revocare, & in sublimitate cogitationis intimæ ex-

Ezech. 44. 7.

te-

tenuare animum, & propter exteriores proximorum causas, ut ita dicam, subito in cogitatione grossescere.

CAPUT XXXIX.

Lib. 2. ep. 25. SOLLICITUDO quæ a Pastoribus subditis exterius impenditur, sub certa necesse est mensura teneatur; ne dum cura ab eis exterior agitur, ab interna intentione mergantur. Ezech. 44. 20 Unde bene ad Ezechielem dicitur: *Sacerdotes caput suum non radent, neque comam nutrient, sed tondentes attondeant capita sua.* Sacerdotes jure vocati sunt, qui ut sacrum ducatum præbeant, fidelibus præsunt. Capilli vero in capite, exteriores sunt cogitationes in mente: qui dum super cerebrum insensibiliter oriuntur, curas vitæ præsentis designant, quæ ex sensu negligenti * prodeunt. quia importune aliquando * redeunt, quasi nobis non sentientibus procedunt. Quia igitur cuncti qui præsunt, habere quidem sollicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere, Sacerdotes recte & caput prohibentur radere, & comam nutrire: ut cogitationes carnis de vita subditorum, nec in se funditus amputent, nec rursus ad crescendum nimis relaxent. Ubi & bene dicitur: *Tondentes tondeant capita sua.* Ut videlicet curæ temporalis sollicitudinis in quantum necesse est prodeant, & tamen resecindantur citius ne immoderatius excrescant. Dum igitur & per administratam exteriorem providentiam corporum vita protegitur, & rursus per moderatam administrationem alta cordis intentio non impeditur, capilli in capite Sacerdotis & servantur, ut cutem cooperiant, & resecantur ne oculos claudant.

CAPUT XL.

Moral. lib. 30. c. 20. n. 30. Ezech. 47. 3. EZECHIEL de eo viro quem in excelsum montem viderat, figurata locutione denuntiat, dicens: *Mensus est cubitos mille, & transduxit me per aquam usque ad talos; rursusque mensus est mille, & transduxit me per aquam usque ad genua. Et mensus est mille, & transduxit me per aquam usque ad renes. Mensus est mille, torrentemque non potui pertransire, quoniam intumuerant aquæ torrentis profundi qui non potest transvadari.* Quid millenario numero, nisi collati muneris plenitudo signatur? Vir itaque qui apparuit, mille cubitos metitur, & Propheta usque ad talos per aquam ducitur, quia Redemptor noster cum nobis ad se conversis boni exordii plenitudinem tribuit, dono spiritualis sapientiæ prima nostri operis vestigia infundit. Aquam quippe usque ad talos venire, est, jam nos per acceptam sapientiam desideratæ rectitudinis vestigia tenere. Qui sursum mille metitur, & Propheta usque ad genua per aquam ducitur, quia cum boni operis plenitudo tribuitur, ad hoc usque nostra sapientia augetur. Hinc namque per Paulum dicitur: *Genua dissoluta erigite, & rectos gressus facite pedibus vestris.* Hebr. 12. 12. Aqua ergo ad genua pervenit, cum nos percepta sapientia perfecte ad boni operis rectitudinem stringit. Qui iterum metitur mille, & Propheta per aquam usque ad renes ducitur, quia tunc in nobis plenitudo operis excrescit, cum in nobis percepta sapientia omnem quoque, in quantum est possibile, delectationem carnis extinxerit. Nisi enim carnis delectatio in renibus esset, Psalmista non dixisset: *Ure renes meos & cor meum.* Psal. 25. 2. Aqua igitur ad renes venit cum dulcedo sapientiæ ariam incentiva carnis interimit; ut ea quæ mentem urere poterant delectationis incendia, frigescant. Qui adhuc mensus est mille, torrentem videlicet quem Propheta pertransire non potuit, de quo etiam dicitur, quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis qui non potest transvadari: percepta namque perfectione operis, ad contemplationem venitur. In qua contemplatione dum mens in altum ducitur sublevata, videt in Deo, quia non potest penetrare quod videt, & quasi tangit aquam torrentis quem pertransire non valet. Et quia intuetur speculando quod libeat, & tamen hoc ipsum perfecte non valet intueri quod libet, Propheta quoque ad aquam quandoque pervenit quam non pertransit; quia ad contemplationem sapientiæ cum ad extremum ducimur, ipsa ejus immensitas quæ ex se hominem sublevat, ad se humano animo plenam cognitionem negat, ut hanc & tangendo amet, & tamen pertranseundo nequaquam penetret. * Ipsa itaque sapientia quæ esse bonorum operum solet magistra, anhelanti menti per incrementa tribuitur, ut ad eam proculdubio magni moderaminis gradibus ascendatur: præstante & auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat per omnia secula seculorum. Amen. * Ibid.

LIBER SEXTUS.

EXCEPTIONES EX OPUSCULIS B. GREGORII PAPÆ in subjectis capitulis Danielis Prophetæ.

1 *DE dura vita in domo regis.*
2 *De succensa fornace.*
3 *Nonne hæc est Babylon quam ædificavi.*
4 *Thronus Dei flamma ignis.*
5 *Millia millium ministrabant ei.*
6 *Dejecit de fortitudine.*
7 *Et ego elangui, & ægrotavi.*
8 *Audivi vocem verborum, & audiens, jacebam consternatus.*
9 *Ego veni propter sermones tuos.*
10 *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia.*

CAPUT PRIMUM.

Moral. lib. 30. c. 10. n. 38. SI internæ scientiæ dulcedinem quærimus, nec tamen ejus secreta contingere prævalemus, Danielis vitam ad imitandam memoriæ revocantes conspiciamus, & desiderandum scientiæ culmen apprehendamus. Ille quippe qui postmodum voce angelica pro cognitionis internæ concupiscentia vir desideriorum dicitur, prius in aula regia, carnis in se desideria edomuisse memoratur, ut

ut nihil ex delectabilibus cibis attingeret, sed lautis & mollioribus duriora & aspera cibaria præferret: ut dum sibi exterioris cibi blandimenta subtraheret, ad interni pabuli delectamenta pervenirer. Et tanto avidius gustum sapientiæ intus acciperet, quanto saporem carnis pro eadem sapientia * foras robustius repressisset. Si enim a carne hoc quod libet abscindimus, mox in spiritu quod delectat invenimus. Intentioni quippe animæ si exterior vagatio clauditur, interior secessus aperitur. Nam quo extra se spargi propter disciplinam mens non potest, eo super se intendere per provectum potest.

* foris.

CAPUT II.

Moral. lib. 30 c. 18. n. 59

CARITAS in Daniele, quia a regis dapibus gulam compescuit, ei esurientium ora leonum clausit. Et quia ei sociisque ejus in tranquillitare positis incendia vitiorum subdidit, tribulationis tempore, & flammas in fornace temperavit. Nam cum rex Babyloniæ succendi fornacem juberet, naptæ, stupæ, picis, & malleoli ministrari congeriem præcepit, sed tamen abstinentes pueros hoc igne minime consumsit. Similiter antiquus hostis licet innumeras ciborum concupiscentias nostris obtutibus opponat, quibus libidinis ignis crescat, bonis tamen mentibus superni spiritus gratia insibilat, & a carnalis concupiscentiæ ardoribus illæsæ perdurant; ut & si ad tentationem cordis flamma ardeat, usque ad consensum tamen tentatio non exurat. * Mira igitur dispensatione Conditoris, qualitas ignis in diversa virtute temperata, & vestimenta non attigit, & vincula incendit. Sanctisque viris ad inferendum tormentum flamma friguit, & ad solutionis ministerium exarsit.

* Moral. lib. 9 c. 66. n. 102

CAPUT III.

Reg. Pastor. 1. p. c. 4.

SÆPE qui in potestate sunt, ea quæ recte faciunt, quia elate cogitant, amittunt. Et quia in cogitatione se elevant, in se iram judicis provocant; & licet lateat homines quid apud se agant, tamen Deo judice teste peccant. Neque enim rex Babyloniæ tunc reus de elatione extitit, cum ad elationis verba pervenit: quippe qui ore prophetico & ante cum ab elatione tacuit, sententiam reprobationis audivit. Culpam namque perpetratæ superbiæ jam ante deterserit, qui omnipotentem Deum quem se offendisse reperit, cunctis sub se Gentibus prædicavit. Sed quia nonnumquam mens ad tantam elationem ducitur, ut in eo quod timet per ostentationem locutionis effrenetur; post hoc successu suæ potestatis elevatus, dum magna se fecisse gauderet, cunctis prius in cogitatione se prætulit, & post hæc adhuc tumidus, dixit: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, & in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Quæ vox illius vindictam iræ aperte pertulit, quam occulta elatio accendit. Nam districtus judex prius invisibiliter videt, quod publice feriendo deprehendit. * Nam cum adhuc esset sermo in ore regis, vox de cælo ruit: *Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex, regnum tuum transiet a te, & ab omnibus te ejicient, & cum bestiis erit habitatio tua. Fenum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te.* Ecce quia tumor mentis usque ad aperta verba se protulit, patientia judicis se protinus usque ad sententiam erupit: tantoque hunc districtius per-

Dan. 4. 27.

* Lib. 34. c. 23 ibid. v. 28. & seq.

A culit, quanto ejus se superbia immoderatius erexit. Et quia enumerando bona, dixit in quibus sibi placuit, enumerata mala in quibus feriretur audivit. * Unde & in irrationale animal hunc vertit, ab humana societate separavit, agri bestiis, mutata mente, conjunxit; ut districto justoque judicio homo quoque esse perderet, qui magnum se ultra homines æstimasset. * Quod ergo factus fuerat perdidit, qui humiliter noluit dissimulare quod fecit; & quia elatione cogitationis se super homines extulit, ipsum quem communem cum hominibus habuit sensum hominis amisit. * Ut igitur cujuslibet prælati facta digniora sint, necesse est ut ei apud se semper indigna videantur; ne eadem bona actio eorum B agentis sublevet, & sublevando plus actorem de elatione dejiciat, quam ipsos quibus impenditur juvet.

* Reg. Pastor. 4. part. c. 4. 1

* Moral. lib. 5 cap. 11.

* Ibidem.

CAPUT IV.

DE Pastoribus & prædicatoribus per Danielem dicitur: *Thronus Dei flamma ignis, & rotæ ejus ignis accensus.* Hi enim qui animarum custodes sunt, & pascendi gregis onera susceperunt, mutare loca minime permittuntur. Sed quia in uno loco positi divinitatis in se præsentiam portant & ardent, thronus Dei flamma ignis dicitur. Hi autem qui amore Domini in prædicatione discurrunt, rotæ ejus ignis ardens sunt; quia cum C ex desiderio per varia loca discurrunt, unde ipsi ardent, & alios incendunt.

Lib. 2 hom. 5 in Ezech. num. 10. Dan. 7. 9.

CAPUT V.

DE electis Angelis obtutibus divinæ majestatis inservientibus per Danielem dicitur: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Aliud est assistere, aliud est ministrare; assistunt enim illæ Potestates proculdubio quæ ad quædam hominibus nuntianda non exeunt: ministrant vero hi qui ad explenda officia nuntiorum veniunt. Et quia plures sunt qui ministrant quam qui principaliter assistunt, assistentium numerus quasi definitus, ministrantium vero indefinitus ostenditur. D * De his ergo voce Veritatis dicitur: *Angeli eorum semper vident in cælis faciem patris mei.* Sed cum de illis per Paulum dicitur: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis?* Quomodo aut semper assistere, aut semper videre faciem patris possunt, si ad ministerium exterius pro nostra salute mittuntur? Quod tamen citius solvimus, si quantæ subtilitatis sit angelica natura pensamus. Neque enim sic a divina visione foras exeunt, ut internæ contemplationis priventur gaudiis: quia si Conditoris aspectum exeuntes amitterent, nec jacentes erigere, nec ignorantibus vera annuntiare possent; fontemque lucis quem egredientes ipsi perderent, cæcis nullatenus E propinarent. In hoc itaque est * angelica natura a naturæ nostræ conditione distincta, quod nos * a loco circumscribimur, & cæcitatis ignorantia coarctamur: Angelorum vero spiritus loco quidem circumscripti sunt, sed tamen eorum scientiæ longe super nos incomparabiliter dilatantur. Interius quippe exteriusque sciendo distenti sunt, quod ipsum fontem scientiæ contemplantur. Quid enim de his quæ scienda sunt, nesciunt, qui scientem omnia sciunt? Eorum itaque scien-

Moral. lib. 17 c. 13. n. 18. Dan. 7. 10.

* Ibid. lib. 2 c. 3. n. 5.

Matth. 18. 10. Heb. 1. 14.

* nunc.

* &.

tia

tia comparatione nostræ valde dilatata est, sed tamen comparatione divinæ scientiæ angusta; sicut ipsi illorum spiritus comparatione nostrorum corporum, spiritus sunt, sed comparatione summi & incircumscripti spiritus, corpus. Et mittuntur igitur & assistunt, quia & per hoc quod circumscripti sunt exeunt, & per hoc quod intus quoque præsentes sunt numquam recedunt. Et faciem ergo patris semper vident, & tamen ad nos veniunt; quia & ad nos spirituali præsentia foras exeunt, & tamen ibi se unde recesserant per internam contemplationem servant.

CAPUT VI.

Moral. 32. c. 15. n. 26. Dan. 8. 10. 11. 12.

SUB Antiochi specie de Antichristo loquitur Daniel, dicens: *Dejecit de fortitudine & de stellis, & conculcavit eas, & usque ad principem fortitudinis magnificatus est, & ab eo abstulit juge sacrificium, & dejecit locum sanctificationis ejus. Robur autem datum est ei contra juge sacrificium, propter peccata; & prosternetur veritas in terra, & faciet & prosperabitur*. De fortitudine & de stellis dejicit, cum nonnullos & luce justitiæ splendentes & virtute operis robustos frangit. Qui usque ad principem fortitudinis magnificatur, quia contra ipsum * actorem virtutis extollitur. Juge ergo sacrificium tollit, quia studium conversationis Ecclesiæ, in eis quos ceperit, interrumpit. Robur vero propter peccata contra juge sacrificium ei datur, quia nisi pereuntium merita exigerent, eos qui recti credebantur obtinere adversarius non posset. Veritas in terra prosternitur, quia tunc fides rerum cælestium ad desiderium vitæ temporalis inclinatur. *Et faciet & prosperabitur*: quia tunc non solum in reproborum mentibus, sed etiam in electorum corporibus crudelitate inæstimabili, sine qualibet objectione grassabitur. Hinc rursus per Danielem dicitur: *Et roborabitur fortitudo ejus: sed non in viribus suis*. Illius namque hominis fortitudo non in suis viribus roboratur, quia Sathanæ virtute in gloriam perditionis attollitur. Hinc rursum ait: *Interficiet robustos & populum Sanctorum secundum voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu ejus*. Robustos quippe interficit cum eos qui mente invicti sunt, corporaliter vincit; vel certe, robustos & populum Sanctorum secundum voluntatem suam interficit, cum eos qui robusti & sancti credebantur, ad nutum suæ voluntatis trahit, in cujus manu dolus dirigitur. * Quia quidquid callide machinatur, etiam cum virtute potentiæ secularis exequitur. Dolus quippe in manu ejus est fraus in virtute: quia omne quod nequiter volet, hoc ad tempus exequi etiam fortiter potest. Dolus vero ejus dirigi dicitur, quia fraudis ejus malitia nulla difficultate præpeditur. * Vel certe dolus in manu ejus dirigetur; quia in illo fraus per opus adjuvatur. Quod enim fallendo dicit, hoc mira faciendo asserit. Nam quidquid lingua mendax simulat, hoc quasi verum esse manus operis tentans ostentat. * Hinc rursum cum Daniel bestiam quartam diceret decem cornibus fultam, adjunxit, dicens: *Considerabam cornua, & ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, & tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus; & ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia*. Undecimum quippe hujus bestiæ cornu esse describitur, quia regni ejus potentia in dignitate roboratur. Omne enim peccatum undenarium est, quia dum perversa agit,

* auctorem.

Ibid. v. 23.

Ibid. v. 24. & 25.

* Ibid. l. 34. c. 2. n. 2.

* Ibid. l. 32. c. 15. n. 26.

* Num. 27.

Dan 7. 8.

A præcepti Decalogum transit. Et quia in cilicio peccatum plangitur, hinc est quod in tabernaculo vela cilicina undecim fiunt. Hinc Petrus in undenario numero Apostolos remanere metuens, & signari culpam per undenarium cernens, implere numerum Apostolorum duodenario, Matthiam duodecimum sorte missa apponens * curavit. Quia ergo per undenarium transgressio exprimitur, hujus bestiæ cornu undecimo ipse transgressionis auctor demonstratur: quod videlicet parvulum oritur, quia purus homo generatur. Sed immaniter crescit, quia usque ad conjunctam sibi vim angelicæ fortitudinis proficit. Quod tria cornua quæ ei ante faciem sunt evellit: quia ditioni suæ regna totidem quæ sibi vicina sunt subigit. Cujus oculi sunt ut oculi hominis, sed os super omnes ingentia loquitur, quia in illo humana forma cernitur, sed verbis suis ultra homines elevatur. Sicut per Paulum dicitur: *Qui adversatur & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*. Tota enim virtus diaboli in illo uno damnato homine congeretur, ut tanto per illum fortia & mira faciat, quanto illum collectis suis viribus infligat, qui in omni fastu fallaciæ & virtutis robore & culminis elatione prosperabitur. * De eo iterum Daniel dicit: *Contra principem principum consurget, & sine manu conteretur*. Hoc idem Paulus dicit: *Ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus*. Sine manu vero conteretur, quia non Angelorum bello, non Sanctorum certamine, sed per adventum judicis solo oris spiritu æterna morte ferietur. Sicut per Paulum dicitur: C *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui*.

* requisivit.

2. Thess. 2. 4.

Dan. 8. 25.

2. Thess. 2. 4.

Ibid. v. 8.

CAPUT VII.

Dialog. l. 4. cap. 44. Dan. 8. 27.

CUM Daniel magnam & terribilem visionem vidisset ex qua contremuit, protinus adjunxit: *Et ego elangui & ægrotavi per dies plurimos*. Caro quippe ea quæ sunt spiritus capere non valet, & idcirco nonnumquam cum mens humana ultra se ad videndum ducitur, necesse est ut hoc carneum vasculum quod ferre talenti pondus non valet, infirmetur. * Vel certe videns sublimem visionem, per plurimos dies elanguit & ægrotavit, quia hi qui in virtutibus fortes sunt, cum altiora Dei conspiciunt, in sua sibi æstimatione infirmi & imbecilles fiunt.

* Lib. 1. hom. 5. in Ezech. n. 19.

CAPUT VIII.

Moral. 22. c. 20. n. 47.

DANIEL Propheta, loquente ad se Domino, dum positionem sui corporis nobis insinuare studuit, meritorum incrementa signavit. Ait enim: *Audivi vocem verborum ejus: & audiens, jacebam consternatus super faciem meam, vultusque meus hærebat terræ: & ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum* E *mearum, & dixit ad me: Daniel vir desideriorum, intellige verba quæ loquor ad te, & sta in gradu tuo: nunc enim missus sum ad te. Cumque dixisset mihi sermonem hunc, steti tremens, & ait ad me: noli metuere*. Quam videlicet positionem sui corporis, dum verba intrinsecus loquentis audiret, nequaquam nobis tanta cura exprimeret, si a mysteriis vacuam cognovisset. In Scriptura enim sacra justi viri non solum quæ dicunt prophetia est, sed etiam plerumque quod agunt. Vir etiam sanctus inter-

Dan. 10. c. 11. 11. 12.

ternis mysteriis plenus, per positionem quoque corporis virtutem exprimit vocis. Et per hoc quod primum in terra prostratus jacuit, per hoc quod se postmodum in manuum suarum articulis & in genibus erexit, per hoc quod ad extremum erectus & tremens constitit, in seipso nobis omnem ordinem nostri provectus innotescit. Verba enim Dei in terra jacentes audimus, cum in peccatis positi, terrenæ pollutioni conjuncti, Sanctorum voce spiritualia præcepta cognoscimus. Ad ejus præcepta quasi super genua & super manuum nostrarum articulos erigimur, quia a terrenis contagiis recedentes, quasi jam ab infimis * ventrem levamus. Sicut enim totus terræ inhæret qui consternatus jacet, ita qui in genibus & manuum suarum articulis incurvatur, inchoante B provectu, ex magna jam parte a terra suspenditur. Ad extremum vero voce dominica erecti quidem, sed trementes assistimus, cum a terrenis desideriis perfecte sublevati, verba Dei quo plenius cognoscimus, plus timemus: adhuc enim quasi in terra jacet, qui ad cælestia erigi terrenorum desideriis negligit. Quasi sublevatus autem adhuc in genibus & in manibus incumbit qui quædam jam contagia deserit, sed quibusdam adhuc terrenis operibus non contradicit: jam vero ad verba Dei erectus assistit, qui perfecte mentem ad * cælestia erigit, & per immunda desideria incurvari contemnit. Bene vero trementem se stetisse indicat, quia examen subtilitatis internæ quo plenius ad illud proficiscitur, plus formidatur. C Ubi apte divina voce subjungitur: *Noli metuere*; quia cum plus ipsi quod timeamus agnoscimus, plus nobis de Deo per internam gratiam infunditur quod amemus: quatenus & contemtus noster paulisper transeat in timorem, & timor transeat in caritatem. Ut quia quærenti nos Deo per contemtum resistimus, per timorem fugimus, & contemtu quoque & timore postposito solo ei amore jungamur. Paulisper enim etiam * timere dedidicimus, eique vi solius dilectionis inhæremus. Appositis igitur quasi quibusdam gradibus provectus nostri, mentis pedem prius per timorem in imo ponimus, & post propter caritatem ad alta amoris levamus: ut & ab eo quod quisque tumet, reprimatur ut timeat; & ab eo D quod jam timuit, sublevetur ut præsumat.

* genitem.

* sublimia.

* timorem. ejus discimus, cujus solius dilectioni inhæremus.

CAPUT IX.

Moral. 17. c. 12. n. 17.

Dan. 10. 13.

LIBET inquirere si pax in sublimibus summa retinetur, quid est quod per Angelum Danieli dicitur: *Ego veni propter sermones tuos; princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus. Et ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium mihi*. Et paulo post: *Nunc revertar ut prælier adversum Principem Persarum. Cum enim egrederer, apparuit Princeps Græcorum adveniens*. (Ibid. v. 20.) Quos itaque alios principes Gentium, nisi Angelos vocat qui sibi resistere exeunti potuissent? Quæ ergo pax esse in subli- E mibus potest, si inter ipsos quoque angelicos spiritus præliandi certamen agitur, qui semper conspectui veritatis assistunt? Sed quia certa Angelorum ministeria dispensandis singulis quibusque gentibus sunt prælata, cum subjectorum mores adversum se vicissim præpositorum spirituum opem merentur, ipsi qui præsunt spiritus contra se venire referuntur: is enim Angelus qui Danieli loquebatur captivis Israelitici populi in Perside constitutis prælatus agnoscitur. Mi- A chael autem eorum qui ex eadem plebe in Judæa remanserant, præpositus invenitur. Unde ab hoc eodem Angelo paulo post Danieli dicitur: *Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael Princeps vester* (Ibid. v. 21.). De quo & hoc quod præmisimus, dicitur: *Ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium mihi*. Qui dum nequaquam simul esse, sed venire in adjutorium dicitur, aperte ei populo prælatus agnoscitur, qui captus in alia parte tenebatur. Quid est ergo Angelum dicere: *Ego veni propter sermones tuos, Princeps vero Persarum restitit mihi*, nisi sua subditis opera nuntiare? Ac si aperte dicat: Precum quidem tuarum merita exigunt, ut Israeliticus populus a jugo suæ captivitatis exuatur; B sed est adhuc quod in eodem populo Persarum dominio purgari debeat, unde * de ereptione illius Persarum Princeps mihi jure contradicat. Quamvis preces tuas eorum quoque lacrymæ qui in Judæa relicti sunt, adjuvent. Unde hoc quoque quod diximus, adjungit: *Michael princeps vester venit in adjutorium mihi*. Cumque ut adversum Persarum principem prælietur egreditur, Græcorum sibi Princeps apparet adveniens; qua ex re innuitur quod adversum Græcos quoque Judæa aliquid commiserat, quorum profecto causa ereptioni illius resistebat. Prophetæ igitur preces Angelus exaudit; sed Persarum Princeps resistit, quia & si jam vita justi deprecantis ereptionem populi exigit, ejusdem tamen C populi adhuc vita contradicit; ut quia nec plene hi qui in captivitatem fuerant ducti purgati sunt, jure eis adhuc Persæ dominentur. Michael adjuvat, sed Græcorum Princeps ad prælium venit: quia mereri quidem veniam tam longa oppressorum captivitas poterat, sed ereptionis eorum beneficio, hoc quoque quod in Græcos deliquerant, obviabat. Recte ergo dicitur quod contra se Angeli veniunt, quia subjectarum sibi gentium vicissim merita contradicunt. Nam sublimes spiritus eisdem gentibus principantes nequaquam pro injuste agentibus decertant, sed eorum facta juste judicantes examinant. Cumque uniuscujusque gentis vel culpa vel justitia ad supernæ curiæ consilium ducitur, ejusdem gentis D præpositus, vel obtinuisse in certamine, vel non obtinuisse perhibetur: quorum tamen omnium una victoria est & sui super se opificis voluntas summa, quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent numquam volunt.

* ereptione

CAPUT X.

SCIENDUM nobis est, quod per incrementa temporum crevit scientia spiritualium patrum; plus namque Moyses quam Abraham, plus Prophetæ quam Moyses, plus Apostoli quam Prophetæ in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt; Daniele attestante, qui ait: *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia*. (Dan. 12. 4.) E Ad Moysen Dominus dicit: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob; & nomen meum Adonai non indicavi eis*. (Exod. 6. 3.) Ecce plus Moysi quam Abraham innotuerat, qui illud de se Moysi indicat quod se Abrahæ non indicasse narrabat. Prophetæ etiam plus quam Moyses divinam scientiam apprehendere potuerunt, Psalmista teste, qui ait: *Quomodo dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea est*; & subjungit: *Super omnes docentes me intellexi*; & iterum: *Super seniores intellexi*. (Psal. 118. 97. & seq.) Qui ergo legem meditari se memo-

Lib. 2. hom. 4. in Ezech. num. 12.

morat, & super omnes docentes se ac super seniores intellexisse testatur, quia divinam scientiam plus quam Moyses acceperat, manifestat. Plus quoque sancti Apostoli docti sunt quam Prophetæ, veritate teste quæ dicit: *Multi reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Plus ergo quam Prophetæ divinam scientiam noverunt, quia quod illi solo spiritu viderunt, ipsi etiam

Matth. 13. 17

A corporaliter videbant. Impleta est itaque Danielis sententia, quia pertransibunt plurimi & multiplex erit scientia: quanto enim mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis æternæ scientiæ aditus largius aperitur, per Dominum nostrum Jesum Christum, cui est honor & gloria in secula, Amen.

L I B E R   S E P T I M U S.

EXCEPTIONES EX OPUSCULIS B. GREGORII PAPÆ in subjectis capitulis libri Oseæ Prophetæ.

1 *Ecce ego sepiam vias tuas spinis.*
2 *Dedi eis frumentum, vinum, & oleum.*
3 *Maledictum & mendacium inundaverunt.*
4 *Peccata populi mei comedunt.*
5 *Victimas in profundo deferebant.*
6 *Spiritus fornicationis in medio eorum.*
7 *Factus est Ephraim subcinericius.*
B 8 *Comederunt alieni robur ejus.*
9. *Ipsi regnaverunt & non ex me.*
10 *Culmus stans est in eis germen.*
11 *Ephraim vitula docta diligere trituram.*
12 *Dabo tibi reges in furore meo.*
13 *Ero mors tua, o mors.*

CAPUT PRIMUM.

Lib. 3 hom. 36 in Evang. num. 9.

VIR uniuscujusque fidelis animæ Deus est, quia ei hæc per fidem conjuncta est. Sed plerumque contingit, ut anima Deo conjuncta fortassis infirmata in illicitis desideriis ruat, immundis adhuc se spiritibus in operatione substernat, mundi gloriam quærat, delectatione carnali pascatur, exquisitis voluptatibus nutriatur. Sed plerumque Dominus omnipotens talem animam respicit misericorditer, & ejus voluptatibus permiscet amaritudines. * Ut dum votis ejus valida contrarietate nascitur, ex ipsa impossibilitate corrigitur. Hinc est quod speciè uniuscujusque animæ, de infirmante Judæa & in pravis itineribus gradiente, per Osee Prophetam Dominus dicit: *Ecce sepiam vias tuas spinis.* Viæ fidelis animæ spinis sepiuntur, dum * dolorum punctiones invenit, in hoc quod temporaliter concupiscit. *Et sepiam maceria; & vias suas non inveniet.* Quasi interposita maceria viis ejus obviat, cujus nimirum desidia perfectionis difficultas * repugnat. * Et semitas suas invenire non potest, quia hoc quod male quærit prohibetur adipisci. *Et sequetur amatores suos, & non apprehendet eos: & quæret eos, & non inveniet.* Malignos enim spiritus quibus se in suis desideriis anima subdidit, ad desideriorum suorum effectum minime apprehendit. Sed de hac salubri adversitate & difficultate quanta utilitas nascatur, adjungit, dicens: *Vadam & revertar ad virum meum priorem, quia melius mihi erat tunc quam nunc.* * Prior vir Dominus est, qui castam sibi animam sancti spiritus interposito amore conjunxit. Quem tunc mens uniuscujusque desiderat, cum multiplices amaritudines velut quasdam spinas invenit in eis delectationibus quas temporaliter concupiscit. Nam cum adversitatibus mundi quem diligit morderi anima cœpit, tunc plenius intelligit quanto illi cum priore viro melius fuit. * Tunc quæ adultera conata est esse, nec tamen aperto opere potuit, fidelis conjux esse decernit. * Eos ergo quos * voluptas prava pervertit, plerumque adversitas corrigit. Unde nimis timendum est ne sequantur prospera, cum desiderantur injusta:

* Moral. l. 34 cap. 8. n. 5.
Osee 2. 6.
* dolorum punctionis.
* impugnat.
* Hom. ut supra.
Ibid. v. 7.
* Moral. ut supra.
* Hom. ut supra.
* Moral. ut supra n. 4.
* voluntas.

Quia difficilius malum corrigitur, quod perfectionis * prosperitate fulcitur.

* etiam.

CAPUT II.

In Reg. Past. ...

QUI sacræ legis verba non recte intelligunt, errores discordiasque generando, legem Dei C quæ idcirco homini data est, ut Satanæ sacrificia prohibeat, eamdem ipsam in Satanæ sacrificium vertunt. Unde per Osee queritur Dominus dicens: *Dedi eis frumentum, vinum & oleum; & argentum multiplicavi eis & aurum, quæ fecerunt Baal.* Frumentum a Domino accipimus, quando in dictis obscurioribus subducto tegmine litteræ per medelam spiritus, legis interna sentimus. Vinum suum nobis præstat Dominus, cum Scripturæ suæ alta predicatione nos debriat. Oleum quoque suum nobis tribuit, cum præceptis apertioribus vitam nostram blanda lenitate disponit. Argentum multiplicat, cum luce veritatis nobis splendida eloquia subministrat: auroque nos ditat, quando cor nostrum intellectu summi fulgoris irradiat. Quæ cuncta hæretici Baal offerunt; quia apud auditorum suorum corda corrupte omnia intelligendo pervertunt, & de frumento Dei, vino, & oleo, argento pariter & auro Satanæ sacrificium immolant: quia ad errorem discordiæ verba pacis inclinant.

Osee 2. 8.

CAPUT III.

Lib. 1. hom. 11 in Evang. num. 23.
* Mor. lib. 18 c. 12.
Osee 4. 2.

JUSTUS & omnipotens Deus cum præcedentibus peccatis irascitur, permittit ut cæcata mens etiam in aliis labatur. * Unde per Osee dicitur: *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt; & sanguis sanguinem tetigit.* Solet enim sanguinis nomine E peccatum signari. Unde is qui a peccatis liberari desiderat, per pœnitentiam clamat: *Libera me de sanguinibus.* Sanguis itaque sanguinem tangit, cum culpæ culpam copulaverit. * Et peccatum peccato additur, ut ante Dei oculos adjunctis iniquitatibus anima cruentetur.

Psal. 50. 16.
* Ibid. hom. ut supra.

CAPUT IV.

Lib. 1 hom. 17. in Evang. n. 8.

ECCE de oblatione fidelium vivimus, sed pro animabus fidelium non laboramus. Illa in stipendio nostro sumimus quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt; nec tamen contra eadem peccata vel orationis studio, vel prædicationis, ut dignum est, insudamus. Vix pro culpa sua quempiam aperta voce reprehendimus, & adhuc quod est gravius, aliquando si persona in hoc mundo potens sit, ejus forsitan acta laudamus, ne si adversetur per iracundiam, munus subtrahat, quod impendebat. Sed debemus sine cessatione meminisse quod de quibusdam scriptum est in Osee: *Peccata populi mei comedunt*. Cur autem peccata populi comedere dicuntur, nisi quia peccata delinquentium fovent, ne temporalia stipendia amittant. Sed & nos qui ex oblationibus fidelium vivimus, quas illi pro suis peccatis obtulerunt, si comedimus & tacemus, eorum proculdubio peccata manducamus. Pensemus ergo cujus sit apud Dominum criminis peccatorum pretium comedere, & nihil contra peccata* peccantium agere.

Osee 4. 8.

* prædicando.

CAPUT V.

Lib. 1. hom. 4 in Ezech. n. 4 Osee 5. 2.

VÆ his qui per bona quæ faciunt terrenam gloriam quærunt. Per Osee dicitur: *Victimas in profundo deferebant*. Quid sunt aliud lacrymæ orationis, nisi victimæ oblationis nostræ, sicut scriptum est: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*? Et sunt nonnulli qui idcirco se in prece lamentis afficiunt, ut aut terrena commoda acquirant, aut hominibus Sancti esse videantur. Quid isti nisi victimas in profundum deferunt, qui per hoc quod in imo sunt quæ requirunt, orationis suæ sacrificium deorsum deponunt.

Psal. 50. 18.

CAPUT VI.

Moral. lib. 34 c. 17. n. 28.

OMNI custodia mens est a superbiæ tumore servanda: intus enim videt Deus quod mentem elevat, & idcirco foras permittit invalescere quod deponat. Intus prius extollitur, quod foras postmodum luxuriæ corruptione feriatur. Hinc quippe per Osee contra Israelitas dicitur: *Fornicationis spiritus in medio eorum, & Dominum non cognoverunt*. Qui ut ostenderet quod causa libidinis ex culpa prorupit elationis, mox subdit, dicens: *Et respondebit arrogantia Israel in faciem ejus*. Ac si diceret: Culpa quæ per elationem mentis in occulto latuit, per carnis luxuriam in aperto respondit. * Occultam enim culpam sequitur aperta percussio, ut malis exterioribus interiora puniantur, & cor publice per luxuriam corruat, quod latenter tumebat.

Osee 5. 4. — Ibid. v. 5. — * Ibid.

CAPUT VII.

Moral. lib. 33 c. 10. n. 12.

QUISQUIS adhuc ea quæ mundi sunt appetit, ante faciem veri luminis non apparet, quia sub pulvere terrenæ * contagionis latet. Hinc est quod de unaquaque anima terrenis desideriis aggravata sub Ephraim specie dicitur per Osee: *Factus est Ephraim panis subcinericius, qui non reversatur*. Ex natura quippe bene condita nobis est intentio quæ surgat in Dominum; sed ex conversatione nequiter assueta, inest voluptas quæ præsens premat in seculum. Panis vero subcinericius ex ea parte est mundior quam inferius occultat, & ex parte sordidior qua desuper cinerem portat. Quisquis igitur intentionem qua Dominum debuisset quærere negligit, quasi more panis subcinericii mundiorem partem inferius premit. Et cum curas seculi libenter tolerat, quasi congestum cinerem superius portat. Reversaretur vero panis subcinericius, si desideriorum carnalium cinerem repelleret, & intentionem bonam quam in se dudum despiciendo oppresserat, superius ostentaret. Sed reversari renuit, cum mens amore curarum, secularium pressa, molem superpositi cineris abigere negligit; dumque assurgere in intentionem bonam non appetit, quasi mundiorem faciem subtus premit.

* cogitationis. — Osee 7. 8.

CAPUT VIII.

Moral. l. 25. c. 7. n. 14.

IN hac mortali vita consistere, quasi ad vetustatem ire est: & cum indiscussa mens relinquitur, in quodam senio torporis soporatur; quia sui negligens propositum robur insensibiliter perdens, a forma prioris fortitudinis, dum nescit, senescit. Unde dicitur per Osee sub Ephraim specie: *Comederunt alieni robur ejus & nescivit: sed & cani effusi sunt in eo, & * ignoravit*. * Alieni quippe solent intelligi spiritus apostatæ, qui robur comedunt cum virtutem mentis pervertendo consumunt. Quod Ephraim & pertulit & nescivit, quia in tentatione malignorum spirituum, & robur animi perdidit, & hoc ipsum quod perdiderit non intellexit.

Osee 7. 9. — * ipse. — * Ibid. lib. 34 c. 3. n. 6.

CAPUT IX.

In Reg. Past. 1 part. c. 1. Osee 8. 4.

CONTRA malos Pastores Dominus per Osee queritur, dicens: *Ipsi regnaverunt & non ex me, principes extiterunt & non cognovi*. Ex se enim & non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua cupiditate accensi, culmen regiminis rapiunt potius quam assequuntur. Quos tamen internus judex, & provehit & non cognoscit; quia quos permittendo tolerat, profecto per judicium reprobationis ignorat. Unde ad se quisdam * post miracula venientibus dicit: *Recedite a me operarii iniquitatis, nescio vos qui estis*.

* &. — Luc. 13. 27.

CAPUT X.

Moral. 8. c. 43. n. 70. Osee 8. 7.

HYPOCRITIS humanos favores desiderantibus per Osee dicitur: *Culmus stans non est in eis germen, & non facit farinam; quod etsi fecerint, alieni comedent illam*. Culmus germen non habet, cum vita virtutum meritis caret. Farinam culmus non facit, cum is qui in præsenti seculo proficit, nil subtilitatis intelligit, nullum boni operis fructum reddit. * Sed sæpe, & cum perfecerit farinam, hanc alieni comedunt, quia & cum bona opera hypocritæ ostendunt, de his malignorum spirituum vota satiantur. Qui enim per hæc placere Deo non appetunt, nequaquam agri Dominum, sed alienos pascunt.

* Num. 71.

CAPUT XI.

Moral. 20. c. 25. n. 35.

PERVERSI homines pro hujus mundi gloria cunctis sudoribus libenter serviunt, & gravium laborum jugo devotissime colla submittunt. Quod bene

bene sub Ephraim specie Osee prophetante de- A scribitur, qui ait: *Ephraim vitula docta diligere trituram*. Vitula enim trituræ laboribus assueta, relaxata plerumque, ad ejusdem laboris usum etiam non compulsa revertitur: ita pravorum mens hujus mundi servitiis dedita, & rerum temporalium fatigationibus assueta, etiamsi libere sibi vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat. Et * usu miseræ conversationis trituram laboris quærit, ut a jugo mundanæ servitutis non libeat cessare, etiamsi liceat.

Osee 10. 11.

* usum.

CAPUT XII.

NULLUS qui malum Rectorem patitur, eum quem patitur accuset; quia nimirum B sui fuit meriti, perversi Rectoris subjacere ditioni. Culpam ergo proprii magis accuset operis, quam injustitiam gubernatoris. Scriptum est enim in Osee: *Dabo tibi reges in furore meo*. Quid igitur illos nobis præesse despicimus quorum super nos regimina ex Domini furore suscipimus? Si ergo irascente Domino Deo secundum nostra merita Rectores accipimus, in illorum actione colligimus quid ex nostra * actione pensemus.

Moral. 25. c. 16. n. 34.

Osee 13. 11.

* æstimatione.

CAPUT XIII.

AB inferno rediens Dominus, nequaquam electos simul & reprobos traxit; sed exinde illos sustulit quos suos in fide & actibus recognovit. Unde per Osee Prophetam dicit: * *Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne*. Id namque quod occidimus, agimus ut penitus non sit. Ex eo vero quod mordemus partem abstrahimus, partemque relinquimus. Quia ergo in electis suis funditus occidit mortem, mors mortis extitit; quia vero ex inferno partem abstulit & partem reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum. Ait ergo: *Ero mors tua, o mors*. Ac si aperte dicat: Quia in electis meis te funditus perimo, ero morsus tuus, inferne; quia sublatis eis te ex parte transfigo: quod enim ante passionem promisit, in resurrectione sua Dominus implevit: *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me*. Omnia abstulit utique electa: omnia traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat, per omnia secula seculorum. Amen.

Moral. l. 12. c. 1.

* Lib. 2. hom. 22. in Ev. num. 6.

Osee 13. 14.

Johan. 12. 32.

LIBER OCTAVUS.

EXCEPTIONES EX OPUSCULIS B. GREGORII PAPÆ in subjectis capitulis Joel Prophetæ.

1. *Residuum erucæ comedit locusta.*
2. *Posuit vineam meam in desertum.*
3. *Sanctificate jejunium.*

CAPUT PRIMUM.

SÆPE mens reproborum gaudet de quibusdam vitiis, quod eis subjecta non sit, & præcavere ac gemere negligit: quia dum quædam pravitatis desideria transeunt, alia vice eorum, quibus fortasse nequius succumbit, succedunt. Unde bene per Joel Prophetam dicitur: *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo*. Quid enim per erucam quæ toto corpore in terra repit, nisi luxuria designatur? quæ cor quod tenet ita polluit, ut in superioris munditiæ surgere amore non possit. Quid per locustam quæ saltibus volat, nisi inanis gloria exprimitur, quæ se vanis præsumtionibus exaltat? Quid per bruchum, cujus pene totum corpus in ventrem colligitur, nisi edendi ingluvies figuratur? Quid per rubiginem, quæ dum tangit incendit, nisi ira innuitur? Residuum ergo erucæ locusta comedit, quia sæpe cum luxuriæ vitium a mente recesserit, inanis gloria succedit. Nam quia jam per amorem carnis non sternitur, quasi sanctam se ex caritate gloriatur. Residuum locustæ bruchus comedit, quia sæpe cum inani gloriæ quæ quasi ex sanctitate veniebat resistitur, vel ventri, vel quibuslibet ambitiosis desideriis immoderatius indulgetur; mens enim Dei nescia tanto atrocius ad quemlibet ambitum ducitur, quanto nullo vel humanæ laudis amore refrenatur. Residuum bruchi rubigo consumit, quia sæpe dum ventris ingluvies per abstinentiam restringitur, ira im- C patientia acrius dominatur; quæ more rubiginis quasi exurendo messem comedit: quia virtutum fructus impatientiæ flamma tabescit: dum ergo vitiis vitia succedunt, agrum mentis alia pestis devorat, dum alia relinquit. Bene autem subditur: *Expergiscimini ebrii & flete*. Ebrii quippe vocati sunt qui mundi hujus amore confusi mala non sentiunt quæ patiuntur; quid est ergo dicere: *Expergescimini ebrii & flete*, nisi somnum vestræ insensibilitatis excutite, & in devastatione cordis, tot sibi succedentibus vitiorum postibus, vigilantibus lamentis obviate.

Moral. l. 33. c. 37. n. 65.

Joel 1. 4.

Joel 1. 4.

Ibid. v. 5.

CAPUT II.

HYPOCRITÆ affectantes laudes hominum, D cum se ostendere alienis oculis appetunt, damnant quod agunt. Quos cum maligni spiritus ad jactantiam provocant, opera eorum captivantes denudant. Unde sub cujusdam Gentis specie antiquorum hostium malitiam signans per Joel Veritas dicit: *Posuit vineam meam in desertum; decorticavit ficum meam; nudans exspoliavit eam, albi facti sunt rami ejus*. Insidiantibus quippe spiritibus, Dei vinea in desertum ponitur, cum plena fructibus anima humanæ laudis cupiditate dissipatur. Ficum Dei Gens ista decorticat, quia seductam mentem in favoris appetitum rapiens, quo hanc ad ostentationem pertrahit, tegmen ei humilitatis tollit, eamque nudans exspoliat; quia quousque in bonis suis E absconditur, quasi proprii tegminis cortice vestitur. Cum vero mens hoc quod egerit, videri ab aliis concupiscit, quasi exspoliata ficus cum qui se texerat corticem amisit. * Unde apte subditur: *Albi facti sunt rami ejus*: quia ostensa humanis oculis

Moral. 8. cap. ult. n. 84.

Joel 1. 7.

* ita.

lis ejus opera candescunt. De sanctitate nomen sumitur, cum recta actio divulgatur: sed quoniam subducto cortice rami fici hujus arescunt, solerter intuendum est, quia facta arrogantium humanis oculis ostensa, unde placere appetunt, inde siccantur. Mens itaque quæ per jactantiam * producitur, decorticata ficus * vocatur: quia & candida est per hoc quod cernitur, & siccitati proxima, per hoc quod tegmine corticis nudatur.

* proditur
* recte.

CAPUT III.

VIRTUS abstinentiæ * prava esse creditur, quæ non * ex aliis virtutibus commendatur. Hinc per Joel dicitur: *Sanctificate jejunium*: jejunium sanctificare est, adjunctis aliis bonis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Tunc etiam abstinentes Deo placentem abstinentiam offerunt, cum ea quæ sibi de alimentis subtrahunt, indigentibus tribuunt. Solerter namque metuendum est, quod per Prophetam Dominus redarguit, dicens: *Cum jejunaretis & plangeretis, numquid jejunium jejunastis mihi? & cum comedistis & bibistis, numquid non vobis comedistis & vobisipsis bibistis?* Non enim Deo sed sibi quisquis jejunat, si ea quæ ventri ad tempus subtrahit, non inopibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. * Sibi comedit & bibit qui alimenta A corporis, quæ sunt communia dona Conditoris, sine indigentibus percipit. Illud ergo jejunium Dominus approbat, quod ad ejus oculos manus eleemosynarum levat. Incassum quoque jejunio caro atteritur, si a pravis suis voluptatibus animus non refrenatur; cum per Prophetam Dominus dicat: *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis.* Neque enim qui debitorem suum, hoc quod dedit repetit, aliquid injuste facit; sed dignum est ut quisquis se in pœnitentia macerat, etiam hoc quod sibi juste competit interdicat. Sic * nobis afflictis & pœnitentibus a Deo dimittitur quod B injuste egimus, si pro amore illius & hoc quod nobis juste competit relaxemus. * Per abstinentiam itaque vitia carnis mortificantur; & nemortua caro putresiat, per jejunium agitur; mortuam ergo carnem putrescere est, hoc mortale corpus fluxui luxuriæ deservire. Sicut de quibusdam per eumdem Joel Prophetam, dicitur: *Computruerunt jumenta in stercore suo*. Jumenta quippe in stercore suo putrescere est, carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Bene ergo jejunamus, quando hoc mortale corpus a luxuriæ putredine per continentiæ & jejunii condimentum custodimus: auxiliante Do- C mino nostro Jesu Christo, cui est honor & gloria per infinita sæcula. Amen.

Reg. Pastor. 3. part. c. 19. quam prava respicitur.
Joel. 1. 14.
* nisi
* audiendum.
Zach. 7. 5.
* Lib. 1. hom. 16. in Evang. num. 6.
Isa. 58. 3.
* sic.
* Lib. 2. hom. 10 in Evang. num. 6.
Joel. 1. 17.

LIBER NONUS.

EXCEPTIONES EX OPUSCULIS B. GREGORII PAPÆ in subjectis capitulis * Amos Prophetæ.

* Duo ultima capitula ex aliis prophetis desumpta sunt.

CAPUT PRIMUM.

HÆRETICI, ut apud imperitum vulgus scientiæ sibi nomen extorqueant, student summopere & ab aliis recte intellecta destruere, & sua perversa roborare. Unde bene per Prophetam Amos dicitur: *Secuerunt prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum*. Galaad namque acervus testimonii interpretatur. Et quia cuncta simul congregatio Ecclesiæ per confessionem servit testimonio veritatis, non incongrue per Galaad Ecclesia exprimitur, quæ ore cunctorum fidelium de Deo * quæ sunt vera testatur. Prægnantes vocantur animæ, quæ intellectum verbi ex divino amore concipiunt, si ad perfectum tempus veniant, conceptam intelligentiam operis ostensione parituræ. Terminum vero suum dilatare est opinionis suæ nomen extendere. Secuerunt ergo prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum suum, quia nimirum hæretici mentes fidelium quæ jam aliquid de veritatis intellectu conceperant, perversa prædicatione perimunt, & scientiæ sibi nomen extendunt: parvulorum corda jam de verbi conceptione gravida erroris gladio scindunt, & quasi doctrinæ sibi opinionem faciunt.

Reg. Pastor. 3 part. c. 24 admon. 25.
Amos 1. 13.
* quæ.

D CAPUT II.

ALIQUANDO insensatis rebus propter infirmitatem nostram alta condescensione Dominus se comparat, sicut per Amos dicitur: *Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno.* Quia enim fœnum est vita carnalium, sicut scriptum est: *Omnis caro fœnum*; in eo quod Dominus vitam carnalium patitur, more plaustri fœnum se portare testatur. Cui sub fœni onere stridere est, pondera & iniquitates peccantium cum querela tolerare.

Moral. l. 32. c. 5. n. 2.
Amos 2. 13.
Isa. 40. 6.

CAPUT III.

QUOTIDIE impleri videmus hoc quod Dominus per Amos narrat, quia fuerit iratus, cum dicit: *Plui super civitatem unam, &* E *super civitatem alteram non plui: pars una compluta est, & pars * super quam non plui, aruit.* Cum enim sanctæ exhortationis verba alia mens suscipit, alia mens suscipere recusat; super unam civitatem Dominus pluit, super alteram non pluit. Cum vero & ipse qui prædicationem audit, ab aliis se vitiis corrigit, & ab aliis emendari contemnit: in isto pars una compluta, quia fructum fecit, & pars quæ compluta non est, aruit; quia exhortationis verbum non plene suscipiens, a bono opere sterilis remansit.

Lib. 1. hom. 10. in Ezech. num. 23. Amos 4. 7.
* quæ compluta non est.

CA-

A

CAPUT IV.

Moral. lib. 21 c. 10. n. 32.

MOS apud veteres fuit ut ad portam seniores sederent, qui certantium jurgia judiciaria examinatione distringerent; quatenus urbem in qua concorditer vivere oporteret, discordes non intrarent. Unde & per Amos Dominus dicit: *Constituite in porta judicium.* (Amos 5. 15.)

CAPUT V.

Moral. lib. 4 c. 11. n. 18.

SUNT nonnulli qui fidem quam tenere se sermonibus ostendunt, operibus destruunt; & aut prava sunt quæ faciunt, aut recta opera non recto corde sectantur: non enim de suis operibus retributiones perpetuas, sed transitorios favores quærunt. Et tamen quia quasi Sanctos laudari se audiunt, esse se veraciter Sanctos arbitrantur, & quanto se ex multorum æstimatione irreprehensibiles putant, tanto diem districti judicii securius expectant. De quibus per Amos dicitur: *Væ desiderantibus diem Domini.* (Amos 5. 18)

CAPUT VI.

Moral. lib. 13 c. 6 n. 13.

NONNULLI mundum deserunt, & bonorum transeuntium vana derelinquunt; & ima humilitatis appetentes, humanæ conversationis morem bene vivendo transcendunt; & in tanta studiorum arte proficiunt, ut signorum virtutes jam operentur. Sed quia seipsos circumspiciendo tegere negligunt, inanis gloriæ telo percussi ad inferni profundum pejus de alto ruunt. Hinc per Amos dicitur: *Vocavit Dominus judicium ad ignem, * & devoravit abyssum multam, & comedit partem domus.* (Amos 7. 4. * Domini.) * Judicium ad ignem vocatur, cum justitiæ sententia ad pœnam jam æternæ concremationis ostenditur; & multam abyssum devorat, quia iniquas & incomprehensibiles hominum mentes concremat, quæ nunc se hominibus etiam sub signorum miraculis occultant. Pars vero domus * comeditur, quia illos quoque gehenna devorat, qui nunc quasi in sanctis actibus de electorum numero se esse gloriantur. (* Domini.)

CAPUT VII.

Moral. l. 2. c. 56 n 89. Amos 7. 14.

SI prophetiæ spiritus Prophetis semper adesset, inquisitus Amos Propheta non diceret: *Non sum Propheta.* Quomodo autem Propheta non fuit qui de futuris tot vera prædixit? Aut quomodo Propheta fuit, qui de se in præsenti vera denegavit? Sed quia eadem hora qua requisitus est, prophetiæ sibi spiritum deesse sensit; de seipso veraciter intulit, dicens: *Non sum Propheta.* Qui tamen secutus adjunxit: *Et nunc audi verbum Domini; * uxor tua in civitate fornicabitur, & filii tui & filiæ in gladio cadent.* (Ibid. v. 16. * hæc dicis Dominus.) Quibus Prophetæ verbis ostenditur, quia dum de se illa loqueretur impletus est, & B mox habere prophetandi spiritum meruit, & Prophetam se non esse humiliter agnovit.

CAPUT VIII.

Lib. 1. hom. 10. in Ezech. num. 22. Mich. 4. 10.

SI qui ab statu rectitudinis in pravam actionem ceciderunt, non sunt desperandi; quia per Prophetam Michæam Dominus dicit: *Et veniens usque ad Babylonem ibi liberaberis.* Quid Babylonia nisi confusio vocatur? Sæpe enim quis postquam in confusionem vitiorum cecidit, erubescens mala quæ perpetravit, ad pœnitentiam redit, seque a suis lapsibus bene vivendo erigit. Quis ergo iste, nisi qui usque ad Babylonem venit; & liberatus est, qui postquam confusus C mente perversa perpetravit, hæc ipsa erubescens mala quæ fecit, se contra se erigit, & bene operando ad statum rectitudinis redit: in Babylonem itaque venit & ibi liberatus est, qui per divinam gratiam ostenditur etiam de confusione salvatus.

CAPUT IX.

Moral. l. 31. c. 31. n. 55. Num. 1. 10.

DE unitate reproborum Naum Propheta ait: *Sicut spinæ invicem se complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium.* Convivium reproborum est delectatio temporalium voluptatum. In quo D nimirum convivio pariter potant, qui delectationis suæ illecebris se concorditer debriant.

LIBER DECIMUS.

EXCEPTIONES EX OPUSCULIS B. GREGORII PAPÆ in subjectis capitulis libri Habacuc Prophetæ.

E

CAPUT PRIMUM.

Moral. l. 22 c. 16. n. 35.

SI semel in appetitione supernæ patriæ, forti stabilitate animus figitur, minus rerum temporalium perturbatione vexatur: nec tempestatem rerum temporalium intus sustinet, quam intuetur foris: quia terrena omnia quæ concupita opprimere mentem poterant, despecta subter jacent. Unde per Prophetam dicitur: *Statue tibi speculam*, (Jerem. 31. 21) ut dum quisque speculatur summa, infimis superemineat. Hinc etiam Habacuc dicit: *Super custodiam meam stabo.* (Habac. 2. 1.) Stat quippe super custodiam suam, qui per solertiam disciplinæ terrenis desideriis non succumbit, sed supereminet: ut dum stantem semper appetit æternitatem, infra sit ei omne quod transit. * Tamen quia vir sanctus, quantalibet virtute profecerit, eum in hac vita positum adhuc extrinsecus carnis infirmitas premit, (* Num. 36.) ut scriptum est: *Quamquam in imagine Dei ambulet homo, tamen vane conturbabitur*, plerumque agitur ut (Psal. 38. 7.)

* Capitulum hoc est Sophoniæ Prophetæ.

Angelus Domini qui loquebatur in me, egrediebatur. Sæpe enim non exterius apparent, sed sicut sunt angelici spiritus, voluntatem Dei Prophetarum sensibus innotescunt; & subtilitas angelicæ virtutis menti eorum apparens, intimis afflatibus ad sublimia elevat; & quæque in rebus futura sunt, in causis originalibus præsentia demonstrat. Sed ne quis in prædictis Zachariæ verbis Angeli, designatum nomine vel Patrem, vel Filium vel Spiritum sanctum putet: quia textus Scripturæ sacræ numquam Patrem, numquam Spiritum sanctum, & nonnisi per incarnationis suæ prædicationem Filium Angelum vocat. Unde in ejusdem Zachariæ verbis aperte ostenditur quod in illo vare Angelus, id est creatura loqueretur, cum dicitur: *Ecce Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur*. (*Ibid. v. 3. 4.*) B Statimque subjungitur: *Et alius Angelus egrediebatur in occursum ejus, & dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum istum, dicens. Absque muro habitabitur Jerusalem*. Non est itaque Deus Angelus qui mittitur, cui verba ab Angelo quæ dicere debeat, jubentur. Sed quia in conspectu Conditoris angelica ministeria ordinata graduum dispositione distincta sunt, ut & pro communi felicitate beatitudinis opificem suum simul videntes gaudeant, & tamen pro dispositione dignitatis aliis alii subministrent, ad Prophetam Angelum Angelus mittit: & quem secum de Deo gaudere communiter conspicit, & docet & dirigit; quia cum & per superiorem scientiam virtute cognitionis, & per præstantiorem gratiam culmine potestatis excedit.* C (* *Lib. 2. ho. 34 in Evang. num. 13.*) Certissime enim scimus, quia cunctorum Conditor Dominus qui omnia per semetipsum tenet ad distinguendum pulchræ universitatis ordinem, alia aliis dispensantibus regit, & Angeli a superiorum (*Moral. lib. 4. cap. 29.*) Angelorum potestatibus dispensantur, & ad explendum de supernis ministerium alii spiritus ab aliis mittuntur. Dum enim Angelus dicit ad Angelum: *Curre, & loquere*, dubium non est quia alius alium mittit: & si in ipsis officiis sanctorum spirituum nequaquam potestates summæ minimas disponerent, nullomodo hoc, quod homini diceret, Angelus ab Angelo cognovisset. Sed hoc quoque de ipsis agminibus certum tenemus: quia minora sunt quæ mittuntur; majora quæ mittunt: & ea quæ mittuntur, cum ad nos veniunt, sic exterius implent ministerium, ut numquam desint D interius per contemplationem.

CAPUT II.

(*Moral. lib. 20 c. 22. n. 48.*) IN nostræ locutionis usu pro dextro habere dicimus, quod pro magno pensamus; pro sinistro vero id quod despicimus. Quod Zacharias aperte insinuat, dicens: *Et ostendit mihi Jesum Sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini: & Satan stabat a dextris ejus ut adversaretur ei*. (*Zach. 3. 1.*) Qui, ut patentius hoc quod præmisit ostenderet, secutus adjunxit: *Et Dominus dixit ad Satan: Increpet Dominus in te Satan, qui elegit Jerusalem. Numquid non iste torris erutus de igne? Et Jesus indutus erat vestibus sordidis*. (*Ibid. v. 2.*) E Sordidis enim vestibus Jesus indutus est, quia quamvis alienus ab omni peccato, tamen in similitudinem venit carnis peccati. Cui advenienti Satan a dextris stetit. Pro magno namque Dominus Judaicum populum, & pro nihilo Gentes habere videbatur. Sed postquam incarnatus apparuit, Gentilitas quæ pro sinistro habita fuerat, credidit; Judaicus vero populus ad perfidiam declinavit. Satan ergo illi a dextris stetit, quia illum ei populum rapuit, qui dudum dile- A ctus fuit. Sed quia ipse Judaicus populus, modo perditus, in fine est quandoque crediturus, Propheta teste, qui ait: *Reliquiæ salvæ fient*: (*Isa. 10. 22.*) Satan a dextris suis removet Dominus, dicens: *Increpet Dominus in te Satan*. Et ejusdem populi liberationem indicans, subdit: *Quia elegit Jerusalem*. Qui nimirum populus quia ad gehennæ incendia perfidia duce defluebat, sed dum ad fidem reducitur, ab eodem æterni ignis incendio liberatur, statim de eo illic subditur: *Numquid non iste est torris de igne erutus?*

CAPUT III.

(*Moral. lib. 29 c. 31 n. 74.*) REDEMTOR noster in carne veniens, operationes septiformis spiritus simul in se cunctas & manentes habuit; sicut Zacharias ait: *Super lapidem unum septem oculi sunt*; (*Zach. 3. 9.*) & iterum: *Et in candelabro aureo lucernæ septem*. (*Ibid. 4. 2.*) Nullus quippe hominum operationes sancti Spiritus simul omnes habuit, nisi solus Mediator Dei & hominum, cujus est idem spiritus qui de Patre ante secula procedit. Hunc itaque lapidi septem oculos habere est, simul omnem virtutem spiritus septiformis gratiæ in operatione retinere.

CAPUT IV.

(*Moral. lib. 15 c. 14. n. 18.*) QUI mandata Dei memoria retinet, sed nequaquam faciendo complet, hic in doctrinæ verbis sententias quibus damnetur tenet. C Hinc in Zacharia scriptum est: *Quid tu vides Zacharia? Et dixi: Video volumen volans: longitudo ejus viginti cubitorum, & latitudo ejus decem cubitorum: & dixit ad me: Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem universæ terræ*. (*Zach. 5. 2.* *Ibid. v. 3.*) Quid namque volumen volans est, nisi sacra Scriptura? Quæ dum de cælestibus loquitur, ad superiorem mentis nostræ intentionem levat; quia dum illam super nos aspicimus esse, ima attendere, id est concupiscere devitamus. Quæ latitudinem cubitorum decem, longitudinem vero viginti habere perhibetur: quia latitudo operationis nostræ simpla est, & longanimitas spei in duplum tenditur; quoniam pro nostro bono opere, & hic nobis mentis requies, & illic D gaudia æterna præparantur; Veritate attestante, quæ ait: *Si quis reliquerit domos aut agros, &c. centuplum in hoc seculo recipiet, & in futuro vitam æternam possidebit*. (*Matt. 19. 29. Luc. 18. 30.*) Centenarius quippe numerus decemplicato denario fit perfectus. Hic itaque centuplum recipit, qui etsi nihil habuerit, ipsa tamen perfectione mentis jam in hoc seculo nil habere quærit. Quia ergo per hanc nobis duplum pro simplo redditur, recte hoc volumen per viginti cubitos in longum tenditur, quod per decem dilatatur. Sed quia hæc ipsa sacra eloquia ad æternam damnationem sunt eis qui illa vel scire nolunt, vel certe sciendo contemnunt, recte de hoc volumine dicitur: *Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem universæ terræ*. Et cur maledictio E dicatur, adjungit: *Quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur*. Hypocrita igitur, quia secundum verba Legis, quæ novit, vivere contemnit, & de doctrina favorem quærit, fur judicabitur: quia per hoc quod justa loquitur, laudem sibi vitæ justorum rapit.

CAPUT V.

[Moral. lib. 14. c. 53. n. 63.] PER plumbum cujus natura gravis est ponderis, peccatum avaritiæ specialiter designatur, quod mentem quam infecerit, ita gravem reddit, ut ad appetenda sublimia attolli non possit. [Zach. 5. 5.] Hinc in Zacharia scriptum est: *Leva oculos tuos, & vide quid est quod egreditur. Et dixi, quidnam est? Et dixit: hæc est amphora egrediens.* Volens Deus Prophetæ ostendere genus humanum, ex qua ab eo maxime culpa dilabatur, per imaginem amphoræ quasi patens os avaritiæ designavit: [Ibidem.] avaritia quippe velut amphora est, quæ os cordis in ambitu apertum tenet, & dixit: *Hæc est oculus eorum in universa terra.* Multos obtusi B sensus homines cernimus, & tamen in malis actibus eos astutos videmus, Propheta teste, qui [Jerem. 4. 22.] ait: *Sapientes sunt ut faciant mala.* Hi itaque sensu torpent; sed in his quæ appetunt, avaritiæ stimulis excitantur. Et quia ad bona videnda cæci sunt, excitantibus præmiis ad peragenda mala vigilantes fiunt. Unde recte de hac eadem avaritia [Zach. 5. 6. Ibid. v. 7.] dicitur: *Hæc est oculus eorum in universa terra.* *Et ecce talentum plumbi portabatur.* Quid est talentum plumbi, nisi ex eadem avaritia pondus peccati? *Et ecce mulier una sedens in medio amphoræ:* quam mulierem ne fortasse quæ esset dubitaremus; mox innotuit Angelus. Nam sequitur, & dixit: [Vers. 8.] *Hæc est impietas; & projecit eam in medio amphoræ.* [Ibidem.] Impietas in medio amphoræ projicitur, quia in C avaritia semper impietas tenetur. *Et misit massam plumbi in os ejus.* Massa plumbi in os mulieris mittitur, quia scilicet impietas avaritiæ peccati sui pondere gravatur. Si enim ad ea quæ deorsum sunt non ambiret, erga Deum & proximos impia non existeret. Quid vero de hac visione amphoræ, & mulieris, & plumbi cognovisset, ut latius ostenderet, secutus adjun- [* Num. 64. Ibid. v. 9.] xit: * *Et levavi oculos meos & vidi; & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum.* Quid aliud in his duabus mulieribus accipimus, nisi duo principalia vitia, superbiam videlicet & inanem gloriam, quæ impietati absque dubitatione conjuncta sunt? Quæ & in alis suis spiritum habere narrantur, quia & in actionibus suis D Satanæ voluntati deserviunt. Ipsum quippe spiritum Propheta appellat de quo in Evangelio [Matt. 12. 43.] Dominus dicit: *Cum immundus spiritus exierit ab homine.* Spiritus in alis earum est, quia superbia & inanis gloria per omne quod agunt, Satanæ voluntati famulantur. *Et habebant alas, quasi alas milvi.* Milvus semper naturæ studet insidiari pullorum. Istæ ergo mulieres alas habent, quasi alas milvi: quia actiones earum diabolo sunt similes, qui insidiatur semper vitæ parvulorum. *Et levaverunt amphoram inter cælum & terram.* Superbia & vana gloria habent hoc proprium, ut eum quem infecerunt, in cogitatione sua super ceteros homines extollant; & modo per ambitum rerum, modo per E desiderium dignitatum, quem semel captum tenuerint, quasi in honoris altitudinem elevent. Qui vero inter cælum & terram est, ima deserit, [* Num. 65.] & superiora minime tangit. * Levant igitur istæ mulieres amphoram inter cælum & terram: quia superbia & inanis gloria mentem per avaritium honoris captam ita elevant, ut quoslibet proximos despicientes, quasi ima deserant, & alta gloriantes petant. Sed tales quique, dum superbiunt, & eos mente transeunt cum quibus A sunt, & superioribus civibus minime junguntur. Amphora ergo levata inter cælum & terram dicitur: quia avari quique per superbiam & inanem gloriam proximos juxta se despiciunt, & superiora quæ ultra ipsos sunt non apprehendunt. Inter cælum & terram itaque feruntur: quia nec æqualitatem fraternitatis in infimis per caritatem tenent, nec tamen summa pertingere se extollendo prævalent. *Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me: quo istæ deferunt amphoram? Et dixit ad me: Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar.* [Vers. 10. 11.] Sennaar quippe fœtor eorum dicitur. Sicut bonus odor ex virtute est, ita e contrario fœtor ex vitio. *Radix enim omnium malorum cupiditas.* [1. Tim. 6. 10.] Et quia quodlibet malum per avaritiam B gignitur, dignum est ut domus avaritiæ in fœtore construatur. Sciendum quoque est quod Sennaar latissima vallis est, in qua turris a superbientibus ædificari cœperat, quæ linguarum facta diversitate destructa est; quæ scilicet turris Babylon dicta est, pro ipsa scilicet confusione mentium, & linguarum: nec immerito ibi amphora avaritiæ ponitur, ubi Babylon, id est confusio ædificatur; quia dum per avaritiam & impietatem certum est omnia mala exurgere, recte hæc ipsa avaritia & impietas in confusione perhibentur habitare.

CAPUT VI.

C DE bonis doctoribus per Zachariam Dominus dicit: *Devorabunt & subjicient lapidibus fundæ.* [Moral. lib. 34. cap. 9. Zach. 9. 15.] Quid per fundam, nisi sancta Ecclesia designatur? Funda enim dum in gyrum mittitur, de illa lapides exeunt quibus adversariorum pectora feriuntur. [Ib.] Ita sancta Ecclesia, dum volubilitate temporum, per tribulationum circuitum ducitur, fortes ex illa viri prodeunt, quibus quasi lapideis ictibus iniquorum corda tunduntur. [illegible] Sancti itaque doctores qui ad virtutem alios instruunt; hostes devorant, dum eos intra corpus suum per vim conversationis immutant: quos lapidibus fundæ subjiciunt, quia dum fortes quosque in sancta Ecclesia viros instituunt, per eos adversariorum su- D perbientium pectora dura confringunt. Unde & Golias immanissimus saxo fundæ moritur, quia singulari sanctæ Ecclesiæ lapide diabolica celsitudo superatur.

CAPUT VII.

FRATRES carissimi, ad vitam præteritam mentis oculos reducamus: & quia nos peccasse meminimus, defleamus. [Lib. 2. hom. 8. in Ezech. n. 18 & seq.] Magnus enim Creatoris nostri ad recipiendos fletus humilium misericordiæ sinus. Ubi enim innumerabilium hominum fletus suscepti sunt, ibi locum suum inventuræ sunt & lacrymæ nostræ. Pensemus quid per Zachariam dicitur: *Et erit qui offenderit ex eis* [Zach. 12. 8.] E *in die illa, quasi David, & domus David quasi Dei.* Reversus namque ad justitiam quisque habitatio efficitur Creatoris sui, ut sit sicut Angelus in conspectu ejus: quia misericordiæ viscera quæ in se expertus est, annuntiando & aliis propinat. Hinc etiam paulo post dicitur: *In die illa erit fons patens domus David habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* [Ibid. 13. 1.] * Fons occultus est unigenitus Patris invisibilis Deus; fons vero patens est idem Deus incarnatus. [* Num. [illegible]] Qui fons patens recte domus David dicitur: quia ex David genere Redemtor

tor noster ad nos processit. Jerusalem vero visio pacis interpretatur. Hi autem Jerusalem habitant, qui in visione pacis intimæ mentem figunt. Peccator vero & menstruata est vel is qui delinquit in opere, vel mens quæ labitur in prava cogitatione. Menstruatæ namque ista pollutio est, quia & aliena carne non tangitur, & sua carne inquinatur. Sic itaque sic est omnis anima, quæ & si malum opus non agit, polluta tamen cogitatione sordescit. Unde per Prophetam alium sub Judææ specie de anima immundis desideriis occupata dicitur: *Omnes qui quærunt eam, non deficient*. Cum inferre perditionem cupiunt; & nulla bonæ cogitationis rectitudine repelluntur. Et in menstruis suis animam inveniunt, quando in pollutis cogitationibus positam facile ad perversam operationem trahunt. Dicatur ergo: *In die illa erit fons patens domus David habitantibus Jerusalem in ablutione peccatoris & menstruatæ*: quia apertus est jam nobis fons misericordiæ Redemtor noster, qui in Domo David incarnari dignatus est, ut peccatorem lavet a perverso opere, & menstruatam mentem diluat ab immunda cogitatione. Patet ergo fons; curramus cum lacrymis, lavemur hoc fonte pietatis. In hoc fonte ipse quoque David lotus est, cum rediit ad lamenta pœnitentiæ, post maculam gravis culpæ. Ipsum quippe fontem invenire quærebat, cum diceret: *Redde mihi lætitiam Salutaris tui*. Jesus enim Hebraice Salvator dicitur. Et quid est quod lætitiam Jesu reddi postulabat, nisi quod Jesum ante culpam contemplari consueverat, ejusque contemplationis gaudia in culpa perdiderat? Unde recte post pœnitentiam visionis ejus lætitiam sibi reddi quærebat. In hoc fonte misericordiæ lota est Maria Magdalene quæ prius famosa peccatrix, postmodum lavit maculas lacrymis. In hoc fonte misericordiæ patente lavit Apostolus Petrus quod negaverat, quia flevit amare. In hoc fonte misericordiæ in fine suo lotus est latro; qui seipsum in morte reprehendens a culpa sua ablutus est confessione veritatis. De emundatione ergo nostra non desperemus, cum in hoc fonte pietatis tantos se jam lavasse cognoscimus. Quærere fontem misericordiæ debuimus, etiamsi esset clausus. Patet nunc, & negligimus, & torpentes, & frigidi remanemus: Mittamus oculos fidei in mundum universum, consideremus quanti peccatores diebus & noctibus per lamenta in hoc fonte misericordiæ laventur, quanti post tenebras ad lucem, quanti post maculas ad munditiam redeunt? Consideremus quantum peccavimus, quantum quotidie peccamus. Curramus ad aquam vitæ veniam quærentes, & cum lacrymis fiduciam habentes. Lavemus nos in hoc fonte pietatis, & misericordiæ Jesu Christo Domino nostro, qui vivit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

IN SEQUENTIBUS EXCERPTIS plurimi Psalmorum versus explicantur.

MULTUM a peccatis aliis differunt peccata quæ per judicium & deliberationem, sive per consilium perpetrantur, nec tam prava Dominus quam studia pravitatis insequitur. In factis enim sæpe infirmitate, sæpe negligentia; in studiis vero malitiosa semper intentione peccatur. Quo contra recte beati viri expressione per Psalmistam dicitur: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit*. Cathedra quippe judicis esse, vel præsidentis solet. In cathedra quippe pestilentiæ sedere, est ex judicio prava committere. In cathedra pestilentiæ sedere, est ex ratione mala discernere, & tamen ex deliberatione perpetrare. Quasi in perversi consilii cathedra sedet, qui tanta iniquitatis elatione attollitur, ut implere malum etiam per consilia conetur; & sicut assistentibus turbis prælati sunt qui cathedræ honore fulciuntur, ita delicta eorum qui præcipitatione corruunt, exquisita per studium peccata transcendunt. Hinc ergo colligant qui in culpa etiam se per consilium ligant, qua quandoque ultione feriendi sunt, qui nunc pravorum non socii, sed principes fiunt.

CREATOR omnium Deus, qui in divinitate videri non potuit, assumsit a nobis unde videretur a nobis; & per incarnationis suæ mysterium apparere dignatus est humano generi, quod ab ortu suo diffluit ad mortem, sicut de illo per Psalmistam dicitur: *Et erit tamquam lignum quod plantatum est super decursus aquarum*. Juxta enim decursus aquarum plantatus est, quia juxta lapsus incarnatus est defluentium populorum. Decursus quippe aquarum sunt quotidiani transitus deficientium populorum, & de semetipsa Veritas dicit: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet*. Lignum ergo secus decursus aquarum est, qui fructum & protectionem sui nobis umbraculo proferens, apparuit Creator in carne, ut humanum genus per resurrectionem figeret, quod per defectum quotidie ibat ad mortem.

DE reprobis in die judicii, alii judicantur & pereunt; alii non judicantur & pereunt. Judicantur & pereunt quibus Dominica inclamatione dicitur: *Esurivi & non dedistis mihi manducare, &c.* quibus præmittitur: *Discedite a me maledicti in ignem æternum*: Alii vero non judicantur & pereunt, de quibus Dominus dicit: *Qui non credit, jam judicatus est*, & de quibus Paulus ait: *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*; & de quibus Psalmista dicit: *Non resurgent impii in judicio*. Eos impios vocat, qui aut fidei pietate disjuncti sunt, aut in hoc quod fideliter crediderunt, pravis sibi moribus contradicunt. Resurgent quippe omnes infideles, sed ad tormentum non ad judicium; non enim eorum tunc causa discutitur, qui ad conspectum districti judicis jam condemnatione suæ infidelitatis accedunt: professionem autem fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur ut pereant. Illi saltem verba judicis audiunt; qui ejus fidei verba saltem tenuerunt: isti in damnatione sua, æterni judicis nec verba percipiunt; quia ejus reverentiam nec verbotenus servare voluerunt. Illi legaliter pereunt

eunt, quia sub Lege positi peccaverunt: istis in perditione sua de Lege nihil dicitur, quia nihil habere Legis conati sunt. Princeps namque terrenam Rempublicam regens, aliter punit civem interius delinquentem, & aliter hostem exterius rebellantem. In illo jura sua consulit, eumque sub verbis dignæ invectionis addicit. Contra hostem vero bellum movet, instrumenta perditionis exercet, dignaque ejus malitiæ tormenta retribuit; de malo vero ejus quid lex habeat non requirit, neque enim * necesse est puniri, qui lege numquam potuit teneri. Ita ergo in extremo judicio, & legalis illum invectio percutit, qui ab eo quod professione tenuit actione declinavit; & iste sine judicii invectione perimitur, qui lege fidei non tenetur.

* lege.

Moral. lib. 7 c. 16. n. 19

SCIENDUM est quod aliquando nos adversarius, aliquando nos conterit Deus; ex contritione autem adversarii a virtute deficimus; per contritionem vero Domini fracti a vitiis, in virtute roboramur. Hanc contritionem & percussionem Propheta conspexerat, cum dicebat: *Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli * confringes eos*. In virga ferrea nos Dominus regit, & conterit; quia dispensationis suæ * recti fortitudine cum nos interius reficit, exterius affligit. Nam quo virtutem carnis humiliat, & intentionem spiritus exaltat. Unde & hæc eadem contritio vasi figuli comparatur. Sicut & per Paulum dicitur: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*. Qui simul contritionem & regimen exprimens, ait: *Licet is qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem*.

Psal. 2. 9 * conteres.
* forti rectitudine.
2. Cor. 4. 7
Ibid. n. 16

Moral. lib. 20 c. 3. n. 8

SANCTI viri sic de spe certi sunt, ut tamen semper sint de tentatione suspecti; quippe quibus dicitur: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*. Ut & de spe exultatio, & de suspicione nascatur tremor. Quorum voce iterum Psalmista dicit: *Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum*. Qua in re notandum quod non ait: Lætetur ut securum sit; sed, lætetur ut timeat. Meminerunt namque quamvis eorum actio prosperetur, quia adhuc in hac vita sunt; de qua dicitur: *Tentatio est vita humana super terram*. Meminerunt & metuunt, & positi inter gaudium spei, & tentationis metum, confidunt & timent, confortantur & titubant, certiorantur & suspecti sunt.

Psal. 2. 11
Psal. 85. 11
Job 7. 1

Moral. lib. 5 c. 45. n. 82

SCIENDUM quod alia est ira quam impatientia excitat, alia quam zelus format. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur: hanc iram quia Heli non habuit, motum contra se implacabiliter supernæ ultionis excitavit. Nam quo contra subditorum vitia tepuit, eo contra illum districtio æterni Rectoris exarsit. De hac per Psalmistam dicitur: *Irascimini & nolite peccare*. Quod nimirum non recte intelligunt qui irasci nos nobis tantummodo, non etiam proximis delinquentibus volunt. Si enim sic proximos, ut nos amare præcipimur, restat ut sic eorum erratibus irascamur, sicut nostris vitiis.

Psal. 4. 5

Moral. lib. 35 c. 7. n. 10

CORAM Deo sæpe multorum vita displicet, quæ etiam foris hominibus placet. Hinc est quod Psalmista vigilanter exorat, dicens: *Dirige in conspectu tuo viam meam*, quia nimirum plerumque in conspectu hominum recta via creditur, etiam quæ a veritatis itinere depravatur.

Psal. 5. 9.

* *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*. In Scriptura sacra scuti defensio sæpe pro divina protectione ponitur. Scuto quippe Dominus nos coronare perhibetur, quia quos protegens adjuvat, remunerans coronat.

* Ibid. lib. 33 cap. 18
Ibid. v. 14

PER octavum numerum dies æterni judicii, & carnis resurrectio designatur. Unde Psalmista resurrectionis diem considerans, quia de extremi judicii erat districtione locuturus, præmisit titulum, dicens: *In finem Psalmus David pro octava*. Ut enim quam octavam diceret demonstraret, diem illam tremendi terroris in Psalmi inchoatione secutus est, dicens: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Modo enim quisque per flagella corripitur, & correptionibus emendatur. In mansuetudine corripitur non in ira; in districto autem illo examine omnis argutio & correptio, furor & ira est; quia venia post correptionem non est. * Nunc tempus est misericordiæ, in illo autem judicio dies iræ. In quo videlicet die omne hoc tempus finitur, quod septem diebus evolvitur: & quia post septem dies sequitur, jure octavus vocatur, in quo & caro nostra resurget ex pulvere, ut sive bona sive mala quæ egit, recipiat a veritate.

Lib. 2. hom. 4 in Ezech. num. 3
Psal. 6
Ibid. v. 1
* Lib. 1. hom. num. 8

IN *inferno autem quis confitebitur tibi?* Inferni nomine designatur desperatio peccatoris. Unde scriptum est: *Impius cum venerit in profundum peccatorum, contemnet*.

Psal. v. 6.
Moral. lib. 8 cap. 24
Prov. 18. 3

AD vetustam vitam vitia pertinent, virtutes ad novam. Hinc Psalmista in typo humani generis loquens, inter malignos spiritus deprehensus, dicit: *Inveteravi inter omnes inimicos meos*. A fervore etenim mentis vel inter spirituales inimicos, vel inter carnales quosque proximos ipso aliquomodo vivendi usu veterascimus, & assumtæ novitatis specie fuscamur; qui tamen vetustate quotidie si studia circumspectionis invigilent, orando, legendo, bene vivendo renovamur: quia vita nostra dum lacrymis lavatur, bonis operibus exercetur: sanctis meditationibus tenditur, ad novitatem suam sine cessatione reparatur.

Moral. lib. 19 c. 30. n. 53
Ibid. v. 8

ALIQUANDO per arcum sacra Scriptura signatur: ipsa quippe arcus est * Ecclesiæ, ipsa arcus est Domini. De qua ad corda hominum sicut ferientes sagittæ, sic terrentes sententiæ veniunt. Unde recte per Psalmistam dicitur: *Arcum suum tetendit & paravit illum; & in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit*. Arcum namque suum Dominus tetendit, quia cunctis peccatoribus per Scripturam sacram minas exhibuit. In quo arcu scilicet vasa mortis præparat, quia secundum eloquii sui sententiam eos qui nunc corrigi negligunt reprobos damnat. In quo etiam sagittas suas ardentibus effecit, quia in eos quos per terrorem corrigit, accensas verborum sententias emittit.

Moral. lib. 19 c. 36. n. 55
Psal. 7. 13

HÆRETICI ea adstruunt quæ nequaquam Domino pro quo loquuntur placent: cumque Deum quasi defendere nituntur, offendunt. Unde per Psalmistam dicitur: *Ut destruas inimicum & defensorem*. Omnis quippe hæreticus omnipotenti Deo inimicus & defensor est, quia unde hunc quasi

Moral. lib. 18 cap. 28
Psal. 8. 3

quasi defendere nititur, inde veritati illius adversatur.

Lib. 3. hom. 1 in Ezech. num. 3.

IN Scriptura sacra & ea accipi secundum historiam possunt plerumque quæ spiritaliter intelligenda sunt, ut & fides habeatur in veritate historiæ, & spiritualis intelligentia capiatur de mysteriis allegoriæ. Sicut illud est quod Psalmista ait: *Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, lunam & stellas * quæ tu fundasti.* Ecce enim in exteriori descriptione stat sermo rationis, quia & cæli opera Dei sunt, & luna & stellæ ab eo creatæ & fundatæ sunt. Sed si hoc Psalmista juxta sola exteriora opera, & non etiam secundum intellectum mysticum asseruit: qui cælos opera Dei esse professus est, dicturus lunam & stellas, cur non etiam solem, quem scimus quia ejus opus est, pariter enumeravit? Sed quia juxta intellectum mysticum loquebatur, ut lunam sanctam Ecclesiam, & stellas omnes Sanctos accipere deberemus, solem nominare noluit; quia videlicet ipsi æterno soli loquebatur, de quo scriptum est: *Vobis autem qui timetis Dominum orietur sol justitiæ*; quia non tantum solem & lunam & stellas corporaliter, sed etiam lunam Ecclesiam & stellas Sanctos omnes spiritualiter fecit.

Psal. 8. 4.

Malach. 4. 2.

INCARNATUS unigenitus patris per hoc quod homo factus est, infra Angelos fuit, sicut Psalmista dicit: *Minorasti eum paulominus ab Angelis.* Resurgens autem & ascendens in cælos, omnibus angelicis Potestatibus præsidet. Sicut de eo rursum illic scriptum est: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.*

Psal. 8. 6.

VOlucres cæli & pisces maris, qui perambulant semitas maris. Per pisces maris, curiosos hujus seculi debemus accipere, qui in magnis rerum inquisitionibus, quasi in abditis fluctibus latent. * *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion.* Portæ mortis sunt actiones pravæ quæ ad interitum ducunt. Quia vero Sion speculatio dicitur, portas Sion actiones bonas accipimus, per quas supernam patriam ingredimur, ut regis nostri gloriam contemplemur.

Psal. 9. 15

PAtientia pauperum non peribit in finem. Quasi enim periisse patientia pauperum cernitur, cum nihil pro illa in hac vita humilibus recompensatur. Sed in finem non peribit, quia tunc ejus gloria percipitur, cum simul omnia laboriosa terminantur. Nam pro labore patientiæ bona speranda sunt sequentis vitæ, ut tunc præmium nostri laboris incipiat, quando omnis jam labor cessat.

SUb lingua ejus labor & dolor: sedet in insidiis cum divitibus in occultis. Hoc de Antichristo dictum est. Qui enim non aperte mala quæ cogitat ostendit, laborem & dolorem eorum quorum mortem appetit, non in lingua exerit, sed sub lingua premit. * Propter enim perversa dogmata, sub lingua ejus labor & dolor est; propter miraculorum vero speciem, sedet in insidiis; propter autem secularis potestatis gloriam, cum divitibus in occultis. Quia enim simul & miraculorum fraude, & terrena potestate utitur, & in occultis & cum divitibus sedere perhibetur. * Qui videlicet Antichristus, quia non sola potestate erigitur, sed etiam signorum ostensione fulcitur, recte per eumdem David dicitur: *Insidiatur in occulto, quasi leo in cubili suo.* Quia enim hic antiquus hostis in cunctis viribus suis effrenatur, sævire per utraque permittitur, ut contra electos in certamine, & fraude & virtute laxetur; virtute, per potentiam; fraude, per signa. Recte ergo & leo, & insidians dicitur. Insidians per miraculorum speciem, leo per fortitudinem secularem. Ut enim eos qui aperte iniqui sunt pertrahat, secularem potentiam ostentat; ut vero justos etiam fallat, signis sanctitatem simulat; illis enim suadet elationem magnitudinis, istos decipit ostensione sanctitatis.

IN Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer? Hæc ex voce Ecclesiæ Psalmista dicit. Per montem autem hæreticus quilibet exprimitur. Cum vero fideli animæ, unitate derelicta, in tumenti doctrina confidere hæretici prædicatoris dicitur, deserto Domino quasi in montem transmigrare suadetur.

PAraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. Pharetræ nomine pravorum machinatio designatur. Iniqui ergo cum dolos quos bonis excogitant, secretis machinationibus occultant, quasi in pharetra sagittas ponunt. Et in hac præsentis vitæ caligine velut in obscuro rectos corde feriunt, quia malitiosa eorum jacula, & sentiri per vulnus possunt, & tamen veniententia deprehendi non possunt.

PAlpebræ ejus interrogant filios hominum. Palpebris apertis cernimus: clausis nihil videmus. Per palpebras autem Dei, ejus judicia accipimus, quæ juxta aliquid clauduntur hominibus, & juxta aliquid reserantur, ut homines qui se nesciunt, sibimetipsis innotescant. Quatenus dum quædam intelligendo comprehendunt, quædam vero cognoscere omnino non possunt, eorum corda se latenter inquirant, si illos divina judicia vel clausa non stimulant, vel aperta non inflant. * Claudendo nos interrogant, si non despicimus quæ intelligere non valemus: aperiendo nos interrogant si intelligendo non extollimur.

PLuet super peccatores laqueos; ignis, sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum. Pœna præsens quæ peccatores a pravis desideriis non immutat, nequaquam ab æternis suppliciis liberat. Dicendo itaque laqueos, ignis, sulphur & spiritus procellarum, multos nimirum dolores intulit. Sed quia ab his doloribus peccator qui non corrigitur, ab æterna supplicia vocatur, eosdem dolores non jam totum calicem, sed partem calicis dixit; quia videlicet eorum pars hic quidem per dolores incipitur, sed in ultione perpetua consummatur.

ELoquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum. Quid per argentum, nisi eloquia divina figurantur? Eloquium Domini argentum igne examinatum dicitur, quia sermo Dei si in corde figitur, tribulationibus probatur.

FUnes ceciderunt mihi in præclaris. Per funes aliquando sacra Scriptura hereditarias dimensionum sortes designare consuevit. Funes quippe in

præ-

præclaris cadunt, dum per humilitatem vitæ fortes nos patriæ * meliores excipiunt.

* *melioris.*

Psal. 26. 6. Moral lib. 35 cap. 3.

EGo clamavi, quoniam exaudisti me Deus. Bona desideria quoties effectum percipiunt, ad Deum multipliciora consurgunt. Non enim ait: quia clamavi, exaudisti me; sed, clamavi, quoniam exaudisti me. Qui enim loquens exauditus fuerat, votis proficientibus exauditus clamabat.

Ibidem v. 7 Lib. 2. hom. 6. in Ezech. num. 22

MIrifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te. Tunc nobis misericordiæ Dei miræ fiunt, cum nobis ad memoriam miseriæ nostræ revocantur. Quia recolentes quod fuimus, intelligimus cui debemus quod sumus. Neque enim divinam misericordiam intelligit, qui miseriæ suæ memor non fuerit.

Ibid. v. 9. Moral. lib. 32 cap. 3.

SUb umbra alarum tuarum protege me. Aliquando ab avibus similitudo Domini trahitur. Quia enim nos parvulos, dum protegit, nutrit; & non gravi atque onerosa, sed levi & blanda protectione nos refovet, dum suas in nos misericordias exerit, quasi more super nos avium alas tendit.

Moral lib. 30 cap. 26.

CERTUM est quod minus diligit ereptorem suum, qui minus intelligit periculum quod evasit. Unde bene ereptionem suam Domino tribuens Propheta dicebat: *Diligam te, Domine, virtus mea.* Quasi diceret: Eo te magis diligo, quo infirmitatem propriam sentiens, virtutem meam te esse cognosco. Hinc rursum ait: *Mirifica misericordias tuas*; quia tunc nimirum misericordiæ Domini miræ apud nosmetipsos qui eripimur fiunt, cum per easdem misericordias quam gravia fuerint pericula quæ evasimus cognoscuntur.

Psal. 17. 2. *Psal. 16. 7.*

Psal. 17. 12 Moral lib. 4 cap. 16

POsuit tenebras latibulum suum. Possunt per tenebras designari occulta judicia. In tenebris enim aut omnino nihil cernimus, aut incerto visu caligamus. Occulta ergo judicia, quasi quædam ante oculos nostros tenebræ sunt, quia scrutari nequaquam possunt. * His se tenebris Propheta circumdatum vidit, cum dispositionis intimæ penetrare interna non potuit, dicens: *Posuit tenebras latibulum suum.* Auctor enim noster, quia nobis in hoc exilium dejectis lucem suæ visionis abstulit, sese nostris oculis quasi in tenebrarum latibulo abscondit.

* *Ibid. lib. 5 cap. 7*

Psal. 17. 12 Moral. lib. 17 c. 26. n. 36

TEnebrosa aqua in nubibus aeris. In hoc loco aquam, scientiam; nubes, prædicatores vel Prophetas appellat. Tenebrosa ergo aqua in nubibus aeris, id est occulta scientia in Prophetis, qui ante adventum Domini, dum occultis sacramentis gravidi, mysteria immensa gestarent, intuentium oculis eorum intelligentia caligabat.

Ibid. v. 13 Moral lib. 29 cap. 20.

PRæ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando, & carbones ignis. Præ fulgore nubes transeunt, quia prædicatores sancti universa mundi spatia miraculorum claritate percurrunt. Qui etiam grando & carbones ignis vocati sunt, quia * per correptionem feriunt, & per flammam caritatis accendunt; & sicut grando veniens percutit, liquida rigat, sic ipsi corda audientium, & terrentes feriunt, & blande rigantes infundunt.

* *&.*

Psal. 17. 30 Moral. lib. 26 cap. 44

ET in Deo meo transgrediar murum. Murus quippe est omne quod itineri nostro objicitur, ne ad eum qui diligitur transeatur. Sed murum transgredimur, cum amore supernæ patriæ quæque in hoc mundo fuerint objecta calcamus. Hinc rursum dicitur: *Qui fecit pedes meos tamquam cervorum.* Cervus cum montium juga conscendit, si aspera quæque se objiciunt sentibus illigata, dato saltu transgreditur, & absque ullo cursus sui obstaculo in superioribus elevatur. Ita etiam electorum mentes quæque sibi in hoc mundo obsistere & obviare conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt, & more cervorum despectis terrenarum rerum sentibus in superna se erigunt.

Ibid. v. 34

Psal. 18. 6 Moral. lib. 34 cap. 14

IN sole posuit tabernaculum suum. Propheta per solem manifestæ visionis ostensionem designat, & Dominum cunctorum oculis apparentem denuntiat. Ac si diceret: Humanitatis assumtæ sacramentum in lumine manifestæ visionis ostendit. * *Et ipse tamquam Sponsus procedens de thalamo suo.* Tamquam Sponsus quippe de thalamo suo processit, quia ad conjungendam sibi Ecclesiam incarnatus Dominus de incorrupto utero Virginis exivit.

Ibidem * *Lib. 1. hom. 8 in Evang. num. 5*

Moral. lib. 12 c. 40. n. 47

INTER scelera & delicta hoc distat, quod scelus etiam pondus peccati transit; delictum vero pondus peccati non transit: quia & cum offerri sacrificium per legem jubetur, nimirum præcipitur, sicut pro peccato, ita etiam pro delicto; & numquam scelus nisi in opere est, delictum vero plerumque in sola cogitatione. Unde per Psalmistam dicitur: *Delicta quis intelligit?* quia videlicet peccata operis tanto citius cognoscuntur, quanto exterius videntur, peccata vero cogitationis eo ad intelligendum difficilia sunt, quo invisibiliter perpetrantur. Inter iniquitatem vero & peccatum quamvis distare nihil perhibeat Johannes Apostolus, qui ait: *Iniquitas peccatum est*; ipso tamen usu loquendi plus iniquitas quam peccatum sonat: & omnis homo se libere peccatorem fatetur, iniquum vero dicere se nonnumquam erubescit.

Psal. 18. 13 *1. Johan. 3. 4*

Lib. 2. hom. 8 in Ezech. num. 17

SUNT quidam qui etiam seculum relinquentes, totum quod habent Deo offerunt, sed tamen in bonis quæ agunt minime compunguntur: & bonum quod agunt holocaustum est, sed quia flere ac semetipsos dijudicare nesciunt, seque ex amore ad lacrymas non accendunt, perfectum eorum holocaustum non est. Hinc per Psalmistam dicitur: *Et holocaustum tuum pingue fiat.* Holocaustum quippe siccum, est bonum opus quod orationis lacrymæ non infundunt. Holocaustum vero pingue est, quando hoc quod bene agitur, corde humili etiam per lacrymas irrigatur. Unde rursum dicitur: *Holocausta medullata offeram tibi.* Quisquis enim bonum opus agit, sed ex omnipotentis Dei amore & desiderio flere nescit, holocaustum habet, sed medullam in holocausto non habet. Qui vero bona operatur, & visioni jam sui Creatoris inhiat, & ad æternæ contemplationis gaudia pervenire festinat, seque ipsum ex amore quo accenditur in fletibus mactat, holocausta Domino dedit medullata. Studendum ergo nobis est & mala funditus relinquere, & bona quæ sufficimus operari, & in ipsis bonis quæ agimus amore * Dei compungi.

Psal. 19. 4 *Psal. 65. 15*

* *æterni luminis.*

Moral lib. 15 cap. 29

SCIENDUM quod omnes reprobi, quia anima simul & carne peccaverunt, in inferno retributionem cruciatus in anima pariter & carne * recipiunt, quia & cogitando miseri & operando deliquerunt. Nam per Psalmistam dicitur: *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus in*

* *Ibid. lib 6. cap. 10* *Psal. 20. 10*

ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis. Quod enim ab igne devoratur, ab exteriori parte accenditur; clibanus vero interius inflammatur. In tempore ergo vultus Domini injusti omnes * ut cliba nus ponuntur, & ab igne devorantur: quia apparente judice cum a visione illius eorum multitudo repellitur, & intus per * dolorem ardet conscientia, & foris carnem cruciat gehenna.

* &. — * desiderium.

Moral. lib. 20 cap. 31. — * *persecutionibus.* — *Psal. 21. 3.* — * *Ibid. l. 20 c. 19.* — * *Ibid. l. 20. c. 31.*

ALTO consilio Deus omnipotens cum Sancti ejus adversariorum * percussionibus comprimuntur, cumque assiduis ut liberentur interpellationibus clamant, solet differre voces petentium, ut merita patientium crescant. Hinc enim Psalmista dicit: *Deus meus clamabo per diem nec exaudies, & nocte*. Atque ipsa utilitas de exaudiendi mora mox subditur: *Et non ad insipientiam mihi*. Ac si diceret: * Nequaquam mihi ad insipientiam proficit quod die & nocte clamantem me continuo non exaudis, quia unde me in temporali tribulatione quasi deseris, inde ad æternam sapientiam plus erudis. * Ad multiplicandam quippe Sanctorum sapientiam proficit, quod postulata tarde percipiunt, ut ex dilatione crescat desiderium, ex desiderio intellectus augeatur; intellectus vero cum intenditur, ejus in Deum ardentior affectus aperitur: affectus autem ad promerenda cælestia tanto fit capax, quanto fuerit expectando longanimis. * Hinc etiam dicitur: *Adjutor in opportunitatibus in tribulatione*. Tribulationem quippe dicturus, opportunitates præmisit: quia sæpe & tribulatione conterimur, & tamen opportunum nondum est ut ad desiderium ereptionis adjuvemur. * Nemo ergo qui tardius auditur, credat quod a superna cura negligatur.

Psal. 9. 10. — * *Ibid. lib. 26. c. 19.* — * *Ibid.*

Psal. 21. 16. Moral. lib. 3 cap. 18.

E*xaruit velut testa virtus mea*. Testa quippe est caro nostri Redemtoris ex nostræ substantiæ luto sumta. Quia vero testa igne solidatur, virtus humanitatis ejus velut testa exaruit, quia ad virtutem incorruptionis ab igne passionis crevit, & assumtam carnem ad resurrectionis gloriam, passionis tribulatio ignis roboravit. * *In conspectu ejus procident omnes qui descendunt in terram* In terra mortui non spiritu, sed corpore descendunt. In conspectu ergo Domini procidunt qui in terram descendunt, quia resurgendo ad iudicium veniunt, qui in pulvere putrescunt. * *Impinguasti in oleo caput meum*; quia principale nostrum est mens, appellatione capitis mens vocatur. Ac si aperte diceretur: Arentem in suis cogitationibus mentem meam, caritatis unctione rigasti.

Psal. 21. 30. Lib. 2. hom. 8. in Ezech. hom. 6. — *Psal. 22. 5.* — * *Moral. lib. 35. c. 14. n. 26*


Psal. 23. 4. Moral. lib. 9 cap. 29.

QUI *non accepit in vano animam suam*. In vano animam suam accipit, qui ejus vitam negligens, ei curam carnis anteponit; qui sola præsentia cogitans, quæ sequantur in perpetuum non attendit. Sed animam suam in vanum justi non accipiunt, quia intentione continua ad ejus utilitatem referunt quidquid corporaliter operantur; quatenus & transeunte opere, operis causa non transeat, quæ vitæ præmia post vitam parat.

Moral. lib. 30 c. 14. n. 28

NECESSITATES naturales hoc habere valde periculosum solent, quod sæpe in eis minime discernitur quid circa illas per utilitatis studium, & quid agatur per voluptatis vitium. Crebro enim occasione seductionis inventa, dum necessitati debita reddimus, voluptatis vitio deservimus, & infirmitatis velamine ante discretionis oculos excusatio nostra se palliat, & quasi sub patrocinio explendæ utilitatis occultat. * Quas videlicet necessitates cupiebat evadere, qui dicebat: *De necessitatibus meis eripe me*. Sciebat enim plerumque voluptatum culpas ex necessitatum occasione prorumpere; & ne quid sponte illicitum admitteret, hoc ipsum satagebat evelli quod dolens ex radice tolerabat. * Sancti enim viri in omne quod agunt solliciti sunt, ne quid plus ab eis naturæ suæ infirmitas quam sibi debetur exigat, ne sub necessitatis tegmine in eis vitium voluptatis excrescat.

* *Ibid. Psal. 24. 18* — * *Ibid.*



SANCTI PATERII
DE EXPOSITIONE VETERIS AC NOVI TESTAMENTI.

PARS TERTIA.

LIBER PRIMUS.

Capitula sumta ex Evangelio secundum Matthæum.

1* 12. *ET post transmigrationem Babylonis*, j.
20. *Quod in ea natum est*, ij.
3 10. *Jam securis ad radicem*, iij.
3 17. *In quo mihi bene complacui*, iv.
4 1. *Ductus est Jesus in desertum*, v.
5 2. *Aperiens os suum*, vj.
5 3. *Beati pauperes spiritu*, vij.
5 15. *Neque accendunt lucernam*, viij.
5 16. *Videant opera vestra bona*, ix.
Idem, x.
5 17. *Nolite putare, quoniam veni solvere*, xj.
5 12. *Audistis quia dictum est antiquis, non occides*, xij.
5 22. *Qui irascitur fratri suo*, xiij.
5 23. *Si offers munus tuum ad altare*, xiv.
Idem, xv.
5 27. *Non adulterabis: ego autem dico vobis*, xvj.
5 44. *Diligite inimicos vestros*, xvij.
6 1. *Attendite, ne justitiam vestram*, xviij.
Idem, xix.
6 2. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*, xx.
Idem, xxj.
6 6. *Intra in cubiculum tuum*, xxij.
6 10. *Fiat voluntas tua*, xxiij.
6 11. *Panem nostrum quotidianum*, xxiv.
6 15. *Nisi remiseritis hominibus*, xxv.
6 22. *Si oculus tuus fuerit simplex*, xxvj.
Idem, xxvij.
6 33. *Quærite primum regnum Dei*, xxviij.
6 34. *Nolite solliciti esse in crastinum*, xxix.
7 3. *Quid autem vides festucam*, xxx.
7 12. *Quæ vultis ut faciant vobis*, xxxj.
Idem, xxxij.
7 13. *Intrate per angustam portam*, xxxiij.
Idem, xxxiv.
7 16. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, xxxv.
7 22. *Multi dicent in die illa*, xxxvj.
Idem, xxxvij.
Idem, xxxviij.
7 23. *Nescio vos unde sitis, discedite*, xxxix.
7 29. *Erat enim docens, sicut potestatem*, xl.
8 20. *Vulpes foveas habent*, xlj.
8 22. *Sine mortuos sepelire*, xlij.
8 29. *Quid nobis & tibi, fili Dei*, xliij.
8 31. *Si ejicis nos, mitte nos*, xliv.
9 6. *Vade in domum tuam*, xlv.
Surge, tolle lectum tuum, xlvj.
9 17. *Vinum novum in utres novos*, xlvij.
9 25. *Et cum ejecta esset turba*, xlviij.
10 16. *Estote prudentes sicut serpentes*, xlix.
Idem, l.
10 27. *Quod dico vobis in tenebris*, lj.
Idem, lij.
10 41. *Qui recipit Prophetam*, liij.
11 7. *Quid existis videre*, liv.
Idem, lv.
11 12. *A diebus Johannis Baptistæ*, lvj.
11 21. *Si in Tyro & Sidone*, lvij.
11 28. *Venite ad me omnes*, lviij.
Idem, lix.
12 20. *Calamum quassatum non conteret*, lx.
12 36. *Omne verbum quod locuti fuerint*, lxj.
Idem, lxij.
12 45. *Cum spiritibus septem redit*, lxiij.
13 6. *Orto sole aruerunt*, lxiv.
13 9. *Qui habet aures audiendi*, lxv.
13 22. *Fallacia divitiarum suffocat verbum*, lxvj.
13 30. *Colligite zizania*, lxvij.
13 47. *Simile est regnum cælorum sagenæ*, lxviij.
14 16. *Date illis vos manducare*, lxix.
Idem, lxx.
15 14. *Si cæcus cæco ducatum*, lxxj.
16 23. *Non enim sapis quæ Dei sunt*, lxxij.
16 24. *Si quis vult venire post me*, lxxiij.
Idem, lxxiv.
17 2. *Vestimenta ejus facta sunt*, lxxv.
17 4. *Faciamus hic trista tabernacula*, lxxvj.
17 11. *Elias quidem venturus est*, lxxvij.
Idem, lxxviij.
17 24. *Reges terræ a quibus accipiunt*, lxxvix.
18 6. *Qui scandalizaverit unum*, lxxx.
Idem, lxxxj.
18 24. *Oblatus est ei unus*, lxxxij.
Qui debebat ei decem millia, lxxxiij.
19 11. *Non omnes capiunt verbum hoc*, lxxxiv.
19 24. *Facilius est camelum*, lxxxv.
19 28. *In regeneratione cum sederit filius*, lxxxvj.
Idem, lxxxvij.
19 29. *Centuplum accipiet*, lxxxviij.
Idem, lxxxix.
20 22. *Potestis bibere calicem quem ego*, xc.
Idem, xcj.
20 23. *Calicem quidem meum bibetis*, xcij.
20 30. *Duo cæci sedentes secus viam*, xciij.
21 8. *Vestimenta sua straverunt*, xciv.

* Hi numeri indicant Caput & Versum Evangelii secundum Matthæum.

Mutant quippe fortitudinem, quia fortes student A esse in spirituali opere, qui dudum fortes fuerant in carne. * Et conversi tanta virtute præsens seculum fugiunt, quanta hoc ante quæsierunt. Assumunt autem pennas ut aquilæ, quia contemplando volent: currunt & non laborant, quia velocibus magna celeritate prædicant. Ambulant, & non deficient, quia intellectus sui velocitatem retinent, ut tardioribus condescendant.

CAPUT LVI.

Job. 1 hom. 20 in Evang. c. 10. & 13.

CUM pauci sint qui spiritualia dona percipiont, & multi qui rebus temporalibus abundant, per hoc se divites pauperum virtutibus inserviunt, quo eisdem sanctis pauperibus de B suis divitiis * solatium tribuunt. Unde cum per Isaiæ vocem Dominus derelictæ Gentilitati, id est sanctæ Ecclesiæ spiritualium virtutum merita tamquam deserto arbusta promitteret, ulmum pariter promittit: dicens: *Ponam desertum in * stagnum aquæ, & terram inviam in rivos aquarum.* Desertum quippe Dominus in stagna aquarum posuit, & terram inviam in rivos aquarum: quia Gentilitati, quæ prius per ariditatem mentis nullos bonorum operum fructus ferebat, fluenta sanctæ prædicationis dedit, & ipsa ad quam prius pro asperitate suæ siccitatis via prædicatoribus non patebat, doctrinæ postmodum rivos emanavit. *Dabo in solitudine cedrum & spinam, myrtum & lignum olivæ.* Per cedrum, quia magni odoris est, & imputribilis naturæ, significantur ii qui virtutes exhibent, & signa in sua operatione, qui dicere cum Paulo valent: *Christi boni odor sumus Deo:* quorum corda * in æterno amore solidata sunt, ut ea * jam terreni amoris putredo nulla corrumpat. Per spinam signati sunt * spirituales viri, qui dum de peccatis & virtutibus disserunt, & modo æterna supplicia minantur, modo cælestis regni gaudia promittunt, corda audientium pungunt, sicque mentem dolore compunctionis perforant, ut ab eorum oculis, quasi quidam sanguis animæ lacrymæ decurrent. Per myrtum vero quæ temperativæ virtutis est, ita ut dissoluta membra temperando constringat, signati sunt qui afflictionibus proximorum compati sciunt, eorumque tribulationem per compassionem temperant. Qui dum afflictis proximis verbum, vel opem consolationis ferunt, eos ad statum rectitudinis * perstringunt, ne immoderata tribulatione in desperatione solvantur. Per olivam autem misericordes accipimus. Græce enim ἔλεος, misericordia vocatur, & quasi olivæ liquor ante omnipotentis Dei oculos misericordiæ fructus lucet. Cui adhuc in promissione subjungitur: *Ponam in deserto abietem, ulmum & buxum simul.* Qui per abietem, quæ valde crescendo ad aeris alta sustollitur, nisi ii designati sunt, qui intra sanctam Ecclesiam adhuc in * terris corporibus positi, contemplando tamen celestia jam juxta æthera verticem mentis tollunt? Et quid per ulmum, nisi secularium mentes expressæ sunt, quæ dum terrenis adhuc curis inserviunt, nullum spiritualium virtutum fructum ferunt? Sed etsi fructum proprium ulmus non habet, portare tamen vitem cum fructu solet: quia & seculares viri intra sanctam Ecclesiam, quamvis spiritualium virtutum dona non habeant, dum tamen sanctos viros donis spiritualibus plenos

sua largitate sustentant; quid aliud quam vitem cum botris portant? Buxus vero quæ alios designat, quæ in altum non proficit, & quamvis fructum non habeat, viriditatem tamen habet; nisi eos qui intra sanctam Ecclesiam adhuc ex ætatis infirmitate bona opere ferre non valent, sed tamen parentum fidelium credulitatem sequentes, fidem perpetuæ viriditatis tenent? Post quæ omnia recte subjungitur: *Ut videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter.* Ad hoc enim cedrus in Ecclesia ponitur; ut quisquis e proximo odorem virtutum spiritualium trahit, ipse quoque in æternæ vitæ dilectionem non torpeat, sed ad donorum cælestium desideria ignescat. Ad hoc spina ponitur; ut qui prædicationis ejus verbo compunctus fuerit, ipse quoque exemplo illius discat corda sequentium prædicationis verbo compungere. Ad hoc myrtus ponitur; ut qui in ardore tribulationis ab ore, vel opere proximi compatientis temperamentum consolationis acceperit, ipse etiam discat quemadmodum proximis suæ consolationis temperamentum proferat. Ad hoc oliva ponitur; ut qui alienæ opera misericordiæ cognoscit, discat quemadmodum debeat indigenti proximo & ipse misereri. Ad hoc abies ponitur; ut quisquis vim contemplationis ejus agnovit, ipse quoque ad contemplanda præmia æterna succendatur. Ad hoc ulmus ponitur; ut quisquis intuetur eum qui habere fructum virtutum spiritualium non valet, si tamen eos qui spiritualibus donis sunt pleni sustentat, ipse quoque Sanctorum vitæ quanta valet largitate inserviat, & cælestium botros, quos gignendo non valet, sustinendo ferat. Ad hoc buxus ponitur; ut qui habere multos adhuc in infirmitate positos veræ fidei viriditatem considerat, ipse etiam esse infidelis erubescat. Bene ergo descriptis prius arboribus dicitur: *Ut videant & sciant, & recogitent & intelligant pariter;* quia dum intra sanctam Ecclesiam diversi hominum mores, diversi sint ordines; necesse est ut omnes discant simul, dum in ea spirituales viri diversæ qualitatis, ætatis, & ordinis ad imitandum simul videntur.

Ibid. v. 20.

CAPUT LV.

Moral. lib. ... c. 5. v. 7. Isa. 42. 3.

D JUDÆORUM regnum calamo comparatur, cum per Isaiam, apparente in veritate carnis Domino, dicitur: *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Quid hoc loco calami nomine, nisi Judaici populi temporale regnum denuntiat, nitens quidem exterius, sed interius vacuum? Et quia in eodem populo genus jam regale defecerat, & regnum ejus ab alienigena possidebatur, apte hoc idem regnum quassatum calamum vocat. Quid vero per linum, nisi ejus Sacerdotium exprimitur, quod lineis vestibus utebatur? Quod quia in adventu Domini caritatis ardorem perdidit, quasi amisso jam igne fidei, non ardens, sed fumigans E fuit. Incarnatus autem Dominus calamum quassatum non confregit, & linum fumigans non extinxit: quia Judææ regnum quod pene destructum jam fuerat, ejusque Sacerdotium quod ignem fidei non tenebat, non potestate judicii percussit, sed cum patientiæ longanimitate toleravit.

Isa. 41. 19. * stagna aquarum. — Ibid. v. 19. — 2. Cor. 2. 15. * ita. * eadem. * doctrinæ spiritualis. — * colligunt. — Isa. ibid. — * terrenis. — * solatiantur.

a Hæc Italico charactere emissa non sunt apud S. Greg. Verum præmonuimus Paterium multa & detrahere & addere Gregoriano textui.

CA-

CAPUT LVI.

Moral. lib. 9 c. 23. n. 35. DEUS in judicio districte peccatoribus inferet pœnas; quorum in hoc seculo diu tacitus pertulit culpas. Quod breviter per Isaiam
Isai. 42. 14. insinuat, dicens: *Tacui, semper silui, patiens fui; sicut parturiens loquar*. Parturiens namque cum dolore ejicit quod diu in abditis cum pondere portavit.
*Mor. lib. 10 c. 31. n. 54. * Post longum ergo silentium sicut parturiens Dominus loquitur: quia venturus judex, qui sine ultione diu * peccata hominum pertulit, quandoque cum fervore examinis, quasi cum dolore mentis, quantæ animadversionis sententiam intus fervaverit ostendit: * & quod apud se nunc tacitus tolerat, in ultione quandoque judicii quasi cum dolore manifestat.

* facta.

* Lib. 9. c. 23 num. 35.

CAPUT LVII.

Moral. lib. 27 c. 43. n. 71. CONVERSIS ad fidem Gentibus, Judæa contradicens eos suscipere dedignatur ad cælestium præmia retributionum, qui dudum fuerant cultores idolorum; sicut Petro dicitur
Act. 11. 3 post conversionem Gentilium: *Quare introisti ad viros præputium habentes, & comedisti cum eis?*
Isa. 43. 6 Quo contra per Isaiam Dominus dicit: *Dicam Aquiloni, da; & Austro; noli prohibere*. Per Aquilonem peccati frigore constricta Gentilitas, per Austrum Judæa signatur: quæ quasi meridiano sole incaluit: quia Redemtore in carne apparente, fervorem fidei prima suscepit. *Aquiloni* ergo, *da*, dicitur: cum offerre Deo suæ fidei munera Gentilitas imperatur. Austro vero * dicitur, ne prohibeat: quia Hebræis in fide consistentibus præcipitur, ne vitam Gentium repellendo condemnent.

* jubetur.

CAPUT LVIII.

Moral. lib. 31 c. 8. n. 11 APERTAM malorum pravitatem & hypocritarum simulationem, se conversurum Dominus pollicetur, cum per Isaiam Dominus dicit:
Isa. 43. 20 *Glorificabunt me bestiæ agri, dracones & struthiones*. Qui enim draconum nomine, nisi in aperto malitiosæ mentes exprimuntur, quæ per terram semper * infirmis cogitationibus repunt? Qui vero per struthionum vocabulum, qui pennas quasi volatum habent, sed a terra volando elevare non valent; nisi hi qui se bonos simulant designantur; qui sanctitatis vitam, quasi volatus pennam per speciem retinent, sed per opera non exercent? Glorificari itaque se Dominus a dracone vel struthione asserit: quia & aperte malos, & ficte bonos plerumque ad sua obsequia ex intima cogitatione convertit. Vel certe bestiæ agri, id est dracones & struthiones, Dominum glorificant; cum fidem, quæ in illo est, ea quæ in hoc mundo dudum membrum diaboli fuerat, Gentilitas exaltat: quam & propter malitiam draconum nomine exprobrat, & propter hypocrisim vocabulo struthionum notat. Quasi enim pennas accipit Gentilitas, sed volare non potuit; quæ & naturam habuit rationis, & actionem rationis ignoravit.

* in infimis.

CAPUT LIX.

Moral. lib. 33 c. 5. n. 11 SALICES tantæ sunt viriditatis, ut arescere vel radicitus abscissæ & projectæ vix possint. Unde in sacro eloquio salicum nomine, aliquando boni designantur pro viriditate. Nisi enim electorum vitam per constantiam suæ viriditatis exprimerent, nequaquam de sanctæ filiis Ecclesiæ dixisset Isaias: *Germinabunt inter herbas sicut salices juxta præterfluentes aquas*. Isa. 44. 4 Sanctæ enim Ecclesiæ filii inter herbas sicut salices germinant, dum inter arescentem vitam carnalium hominum, & multiplici numerositate, & perpetua mentis viriditate perdurant. Qui bene juxta præterfluentes aquas germinare perhibentur: quia unusquisque eorum ubertatem ad fructum percipit ex doctrina sacri eloquii quam temporaliter percurrit.

CAPUT LX.

CUm non sint a Domino creata mala, quæ nulla sua subsistunt natura, quid est quod Isaias Moral. lib. 3 c. 9. n. 15 dicit: *Ego Dominus & non est alter; formans* Isa. 45. 9 *lucem, & creans tenebras; faciens pacem, & creans mala?* sed creare se mala Dominus indicat, cum res bene conditas nobis male agentibus in flagellum format: ut ea ipsa & per dolorem quo feriunt delinquentibus mala sint; & per naturam qua existunt, bona. Unde & venenum mors quidem est homini, & tamen vita serpenti. Amore enim præsentium ab * actoris nostri dilectione recedimus; & perversa mens, dum dilectioni creaturæ se subdit, a Creatoris societate disjungit. Ex his ergo feriendi est ab actore, quæ errans actori præposuit: ut unde culpam homo non timet superbus admittere, inde pœnam corrigendus inveniat: & tanto citius resipiscat ad illa quæ perdidit, quanto doloris plena esse conspicit quæ quæsivit. Unde bene dicitur: *formans lucem & creans tenebras*; quia cum per flagella exterius doloris tenebræ creantur, intus per eruditionem lux mentis accenditur. *Faciens pacem & creans mala*: quia tunc nobis pax cum Deo redditur, cum hæc quæ bene sunt condita sed non bene concupita, in ea quæ nobis mala sunt flagella vertuntur. Per culpam quippe Deo discordes existimus. Dignum ergo est ut ad pacem illius per flagella redeamus; ut cum unaquæque res bene condita nobis in dolorem vertitur, correcti mens ad auctoris pacem humiliter reformetur.

* auctoris.

CAPUT LXII.

HYPOCRITÆ cor suum exterius in humanis laudibus fundunt, Sanctosque se esse Moral. lib. 26 c. 41. n. 61 non quia ita vivunt, sed quia ita dicuntur, credunt. Quibus bene per Isaiam dicitur: *Redite* Isa. 46. 8 *prævaricatores ad cor*. Si enim ad cor redirent, per exterioris attestationis verba se non funderent. Nam quid vicinius est nobis corde nostro, quod intra nos est? Et tamen cum per pravas cogitationes spargitur, a nobis cor nostrum longius evagatur. Longius ergo Propheta prævaricatorem * vidit, cum eum ad cor suum redire compellit: quia quo se exterius fudit, eo ad se unde possit redire vix invenit: quia enim ab una æternitatis intentione dividitur, cogitationum multiplicium inundatione vastatur.

* misit.

CAPUT LXII.

SUB Babylonis specie per Isaiam menti reprobæ dicitur: *Descende, sede in pulvere, virgo filia* Moral. lib. 6 c. 16. n. 24. *Babylon; sede in terra*. Isa. 47. 1 Hoc loco humana mens virgo, non incorrupta, ut arbitror, dicitur, sed in-

secunda, Et quia Babylon confusio interpretatur, recte infecunda mens Babylonis filia vocatur: quæ in eo quod nequaquam bona opera germinat, dum nullo ordine rectæ vitæ componitur, quasi confusione matre generatur. Sin autem virgo non infecunda, sed incorrupta dicitur: postquam statum salutis perdidit, ad confusionis suæ cumulum appellatur quod fuit. Cui apte per interpretationem divina voce dicitur, *descende*: in alto quippe humana mens stat, quando supernis retributionibus inhiat; sed ab hoc statu descendit, cum turpiter sese victa defluentibus mundi desideriis subjicit. Cui additur, *Sede in pulvere*.* Quid per pulverem, nisi terrenas cogitationes debemus accipere, quæ dum importunæ & silenter in mente evolant, ejus oculos excæcant? Descendens itaque in pulvere resedit: quia cælestia deserens, terrenis cogitationibus aspersa, in infimis vilescit; ubi adhuc subjungitur, *sede in terra*: Quid per terram, nisi terrena actio designatur?* Ac si aperte exprobrans dicat: Quia cælesti conversatione noluisti te erigere; sub temetipsa prostrata, in terrenis actibus humiliare. Prius ergo in pulvere, & postea in terra sedere præcipitur: quia pravorum mens quæ ab internæ rectitudinis judicio descendit, prius ad prava cogitanda dejicitur; & postmodum ad facienda prosternitur. Sequitur: *Non est solium filiæ Chaldæorum*. Chaldæi feroces interpretantur. Valde autem feroces sunt, qui voluntates proprias sequentes, nec suis parcere mortibus sciunt. Ferocia sunt terrena desideria; quæ non solum contra Conditoris, sed sæpe etiam contra percussionum verbera duram & insensibilem mentem reddunt. Sed filia ferocium solium non habet, quia mens quæ ad amorem mundi ex pravis desideriis nascitur, & eisdem desideriis obduratur; in eo quod se terrenis concupiscentiis subjicit, sedem judicii amittit; nullique apud se solio præsidet, quia examine discretionis caret: & quasi a judicii sui sessione repellitur, quia per exteriores concupiscentias vagatur. Liquet enim quod mens quæ intus consilii sedem perdidit, foras se per desideria innumerabilia spargit: & quia agere intellecta dissimulat, cæcatur recte etiam ut nesciat quid agat: & sæpe justo judicio in sua voluntate relinquitur, & sub ea quæ anxie appetit laboriosissima mundi ministeria relaxatur. Unde apte illic subditur: *Quia ultra non vocaberis mollis & tenera: tolle molam & mole farinam*. Constat nimirum quod teneræ suæ filiæ parentes parcunt, nec duris & servilibus hanc operibus affligunt. Omnipotens ergo Deus quasi teneram filiam vocat, quando dilectam uniuscujusque animam a laboriosis hujus mundi servitiis revocat: ne dum exterioribus actibus afficitur, ab internis desideriis induretur. Sed Chaldæorum filia mollis & tenera non vocatur: quia mens pravis desideriis dedita, in eo quem anxie appetit, hujus seculi labore relinquitur, ut foris mundo velut ancilla serviat, quæ intus Deum ut filia nequaquam amat. Unde & molam tollere, & farinam molere jubetur. Mola in gyro ducitur & farina profertur. Unaquæque vero mundi hujus actio mola est; quæ dum multas curas congerit, humanas mentes quasi per gyrum vertit: atque ex se velut farinas projicit, quia seducto corde semper minutissimas cogitationes gignit. Nonnumquam vero qui quietus alicujus esse meriti credituri, positus in qualibet actione denudatur. Unde protinus subinfertur: *Denuda turpitudinem tuam; discooperi humerum, revela crus, transi flumina*. In administratione quippe operis turpitudo denudatur; dum vilis mens abjectaque in actionis ostentatione cognoscitur, quæ quieta prius magna putabatur. Humerum mens discooperit, quando opus suum quod ignorabatur, ostendit. Crus revelat, quia quibus desideriorum passibus lucris mundi inhiet, manifestat. Flumina etiam transit, quia actiones hujus seculi quæ quotidie ad terminum defluunt, indesinenter appetit: dumque alias relinquit, alias assequitur, quasi semper de flumine ad flumen tendit.

* Moral. lib. 14. c. 17. n. 21

* Ibid. lib. c. 15. n. 25

Ibid.

Ibid.

CAPUT LXIII.

OMNIPOTENS Deus qui nulla peccatorum vincula quibus constringeretur pertulit, in infernum liber ut ligatos solveret venit, & in inferni profundum electorum suorum animas erepturus intravit. Unde per Isaiam dicitur: *Posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati*. Si mare, divini more eloquii, seculum debet intelligi, nihil prohibet profundum maris inferni claustra sentiri: hoc namque profundum maris ante Redemtoris adventum non via, sed carcer fuit: quia in se etiam bonorum animas quamvis non in locis pœnalibus clausit. Quod tamen profundum Dominus viam posuit, quia illuc veniens electos suos a claustris inferi ad cælestia redire concessit. Unde & apte dicitur: *ut transirent liberati*.

Moral. lib. 29. c. 15. n. 25.

Isa. 51. 10.

CAPUT LXIV.

NOS, fratres carissimi, viam in nobis malignis spiritibus damus, cum terrena concupiscimus, cum ad temporalia appetenda curvamur. Hinc Isaias de immundis spiritibus dicit: *Qui dixerunt animæ * meæ, incurvare ut transeamus*. Recta quippe stat anima cum superna desiderat, & nequaquam flectitur ad ima: sed maligni spiritus, cum hanc stare in sua rectitudine conspiciunt, per eam transire non possunt. Transire namque eorum est immunda illi desideria spargere. Dicunt ergo: *incurvare ut transeamus*, quia si ipsa se ad ima appetenda non dejicit, contra hanc illorum perversitas nullatenus convalescit; & transire per eam nequeunt, quam contra se rigidam in superna intentione pertimescunt. Pudeat ergo, fratres, terrena concupiscere, & dorsa mentium ascendentibus adversariis præbere.

Lib. 2. Ho. 39 in Evang. n. 7. 8

Isa. 51. 23. * tuæ.

CAPUT LXV.

NULLA Rector immunditia debet pollui, qui hoc suscepit officii ut in * aliis quoque tergat maculas pollutionis. Hinc per Isaiam dicitur: *Mundamini, qui fertis vasa Domini*. Vasa Domini ferunt, qui proximorum animas ad interna sacraria perducendas in suæ conversationis fide suscipiunt. Apud seipsos ergo quantum debeant mundari conspiciant, qui ad æternitatis templum vasa viventia in * sinum propriæ sponsionis portant.

In Pastor. 2. part. c. 2. * alienis quoque cordibus. Isa. 52. 11

* sinu.

CAPUT LXVI.

PER Isaiam sanctæ Ecclesiæ dicitur: *Ad dexteram, & ad lævam dilataberis; & semen tuum Gentes hereditabit*. * Intrante quippe multitudine Gentium ad dexteram extenditur, dum quosdam

Moral. 25. c. 8. n. 21. Isa. 54. 3 * In tantis.

dam justificandos suscipit: ad lævam quoque dilatatur, cum ad se quosdam etiam in iniquitate permansuros admittit.

CAPUT LXVII.

Moral lib. 18 c. 13. n. 52. Isa. 54. 11.

VENIENTI Ecclesiæ per Isaiam Dominus pollicetur, dicens: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphyris, & ponam jaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles: universos filios tuos doctos a Domino.* Stravit in sancta Ecclesia per ordinem lapides, quia in ea sanctas animas meritorum diversitate distinxit. Fundavit eam in saphyris, qui scilicet lapides coloris aerii in se similitudinem tenent; quia robur Ecclesiæ in animabus cælestia appetentibus solidatur. Et quoniam jaspis viridis est coloris, jaspidem propugnacula ejus posuit: quia illi contra adversarios pro sanctæ Ecclesiæ defensione objecti sunt, qui internis desideriis virentes, nulla * torporis reprobi ariditate * arescunt. Portas vero ejus posuit in lapides sculptos; hi quippe portæ sunt Ecclesiæ, per quorum vitam & doctrinam intrat in eam multitudo credentium: Qui pro eo * quod magnis operibus pollent, & id quod loquentes asserunt, viventes ostendunt; non puri, sed sculpti lapides esse memorantur. In quorum enim vita recta operatio cernitur, quasi in eisdem ipsis exprimitur quod egerunt. * Portæ vero non sculptæ, sed puræ essent, si vocem quidem promerent, sed sancta in se opera non demonstrarent. Et ubi secundum hoc se ostendunt vivere quod loquuntur, & portæ sunt quia intus ducunt; & sculptæ, quia sancta opera quæ aliis præcipiunt, dum vivendo custodiunt, quasi in seipsis sculpta repræsentantes ostendunt. * Dehinc omnem quoque Sanctorum numerum generali collectione concludens, subdit: *Omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* Sanctæ Ecclesiæ universos terminos in lapides desiderabiles positos videmus, dum in ea fideles quosque fortes in fide & caritate conspicimus. Et tamquam si audientes ista peteremus, ut hos lapides quos diceret indicaret, adjunxit: *Universos filios tuos doctos a Domino.*

* temporis. * marcescunt. * etiam. * lib. 2. hom. 6 in Ezech. num. 4. * Lib. 18. c. 33 ut supra.

CAPUT LXVIII.

Moral. lib. 6 c. 5. n. 86

FLUENTIS sacræ locutionis, quæ Judaicus populus in ostentatione superbiæ possederat, conversæ Gentilium mentes nunc irrigantur. Unde eis per Isaiam dicitur: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate.* (Isa. 55. 1) Quia enim argenti vocabulo eloquia divina signantur, Psalmista testatur, dicens: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum.* (Ps. 11. 7) Qui ergo argentum non habent, ad aquas vocantur: quia Gentilitas quæ Scripturæ sacræ præcepta non acceperat, sacri eloquii inundatione satiatur: quam tanto nunc avidius potat, quanto hanc diu sicca sitiebat.

CAPUT LXIX.

Moral lib. 28 c. 20. n. 32 Isa. 55. 13

SANCTÆ Ecclesiæ per Isaiam, Domino promittente, dicitur: *Pro saliunca ascendet abies, & pro urtica crescet myrtus.* Pro saliuncula in sancta Ecclesia ascendit abies, & pro urtica crescit myrtus; dum in Sanctorum corde pro abjectione terrenæ cogitationis, altitudo supernæ contemplationis exhauritur: urtica vero igneæ omnino naturæ est: myrtum namque temperativæ ferunt esse virtutis. Pro urtica igitur crescit myrtus; cum justorum mentes a prurigine & ardore vitiorum, ad cogitationum temperiem tranquillitatémque perveniunt: dum jam terrena non appetunt, dum flammas carnis desideriis cælestibus extinguunt.

CAPUT LXX.

In Psal. 3. pœn. 28 admon. 29. Isa. 56. 4. 5

PECCATA carnis ignorantibus per Isaiam promittit Dominus, dicens: *Eunuchis qui custodierunt Sabbata mea, & elegerint quæ volui; dabo eis in domo mea locum, & nomen melius a filiis & filiabus.* Eunuchi sunt qui compressis motibus carnis, * effectum in se pravi operis abscidunt: quo autem apud patrem loco habentur ostenditur; quia in domo patris, videlicet æterna mansione, etiam filiis præferuntur.

* affectum.

CAPUT LXXI.

Reg. Pastor. 3 parte 10

NONNULLA subjectorum vitia prudenter dissimulanda sunt; sed quia dissimulantur indicanda: ut cum delinquens & deprehendi se cognoscit & perpeti, has, quas in se * tolerari considerat, augere culpas erubescat; seque judice puniat quem sibi apud se Rectoris patientia clementer excusat. Qua videlicet dissimulatione bene Judæam Dominus corripiens per Isaiam dicit: *Mentita es, & mei non es recordata; neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens & quasi non videns.* (Isa. 57. 11) Et dissimulavit ergo culpas, & innotuit: qui & contra peccantem tacuit, & hoc ipsum tamen quia tacuerit, dixit.

* tacite.

CAPUT LXXII.

Reg. Pastor. ibid. c. 4. Isa. 58. 1

PRÆDICATOREM per Isaiam Dominus admonet, dicens: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Præconis officium suscipit, quisquis ad Sacerdotium accedit, ut ante adventum Judicis qui terribiliter sequitur, ipse clamando gradiatur. Sacerdos ergo si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus?

CAPUT LXXIII.

Reg. Pastor. 3 parte 19 Isa. 58. 3

ABSTINENTIBUS per Isaiam dicitur: *In diebus jejuniorum vestrorum inveniuntur voluntates vestræ.* Et paulo post: *In judicia & rixas jejunatis, & percutitis pugnis impie.* Voluntas pertinet ad lætitiam, pugnus ad iram: mentes enim abstinentium aliquando ira, aliquando corrumpit lætitia. Incassum ergo per abstinentiam corpus atteritur, si inordinatis dimissa motibus mens vitiis dissipatur: & eo abstinentiæ bonum perit, quo se a spiritualibus vitiis minime custodit.

CAPUT LXXI.

Moral. lib. 11 c. 47. n. 96 Isa. 58. 14

SEQUENTI se animæ per Isaiam Dominus pollicetur, dicens; *Sustollam te super altitudinem terræ.* Quasi quædam inferiora sunt terræ, damna, contumeliæ, egestas, abjectio: altitudines vero ejus sunt, lucra rerum, blandimenta subditorum, divitiarum abundantia, honor & sublimitas dignitatum; quæ quisquis per ima adhuc desideria incedit, eo ipso alta æstimat, quo magna putat. At si semel cor in cælestibus figitur, mox * cum ab

* quam.

abjecta sint cernitur, quæ alta videbantur. Nam sicut cum montem quisque conscendit, eo paulisper cetera subjacentia despicit, quo ad altiora amplius gressum tendit: ita qui in summis intentionem figere nititur, dum annisu ipso nullam præsentis vitæ gloriam esse deprehendit, super altitudines terræ elevatur; & quod prius in imis desideriis positus super se credidit, post ascendendo proficiens sibi subesse cognoscit.

CAPUT LXXV.

Moral. lib. 15 c. 16. n. 19

INITIUM occultæ suggestionis, quam immundus spiritus consiliis subtilibus cordi leniter persuadet, libenter suscipit; violentis se postmodum ejus tentationibus devictus tradit. Unde per Isaiam dicitur: *Ova aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt. Qui comederit ex ovis eorum morietur, & quod confotum est, erumpet in regulum.* Quid per aspides, qui sunt parvi serpentes, nisi latentes suggestiones immundorum spirituum figurantur, qui cordibus hominum parva prius suasione surripiunt? Ova quippe aspidum pravis hominibus erumpere, est malignorum spirituum consilia quæ in eorum cordibus latent, perversis operibus aperire. Telas quoque araneæ texere, est pro hujus mundi concupiscentia temporalia quælibet operari: quæ dum nulla stabilitate solidata sunt, ea proculdubio ventus vitæ mortalis rapit. Bene autem additur: *Qui comederit de ovis eorum morietur;* quia qui immundorum spirituum consilia recipit, vitam in se animæ occidit. *Et quod confotum est, erumpet in regulum:* quia consilium maligni spiritus quod corde tegitur, ad plenam iniquitatem nutritur. Regulus namque rex serpentium dicitur. Quis vero reproborum caput est, nisi Antichristus? Quod ergo confotum est erumpet in regulum: quia is qui in se nutrienda aspidis consilia recipit, membrum iniqui capitis factus, in corpus Antichristi accrescit.

Is. 59. 5

CAPUT LXXVI.

Lib. 2 hom. 6. in Ezech. n. 15.

PRIORES patres conjugiis utebantur, filios procreabant, substantias possidebant, curis rei familiaris intendebant. Isaias vero prophetiæ spiritu prævidens prædicatores sancti Evangelii substantias deserere, conjugia non appetere, nihil in terra * appetere * vel possidere; non eos per terram velut homines ambulantes, sed ut nubes volantes nominavit, dicens: *Qui sunt isti qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Recte enim prædicatores, & justi quilibet nubes appellati sunt, quia verbis pluunt, miraculis coruscant. Qui volare quoque ut nubes dicuntur; quia in terra viventes, extra terram est omne quod agunt; ** terrena despicientes, mente cælestibus appropinquantes, a terrenis contagiis sublevantur. Volant qui terram non tangunt, quia in ipsa nihil appetunt, & eos a terrenis sancta prædicatio, & sublimis vita suspendunt: qui & ad fenestras suas quasi columbæ sunt, quia pro mansuetudinis spiritu in hoc mundo per oculos nihil concupiscunt, & per omnes sensus corporis exteriora quæque intentione non respiciunt rapacitatis; eosque foras non rapit concupiscentia carnalis, sed omnia simpliciter aspiciunt.

* quærere . * nihil.

Isa. 60. 8

* Moral. l. 31 c. 2. n. 4

CAPUT LXXVII.

Isa. 61. 2 Moral. lib. 4 c. 7 n. 12

UT *prædicarem annum placabilem Domini.* Per annum intelligitur multitudo Redemtorum. Sicut ex dierum multitudine annus ducitur; ita ex collectione bonorum omnium illa electorum innumerabilis universitas expletur. Annus itaque placabilis Domini prædicatur, cum futura plebs fidelium veritatis lumine illustranda prædicitur.

CAPUT LXXVIII.

Lib. 2 hom. 1. in Ezech. num. 9

CORPUS Domini nostri Jesu Christi, quod sumsit ex Virgine, longe ante Isaias aspiciens per crucem passionis sanguine cruentatum, dixit: *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Cui ipse respondit: *Torcular calcavi solus & de Gentibus non est vir mecum.* Solus enim torcular calcavit in quo calcatus est; quia sua potentia eam quam pertulit passionem vicit. Nam qui usque ad mortem crucis passus est, de morte cum gloria resurrexit. Bene autem dicitur: *& de Gentibus non est vir mecum;* quia hi pro quibus pati venerat, passionis ejus esse participes debebant, qui pro eo quod * tempore necdum crediderant, de ipsis in passione queritur, quorum vita * illa passione quærebatur.

Isa. 63. 2

Ibid. 3

* illo.

* in.

CAPUT LXXIX.

Isa. 64. 6 Moral. lib. 12 c. 44. n. 60.

DEcidimus quasi folium universi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Quid est homo nisi folium, qui videlicet * ab arbore cecidit? Quid est nisi folium, qui tentationis vento rapitur, & desideriorum flatibus levatur? Quia ergo quod tentatione patitur, quasi tot flatibus movetur & elevatur: recte folio homo comparatur. Quasi ventus autem nos iniquitas abstulit, quia nullo fixos virtutis pondere in vanam elationem levavit.

* in paradiso

CAPUT LXXX.

Moral. lib. 17 c. 6. n. 8

QUISQUIS delinquit & vivit, idcirco divina dispensatio hunc in iniquitate tolerat, ut ab iniquitate compescat. Sed quia accepta pœnitentiæ tempora divertit ad culpam, districtus in ultimis judex impensa argumenta misericordiæ convertit ad pœnam. Hinc Isaias ait: *Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.* Ac si aperte nos deterreat, dicens: vita quidem pueri in longum trahitur, ut a factis puerilibus corrigatur. Sed si a peccati perpetratione nec temporis longinquitate compescitur, hæc ipsa vitæ longinquitas quam per misericordiam accepit, ei ad cumulum maledictionis crescit. Unde necesse est ut cum nos diutius expectari conspicimus, ipsa prorogatæ pietatis tempora quasi damnationis argumenta timeamus: ne ex clementia judicis crescat supplicium peccatoris, & unde quisque eripi a morte poterat, inde gravius ad mortem tendat.

Isa. 65. 20

CAPUT LXXXI.

Moral. lib. 13 c. 28. n. 32

ELECTI quo amplius extremo judicio propinquare se sentiunt, eo in bonis se exercentes operibus, ad discutiendos seipsos terribilius contremiscunt, & si quas in se carnales cogitationes, vel

vel mala opera inveniunt, pœnitentiæ ardore consumunt. Qui quoniam seipsos judicantes subtilius puniendo feriunt, peracto judicio æternam requiem pro perfecto opere bono recipient, attestante Isaia, qui ait: *Erit mensis ex mense*. * Mensis aliquando pro perfectione ponitur. Erit ergo mensis ex mense, perfectio videlicet eis in requie, quibus nunc perfectio fuerit in operatione.

[Isa. 66. 23. * Ibid. lib. 13 c. 34. n. 17]

CAPUT LXXXII.

[Moral. lib. 9 c. 66. n. 100]

REPROBI ignibus inferni traditi in suppliciis dolorem sentient, & in doloris angustia pavore ferientur, & semper tolerabunt quod timent, & quod tolerabunt sine cessatione pertimescent. De his enim per Isaiam scriptum est: B *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Hic flamma quæ succendit, illuminat; illic ignis qui cruciat, obscurat: hic ignis & lucem exhibet & concremationem, sed transactorum illic ultrix flamma vitiorum concremationem habet, non lumen. Hinc quod reprobis Veritas dicit: *Ite maligni in ignem æternum*. Quorum rursum omnium corpus in unius personam significans dicit: *Ligate ei manus & pedes, & mittite eum in tenebras exteriores*. Si itaque ignis qui reprobos cruciat, lumen habere potuisset; is qui repellitur, mitti in tenebras non diceretur. Hinc Psalmista ait: *Super eos cecidit ignis, & non viderunt solem*. Ignis enim super impios cadit, sed sol igne cadente non cernitur; quia quo illos gehennæ flamma C devorat, a visione * veritatis cæcat; ut & foris eos dolor combustionis cruciet, & intus pœna cæcitatis obscuret: quatenus qui * actori suo corpore & corde deliquerunt; simul corpore & corde puniantur. * Expulsos ergo a conspectu districti judicis reprobos, foris dolor cruciabit, & divisos a vero lumine intus cæcitas obscurabit, foris æterno igne succendentur, & ab interno lumine obtenebrabuntur. * Erit eis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate: supplicia eos in se * dimersos ultra vires cruciabunt, & in eis vitæ subsidium extinguentes servabunt, ut sic vitam terminus puniat, quatenus semper sine termino cruciati vivant: quia & ad finem per tormenta properabunt, & sine fine deficientes durabunt. D * Fiet ergo miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu; quia & mors vivet, & finis semper incipiet, & deficere defectus nesciet. Mors perimet, & non extinguet, dolor cruciabit, sed A pavorem nulla fugabit; flamma comburet, sed tenebras non decutiet. * Quamvis autem illic ignis ad consolationem non lucebit, tamen ut magis torqueat, ad aliquid lucebit: nam sequaces quosque suos secum in tormento * flamma illustrante miro judicii ordine visuri sunt, quorum inordinato amore deliquerunt: quatenus qui eorum vitam carnaliter contra præcepta Conditoris amaverunt, ipsorum quoque eos interitus in augmento suæ damnationis affligat, & pœnam propriæ punitionis exaggeret illa actori præposita carnalis cognatio, pari ante oculos ultione damnata. Quid vero mirum si gehennæ ignem credimus habere supplicium simul obscuritatis & luminis, quando experimento novimus, quia & tædarum flamma lucet obscura? Ignis itaque qui reprobos in obscuritate cruciabit, credendum est quia lumen ad tormentum servabit; non lucebit ad consolationis gratiam, & tamen lucebit ad pœnam; ut damnatorum oculis & nulla claritate candeat, & ad doloris cumulum * dilectis qualiter crucientur ostendat. * Ecce quæ maneat damnatos pœna cognovimus, & quantus in damnatione ignis, quanta in igne obscuritas, quantus quoque in obscuritate pavor sit, nullatenus, sacro nos instruente eloquio, ambigimus. Sed quid prodest ita prænosse si non contingat evadere? Totis ergo intentione curandum est, ut cum vacationis tempus accipimus, bene vivendi studio malorum ultricia tormenta fugiamus. * Sunt autem plerique qui extremum judicium esse verbotenus sciunt, sed perverse agendo testantur, quia nesciunt: qui enim hoc non formidat ut debet, necdum cognovit cum quanto turbine terroris adveniet: Si enim pensare pondus tremendi examinis nosset, quæ in illo punienda sunt non ageret, & iræ diem utique timendo præcaveret; vitare namque terror judicis nonnisi ante judicium potest. Modo non cernitur, sed precibus placatur: cum vero in illo tremendo examine sederit, & videri potest, & placari jam non potest, quia facta pravorum quæ diu sustinuit tacitus, simul omnia reddit iratus. Unde necesse est, fratres carissimi, nunc timere judicem cum necdum judicium exercet, cum diu sustinet, cum adhuc mala tolerat quæ videt: ne cum semel manum in retributionem ultionis excusserit, tanto in judicio districtius feriat, quanto ante judicium diutius expectavit Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

[Isa. 66. 24. — Moral. lib. 9 c. 65. n. 97 — Matth. 25. 41. — Ibid. 22. 13. — Psal. 57. 9. — * veri luminis. — * auctori. — * Cap. 64. num. 98. — * Ibid. c. 66. num. 100. — * demersos. — * sic. — * Num. 101. — * reprobi. — * dilecti. — * Num. 104. — * Ibid. lib. 14 c. 59. n. 79.]

LIBER QUARTUS.

EXCEPTIONES EX OPUSCULIS B. GREGORII PAPÆ in subjectis capitulis Jeremiæ Prophetæ.

1 *Ecce nescio loqui, quia puer ego sum.*
2 *Ecce constitui te hodie super Gentes.*
3 *Ollam succensam ego video.*
4 *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus.*
5 *Filii Mempheos & Taphnis constupraverunt te.*
6 *Onager assuetus in solitudine.*
7 *Si dimiserit vir uxorem suam.*
8 *Numquid vidisti quæ fecerit adversatrix Israel?*
9 *Quousque morabuntur cogitationes noxiæ?*
10 *Ventrem meum doleo.*
E 11 *Si steterit Moyses coram me.*
12 *Docuerunt linguam suam loqui mendacium.*
13 *Ascendit mors per fenestras nostras.*
14 *Olivam uberem, pulchram vocavit Dominus nomen tuum.*
15 *Mittamus lignum in panem ejus.*
16 *Congrega eos quasi gregem ad victimam.*
17 *Onagri steterunt in rupibus.*
18 *Quasi colonus futurus es in terra.*
19 *A facie manus tuæ solus sedebam.*
20 *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.*

21 *Peccatum Judæ scriptum est stilo ferreo.*
22 *Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans.*
23 *Maledictus qui annuntiavit patri meo, dicens: natus est tibi puer masculus.*
24 *Deserta facta est terra a facie iræ columbæ.*
25 *Plaga inimici percussi te.*
26 *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam.*
27 *Statue tibi speculam.*
28 *Omnis qui comederit uvam acerbam.*
29 *Ædificabitur civitas a turre Ananeel.*
30 *De Jeremia ex puteo levato.*
31 *Venerunt octoginta viri de Sichem.*
32 *Maledictus qui facit opus Domini negligenter.*
33 *Quomodo confractus est malleus universæ terræ?*
34 *Calix aureus Babylon.*
35 *Curavimus Babylonem, & non est sanata.*
36 *Plorans ploravit in nocte.*

A 37 *Facti sunt hostes ejus in capite.*
38 *Viderunt eam hostes.*
39 *Omnis populus ejus gemens.*
40 *O vos omnes qui transitis per viam.*
41 *Oris nostri interfecit gladius.*
42 *Factus est Dominus velut inimicus.*
43 *Prophetæ tui viderunt tibi falsa.*
44 *Ego vir videns paupertatem meam.*
45 *Aggravavit compedem meum.*
46 *Inebriavit me absinthio.*
47 *Scrutemur vias nostras.*
48 *Opposuisti nubem, ne transeat oratio.*
49 *Divisiones aquarum deduxit oculus meus.*
50 *Lapsa est in lacum vita mea.*
51 *Quomodo obscuratum est aurum.*
B 52 *Reddes eis vicem Domini.*
53 *Sed & lamiæ nudaverunt mammam.*
54 *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli.*
55 *Candidiores Nazaræi ejus nive.*

CAPUT PRIMUM.

Reg. Pastor. 2 par. c. 7

DUO sunt præcepta caritatis, Dei videlicet & proximi. Per activam vitam prodesse proximis cupiens Isaias, officium prædicationis appetiit; & quærenti Domino quem mitteret, ultro se obtulit, dicens: *Ecce ego, mitte me*. Per contemplativam vero Jeremias amori Conditoris sedulo inhærere desiderans, ne pergeret cum pavore recusans mittitur: & tamen ne mitti debeat humiliter reluctatur, dicens: *A, a, a, Domine Deus; ecce nescio loqui, quia puer ego sum*. En ab utrisque exterius diversa vox prodiit, sed non a diverso fonte dilectionis emanavit. Quod alter laudabiliter appetit, hoc alter laudabiliter expavit: iste ne tacitæ contemplationis lucra loquendo perderet; ille ne damna studiosi operis tacendo sentiret. Sed hoc in utrisque est subtiliter intuendum; quia & is qui recusavit plene non resistit; & is qui mitti voluit, ante per altaris calculum se purgatum vidit, ne aut non purgatus adire quisque sacra prædicationis ministeria audeat, aut quem superna gratia eligit, sub humilitatis specie superbe contradicat.

Isa 6. — Jerem. 1. 6. — C

CAPUT II.

Moral. lib. 18 c. 10 n. 17

ARS docentium debet esse, ut in auditorum suorum mentibus prius studeant perversa destruere, & postmodum recta prædicare: ne bonum sanctæ prædicationis semen plena malis corda non valeant capere. Unde ad Jeremiam dicitur: *Ecce constitui te hodie super Gentes & regna, ut evellas & destruas, ut ædifices & plantes*. * Nequaquam enim rectæ veritatis fundamentum ponitur, nisi prius erroris fabrica destruatur; & nisi ab auditorum suorum cordibus spinas vani amoris prædicator evellat, frustra in eis sanctæ prædicationis verba plantat.

Jerem. 1. 10. — Reg. Pastor. 3 par. c. 34.

CAPUT III.

Moral. lib. 18 c. 20. n. 32 — Jerem. 1. 13.

IMMUNDUS spiritus malæ suggestionis flatu, ad terrena desideria iniquorum corda succendit, Jeremia attestante, qui ait: *Ollam succensam ego video, & faciem ejus a facie Aquilonis*. Olla succensa est cor humanum secularium curarum ardoribus desideriorumque anxietatibus fervens. Olla succenditur, cum mens humana maligni hostis suasionibus instigatur, & per consensum in desideriis pravæ persuasionis accenditur. * Ab Aquilonis autem facie humani cordis olla succenditur, cum per instigationem adversarii spiritus, qui nomine Aquilonis vocari solet, illicitis desideriis inflammatur. Ille namque qui ait: *Ponam sedem meam ad Aquilonem*, mentem quam semel cœperit, malignis persuasionis suæ facibus quasi * suppositus ignis accendit; & humanas mentes ad delectationes pertrahens illicitas, alias superbiæ, alias invidiæ, alias luxuriæ, alias avaritiæ facibus inflammat.

* Ibid. lib. 33. c. 37. n. 66. — Isa. 14. 14. — * supposita ignibus. Ibid c. 33.

CAPUT IV.

Jerem. 2. 3. Lib. 1. ho. 11. in Ezech. num. 1

SAnctus Israel Domino primitiæ frugum ejus. Bonæ animæ fruges Dei appellantur: fruges enim Domini conversæ ad fidem Gentes postmodum factæ sunt: sed quia prius Israel Domino credidit, recte hunc Isaias frugum ejus primitias appellavit.

CAPUT V.

Moral. lib. 26 c. 10. n. 27 — Jerem. 2. 16.

AD Judæam per Jeremiam dicitur: *Filii Mempheos & Taphnis constupraverunt te usque ad verticem*. Usque ad verticem constuprari, est post malæ operationis usum, etiam in ipsa fidei sublimitate corrumpi. Cum enim nequissimi spiritus uniuscujusque animam in pravis operibus involvunt, sed integritatem fidei vitiare non possunt; quasi adhuc inferiora membra polluunt, sed ad verticem non pertingunt. Quisquis autem in fide corrumpitur, usque ad verticem constupratur. Malignus enim spiritus quasi ab inferioribus membris usque ad * summum pertingit, quando activam vitam polluens, castam celsitudinem fidei diffidentiæ morbo corrumpit.

D — * summus

CAPUT VI.

Jerem. 2. 24. Moral. lib. 16 c. 47. n. 60.

ONager assuetus in solitudine: in desiderio animæ suæ attraxerit ventum amoris sui. In hoc loco onagri nomine intelliguntur hæretici, qui in suis voluptatibus dimissi, a vinculis sunt fidei & rationis alieni. Onager itaque in solitudine assuetus est, quia dum terram cordis sui disciplinæ virtute non excolit, ibi habitat ubi fructus non est. Qui in desiderio animæ suæ ventum amoris sui attrahit: quia ea quæ ex desiderio scientiæ * mente concepit, inflare prævalent, non ædificare.

E — * in mente.

CAPUT VII.

Lib. 2. ho. 33 in Evang. n. 8. Jerem. 3. 1.

SUB Judææ specie unicuique peccatrici animæ a Domino per Jeremiam dicitur : *Si dimiserit vir uxorem suam, & illa recedens duxerit alterum virum ; numquid ultra revertetur ad eam ? numquid non polluta & contaminata est mulier illa ; tu autem fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, dicit Dominus*. Ecce paradigma turpis mulieris dedit. Ostendit quod post turpitudinem recipi non possit : sed hoc ipsum paradigma quod protulit, per misericordiam vincit, cum dicit fornicantem mulierem recipi non posse, & tamen fornicantem animam ut recipiat exspectat. Pensate, fratres, pondus tantæ pietatis : B dicit quod fieri non potest ; & demonstrat quia hoc ipse facere etiam contra morem potest. Ecce vocat, & quos inquinatos denuntiat, hos etiam amplecti quærit, a quibus se desertum * quæritur. Ecce superna benignitas adversos nos revocat, & nobis revertentibus suæ clementiæ sinum parat : nemo oblata remedia divinæ pietatis abjiciat. Penset unusquisque quo debito constringatur ; quando Deus illum exspectat, * ne contemptus exasperetur.

* esse.
* nec.

CAPUT VIII.

Lib. 2. hom. 9. in Ezech. num. 38. Jerem. 3. 7.

PLERUMQUE multi qui necdum in via rectitudinis firmi sunt, ad prava opera ex aliorum exemplo dilabuntur. Hinc ad Jeremiam C voce dominica de Juda & Israel dicitur : *Numquid vidisti quæ fecerit adversatrix Israel ? Abiit super omnem montem excelsum, & sub omni ligno frondoso ; & fornicata est ibi : & dixi, cum fecisset hæc omnia, ad me revertere : & non est reversa*. Ubi statim subditur qualiter ex æmulatione ejus etiam Judas cecidit, quæ stare videbatur. Ait enim : *Et vidit prævaricatrix soror ejus Juda, quia pro eo quod mœchata esset aversatrix Israel, dimisissem eam, & dedissem ei libellum repudii : & non timuit prævaricatrix soror Juda ejus, sed abiit & fornicata est etiam ipsa*. Ecce misericors Deus contemnitur, & * vocat aversantes se ; sinum misericordiæ aperit, quia peccanti dicit, ad me convertere ; & tamen non est conversa. Sed quia plebs Israelitica D Deum deseruit, revarti nolens, libellum repudii accepit : deseruit, reverti nolens, libellum repudii accepit : deseruit peccando ; sed libellum repudii accepit, in suis iniquitatibus sine flagello remanendo. Anima enim quæ peccat, recedit : sed si eam post peccatum prosperitas sequitur ; nulla disciplina, nulla districtionis increpatio revocat ad cor. In divisione quam inter se & Dominum fecit, etiam libellum repudii accepit, ut jam velut aliena derelicta, faciat mala quæ vult, zeli Dei flagella non sentiat, quatenus ad æterna supplicia profundius descendat. Sed soror ejus Juda, * quia Israeliticam plebem aspexit in sua perversitate florere ; etiam ipsa non timuit a conjunctione Domini, quasi a viri legitimi cubili recedere ; unde necesse est ut peccantes quosque tunc consideremus amplius miseros, quando eos conspicimus in sua culpa sine flagello derelictos.

* vocat, aversantibus se sinum.
* quoniam dimissam.

CAPUT IX.

Moral. lib. 27 c. 26. n. 50 Jerem. 4. 14.

AD Judæam Dominus per Jeremiam dicit : *Quousque morabuntur in te cogitationes noxiæ ?*

A Non reprehendit cur veniunt, sed cur morantur. Et in bonis cordibus cogitationes illicitæ veniunt, sed morari prohibentur ; quia recti quique ne captivandam domum conscientiæ præbeant, ab ipso cordis limine hostem fugant. Qui etsi quando repentinis suggestionibus mentes bonorum ingreditur ; * resistente superno adjutorio usque ad consensum prævalere prohibetur.

* sede.

CAPUT X.

Lib. 1. ho 10. in Ezech. num. 6. Jerem. 4. 19. Ibidem.

IN sacro eloquio nonnumquam venter pro mente poni consuevit ; unde per Jeremiam dicitur : *Ventrem meum doleo*. Quod quia de spirituali, & non de corporeo ventre dixerit, adjunxit : *Et sensus cordis mei conturbati sunt*. Neque enim ad salutem populi pertinebat, si Propheta ventrem corporeum se dolere prædicaret : sed ventrem doluit, qui mentis afflictionem sensit. Hinc enim Veritas ait : *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Quia enim de mente fidelium sanctæ prædicationes defluunt ; quasi de ventre credentium aquæ vivæ flumina decurrunt.

Johan 7. 38.

CAPUT XI.

Moral. lib. 9. c. 16 n. 23.

IRÆ Dei resisti valet, quando ipse qui irascitur, opitulatur : & resisti omnino non valet, quando se ad ulciscendum * præparat, & precem quæ ei funditur ipse non aspirat. Unde cum Judæa Dei justitiam culpis exigentibus offendisset, & Jeremiam Dominus ab oratione prohibet, dicens : *Tu ergo noli orare pro populo hoc*. Et rursum : *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*. Qua in re quæri utiliter potest cur relictis tot antiquioribus Patribus, ad effundendam precem Moyses & Samuel tantum nominantur : quod facile agnoscimus si ejus qua diligere & inimicos præcipimur, caritatis merita pensamus. Conditoris namque auribus illa maxime oratio commendatur, quæ pro inimicis quoque intercedere nititur. Cum vero Patrum priorum facta sacro eloquio describente revolvimus, Moysen & Samuelem exorasse pro adversantibus invenimus. Unus quippe eorum sævientis populi persecutionem fugit, & tamen pro vita sui persecutoris intervenit : alter ex principatu populi dejectus, ipsis suis adversariis dicit : *Absit a me hoc peccatum in Domino quominus cessem orare pro vobis*. Quid est ergo in difficultate deprecandi Moysen & Samuelem deducere, nisi apertius indicare, quia ejus iræ neque illi si adstarent obsisterent, qui idcirco pro amicis intervenire citius possent, quia apud hunc intercedere & pro inimicis solerent ? * Ac si aperte dicat : Nec illos modo pro amicis audio, quos magnæ virtutis merito orare etiam pro inimicis scio.

* excitat.
Jerem. 7. 16. Ibidem
1. Reg. 12 23.
*Lib. 2. ho 27 in Evang. num. 8.

CAPUT XII.

1. Reg. Past. 3. part. c. 11. Jerem. 9. 5

E NIHIL ad defendendum puritate tutius ; nihil ad dicendum veritate facilius. Nam dum fallaciam suam tueri cogitur, duro cor labore fatigatur. Hinc per Jeremiam dicitur : *Docuerunt linguam suam loqui mendacium ; ut inique agerent, laboraverunt*. Ac si aperte diceretur : Qui amici veritatis esse sine labore potuerunt, ut peccarent laboraverunt : cumque vivere simpliciter renuunt ; laboribus exigunt ut moriantur. Hinc etiam scriptum est : *Labor labiorum ipsorum operiet eos*. Qui

Psal. 139. 10.

enim nunc implet, tunc operit; quia cujus nunc A animum per blandam inquietudinem exerit, tunc per asperam retributionem premit.

CAPUT XIII.

Moral. lib. 21 c. 2 n. 4.
PER quinque sensus corporis quasi per fenestras quasdam, exteriora quæque anima respicit, respiciens concupiscit. Hinc Jeremias ait:
Jerem. 9. 21
Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras. Mors per fenestras ascendit & domos ingreditur, cum per sensus corporis concupiscentia
* Ibid.
veniens habitaculum mentis intrat. * Hinc etiam sub Judææ voce quæ exteriora videndo concupiscens, bona interiora perdiderat, idem Prophe-
Thren. 3. 51
tâ dicit: *Oculus meus deprædatus est animam* B *meam*. Concupiscendo enim visibilia invisibiles virtutes amisit. Quæ ergo interiorem fructum per exteriorem visum perdidit, per oculum corporis pertulit prædam cordis. Unde nobis ad custodiendam munditiam cordis exteriorum quoque sensuum disciplina servanda est: nam quantalibet virtute mens polleat, quantalibet gravitate vigeat; carnales tamen sensus puerile quiddam exterius perstrepunt, & nisi interioris gravitatis pondere, & quasi juvenili quodam vigore refrenentur, ad fluxa quæque & lævia mentem enervem trahunt.

CAPUT XIV.

Past. part. 3 c. 9 adm. 16
C SÆPE contingit ut sive recta quælibet opera, seu sacræ doctrinæ verba in omnipotentis Dei judicio pereant, cum per hæc quisque transitoriis favoribus anhelat. Hinc enim per Jeremiam dicitur Judææ quod in seipsa incauta mens invenit, si saltem post culpam suas caute cogitationes ri-
Jerem. 11. 16
matur: *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum. Ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in eam, & combusta sunt omnia fruteta ejus.* Olivam quippe uberem & pulchram, fructiferam & speciosam Dominus vocat, cujus vel efficaciam in operatione, vel sancta studia in verbi scientia approbat. Sed ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea: quia cum laudari quis cœperit, erubescit forsitan minor videri quam dicitur, & studet esse quod dicitur: vox enim D grandis loquelæ est favor adulantis. Ad vocem ergo loquelæ grandis exarsit ignis in eam, quia in ma-
* favoris.
gnitudine * amoris flamma in corde accenditur de amore laudis. Sed omnia olivæ fruteta comburuntur: quia ante omnipotentis oculos vel quæ bene gesta, vel quæ scienter sunt dicta depereunt, cum jam non amore Domini, sed intentione transitoriæ laudis fiunt.

CAPUT XV.

Jerem. 11. 19 Moral. lib. 13 c. 4 n. 5. * panem.
MIttamus lignum in * pane ejus. Per lignum crux Domini hic intelligitur: lignum quippe in panem ei mittere est dominico corpori crucem adhibere, & configendo ejus corpori sti- E
*Lib. 3. c. 15 num. 28 * eradere.
pitem crucis admovere. * *Et eradamus eum de terra viventium.* Vitam Domini de terra viventium *, eradicare se posse existimant; quem dum mortalem conspiciunt, finiri morte suspicantur.

CAPUT XIV.

Moral. lib. 27 c. 24. n. 45
VENIENTE ad judicium Domino, reprobi sancta cum agere non valebunt, sentient A & rectum quod sequi debuerunt, ex * pœna sua cognoscent. Unde per Jeremiam dicitur: *Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis.* In die * occisionis sanctificantur reprobi, quia tunc sancta quæ debuerunt agere sentiunt, eum digna pravitatis suæ supplicia jam declinare non possunt.
* tortitudinis suæ pœna. Jerem. 12. 3 * enim.

CAPUT XVII.

Jerem. 14. 5 Moral. lib. 29 c. 28. n. 52
ONagri steterunt in rupibus, traxerunt ventos quasi dracones: defecerunt oculi eorum, quia non erat herba. In hoc dicto superba & nequissima Judæorum est persecutio prophetata: ipsi quippe onagri pro mentis elatione; ipsi dracones pro B virulenta cogitatione vocati sunt. Qui steterunt in rupibus, quia non in Deo sed in summis potestatibus hujus mundi confisi sunt, dicentes: *Re-*
Johan. 19. 15
gem non habemus nisi Cæsarem. Traxerunt ventos quasi dracones: quia elationis inflati spiritu, superbia malitiosa tumuerunt. Defecerunt oculi eorum, quia spes eorum ab eo quod intendebat corruit; quæ temporalia diligens, præstolari æterna neglexit; & terrena, ideo quia Deo præposuit, amisit. Timuerunt enim ne locum non occiso Domino perderent, & tamen occiso perdiderunt. Sed cur miseris ista evenerint subdit, quia non erat herba, id est quia eorum cordibus defuit æternitatis scientia, & nullo reficit eos pabulo viriditatis internæ doctrinæ.

CAPUT XVIII.

Moral. lib. 14 c. 41. n. 49
C REDEMTOR noster dum a Synagoga cognitus non fuit, in domo sua quasi peregrinus extitit: quod aperte Jeremias testatur, di-
Jerem. 14. 8
cens: *Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?* Quia enim ut Dominus non est auditus, non possessor agri, sed colonus est creditus: qui quasi viator ad manendum tantummodo declinavit; quia paucos ex Judæa abstulit, & ad vocationem Gentium pergens, iter cœptum peregit.

CAPUT XIX.

Jerem. 15. 17 Moral. lib. 4 c. 30. n. 60.
D A *Facie manus tuæ solus sedebam, quoniam comminatione replesti me.* Facies manus Dei est illa percussio justi judicii, qua superbientem hominem a paradiso repulit, & in hac cæcitate præsentis exilii caelusit: comminatio vero ejus est terror adhuc supplicii sequentis. Post faciem igitur manus adhuc nos minæ terrificant; quia per experimentum judicii jam nos ex pœna præsentis exilii perculit; & si peccare non desistimus, æternis adhuc suppliciis addicit. Consideret ergo vir sanctus projectus hunc unde homo ceciderit, & hunc post ista peccantem, quo adhuc justitia judicantis rapit; & cunctas a se desideriorum temporalium turbas ejiciat, seque in magna mentis solitudine abscondat, dicens: *A facie manus tuæ solus* E *sedebam, quoniam comminatione replesti me.* Ac si aperte dicat: Dum considero quid jam per judicii experimentum patior, a tumultu desideriorum temporalium trepidus secessum mentis peto, quia & adhuc acrius illa quæ minaris æterna supplicia formido.

CA-

CAPUT XX.

Jerem. 15. 19. Moral. 18. c. 33. n. 59.

SI separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. Vilis est Deo mundus præsens; pretiosa vero est anima humana. Qui ergo a vili pretiosum separat, quasi os Domini vocatur: quia per eum Deus verba sua exerit, qui ab amore præsentis seculi, loquendo quæ potest, humanam animam evellit.

CAPUT XXI.

Moral. 31. c. 17. n. 33.

PRETIOSUM etiam a vili separat, qui humanas mentes a reproba antiqui hostis imitatione disjungit; & recte os Dei dicitur, quia per eum divina eloquia formantur.

CAPUT XXII.

Jerem. 17. 1. Moral. 14. c. 33. n. 62. * In ungue.

PEccatum Judæ scriptum est stilo ferreo, in ungue adamantino. * Unguis finis est corporis: ita vero durus est lapis adamas, ut non valeat ferro incidi. Per stilum ferreum, fortis Dei sententia; per unguem vero adamantinum signatur finis æternus. Peccatum vero Judæ stilo ferreo in ungue adamantino scriptum dicitur, quia culpa Judæorum per fortem Dei sententiam in fine servatur infinito.

CAPUT XXIII.

Moral. 23. c. 11. n. 28. Jerem. 20. 9.

JEREMIAS cum sibi, quia a populo non audiebatur, silentium indixisset, dicens: Non loquar ultra in nomine illius, illico adjunxit: Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans; & defeci, ferre non sustinens: audivi enim contumelias multorum. Pro eo enim quod se audiri minime conspexit, silentium appetiit; sed cum crescentia mala cerneret, in eodem silentio non permansit: quia enim foris tacuit ex tædio locutionis, intus ignem pertulit de zelo caritatis. Inflammantur quippe corda justorum, cum non correpta crescere acta conspiciunt malorum: eorumque culpæ se participes credunt, quos in iniquitate crescere silendo permittunt.

CAPUT XXIV.

Moral. 4. c. 4. Præfat. Jerem. 20. 15. * Ibid.

JEREMIAS cum prædicationem suam cerneret audientium difficultate præpediri, maledixit, dicens: Maledictus vir qui annuntiavit patri meo dicens: Natus est tibi puer masculus. * Si ex matris suæ utero hoc in mundo Propheta affligendus prodiit, nativitatis ejus nuntius quid deliquit? Sed quid persona Prophetæ fluctuantis, nisi per pœnæ meritum veniens humani generis mutabilitas designatur? & quid per patrem illius, nisi iste de quo nascimur mundus exprimitur? & quis est ille vir qui nativitatem nostram annuntiat, nisi antiquus hostis, qui cum nos in cogitationibus fluctuare considerat, malorum mentes qui ex authoritate hujus mundi præeminent, ad persuasionem nostræ deceptionis instigat? Cumque nos agere infirma conspexerit, ea quasi fortia favoribus extollit, & quasi natos masculos loquitur, cum corruptores * veri per mendacium nos extitisse gratulatur. Patri ergo masculum natum denuntiat, quando huic mundo eum quem persuaserit factum innocentiæ corruptorem demonstrat. Nam cum cuilibet peccanti & superbienti dicitur: fecisti sicut vir; quid

* veritatis.

A aliud quam natus masculus in mundo perhibetur? Jure itaque vir qui masculum natum nuntiat maledicitur, quia ipso ejus nuntio reprobum gaudium nostri corruptoris indicatur.

CAPUT XXV.

Moral. 32. c. 7. n. 9. Jerem. 25. 38.

CREATOR omnium in extremo judicio in semetipso incommutabilis manebit, & cum tranquillitate bonos & malos judicabit. Hinc Jeremias ait: Deserta facta est terra a facie iræ columbæ, a facie furoris Domini. Quod enim iram columbæ prædixerat, hoc furorem Domini subjunxit. Columba namque valde simplex animal: & quia in Deum nulla furoris inæqualitas

B serpit, furorem Domini iram columbæ nominavit; ut enim divinæ districtionis vim imperturbabilem demonstraret, & iram dixit & columbæ; ac si apertius * diceretur: Districtum judicium inconcussus exerit, * quia permanens mansuetus punit: sed tamen electis & reprobis nequaquam sub specie ejusdem incommutabilitatis ostenditur, quia & tranquillus justis & iratus parebit injustis: istis cum benignum ostendet anteacta justitia, & illis terribilem culpa. Hoc quotidie in usu vitæ præsentis agitur, ut cum duo ad judicium pergunt, alius innocens, alter reus, ante prolatam sententiam adhuc tacentem judicem utrique conspiciunt; & tamen reus gravem contra se iram * judicis suspica-

* diceret. * qui.

C tur, quam iram sibi non denuntiat perturbatio judicis, sed recordatio pravitatis: at contra justitiæ amicus intus de testimonio bonæ recordationis hilarescit; & * quia apud se quod metuat non habet, * omne quod erga seipsum est blandum videt. Sic ergo in horribili Domini judicio, quamvis justi & injusti eum tranquillum videant; peccatores tamen sibi male conscii, eum erga se perturbatum & iratum putant.

* hoc ipsum judicis lucutium. * quo * eo.

CAPUT XXVI.

Moral. Præf. cap. 5. n. 12.

PERCUSSIONUM diversa sunt genera. Aliquando enim peccator percutitur, ut absque

D retractatione puniatur; sicut perituræ Judææ per Jeremiam dicitur: Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli. *Cum virtutem nostræ patientiæ ultra id quod possumus ferre Dei flagella transeunt; valde metuendum est ne, peccatis nostris exigentibus, non jam quasi filii a patre, sed quasi hostes a Domino feriamur.

Jerem. 30. 14. v. 14. 14. c. 37.

CAPUT XXVII.

Moral. lib. 14. c. 37. n. 45.

QUI enim ita crudeliter percutitur, ut vires illius a percussione superentur; non hunc Dominus quasi filium percutit per disciplinam, sed quasi hostem per iram ferit. * aliquando peccator percutitur ut corrigatur, sicut cuidam in Evangelio

E dicitur: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Verba enim salvantis indicant, quia peccata præcedentia habiti vim doloris eximebant. Aliquando quisque non pro præterita culpa diluenda, sed pro futura vitanda percutitur; quod Paulus aperte de seipso testatur, dicens: Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ. Qui enim non ait, quia extulit, sed ne extollat; aperte indicat quod percussione illa, ne eveniat, compescitur, non autem quæ evenerit, culpa purgatur. Nonnumquam vero

* Præfat. 5. num. 12. Iohan. 5. 14. 2. Cor. 12. 7.

ro quisque nec pro præterita, nec pro futura iniquitate percutitur, sed ut sola divinæ virtutis potentia ex amputata percussione monstretur; & dum inopinata salus percussionem sequitur, salvantis virtus cognita ardentius ametur: & cum innoxius flagello atteritur, ei per patientiam meritorum summa cumulatur. Unde cum Domino (Johan. 9. 2.) in Evangelio de cæco nato diceretur: *Quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur;* Respondit Dominus, dicens: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* In qua manifestatione quid aliud agitur, nisi ut ex flagello, meritorum virtus augeatur, & cum nulla præterita* culpa tergitur, magna de patientia fortitudo generetur;

* iniquitate.

CAPUT XXVIII.

(Moral. 23. c. 21. n. 41.) CUM omnipotens Deus ad conversionem sui desiderii hominem commutat, mox homo cuncta carnis suæ fluxa restringit, & quodam districtionis suæ gladio omne quod in ea male vivebat, interficit. Hoc disciplinæ gladio seipsum Jeremias interfecerat; cum dicebat: *Postquam* (Jerem. 31. 19.) *convertisti me, egi pœnitentiam; & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum.* Quid enim in femore, nisi voluptas carnis accipitur? Et quid est quod dicit, postquam ostendisti mihi, percussi femur meum: nisi quod postquam superna spiritualiter vidit, omne quod inferius in se carnaliter vivebat, extinxit; ut quanto magis* superna patescerent, tanto amplius ima quæ tenuerat non liberent? nam quanto magis incipit quisque superius vivere, tanto & inchoat inferius interire.

* summa.

CAPUT XXIX.

(Moral. 31. c. 41. n. 85. Jerem. 31. 21.) UNIUSCUJUSQUE animam Jeremias admonet, dicens: *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines.* Speculam sibi statuere est, ventura vitiorum certamina ex alta consideratione prænoscere. Sibique mens electi amaritudines ponit, * quoniam & in virtutum pace constituta, dum mala insidiantia conspicit, secura quiescere non consentit.

* quando.

CAPUT XXX.

(Jerem. 31. 30. Moral. lib. 19. c. 33. n. 63.) OMnis homo qui * comedit uvam acerbam, obstupescent dentes ejus. Per dentes cibus frangitur, ut glutiatur. Unde non immerito in dentibus interiores sensus accipimus, qui singula quæ cogitant, quasi mandunt & comminuunt, & ventri memoriæ transmittunt. Quid autem uva acerba, nisi peccatum est? Uva quippe acerba est fructus ante tempus. Quisquis enim præsentis vitæ delectationibus satiari desiderat, quasi fructus ante tempus comedere festinat. Qui igitur uvam acerbam comedit, dentes ejus obstupescunt, quia qui præsentis vitæ delectatione pascitur, interni ejus sensus ligantur, ut jam spiritu alia mandere, id est intelligere nequeant. Quia unde in exterioribus delectati sunt, inde in intimis obstupescunt: quia dum peccato anima pascitur, panem justitiæ edere non valet; quoniam ligati dentes ex peccati consuetudine, justum quod intus sapit nequaquam edere possunt: quia vero per dentes sensus interiores accipi solent, idem Jeremias testatur, dicens: *Fre-* (Thren. 3. 16.) *git ad numerum dentes meos.* Dentes suos, id est A sensus ad numerum fractos dicit, quia juxta mensuram uniuscujusque peccati intelligentiæ cæcitas generatur in sensibus, & secundum quod quisque egit exterius in eo obstupescit, quod de internis & invisibilibus intelligere potuit.

* comedit.

CAPUT XXXI.

ÆDificabitur civitas Domino a turre Ananeel, usque ad portam anguli, & exivit ultra normam mensura. (Jerem. 31. 38. Moral. 29. c. 2. n. 22.) Civitatem Domini esse sanctam Ecclesiam nullus ignorat. Ananeel vero Dei gratia interpretatur: in angulo autem duplex paries jungitur. Civitas ergo Domini a turre Ananeel, usque ad portam anguli ædificari perhibetur: B quia sancta Ecclesia a celsitudine supernæ gratiæ inchoans, usque ad ingressum susceptionemque construitur utrorumque populorum Judaici videlicet & Gentilis. Sed quia in ea crescente multitudine etiam reprobi colliguntur, apte subditur: *Et exivit ultra normam mensura*, quia usque ad eos quoque extenditur, qui normam justitiæ transeuntes intra mensuræ cælestis numerum non sunt.

CAPUT XXXII.

DIVINIS admonitionibus & præcedentium patrum exemplis adjuti, de hujus vitæ pro- (Moral. lib. 25. c. 7. n. 17.) C fundo liberamur, quod Jeremia in puteum misso signatum est: (Jerem. 38. v. 11. &c.) *Qui ut levetur ex puteo funes et & panni veteres deponuntur.* Quid enim funibus, nisi præcepta dominica figurantur? Quæ quia nos in mala operatione positos & convinciunt & eripiunt, quasi ligant & extrahunt, coarctant & levant. Sed ne ligatus his funibus, dum trahitur, incidatur; simul etiam panni veteres deponuntur, quia ne divina præcepta nos terreant, & antiquorum patrum nos exempla consortant, & ex eorum comparatione facere nos posse præsumimus, quod ex nostra imbecillitate formidamus. Si ergo levari de hoc profundo festinamus, ligemur de his funibus, id est præceptis dominicis adstringamur. Intersint etiam D panni veteres cum quibus melius teneantur funes; id est, præcedentium consortemur exemplis, ne infirmos nos & timidos præcepta subtilia vulnerent, dum levant.

CAPUT XXXIII.

(Moral. lib. 8. c. 36. n. 59.) CUM antiquus hostis intentionem boni operis vitiare non prævalet, in via positos laqueos tegit, ut in eo quod bonum agitur, cor exaltans se ex latere ad vitium diriyetur. In ipsa actione se quasi in itinere opponit, ut cum per propositum mentis securior quisque egreditur, subjuncto latenter E vitio quasi ex insidiis perimatur. Quod subtilius Jeremias insinuat, qui dum gesta foris referre studuit, quæ intus apud nosipsos gererentur indicavit, dicens: (Jerem. 41. 5.) *Venerunt octoginta viri de Sichem & de Silo, & de Samaria rasi barba, & scissis vestibus squalentes: munera & thus habebant in manu, ut offerrent in domo Domini. Egressus autem Ismael filius Nathaniæ in occursum eorum de Naspha incedens, & plorans ibat. Cumque occurrisset eis, dixit ad eos; Venite ad Godoliam filium Aicham; qui cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos.* Barbam radunt qui sibi de propriis viribus fiduciam subtrahunt: vestes scindunt qui sibimetipsis in exterioris laceratione decoris non parcunt, obla-

turi

turi in domo Domini thus & munere veniunt. Qui exhibere se in Dei sacrificio orationem cum operibus pollicentur, sed tamen si se in ipsa sanctæ devotionis via caute circumspicere nesciunt, Ismael Nathaniæ filius in occursum eorum venit: quia quilibet malignus spiritus prioris sui Sathanæ videlicet exemplo in superbiæ errore generatus, sed laqueum deceptionis opponit. De quo & bene dicitur: *Incedens & plorans ibat*, quia ut devotas mentes interimere feriendo prævaleat, semetipsum quasi sub velamine virtutis occultat: & dum concordare se vere lugentibus simulat, ad cordis intima securius admissus, hoc quod intus de virtute latet occidit, qui plerumque spondet se ad altiore provehere. Unde & dixisse perhibetur: *Venite ad Godoliam filium Aicham*; & dum majora promittit, etiam minima subtrahit. Unde recte dictum est: *Qui cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos*. Viros ergo ad offerenda Domino munera venientes in medio civitatis interficit, quia divinis deditæ operibus mentes, nisi magna se circumspectione custodiant, subripiente hoste, dum devotionis portant hostiam, in ipso itinere perdunt vitam: de cujus hostis manu non evaditur, nisi intus ad pœnitentiam recurratur. Unde subjungitur: *Decem autem viri reperti sunt inter eos, qui dixerunt ad Ismael: Noli occidere nos, quia habemus thesauros in agro frumenti & hordei, & mellis; & non occidit eos*. Thesaurus in agro est spes in pœnitentia, quæ quia non cernitur, quasi * intra cordis suffossa continetur: qui enim thesauros in agro habuera, servati sunt; quia qui post incautelæ suæ vitium ad lamentum pœnitentiæ redeunt, nec capti moriuntur.

Ibid. v. 18.

* in terra.

CAPUT XXXIV.

Moral. 9. c. 34. n. 53.

DUO sunt quæ in bonis operibus necesse est ut studiose formidentur, desidia videlicet & frans. Unde & per Jeremiam apud vetustam translationem dicitur: *Maledictus omnis qui facit opus * Domini fraudulenter & desidiose*. Sed sciendum est, quod desidia per torporem nascitur; fraus per privatam dilectionem. Illam minor Dei amor exaggerat, hanc vero male mentem possidens proprius amor creat. Fraudem quippe in opere Dei perpetrat, quisquis seipsum inordinate diligens, per hoc quod recte egit ad remunerationis transitoria bona festinat, & per hanc fraudem, aut tacitam humani cordis gratiam, aut favoris auram, aut rem quamlibet exteriorem desiderat. *Solus ergo in opere Dei fraudem non facit, qui, cum ad studia bonæ actionis invigilat, nec ad corporalis rei præmia, nec ad laudis verba, nec ad humani judicii gratiam anhelat. Sæpe enim nonnulla bona, hostra latrocinante fraude depereunt, quia rectis se nostris actionibus concupiscentiæ terrenæ subjungunt. Sæpe enim desidia interveniente deficiunt, qui a fervore quo cœpta sunt, frigescente amore tabescunt.

Jerem. 48. 10. * Dei.

* Ibid.

CAPUT XXXV.

Reg. Pastoral. 3. part. cap. 25.

GRAVI culpa involvuntur qui dum cognoscunt vulnera mentium, curere ea negligunt sectione verborum. Unde per Jeremiam dicitur: *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine*. Gladium quippe a sanguine prohibere est, prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione retinere.

Jerem. 48. 18

CAPUT XXXVI.

Moral. 13. cap. 14. n. 21.

ANTIQUUS hostis justos viros malevole tentare appetit: sed tamen hoc Dominus, vel misericorditer fieri, vel juste permittit. Erudiendos enim electos suos tentatori subjicit, ut qui elati perire poterant, humiliati tentatione liberentur a perditione. *Electos igitur Dei diabolus volens tentat, & tentando nesciens probat; in illa vero superna patria justos cælesti felicitate pollentes, nequaquam tentare permittetur, sed ante eorum oculos æternis gehennæ ignibus mancipabitur, & cum corpore suo, reprobis videlicet omnibus, flammis ultricibus traditus sine fine cruciabitur. * Hanc super antiquum hostem extremi judicii vim venturam Jeremias contemplatus dixit: *Quomodo confractus est, & contritus malleus universæ terræ?* Ac si aperte diceret: Eum per quem vascula sua Dominus in ministerii sui usu formanda percutit, quis perpendat quo turbine, veniente extremo judicio, in æterna damnatione confringit? * Adveniente enim districto judice, de hoc mundo per irem judicii tolletur qui nunc mira mansuetudinis longanimitate toleratur, & tanto hinc pondere tortoris excussus cum judicii turbine rapietur, ut hi qui in corporibus reperiri poterunt; jam fortes & perfecti in tanti terroris turbine magna formidine concutiantur, & si quid in eis inesse potuit levium rubigo vitiorum, hoc pavore excoquatur.

* Ibid. n. 18. & 19.

* Lib. 34. c. 12. num. 19. Jerem. 50. 23.

* Ibid. c. 7. n. 15. & 16.

CAPUT XXXVII.

Jerem. 51. 7. Moral. l. 14. n. 53. n. 56.

CAlix aureus Babylon. Auri nomine nitor exprimitur temporalis gloriæ: quid vero Babylonis nomine, nisi hujus mundi gloria designatur? Quæ calix dicitur aureus: quia dum pulchra esse temporalia ostendit, stultas mentes in sui concupiscentia debriat, ut speciosa temporalia appetant, & invisibilia pulchra contemnant. Aureus Babylon calix est, quia dum visum exterioris pulchritudinis ostendit, sensum internæ rectitudinis subtrahit.

CAPUT XXXVIII.

Reg. Pastoral. 3. part. cap. 13. Jerem. 51. 9.

VOCE flagellantium vitam reproborum Jeremias conqueritur, dicens: *Curavimus Babylonem, & non est sanata*. Babylon curatur nec tamen ad sanitatem verba correptionis audit, flagella correptionis percipit, & tamen ad recta salutis itinera redimere contemnit.

CAPUT XXXIX.

Moral. l. 13. cap. 12.

MAXILLA sanctæ Ecclesiæ prædicatores sancti sunt, sicut per Jeremiam sub Judææ specie dicitur: *Plorans ploravit in nocte, & lacryma ejus in maxillis ejus*. Quia * adversitatem Ecclesiæ illi amplius plangunt, qui vitam carnalium confringere prædicando noverunt.

Thren. 1. 2. * quia in adversitatibus.

CAPUT XL.

Moral. lib. 1. c. 36. n. 51.

ANTIQUUS hostis aliquando intentionem in bono opere polluit, ut omne quod in actione sequitur, eo purum mundumque non exeat, quo hoc ab origine perturbat. Intentionem quippe in

bono

bono opere polluit, quia cum facilia ad decipiendum A corda hominum conspicit, eorum desideriis auram transitorii favoris apponit, ut in his quæ recta faciunt, ad appetenda ima tortitudine intentionis inclinentur. * Unde sub Judææ specie de unaquaque anima laqueo miseræ intentionis capta per Jeremiam dicitur: *Facti sunt hostes ejus in capite.* Ac si aperte diceretur: Cum bonum opus non bona intentione sumitur, huic adversantes spiritus ab ipso cogitationis exordio principantur; tantoque eam plenius possident, quanto per initium dominantes tenent. * Si vero semel cor in intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas & terminus ab hoste callido secura possidetur. Summa ergo cura vigilandum est, ne vel bonis operibus serviens mens reproba intentione B polluatur.

* recte. — Thren. 1. 5. — * Ibid. d. n. 53.

CAPUT XLI.

Moral. lib. 9. c. 31. n. 53.

SUNT nonnulli qui quanto securius ab externis actionibus cessant, tanto latius immunde in se cogitationis strepitum per otium congerant. Unde sub Judææ specie per Jeremiam torpens otio anima defletur, cum dicitur: *Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbata ejus.* Præcepto enim Legis ab exteriori opere in Sabbato cessatur. Hostes ergo Sabbata videntes irrident, cum maligni spiritus ipsa vacationis otia ad cogitationes illicitas C pertrahunt, ut unaquæque anima quo remota ab externis actionibus Deo servire creditur, eo magis eorum tyrannidi illicita cogitando famuletur.

Thren. 1. 7.

CAPUT XLII.

Moral. lib. 25. c. 1. n. 23. Thren. 1. 11.

JEREMIAS Propheta, cum Synagogæ perditos mores defleret, dixit: *Omnis populus ejus gemens, & quærens panem: dederunt pretiosa quæque pro cibo, ad refocillandam animam.* Per panem aliquando jocunditas humanæ delectationis accipitur. Gemens itaque populus quærit panem, cum prava hominum multitudo affligitur; quia non ad votum de præsentis vitæ jocunditate satiatur. Sed & pretiosa quæque pro cibo dat, quia virtutes mentis in appetitu transitoriæ delectationis inclinat, & refocillare animam nititur; quia perversis suis desideriis satisfacere conatur. Unde bene mox & ex voce * electæ multitudinis subditur: *Vide, Domine, & considera, quia facta sum vilis.* Vilis quippe plebs Dei efficitur, cum pravorum numero crescente, in eis non summa & cælestia, sed abjecta & terrena sectatur.

* illius. Ibidem.

CAPUT XLIII.

Moral. 25. cap. 57. Ibidem.

JEREMIAS luctum cordis sui considerari deposcens, ait: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus.* Qui præsentem vitam non quasi viam transeunt, sed quasi patriam attendunt, luctum cordis electorum considerare nesciunt; illos ergo ut dolorem suum considerent, * exquirit quos in hoc mundo animum non fixisse contigit.

* Propheta.

CAPUT XLIV.

Moral. 3. cap. 32. n. 62.

SÆPE foris flagellis atterimur, & intus carnali suggestione fatigamur. Hinc est quod Jeremias deplorat, dicens: *Foris interficit gladius, & domi mors similis est.* Foris enim interficit gladius, cum nos exterius feriens vindicta configit: sed domi mors similis est: quia & flagella quidem sustinet, & tamen intus conscientia a tentationis sordibus munda non est.

Thren. 1. 20.

CAPUT XLV.

Moral. 11. c. 16. n. 25. Thren. 2. 5.

ISRAELITARUM casum longe ante Jeremias intuens, ait: *Factus est Dominus velut inimicus; præcipitavit Israel, præcipitavit omnia mœnia ejus, dissipavit munitiones ejus.* Mœnia in urbibus pro ornamento sunt, munitiones vero in defensionem; quia & alia sunt dona quæ nos muniunt; alia quæ ornant. Prophetiæ quippe, doctrina, genera linguarum, curationum virtus, quasi quædam mentis mœnia sunt; quæ si quisque non habeat, stare munitus per fidem & justitiam potest, quamvis ornatus virtutum altitudine minime esse videatur. Spes vero, fides, & caritas non nostra mœnia, sed munitiones sunt; quæ si habere negligimus, hostium insidiis patemus. De Judæa ergo quia prophetiam & doctrinam, vel miraculorum signa abstulit; *mœnia præcipitavit.* Quia vero fidem, spem, & caritatem propter ejus duritiam auferre permisit, munitiones ejus auferre studuit. Rectus vero ordo servatus est, ut prius mœnia, & post munitiones dissipatæ dicerentur: quia cum peccatrix anima relinquitur, prius ab ea dona virtutum quæ ad manifestationem spiritus data sunt, & postmodum fidei, spei, & caritatis fundamenta destruuntur.

CAPUT XLVI.

Reg. Pastoral. sec. part. c. 4. Thren. 2. 14.

POPULO delinquenti per Jeremiam dicitur: *Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* Prophetæ in sacro eloquio nonnumquam doctores vocantur, qui dum fugitiva & præsentia indicant, quæ sint ventura manifestant. Quos divinus sermo falsa videre redarguit, quia dum corripere culpas metuunt, D incassum delinquentibus promissa securitate blandiuntur. Qui iniquitatem peccantium nequaquam aperiunt, quia ab increpationis voce conticescunt. Clavis quippe apertionis est sermo correptionis, quia increpando culpam detegit, quam sæpe nescit etiam ipse qui perpetravit.

CAPUT XLVII.

Moral. 34. c. 5. n. 5.

ELECTI in hoc ærumnoso vitæ præsentis exilio positi pauperes se esse, sciunt; & quia veras divitias cælestis patriæ nequaquam conspiciunt, ad eas assidue suspirantes in ærumna paupertatis istius gemunt. Hanc paupertatem Jeremias inspexerat, cum dicebat: *Ego vir* E *videns paupertatem meam, in virga indignationis ejus.* Virga indignationis Dei, est percussio districtionis; quam indignationem tunc homo pertulit, cum ex paradiso pulsus, veras interni gaudii divitias amisit. Sed quia electi quique incessanter conspiciunt quod in præsentis vitæ penuriam ab illa potestatis ingenitæ facultate ceciderunt, bene dicitur: *Ego vir videns paupertatem meam.* Quisquis enim adhuc hæc visibilia appetit, peregrinationis suæ malum

Thren. 3. 1.

lum

* Propheta. lum non intelligit; & hoc ipsum quod patitur, videre nescit. Hanc paupertatem David * intuens, ait: *Infirmata est in paupertate virtus mea*. In paupertate enim virtus infirmari dicitur, quia lapsus in hac peregrinatione animus, & corruptionis suæ molestiis reverberatus, hoc quod perdidit contemplari præpeditur.

Psal. 30. 11.

CAPUT XLVIII.

Hom. 12. l. 1. in Ezech. n. 13 Thren. 3. 7.

SUBTILE omnipotentis Dei judicium Jeremias intuens: ait: *Aggravavit compedem meum*. Habemus compedes ipsam infirmitatem, & corruptionem mortalitatis nostræ. Sed cum tribulatio nobis & gemitus additur, ipsæ nostræ compedes aggravantur.

CAPUT XLIX.

Moral. lib. 20 c. 15. n. 39. Thren. 3. 15.

JEREMIAS totius in se humanæ conversationis speciem sumens per lamentum conqueritur, dicens: *Inebriavit me absinthio*. Ebrius quisque quod patitur nescit: qui vero absinthio debriatur, & hoc quod sumsit amarum est, & tamen non intelligit eamdem amaritudinem qua repletur. Humanum ergo genus recto Dei judicio in voluptatibus suis sibi dimissum; & per easdem voluptates in spontaneis tribulationibus traditum, absinthio est ebrium; quia & amara sunt quæ pro hujus vitæ amore tolerat, & tamen eamdem amaritudinem cæcitate cupiditatis, quasi insensibilitate ebrietatis ignorat. Mundi enim gloriam sitiens, dum multas pro ea tribulationes suscipit, amarum est quod bibit. Sed quia hoc nimis inhianter sumsit, ejusdem amaritudinis malum discernere jam pro ipsa ebrietate non sufficit. * A sensu rationis alienus, dum quidquid pro mundo sustinet, leve putat, & laboris amaritudinem quam tolerat, ignorat: quia delectabiliter ad cuncta ducitur in quibus pœnaliter fatigatur.

* Ibid. lib. 7. cap. 22.

CAPUT L.

Moral. 18. cap. 5 n. 10. Thren. 3. 40.

VALDE apud Deum duo congruunt necessario: ut oratione operatio, & operatione fulciatur oratio. Hinc enim Jeremias ait: *Scrutemur vias nostras, levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cælum*. Vias enim nostras scrutari, est cogitationum interna discutere. Corda vero cum manibus levat, qui orationem suam cum operibus roborat. Nam quisquis orat, sed opera dissimulat, cor levat & manus non levat: quisquis vero operatur & non orat, manus levat & cor non levat.

CAPUT LI.

Moral. 82. c. 27. n. 37. Thren. 3. 44.

SANCTI viri qui etiam alienæ negligentiæ compatiuntur, & se pati æstimant quod pati alios sentiunt, Deo orantes dicunt: *Opposuisti nubem, ne transeat oratio*. Ac si aperte dicant: Menti nostræ terrenis voluptatibus assuetæ, curarum suarum phantasmata justo judicio objicis, quibus eam in ipsa orationis suæ intentione confundis; & quam infimis desideriis deditam non ignoras, recte cæcatam ab intuenda lucis tuæ perspicuitate reverberas; ut cum in te intenditur, ipso a te cogitationum suarum nubilo reflectitur; & quæ terrena hæc assidue cogitat, quia vult, hæc etiam toleret in oratione, cum non vult.

CAPUT LII.

Reg. Past. or. 3. part. c. 29 Thren. 3. 48

PECCATORES singula quæque admissa considerare debent, ut dum per unumquodque erroris sui inquinationem deflent, simul se ac totos lacrymis mundent. Unde per Jeremiam dicitur, cum Judææ singula delicta pensaret: *Divisione aquarum deduxit oculus meus*. Divisas ex oculis aquas deducimus, cum peccatis singulis dispertitas lacrymas damus. Neque enim uno eodemque tempore æque mens de omnibus dolet; sed dum nunc hujus, nunc illius culpæ memoria acrius tangitur, simul de omnibus in singulis commota purgatur.

CAPUT LIII.

Moral. 26. c. 36. n. 65. Thren. 3. 53.

CUM Jeremias Judæam in iniquitatibus longa consuetudine obrutam fuisse conspiceret, in lamentis suis sub ejus specie seipsum deplorat, dicens: *Lapsa est in lacu vita mea, & posuerunt lapidem super me*. In lacum vita labitur, cum labe iniquitatis inquinatur: lapis vero superponitur, cum etiam dura consuetudine mens in peccato devoratur: ut & si velit exurgere, jam utcumque non possit, quia moles desuper malæ consuetudinis premit.

CAPUT LIV.

Reg. Pastoral sec. part. c. 7. Thren. 4. 1.

MAGNO dolore caritatis Jeremias sub destructione templi deplorat, dicens: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum*. Quid auro quod ceteris metallis præminet, nisi excellentia sanctitatis? Quid colore optimo, nisi cunctis amabilis reverentia religionis exprimitur? Quid sanctuarii lapidibus, nisi sacrorum ordinum personæ signantur? Quid platearum nomine, nisi præsentis vitæ latitudo figuratur? Quia enim Græco eloquo πλάθος, latitudo dicitur, profecto a latitudine plateæ sunt vocatæ. * Aurum vero obscuratum doluit, quia in quibusdam claritatem innocentiæ & religionis, versam in culpæ nigredinem vidit. * Aurum quippe obscuratur, cum subsequentibus iniquitatum tenebris, justitiæ pulchritudo deseritur: cum terrenis actibus spiritualis vita polluitur. Color optimus mutatur, cum splendor innocentiæ in fœditatem vertitur culpæ. * Color optimus commutatur, cum quorumdam qui degere religiose credebantur, existimatio anteacta minuitur; nam cum quilibet post sanctitatis habitum terrenis se actibus inserit, quasi colore permutato ante humanos oculos ejus reverentia despecta pallescit. Sanctuarii quoque lapides in plateas disperguntur, cum causarum secularium foris lata itinera expetunt, hi qui ad ornamentum Ecclesiæ internis mysteriis, quasi in secretis * sanctuarii vacare debuerunt. Ad hoc quippe lapides sanctuarii fiebant, ut in Sancti sanctorum in vestimento summi Sacerdotis apparerent. Cum vero ministri religionis a subditis honorem Redemtoris sui ex merito vitæ non exigunt, sanctuarii lapides in ornamento Pontificis non sunt. Qui nimirum sanctuarii lapides dispersi per plateas jacent, cum personæ sacrorum ordinum, voluptatum suarum latitudinis deditæ, terrenis negotiis inhærent. Et notandum quod non hos dispersos in plateis, sed in capite platearum dicit; quia & cum terrena agunt, sum-

* Moral. l. 17 cap. 31. * Moral l. 34. cap. 15. * Reg. Past. ibidem. * tabernaculi.

summi videri appetunt, ut & lata itinera teneant ex voluptate delectationis, & tamen in platearum sunt capite ex honore sanctitatis. Nihil ergo obstat si sanctuarii lapides eosdem ipsos quibus constructum sanctuatium existebat accipimus, qui dispersi in capite platearum jacent, cum sacrorum ordinum viri terrenis actibus ex desiderio inserviunt, ex quorum prius officio sanctitatis gloria stare videbatur. Secularia itaque negotia aliquando ex compassione sunt toleranda, numquam vero ex amore requirenda; ne cum mentem diligentis aggravant, hanc suo victam pondere ad ima de cælestibus mergant.

CAPUT LV.

Moral. l. 33. c. 25. n. 49. Thren. 3. 64.

DE Judæis contra præcepta Domini superba se defensione tuentibus, per Jeremiam dicitur: *Reddes eis, Domine, juxta opera manuum suarum*. Moxque eamdem vicem expressus subdidit, dicens: *Dabis scutum cordis laborem tuum*. (* Ibid. v. 65.) Labor Domini apparens inter homines, passibilis ejus humanitas fuit; quam Judæi superbe sapientes despexerunt; cumque immortalem credere dedignati sunt, quem natura passibili mortalem viderunt. Cumque ejus humilitatem conspicerent, fastibus superbiæ obdurati, summa cura moliti sunt ne eorum mentes sancta prædicentium verba penetrarent. Dum ergo eis Dominus vicem malorum operum redderet, dedit eis scutum cordis laborem suum: quia recto judicio inde illos contra se superbe obstinatos exhibuit, unde ipse pro nobis in infirmitate laboravit. Repulerunt quippe a se verba prædicantium, quia dedignati sunt in Domino infirma passionum. Laborem igitur Domini contra eumdem Dominum scutum cordis habuerunt, quia superbe sapientibus eo despectus apparuit, quo propter eos humilis fuit. * Ne enim prædicationis spicula eorum corda penetrarent, dum passionis ejus laborem dedignati sunt, quasi eumdem laborem illius pro scuto tenuerunt; ut eo ad se transire prædicatorum ejus verba non permitterent, quo eum laborare usque ad mortem * videant.

* Lib. 2. hom. 22 in Evangel. num. 4.

* viderunt

CAPUT LVI.

Moral. 9. c. 10 n. 11.

CUMQUE Judæi superbe sapientes, morem suum vi præceptorum Christi discipulorum prædicatione destrui conspicerent, in persecutionis procellas adversus eos se commoventes mirabiliter extulerunt. Sed has supernorum Conditor, sublevata virtute suorum prædicatorum mirabilius stravit, sicut scriptum est: *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus*. (Psal. 92. 4.) Ministros enim suos plus ostendit posse per miracula, quam potestates terrenæ tumuerant per iram. Unde bene etiam per Jeremiam Dominus exteriora narrans, interiora denuntians, ait: *Posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit; & commovebuntur, & non poterunt, & intumescent fluctus ejus, & non transibunt illud*. (Jerem. 5. 22.) Arenam quippe Dominus terminum mari posuit, quia ad frangendam mundi gloriam abjectos & pauperes elegit. Cujus nimirum maris fluctus intumescunt, cum potestates seculi ad commotionem persecutionis exsiliunt, sed transire arenam maris nequeunt, quia despectorum miraculis & humilitate franguntur.

CAPUT LVII.

Moral. 10. c. 18. n. 37.

TEMPORE Antichristi cum sancta Ecclesia adversitate premetur, hæreticis & pravis quibusque prædicatoribus licentia locutionis dabitur. Quod longe ante Jeremias intuens, ait: *Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos*. (Thren. 4. 3.) Quid namque lamias, nisi hæreticos appellat, humanam quidem faciem, sed belluina per impietatem corda gestantes; qui tunc mammam nudant, cum errorem suum libere prædicant? Tunc catulos lactant, quia male sequaces parvulorum animas, dum perversa insinuant, ad impietatem nutriendo confirmant.

CAPUT LVIII.

Thren. 4. 19. Moral. l. 31. cap. 47.

VElociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli. Aquilarum nomine insidiatores spiritus intelliguntur. Persecutores itaque nostri velociores aquilis cæli sunt, cum contra nos tanta maligni homines faciant, ut ipsas etiam aerias potestates inventionibus malitiæ præire videantur.

CAPUT LIX.

Moral. 32. c. 22. n. 46.

NONNUMQUAM hi qui viam sanctitatis appetunt, errore lapsi tardius emendantur. Rectum quippe æstimant esse quod agunt & idcirco suo judicio enixius serviunt. Unde Jeremias cum diceret: *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores*. (Thren. 4. 7. & 8.) *Denigrata est facies eorum super carbones, & non sunt cogniti in plateis*: illico adjunxit: *Adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, & facta est quasi lignum*. Quid enim Nazaræorum nomine, nisi abstinentium & continentium vita signatur, quæ nive & lacte * candidior dicitur? (* nitidior.) Nix enim ex aqua congelascit quæ desuper venit, lac autem ex carne exprimitur, quæ in inferioribus nutritur. Quid vero per nivem, nisi candor vitæ cælestis? Quid per lac, nisi temporalis dispensationis administratio designatur? Et quia plerumque continentes viri in Ecclesia tam mira opera faciunt, ut ab eis multi qui cælestem vitam tenuerant, multi qui * terrenam bene dispensaverunt superari videantur, & candidiores nive, & nitidiores lacte referuntur. (* terrena.) Qui etiam quia per fervorem spiritus antiquorum & fortium patrum nonnumquam vincere vitam videntur, recte adjungitur: *Rubicundiores ebore antiquo*. Dum enim ruboris * nomine exprimitur; (* nomen.) sancti desiderii flamma signatur. Ebur vero esse os magnorum animalium non ignoramus. Ebore itaque antiquo rubicundiores sunt, quia sæpe ante humanos oculos nonnullis præcedentibus patribus studii ferventioris existunt. De quibus ut simul totum ostendatur, adjungitur: *saphiro pulchriores*. Ætherei quippe coloris est saphirus, & quia præcedentes multos, & ad superna tendentes per cælestem conversationem videntur vincere, narrantur saphiro pulchriores extitisse. Sed plerumque dum virtutum copia etiam plus quam expedit prosperatur, in quadam sui fiducia mens adducitur, & decepta præsumtione propria, repente peccato subripiente fuscatur. Unde * repente subjungitur: *Denigrata* * *sicut carbones facies eorum*. (* recte. * est super.) Nigri enim post candorem fiunt, quia amissa Dei justitia, cum de se præsumunt, in ea etiam quæ non intel-

intelligunt peccata dilabuntur. Et quia post amoris ignem ad frigus torporis veniunt, extinctis carbonibus ex comparatione preferuntur. Nonnumquam enim dum timorem Dei per sui fiduciam deserunt, etiam frigidis mentibus frigidiores fiunt. De quibus recte subjungitur: *Non sunt cogniti in plateis*. Platea quippe Greci sermonis ratione pro latitudine dicitur. Quid vero est humanæ menti angustius quam voluntates proprias frangere? De qua fractione Veritas dicit: *Intrate per angustam portam*. (Matth. 7. 13.) Quid autem latius quam nullis propriis voluntatibus reluctari, & quaquaversum impulsus arbitrii duxerit, se sine retractione diffundere? Qui ergo per fiduciam sanctitatis, postposito meliorum judicio, se sequuntur, quasi per plateas pergunt. Sed non sunt cogniti in plateis, quia de vita sua aliud ostenderant, quando frangendo voluntates proprias in angusto se calle retinebant. Et bene additur: *Adhæsit cutis eorum ossibus*. Quid enim in osse, nisi duritia fortitudinis? Quid in cute, nisi mollities exprimitur infirmitatis? Cutis ergo eorum adhærere ossibus dicitur, quia ab eis prava sentientibus infirmitas vitii duritia virtutis putatur. Infirma enim sunt quæ faciunt, sed elationis fiducia decepti, fortibus ea suspicionibus jungunt; & quo de se magna sentiunt, eo de sua nequitia emendari contemnunt. Unde & recte adjungitur: *Aruit & facta est quasi lignum*. Culpa quippe eorum tanto insensibilior redditur, quanto apud eos etiam laudabilis habetur: quam recte aridam asserit, quia nulla sui cognitione virescit. * Cum itaque error ab eis virtus creditur, difficilius emendatur; & tanto tardius mens eorum vitium suum deserit, quanto per virtutis speciem decepta, præmiorum etiam de eo retributionem quærit. Facile autem culpa corrigitur, quæ & erubescitur; quia assa culpa sentitur, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat per infinita seculorum secula.

(* Ibid. n. 4)

L I B E R Q U I N T U S.

EXCEPTIONES EX OPUSCULIS B. GREGORII PAPÆ in subjectis capitulis Ezechielis Prophetæ.

1 *De electri specie in medio ignis.*
2 *De facie quatuor animalium.*
3 *Manus hominis erant sub pennis eorum.*
4 *Junctæque erant pennæ.*
5 *Non revertebantur, cum incederent.*
6 *In circuitu & intus plena erant oculis.*
7 *Stabant & summittebant alas suas.*
8 *Audivi vocem alarum.*
9 *De libro in quo erant lamentationes & carmen & væ.*
10 *Linguam tuam adhærere faciam palato.*
11 *Sume tibi laterem.*
12 *Sume tibi gladium.*
13 *Missa similitudo manus apprehendit me.*
14 *Fili hominis, fode parietem.*
15 *Ecce sex viri veniebant de via superioris portæ.*
16 *Non ascendistis ex adverso.*
17 *De his qui consuunt pulvillos.*
18 *Mortificabant animas quæ non moriuntur.*
19 *De tribus viris liberatis, Noe scilicet, Daniel & Job.*
20 *In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus.*
21 *Habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es.*
22 *Aquila grandis magnarum alarum.*
23 *Dedi ei præcepta non bona.*
24 *Versa est mihi domus Israel in scoriam.*
25 *In Ægypto subacta sunt ubera earum.*
26 *Sanguis in medio ejus.*
27 *Tu signaculum similitudinis Dei.*
28 *Quo pulchrior es, descende & dormi cum incircumcisis.*
29 *Ibi Assur & omnis multitudo ejus.*
30 *Quod fractum est non alligastis.*
31 *Cum austeritate imperabatis.*
32 *Cum limpidissimam aquam biberetis.*
33 *Tollam vobis cor lapideum.*
54 *De calamo in manu viri.*
35 *Terra usque ad fenestras, & fenestra clausa.*
36 *Ostende domui Israel templum.*
37 *De fossa in altari Dei.*
38 *Sacerdotes ad populum exterius egredientes.*
39 *Sacerdotes caput non radent.*
40 *Mensus est cubitis mille.*

CAPUT PRIMUM.

(Moral. lib. 28 c. 1 n. 3.) (Ezech. 1.)

ALIQUANDO rebus per Angelos loquitur Deus, cum nil verbo dicitur, sed ea quæ futura sunt, assumta de elementis imagine, nuntiantur; sicut Ezechiel nil verborum audiens, electri speciem in medio ignis vidit, ut videlicet dum solam speciem aspiceret, quæ erant in novissimis ventura sentiret. Electrum quippe ex auri & argenti metallo miscetur, in qua permixtione argentum clarius redditur, & fulgor auri temperatur. Quid ergo in electro, nisi Mediator Dei & hominum demonstratur? qui dum * se nobis ex divina & humana natura composuit, humanam per deitatem clariorem reddidit, & divinam per humanitatem nostris aspectibus temperavit. Quod enim virtute divinitatis ejus tot miraculis humanitas fulsit, ex auro crevit argentum: & quod per carnem cognosci Deus potuit, quodque per carnem tot adversa toleravit, quasi ex argento temperatum est aurum: quod bene in medio ignis ostenditur, quia incarnationis ejus mysterium subsequentis judicii flamma comitatur. Scriptum quippe est: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio.* (Johan. 5. 22.)

(* semetipsum.)

CAPUT II.

(Ezech. 1. Moral. 31. c. 47. n. 94.)

CUM Ezechiel quatuor animalia describeret se vidisse, in eis sibi hominis, leonis, bovis & aquilæ faciem testatur apparuisse. Et quamvis singula ad unumquemque Evangelistam conveniant, dum alius humanæ nativitatis ordinem; alius per mun-

di sacrificii mactationem, quasi vituli mortem; alius potestatis fortitudinem, quasi leonis clamorem insinuat; alius nativitatem verbi intuens, quasi ortum solem aquila aspectat; possunt tamen hæc quatuor animalia ipsum suum caput cujus sunt membra signare. Ipse namque homo est, quia naturam nostram veraciter suscepit; & vitulus, quia pro nobis patienter occubuit; & leo; quia per divinitatis fortitudinem susceptæ mortis vinculum rupit; & ad extremum aquila, quia ad cælum de quo venerat, rediit. Homo ergo nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, aquila ad cælos ascendendo.

CAPUT III.

Moral 6. c. 17. n. 61. Ezech. 1. 8. EZECHIEL animalia volantia contemplatus, ait: *Manus hominis sub pennis eorum erant.* Quid per pennas animalium, nisi contemplationes eorum possumus * dicere, quibus ad summa transvolant, & terrena deserentes sese in cælestibus librant? Quid per manus, nisi operationes accipimus? cum enim Sancti in proximi amore se dilatant, bona quæ prævalent, etiam corporaliter administrant; sed eorum manus sub pennis sunt, quia actionis suæ opera, virtute contemplationis vincunt.

* sentire Sanctorum.

CAPUT IV.

Moral. 29. c. 31. n. 71. Ezech. 1. 8. CUM Ezechiel diversi generis animalia se vidisse diceret, adjunxit: *Junctaque erant pennæ eorum alterius ad alterum.* Pennæ animalium alterius ad alterum junctæ sunt, quia etsi dissimilia sunt quæ agunt, uno tamen eodem sensu sibi Sanctorum voces & virtutes sociantur: & quamvis alius rationabiliter cuncta agendo fit homo, alius in passionibus fortis adversa mundi non timendo fit leo, alius per abstinentiam seipsum vivam hostiam offerendo fit vitulus, alius in alta se rapiendo contemplationis volando fit aquila; pennis tamen se dum volant tangunt, quia & confessione vocum & virtutum sibi unanimitate junguntur.

CAPUT V.

Moral. 10. c. 15. n. 31. IN Activa vita sine defectu & indefesse persistens mens figitur, a contemplativa vero infirmitatis suæ pondere victa descendendo lassatur, & ad hanc magnis conatibus per intervalla temporum reformatur. Quod breviter Ezechiel insinuat, cum eorum quæ viderat motus animalium narrat, dicens: *Non revertebantur cum incederent*, & paulo post subjunxit: *Et animalia ibant & revertebantur.* Sancta quippe animalia aliquando vadunt, & minime redeunt; aliquando vadunt & protinus revertuntur: quia electorum mentes cum per collectam sibi activæ vitæ gratiam erroris viam deserunt, redire ad mala mundi nesciunt quæ reliquerunt. Cum vero per contemplationis aciem ab hac eadem activa vita suspendunt, eunt & redeunt, quia per hoc quod diu * sustinere minime in contemplatione sufficiunt, sed ad operationem rursus funduntur; ut in his quæ sibi juxta sunt, se exercendo refoveant, & super se iterum surgere contemplando convalescant.

Ezech. 1. 9. Ibid v. 14. * persistere.

CAPUT VI.

Moral. 29. c. 11. n. 20. SANCTI omnes foris se & intus circumspiciunt, & * reprehendi se exterius, vel interius quos se interius videri invisibiliter timent. Hinc est quod animalia quæ per Ezechielem videntur, in circuitu & intus plena oculis esse memorantur. Quisquis enim exteriora sua honeste disponit, sed interiora negligit, in circuitu oculos habet. Sancti vero omnes quia & exteriora sua circumspiciunt, ut bona de se exempla fratribus præbeant, & interiora sua vigilanter attendunt, quia se irreprobabiles interni judicis obtutibus parant; & in circuitu oculos & intus habere perhibentur.

* reprehendo. Ezech. 1. 18.

CAPUT VII.

Moral. 35. c. 2. n. 3. Ezech. 1. 25. EZECHIEL loquens de quatuor animalibus, dicitur: *Cum fieret vox sup a firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant & submittebant alas suas.* Quid per volatum animalium, nisi Evangelistarum & doctorum sublimitas designatur? vel quid sunt alæ animalium, nisi Sanctorum contemplationes eos ad cælestia sublevantes? Sed cum fit vox supra firmamentum, quod super eorum caput est, stantes, submittunt alas suas; quia cum internam vocem supernæ sapientiæ audiunt, quasi volatus sui alas deponunt: quia videlicet ipsam veritatis altitudinem minus se contemplari posse cognoscunt. Ad vocem ergo desuper venientem alas deponere, est, cognita superna potentia virtutes proprias humiliare, & consideratione Creatoris nihil de se aliud quam abjecta sentire.

CAPUT VIII.

Moral. 24. cap. 8. n. 19. Ezech. 1. 24. CUM Ezechiel animalia volantia descripsisset, adjunxit: *Audivi vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram.* Quid alas animalium, nisi virtutes debemus sentire Sanctorum, qui dum terrena despiciunt, ad cælestia volando sublevantur? Volantia itaque animalia alis se vicissim feriunt, quia Sanctorum mentes in eo quod superna appetunt, consideratis invicem alterius virtutibus excitantur. Ala enim sua me percutit, qui exemplo sanctitatis propriæ ad melius me accendit; & ala mea vicinum animal ferio, si aliquando alteri opus bonum quod imitetur ostendo. * Magna namque sollicitudine meliorum vitam conspicere debemus, quia ad curam nostræ meliorationis accingimur, quando id virtutis in aliis cernimus quod non habemus. Tanto vero ardentius ad humilitatem proficimus, quanto ex bonis quæ nos habemus inferiores nos habentibus ea pensamus, & ab elatione reprimimur; & ad provectus studium accendimur. * Sancti enim viri dum virtutum consideratione vicissim alios sibi præferunt, volantia animalia alarum percussione se tangunt, ut eo ad volatum se altius excitent, quo humilius alter in altero quod admiretur videt. * Reprobi vero non in meliorum vestigia, sed deteriorum vitam & exempla considerant, quibus meliores se esse gloriantes superbiendo præferunt; & ideirco proficere ad meliora non possunt, quia hoc sibi sufficere credunt quod pessimos antecedunt.

* Ibid. * Ibid. n. 20. * Ibid. n. 21.

CAPUT IX.

Moral. l. 16. c. 16. n. 27. QUIA ad æterna gaudia redire non possumus, nisi per temporalium detrimenta, tota Scripturæ sacræ intentio est, ut spes manentis lætitiæ non inter hæc transitoria adversa corroboret. Unde Ezechiel

Ezech. 2. 9.

chiel librum se testatur accepisse, in quo scriptæ erant lamentationes, & carmen, & væ. Quid enim libro hoc, nisi divina eloquia figurantur? quæ quia & nobis lacrymas luctusque præcipiunt, lamentationes in eo scriptæ referuntur. Carmen quoque & væ continent, quia sic de spe gaudium prædicant, ut in præsenti tamen pressuras & angustias indicent. Carmen & væ continent, quia & si illuc dulcia appetimus, prius necesse est ut hic amara toleremus.

CAPUT X.

Moral. lib. 30 c. 27. n. 82. SÆpe doctori verbum pro gratia tribuitur auditoris, & sæpe pro auditoris culpa subtrahitur sermo doctori, sicut ad Ezechielem contra Israel dicitur: *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, quia domus exasperans es.* (Ezech. 3. 26.) * Ac si aperte dicat: Idcirco tibi prædicationis sermo tollitur, quia dum me in suis actionibus plebs exasperat, non est digna cui exhortatio veritatis fiat. (*Lib. 1. hom. 17. in Evang. num. 3.) Aliquando enim sermo prædicationis propter utrosque, doctorem scilicet & auditorem, datur: aliquando propter utrosque subtrahitur. * In his ergo quæ ubertim prædicat doctor, nulla se elatione efferat, ne fortasse non pro sua, sed pro auditoris gratia ejus repleatur lingua. (*Ibid Moral. lib. 30 c. 27. num. 82.) Et in his quæ doctor steriliter dicit, auditor non succenseat; ne fortasse doctoris lingua non pro sua, sed pro auditoris reprobatione torpescat. * Cur autem quilibet de doctrina superbiat, cum occulto judicio vel cui quando detur, vel quando cui subtrahatur ignorat. (* Ibid. n. 83.) Inter hæc igitur cum vel pro quo sermo detur, vel propter quem subtrahatur ignoramus, unum est salubre remedium, nec de iis quæ aliis majus accepimus nosipsos extollere, nec de eo alterum quod minus acceperit irridere.

CAPUT XI.

Reg. Pastor. 2. par. c. 10. DEBITUM Rectorum est supernæ patriæ gloriam auditoribus per vocem prædicationis ostendere; quanta in hujus vitæ itinere tentamenta antiqui hostis lateant aperire, & subditorum mala quæ tolerari leniter non debent, cum magna zeli * austeritate corrigere: (* asperitate.) ne si minus contra culpas accenduntur, culparum omnium ipsi rei teneantur. Unde ad Ezechielem dicitur: *Fili hominis sume tibi laterem.* (Ezech. 4. 1.) * Notandum est, quod quoties ad contemplanda cælestia Propheta Ezechiel ducitur, prius filius hominis vocatur. (* Ibid. 4. par.) Ac si aperte Dominus admoneat, dicens: Ne de his quæ vides cor in elatione subleves, cautus perpende quod es, ut cum summa penetras, esse te hominem recognoscas: quatenus dum ultra te raperis, ad teipsum sollicitus infirmitatis tuæ freno revoceris. * Ezechieli igitur magistrorum speciem tenenti dicitur: (* Ibid. 2. par. cap. 10.) *Sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo civitatem Jerusalem.* Doctores quippe laterem sibi sumunt, cum terrenum cor auditorum ut doceant apprehendunt. Quem laterem coram se ponunt, quia tota illud sollicitudinis intentione custodiunt: in quo & civitatem Jerusalem jubentur describere, quia prædicando terrenis cordibus, curant summopere quanta sit supernæ pacis visio, demonstrare. Sed quia incassum gloria patriæ cælestis agnoscitur, nisi & quanta huic irruant hostis callidi tentamenta noscantur, apte subjungitur: *Et ordinabis adversus* (Vers. 2.) *eam obsidionem*; Sancti enim prædicatores obsidionem circa laterem in quo Jerusalem descripta est ordinant, cum terrenæ menti sed jam supernam patriam requirenti, quanta eam in hujus vitæ tempore vitiorum impugnet adversitas demonstrant. Cum enim unumquodque peccatum quomodo * menti insidietur ostenditur, quasi obsidio circa civitatem Jerusalem voce prædicatoris ordinatur. (* proficientibus.) Sed quia non solum insinuatur quomodo mentem vitia expugnent, sed etiam quomodo custoditæ virtutes roborent, subjungitur: *Et ædificabis munitiones.* (Ibidem.) Munitione sanctus prædicator ædificat, cum quæ virtutes quibus vitiis obveniant insinuat. Et quia crescentibus virtutibus, plerumque tentationis bella augentur, bene adhuc subditur: *Et comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro.* Aggerem comportat, cum prædicator quisque molem crescentis tentationis indicat; & contra Jerusalem castra erigit, cum rectæ intentioni auditentium hostis callidi circumventiones patefacit, & quasi incomprehensibiles insidias prædicit. Et in gyro parietes ponit, cum tentationum aculeos in hac vita nos undique circumdantes, & virtutum murum perforantes innotescit. Sed cuncta hæc licet subtiliter Rector insinuet, nisi contra delicta singulorum æmulationis spiritu ferveat, nullam sibi in perpetuum absolutionem parat. Unde recte additur: *Et tu sume tibi sartaginem ferream.* (Ibid. v. 3.) Per sartaginem frixura mentis, per ferrum vero fortitudo ostenditur increpationis. Quid vero acrius doctoris mentem quam zelus Domini frigit & excruciat? Et quia quisquis zelo Dei contra peccantes accenditur, farti in perpetuum custodia munitur, ne ex neglecta prædicationis & regiminis cura damnetur, recte subditur: *Et pones eam murum ferreum inter te & inter civitatem.* (Ibidem.) Sartago ferrea murus ferreus inter Prophetam & civitatem ponitur, quia cum nunc fortem zelum doctores exhibent, eumdem postmodum inter se & auditores suos fortem munitionem tenent: ne tunc ad vindictam destituti sint, si nunc fuerint in correctione dissoluti. * Nunc ergo doctores necesse est ut appetant zeli ardoribus frigi, ne cogantur post de torpore negligentiæ igne gehennæ cruciari. (Moral. lib. 26 c. 6. n. 10.)

CAPUT XII.

FIli hominis sume tibi gladium & duces per caput tuum & per barbam tuam. (Ezech. 5. 1. Moral. lib. 2 cap. 35.) Hoc Prophetæ facto judicium Redemtoris exprimitur, qui in carne apparens caput rasit, quia a Judaico sacerdotio præceptorum suorum sacramenta abstulit. Barbam rasit, quia regnum Israeliticum deserens, decorem virtutis ejus amputavit.

CAPUT XIII.

SANCTI viri dum cogitationes cordis a visibilium appetitu constringendo, intra seipsos colligunt, occulta etiam aliena delicta deprehendunt. (Moral. lib. 31 c. 1. n. 19.) Unde per Ezechielem dicitur: *Emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & elevavit me spiritus inter cælum & terram, & adduxit me in Jerusalem, in visione Dei, juxta ostium interius quod respiciebat ad Aquilonem, ubi erat statutum idolum zeli, ad æmulationem provocandam.* (Ezech. 8. 3.) Quid est cincinnus capitis, nisi collectæ cogitationes mentis, ut non sparsæ * fluant, sed (* diffluant.)

 per

per disciplinam constrictæ subsistant? Manus ergo desuper mittitur, & Propheta per cincinnum capitis elevatur, quia cum nostra mens se per custodiam colligit, vis superna sursum nos ab infimis trahit. Bene ergo inter terram & cælum sublevatum se asserit, quia quilibet Sanctus in carne mortali positus, plene quidem adhuc ad superna non pervenit, sed jam tamen ima derelinquit. In visione vero Dei in Jerusalem ducitur, quia videlicet unusquisque proficiens per caritatis zelum, qualis esse Ecclesia debeat contemplatur. Bene quoque additur quia juxta ostium interius ductus est quod respiciebat ad Aquilonem; quia nimirum sancti viri, dum per aditum internæ contemplationis aspiciunt, plus prava intra Ecclesiam fieri quam recta deprehendunt, & quasi in Aquilonis parte oculos, id est ad solis sinistram flectunt, quia contra vitiorum frigora, caritatis se stimulis accendunt. Ubi & subjungitur, quia illic erat statutum idolum zeli ad provocandam æmulationem. Dum enim intra sanctam Ecclesiam a nonnullis specie sola fidelibus rapinas & vitia perpetrari considerant, quid aliud quam in Jerusalem idolum vident? Quod idolum zeli dicitur, quia per hoc contra nos æmulatio superna provocatur; & tanto districtius delinquentes ferit, quanto nos carius Redemtor amat.

CAPUT XIV.

Moral. lib. 26 c. 6. n. 7. SANCTI doctores sæpe solent exaggerare delinquentium vitia, & ex quibusdam signis publicis rimari occulta, ut possint ex minimis cognoscere majora. Unde ad Ezechielem dicitur: Ezech. 8. 8. *Fili hominis fode parietem*. Per Ezechielem præpositorum persona significatur; per parietem duritia subditorum: & quid est parietem fodere, nisi acutis inquisitionibus & asperis correptionibus duritiam cordis aperire? & cum perfodisset parietem, apparuit ostium: quia cum cordis duritia percunctationibus & asperis increpationibus scissa aperitur, quasi quædam janua ostenditur ex qua omnia in eo qui corripitur, cogitationum interiora videantur. Ibid. v. 9. Unde & sequitur: *Ingredere & vide abominationes pessimas quas isti faciunt*. Quasi ingreditur ut abominationes videat, qui discussis quibusdam signis exterius apparentibus, ita corda subditorum penetrat, ut cuncta ei quæ illicite cogitantur innotescant. Ibidem v. 10. Unde & subdit: *Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio*. In reptilibus cogitationes omnino terrenæ signantur: in animalibus vero, jam quidem aliquantulum a terra suspensæ, sed adhuc terrenæ mercedis præmia requirentes. Nam reptilia toto ex corpore terræ inhærent, animalia vero ventre a terra suspensa sunt; appetitu tamen gulæ ad terram semper inclinantur. Reptilia itaque sunt intra parietem, cum cogitationes volvuntur in mente, quia a terrenis desideriis numquam levantur. Animalia quoque sunt intra parietem, cum & si qua jam justa, si qua honesta cogitantur, appetendis tamen lucris temporalibus honoribusque deserviunt; & per seipsa quidem jam quasi a terra suspensa sunt, sed adhuc per ambitum, quasi per gulæ desiderium sese ad ima submittunt. Unde & bene subditur: Ibidem. *Et universa idola domus Israel depicta erant in pariete*. Scriptum quippe est, & avaritia quæ est idolorum Coloss. 3. 5. servitus. Recte ergo post animalia, idola describuntur, quia & si honesta actione quasi a terra nonnulli se erigunt, ambitione tamen inhonesta seipsos ad terram deponunt. Bene autem dicitur: A *depicta erant*, quia dum exteriorum rerum intrinsecus species attrahuntur, in corde quasi depingitur quidquid fictis imaginibus cogitatur. Notandum itaque est quia prius foramen in pariete, & deinde ostium cernitur, tunc demum occulta abominatio demonstratur: quia uniuscujusque peccati prius signa forinsecus, deinde janua iniquitatis aperte ostenditur; & tunc demum omne malum quod intus latet aperitur. Idcirco ergo etiam sancti doctores graviter solent minuta discutere, ut ab extremis exterioribus ad occulta majora possint pervenire.

CAPUT XV.

B NOVUM Testamentum Dominus ad redemtionem nostram veniens in extremo condidit, quod bene Ezechiel denuntiat, dicens: Moral. 28. c. 18. n. 44. *Ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem*. Ezech. 9. 2. Quid namque aliud in sex viris venientibus, nisi sex ætates humani generis designantur? Quæ de via portæ superioris veniunt, quia a conditione paradisi sicut ab ingressu mundi a superioribus generationibus evolvuntur? Quæ porta ad Aquilonem respicit, quia videlicet mens humani generis vitiis aperta, nisi calorem caritatis deserens, torporem mentis appeteret, ad hanc mortalitatis latitudinem non exisset. Ibidem. *Et uniuscujusque vas interitus in manu ejus*; quia unaquæque generatio, singulis quibusque ætatibus evoluta C ante Redemtoris adventum, in sua operatione habuit unde pœnam damnationis sumsit. Ibidem. *Vir quoque unus in medio eorum vestitus lineis*, quia Redemtor noster qui etiam de sacerdotali tribu juxta carnem parentes habere dignatus est, vestitus lineis perhibetur: vel certe quia linum de terra, non autem sicut lana de corruptibili carne nascitur; quia qui indumentum sui corporis ex matre virgine non autem ex corruptione commixtionis sumsit, profecto ad nos vestitus lineis venit. Ibidem. *Et atramentarium scriptoris ad renes ejus*. In renibus posterior pars corporis est; & quia ipse Dominus, postquam pro nobis mortuus est, & resurrexit, & ascendit in cælum, tunc Testamentum novum per Apostolos scripsit, vir iste atramentarium ad renes habuit. D Qui enim Scripturam novi Testamenti postquam discessit condidit, atramentarium quasi * ad renes habuit.

* a tergo portavit.

CAPUT XVI.

SÆPE doctores humanam amittere gratiam formidantes loqui libere recta pertimescunt. Lib. 3. Ep. 25 edit. recens. Hinc eos per Ezechielem Dominus increpat, dicens: *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini*. Ezech. 13. 5. Ex adverso ascendere, est pro defensione commissi gregis quibuslibet hujus mundi potestatibus libera voce contraire; & in die Domini pro domo Israel stare, * est & murum opponere pravis decertantibus ex amore justitiæ resistere; E & fideles innocentes contra perversorum injustitiam ex justitiæ auctoritate vindicare. Pastori enim recta timuisse dicere, quid est aliud quam tacendo terga præbuisse? Qui nimirum si pro grege se objicit, murum pro domo Israel hostibus opponit.

* Est pravis certantibus ex justitiæ amore resistere, & murum opponere, est fideles innocentes, &c.

CA-

A

CAPUT XVII.

Moral. lib. 18. c. 4. n. 8. Ezech. 13. 18.

SUNT nonnulli qui dum male facta hominum laudibus efferunt, augent quæ increpare debuerunt. Hinc per Ezechielem dicitur: *Væ his qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub omni capite ad capiendas animas*. Ad hoc pulvillus ponitur, ut molliter quiescatur. * Pulvillos itaque sub omni cubito manus ponere, est cadentes a sua rectitudine animas & in hujus mundi se delectatione reclinantes, blanda adulatione fovere. Quasi enim pulvillo cubitus vel cervicalibus caput jacentis excipitur, cum correctionis duritia peccanti subtrahitur, eique mollities favoris adhibetur: ut in errore molliter jaceat, quem nulla asperitas contradictionis pulsat. * Quisquis ergo male agentibus adulatur, pulvillum sub cubito vel capite jacentis ponit; ut qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat. Hinc per eumdem Prophetam scriptum est: *Ipse ædificabat parietem, & illi liniebant eum*. Parietis quippe nomine peccati duritia designatur. Ædificare ergo parietem, est contra se quempiam obstacula peccati construere; sed parietem liniunt qui peccata perpetrantibus adulantur, ut quod illi perverse agentes ædificant, isti adulantes quasi nitidum reddant.

* Reg. Past. 3. part. c. 8.

* Mor. ibid.

Ezech. 13. 10.

B

CAPUT XVIII.

Lib. 2. ho. 26. in Evang. n. 5.

SOLVENDI & ligandi auctoritatem in Ecclesia suscipiunt, qui regiminis sortiuntur gradum: & quia plerumque contingit ut hic judicii locum teneat cui ad locum vita non concordat, sæpe agitur ut vel damnet immeritos, vel ligatus ipse solvat alios. Sæpe in solvendis & ligandis subditis suæ voluntatis motum, non autem causarum merita sequitur. Sæpe erga quemlibet odio vel gratia movetur. Judicare vero digne de subjectis nequeunt, qui in eorum causis vel sua odia, vel gratiam sequuntur. Unde per Ezechielem dicitur: *Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt*. Non morientem quippe mortificat, qui justum damnat; & non victurum vivificare nititur, qui reum a supplicio absolvere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt; & tunc ligandi & solvendi potestas exercenda.

Ezech. 13. 19.

CAPUT XIX.

Moral. lib. 32. c. 20. & ho. 4. lib. 2. in Ezech. n. 5. Ezech. 14. 14.

POST Apostolos tres distinctiones in Ecclesiæ conversatione secutæ sunt: Rectorum, Continentium, & Conjugatorum. Unde Ezechiel tres liberatos viros audisse se asserit, Noe scilicet, Daniel, & Job. Quid * ergo per Noe qui arcam in undis rexit, nisi præpositorum ordo signatur; qui dum ad formam populis præsunt, sanctam Ecclesiam in tentationum fluctibus regunt? Et quid per Danielem cujus mira abstinentia scribitur, nisi continentium vita figuratur? qui dum cuncta quæ mundi sunt deserunt, despecte Babyloniæ alta mente dominantur. Quid per Job, nisi bonorum conjugum vita signatur? qui de rebus mundi quas possident, dum pia opera faciunt, quasi per terræ viam ad cælestem patriam tendunt.

* enim.

CAPUT XX.

SEMINARIUM luxuriæ feminis in umbilico continetur, sicut Ezechiel testatur; qui sub feminæ specie prostitutæ Judææ petulantiam increpans, ait: *In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus*. In die quippe ortus umbilicum præcidere, est conversionis tempore carnis luxuriam resecare. Quia enim difficile est mala inchoata corrigere, & semel formata desormiter in melius reformare, de ortu suo Judæa reprehenditur; quæ dum in Deo nata est, impræcisum umbilicum retinuit, quia fluxa luxuriæ non abscidit.

Moral. lib. 32. c. 14. n. 20. Ezech. 16. 4.

CAPUT XXI.

SUB Jerusalem specie virtute superbiens anima reprobatur, cum per Ezechielem dicitur: *Perfecta eras in decore meo quem posueram super te; dicit Dominus: & habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo*. Fiducia quippe suæ pulchritudinis animus attollitur, cum de virtutum meritis læta apud se securitate gloriatur. Sed per hanc eamdem fiduciam ad fornicationem ducitur, quia cum interceptam mentem cogitationes suæ decipiunt; hanc maligni spiritus per innumera vitia seducendo corrumpunt. Notandum vero quod dicitur: *Fornicata es in nomine tuo*, quia cum respectum mens superni Rectoris deserit, laudem protinus privatam quærit, & sibi arrogare incipit omne bonum, quod ut largitoris præconio serviret, accepit. Opinionis suæ gloriam dilatare desiderat, satagit ut mirabilis cunctis innotescat. In suo ergo nomine fornicatur, quæ legalis thori connubium deserens, corruptori spiritui in laudis appetitu substernitur.

In Reg. Past. 4. par. Ezech. 16. 15.

C

CAPUT XXII.

AQuila grandis magnarum alarum; longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, & summitatem frondium ejus evulsit. Hæc Aquila quis alius nisi Nabuchodonosor rex Babyloniæ designatur; quæ pro immensitate exercitus, magnarum alarum: pro diuturnitate temporum, longo membrorum ductu: pro multis vero divitiis, plena plumis: pro innumera autem terrenæ gloriæ compositione, plena varietate describitur. Quæ Judeæ celsitudinem petens, nobilitatem regni ejus quasi medullam cedri abstulit; & dum tenerrimam regum prolem a regni sui culmine captivando sustulit, quasi summitatem frondium ejus evulsit.

Ezech. 17. 3. Moral. lib. 31. c. 47. n. 94.

D

CAPUT XXIII.

PRÆCEPTA quæ rudi Judæorum populo & inchoanti Dominus dedit, ipse reprehendit per Ezechielem, dicens: *Ego dedi eis præcepta non bona*. Mala enim quasi mala esse desinunt comparatione pejorum, & bona quasi bona non sunt comparatione meliorum. Nam sicut pejus delinquenti Judææ de * Sodoma & Gomorrha dicitur: *Justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas operata es*. Ita melioribus Testamenti novi præceptis subsequentibus, præcepta bona quæ rudibus data sunt, non bona esse memorantur.

Moral. lib. 28. c. 18. n. 42. Ezech. 20. 25.

E

* atque Samaria. Ezech. 16. 51.

CA-

CAPUT XXIV.

In Past. Reg. 3. par. c. 13. Ezech. 22. 18.

CAPTIVO Israelitico populo nec tamen ab iniquitate converso per Ezechielem Dominus exprobrat, dicens : *Versa est mihi domus Israel in scoriam : omnes isti in æs, stannum, ferrum, & plumbum versi sunt ; quia non ad virtutem ; sed ad vitia etiam in tribulatione proruperunt.* Æs quippe dum percutitur, amplius ceteris metallis sonitum reddit ; qui igitur in percussione positus erumpit ad sonitum murmurationis, in æs versus est, in medio fornacis. Stannum vero cum ex arte componitur, argenti speciem mentitur : qui igitur simulationis vitio non caret in tribulatione, stannum factus est in fornace. Ferro vero B utitur qui vitæ proximi sui insidiatur : ferrum itaque in fornace est, qui nocendi malitiam non amittit in tribulatione. Plumbum quoque ceteris metallis est gravius. In fornace ergo plumbum invenitur, qui sic peccati sui pondere premitur, ut etiam in tribulatione positus a terrenis desideriis non levetur. Hinc per eumdem Prophetam scriptum est : *Multo labore sudatum est, & non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem.* Ignem quippe nobis tribulationis admovet, ut in nobis rubiginem vitiorum purget ; sed nec per ignem rubiginem amittimus, quando & inter flagella vitio non caremus. Hinc Propheta * dicit : *Frustra conflavit conflator ; malitiæ eorum non sunt consumtæ.*

Ibid. 24. 6.

* iterum. Jerem. 6. 29.

CAPUT XXV.

In Reg. Past. 3. par. c. 28. Ezech. 23. 3.

SUB Judææ specie Dominus per Ezechielem corruptis in hoc mundo mentibus transactas culpas ad memoriam revocat, quatenus polluti in futuris erubescant, dicens : *In Ægypto subacta sunt ubera earum, & fractæ sunt mammæ pubertatis earum.* In Ægypto ubera subiguntur, cum turpi hujus mundi desiderio humanæ mentis voluntas substernitur : in Ægypto pubertatis mammæ franguntur, cum naturales sensus adhuc in seipsis integri pulsantis concupiscentiæ corruptione vitiantur.

CAPUT XXVI.

Moral. lib. 15. cap. 31. Ezech. 24. 7.

GRAVIUS est si quis justis potius quam peccatoribus noceat. Unde per Ezechielem dicitur : *Sanguis ejus in medio ejus est : super limpidissimam petram effudit illum, non autem super terram, ut possit operiri pulvere.* Per terram & pulverem peccatores, per petram vero limpidissimam justum significans, qui gravibus peccatorum contagiis non exasperatur. Sanguis ergo super limpidissimam petram effunditur, quando malitia cruentæ mentis in afflictione justæ animæ grassatur. Cum ergo sit gravius justos quam * injustos affligere, multo tamen gravius est, & justis pariter & injustis nocere.

* injuste.

CAPUT XXVII.

Moral. lib. 32. c. 23. n. 47. 48. Ezech. 28. 12.

ANGELO qui primus conditus per Ezechielem dicitur : *Tu signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia & perfectus decore : in deliciis paradisi Dei fuisti.* Multa de ejus magnitudine locuturus, primo verbo cuncta complexus est. Quid namque boni non habuit, si signaculum similitudinis Dei fuit ? De sigillo quippe anA nuli talis similitudo imaginaliter exprimitur, qualis in sigillo eodem essentialiter habetur. Et licet homo ad similitudinem Dei creatus sit, Angelo tamen quasi majus aliquid tribuens, non eum ad similitudinem Dei conditum, sed ipsum signaculum similitudinis Dei dicitur ; ut quo subtilior est natura, eo in illo similitudo Dei plenius credatur expressa. Hinc est quod primatus ejus potentiam adhuc insinuans, idem Propheta subjungit : *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum : sardius, topasius, jaspis, chrysolitus, onix, & berillus, saphyrus, carbunculus, & smaragdus.* Novem dixit genera lapidum, quia nimirum novem sunt ordines Angelorum. Nam cum per sacra eloquia Angeli, Archangeli, Throni, B Dominationes, Virtutes, Principatus, Potestates, Cherubim & Seraphim aperta narratione memorantur, superiorum civium quantæ sint distinctiones ostenditur. Quibus tamen primus Angelus opertus fuisse describitur : quia eos quasi vestem ad ornamentum suum habuit, quorum dum claritatem transcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit. De cujus illic adhuc descriptione subjungit : *Aurum opus decoris tui, & foramina in die qua conditus es, præparata sunt.* Aurum opus decoris ejus extitit, quia sapientiæ claritate canduit, quam bene creatus accepit. Foramina vero idcirco in lapidibus fiunt, ut vinculati auro in ornamenti compositione jungantur, & nequaquam a se dissideant quos interfusum aurum repletis foraminibus ligat. Hujus ergo C lapidis in die conditionis suæ foramina præparata sunt, quia videlicet capax caritatis est conditus : qua si repleri voluisset, stantibus Angelis tamquam positis in regis ornamento lapidibus, potuisset inhærere. Si enim caritatis auro se penetrabilem præbuisset, sanctis Angelis sociatus in ornamento * regi lapis fixus remaneret : habuit ergo lapis iste foramina, sed per superbiæ vitium caritatis auro non sunt repleta. Nam quia idcirco ligantur auro ne cadant, ideo iste cecidit, quia etiam perforatus manu artificis, amoris vinculis ligari contemsit. Nunc vero ceteri lapides qui huic similiter erant perforati ; penetrante se invicem caritate, ligati sunt, & hoc in munere isto D cadente meruerunt, ut nequaquam jam de ornamento regio cadendo solvantur. Hujus Principatus celsitudinem adhuc idem Propheta intuens, adjunxit : *Tu Cherub extentus & protegens in monte sancto Dei : in medio lapidum ignitorum perfectus ambulasti.* Cherub quippe plenitudo scientiæ interpretatur. Et idcirco iste Cherub dicitur, quia transcendisse cunctos scientia non dubitatur. Qui in medio lapidum ignitorum perfectus ambulavit ; quia inter Angelorum corda caritatis igne succensa clarus conditionis gloria extitit. Quam bene extentum & protegentem dicit ; omne enim quod extenti protegimus, obumbramus. Et quia comparatione claritatis suæ obumbrasse ceterorum claritatem creditur, ipse extentus & protegens fuisse perhiE betur. Reliquos quasi obumbrando operuit, qui eorum magnitudinem excellentia majore transcendit. * Nam cum Deus cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem reddidit. Hujus etiam primatus eminentiam adhuc idem Propheta inspiciens, ait : *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adæquaverunt summitatem ejus. Platani non fuerunt æquæ frondibus ejus : omne lignum paradisi Dei non est assimilatum ei & pulchritudini ejus, quoniam speciosum fecit eum in multis condensisque fron-*

Ibid. v. 13.

Ibidem.

* regio.

Ibid. v. 14.

* Ibid. n. 47.

Ezech. 31. 8.

frondibus. Qui namque accipi in cedris, abietibus, A & platanis possunt, nisi illa virtutum cælestium proceræ celsitudinis agmina, in æternæ lætitiæ viriditate plantata? Quæ quamvis excelsa sint condita, huic tamen nec prælata sunt, nec æquata. Qui speciosus factus in multis condensisque frondibus esse dicitur, quia prælatum ceteris legionibus tanta illum species pulchriorem reddidit, quanta & supposita Angelorum multitudo decoravit. Ista arbor in paradiso Dei tot quasi condensas frondes habuit, quot sub se positas supernorum spirituum legiones accendit. Qui & idcirco peccans sine venia est damnatus, quia magnus sine comparatione fuerat creatus.

CAPUT XXVIII.

Reg. Pastor. 4 part. Ezech. 32.19 B

EXTOLLENTI se animæ per Ezechielem dicitur: *Quo pulchrior es, descende & dormi cum incircumcisis*. Ac si aperte diceretur: Quia ex virtutum decore te elevas: ipsa tua pulchritudine impelleris, ut cadas. * Omnis enim qui fœditatem infirmitatis suæ considerare negligit sed per elationis fastum virtutis suæ gloriam attendit, unde pulchrior est, inde descendit: quia extollendo se de suis meritis, inde in ima * interius corruit, unde gloriosum se esse judicavit. Qui descendens cum incircumcisis dormit, quia in æterna morte cum ceteris peccatoribus deficit.

Moral. lib. 24 cap. 3. — * interius.

CAPUT XXIX.

Moral. lib. 9. c. 40. n. 102. C

INFINITE patens inferni barathrum devorabit quos nunc elatio exaltat inanis; & qui quolibet ex vitio hic voluntatem callidi persuasoris expleverunt, tunc cum duce suo reprobi ad tormenta pervenient. * Et quamvis Angelorum & hominum longe sit natura dissimilis, una tamen pœna implicat, quos unus in crimine reatus ligat. Quod breviter insinuat Ezechiel, qui ait: *Ibi Assur & omnis multitudo ejus, & in circuitu ejus sepulcra illius*. Quis namque Assur superbi regis nomine, nisi ille per elationem cadens antiquus hostis exprimitur? Qui pro eo quod multos ad culpam pertrahit, cum cuncta sua multitudine ad inferni claustra descendit. Sepulcra autem mortuos tegunt. Et quis alius mortem acrius pertulit, quam is qui Conditorem suum despiciens vitam reliquit? Quem videlicet mortuum cum humana corda suscipiunt, ejus proculdubio sepulcra fiunt. Sed in circuitu ejus sepulcra illius sunt, quia in quorum se mentibus nunc per desideria sepelit, hos sibi postmodum per tormenta conjungit. Et quoniam nunc in se ipsis reprobi malignos spiritus illicita perpetrando suscipiunt, tunc sepulcra cum mortuis ardebunt. * Tunc edax flamma comburet, quos nunc carnis delectatio polluit. * Et in corde & in corpore pœnas sentient; qui pravis suis delectationibus ex utroque serviebant, dum hic viverent. Unde per eumdem Prophetam dicitur: *Descenderunt in infernum cum armis suis*. Arma quippe peccantium, sunt membra corporis quibus perversa desideria quæ concipiunt exequuntur. Unde per Paulum dicitur: *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato*. Cum armis ergo ad infernum descendere, est cum ipsis quoque membris quibus desideria voluptatis explaverunt æterni judicis tormenta tolerare; ut tunc eos undique dolor absorbeat, qui nunc suis delectationibus subditi, undique contra justitiam juste judicantis pugnant.

* Num. 103. — Ezech. 32.22 — * Num. 102. — *Ibidem c. 65 num. 97. — Ibid. v. 27. — Rom. 6.13.

CAPUT XXX.

In Reg. Past. 2. part. c. 6. Ezech. 34.4.

PASTORES per Ezechielem Dominus increpat, dicens: *Quod fractum est non alligastis, & quod abjectum non reduxistis*. Abjectus reducitur, cum quisque in culpa lapsus ad statum justitiæ, ex pastoralis sollicitudinis vigore, revocatur. Fracturam vero ligamen adstringit, cum culpam disciplina deprimit: ne plaga usque ad interitum defluat, si hanc districtionis severitas non coarctat. Sed sæpe deterius frangitur cum fractura incaute colligatur, ita ut gravius scissuram sentiat si hanc immoderatius ligamenta constringant. Unde necesse ut cum peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magna se sollicitudine etiam districtio ipsa moderetur: quatenus sic jura disciplinæ contra delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat.

CAPUT XXXI.

Moral. lib. 24 cap. 13. — * in.

HOC proprium arrogantes Pastores habent, ut humiliter nesciant inferre quod docent, & apud se ut * quodam summitatis culmine residentes, longe infra se positos velut in imo respiciunt quos docent, quibus non consulendo loqui, sed vix dominando dignantur. Recte autem his per Ezechielem Dominus dicit: *Vos autem cum austeritate imperabatis eis & cum potentia*. Cum austeritate autem & cum potentia imperant, qui subditos suos non tranquille ratiocinando corrigere, sed aspere inflectere dominando festinant.

Ezech. 34.4.

CAPUT XXXII.

In Reg. Past. 1. part. c. 2.

SUNT nonnulli Pastores qui solerti cura spiritualia præcepta perscrutantur, sed quæ intelligendo penetrant, vivendo conculcant. Repente docent quæ non opere, sed meditatione didicerunt, & quod verbis prædicant, moribus impugnant. Hinc per Ezechielem Dominus contra contemtibilem Pastorum scientiam queritur, dicens: *Cum * limpidissimam aquam biberitis, reliquam pedibus vestris turbabatis; & oves meæ, quam pedes vestri turbaverant, hanc bibebant*. Aquam vero limpidissimam Pastores bibunt, cum fluenta veritatis recte intelligentes hauriunt; sed eamdem aquam pedibus perturbare, est sanctæ meditationis studia male vivendo corrumpere. Aquam scilicet eorum pedibus turbatam oves bibunt; cum subjecti ea ad exemplum vivendi appetunt, quæ prælati pravo opere pervertunt; nec sectantur verba quæ audiunt, sed sola pravitatis exempla imitantur quæ conspiciunt: qui cum dicta sitiunt, quia per opera pervertuntur, quasi corruptis fontibus in potibus lutum sumunt. Hinc rursum de malis Pastoribus per eumdem Prophetam Dominus dicit: *Facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis*. Nemo quippe in Ecclesia amplius nocet, quam qui perverse agens nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum vehementer culpa extenditur, * quoniam pro reverentia ordinis peccator honoratur. * Unde fit ut cum Pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequatur.

Ezech. 34.19. — * ipsi & reliquum quod conculcatis pedibus vestris, bibebant, & oves. — Ezech. 44.12. — * quando. — * Ibidem. — D — E

CAPUT XXXIII.

Moral. lib. 16. cap. 14. Ezech. 36. 26.

QUIBUSDAM per Ezechielem Dominus misericorditer dicit: *Tollam vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum*. Cor lapideum tollit, cum a nobis superbiæ duritiam subtrahit; & cor carneum tribuit, cum eamdem nostram protinus duritiam ad sensibilitatem vertit. Quia qui humilitatis viscera gestat, cum sagitta divinæ formidinis penetrat, Quisquis vero pertinacia insensibilitatis obdurescit, quasi cor lapideum * gerit, ne hoc confodiant jacula superni timoris.

* firmat.

CAPUT XXXIV.

Moral. lib. 30. c. 16. n. 53. Ezech. 40. 5.

NEQUAQUAM in hoc mundo contemplatio perficitur, quamvis ardenter inchoetur; quod per Ezechielem congruenter exprimitur: qui pro mensura civitatis in monte conditæ, in manu viri calamum sex cubitorum & palmi se vidisse testatur: in monte quippe electorum Ecclesia sita est, quia fundata in infimis desideriis non est. Quid vero per cubitum, nisi operatio? Quid per senarium numerum, nisi operationis perfectio designatur? quia & sexto die cuncta opera Dominus explesse memoratur. Quid ergo super sex cubitos palmus insinuat, nisi contemplationis vim, quæ jam initia æternæ & septimæ quietis demonstrat? Quia enim æternorum contemplatio hic minime perficitur, mensura cubiti septimi non expletur. Electorum itaque Ecclesia, quia cuncta quæ operanda sunt perficit, in sex cubitis sese in monte posita civitas ostendit. Quia vero hic adhuc initia contemplationis inspicit, de septimo cubito nonnisi palmum tangit.

CAPUT XXXV.

Lib. 1. hom. 10. in Ezech. num. 26. 1. Cor. 3. 17.

EZECHIEL templum in monte positum videns, quæ in eodem conspexit inter cetera narrat, dicens: *Terra usque ad fenestras, & fenestræ clausæ*. Paulus Apostolus dicit: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*. In hoc templo fenestræ Sacerdotes & speculatores sunt, qui in populo fidelium lumen prædicationis sanctæ fundunt, sed cum terra usque ad fenestras est, fenestræ clausæ sunt; quia cum terrena cogitatio in Sacerdotum cordibus excrescit, fenestræ lumen non fundunt, quia Sacerdotes ab officio prædicationis obmutescunt. * Loqui enim de Deo, quietæ multum & liberæ mentis est.

* lesd.

CAPUT XXXVI.

Moral. lib. 24. c. 8. n. 18. Ezech. 43. 10.

QUICUMQUE perduci ad summa desiderant, necesse est ut meliorum provectibus intendant; quatenus tanto districtius in se culpas confessione intima ulciscentes judicent, quanto in illis altius quod admirentur vident. Unde per Ezechielem dicitur: *Fili hominis, ostende domui Israel templum, ut confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, & erubescant ex omnibus quæ fecerunt*. Templum quippe Dei filiis Israel ad confusionem ostenditur, cum uniuscujusque justi anima quam inspirando Deus anhelat, quanta sanctitate fulgeat ad confusionem suam peccatoribus demonstratur; ut in illa bonum quod negligunt videant, & in seipsis malum quod operantur A erubescant. Metiri vero fabricam, est pensare subtiliter justorum vitam: sed dum metimur fabricam, necesse est ut ex cunctis quæ fecimus erubescamus, quia bonorum vitam quanto subtilius pensando discutimus, tanto severius in nobis omnia inique gesta reprobamus. Bene autem Prophetæ dicitur, ut ostendat templum: quis enim justorum rectitudinem peccator considerare dissimulat, saltem hanc ex voce prædicantis agnoscat. Templum quippe peccatoribus ostendere, est sponte sua considerare nolentibus Rectorum opera narrare.

CAPUT XXXVII.

In Reg. Past. 3. par. c. 9.

B CUM patientia relinquitur, etiam bona reliqua quæ jam gesta sunt destruuntur. Unde bene ad Ezechielem esse in altari Dei fossa * perhibetur, ut in ea holocausta superposita serventur. Si enim in altari fossa non esset, omne quod in eo sacrificium reperiret, superveniens aura dispergeret. Quid vero accipimus altare Dei, nisi animam justi, quæ quot bona egerit, tot super se ante ejus oculos sacrificia imponit? Quid autem est altaris fossa, nisi bonorum patientia, quæ dum mentem adversa tolerando humiliat, quasi more foveæ * in imo positam demonstrat. Fossa ergo in altari fiat, ne superpositum sacrificium aura dispergat: id est, electorum mentem patientia custodiat, ne commota vento impatientiæ, & hoc quod bene operata est amittat. Bene ergo hæc eadem fossa unius cubiti esse monstratur, quia nimirum si patientia non deseritur, unitatis mensura servatur. Unde & Paulus dicit: *Invicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi*. Lex Christi est caritas unitatis, quam soli perficiunt, qui nec cum gravantur excedunt.

* præcipietur.

* hanc.

Galat. 6. 2.

CAPUT XXXVIII.

Lib. 1. hom. 12. in Ezech. num. 28.

NIHIL tam onerosum est in ordine Sacerdotum, quam rigorem mentis compatiendo flectere, & cum personis supervenientibus animum mutare; & tamen hoc valde est necessarium. Nam quando ex prædicatione ejus ad boni operis gratiam peccator reducitur, ipse qui prædicat videtur ingratus. Unde per Ezechielem dicitur, ut Sacerdotes qui intrinsecus ministrant, vestibus laneis non utantur. De quibus subditur: *Cumque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimentis suis, in quibus ministraverant, & reponent ea in gazophylacio sanctuarii*. Grossiora quippe sunt vestimenta lanea. Sed cum Sacerdos ad sanctum ministerium accedit, cum intus per compunctionem ingreditur, subtiliori intellectu necesse est quasi lineo vestimento induatur. Sed cum ad populum foras egreditur, oportet ut vestimenta in quibus intrinsecus ministraverat, reponat, & populo aliis vestibus indutus appareat. Quia si in compunctionis suæ rigore se teneat, si in eo quem orationis tempore habuit mœrore perduret, exteriorum rerum verba suscipere non admittit. Et quid grex de necessariis faciat, si audire & perpendere hoc quod præsens tempus exigit, Pastor recusat? Grossiora ergo indumenta Sacerdos exiens ante populum induat, ut mentis suæ habitum pro utilitate filiorum etiam ad terrena toleranda componat. Pensandum vero est, quatenus Sacerdoti labor sit ad sublimia cor tendere, & hoc repente ad ima revocare, & in sublimitate cogitationis intimæ exte-

Ezech. 44. 17.

tenuare animum, & propter exteriores proximorum causas, ut ita dicam, subito in cogitationa grossescere.

CAPUT XXXIX.

Lib. 2. ep. 25. SOLLICITUDO quæ a Pastoribus subditis exterius impenditur, sub certa necesse est mensura teneatur: ne dum cura ab ais exterior agitur, ab interna intentione mergantur. Ezech. 44. 20 Unde bene ad Ezechielam dicitur: *Sacerdotes caput suum non radent, neque comam nutrient, sed tondentes attondeant capita sua.* Sacerdotes jure vocati sunt, qui ut sacrum ducatom præbeant, fidelibus præsunt. Capilli vero in capite, exteriores sunt cogitationes in mente: qui dum super cerebrum insensibiliter oriuntur, curas vitæ præsentis designant, quæ ex sensu negligenti quia importune aliquando * redeunt, quasi nobis non sentientibus procedunt. Quia igitur cuncti qui præsunt, habere quidem sollicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere, Sacerdotes recte & caput prohibentur radere, & comam nutrire: ut cogitationes carnis de vita subditorum, nec a se funditus amputent, nec rursus ad crescendum nimis relaxent. Ubi & bene dicitur: *Tondentes tondeant capita sua.* Ut videlicet curæ temporalis sollicitudinis in quantum necesse est prodeant, & tamen rescindantur citius ne immoderatius excrescant. Dum igitur & per administratam exteriorem providentiam corporum vita protegitur, & rursus per moderatam administrationem alta cordis intentio non impeditur, capilli in capite Sacerdotis & servantur, ut cutem cooperiant, & rescantur ne oculos claudant.

* prodeunt.

CAPUT XL.

Moral. lib. 5. c. 10. n. 10 Ezech. 47. 3. EZECHIEL de eo viro quem in excelsum montem viderat, figurata locutione denuntiat, dicens: *Mensus est cubitos mille, & transduxit me per aquam usque ad talos: rursusque mensus est mille, & transduxit me per aquam usque ad genua. Et mensus est mille, & transduxit me per aquam usque ad renes. Mensus est mille, torrentemque non potui pertransire, quoniam intumuerant aquæ torrentis profundi qui non potest transvadari.* Quid millenario numero, nisi collati muneris plenitudo signatur? Vir itaque qui apparuit, mille cubitos metitur, & Propheta usque ad talos per aquam ducitur, quia Redemtor noster cum nobis ad se conversis boni exordii plenitudinem tribuit, dono spiritualis sapientiæ prima nostri operis vestigia infundit. Aquam quippe usque ad talos venire, est, jam nos per acceptam sapientiam desideratæ rectitudinis vestigia tenere. Qui rursum mille metitur, & Propheta usque ad genua per aquam ducitur, quia cum boni operis plenitudo tribuitur, ad hoc usque nostra sapientia augetur. Hinc namque per Paulum dicitur: *Genua dissoluta erigite, & rectos gressus facite pedibus vestris.* Hebr. 12. 12. Aqua ergo ad genua pervenit, cum nos percepta sapientia perfecte ad boni operis rectitudinem stringit. Qui iterum metitur mille, & Propheta per aquam usque ad renes ducitur, quia tunc in nobis plenitudo operis excrescit, cum in nobis percepta sapientia omnem quoque, in quantum est possibile, delectationem carnis extinxerit. Nisi enim carnis delectatio in renibus esset, Psalmista non dixisset: *Ure renes meos & cor meum.* Psal. 25. 2. Aqua igitur ad renes venit cum dulcedo sapientiæ etiam incentiva carnis interimit: ut ea quæ mentem urere poterant delectationis incendia, frigescant. Qui adhuc mensus est mille, torrentem videlicet quem Propheta pertransire non potuit, de quo etiam dicitur, quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis qui non potest transvadari: percepta namque perfectione operis, ad contemplationem venitur. In qua contemplatione dum mens in altum ducitur sublevata, videt in Deo, quia non potest penetrare quod videt, & quasi tangit aquam torrentis quem pertransire non valet. Et quia intuetur speculando quod libeat, & tamen hoc ipsum perfecte non valet intueri quod libet, Propheta quoque ad aquam quandoque pervenit quam non pertransit; quia ad contemplationem sapientiæ cum ad extremum ducimur, ipsa ejus immensitas quæ ex se hominem sublevat, ad se humano animo plenam cognitionem negat, ut hanc & tangendo amet, & tamen pertranseundo nequaquam penetret. * Ibid. * Ipsa itaque sapientia quæ est bonorum operum solat magistra, anhelanti menti per incrementa tribuitur, ut ad eam proculdubio magni moderaminis gradibus ascendatur: præstante & auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

LIBER SEXTUS.

EXCEPTIONES EX OPUSCULIS B. GREGORII PAPÆ in subjectis capitulis Danielis Prophetæ.

CAPUT PRIMUM.

Moral. lib. 30. c. 10. n. 39. SI internæ scientiæ dulcedinem quærimus, nec tamen ejus secreta contingere prævalemus, Danielis vitam ad imitandam memoriæ revocantes conspiciamus, & desiderandum scientiæ culmen apprehendamus. Ille quippe qui postmodum voce angelica pro cognitionis internæ concupiscentia vir desideriorum dicitur, prius in aula regia, carnis in se desideria edomuisse memoratur,

ut nihil ex delectabilibus cibis attingeret, sed lautis & mollioribus duriora & aspera cibaria præferret: ut dum sibi exterioris cibi blandimenta subtraheret, ad interni pabuli delectamenta perveniret. Et tanto avidius gustum sapientiæ intus acciperet, quanto saporem carnis pro eadem sapientia* foras robustius repressisset. Si enim a carne hoc quod libet abscindimus, mox in spiritu quod delectat invenimus. Intentioni quippe animæ si exterior vagatio clauditur, interior secessus aperitur. Nam quo extra se spargi propter disciplinam mens non potest, eo super se intendere per provectum potest.

* foris.

CAPUT II.

Mora'.lib.30 c.18.n.59

CARITAS in Daniele, quia a regis dapibus gulam compescuit, ei esurientium ora leonum clausit. Et quia ei sociisque ejus in tranquillitate positis incendia vitiorum subdidit, tribulationis tempore, & flammas in fornace temperavit. Nam cum rex Babyloniæ succendi fornacem juberet, naptæ, stupæ, picis, & malleoli ministrari congeriem præcepit, sed tamen abstinentes pueros hoc igne minime consumsit. Similiter antiquus hostis licet innumeras ciborum concupiscentias nostris obtutibus opponat; quibus libidinis ignis crescat, bonis tamen mentibus superni spiritus gratia insibilat, & a carnalis concupiscentiæ artibus illæsæ perdurant; ut & si ad tentationem cordis flamma ardeat, usque ad consensum tamen tentatio non exurat. * Mira igitur dispensatione Conditoris, qualitas ignis in diversa virtute temperata, & vestimenta non attigit, & vincula incendit. Sanctisque viris ad inferendum tormentum flamma friguit, & ad solutionis ministerium exarsit.

*Moral.lib.9 c.66.n.102

CAPUT III.

Reg. Pastor. 1.par.c.4.

SÆPE qui in potestate sunt, ea quæ recte faciunt, quia elate cogitant, amittunt. Et quia in cogitatione se elevant, in se iram judicis provocant; & licet lateat homines quid apud se agant, tamen Deo judice teste peccant. Neque enim rex Babyloniæ tunc reus de elatione extitit, cum ad elationis verba pervenit: quippe qui ore prophetico & ante cum ab elatione tacuit, sententiam reprobationis audivit. Culpam namque perpetratæ superbiæ jam ante detersit, qui omnipotentem Deum, quem se offendisse reperit, cunctis sub se Gentibus prædicavit. Sed quia nonnumquam mens ad tantam elationem ducitur, ut in eo quod timet per ostentationem locutionis effrenetur; post hoc successu suæ potestatis elevatus, dum magna se fecisse gauderet, cunctis prius in cogitatione se prætulit, & post hæc adhuc tumidus, dixit: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, & in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Quæ vox illius vindictam iræ aperte pertulit, quam occulta elatio accendit. Nam districtus judex prius invisibiliter videt, quod publice feriendo deprehendit. * Nam cum adhuc esset sermo in ore regis, vox de cælo ruit: *Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex, regnum tuum transiet a te, & ab omnibus te ejicient, & cum bestiis erit habitatio tua. Fenum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te.* Ecce quia tumor mentis usque ad aperta verba se protulit, patientia judicis se protinus usque ad sententiam erupit: tantoque hunc districtius perculit, quanto ejus se superbia immoderatius erexit. Et quia enumerando bona, dixit in quibus sibi placuit, enumerata mala in quibus feriretur audivit. * Unde & in irrationale animal hunc vertit, ab humana societate separavit, agri bestiis, mutata mente, conjunxit; ut districto justoque judicio homo quoque esse perderet, qui magnum se ultra homines æstimasset. * Quod ergo factus fuerat perdidit, qui humiliter noluit dissimulare quod fecit; & quia elatione cogitationis se super homines extulit, ipsum quem communem cum hominibus habuit sensum hominis amisit. * Ut igitur cujuslibet prælati facta digniora sint, necesse est, ut ei apud se semper indigna videantur; ne eadem bona actio cor agentis sublevet, & sublevando plus actorem de elatione dejiciat, quam ipsos quibus impenditur juvet.

Dan.4.27.

*Lib.34.c.3 Ibid.v.28.& seq.

*Reg.Pastor. 1.par.c.4.

*Moral.lib.5 cap.11.

* Ibidem.

CAPUT IV.

Lib.1 hom.5 in Ezech. num. 10. Dan.7.9.

DE Pastoribus & prædicatoribus per Danielem dicitur: *Thronus Dei flamma ignis, & rotæ ejus ignis accensus.* Hi enim qui animarum custodes sunt, & pascendi gregis onera susceperunt, mutare loca minime permittuntur. Sed quia in uno loco positi divinitatis in se præsentiam portant & ardent, thronus Dei flamma ignis dicitur. Hi autem qui amore Domini in prædicatione discurrunt, rotæ ejus ignis ardens sunt; quia cum ex desiderio per varia loca discurrunt, unde ipsi ardent, & alios incendunt.

CAPUT V.

Moral.lib.17 c.13.n.18. Dan.7.10.

DE electis Angelis obtutibus divinæ majestatis inservientibus per Danielem dicitur: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Aliud est assistere, aliud est ministrare; assistunt enim illæ Potestates proculdubio quæ ad quædam hominibus nuntianda non exeunt: ministrant vero hi qui ad explenda officia nuntiorum veniunt. Et quia plures sunt qui ministrant quam qui principaliter assistunt, assistentium numerus quasi definitus, ministrantium vero indefinitus ostenditur. * De his ergo voce Veritatis dicitur: *Angeli eorum semper vident in cælis faciem patris mei.* Sed cum de illis per Paulum dicitur: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis?* Quomodo aut semper assistere, aut semper videre faciem patris possunt, si ad ministerium exterius pro nostra salute mittuntur? Quod tamen citius solvimus, si quantæ subtilitatis sit angelica natura pensamus. Neque enim sic a divina visione foras exeunt, ut internæ contemplationis priventur gaudiis: quia si Conditoris aspectum exeuntes amitterent, nec jacentes erigere, nec ignorantibus vera annuntiare possent; fontemque lucis quem egredientes ipsi perderent, cæcis nullatenus propinarent. In hoc itaque est *, angelica natura a naturæ nostræ conditione distincta, quod nos * a loco circumscribimur, & cæcitatis ignorantia coarctamur: Angelorum vero spiritus loco quidem circumscripti sunt, sed tamen eorum scientiæ longe super nos incomparabiliter dilatantur. Interius quippe exteriusque sciendo distenti sunt, quod ipsum fontem scientiæ, contemplantur. Quid enim de his quæ scienda sunt, nesciunt, qui scientem omnia sciunt? Eorum itaque scientia

* Ibid.lib.2. c.3.n.3. Matth.18.10. Heb.1.14.

* nunc.

* &.

tia comparatione nostræ valde dilatata est, sed tamen comparatione divinæ scientiæ angusta, sicut ipsi illorum spiritus comparatione nostrorum corporum, spiritus sunt, sed comparatione summi & incircumscripti spiritus, corpus. Et mittuntur igitur & assistunt, quia & per hoc quod circumscripti sunt exeunt, & per hoc quod intus quoque præsentes sunt numquam recedunt. Et faciem ergo patris semper vident, & tamen ad nos veniunt; quia & ad nos spirituali præsentia foras exeunt, & tamen ibi se unde recesserant per internam contemplationem servant.

CAPUT VI.

Moral. 32. c. 15. n. 26. Dan. 8. 10. 11. 12.

SUB Antiochi specie de Antichristo loquitur Daniel, dicens: *Dejecit de fortitudine & de stellis, & conculcavit eas, & usque ad principem fortitudinis magnificatus est, & ab eo abstulit juge sacrificium, & dejecit locum sanctificationis ejus. Robur autem datum est ei contra juge sacrificium, propter peccata: & prosternetur veritas in terra, & faciet & prosperabitur.* De fortitudine & de stellis dejicit, cum nonnullos & luce justitiæ splendentes & virtute operis robustos frangit. Qui usque ad principem fortitudinis magnificatur, quia contra ipsum * actorem virtutis extollitur. Juge ergo sacrificium tollit, quia studium conversationis Ecclesiæ, in eis quos ceperit, interrumpit. Robur vero propter peccata contra juge sacrificium ei datur, quia nisi pereuntium merita exigerent, eos qui recti credebantur obtinere adversarius non posset. Veritas in terra prosternitur, quia tunc fides rerum cælestium ad desiderium vitæ temporalis inclinatur. *Et faciet & prosperabitur*: quia tunc non solum in reproborum mentibus, sed etiam in electorum corporibus crudelitate inæstimabili, sine qualibet objectione grassabitur: Hinc rursus per Danielem dicitur: *Et roborabitur fortitudo ejus: sed non in viribus suis.* Illius namque hominis fortitudo non in suis viribus roboratur, quia Sathanæ virtute in gloriam perditionis attollitur. Hinc rursum ait: *Interficiet robustos & populum Sanctorum secundum voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu ejus.* Robustos quippe interficit cum eos qui mente invicti sunt, corporaliter vincit: vel certe robustos & populum Sanctorum secundum voluntatem suam interficit, cum eos qui robusti & sancti credebantur, ad nutum suæ voluntatis trahit, in cujus manu dolus dirigitur. * Quia quidquid callide machinatur, etiam cum virtute potentiæ secularis exequitur. Dolus quippe in manu ejus est fraus in virtute: quia omne quod nequiter volat, hoc ad tempus exequi etiam fortiter potest. Dolus vero ejus dirigi dicitur, quia fraudis ejus malitia nulla difficultate præpeditur. * Vel certe dolus in manu ejus dirigetur; quia in illo fraus per opus adjuvatur. Quod enim fallendo dicit, hoc mira faciendo asserit. Nam quidquid lingua mendax simulat, hoc quasi verum esse manus operis tentans ostentat. * Hinc rursum cum Daniel bestiam quartam diceret decem cornibus fultam, adjunxit, dicens: *Considerabam cornua, & ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, & tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus; & ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.* Undecimum quippe hujus bestiæ cornu esse describitur, quia regni ejus potentia in dignitate roboratur. Omne enim peccatum undenarium est, quia dum perversa agit,

* auctorem.

Ibid. v. 23.

Ibid. v. 24. & 25.

* Ibid. l. 34. c. 2. n. 2.

* Ibid. l. 32. c. 15. n. 26.

* Num. 27.

Dan. 7. 8.

A præcepti Decalogum transit. Et quia in cilicio peccatum plangitur, hinc est quod in tabernaculo vela cilicina undecim fiunt. Hinc Petrus in undenario numero Apostolos remanere metuens, & signari culpam per undenarium cernens, implere numerum Apostolorum duodenario, Mathiam duodecimum sorte missa apponens * curavit. Quia ergo per undenarium transgressio exprimitur, hujus bestiæ cornu undecimo ipse transgressionis auctor demonstratur: quod videlicet parvulum oritur, quia purus homo generatur. Sed immaniter crescit, quia usque ad conjunctam sibi vim angelicæ fortitudinis proficit. Quod tria cornua quæ ei ante faciem sunt evellit: quia ditioni suæ regna totidem quæ sibi vi-
B cina sunt subigit. Cujus oculi sunt ut oculi hominis, sed os super omnes ingentia loquitur, quia in illo humana forma cernitur, sed verbis suis ultra homines elevatur. Sicut per Paulum dicitur: *Qui adversatur & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Tota enim virtus diaboli in illo uno damnato homine congregetur, ut tanto per illum fortia & mira faciat, quanto illum collectis suis viribus infligat, qui in omni fastu fallaciæ & virtutis robore & culminis elatione prosperabitur. * De eo iterum Daniel dicit: *Contra principem principum consurget, & sine manu conteretur.* Hoc idem Paulus dicit: *Ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus.* Sine manu vero conteretur, quia non Angelorum bello, non Sanctorum certamine, sed per adventum judicis solo oris spiritu æterna morte ferietur. Sicut per Paulum dicitur:
C *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui.*

* requisivit.

2. Th. ss. 2. 4.

Dan. 8. 25.

2. Thes. 2. 4.

Ibid. v. 8.

CAPUT VII.

CUM Daniel magnam & terribilem visionem vidisset ex qua contremuit, protinus adjunxit: *Et ego elangui & ægrotavi per dies plurimos.* Caro quippe ea quæ sunt spiritus capere non valet, & idcirco nonnumquam cum mens humana ultra se ad videndum ducitur, necesse est ut hoc carneum vasculum quod ferre talenti pondus non valet, infirmetur. * Vel certe videns sublimem visionem, per plurimos dies elanguit & ægrotavit, quia hi qui in virtuti-
D bus fortes sunt, cum altiora Dei conspiciunt, in sua sibi æstimatione infirmi & imbecilles fiunt.

Dialog. l. 4. cap. 44. Dan. 8. 27.

* Lib. 1. hom. 9. in Ezech. n. 19.

CAPUT VIII.

DANIEL Propheta, loquente ad se Domino, dum positionem sui corporis nobis insinuare studuit, meritorum incrementa signavit. Ait enim: *Audivi vocem verborum ejus: & audiens, jacebam consternatus super faciem meam, vultusque meus hærebat terræ: & ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum*
E *mearum, & dixit ad me: Daniel vir desideriorum, intellige verba quæ loquor ad te, & sta in gradu tuo: nunc enim missus sum ad te. Cumque dixisset mihi sermonem hunc, steti tremens, & ait ad me: noli metuere.* Quam videlicet positionem sui corporis, dum verba intrinsecus loquentis audiret, nequaquam nobis tanta cura exprimeret, si a mysteriis vacuam cognovisset. In Scriptura enim sacra justi viri non solum quæ dicunt prophetia est, sed etiam plerumque quod agunt. Vir etiam sanctus in-

Moral. 22. c. 20. n. 47.

Dan. 10. c. 11. 12. 14.

ternis mysteriis plenus, per positionem quoque corporis virtutem exprimit vocis. Et per hoc quod primum in terra prostratus jacuit, per hoc quod se postmodum in manuum suarum articulis & in genibus erexit, per hoc quod ad extremum erectus & tremens constitit, in seipso nobis omnem ordinem nostri provectus innotescit. Verba enim Dei in terra jacentes audimus, cum in peccatis positi, terrenæ pollutioni conjuncti, Sanctorum voce spiritualia præcepta cognoscimus. Ad ejus præcepta quasi super genua & super manuum nostrarum articulos erigimur, quia a terrenis contagiis recedentes, quasi jam ab infimis * ventrem levamus. [* genuum.] Sicut enim totus terræ inhæret qui consternatus jacet, ita qui in genibus & manuum suarum articulis incurvatur, inchoante provectu, ex magna jam parte a terra suspenditur. Ad extremum vero voce dominica erecti quidem, sed trementes assistimus, cum a terrenis desideriis perfecte sublevati, verba Dei quo plenius cognoscimus, plus timemus: adhuc enim quasi in terra jacet, qui ad cælestia erigi terrenorum desideriis negligit. Quasi sublevatus autem adhuc in genibus & in manibus incumbit qui quædam jam contagia deserit, sed quibusdam adhuc terrenis operibus non contradicit: jam vero ad verba Dei erectus assistit, qui perfecte mentem ad * cælestia erigit, [* sublimia.] & per immunda desideria incurvari contemnit. Bene vero trementem se stetisse indicat, quia examen subtilitatis internæ quo plenius ad illud proficiscitur, plus formidatur. Ubi apte divina voce subjungitur: *Noli metuere*; quia cum plus ipsi quod timeamus agnoscimus, plus nobis de Deo per internam gratiam infunditur quod amemus: quatenus & contemtus noster paulisper transeat in timorem, & timor transeat in caritatem. Ut quia quærenti nos Deo per contemtum resistimus, per timorem fugimus, & contemtu quoque & timore postposito solo ei amore jungamur. Paulisper enim etiam * timere dediscimus, [* t imorem, ejus discimus, cujus solius dilectioni inhæremus.] eique vi solius dilectionis inhæremus. Appositis igitur quasi quibusdam gradibus provectus nostri, mentis pedem prius per timorem in imo ponimus, & post propter caritatem ad alta amoris levamus: ut & ab eo quod quisque tumet, reprimatur ut timeat; & ab eo quod jam timuit, sublevetur ut præsumat.

CAPUT IX.

[Meral. 17. c. 12. n. 17.] LIBET inquirere si pax in sublimibus summa retinetur, quid est quod per Angelum Danieli dicitur: [Dan. 10. 13.] *Ego veni propter sermones tuos; princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus. Et ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium mihi*. Et paulo post: [Ibid. v. 20.] *Nunc revertar ut prælier adversum Principem Persarum. Cum enim egrederer, apparuit Princeps Græcorum adveniens*. Quos itaque alios principes Gentium, nisi Angelos vocat qui sibi resistere exeunti potuissent? Quæ ergo pax esse in sublimibus potest, si inter ipsos quoque angelicos spiritus præliandi certamen agitur, qui semper conspectui veritatis assistunt? Sed quia certa Angelorum ministeria dispensandis singulis quibusque gentibus sunt prælata, cum subjectorum mores adversum se vicissim præpositorum spirituum opem merentur, ipsi qui præsunt spiritus contra se venire referuntur: is enim Angelus qui Danieli loquebatur captivis Israelitici populi in Perside constitutis prælatus agnoscitur. Mi- [A] chael autem eorum qui ex eadem plebe in Judæa remanserant, præpositus invenitur. Unde ab hoc eodem Angelo paulo post Danieli dicitur: *Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael Princeps vester*. [Ibid. v. 21.] De quo & hoc quod præmisimus, dicitur: *Ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium mihi*. Qui dum nequaquam simul esse, sed venire in adjutorium dicitur, aperte ei populo prælatus agnoscitur, qui captus in alia parte tenebatur. Quid est ergo Angelum dicere: *Ego veni propter sermones tuos, Princeps vero Persarum restitit mihi*, nisi sua subditis opera nuntiare? Ac si aperte dicat: Precum quidem tuarum merita exigunt, ut Israeliticus populus a jugo suæ captivitatis exuatur; [B] sed est adhuc quod in eodem populo Persarum dominio purgari debeat, unde * de ereptione [* ereptione] illius Persarum Princeps mihi jure contradicat. Quamvis preces tuas eorum quoque lacrymæ qui in Judæa relicti sunt, adjuvent. Unde hoc quoque quod diximus, adjungit: *Michael princeps vester venit in adjutorium mihi*. Cumque ut adversum Persarum principem prælietur egreditur, Græcorum sibi Princeps apparet adveniens; qua ex re innuitur quod adversum Græcos quoque Judæa aliquid commiserat, quorum profecto causa ereptioni illius resistebat. Prophetæ igitur preces Angelus exaudit; sed Persarum Princeps resistit, quia & si jam vita justi deprecantis ereptionem populi exigit, ejusdem tamen [C] populi adhuc vita contradicit; ut quia nec plene hi qui in captivitatem fuerant ducti purgati sunt, jure eis adhuc Persæ dominentur. Michael adjuvat, sed Græcorum Princeps ad prælium venit: quia mereri quidem veniam tam longa oppressorum captivitas poterat, sed ereptionis eorum beneficio, hoc quoque quod in Græcos deliquerant, obviabat. Recte ergo dicitur quod contra se Angeli veniunt, quia subjectarum sibi gentium vicissim merita contradicunt. Nam sublimes spiritus eisdem gentibus principantes nequaquam pro injuste agentibus decertant, sed eorum facta juste judicantes examinant. Cumque uniuscujusque gentis vel culpa vel justitia ad supernæ curiæ consilium ducitur, ejusdem gentis [D] præpositus, vel obtinuisse in certamine, vel non obtinuisse perhibetur: quorum tamen omnium una victoria est & sui super se opificis voluntas summa, quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent numquam volunt.

CAPUT X.

SCIENDUM nobis est, quod per incrementa temporum crevit scientia spiritualium patrum; [Lib. 2. hom. 4. in Ezech. num. 12.] plus namque Moyses quam Abraham, plus Prophetæ quam Moyses, plus Apostoli quam Prophetæ in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt; Daniele attestante, qui ait: *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia*. [Dan. 12. 4.] [E] Ad Moysen Dominus dicit: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob; & nomen meum Adonai non indicavi eis*. [Exod. 6. 3.] Ecce plus Moysi quam Abraham innotuerat, qui illud de se Moysi indicat quod se Abrahæ non indicasse narrabat. Prophetæ etiam plus quam Moyses divinam scientiam apprehendere potuerunt, Psalmista teste, qui ait: *Quomodo dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea est*; [Psal. 118. 97. & seq.] & subjungit: *Super omnes docentes me intellexi*; & iterum: *Super seniores intellexi*. Qui ergo legem meditari se me-

mo-

morat, & super omnes docentes se ac super seniores intellexisse testatur, quia divinam scientiam plus quam Moyses acceperat, manifestat. Plus quoque sancti Apostoli docti sunt quam Prophetæ, *Matth. 13. 17* veritate teste quæ dicit; *Multi reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Plus ergo quam Prophetæ divinam scientiam noverunt, quia quod illi solo spiritu viderunt, ipsi etiam A corporaliter videbant. Impleta est itaque Danielis sententia, quia pertransibunt plurimi & multiplex erit scientia: quanto enim mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis æternæ scientiæ aditus largius aperitur, per Dominum nostrum Jesum Christum, cui est honor & gloria in secula, Amen.

LIBER SEPTIMUS.

EXCEPTIONES EX OPUSCULIS B. GREGORII PAPÆ in subjectis capitulis libri Oseæ Prophetæ.

1 *Ecce ego sepiam vias tuas spinis.*
2 *Dedi eis frumentum, vinum, & oleum.*
3 *Maledictum & mendacium inundaverunt.*
4 *Peccata populi mei comedunt.*
5 *Victimas in profundo desferebant.*
6 *Spiritus fornicationis in medio eorum.*
7 *Factus est Ephraim subcinericius.*
B 8 *Comederunt alieni robur ejus.*
9 *Ipsi regnaverunt & non ex me.*
10 *Culmus stans est in eis germen.*
11 *Ephraim vitula docta diligere trituram.*
12 *Dabo tibi reges in furore meo.*
13 *Ero mors tua, o mors.*

CAPUT PRIMUM.

Lib. 1 hom. 16 in Evang. num. 9. VIR uniuscujusque fidelis animæ Deus est, quia ei hæc per fidem conjuncta est. Sed plerumque contingit, ut anima Deo conjuncta fortassis infirmata in illicitis desideriis ruat, immundis adhuc se spiritibus in operatione substernat, mundi gloriam quærat, delectatione carnali pascatur, exquisitis voluptatibus nutriatur. Sed plerumque Dominus omnipotens talem animam respicit misericorditer, & ejus voluptatibus permiscet amaritudines. *Moral. l. 34. cap. 2. n. 5.* * Ut dum votis ejus valida contrarietate nascitur, ex ipsa impossibilitate corrigatur. Hinc est quod speciè uniuscujusque animæ, de infirmante Judæa & in pravis itineribus gradiente, per Osee Prophetam *Osee 2. 6.* Dominus dicit: *Ecce sepiam vias tuas spinis.* Viæ fidelis animæ spinis sepiuntur, dum * *dolorum punctiones.* dolorum punctiones invenit, in hoc quod temporaliter concupiscit. *Et sepiam maceria; & vias suas non inveniet.* Quasi interposita maceria viis ejus obviat, cujus nimirum desidia perfectionis difficultas * *impugnat.* repugnat. * *Hom. ut supra.* Et semitas suas invenire non potest, quia hoc quod male quærit prohibetur adipisci. *Et sequetur amatores suos, & non apprehendet eos: & quæret eos, & non inveniet.* Malignos enim spiritus quibus se in suis desideriis anima subdidit, ad desideriorum suorum effectum minime apprehendit. Sed de hac salubri adversitate & difficultate quanta utilitas nascatur, ad- *Ibid. v. 7.* jungit, dicens; * *Moral. ut supra.* *Vadam & revertar ad virum meum priorem, quia melius mihi erat tunc quam nunc.* * Prior vir Dominus est, qui castam sibi animam sancti spiritus interposito amore conjunxit. Quem tunc mens uniuscujusque desiderat, cum multiplices amaritudines velut quasdam spinas invenit in eis delectationibus quas temporaliter concupiscit. Nam cum adversitatibus mundi, quem diligit morderi anima cœpit, tunc plenius intelligit quanto illi cum priore viro melius fuit. * *Hom. ut supra.* Tunc quæ adultera conata est esse, nec tamen aperto opere potuit, fidelis conjux esse decernit. * *Moral. ut supra n. 4.* Eos ergo quos * *voluntas.* voluptas prava pervertit, plerumque adversitas corrigit. Unde nimis timendum est ne sequantur prospera, cum desiderantur injusta:

Quia difficilius malum corrigitur, quod perfectionis * *etiam.* prosperitate fulcitur.

CAPUT II.

QUI sacræ legis verba non recte intelligunt, *In Reg. Past. cap. 23.* errores discordiasque generando, legem Dei C quæ idcirco homini data est, ut Satanæ sacrificia prohibeat, eamdem ipsam in Satanæ sacrificium vertunt. Unde per Osee queritur Dominus dicens: *Dedi eis frumentum, vinum & oleum;* *Osee 2. 8.* *& argentum multiplicavi eis & aurum, quæ fecerunt Baal.* Frumentum a Domino accipimus, quando in dictis obscurioribus subducto tegmine litteræ per medelam spiritus, legis interna sentimus. Vinum suum nobis præstat Dominus, cum Scripturæ suæ alta prædicatione nos debriat. Oleum quoque suum nobis tribuit, cum præceptis apertioribus vitam nostram blanda lenitate disponit. Argentum multiplicat, cum luce veritatis nobis splendida eloquia subministrat; auroque nos ditat, quando cor nostrum intellectu summi fulgoris irradiat. Quæ cuncta hæ- D retici Baal offerunt; quia apud auditorum suorum corda corrupte omnia intelligendo pervertunt, & de frumento Dei, vino, & oleo, argento pariter & auro Satanæ sacrificium immolant: quia ad errorem discordiæ verba pacis inclinant.

CAPUT III.

JUSTUS & omnipotens Deus cum præcedenti- *Lib. 1. hom. 11 in Ezech. num. 23.* bus peccatis irascitur, permittit ut cæcata mens etiam in aliis labatur. * *Mor. lib. 18 c. 17.* Unde per Osee dicitur: *Osee 4. 2.* *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt; & sanguis sanguinem tetigit.* Solet enim sanguinis nomine pec- E catum signari. Unde is qui a peccatis liberari desiderat, per pœnitentiam clamat; *Libera me de sanguinibus.* *Psal. 50. 16.* Sanguis itaque sanguinem tangit, cum culpæ culpam copulaverit. * *Ibid. hom. ut supra.* Et peccatum peccato additur, ut ante Dei oculos adjunctis iniquitatibus anima cruentetur.

C A-

CAPUT IV.

Lib. 1 hom. 17. in Evang. n. 8.

ECCE de oblatione fidelium vivimus, sed pro animabus fidelium non laboramus. Illa in stipendio nostro sumimus quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt; nec tamen contra eadem peccata vel orationis studio, vel prædicationis, ut dignum est, insudamus. Vix pro culpa sua quempiam aperta voce reprehendimus, & adhuc quod est gravius, aliquando si persona in hoc mundo potens sit, ejus forsitan acta laudamus, ne si adversetur per iracundiam, munus subtrahat, quod impendebat. Sed debemus sine cessatione meminisse quod de quibusdam scriptum est in Osee: *Peccata populi mei comedunt*. (Osee. 4. 8.) Cur autem peccata populi comedere dicuntur, nisi quia peccata delinquentium fovent, ne temporalia stipendia amittant. Sed & nos qui ex oblationibus fidelium vivimus, quas illi pro suis peccatis obtulerunt; si comedimus & tacemus, eorum proculdubio peccata manducamus. Pensemus ergo cujus sit apud Dominum criminis peccatorum pretium comedere, & nihil contra peccata* peccantium agere. (* prædicando.)

CAPUT V.

Lib. 1 hom. 4 in Ezech. n. 4 Osee 3. 2. Psal. 50. 19.

VÆ his qui per bona quæ faciunt terrenam gloriam quærunt. Per Osee dicitur: *Victimas in profundo deferebant*. Quid sunt aliud lacrymæ orationis, nisi victimæ oblationis nostræ, sicut scriptum est: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*? Et sunt nonnulli qui idcirco se in prece lamentis afficiunt, ut aut terrena commoda acquirant, aut hominibus Sancti esse videantur. Quid isti nisi victimas in profundum deferunt, qui per hoc quod in imo sunt quæ requirunt, orationis suæ sacrificium deorsum deponunt.

CAPUT VI.

Moral. lib. 26 c. 17. n. 28.

OMNI custodia mens est a superbiæ tumore servanda: intus enim videt Deus quod mentem elevat, & idcirco foras permittit invalescere quod deponat. Intus prius extollitur, quod foras postmodum luxuriæ corruptione feriatur. Hinc quippe per Osee contra Israelitas dicitur: *Fornicationis spiritus in medio eorum, & Dominum non cognoverunt*. (Osee 5. 4.) Qui ut ostenderet quod causa libidinis ex culpa prorupit elationis, mox subdit, dicens: *Et respondebit arrogantia Israel in faciem ejus*. (Ibid. v. 5.) Ac si diceret: Culpa quæ per elationem mentis in occulto latuit, per carnis luxuriam in aperto respondit. * Occultam enim culpam sequitur aperta percussio, ut malis exterioribus interiora puniantur, & corpublice per luxuriam corruat, quod latenter tumebat. (* Ibid.)

CAPUT VII.

Moral. lib. 12 c. 20. n. 24. * cogitationis.

QUISQUIS adhuc ea quæ mundi sunt appetit, ante faciem veri luminis non apparet; quia sub pulvere terrenæ * contagionis latet. Hinc est quod de unaquaque anima terrenis desideriis aggravata sub Ephraim specie dicitur per Osee: *Factus est Ephraim panis subcinericius, qui non reversatur*. (Osee 7. 8.) Ex natura quippe bene condita nobis est intentio quæ surgat in Dominum; sed ex conversatione nequiter assueta, inest voluptas quæ præsens premat in seculum. Panis vero subcinericius ex

A ea parte est mundior quam inferius occultat, & ex parte sordidior qua desuper cinerem portat. Quisquis igitur intentionem qua Dominum debuisset quærere negligit, quasi more panis subcinericii mundiorem partem inferius premit. Et eum curas seculi libenter tolerat, quasi congestum cinerem superius portat. Reversaretur vero panis subcinericius, si desideriorum carnalium cinerem repelleret, & intentionem bonam quam in se dudum despiciendo oppresserat, superius ostentaret. Sed reversari renuit, cum mens amore curarum secularium pressa, molem superpositi cineris abigere negligit; dumque assurgere in intentionem bonam non appetit, quasi mundiorem faciem subtus premit.

B

CAPUT VIII.

IN hac mortali vita consistere, quasi ad vetustatem ire est: & cum indiscussa mens relinquitur, in quodam senio torporis soporatur; quia sui negligens propositum robur insensibiliter perdens, a forma prioris fortitudinis, dum nescit, senescit. Unde dicitur per Osee sub Ephraim specie: *Comederunt alieni robur ejus & nescivit: sed & cani effusi sunt in eo, &* * *ignoravit*. * Alieni quippe solent intelligi spiritus apostatæ, qui robur comedunt cum virtutem mentis pervertendo consumunt. Quod Ephraim & pertulit & nescivit, quia in tentatione malignorum spirituum; & robur animi perdidit, & hoc ipsum quod perdiderit non intellexit. (Moral. l. 25. c. 7. n. 14. Osee 7. 9. * ipse. * Ibid. lib. 34 c. 3. n. 6.)

C

CAPUT IX.

CONTRA malos Pastores Dominus per Osee queritur, dicens: *Ipsi regnaverunt & non ex me, principes extiterunt & non cognovi*. (In Reg. Pastor. 1 part. c. 1. Osee 8. 4.) Ex sententia & non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua cupiditate accensi, culmen regiminis rapiunt potius quam assequuntur. Quos tamen internus judex, & provehit & non cognoscit; quia quos permittendo tolerat, D profecto per judicium reprobationis ignorat. Unde ad se quibusdam * post miracula venientibus dicit: *Recedite a me operarii iniquitatis, nescio vos qui estis*. (* &. Luc. 13. 27.)

CAPUT X.

HYPOCRITIS humanos favores desiderantibus per Osee dicitur: *Culmus stans non est in eis germen, & non facit farinam; quod etsi fecerint, alieni comedent illam*. (Moral. 8. c. 43. n. 70. Osee 8. 7.) Culmus germen non habet, cum vita virtutum meritis caret. Farinam culmus non facit, cum is qui in præ- E senti seculo proficit, nil subtilitatis intelligit, nullum boni operis fructum reddit. * Sed sæpe, & cum perfecerit farinam, hanc alieni comedunt, quia & cum bona opera hypocritæ ostendunt, de his malignorum spirituum vota satiantur. Qui enim per hæc placere Deo non appetunt, nequaquam agri Dominum, sed alienos pascunt. (* Num. 72.)

CAPUT XI.

PERVERSI homines pro hujus mundi gloria cunctis sudoribus libenter serviunt, & gravium laborum jugo devotissime colla submittunt. Quod (Moral. 20. c. 35. n. 59.)

bene

bene sub Ephraim specie Osee prophetante describitur, qui ait: *Ephraim vitula docta diligere trituram*. Vitula enim trituræ laboribus assueta, relaxata plerumque, ad ejusdem laboris usum etiam non compulsa revertitur: ita pravorum mens hujus mundi servitiis dedita, & rerum temporalium fatigationibus assueta, etiamsi libere sibi vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat. Et * usu miseræ conversationis trituram laboris quærit, ut a jugo mundanæ servitutis non libeat cessare, etiamsi liceat.

Osee 10. 11.

* usum.

CAPUT XII.

NULLUS qui malum Rectorem patitur, eum quem patitur accuset; quia nimirum sui fuit meriti, perversi Rectoris subjacere ditioni. Culpam ergo proprii magis accuset operis, quam injustitiam gubernatoris. Scriptum est enim in Osee: *Dabo tibi reges in furore meo.* Quid igitur illos nobis præesse despicimus quorum super nos regimina ex Domini furore suscipimus? Si ergo irascente Domino Deo secundum nostra merita Rectores accipimus, in illorum actione colligimus quid ex nostra * actione pensemus.

Moral. 25. c. 16. n. 34.

Osee 13. 11.

* æstimatione.

CAPUT XIII.

AB inferno rediens Dominus, nequaquam electos simul & reprobos traxit; sed exinde illos sustulit quos suos in fide & actibus recognovit. Unde per Osee Prophetam dicit: * *Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne*. Id namque quod occidimus, agimus ut penitus non sit. Ex eo vero quod mordemus partem abstrahimus, partemque relinquimus. Quia ergo in electis suis funditus occidit mortem, mors mortis extitit; quia vero ex inferno partem abstulit & partem reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum. Ait ergo: *Ero mors tua, o mors*. Ac si aperte dicat: Quia in electis meis te funditus perimo, ero morsus tuus, inferne; quia sublatis eis te ex parte transfigo: quod enim ante passionem promisit, in resurrectione sua Dominus implevit: *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me*. Omnia abstulit utique electa: omnia traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat, per omnia secula seculorum. Amen.

Mor. l. 12. c. 2.

* Lib. 2. hom. 22. in Ev. num. 6.

Osee 13. 14.

Johan. 12. 32.

LIBER OCTAVUS.

EXCEPTIONES EX OPUSCULIS B. GREGORII PAPÆ in subjectis capitulis Joel Prophetæ.

1. *Residuum erucæ comedit locusta.*
2. *Posuit vineam meam in desertum.*
3. *Sanctificate jejunium.*

CAPUT PRIMUM.

SÆPE mens reproborum gaudet de quibusdam vitiis, quod eis subjecta non sit, & præcavere ac gemere negligit: quia dum quædam pravitatis desideria transeunt, alia vice eorum, quibus fortasse nequius succumbit, succedunt. Unde bene per Joel Prophetam dicitur: *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.* Quid enim per erucam quæ toto corpore in terra repit, nisi luxuria designatur? quæ cor quod tenet ita polluit, ut in superioris munditiæ surgere amore non possit. Quid per locustam quæ saltibus volat, nisi inanis gloria exprimitur; quæ se vanis præsumtionibus exaltat? Quid per bruchum, cujus pene totum corpus in ventrem colligitur, nisi edendi ingluvies figuratur? Quid per rubiginem, quæ dum tangit incendit, nisi ira innuitur? Residuum ergo erucæ locusta comedit, quia sæpe cum luxuriæ vitium a mente recesserit, inanis gloria succedit. Nam quia jam per amorem carnis non sternitur, quasi sanctam se ex caritate gloriatur. Residuum locustæ bruchus comedit, quia sæpe cum inani gloriæ quæ quasi ex sanctitate veniebat resistitur, vel ventri, vel quibuslibet ambitiosis desideriis immoderatius indulgetur; mens enim Dei nescia tanto atrocius ad quemlibet ambitum ducitur, quanto nullo vel humanæ laudis amore refrenatur. Residuum bruchi rubigo consumit, quia sæpe dum ventris ingluvies per abstinentiam restringitur, iræ impatientia acrius dominatur; quæ more rubiginis quasi exurendo messem comedit: quia virtutum fructus impatientiæ flamma tabescit: dum ergo vitiis vitia succedunt, agrum mentis alia pestis devorat, dum alia relinquit. Bene autem subditur: *Expergiscimini ebrii & flete*. Ebrii quippe vocati sunt qui mundi hujus amore confusi mala non sentiunt quæ patiuntur; quid est ergo dicere: *Expergescimini ebrii & flete*, nisi somnum vestræ insensibilitatis excutite, & in devastatione cordis, tot sibi succedentibus vitiorum pestibus, vigilantibus lamentis obviate.

Moral. l. 33. c. 37. n. 65.

Joel 1. 4.

Joel. 1. 4.

Ibid. v. 5.

CAPUT II.

HYPOCRITÆ affectantes laudes hominum, cum se ostendere alienis oculis appetunt, damnant quod agunt. Quos cum maligni spiritus ad jactantiam provocant, opera eorum captivantes denudant. Unde sub cujusdam Gentis specie antiquorum hostium malitiam signans per Joel Veritas dicit: *Posuit vineam meam in desertum, decorticavit ficum meam; nudans exspoliavit eam, albi facti sunt rami ejus*. Insidiantibus quippe spiritibus, Dei vinea in desertum ponitur, cum plena fructibus anima humanæ laudis cupiditate dissipatur. Ficum Dei Gens ista decorticat, quia seductam mentem in favoris appetitum rapiens, quo hanc ad ostentationem pertrahit, tegmen ei humilitatis tollit, eamque nudans exspoliat; quia quousque in bonis suis absconditur, quasi proprii tegminis cortice vestitur. Cum vero mens hoc quod egerit, videri ab aliis concupiscit, quasi exspoliata ficus cum qui se texerat corticem amisit. * Unde apte subditur: *Albi facti sunt rami ejus*: quia ostensa humanis oculis

Moral. 8. cap. 48. n. 84.

Joel 1. 7.

* ita.

lis ejus opera candescunt. De sanctitate nomen sumitur, cum recta actio divulgatur: sed quoniam subducto cortice rami fici hujus arefiunt, solerter intuendum est, quia facta arrogantium humanis oculis ostensa, unde placere appetunt, inde siccantur. Mens itaque quæ per jactantiam * producitur, decorticata ficus * vocatur: quia & candida est per hoc quod cernitur, & siccitati proxima, per hoc quod tegmine corticis nudatur.

* proditur.
* recte.

CAPUT III.

VIRTUS abstinentiæ * prava esse creditur, quæ non * ex aliis virtutibus commendatur. Hinc per Joel dicitur: *Sanctificate jejunium*: jejunium sanctificare est, adjunctis aliis bonis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Tunc etiam abstinentes Deo placentem abstinentiam offerunt, cum ea quæ sibi de alimentis subtrahunt, indigentibus tribuunt. Solerter namque metuendum est, quod per Prophetam Dominus redarguit, dicens: *Cum jejunaretis & plangeretis, numquid jejunium jejunastis mihi? & cum comedistis & bibistis, numquid non vobis comedistis & vobisipsis bibistis?* Non enim Deo sed sibi quisquis jejunat, si ea quæ ventri ad tempus subtrahit, non inopibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. * Sibi comedit & bibit qui alimenta corporis, quæ sunt communia dona Conditoris, sine indigentibus percipit. Illud ergo jejunium Dominus approbat, quod ad ejus oculos manus eleemosynarum levat. Incassum quoque jejunio caro atteritur, si a pravis suis voluptatibus animus non refrenatur; cum per Prophetam Dominus dicat: *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis.* Neque enim qui debitorem suum, hoc quod dedit, repetit, aliquid injuste facit; sed dignum est ut quisquis se in pœnitentia macerat, etiam hoc quod sibi juste competit interdicat. Sic * nobis afflictis & pœnitentibus a Deo dimittitur quod injuste egimus, si pro amore illius & hoc quod nobis juste competit relaxemus. * Per abstinentiam itaque vitia carnis mortificantur; & ne mortua caro putrefiat, per jejunium agitur; mortuam ergo carnem putrescere est, hoc mortale corpus fluxui luxuriæ deservire. Sicut de quibusdam per eumdem Joel Prophetam, dicitur: *Computruerunt jumenta in stercore suo*. Jumenta quippe in stercore suo putrescere est, carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Bene ergo jejunamus, quando hoc mortale corpus a luxuriæ putredine per continentiæ & jejunii condimentum custodimus: auxiliante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & gloria per infinita secula. Amen.

Reg. Pastor. 3. part. c. 19.
* quam prava respicitur.
Joel. 1. 14.
* nisi
* audiendum.
Zach. 7. 5.
* Lib. 1. hom. 16. in Evang. num. 6.
Isa. 58. 3.
* Sic.
* Lib. 1. hom. 10 in Evang. num. 6.
Joel. 1. 17.

LIBER NONUS.

EXCEPTIONES EX OPUSCULIS B. GREGORII PAPÆ in subjectis capitulis * Amos Prophetæ.

* Duo ultima capitula ex aliis prophetis desumta sunt.

CAPUT PRIMUM.

HÆRETICI, ut apud imperitum vulgus scientiæ sibi nomen extorqueant, student summopere & ab aliis recte intellecta destruere, & sua perversa roborare. Unde bene per Prophetam Amos dicitur: *Secuerunt prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum*. Galaad namque acervus testimonii interpretatur. Et quia cuncta simul congregatio Ecclesiæ per confessionem servit testimonio veritatis, non incongrue per Galaad Ecclesia exprimitur, quæ ore cunctorum fidelium de Deo * quæ sunt vera testatur. Prægnantes vocantur animæ, quæ intellectum verbi ex divino amore concipiunt, si ad perfectum tempus veniant, conceptam intelligentiam operis ostensione parituræ. Terminum vero suum dilatare est opinionis suæ nomen extendere. Secuerunt ergo prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum suum, quia nimirum hæretici mentes fidelium, quæ jam aliquid de veritatis intellectu conceperant, perversa prædicatione perimunt, & scientiæ sibi nomen extendunt: parvulorum corda jam de verbi conceptione gravida erroris gladio scindunt, & quasi doctrinæ sibi opinionem faciunt.

Reg. Pastor. 3 part. c. 24 admon. 25.
Amos 1. 13.
* que.

CAPUT II.

ALIQUANDO insensatis rebus propter infirmitatem nostram alta condescensione Dominus se comparat, sicut per Amos dicitur: *Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno.* Quia enim fœnum est vita carnalium, sicut scriptum est: *Omnis caro fœnum*; in eo quod Dominus vitam carnalium patitur, more plaustri fœnum se portare testatur. Cui sub fœni onere stridere est, pondera & iniquitates peccantium cum querela tolerare.

Moral. l. 32. c. 5. n. 2.
Amos 2. 13.
Isa. 40. 6.

CAPUT III.

QUOTIDIE impleri videmus hoc quod Dominus per Amos narrat, quia fuerit iratus, cum dicit: *Plui super civitatem unam, & super civitatem alteram non plui: pars una compluta est, & pars * super quam non plui, aruit.* Cum enim sanctæ exhortationis verba alia mens suscipit, alia mens suscipere recusat; super unam civitatem Dominus pluit, super alteram non pluit. Cum vero & ipse qui prædicationem audit, ab aliis se vitiis corrigit, & ab aliis emendari contemnit: in isto pars una compluta, quia fructum fecit, & pars quæ compluta non est, aruit; quia exhortationis verbum non plene suscipiens, a bono opere sterilis remansit.

Lib. 1. hom. 10. in Ezech. num. 23.
Amos 4. 7.
* quæ compluta non est.

CA-

CAPUT IV.

Moral. lib. 21 c. 20. n. 32. MOS apud veteres fuit ut ad portam seniores sederent, qui certantium jurgia judiciaria examinatione distringerent; quatenus urbem in qua concorditer vivere oporteret, discordes non intrarent. Unde & per Amos Dominus dicit: *Constituite in porta judicium.* *Amos 5. 15.*

CAPUT V.

Moral. lib. 4 c. 21. n. 18. SUNT nonnulli qui fidem quam tenere se sermonibus ostendunt, operibus destruunt; & aut prava sunt quæ faciunt, aut recta opera non recto corde sectantur: non enim de suis operibus retributiones perpetuas, sed transitorios favores quærunt. Et tamen quia quasi Sanctos laudari se audiunt, esse se veraciter Sanctos arbitrantur, & quanto se ex multorum æstimatione irreprehensibiles putant, tanto diem districti judicii securius expectant. De quibus per Amos dicitur: *Væ desiderantibus diem Domini.* *Amos 5. 18*

CAPUT VI.

Moral. lib. 33 c. 6. n. 13. NONNULLI mundum deserunt, & bonorum transeuntium vana derelinquunt; & ima humilitatis appetentes, humanæ conversationis morem bene vivendo transcendunt; & in tanta studiorum arte proficiunt, ut signorum virtutes jam operentur. Sed quia seipsos circumspiciendo tegere negligunt, inanis gloriæ telo percussi ad inferni profundum pejus de alto ruunt. Hinc per Amos dicitur: *Vocavit Dominus judicium ad ignem, & devoravit abyssum multam, & comedit partem domus.* *Amos 7. 4.* * Judicum ad ignem vocatur, cum justitiæ sententia ad pœnam jam æternæ concremationis ostenditur; & multam abyssum devorat, quia iniquas & incomprehensibiles hominum mentes concremat, quæ nunc se hominibus etiam sub signorum miraculis ocultant. Pars vero domus * comeditur, quia illos quoque gehenna devorat, qui nunc quasi in sanctis actibus de electorum numero se esse gloriantur.

* Domini.
* Domini.

CAPUT VII.

Moral. l. 2. c. 56 n. 89. SI prophetiæ spiritus Prophetis semper adesset, inquisitus Amos Propheta non diceret: *Non sum Propheta.* *Amos 7. 14.* Quomodo autem Propheta non fuit qui de futuris tot vera prædixit? Aut quomodo Propheta fuit, qui de se in præsenti vera denegavit? Sed quia eadem hora qua requisitus est, prophetiæ sibi spiritum deesse sensit; de seipso veraciter intulit, dicens: *Non sum Propheta.* Qui tamen secutus adjunxit: *Et nunc audi verbum Domini;* * *uxor tua in civitate fornicabitur, & filii tui & filiæ in gladio cadent.* *Ibid. v. 16.* Quibus Prophetæ verbis ostenditur, quia dum de se illa loqueretur impletus est, & mox habere prophetandi spiritum meruit, & Prophetam se non esse humiliter agnovit.

* hæc dicit Dominus.

CAPUT VIII.

Lib. 1. hom. 10. in Ezech. num. 22. SI qui ab statu rectitudinis in pravam actionem ceciderunt, non sunt desperandi; quia per Prophetam Michæam Dominus dicit: *Et venies usque ad Babylonem ibi liberaberis.* *Mich. 4. 10.* Quid Babylonia nisi confusio vocatur? Sæpe enim quis postquam in confusionem vitiorum cecidit, erubescens mala quæ perpetravit, ad pœnitentiam redit, seque a suis lapsibus bene vivendo erigit. Quis ergo iste, nisi qui usque ad Babylonem venit; & liberatus est, qui postquam confusus mente perversa perpetravit, hæc ipsa erubescens mala quæ fecit, se contra se erigit, & bene operando ad statum rectitudinis redit: in Babylonem itaque venit & ibi liberatus est, qui per divinam gratiam ostenditur etiam de confusione salvatus.

CAPUT IX.

Moral. l. 31 c. 31. n. 63. DE unitate reproborum Naum Propheta ait: *Sicut spinæ invicem se complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium.* *Num. 1. 10.* Convivium reproborum est delectatio temporalium voluptatum. In quo nimirum convivio pariter potant, qui delectationis suæ illecebris se concorditer debriant.

LIBER DECIMUS.

EXCEPTIONES EX OPUSCULIS B. GREGORII PAPÆ in subjectis capitulis libri Habacuc Prophetæ.

1 *Super custodiam meam stabo.*
2 *Væ ei qui multiplicat non sua.*
3 *Deus a Libano veniet.*
4 *Pedes ejus steterunt & mota est terra.*
5 *Dedit abyssus vocem suam.*
6 *Elevatus est sol, & luna stetit in ordine suo.*
7 *In lumine jacula tua ibunt.*
8 *Præcidisti in alienatione capita potentium.*
9 * *Ecce dies Domini venit magnus & horribilis.*

CAPUT PRIMUM.

Moral. l. 22 c. 16. n. 35. SI semel in appetitione supernæ patriæ, forti stabilitate animus figitur, minus rerum temporalium perturbatione vexatur: nec tempestatem rerum temporalium intus sustinet, quam intuetur foris: quia terrena omnia quæ concupita opprimere mentem poterant, despecta subtar jacent. Unde per Prophetam dicitur: *Statue tibi speculam,* *Jerem. 31. 21* ut dum quisque speculatur summa, infimis superemineat. Hinc etiam Habacuc dicit: *Super custodiam meam stabo.* *Habac. 2. 1.* Stat quippe super custodiam suam, qui per solertiam disciplinæ terrenis desideriis non succumbit, sed supereminet: ut dum stantem semper appetit æternitatem, infra sit ei omne quod transit. * Tamen quia vir sanctus, quantalibet virtute profecerit, eum in hac vita positum adhuc extrinsecus carnis infirmitas premit, ut scriptum est: *Quamquam in imagine Dei ambulet homo, tamen vane conturbabitur,* *Psal. 38. 7.* plerumque agitur

* Num. 36.

* Capitulum hoc est Sophoniæ Prophetæ.

ut & turbetur exterius & impersurbabilis duret interius. Et quod vane conturbari potest, de infirmitata carnis sit; quamvis quod in imagine Dei ambulet, de virtute mentis: quatenus & roboretur intus divino adjutorio, & tamen adhuc foris sarcina prematur humana. Unde bene Habacuc iterum unam sententiam protulit ad utraque servientem. Ait enim: *Et introivit tremor in ossa mea, & subtus me turbata est virtus mea.* Ac si diceret: Non mea virtus est in qua superius raptus imperturbabilis maneo, & virtus est in qua inferius turbor. Ipse ergo super se imperturbabilis est, ipse sub se perturbabilis; quia se ascenderat in quantum rapiebatur ad summa, & sub seipso erat in quantum adhuc reliquias trahebat ad infima; ipse super se imperturbabilis est, quia in Dei contemplatione jam transierat, ipse sub se perturbabilis, quia sub seipso adhuc infirmus homo remanebat.

[Habac. 3. 16]

CAPUT II.

[Moral lib. 19. c. 13 n. 27. — Habac. 2, 6. — Ibid 3. 15]

LUTI nomine in sacro eloquio terrenarum rerum multiplicitas figuratur, sicut per Habacuc dicitur: *Væ ei qui multiplicat non sua: usquequo aggravat contra se densum lutum?* Densum lutum contra se aggravare, est terrena lucra cum pondere peccati cumulare: denso quippe luto se aggravat, qui per avaritiam terrena multiplicans, peccati sui se oppressione angustat. Rursum luti nomine doctrina sordidum sapiens designatur. Sicut per eumdem Prophetam Domino dicitur: *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* Ac si diceret: Aperuisti iter prædicatoribus tuis, inter doctrinas hujus seculi sordida & terrena sapientes.

CAPUT III.

[Moral l. 11. cap. 1. n. 2. — Habac. 3. 3]

ALIQUANDO per montem, Testamentum Dei exprimitur, sicut Habacuc ait: *Deus a Libano veniet, & Sanctus de monte umbroso & condenso.* Qui enim venturum se per Testamenti sui paginas spopondit, quasi inde venit, unde velut sub promissione se tenuit. Quod videlicet Testamentum bene mons umbrosus & condensus dicitur, quia ipsis allegoriarum obscuritatibus opacatur.

CAPUT VI.

[Moral lib. 35 cap. 14. n. 26. — Habac. 3, 6. — *Ibid. lib. 13 cap. 10. n. 15]

QUIA aliquando per Veritatis formidinem acta ab insensibilitate sua mens peccatoris concutitur, bene per Habacuc dicitur: *Pedes ejus steterunt & mota est terra.* Stante ergo Domino terra proculdubio movetur; quia cum cordi nostro timoris sui vestigia imprimit, cuncta in nobis cogitatio terrena contremiscit; * cum veritas in corde figitur, peccatricis mentis duritia ab immobilitatis suæ obstinatione agitata permutatur.

CAPUT XLIII.

[Habac. 3. 10. — Moral. lib. 9 cap. 15. n. 33. — Ibid lib. 29 c. p. 15. — *Lib. 9. c. 39]

DEdit abyssus vocem suam ab altitudine phantasiæ suæ. Quid est abyssus, nisi mens humana? Abyssus quippe phantasiæ altitudinem portat, cum humana mens immensa cogitatione caligosa semetipsam comprehendere, & discutiendo penetrare non valet, & sese in omne quod est velat abyssus obscura latet. * Sed ab hac altitudine vocem dedit, quia dum se deprehendere non potest altitudine considerationis, in requisitionibus suis eo ipso quo latius extenditur, angustatur. Exclamare cogitur, id est in admiratione consurgere, ut eo perscrutari non audeat quod super ipsam est, quo incomprehensibilitatem suam ipsa cogitans invenire non valet quod est. * Et ex comparatione sui divinæ naturæ potentiam quam comprehendere non sufficit, humilius laudat.

[*Lib. 29 ubi supra]

CAPUT VI.

[Lib. hom. 29 in Evang. num. 10. — Habac. 3. 11]

DE ascensionis dominicæ gloria Habacuc dicit: *Elevatus est sol, & luna stetit in ordine suo.* Quis enim solis nomine, nisi Dominus; & quæ lunæ nomine, nisi Ecclesia designatur? Quousque enim Dominus ad cælos ascendit, sancta ejus Ecclesia mundi adversa omnimodo formidavit. At postquam ejus ascensione roborata est, aperte prædicavit quod occulte credidit. Elevatus est ergo sol, & luna stetit in ordine suo: quia cum Dominus cælos petiit, sancta ejus Ecclesia in autoritate prædicationis roborata excrevit.

CAPUT VII.

[Moral lib. 30 c. 2. n. 6. — Habac. 3. 11 — Ibidem.]

DE sanctis prædicatoribus Habacuc dicit: *In lumine jacula tua ibunt.* Jacula Dei sunt, verba Sanctorum quæ corda peccantium feriunt. Jacula vero Dei in lumine ire, est verba ejus aperta veritate resonare. Sed quia sæpe homines verba vitæ etiam intellecta despiciunt, adjunguntur miracula. Unde subditur: *In splendore fulgoris armorum tuorum.* Fulgor armorum est claritas miraculorum. Armis enim nos tuemur, jaculis adversa destruimus. Arma cum jaculis, sunt miracula cum prædicamentis. Sancti enim prædicatores verbis suis, quasi quibusdam jaculis adversarios feriunt; armis vero, id est miraculis seipsos tuentur, ut & quantum sint audiendi sonent per impetum jaculorum, & quantum sint reverendi clarescant per arma miraculorum.

CAPUT VIII.

[Lib. hom. 10 in Ezech. num. ... — Habac. 3. 14 — *Gentilium. — Lib. 31. c. 15. — Ibid v. 15.]

DE conversione Gentium Habacuc Domino dicit: *Præcidisti in alienatione capita potentium, movebunt in ea Gentes: aperient ora sua sicut pauper edens in occulto.* Omnipotens Deus in alienatione capita potentium præcidit, quia Judæorum superbiam a semetipso alienando repulit. In qua alienatione Gentes motæ sunt, quia dum Judæi a fide caderent, ad cognitionem fidei corda * fidelium cucurrerunt; Quæ videlicet Gentes in sacræ lectionis pabulo os cordis aperiunt, & in occulto sicut pauper comedunt, quia cum festinatione, & silentio verba legentes vitæ sumunt. Impletum est enim in illis quod idem Habacuc de illis Domino dicit: *Misisti in mare equos tuos turbantes aquas multas.* Equorum nomine sancti prædicatores accipiuntur: quietæ vero aquæ jacuerunt, quia humanæ mentes Gentium diu sub vitiorum suorum torpore sopitæ sunt. Sed equis Dei mare turbatum est, quia missis prædicatoribus sanctis omne cor quod pestifera securitate torpuit, impulsu salutiferi timoris expavit.

CA-

CAPUT IX.

Reg. Past. 3 par. c. 11 *Sophon. 1*

SUPRA impuros & duplices Propheta Sophonias vim divinæ animadversionis intentat, dicens: *Ecce dies Domini venit magnus, & horribilis. Dies iræ, dies illa, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris super omnes civitates munitas, & super omnes angulos excelsos.* Quid enim per civitates munitas exprimitur, nisi suspectæ mentes & fallaci semper defensione circumdatæ? Quæ quoties earum culpa corrigitur, veritatis ad se jacula non admittunt. Et quid per excelsos angulos (duplex quippe semper est in angulis paries) nisi impura corda signantur? Quæ B

A dum veritatis simplicitatem fugiunt, ad seipsa quodammodo duplicitatis perversitate replicantur. Et quod est deterius, apud cogitationes suas in fastu prudentiæ, ex ipsa se culpa impuritatis extollunt. Dies igitur Domini vindictæ & animadversionis plena, super civitates munitas, & super angulos excelsos venit; quia extremi judicis ira humana corda & defensionibus contra veritatem clausa destruit, & duplicitatibus involuta dissolvit. Tunc enim civitates munitæ cadunt, quia mentes Deo impenetratæ damnabuntur. Tunc excelsi anguli corruunt, quia corda quæ per puritatis prudentiam eriguntur, per sententiam justitiæ prosternuntur.

L I B E R U N D E C I M U S.

EXCEPTIONES EX OPUSCULIS B. GREGORII PAPÆ in subjectis capitulis Aggæi Prophetæ.

1 *Seminastis multum.*
2 *Qui mercedes congregavit.*

CAPUT PRIMUM.

Lib. 1 hom. 10 in Ezech. num. 7 *Agg. 1. 5*

MULTI legunt, & ab ipsa lectione jejuni sunt. Multi vocem prædicationis audiunt, & post vocem vacui recedunt. Hinc est quod per Aggæum Prophetam quosdam Dominus increpat, dicens: *Ponite corda vestra super vias vestras: Seminastis multum & intulistis parum, comedistis & non estis saturati, bibistis & non estis inebriati.* Multum cordi suo seminat, sed parum infert, qui de mandatis cælestibus vel legendo, vel audiendo multa cognoscit, sed negligenter operando pauca fructificat. Comedit & non saturatur, qui verbum Dei audiens, lucra vel gratiam seculi concupiscit. Bene vero non satiari dicitur, quia aliud mandit, & aliud esurit. Bibit & non inebriatur, qui ad vocem prædicationis aurem inclinat, sed mentem non mutat. Solet enim per ebrietatem bibentium sensus mutari. Qui ergo ad cognoscendum Dei verbum devotus est, sed ea quæ sunt hujus seculi adipisci desiderat, bibit & debriatus non est. Si enim debriatus esset, mentem mutasset, ut jam terrena non quæreret, jam vana & transitoria quæ amaverat, non amaret. De electis enim per Psalmistam dicitur: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*; quia tanto omnipotentis Dei amore repleti sunt, ut mutata mente sibimetipsis extranei esse videantur. Implentes quod scriptum est: *Qui vult venire post me abneget semetipsum.* Seipsum abnegat qui mutatur ad meliora, & incipit esse quod non erat, & desinit esse quod erat.

Psal. 35. 9 *Matth. 16. 14*

CAPUT II.

Lib. 1. hom. 4 in Ezech. num. 10

PERVERSI indigentibus de propriis rebus multa donant: sed cum occasionis tempus inveniunt, eosdem quibus valet rapinis devastant. * Quanta vero tribuunt pensant, quanta rapiunt considerare dissimulant, & qualiter bona opera malis artibus perdant, perpendere recusant. Sicut per Aggæum scriptum est: *Qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.* De sacculo pertuso aliunde exit, quod aliunde mittitur: & in sacculo pertuso videtur, quando pecunia mittitur, sed quando amittitur non videtur. Qui ergo quanta largiuntur aspiciunt, sed quanta rapiunt non perpendunt, in pertuso sacculo mercedes mittunt: quia profecto has in spem suæ fiduciæ intuentes congerunt, sed non intuentes perdunt: merces enim quæ ex bono opere acquiritur, ex malo opere perditur.

** Reg. Past. 3 par. c. 21* *Agg. 1. 6*

L I B E R D U O D E C I M U S.

EXCEPTIONES EX OPUSCULIS B. GREGORII PAPÆ in subjectis capitulis Zachariæ Prophetæ.

1 *Dixit Angelus qui loquebatur in me.*
2 *Et ostendit mihi Jesum Sacerdotem magnum.*
3 *Super lapidem unum septem oculi sunt.*
4 *Video volumen volans.*
5 *Hæc est amphora egrediens.*
6 *Devorabunt & subjicient lapidibus funda.*
7 *In illa die erit fons patens.*

CAPUT PRIMUM.

Moral. lib. 28 c. 1 n. 9 ** virtutem suæ aspirationis.*

NONNUMQUAM humanis cordibus per Angelos Deus, secreta eorum presentia, suæ * virtutis aspirationem infundit. Unde Zacharias dixit: *Dixit Angelus ad me, qui loquebatur in me.* Dum ad se quidem, sed tamen in se loqui Angelum dicit, liquido ostendit quod is qui ad ipsum verba faceret, per corpoream speciem extra non esset. Unde & paulo post subdidit: *Et ecce* *An-*

Zach. 1. 19 *Ib. 2. 3*

Angelus Domini qui loquebatur in me, egrediebatur. Sæpe enim non exterius apparent, sed sicut sunt angelici spiritus, voluntatem Dei Prophetarum sensibus innotescunt; & subtilitas angelicæ virtutis menti eorum apparens, intimis afflatibus ad sublimia elevat; & quæque in rebus futura sunt, in causis originalibus præsentia demonstrat. Sed ne quis in prædictis Zachariæ verbis Angeli, designatum nomine vel Patrem, vel Filium vel Spiritum sanctum putet: quia textus Scripturæ sacræ numquam Patrem, numquam Spiritum sanctum, & nonnisi per incarnationis suæ prædicationem Filium Angelum vocat. Unde in ejusdem Zachariæ verbis aperte ostenditur quod in illo vere Angelus, id est creatura loqueretur, cum dicitur: *Ecce Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur.* Statimque subjungitur: *Et alius Angelus egrediebatur in occursum ejus, & dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum istum, dicens. Absque muro habitabitur Jerusalem.* Non est itaque Deus Angelus qui mittitur, cui verba ab Angelo quæ dicere debeat, jubentur. Sed quia in conspectu Conditoris angelica ministeria ordinata graduum dispositione distincta sunt, ut & pro communi felicitate beatitudinis opificem suum simul videntes gaudeant, & tamen pro dispositione dignitatis aliis alii subministrent, ad Prophetam Angelum Angelus mittit; & quem secum de Deo gaudere communiter conspicit, & docet & dirigit: quia eum & per superiorem scientiam virtute cognitionis, & per præstantiorem gratiam culmine potestatis excedit. * Certissime enim scimus, quia cunctorum Conditor Dominus qui omnia per semetipsum tenet ad distinguendum pulchræ universitatis ordinem, alia aliis dispensantibus regit, & Angeli a superiorum Angelorum potestatibus dispensantur, & ad explendum de supernis ministerium alii spiritus ab aliis mittuntur. Dum enim Angelus dicit ad Angelum: *Curre, & loquere*, dubium non est quia alius alium mittit: & si in ipsis officiis sanctorum spirituum nequaquam potestates summæ minimas disponerent, nullomodo hoc, quod homini diceret, Angelus ab Angelo cognovisset. Sed hoc quoque de ipsis agminibus certum tenemus: quia minora sunt quæ mittuntur; majora quæ mittunt: & ea quæ mittuntur, cum ad nos veniunt, sic exterius implent ministerium, ut numquam desint interius per contemplationem.

Ibid. v. 3. 4.

* Lib. 2. ho. 34 in Evang. num. 13.

Moral. lib. 4. cap. 29.

CAPUT II.

Moral. lib. 20 c. 23. n. 48.

IN nostræ locutionis usu pro dextro habere dicimus, quod pro magno pensamus; pro sinistro vero id quod despicimus. Quod Zacharias aperte insinuat, dicens: *Et ostendit mihi Jesum Sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini; & Satan stabat a dextris ejus ut adversaretur ei.* Qui, ut patentius hoc quod præmisit ostenderet, secutus adjunxit: *Et Dominus dixit ad Satan: Increpet Dominus in te Satan, qui elegit Jerusalem. Numquid non iste torris erutus de igne? Et Jesus indutus erat vestibus sordidis.* Sordidis enim vestibus Jesus indutus est, quia quamvis alienus ab omni peccato, tamen in similitudinem venit carnis peccati. Cui advenienti Satan a dextris stetit. Pro magno namque Dominus Judaicum populum, & pro nihilo Gentes habere videbatur. Sed postquam incarnatus apparuit, Gentilitas quæ pro sinistro habita fuerat, credidit; Judaicus vero populus ad perfidiam declinavit. Satan ergo illi a dextris stetit, quia illum ei populum rapuit, qui dudum dilectus fuit. Sed quia ipse Judaicus populus, modo perditus, in fine est quandoque crediturus, Propheta teste, qui ait: *Reliquiæ salvæ fient*: Stan e dextris suis removet Dominus, dicens: *Increpet Dominus in te Satan.* Et ejusdem populi liberationem indicans, subdit: *Quia elegit Jerusalem.* Qui nimirum populus quia ad gehennæ incendia perfidia duce defluebat, sed dum ad fidem reducitur, ab eodem æterni ignis incendio liberatur, statim de eo illic subditur: *Numquid non iste est torris de igne erutus?*

Zach. 3. 1.

Ibid. v. 2.

Isa. 10. 22.

CAPUT III.

Moral. lib 29 c 31. n. 74.

REDEMTOR noster in carne veniens, operationes septiformis spiritus simul in se cunctas & manentes habuit; sicut Zacharias ait: *Super lapidem unum septem oculi sunt*; & iterum: *Et in candelabro aureo lucernæ septem.* Nullus quippe hominum operationes sancti Spiritus simul omnes habuit, nisi solus Mediator Dei & hominum, cujus est idem spiritus qui de Patre ante secula procedit. Huic itaque lapidi septem oculos habere est, simul omnem virtutem spiritus septiformis gratiæ in operatione retinere.

Zach. 3. 9.

Ibid. 4. 2.

CAPUT IV.

Moral. lib. 15 c. 14. n. 18.

QUI mandata Dei memoria retinet, sed nequaquam faciendo complet, hic in doctrinæ verbis sententias quibus damnetur tenet. Hinc in Zacharia scriptum est: *Quid tu vides Zacharia? Et dixi: Video volumen volans: longitudo ejus viginti cubitorum, & latitudo ejus decem cubitorum: & dixit ad me: Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem universæ terræ.* Quid namque volumen volans est, nisi sacra Scriptura? Quæ dum de cælestibus loquitur, ad superiorem mentis nostræ intentionem levat; quia dum illam super nos aspicimus esse, ima attendere, id est concupiscere devitamus. Quæ latitudinem cubitorum decem, longitudinem vero viginti habere perhibetur: quia latitudo operationis nostræ simpla est, & longanimitas spei in duplum tenditur; quoniam pro nostro bono opere, & hic nobis mentis requies, & illic gaudia æterna præparantur; Veritate attestante, quæ ait: *Si quis reliquerit domos aut agros, &c. centuplum in hoc seculo recipiet, & in futuro vitam æternam possidebit.* Centenarius quippe numerus decemplicato denario fit perfectus. Hic itaque centuplum recipit, qui etsi nihil habuerit, ipsa tamen perfectione mentis jam in hoc seculo nil habere quærit. Quia ergo per hanc nobis duplum pro simplo redditur, recte hoc volumen per viginti cubitos in longum tenditur, quod per decem dilatatur. Sed quia hæc ipsa sacra eloquia ad æternam damnationem sunt eis qui illa vel scire nolunt, vel certe sciendo contemnunt, recte de hoc volumine dicitur: *Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem universæ terræ.* Et cur maledictio dicatur, adjungit: *Quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur.* Hypocrita igitur, quia secundum verba Legis, quæ novit, vivere contemnit, & de doctrina favorem quærit, fur judicabitur: quia per hoc quod justa loquitur, laudem sibi vitæ justorum rapit.

Zach. 5. 2.

Ibid. v. 3.

Matt. 19. 29. Luc. 18. 30.

CA-

CAPUT V.

[Moral. lib. 14 c. 53. n. 63.] PER plumbum cujus natura gravis est ponderis, peccatum avaritiæ specialiter designatur, quod mentem quam infecerit, ita gravem reddit, ut ad appetenda sublimia attolli non possit. [Zach. 5. 5.] Hinc in Zacharia scriptum est : *Leva oculos tuos, & vide quid est quod egreditur. Et dixi, quidnam est ? Et dixit : hæc est amphora egrediens.* Volens Deus Prophetæ ostendere genus humanum, ex qua ab eo maxime culpa dilabatur, per imaginem amphoræ quasi patens os avaritiæ designavit : avaritia quippe velut amphora est, quæ os cordis in ambitu apertum tenet, [Ibidem.] & dixit : *Hæc est oculus eorum in universa terra*. Multos, obtusi sensus homines cernimus, & tamen in malis actibus eos astutos videmus, Propheta teste, qui [Jerem. 4. 22.] ait : *Sapientes sunt ut faciant mala.* Hi itaque sensu torpent ; sed in his quæ appetunt, avaritiæ stimulis excitantur. Et quia ad bona videnda cæci sunt, excitantibus præmiis ad peragenda mala vigilantes fiunt. Unde recte de hac eadem avaritia [Zach. 5. 6.] dicitur : *Hæc est oculus eorum in universa terra*. [Ibid. v. 7.] *Et ecce talentum plumbi portabatur.* Quid est talentum plumbi, nisi ex eadem avaritia pondus peccati ? *Et ecce mulier una sedens in medio amphoræ :* quam mulierem ne fortasse quæ esset dubitaremus ; mox innotuit Angelus. Nam sequitur, & dixit : [Vers. 8.] *Hæc est impietas, & projecit eam in medio amphoræ.* Impietas in medio amphoræ projicitur, quia in [Ibidem.] avaritia semper impietas tenetur. *Et misit massam plumbi in os ejus.* Massa plumbi in os mulieris mittitur, quia scilicet impietas avaritiæ peccati sui pondere gravatur. Si enim ad ea quæ deorsum sunt non ambiret, erga Deum & proximos impia non existeret. Quid vero de hac visione amphoræ, & mulieris, & plumbi cognovisset, ut latius ostenderet, secutus adjun- [* Num. 64. Ibid. v. 9.] xit : * *Et levavi oculos meos & vidi ; & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum.* Quid aliud in his duabus mulieribus accipimus, nisi duo principalia vitia, superbiam videlicet & inanem gloriam, quæ impietati absque dubitatione conjuncta sunt ? Quæ & in alis suis spiritum habere narrantur, quia & in actionibus suis Satanæ voluntati deserviunt. Ipsum quippe spiritum Propheta appellat de quo in Evangelio [Matt. 12. 43.] Dominus dicit : *Cum immundus spiritus exierit ab homine.* Spiritus in alis earum est, quia superbia & inanis gloria per omne quod agunt, Satanæ voluntati famulantur. *Et habebant alas, quasi alas milvi.* Milvus semper naturæ studet insidiari pullorum. Istæ ergo mulieres alas habent, quasi alas milvi : quia actiones earum diabolo sunt similes, qui insidiatur semper vitæ parvulorum. *Et levaverunt amphoram inter cælum & terram.* Superbia & vana gloria habent hoc proprium, ut eum quem infecerunt, in cogitatione sua super ceteros homines extollant ; & modo per ambitum rerum, modo per desiderium dignitatum, quem semel captum tenuerint, quasi in honoris altitudinem elevent. Qui vero inter cælum & terram est, ima dese- [* Num. 65.] rit, & superiora minime tangit. * Levant igitur istæ mulieres amphoram inter cælum & terram : quia superbia & inanis gloria mentem per avaritiam honoris captam ita elevant, ut quoslibet proximos despicientes, quasi ima deserant, & alta gloriantes petant. Sed tales quique, dum superbiunt, & eos mente transeunt cum quibus sunt, & superioribus civibus minime junguntur. Amphora ergo levata inter cælum & terram dicitur : quia avari quique per superbiam & inanem gloriam proximos juxta se despiciunt, & superiora quæ ultra ipsos sunt non apprehendunt. Inter cælum & terram itaque feruntur ; quia nec æqualitatem fraternitatis in infimis per caritatem tenent, nec tamen summa pertingere se extollendo prævalent. *Et dixi ad Angelum qui* [Vers. 10. 11.] *loquebatur in me : quo istæ deferunt amphoram ? Et dixit ad me : Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar.* Sennaar quippe fœtor eorum dicitur. Sicut bonus odor ex virtute est, ita econtrario fœtor ex vitio. *Radix enim omnium malorum cupidi-* [1. Tim. 6. 10.] *tas.* Et quia quodlibet malum per avaritiam gignitur, dignum est ut domus avaritiæ in fœtore construatur. Sciendum quoque est quod Sennaar latissima vallis est, in qua turris a superbientibus ædificari cœperat, quæ linguarum facta diversitate destructa est ; quæ scilicet turris Babylon dicta est, pro ipsa scilicet confusione mentium, & linguarum : nec immerito ibi amphora avaritiæ ponitur, ubi Babylon, id est confusio ædificatur ; quia dum per avaritiam & impietatem certum est omnia mala exurgere, recte hæc ipsa avaritia & impietas in confusione perlubentur habitare.

CAPUT VI.

DE bonis doctoribus per Zachariam Dominus dicit : *Devorabunt & subjicient lapidi-* [Moral. lib. 34 cap. 9. Zach. 9. 15.] *bus fundæ.* Quid per fundam, nisi sancta Ecclesia designatur ? Funda enim dum in gyrum mittitur, * de illa lapides exeunt quibus [* 60.] adversariorum pectora feriantur. Ita sancta Ecclesia, dum volubilitate temporum, per tribulationum circuitum ducitur, fortes ex illa viri [… per …] prodeunt, quibus quasi lapideis ictibus iniquorum corda tunduntur. Sancti itaque doctores qui ad virtutem alios instruunt, hostes devorant, dum eos intra corpus suum per vim conversationis immutant ; quos lapidibus fundæ subjiciunt, quia dum fortes quosque in sancta Ecclesia viros instituunt, per eos adversariorum superbientium pectora dura confringunt. Unde & Golias immanissimus saxo fundæ moritur, quia singulari sanctæ Ecclesiæ lapide diabolica celsitudo superatur.

CAPUT VII.

FRATRES carissimi, ad vitam præteritam [Lib. 2. hom. 8. in Ezech. n. 18 & 19.] mentis oculos reducamus : & quia nos peccasse meminimus, defleamus. Magnus enim Creatoris nostri ad recipiendos fletus humilium misericordiæ sinus. Ubi enim innumerabilium hominum fletus suscepti sunt, ibi locum suum inventuræ sunt & lacrymæ nostræ. Pensemus quid per Zachariam dicitur : *Et erit qui offenderit ex eis* [Zach. 12. 8.] *in die illa, quasi David, & domus David quasi Dei.* Reversus namque ad justitiam quisque habitatio efficitur Creatoris sui, ut sit sicut Angelus in conspectu ejus : quia misericordiæ viscera quæ in se expertus est, annuntiando & aliis propinat. Hinc etiam paulo post dicitur : *In die illa erit fons patens domus David habitantibus Jerusalem, in ablutionem* [Ibid. 13. 1.] *peccatoris & menstruatæ.* * Fons occultus est unigenitus Patris invisibilis Deus ; fons vero patens est [* Num. 20] idem Deus incarnatus. Qui fons patens recte domus David dicitur : quia ex David genere Redem-

tor

tor noster ad hos processit. Jerusalem vero visio pacis interpretatur. Hi autem Jerusalem habitant, qui in visione pacis intimæ mentem figunt. Peccator vero & menstruata est vel is qui delinquit in opere, vel mens quæ labitur in prava cogitatione. Menstruatæ namque ista pollutio est, quia & aliena carne non tangitur, & sua carne inquinatur. Sic itaque sic est omnis anima, quæ & si malum opus non agit, polluta tamen cogitatione sordescit. Unde per Prophetam alium sub Judææ specie de anima immundis desideriis occupata dicitur: *Omnes qui quærunt eam, non deficient.* Cum inferre perditionem cupiunt, & nulla bonæ cogitationis rectitudine repelluntur. Et in menstruis suis animam inveniunt, quando in pollutis cogitationibus positam facile ad perversam operationem trahunt. Dicatur ergo: *In die illa erit fons patens domus David habitantibus Jerusalem in ablutione peccatoris & menstruatæ*; quia apertus est jam nobis fons misericordiæ Redemtor noster, qui in Domo David incarnari dignatus est, ut peccatorem lavet a perverso opere, & menstruatam mentem diluat ab immunda cogitatione. Patet ergo fons; curramus cum lacrymis, lavemur hoc fonte pietatis. In hoc fonte ipse quoque David lotus est, cum rediit ad lamenta pœnitentiæ, post maculam gravis culpæ. Ipsum quippe fontem invenire quærebat, cum diceret: *Redde mihi lætitiam Salutaris tui.* Jesus enim Hebraice Salvator dicitur. Et quid est quod lætitiam Jesu reddi postulabat, nisi quod Jesum ante culpam contemplari consueverat, ejusque contemplationis gaudia in culpa perdiderat? Unde recte post pœnitentiam visionis ejus lætitiam sibi reddi quærebat. In hoc fonte misericordiæ lota est Maria Magdalene quæ prius famosa peccatrix, postmodum lavit maculas lacrymis. In hoc fonte misericordiæ patente lavit Apostolus Petrus quod negaverat, quia flevit amare. In hoc fonte misericordiæ in fine suo lotus est latro; qui seipsum in morte reprehendens a culpa sua ablutus est confessione veritatis. De emundatione ergo nostra non desperemus, cum in hoc fonte pietatis tantos se jam lavasse cognoscimus. Quærere fontem misericordiæ debuimus, etiamsi esset clausus. Patet nunc, & negligimus, & torpentes, & frigidi remanemus: Mittamus oculos fidei in mundum universum, consideremus quanti peccatores diebus & noctibus per lamenta in hoc fonte misericordiæ laventur, quanti post tenebras ad lucem, quanti post maculas ad munditiam redeunt? Consideremus quantum peccavimus, quantum quotidie peccamus. Curramus ad aquam vitæ veniam quærentes, & cum lacrymis fiduciam habentes. Lavemus nos in hoc fonte pietatis, & misericordiæ Jesu Christo Domino nostro, qui vivit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

IN SEQUENTIBUS EXCERPTIS plurimi Psalmorum versus explicantur.

MULTUM a peccatis aliis differunt peccata quæ per judicium & deliberationem, sive per consilium perpetrantur, nec tam prava Dominus quam studia pravitatis insequitur. In factis enim sæpe infirmitate, sæpe negligentia; in studiis vero malitiosa semper intentione peccatur. Quo contra recte beati viri expressione per Psalmistam dicitur: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Cathedra quippe judicis esse, vel præsidentis solet. In cathedra quippe pestilentiæ sedere, est ex judicio prava committere. In cathedra pestilentiæ sedere, est ex ratione mala discernere, & tamen ex deliberatione perpetrare. Quasi in perversi consilii cathedra sedet, qui tanta iniquitatis elatione attollitur, ut implere malum etiam per consilia conetur; & sicut assistentibus turbis prælati sunt, qui cathedræ honore fulciuntur, ita delicta eorum qui præcipitatione corruunt, exquisita per studium peccata transcendunt. Hinc ergo colligant qui in culpa etiam se per consilium ligant, qua quandoque ultione feriendi sunt, qui nunc pravorum non socii, sed principes fiunt.

CREATOR omnium Deus, qui in divinitate videri non potuit, assumsit a nobis unde videretur a nobis; & per incarnationis suæ mysterium apparere dignatus est humano generi, quod ab ortu suo diffluit ad mortem, sicut de illo per Psalmistam dicitur: *Et erit tamquam lignum quod plantatum est super decursus aquarum*. Juxta enim decursus aquarum plantatus est, quia juxta lapsus incarnatus est deffluentium populorum. * Decursus quippe aquarum sunt quotidiani transitus deficientium populorum, & de semetipsa Veritas dicit: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Lignum ergo secus decursus aquarum est, qui fructum & protectionem sui nobis umbraculi proferens, apparuit Creator in carne, ut humanum genus per resurrectionem figeret, quod per defectum quotidie ibat ad mortem.

DE reprobis in die judicii, alii judicantur & pereunt; alii non judicantur & pereunt. Judicantur & pereunt quibus Dominica inclamatione dicitur: *Esurivi & non dedistis mihi manducare, &c.* quibus præmittitur: *Discedite a me maledicti in ignem æternum.* Alii vero non judicantur & pereunt, de quibus Dominus dicit: *Qui non credit, jam judicatus est*, & de quibus Paulus ait: *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*; & de quibus Psalmista dicit: *Non resurgent impii in judicio.* Eos impios vocat, qui aut fidei pietate disjuncti sunt, aut in hoc quod fideliter credunt, pravis sibi moribus contradicunt. Resurgent quippe omnes infideles, sed ad tormentum non ad judicium; non enim eorum tunc causa discutitur, qui ad conspectum districti judicis jam condemnatione suæ infidelitatis accedunt: professionem autem fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur ut pereant. Illi saltem verba judicis audiunt, qui ejus fidei verba saltem tenuerunt; isti in damnatione sua, æterni judicis nec verba percipiunt, quia ejus reverentiam nec verbotenus servare voluerunt. Illi legaliter pereunt

eunt, quia sub Lege positi peccaverunt a istis in perditione sua de Lege nihil dicitur, quia nihil habere Legis conati sunt. Princeps namque terrenam Rempublicam regens, aliter punit civem interius delinquentem, & aliter hostem exterius rebellantem. In illo jura sua consulit, eumque sub verbis dignæ invectionis addicit. Contra hostem vero bellum movet, instrumenta perditionis exercet, dignaque ejus malitiæ tormenta retribuit; de malo vero ejus quid lex habeat non requirit, neque enim * necesse est puniri, qui lege numquam potuit teneri. Ita argo in extremo judicio, & legalis illum invectio percutit, qui ab eo quod professione tenuit actione declinavit; & iste sine judicii invectione perimitur, qui lege fidei non tenetur.

* lege.

Moral. lib. 7 c. 16. n. 39

SCIENDUM est quod aliquando nos adversarius, aliquando nos conterit Deus; ex contritione autem adversarii a virtute deficimus; per contritionem vero Domini fracti a vitiis, in virtute roboramur. Hanc contritionem & percussionem Propheta conspexerat, cum dicebat; *Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli * confringes eos*. In virga ferrea nos Dominus regit, & conterit; quia dispensationis suæ * recti fortitudine cum nos interius reficit, exterius affligit. Nam quo virtutem carnis humiliat, & intentionem spiritus axaltat. Unde & hæc eadem contritio vasi figuli comparatur. Sicut & per Paulum dicitur: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*. Qui simul contritionem & regimen exprimens, ait: *Licet is qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem*.

Psal. 2. 9 · * conteres. · * forti rectitudine. · 2. Cor. 4. 7 · Ibid. 4. 16

Moral. lib. 10 c. 3. n. 9

SANCTI viri sic de spe certi sunt, ut tamen semper sint de tentatione suspecti; quippe quibus dicitur: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*. Ut & de spe exultatio, & de suspicione nascatur tremor. Quorum voce iterum Psalmista dicit: *Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum*. Qua in re notandum quod non ait: Lætetur ut securum sit; sed, lætetur ut timeat; Meminerunt namque quamvis eorum actio prosperetur, quia adhuc in hac vita sunt; de qua dicitur: *Tentatio est vita humana super terram*. Meminerunt & metuunt, & positi inter gaudium spei, & tentationis metum, confidunt & timent, confortantur & titubant, certiorantur & suspecti sunt.

Psal. 2. 11 · Psal. 85. 11 · Job 7. 1

Moral. lib. 5 c. 45. n. 82

SCIENDUM quod alia est ira quam impatientia excitat, alia quam zelus format. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur: hanc iram quia Heli non habuit, motum contra se implacabiliter supernæ ultionis excitavit. Nam quo contra subditorum vitia tepuit, eo contra illum districtio æterni Rectoris exarsit. De hac per Psalmistam dicitur: *Irascimini & nolite peccare*. Quod nimirum non recte intelligunt qui irasci nos nobis tantummodo, non etiam proximis delinquentibus volunt. Si enim sic proximos, ut nos amare præcipimur, restat ut sic eorum erratibus irascamur, sicut nostris vitiis.

Psal. 4. 5

Moral. lib. 35 c. 7. n. 10

CORAM Deo sæpe multorum vita displicet, quæ etiam foris hominibus placet. Hinc est quod Psalmista vigilanter exorat, dicens: *Dirige in conspectu tuo viam meam*, quia nimirum plerumque in conspectu hominum recta via cre-

Psal. 5. 9.

A ditur, etiam quæ a veritatis itinere depravatur. * *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*. In Scriptura sacra scuti defensio sæpe pro divina protectione ponitur. Scuto quippe Dominus nos coronare perhibetur, quia quos protegens adjuvat, remunerans coronat.

* Ibid. lib. 31 cap. 28 · Ibid. n. 14

Lib. 2. hom. 4 in Ezech. num. 3.

PER octavum numerum dies æterni judicii, & carnis resurrectio designatur. Unde Psalmista resurrectionis diem considerans, quia de extremi judicii arat districtione locuturus, præmisit titulum, dicens: *In finem Psalmus David pro octava*. Ut anim quam octavam diceret demonstraret, diem illam tremendi terroris in Psalmi inchoatione secutus est, dicens: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Modo enim quisque per flagella corripitur, & correptionibus emendatur. In mansuetudine corripitur non in ira; in districto autem illo examine omnis argutio & correptio, furor & ira ast; quia venia post correptionem non ast. * Nunc tempus est misericordiæ, in illo autem judicio dies iræ: In quo videlicet die omne hoc tempus finitur, quod septem diebus evolvitur: & quia post septem dies sequitur, jure octavus vocatur, in quo & caro nostra resurget ex pulvere, ut sive bona sive mala quæ egit, recipiat a veritate.

Psal. 6. · Ibid. 2. · * Lib. 1 Reg. num. 8.

Psal. 6. 6. · Moral. lib. 18 cap. 24 · Prov. 18. 3

IN inferno autem quis confitebitur tibi? Inferni nomine designatur desperatio peccatoris. Unde scriptum ast: *Impius cum venerit in profundum peccatorum, contemnet*.

Moral. lib. 19 c. 30. n. 51 · Psal. 6. 8.

AD vetustam vitam vitia pertinent, virtutes ad novam. Hinc Psalmista in typo humani generis loquens, inter malignos spiritus deprehensus, dicit: *Inveteravi inter omnes inimicos meos*. A fervore etenim mentis vel inter spirituales inimicos, vel inter carnales quosque proximos ipso aliquomodo vivendi usu veterascimus, & assumptæ novitatis specie fuscamur; a qua tamen vetustate quotidie si studia circumspectionis invigilent, orando, legendo, bene vivando renovamur; quia vita nostra dum lacrymis lavatur, bonis operibus exercetur: sanctis meditationibus tenditur, ad novitatem suam sine cessatione reparatur.

Moral. lib. 19 c. 30. n. 55 · Psal. 7. 13

ALIQUANDO per arcum sacra Scriptura signatur: ipsa quippe arcus est * Ecclesiæ, ipsa arcus est Domini. De qua ad corda hominum sicut ferientes sagittæ, sic terrentes sententiæ veniunt. Unde recte per Psalmistam dicitur: *Arcum suum tetendit & paravit illum; & in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit*. Arcum namqua suum Dominus tetendit, quia tuoctis peccatoribus per Scripturam sacram minas exhibuit. In quo arcu scilicet vasa mortis præparat, quia secundum eloquii sui sententiam eos qui nunc corrigi negligunt reprobos damnat. In quo etiam sagittas suas ardentibus effecit, quia in eos quos per terrorem corrigit, accensas varborum sententias emittit.

Moral. lib. 18 cap. 12 · Psal. 8. 3

HÆRETICI ea adstruunt quæ nequaquam Domino pro quo loquuntur placent: cumque Deum quasi defendere nituntur, offendunt. Unde per Psalmistam dicitur: *Ut destruas inimicum & defensorem*. Omnis quippe hæreticus omnipotenti Deo inimicus & defensor est, quia unde hunc

quasi defendere nititur, inde veritati illius adversatur.

Lib. 1. hom. 1 in Ezech. num. 13

IN Scriptura sacra & ea accipi secundum historiam possunt plerumque quæ spiritaliter intelligenda sunt, ut & fides habeatur in veritate historiæ, & spiritualis intelligentia capiatur de mysteriis allegoriæ. Sicut illud est quod Psalmista ait: *Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, lunam & stellas* * *quæ tu fundasti*. Ecce enim in exteriori descriptione stat sermo rationis, quia & cæli opera Dei sunt, & luna & stellæ ab eo creatæ & fundatæ sunt. Sed si hoc Psalmista juxta sola exteriora opera, & non etiam secundum intellectum mysticum asseruit: qui cælos opera Dei esse professus est, dicturus lunam & stellas, cur non etiam solem, quem scimus quia ejus opus est, pariter annumeravit? Sed quia juxta intellectum mysticum loquebatur, ut lunam sanctam Ecclesiam, & stellas omnes Sanctos accipere deberemus, solem nominare noluit; quia videlicet ipsi æterno soli loquebatur, de quo scriptum est: *Vobis autem qui timetis Dominum orietur sol justitiæ*; quia non tantum solem & lunam & stellas corporaliter, sed etiam lunam Ecclesiam & stellas Sanctos omnes spiritualiter fecit.

Psal. 8. 4. * quas.

Malach. 4. 2.

Lib. 1. hom. 1. in Ezech. num. 30. Psal. 8. 6.

INCARNATUS unigenitus patris per hoc quod homo factus est, infra Angelos fuit, sicut Psalmista dicit: *Minorasti eum paulominus ab Angelis*. Resurgens autem & ascendens in cælos, omnibus angelicis Potestatibus præsidet. Sicut de eo sursum illic scriptum est: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*.

Psal. 8.

Psal. 8. 9 Moral. lib. 30 cap. 5.

VOlucres cæli & pisces maris, qui perambulant semitas maris. Per pisces maris, curiosos hujus seculi debemus accipere, qui in magnis rerum inquisitionibus, quasi in abditis fluctibus latent. * *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion*. Portæ mortis sunt actiones pravæ quæ ad interitum ducunt. Quia vero Sion speculatio dicitur, portas Sion actiones bonas accipimus, per quas supernam patriam ingredimur, ut regis nostri gloriam contemplemur.

Psal. 9. 15 * Moral. lib. 29. cap. 16.

Psal. 9. 19. hom. 2. hom. in Evang. num. 9

P*Atientia pauperum non peribit in finem*. Quasi enim periisse patientia pauperum cernitur, cum nihil pro illa in hac vita humilibus recompensatur. Sed in finem non peribit, quia tunc ejus gloria percipitur, cum simul omnia laboriosa terminantur. Nam pro labore patientiæ bona speranda sunt sequentis vitæ, ut tunc præmium nostri laboris incipiat, quando omnis jam labor cessat.

Psal. 9. 10 Moral. lib. 15 cap. 18

S*ub lingua ejus labor & dolor: sedet in insidiis cum divitibus in occultis*. Hoc de Antichristo dictum est. Qui enim non aperte mala quæ cogitat ostendit, laborem & dolorem eorum quorum mortem appetit, non in lingua exerit, sed sub lingua premit. * Propter enim perversa dogmata, sub lingua ejus labor & dolor est; propter miraculorum vero speciem, sedet in insidiis; propter autem secularis potestatis gloriam, cum divitibus in occultis. Quia enim simul & miraculorum fraude, & terrena potestate utitur, & in occultis & cum divitibus sedere perhibetur. * Qui videlicet Antichristus, quia non sola potestate erigitur, sed etiam signorum ostensione fulcitur, recte per eumdem David dicitur: *Insidiatur in occulto, quasi leo in cubili suo*. Quia enim hic antiquus hostis in cunctis viribus suis effrenatur, sævire per utraque permittitur, ut contra electos in certamine, & fraude & virtute laxetur: virtute, per potentiam; fraude, per signa. Facta ergo & leo, & insidians dicitur: Insidians per miraculorum speciem, leo per fortitudinem secularem. Ut enim eos qui aperte iniqui sunt pertrahat, secularem potentiam ostentat; ut vero justos etiam fallat, signis sanctitatem simulat: illis enim suadet elationem magnitudinis: istos decipit ostensione sanctitatis.

* Ibid. lib. 33. c. 7 n. 48

* Ibid. lib. 32. cap. 15

Ibid. v. 30

Psal. 10. 1 Moral. lib. 33 cap. 8

IN *Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer?* Hæc ex voce Ecclesiæ Psalmista dicit. Per montem autem hæreticus quilibet exprimitur. Cum vero fideli animæ, unitate derelicta, in tumenti doctrina confidere hæretici prædicatoris dicitur, deserto Domino quasi in montem transmigrare suadetur.

Psal. 10. 3 Moral. lib. 18 cap. 30.

P*Araverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde*. Pharetræ nomine pravorum machinatio designatur. Iniqui ergo cum dolos quos bonis excogitant, secretis machinationibus occultant, quasi in pharetra sagittas parant. Et in hac præsentis vitæ caligine velut in obscuro rectos corde feriunt, quia malitiosa eorum jacula, & sentiri per vulnus possunt, & tamen venientia deprehendi non possunt.

Psal. 10. 5 Moral. lib. 18 cap. 4

P*Alpebræ ejus interrogant filios hominum*. Palpebris apertis cernimus: clausis nihil videmus. Per palpebras autem Dei, ejus judicia accipimus, quæ juxta aliquid clauduntur hominibus, & juxta aliquid reserantur, ut homines qui se nesciunt, sibimetipsis innotescant. Quatenus dum quædam intelligendo comprehendunt, quædam vero cognoscere omnino non possunt, eorum corda se latenter inquirant, si illos divina judicia vel clausa non stimulant, vel aperta non inflant. * Claudendo nos interrogant, si non despicimus quæ intelligere non valemus: aperiendo nos interrogant si intelligendo non extollimur.

* Lib. 2. hom. 5 in Ezech. num. 6

Psal. 10. 7 Moral. lib. 15 cap. 49

P*Luet super peccatores laqueos; ignis, sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum*. Pœna præsens quæ peccatores a pravis desideriis non immutat, nequaquam ab æternis suppliciis liberat. Dicendo itaque laqueos, ignis, sulphur & spiritus procellarum, multos nimirum dolores intulit. Sed quia ab his doloribus peccator qui non corrigitur, ab æterna supplicia vocatur, eosdem dolores non jam totum calicem, sed partem calicis dixit: quia videlicet eorum pars hic quidem per dolores incipitur, sed in ultione perpetua consummatur.

Psal. 11. 7 Moral. lib. 4 cap. 31.

E*Loquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum*. Quid per argentum, nisi eloquia divina figurantur? Eloquium Domini argentum igne examinatum dicitur, quia sermo Dei si in corde figitur, tribulationibus probatur.

Psal. 15. 6 Moral. lib. 28 cap. 10

F*Unes ceciderunt mihi in præclaris*. Per funes aliquando sacra Scriptura hæreditarias dimensionum sortes designare consuevit. Funes quippe in

præ-

præclaris cadunt, dum per humilitatem vitæ fortes nos patriæ * meliores excipiunt.

** melioris.*

Psal. 16.6. Moral lib. 35 cap. 3.

EGo clamavi, quoniam exaudisti me Deus. Bona desideria quoties effectum percipiunt, ad Deum multipliciora consurgunt. Non enim ait: quia clamavi, exaudisti me; sed, clamavi, quoniam exaudisti me. Qui enim loquens exauditus fuerat, votis proficientibus exauditus clamabat.

Ibidem v. 7. Lib. 2. hom. 6. in Ezech. num. 18

MIrifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te. Tunc nobis misericordiæ Dei miræ fiunt, cum nobis ad memoriam miseriæ nostræ revocantur. Quia recolentes quod fuimus, intelligimus cui debemus quod sumus. Neque enim divinam misericordiam intelligit, qui miseriæ suæ memor non fuerit.

Ibid. v. 9. Moral lib. 32 cap. 3.

SUb umbra alarum tuarum protege me. Aliquando ab avibus similitudo Domini trahitur. Quia enim nos parvulos, dum protegit, nutrit; & non gravi atque onerosa, sed levi & blanda protectione nos refovet, dum suas in nos misericordias exerit, quasi more super nos avium alas tendit.

Moral lib. 30 cap. 11.

CERTUM est quod minus diligit ereptorem suum, qui minus intelligit periculum quod evasit. Unde bene ereptionem suam Domino tribuens Propheta dicebat: *Diligam te, Domine, virtus mea.* Quasi diceret: Eo te magis diligo, quo infirmitatem propriam sentiens, virtutem meam te esse cognosco. Hinc rursum ait: *Mirifica misericordias tuas*; quia tunc nimirum misericordiæ Domini miræ apud nosmetipsos qui eripimur fiunt, cum per easdem misericordias quam gravia fuerint pericula quæ evasimus cognoscuntur.

Psal. 17. 2. *Psal. 16. 7.*

Psal. 17. 12. Moral lib. 4 cap. 16

POsuit tenebras latibulum suum. Possunt per tenebras designari occulta judicia. In tenebris enim aut omnino nihil cernimus, aut incerto visu caligamus. Occulta ergo judicia, quasi quædam ante oculos nostros tenebræ sunt, quia scrutari nequaquam possunt. * His se tenebris Propheta circumdatum vidit, cum dispositionis intimæ penetrare interna non potuit, dicens: *Posuit tenebras latibulum suum.* Auctor enim noster, quia nobis in hoc exilium dejectis lucem suæ visionis abstulit, sese nostris oculis quasi in tenebrarum latibulo abscondit.

** Ibid. lib. 5 cap. 7*

Psal. 17. 12. Moral lib. 17 c. 26. n. 56

TEnebrosa aqua in nubibus aeris. In hoc loco aquam, scientiam; nubes, prædicatores vel Prophetas appellat. Tenebrosa ergo aqua in nubibus aeris, id est occulta scientia in Prophetis, qui ante adventum Domini, dum occultis sacramentis gravidi, mysteria immensa gestarent, intuentium oculis eorum intelligentiæ caligabat.

Ibid. v. 13. Moral lib. 29 cap. 20.

PRæ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando, & carbones ignis. Præ fulgore nubes transeunt, quia prædicatores sancti universa mundi spatia miraculorum claritate percurrunt. Qui etiam grando & carbones ignis vocati sunt, quia * per correptionem feriunt, & per flammam caritatis accendunt; & sicut grando veniens percutit, liquida rigat, sic ipsi corda audientium, & terrentes feriunt, & blande rigantes infundunt.

** &.*

Psal. 17. 30. Moral lib. 26 cap. 24

ET in Deo meo transgrediar murum. Murus quippe est omne quod itineri nostro objicitur, ne ad eum qui diligitur transeatur. Sed murum transgredimur, cum amore supernæ patriæ quæque in hoc mundo fuerint objecta calcamus. Hinc rursum dicitur: *Qui fecit pedes meos tamquam cervorum.* Cervus cum montium juga conscendit, si aspera quæque se objiciunt sentibus illigata, dato saltu transgreditur, & absque ullo cursus sui obstaculo in superioribus elevatur. Ita etiam electorum mentes quæque sibi in hoc mundo obsistere & obviare conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt, & more cervorum despectis terrenarum rerum sentibus in superna se erigunt.

Ibid. v. 34

Psal. 18. 6. Moral lib. 34 cap. 14

IN sole posuit tabernaculum suum. Propheta per solem manifestæ visionis ostensionem designat, & Dominum cunctorum oculis apparentem denuntiat. Ac si diceret: Humanitatis assumtæ sacramentum in lumine manifestæ visionis ostendit. * *Et ipse tamquam Sponsus procedens de thalamo suo.* Tamquam Sponsus quippe de thalamo suo processit, quia ad conjungendam sibi Ecclesiam incarnatus Dominus de incorrupto utero Virginis exivit.

*Ibidem * Lib. 2. hom. 38 in Evang. num. 3*

Moral. lib. 3 c. 20. n. 37

INTER scelera & delicta hoc distat, quod scelus etiam pondus peccati transit; delictum vero pondus peccati non transit: quia & cum offerri sacrificium per legem jubetur, nimirum præcipitur, sicut pro peccato, ita etiam pro delicto; & numquam scelus nisi in opere est, delictum vero plerumque in sola cogitatione. Unde per Psalmistam dicitur: *Delicta quis intelligit?* quia videlicet peccata operis tanto citius cognoscuntur, quanto exterius videntur, peccata vero cogitationis eo ad intelligendum difficilia sunt, quo invisibiliter perpetrantur. Inter iniquitatem vero & peccatum quamvis distare nihil perhibeat Johannes Apostolus, qui ait: *Iniquitas peccatum est*; ipso tamen usu loquendi plus iniquitas quam peccatum sonat: & omnis homo se libere peccatorem fatetur, iniquum vero dicere se nonnumquam erubescit.

Psal. 18. 13 *1 Johan. 3. 4*

Lib. 2. hom. 8 in Ezech. num. 17

SUNT quidam qui etiam seculum relinquentes, totum quod habent Deo offerunt, sed tamen in bonis quæ agunt minime compunguntur: & bonum quod agunt holocaustum est, sed quia flere ac semetipsos dijudicare nesciunt, seque ex amore ad lacrymas non accendunt, perfectum eorum holocaustum non est. Hinc per Psalmistam dicitur: *Et holocaustum tuum pingue fiat.* Holocaustum quippe siccum, est bonum opus quod orationis lacrymæ non infundunt. Holocaustum vero pingue est, quando hoc quod bene agitur, corde humili etiam per lacrymas irrigatur. Unde rursum dicitur: *Holocausta medullata offeram tibi.* Quisquis enim bonum opus agit, sed ex omnipotentis Dei amore & desiderio flere nescit, holocaustum habet, sed medullam in holocausto non habet. Qui vero bona operatur, & visioni jam sui Creatoris inhiat, & ad æternæ contemplationis gaudia pervenire festinat, seque ipsum ex amore quo accenditur in fletibus mactat, holocausta Domino dedit medullata. Studendum ergo nobis est & mala funditus relinquere, & bona quæ sufficimus operari, & in ipsis bonis quæ agimus amore * Dei compungi.

Psal. 19. 4. *Psal. 65. 15* ** æterni luminis.*

Moral lib. 15 cap. 29

SCIENDUM quod omnes reprobi, quia anima simul & carne peccaverunt, in inferno retributionem cruciatus in anima pariter & carne * recipiunt, quia & cogitando miseri & operando deliquerunt. Nam per Psalmistam dicitur: *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus in*

** Ibid. lib. 6. cap. 20* *Psal. 20. 10*

ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis. Quod A enim ab igne devoratur, ab exteriori parte accenditur; clibanus vero interius inflammatur. In tempore ergo vultus Domini injusti omnes * ut clibanus ponuntur, & ab igne devorantur: quia apparente judice cum a visione illius eorum multitudo repellitur, & intus per * dolorem ardet conscientia, & foris carnem cruciat gehenna.

* &.

* desiderium.

Moral. lib. 20 cap. 31. * persecutionibus.

ALTO consilio Deus omnipotens cum Sancti ejus adversariorum * percussionibus comprimuntur, cumque assiduis ut liberentur interpellationibus clamant, solet differre voces petentium, ut merita patientium crescant. Hinc enim Psalmista dicit: *Deus meus clamabo per diem nec exaudies, & nocte*. Atque ipsa utilitas de exaudiendi mora mox subditur: *Et non ad insipientiam mihi*. Ac si diceret: * Nequaquam mihi ad insipientiam proficit quod die & nocte clamantem me continuo non exaudis, quia unde me in temporali tribulatione quasi deseris, inde ad æternam sapientiam plus erudis. * Ad multiplicandam quippe Sanctorum sapientiam proficit, quod postulata tarde percipiunt, ut ex dilatione crescat desiderium, ex desiderio intellectus augeatur; intellectus vero cum intenditur, ejus in Deum ardentior affectus aperitur: affectus autem ad promerenda cælestia tanto fit capax, quanto fuerit expectando longanimis. * Hinc etiam dicitur: *Adjutor in opportunitatibus in tribulatione*. Tribulationem quippe dicturus, opportunitates præmisit; quia sæpe & tribulatione conterimur, & tamen opportunum nondum est ut ad desiderium ereptionis adjuvemur. * Nemo ergo qui tardius auditur, credat quod a superna cura negligatur.

Psal. 21. 3. * Ibid. l. 28 c. 19. * Ibid. l. 20. c. 31. Psal. 9. 10. * Ibid. lib. 26. c. 19. * Ibid.

EXaruit velut testa virtus mea. Testa quippe est caro nostri Redemtoris ex nostræ substantiæ luto sumta. Quia vero testa igne solidatur, virtus humanitatis ejus velut testa exaruit, quia ad virtutem incorruptionis ab igne passionis crevit, & assumtam carnem ad resurrectionis gloriam, passionis tribulatio ignis roboravit. * *In conspectu ejus procident omnes qui descendunt in terram* In terra mortui non spiritu, sed corpore descendunt. In conspectu ergo Domini procidunt qui in terram descendunt, quia resurgendo ad judicium veniunt, qui in pulvere putrescunt. * *Impinguasti in oleo caput meum*; quia principale nostrum est mens, appellatione capitis mens vocatur. Ac si aperte diceretur: Arentem in suis cogitationibus mentem meam, caritatis unctione rigasti.

Psal. 21. 16. Moral. lib. 3 cap. 18. Psal. 21. 30. Li. 2. ho. 8. in Bened. num. 6. Psal. 22. 5. * Moral. lib. 35. c. 14. n. 26

B QUI non accepit in vano animam suam. In vano animam suam accipit, qui ejus vitam negligens, ei curam carnis anteponit; qui sola præsentia cogitans, quæ sequantur in perpetuum non attendit. Sed animam suam in vanum justi non accipiunt, quia intentione continua ad ejus utilitatem referunt quidquid corporaliter operantur; quatenus & transeunte opere, operis causa non transeat, quæ vitæ præmia post vitam parat.

Psal. 23. 4. Moral. lib. 9 cap. 29.

NECESSITATES naturales hoc habere valde periculosum solent, quod sæpe in eis minime discernitur quid circa illas per utilitatis studium, & quid agatur per voluptatis vitium. Crebro enim occasione seductionis inventa, dum necessitati debita reddimus, voluptatis vitio deservimus, & C infirmitatis velamine ante discretionis oculos excusatio nostra se palliat, & quasi sub patrocinio explendæ utilitatis occultat. * Quas videlicet necessitates cupiebat evadere, qui dicebat: *De necessitatibus meis eripe me*. Sciebat enim plerumque voluptatum culpas ex necessitatum occasione prorumpere; & ne quid sponte illicitum admitteret, hoc ipsum satagebat evelli quod nolens ex radice tolerabat. * Sancti enim viri in omne quod agunt solliciti sunt, ne quid plus ab eis naturæ suæ infirmitas quam sibi debetur exigat, ne sub D necessitatis tegmine in eis vitium voluptatis excrescat.

Moral. lib. 30 c. 14. n. 28 * Ibid. Psal. 24. 18 * Ibid.



SAN.

SANCTI PATERII
DE EXPOSITIONE VETERIS AC NOVI TESTAMENTI.

PARS TERTIA.
LIBER PRIMUS.

Capitula sumta ex Evangelio secundum Matthæum.

* Hi numeri indicant Caput & Versum Evangelii secundum Matthæum.

EXPLANATIO

PRÆCEDENTIUM CAPITULORUM

Sumta ex operibus S. Gregorii Papæ.

[a] CAPUT PRIMUM

In expositione B. Job, lib. 28. cap. 8. num. 19.

JAM per divinam gratiam omnibus liquet quem Scriptura sacra angularem lapidem vocat: illum profecto qui dum in se hinc Judaicum, illinc Gentilem populum suscipit, in una Ecclesiæ fabrica, quasi duos parietes jungit; & illum de quo scriptum est: *Qui fecit utraque unum*. (Ephes. 2. 14) Qui angularem se lapidem non solum in inferioribus, sed & in supernis exhibuit; quia & in terra plebi Israeliticæ nationes Gentium, & utramque simul Angelis in cælo sociavit; eo quippe nato clamaverunt Angeli in terra: *Pax hominibus bonæ voluntatis*. (Luc. 2. 14) In ortu enim regis nequaquam pro magno offerrent hominibus pacis gaudia, si discordiam non haberent. De hoc lapide per Prophetam dicitur: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*. (Psal. 117. 22) Hujus lapidis typum Jechonias rex tenuit, quem Matthæus, dum quaterdenas generationes describeret, secundo numeravit. Quem enim in fine secundæ, ipsum rursum in initio tertiæ generationis inseruit. Ipse namque in Babyloniam cum Israelitica plebe migratus est, qui dum ab aliis ad alia ducitur, pro utriusque parietis latere non immerito secundo numeratur, cujus migrationis flexu angularem lapidem signat. Ubi enim ordo a rectitudine flectitur, ut eat in diversum, tamquam angulum facit. Recte ergo numerari bis potuit, quia per utrumque parietem quasi in se duo latera ostendit. Unde & ejus bene imaginem tenuit, qui in Judæa ortus Gentilitatem colligens, quasi ab Jerosolymis Babyloniam venit, atque in semetipso fidei fabricam, prius discordiæ studio scissam, arte caritatis intexuit.

CAPUT II.

In exposit. Job, 29. cap. 19. num. 36.

[b] HOMINES, [b] inquit, tunc esse incipiunt, cum in matrum suarum ventre nascuntur, nam ipsa quoque conceptio nativitas dicitur: juxta hoc quod scriptum est: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*.

CAPUT III.

Regul. Pastoral. tert. part. admon. 22.

TENACES nonnumquam dicere solent: concessis utimur, aliena non quærimus; etsi digna misericordiæ retributione non agimus, nulla tamen perpetramus. Quod idcirco sentiunt, quia videlicet aurem cordis a verbis cælestibus claudunt. Neque enim dives in Evangelio qui induebatur purpura & bysso, qui epulabatur quotidie splendide, aliena rapuit, sed infructuose propriis usus fuisse perhibetur. Eumque post hanc vitam ultrix gehenna suscepit, non quia aliquid illicitum gessit, sed quia immoderato usu totum se licitis tradidit. Hinc Johannes exclamat, dicens: *Jam securis ad radicem arboris posita est: omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*. (Matt. 3. 10) Qui ergo se innoxios, quia aliena non rapiunt æstimant, ictum securis vicinæ prævideant, & torporem improvidæ securitatis amittant; ne cum ferre fructum boni operis negligunt, a præsenti vita funditus, quasi viriditate radicitus excidantur.

CAPUT IV.

In Ezechiel. homil. 8.

QUID est autem quod Pater de filio loquitur, dicens: *In quo mihi bene complacui*? (Matt. 3. 17) omnis enim qui pœnitendo corrigit aliqua quæ fecit, eo ipso quo pœnitet, se sibi displicuisse indicat, qui emendat quod fecit. Et quia omnipotens Pater, sicut intelligi ab hominibus poterat, humano modo locutus est de peccatoribus, dicens: *Pœnitet me fecisse hominem supe terram*; (Genes. 6. 7) quasi sibimetipsi in peccatoribus displicuit quos creavit. In solo autem sibi unigenito Deo & Domino nostro Jesu Christo complacuit, quia hunc inter homines hominem creasse eum non pœnituit, in quo pec-
ca-

[a] Omittitur hoc caput in Michaelino.
[b] In Michael. *inquid*, quod fortasse significat, *in aliquo*, *aliqua ex parte*. Nisi fortasse *d.* pro *t.* irrepserit sane sæpissime occurrit *t.* pro *d.* ut Davit, pro David, sed non vice versa *d.* pro *t.*

eatum omnimodo non invenit. Sicut de illo per Psalmistam dicitur: *Juravit Dominus & non pœnituit eum: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* (Psal. 109. 4.) In solo ergo sibi Redemtore nostro complacet Pater, quia in solo non invenit culpam in qua se reprehendat, quasi per pœnitentiam.

CAPUT V.

In exposit. B. Job, lib. 24. n. 27.

CONVERSIO securitatem parit: mater autem negligentiæ solet esse securitas. Ne ergo negligentiam securitas generet, scriptum est: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* (Eccli. 2. 1.) Non enim ait ad requiem, sed ad tentationem; quia hostis noster adhuc in hac vita positos, quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit. Eos enim pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit: contra nos vero vehementius incitatur, cum ex corde nostro, quasi ex jure propriæ habitationis expellitur. Hoc enim in seipso Dominus sub quadam dispensatione figuravit, qui diabolum nonnisi post baptisma se tentare permisit: ut signum quoddam futuræ conversationis innueret, quod membra ejus postquam ad Deum proficerent, tunc acriores tentationum insidias tolerarent.

CAPUT VI.

In exposit. B. Job, lib. 4. cap. 1. num. 1.

SCRIPTURA sacra ex his quæ tenuiter præmittit, reverenter expectanda indicat, quæ subjungit. Sicut enim clausa vascula quid intus habeant, ignoramus, aperto vero ore vasculorum quid intrinsecus contineatur agnoscimus, ita Sanctorum corda quæ clauso ore occulta sunt, aperto ore deteguntur: & cum cogitationes detegunt, os aperire referuntur, ut intenta mente, quasi apertis vasculis, quid intus contineant festinemus agnoscere, ac nosmetipsos eorum intimo odore recreare; unde & sublimia præcepta Domino in monte dicturo, præmittitur: *Aperiens os suum, dixit*: (Matth. 5. 2.) quamvis illic & hoc accipi debeat, quia tunc os suum in præceptis aperuit: in quibus dudum aperuerat ora Prophetarum.

CAPUT VII.

In exposit. B. Job, lib. 26. num. 49.

SCRIPTURA sacra plerumque pauperes humiles vocare consuevit. Unde in Evangelio cum adjectione spiritus nominantur, dum dicitur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* (Matth. 5. 3.) Quia enim divitiæ visibiliter potentes ostendunt, apud semetipsos pauperes sunt, qui elati in suis conscientiis non sunt.

CAPUT VIII.

In exposit. B. Job, lib. 30. n. 77.

DOMINUS dicit in Evangelio: *Neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum.* (Matth. 5. 15.) In modio enim commodum temporale: in lucerna autem lux prædicationis accipitur. Lucernam ergo sub modio ponere, est propter temporale commodum gratiam prædicationis abscondere, quod nemo utique electorum facit. Et bene illic additur: *Sed super candelabrum.* In candelabro enim status corporis designatur. Cui lucerna supponitur, dum eidem corpori cura prædicationis antefertur.

CAPUT IX.

In exposit. B. Job, lib. 8. num. 83. & 84.

VERITAS dicit: *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* (Matth. 5. 16.) Sed aliud est profecto cum in ostensione operis gloria quæritur largitoris, aliud cum laus privata concupiscitur de dono largientis. Unde & rursus in Evangelio hæc eadem Veritas dicit: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* (Ibid. 6. 1.) Opus ergo nostrum cum hominibus ostenditur, in corde prius examinatione pensandum est, per ejusdem ostensionis studium quid quæratur. Si enim dantis gloriam quærimus, etiam publica nostra opera in conspectu illius occulta servamus. Si vero per hæc nostram laudem concupiscimus, foras ab ejus conspectu jam fusa sunt, etiamsi a multis ignorantur. Sed valde perfectorum est sic ostenso opere auctoris gloriam quærere, ut de illata laude privata nesciat exultatione gaudere. Tunc solum namque innoxie hominibus laudabile opus ostenditur, cum per despectum mentis veraciter laus impensa calcatur, quam infirmi quia profecto contemnendo non superant, restat necesse est ut bonum quod operantur abscondant. Sæpe enim ab ipso ostensionis exordio propriam laudem quærunt, sæpe vero in ostensione operis auctoris gloriam patefacere cupiunt, sed excepti favoribus in laudis propriæ cupiditate rapiuntur. Cumque semetipsos dijudicare interius negligunt, sparsi exterius ignorant quod agunt; eorumque opus suæ elationi militat, atque hoc se impendere obsequio largitoris putant.

CAPUT X.

Ex lib. Regulæ Pastoralis admonit. 36.

QUISQUIS enim laudis concupiscentiam calcare jam sufficit, ædificationis fraudem perpetrat, si bona quæ agit, occultat; & quasi jacto semine germinandi radices subtrahit, qui opus quod imitandum est, non ostendit. Hinc namque in Evangelio Veritas dicit: *Videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* (Matth. 5. 16.) Ubi illa quoque sententia promitur, quæ longe aliud præcepisse videtur, dicens: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* (Ibid. 6. 1.) Quid ergo quod opus nostrum & ita faciendum est ne videatur, & tamen ut debeat videri præcipitur? nisi quod ea quæ agimus, & occultanda sunt ne humanam gloriam requiramus, & manifestanda ut laudem cælestis Patris augeamus. Nam cum nos justitiam nostram Dominus coram hominibus facere prohibet, illico adjunxit: *Ne videamini ab eis.* Et cum rursus videnda ab hominibus bona opera præciperet, protinus subdidit: *Ut glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Qualiter igitur videnda essent,

essent, vel qualiter non videnda, ex sententia eorum fine monstravit: quatenus operantis mens opus suum, & propter se videri non quæreret, & tamen hoc propter cælestis Patris gloriam non celaret. Unde fit plerumque ut bonum opus in occulto sit, cum fit publice, & rursus in publico, cum agitur occulte. Qui enim in publico bono opere non suam, sed superni Patris gloriam quærit, quod fecit abscondit: quia illum solum testem habuit, cui placere curavit, & qui in secreto bono suo opere deprehendi ac laudari concupiscit, & nullus fortasse vidit quod exhibuit, & tamen hoc coram hominibus fecit: quia tot testes in bono opere secum duxit, quot humanas laudes in corde requisivit.

CAPUT XI.

In exposit. Ezech. sec. part. hom. 4.

MINORA quippe præcepta Israelitico populo per Legem data sunt. Unde & eidem populo Moyses in campo locutus est. Altiora Dominus sanctis Apostolis dedit, unde & eosdem mandata vitæ in monte docuit. Dum vero Redemtor noster per Evangelium dicit: *Nolite putare, quoniam veni solvere Legem aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere.* Matth. 5. 17. Adimplere enim venerat Legem, qui Legis justitiæ gratiam addidit. Ut quod illa jubebat in minimis ipse perfici adjuvaret in summis, & quod illa coercebat ab opere, ipse resecaret a corde.

CAPUT XII.

In exposit. B. Job, lib. 21. num. 9.

SIC autem Dominus uniuscujusque considerat vias, sicut dinumerat gressus; ut ne minutissimæ quidem cogitationes ejus judicio, ac verba tenuissima quæ apud nos usu viluerunt, indiscussa remaneant. Hinc etenim dicit: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui dixerit fratri suo racha, reus erit concilio. Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Matth. 5. 22. Racha quippe in Hebræo eloquio vox interjectionis est, quæ quidem animum irascentis ostendit, nec tamen plenum verbum iracundiæ exprimit. Prius ergo ira reprehenditur sine voce, postmodum vero ira cum voce, sed necdum pleno verbo formata. Ad extremum quoque cum dicitur *fatue*, ira redarguitur, quæ cum excessu vocis expletur etiam perfectione sermonis. Et notandum quod in ira perhibet reum esse judicio, in voce iræ quod est *racha*, reum concilio, in verbo vocis, quod est *fatue* reum gehennæ. Per gradus etenim culpæ crevit ordo sententiæ: quia in judicio adhuc causa discutitur; in concilio autem jam causæ sententia definitur; in gehenna vero ignis ea quæ de concilio egreditur, sententia expletur.

CAPUT XIII.

In expositione Ezech. hom. 3. lib. sec.

RECTE autem limen exterius Testamenti veteris Patres designat, quia per eorum prædicationem opera perversa punita sunt, per dicta vero novorum Patrum uniuscujusque animus etiam ab illicitis cogitationibus coercetur, dum reatus esse perfectus & in deliberatione cordis ostenditur. Illi quippe a flagitiis, a crudelitatibus, a rapinis auditorum animas prohibere curaverunt. Isti vero dum non solum perversa opera, sed etiam illicita cogitationum resecant, quid nobis aliud nisi limen intrinsecus facti sunt? Unde & ipsa Veritas loquitur, dicens: *Audistis, quia dictum est antiquis, Non occides: qui autem occiderit reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Matth. 5. 21.

CAPUT XIV.

In expositione Ezech. 1. part. hom. 8.

QUIA autem nil sine concordia placeat Deo ipsa per se Veritas demonstrat, dicens: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus deliquit adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Matth. 5. 23. Ecce a discordantibus accipere non vult sacrificium, holocaustum suscipere recusat: hinc ergo perpendite malum quantum sit discordiæ, propter quod & illud abjicitur per quod culpa laxatur.

CAPUT XV.

Ex lib. Reg. Pastor. tert. part. admon. 23.

DISSIDENTES tamdiu nullum boni operis Deo sacrificium immolant, quamdiu a proximorum caritate discordant. Scriptum namque est: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Matth. 5. 23. Ex qua scilicet præceptione pensandum est, quorum hostia repellitur, quia intolerabilis culpa monstratur. Nam cum mala cuncta bonis sequentibus diluantur, pensemus quanta sint mala discordiæ, quæ nisi extincta funditus fuerint, bonum subsequi non permittunt.

CAPUT XVI.

In exposit. B. Job, lib. 21. cap. 2.

REDEMPTOR noster veniens Legis præcepta transcendit, & ab electis suis non solum luxuriam carnis, sed etiam cordis abolevit, dicens: *Scriptum est: Non adulterabis: ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Matth. 5. 27. Per Moysen quippe luxuria perpetrata, per auctorem vero munditiæ luxuria cogitata damnatur. Hinc est enim quod Discipulis primus Ecclesiæ Pastor dicit: *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam quæ offertur vobis gratiam;* 1. Petr. 1. 13. lumbos enim carnis succingere, est luxuriam ab affectu refrenare: lumbos vero mentis succingere, est hanc etiam a cogitatione restringere. Hinc est quod Angelus qui Johannem alloquitur, zona aurea super mamillas cinctus esse perhibetur, quia enim Testamenti novi munditia & cordis luxuriam frenat, Angelus qui in eo apparuit in pectore cinctus Apoc. 1. 13. venit,

* In Michaelino caput hoc postponitur sequenti.

venit, quem bene zona aurea stringit, quia quisquis supernæ patriæ civis est, non jam timore supplicii, sed amore caritatis immunditiam deserit.

CAPUT XVII.

Homil. 35. in Evang. num.

Matt. 5.44. VERITAS dicit: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos*. Virtus namque est coram hominibus, adversarios tolerare; sed virtus coram Deo, diligere; quia hoc solum Deus sacrificium accipit, quod ante ejus oculos in altari boni operis flammam caritatis incendit.

CAPUT XVIII.

In exposit. B. Job, lib. 19. num. 36.

SANCTORUM quippe virorum est bona quæ fecerint occultare, ne contingat eos lapsum elationis incurrere. Unde & per semetipsam Veritas
Matt. 6.1. dicit: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*. Hinc est etiam quod duos cæcos juxta viam sedentes illuminans, præcepit dicens: *Videte, ne quis sciat*. De quibus illico
Ibid. 9. 30. scriptum est: quia illi abeuntes diffamaverunt eum per totam terram illam. Sed quærendum nobis est C quid sit hoc quod ipse omnipotens cui hoc est velle quod posse, & taceri virtutes suas voluit, & tamen ab his qui illuminati sunt, quasi invitus indicatur: nisi quod servis suis se sequentibus exemplum dedit ut ipsi quidem virtutes suas occultare desiderent, & tamen ut alii ex eorum exemplo proficiant, prodantur inviti. Et facta quidem sua occultando seipsos custodiant; sed dum produntur inviti, bona ad proximos suos exempla transmittant. Occultentur ergo studio, necessitate publicentur; & eorum occultatio sit propria custodia, eorum publicatio sit
Ibid. 5. 15. utilitas aliena. Rursum quia scriptum est: *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt; sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*; & reliqua; aliquando sancti viri & coram hominibus compelluntur bona facere, aut D eadem hominibus sua facta narrare; sed ad eum finem sua facta narrant, ut non ipsi eisdem operibus, sed Pater eorum qui in cælis est, debeat glorificari. Dum enim sancta prædicant, ipsa prædicatio eorum fortasse despicitur, quorum vita nescitur. Compelluntur ergo vitam suam dicere, ut auditorum suorum valeant vitam mutare, & facta sua referunt, ut veneratio sit: venerari appetunt, ut reverenter audiantur.

CAPUT XIX.

In Regul. Pastoral. admon. 22.

CUM qualibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur; E justitiæ potius debitum solvimus, quam misericordiæ opera implemus. Unde & ipsa Veritas cum de misericordia caute exhibenda loqueretur,
Matth. 6. 1. ait: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*. Cui sententiæ etiam Psalmista concinens, dicit: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet*
Psal. 111. 9. *in æternum*. Cum enim largitatem impensam pauperibus præmisisset, non hanc vocare misericordiam, sed justitiam maluit; quia quod a commu-

A ni Domino tribuitur, justum profecto est ut quicumque excipiunt, eo communiter utantur. Hinc Prov. 21. 26.
etiam Salomon ait: *Qui justus est, tribuit & non cessabit*.

CAPUT XX.

In expositione B. Job, lib. 4. num. 18.

HI qui pro humana laude in bona actione se exhibent, incassum adveniente judice retributionem bonorum operum sperant; quia dum hæc in ostensionem faciunt, laudis jam præmium ab humano ore receperunt, Veritate attestante, quæ Matt. 6. 2.
ait: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*.

B

CAPUT XXI.

Regul. Pastoral. admonit. 36.

VILE namque bona sua dijudicant qui ad eorum mercedem sufficere humanos favores putant. Cum enim pro recto opere laus transitoria quæritur, æterna retributione res digna vili pretio venundatur. De quo videlicet percepto pretio Veritas dicit: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*. Matt. 6. 2.

CAPUT XXII.

In exposit. B. Job, lib. 22. num. 43.

IN Evangelio Dominus dicit: *Intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi*. Clauso quippe ostio petit in cubiculo, qui tacenti ore in conspectu supernæ pietatis fundit affectum mentis. Et vox auditur in abscondito, cum per sancta desideria silenter clamatur. Unde recte quoque per Psalmistam dicitur: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, desideria cordis eorum audivit auris tua*. Matt. 6. 6. Psal. 9. 17.

CAPUT XXIII.

In exposit. B. Job, lib. 27. num. 56.

POSSUNT per cælos hi qui in cælestibus sunt conditi angelici spiritus signari. Unde & in oratione nostra dicere vociferantes, instruimur: *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra*. Quo nimirum voluntas Dei sicut a superiore creatura agitur, ita in omnibus etiam ab humana infirmitate servetur. Matt. 6.

CAPUT XXIV.

In exposit. B. Job, lib. 24. num. 13.

IN Dominica oratione dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Ecce & nostrum dicimus, & tamen oramus ut detur. Noster quippe fit cum accipitur; qui tamen Dei est, quia ab illo datur. Et Dei ergo est ex munere, & noster fit per acceptionem. Matt. 6. 11.

CAPUT XXV.

In exposit. B. Job, lib. 10. num. 30.

VITAM quippe animæ qualibet culpa polluit, servatus vero contra proximum dolor occidit;

cidit; menti namqua ut gladius figitur, & mu-
crone illius ipsa viscerum occulta perforantur.
Qui scilicet a transfixo corde si prius non edu-
citur, nihil in precibus divinæ opis obtinetur:
quia & vulneratis membris imponi salutis me-
dicamina nequeunt, nisi ferrum a vulnere ante
subtrahatur. Hinc est enim quod per semetipsam
Matth 6 15. Veritas dicit: *Nisi remiseritis hominibus, nec Pa-
ter vester qui in cælis est, remittet vobis peccata*
Ibid. 11.25. *vestra*. Hinc admonet, dicens: *Cum statis ad
orandum, dimittite si quid habetis adversus alterum*.
Luc 6. 38. Hinc rursum ait: *Date & dabitur vobis, dimittite
& dimittetur vobis*. Hinc in constitutione postu-
lationis conditionem posuit pietatis, dicens:
Matth 6.12. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus
debitoribus nostris*. Ut profecto bonum quod a
Deo compuncti petimus, hoc primum cum
proximo conversi faciamus.

CAPUT XXVI.

In exposit. B. Job, lib. 10. num. 41.

QUOD oculorum nomine vis intentionis
exprimitur, per Evangelium Veritas at-
Matth. 6.22. testatur, dicens: *Si oculus tuus fuerit sim-
plex, totum corpus tuum lucidum erit*. Quia vi-
delicet si operationem nostram intentio munda
prævenerit, quælibet aliter hominibus videatur,
interni tamen judicis oculis mundum subsequen-
tis actionis corpus ostenditur.

CAPUT XXVII.

Hom. 7. in Ezech. num. 2.

QUIDQUID ergo agitur, in radice inten-
tionis pensandum est quo merito apud
judicium Creatoris habeatur. Unde &
idem Creator dicit: *Si oculus tuus simplex fuerit,
Matth 6. 2. totum corpus tuum lucidum erit*. Oculum videlicet
intentionem, corpus vero actionem nominans;
quia si nostra intentio apud Deum simplex fue-
rit, in ejus judicio nostra actio tenebrosa non
erit.

CAPUT XXVIII.

In exposit. B. Job, lib. 15. num. 53.

CUM Deus in oratione non quæritur, citius
animus in oratione lassatur: quia cum illa
quisque postulat, quæ fortasse juxta oc-
cultum judicium Deus tribuere recusat, ipse
quoque venit in fastidium qui non vult dare
quod amatur. Sed se magis Dominus quam ea
quæ condidit, vult amari, æterna potius quam
Matth 6.33 terrena postulari, sicut scriptum est: *Quærite
primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia
adjicientur vobis*. Qui enim non ait, dabuntur,
sed adjicientur: profecto indicat aliud esse quod
principaliter datur, aliud quod superadditur.
Quia enim nobis in intentione æternitas, in usu
vero temporalitas esse debet: & illud datur, &
hoc nimirum ex abundanti superadditur; & ta-
men sæpe homines, dum bona temporalia po-
stulant, æterna vero præmia non requirunt,
petunt quod adjicitur, & illud non desiderant
ubi adjiciatur: nec lucrum suæ esse petitionis
deputant, si hic sint temporaliter pauperes, &
illic beatitudine divites in æternum vivant, sed
solis, ut dictum est, visibilibus intenti, labore
postulationis renuunt invisibilia mercari; qui si

A superna quærerent, jam cum fructu laborem
exhiberent. Quia cum mens in precibus adju-
toris sui speciem anhelat, divinis desideriis in-
flammata, supernis conjungitur, ab inferioribus
separatur. Amore fervoris sui se aperit ut ca-
piat, & capiens inflammat: & superiora ama-
re, jam sursum ire est; dumque magno deside-
rio ad cælestia inhiat, miro modo hoc ipsum
quod accipere quærit degustat.

CAPUT XXIX.

In exposit. B. Job, lib. 9. num. 105.

PLERUMQUE se ad viam rectitudinis ani-
B mus accingit, torporem decutit; tantoque
in cælestibus desiderio rapitur, ut pene nil ex
eo inferius remansisse videatur: & tamen cum
ad carnis curam reducitur, sine qua præsentis
vitæ via nullo modo expletur, ita hunc infe-
rius depressum tenet, ac si adhuc de summis
nulla contigisset. Auditis verbis cælestis oraculi
in amorem patriæ cælestis erigitur, sed resur-
gente præsentis vitæ studio sub terrenæ curæ
aggere sepelitur. Atque in terra cordis nequa-
quam supernæ spei semen proficit, quia cogi-
tationis infimæ spina densescit. Quam videlicet
spinam per semetipsam Veritas manu sanctæ ex-
hortationis eradicat, dicens: *Nolite solliciti esse in* Matth. 6.34.
crastinum. Contra hanc quoque per Paulum dici-
C tur: *Carnis ne feceritis curam in concupiscentiis*. Sed Rom. 13. 14.
in his nimirum ducis ac militis verbis agnosci-
mus, quia tunc ab ea mortifero vulnere animus
pungitur, cum in eo mensuræ æquitas non te-
netur. * Neque enim mortali adhuc in carne * Num. 106.
viventibus funditus cura carnis absciditur, sed
ut discrete animo serviat, temperatur. Nam
quia sollicitos nos esse veritas in crastinum pro-
hibet, habere utcumque curam in præsentibus
non negat, quam tendi ad tempus quod sequi-
tur, vetat. Et nimirum Paulus cum curam
carnis fieri in concupiscentiis non sinit, procul-
dubio in necessitate concedit; discretione ergo
magni moderaminis carnis cura frenanda est ut
serviat, & minime principetur. Nec quasi do-
D mina animum vincat, sed subacta mentis do-
minio, quasi ancilla famuletur. Ut jussa adsit,
atque ad nutum cordis repulsa dissiliat: ut vix
a tergo sanctæ cogitationis appareat, & num-
quam contra faciem recta cogitantis obsistat.

CAPUT XXX.

Regul. Pastoral. admonit. 10.

QUIBUSDAM patientibus nec tamen dili-
gentibus Veritas dicit. *Quid autem vides
festucam in oculo fratris tui, & trabem in* Matth. 7. 3. 4
oculo tuo non consideras? Perturbatio quippe impa-
tientiæ festuca est, malitia vero in corde tra-
E bes in oculo. Illam namque aura tentationis
agitat, hanc autem consummata nequitia pene
immobiliter portat. Recte vero illic subjungi-
tur: *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo;* Ibid. v. 5.
& tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.
Ac si dicatur menti iniquæ interius dolenti, &
sanctam se exterius per patientiam demonstran-
ti: Prius a te molem malitiæ excute: & tunc
alios de impatientiæ levitate reprehende; ne
dum non studes simulationem vincere, pejus
tibi sit aliena prava tolerare.

CA-

CAPUT XXXI.

In exposit. B. Job, lib. 6. num. 54.

SPECIES quippe hominis est alter homo. Recte enim species nostra dicitur proximus noster, quia in illo cernimus quod ipsi sumus. Corporali enim visitatione ad proximum gressuum accessu imus; spirituali vero, non gressu, sed affectu ducimur. Speciem ergo suam visitat, quisquis ad eum, quem sibi similem per naturam conspicit, passibus amoris tendit: ut in altero sua considerans, ex seipso colligat qualiter infirmanti alteri condescendat. Speciem suam visitat, qui ut in se alterum reficiat, se in altero pensat. Hinc namque per Moysen Veritas cum gesta describeret, gerenda signabat, dicens: *Protulit terra herbam virentem & ferentem semen, juxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque sementem secundum speciem suam.* Lignum quippe secundum suam speciem semen producit, cum mens nostra ex se considerationem in altero colligit, & recti operis germen parit. Hinc quidam Sapiens ait: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.* Hinc in Evangelio Dominus dicit: *Quæ vultis ut faciant vobis homines bona, & vos eadem facite illis.* Ac si aperte diceret: Speciem vestram in altero visitata, atque ex vobismetipsis agnoscite quid vos oporteat aliis exhibere.

Genes. 1. 12. Tob. 4. 16. Matt. 7. 12.

CAPUT XXXII.

In exposit. B. Job, lib. 10. n. 8.

DEI dilectio per tria distinguitur, quia ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine diligi Conditor jubetur. Qua in re notandum est quod divinus sermo, cum diligi præcipit, non solum narrat ex quo, sed etiam format ex quanto cum subjungit, ex toto. Ut videlicet qui perfecte Deo placere desiderat, sibi de se nihil relinquat. Proximi autem dilectio ad duo præcepta derivatur, cum & per quemdam justum dicitur: *Quod ab alio tibi odis fieri, vide ne alteri facias*: & per semetipsam Veritas dicit: *Quæ vultis ut faciant vobis homines, ea & vos facite illis.* Quibus duobus scilicet utriusque Testamenti mandatis per unum malitia compescitur, per aliud benignitas prærogatur; ut malum quod pati non vult quisque non faciens, cesset a nocendi opere; & rursum bonum quod sibi fieri appetit impendens, erga utilitatem se proximi exerceat ex benignitate.

Tob. 4. 16. Matt. 7. 12.

CAPUT XXXIII.

In exposit. B. Job, lib. 32. num. 17.

PLATEA quippe sermonis Græci ratione pro latitudine dicitur. Quid vero est humanæ menti angustius quam voluntates proprias frangere? De qua fractione veritas dicit: *Intrate per angustam portam.* Quid autem latius quam nullis propriis voluntatibus reluctari, & quaquaversum impulsus arbitrii duxerit, se sine retractione diffundere?

Matth. 7. 13.

CAPUT XXXIV.

In Ezech. hom. 5. num. 12. & 13.

DE caritate quippe scriptum est: *Latum mandatum tuum nimis.* De hac iterum A Psalmista ait: *Statuisti in loco spatioso pedes meos.* Sed ecce dum loquor, animo occurrit quomodo lata est caritas, si per caritatem attingitur ad Deum, & per semetipsam Veritas dicit: *Intrate per angustam portam*: Quid autem latius? Rursum Psalmistam audio dicentem: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Atque in Evangelio Dominus dicit: *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Quomodo ergo lata caritas si angusta porta? quomodo jugum suave est, & onus leve, si in præceptis Dei viæ duræ sunt quæ custodiuntur? Sed hanc vobis quæstionem citius ipsa caritas solvit, quia via Dei & inchoantibus angusta est, & tamen onus Dei leve est, postquam hoc ferre cœperimus: B ita ut pro amore ejus & persecutio placeat, & omnis pro eo afflictio in mentis dulcedinem veniat. Sicut sancti quoque Apostoli gaudebant, cum pro Domino flagella tolerabant. Ipsa ergo angusta porta amantibus lata fit: ipsæ viæ duræ spiritualiter currentibus, molles & planæ fiunt. Cum enim scit animus se pro temporalibus doloribus gaudia æterna recipere, & hoc incipit quod affligitur amare.

Psal. 118. 96. Psal. 30. 9. Matt. 7. 13. Psal. 16. 4. Matt. 11. 30. Act. 5.

CAPUT XXXV.

In exposit. B. Job, lib. 15. num. 66.

C TUNC spiritus hominis ignoratur ab altero, cum verbis vel operibus non demonstratur. Nam cum scriptum sit: *Ex fructibus eorum cognoscetis*, per hoc quod foras agitur, quidquid intus latet aperitur. Unde recte quoque per Salomonem dicitur: *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.*

Matt. 7. 20. Prov. 27 19.

CAPUT XXXVI.

In exposit. B. Job, lib. 8. num. 66.

SÆPE iniqui mira signorum opera faciunt, ab obsessis corporibus spiritus pellunt, & per prophetiæ donum ventura quæque sciendo præ- D veniunt, sed tamen a largitore tot munerum cogitationis intentione divisi sunt, quia per ejus dona non ejus gloriam, sed proprios favores quærunt. Cumque per accepta bona in sua laude se elevant, ipsis muneribus contra largitorem pugnant. Inde quippe contra dantem superbiunt, unde ejus Apostoli humiles esse debuerunt. Sed eo eos postmodum districtior sententia percutit, quo nunc superna bonitas & ingratos largius infundit; fitque amplitudo muneris incrementum damnationis, quia irrigati fructum non fuerunt, sed sub viriditatis colore vacui in altum crescunt. Quos bene per Evangelium Veritas exprimit, dicens: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine nonne prophetavimus in nomine tuo, & in* E *nomine tuo dæmonia ejecimus? & in tuo nomine virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia numquam novi vos. Discedite a me operarii iniquitatum.*

Matt. 7. 22.

CAPUT XXXVII.

In exposit. B. Job, lib. 20. n. 17.

NONNUMQUAM heretici signa quoque ac miracula faciunt, sed ut hic præmia afflictio-

nis suæ abstinentiæque recipiant, videlicet laudes quas quærunt. Unde & Redemtoris voce dicitur: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia numquam novi vos. Discedite a me, operarii iniquitatis.* Qua nimirum sententia quid datur intelligi, nisi ut in hominibus caritatis humilitas, non autem debeant virtutum signa venerari? Unde nunc sancta Ecclesia etiamsi quæ fiant hæreticorum miracula despicit, quia hæc sanctitatis speciem non esse cognoscit. Probatio quippe sanctitatis non est signa facere, sed unumquemque ut se diligere; de Deo autem vera, de proximo vero meliora quam de semetipso sentire. Nam quia vera virtus in amore est, non autem in ostensione miraculi, Veritas demonstrat, quæ ait: *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli si dilectionem habueritis ad invicem.* Qui enim non ait: in hoc cognoscetur, quia mei discipuli estis si signa feceritis, sed ait: si dilectionem habueritis ad invicem; aperte indicat, quia veros Dei famulos non miracula, sed sola Dei caritas probat. Testimonium ergo superni discipulatus est donum fraternæ dilectionis.

Matth. 7. 21.

Johan. 13. 35.

CAPUT XXXVIII.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 13.

NONNULLI quippe mundum deserunt, & bonorum transeuntium vana derelinquunt, & ima humilitatis appetentes, humanæ conversationis morem bene vivendo transcendunt: atque in tanta studiorum arte proficiunt, ut signorum jam virtutes operentur: sed quia semetipsos circumspiciendo tegere negligunt, inanis gloriæ telo percussi, pejus de alto ruunt. Hinc est enim quod æternus qui occulta cordis examinat, ejusdem ruinæ casum prænuntians intentat, cum dicit: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia numquam novi vos. Discedite a me, qui operamini iniquitatem, nescio qui estis.*

Matth. 7. 22. 23.

CAPUT XXXIX.

In exposit. B. Job, lib. 23. num. 1.

NESCIRE autem Dei reprobare est: sicut quibusdam in fine dictus est: *Nescio vos unde sitis. Discedite a me operarii iniquitatis.*

Ibidem.

CAPUT XL.

In exposit. B. Job, lib. 23. num. 24.

DE Domino scriptum est: *Erat enim docens sicut potestatem habens, non sicut Scribæ & Pharisæi.* Singulariter namque ac principaliter solus ex potestate bona locutus est, quia ex infirmitate mala nulla commisit: ex divinitatis quippe potentia habuit, id quod nobis per humanitatis suæ innocentiam ministravit.

Matth. 7. 29.

CAPUT XLI.

In exposit. B. Job, lib. 19. num. 2.

PER volucres quippe nonnumquam potestates aereæ designantur bonorum studiis adversæ. A Unde Veritatis ore dicitur: *Quoniam semen quod secus viam cecidit, venerunt volucres & comederunt illud:* quia nimirum maligni spiritus humanas mentes obsidentes, dum cogitationes noxias ingerunt, verbum vitæ a memoria evellunt. Hinc rursum cuidam superbo sapienti dicitur: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Vulpes valde fraudulenta sunt animalia, quæ in fossis vel specubus absconduntur. Cumque apparuerint, numquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus currunt; volucres vero, ut novimus, alto volatu se in aere sublevant. Nomine ergo vulpium dolosa atque fraudulenta, nomine autem volucrum; hæc eadem superba dæmonia B designantur. Ac si dicat: Fraudulenta & elata dæmonia in corde vestro, id est in cogitatione superbiæ inveniunt habitationem suam, filius autem hominis ubi caput suum reclinet, non habet; id est, humilitas mea requiem in superba mente vestra non invenit.

Matth. 13. 4.

Matth. 8. 20.

CAPUT XLII.

In exposit. B. Job, lib. 4. num. 52.

REDEMTOR noster puellam in domo, juvenem extra portam, in sepulcro autem Lazarum suscitat. Adhuc quippe in domo mor- C tuus jacet, qui latet in peccato; jam quasi extra portam advehitur, cujus iniquitas usque ad inverecundiam publicæ perpetrationis aperitur. Sepulturæ vero aggere premitur, qui in perpetratione nequitiæ etiam usu consuetudinis gravatur. Sed hos ad vitam miseratus revocat, quia plerumque divina gratia non solum in occultis, sed etiam in apertis iniquitatibus mortuos, & mole pravæ consuetudinis pressos, respectus sui lumine illustrat. Quartum vero mortuum Redemtor noster nuntiante discipulo agnoscit, nec tamen suscitat, quia valde difficile est ut is quem post usum malæ consuetudinis etiam adulantium linguæ excipiunt, a mentis suæ morte revocetur. De quo ibidem dicitur: *Sine* D *mortuos sepelire mortuos suos.* Mortui enim mortuos suos sepeliunt, cum peccatores peccatorem favoribus premunt. Quid enim est aliud peccare, quam occumbere? Sed qui peccantem laudibus prosequuntur, extinctum sub verborum suorum aggere abscondunt. Erat autem & Lazarus mortuus, sed tamen non a mortuis sepultus. Fideles quippe illum mulieres obruerant, quæ & ejus mortem vivificatori nuntiabant. Unde & protinus ad lucem reddit, quia cum in peccato animus moritur, citius ad vitam reducitur, si super hunc sollicite cogitationes vivunt.

Luc. 9. 60.

E

CAPUT XLIII.

In exposit. B. Job, lib. 2. num. 43.

ANTIQUUS hostis Redemtorem humani generis debellatorem suum in mundum venisse cognovit, unde & per obsessum hominem in Evangelio dicit: *Quid nobis & tibi fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos.* Qui tamen prius cum hunc passibilem cerneret, cum posse mortalia perpeti humanitatis videret, omne quod de ejus divinitate suspicatus est, ei fastu superbiæ suæ in dubium venit. Nihil quippe nisi superbum sapiens, dum

Matth. 8. 29.

esse

esse humilem conspicit, Deum esse dubitavit. Unde & ad tentationum se argumenta convertit, *Ibid. 4. 3.* dicens: *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Quia igitur passibilem vidit, non Deum natum, sed de gratia custoditum credidit.

CAPUT XLIV.

In exposit. B. Job, lib. 2. num. 16.

CUm sanctum virum Satan tentare appetit, & tamen Deo, ut manum suam extendere debeat, dicit; valde notandum est, quia feriendi vires nec ipsa sibi tribuit, qui contra auctorem omnium singulariter superbit. Scit namque quia quodlibet agere ex semetipso non sufficit: quia nec per semetipsum in eo quod spiritus est existit. Hinc est quod in Evangelio expellenda de homine legio di- *Matth. 8. 31.* cebat: *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum.* Qui enim per semetipsum in porcos ire non poterat, quid mirum si sine auctoris manu sancti viri domum contingere non valebat?

CAPUT XLV.

In exposit. B. Job, lib. 8. num. 34.

SOLET etiam domus, inhabitatio cordis intel- *Matth. 9. 6.* ligi. Unde sanato cuidam dicitur: *Vade in domum tuam.* Quia nimirum dignum est ut peccator post veniam ad mentem suam redeat, ne iterum quod juste feriatur admittat.

CAPUT XLVI.

In exposit. B. Job, lib. 23. num. 46.

QUID est enim quod in Evangelio sanato cui- *Marc. 2. 11. Johan. 5. 8.* dam Dominus dicit: *Surge tolle grabatum tuum, & ambula in domum tuam*: nisi quod per grabatum voluptas corporis designatur? Et jubetur utique ut hic sanus portet, ubi infirmus jacuerat: quia nimirum omnis qui adhuc vitiis delectatur, infirmus, jacet in voluptatibus carnis: sed sanus hoc portat ubi infirmus jacuerat, quia divino adjutorio erectus, a vitiis ejusdem carnis contumelias postmodum tolerat, in cujus prius desideriis requiescebat.

CAPUT XLVII.

In exposit. B. Job, lib. 23. num. 20.

IN musto vero spiritus sancti fervor accipitur. De quo in Evangelio Dominus dicit: *Vinum novum* *Matt. 9. 17.* *in utres novos mittunt.* Ex quo dum repente replerentur Apostoli, dum linguis omnibus loquerentur, a Judaeis nescientibus, sed tamen vera at- *Act. 2. 4.* testantibus, dictum est: *Hi musto pleni sunt.*

CAPUT XLVIII.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 68.

EORUM corda qui terrenam vitam diligunt, desideriorum suorum inquietudinibus feriuntur, turbis cogitationum carnalium ad ima depressa sunt, ut ad quietis intimae desideriorum non leventur. Unde cum mira ope pietatis ad cor veritas venit, prius ab eo cogitationum carnalium aestus ejicit, & post in eo virtutum dona disponit. Quod bene nobis sacra Evangelii historia innuit, in qua, dum ad resuscitandam filiam Principis invitatus Dominus duceretur, protinus additur: *Et cum ejecta esset turba, intravit, & tenuit manum ejus, &* *Matt. 9. 25.* *surrexit puella.* Foras ergo turba ejicitur ut puella suscitetur, quia si non prius a secretioribus cordis expellitur importuna secularium multitudo curarum, anima, quae intrinsecus jacet mortua, non resurgit. Nam dum se per innumeras terrenorum desideriorum cogitationes spargit, ad considerationem sui sese nullatenus colligit.

CAPUT XLIX.

Homil. 30. in Evangel. num. 5.

NEQUE etenim placet Deo, aut simplicitas sine zelo, aut zelus sine simplicitate. Hinc ipsa Veritas dicit: *Estote prudentes sicut serpen-* *Matt. 10 16.* *tes, & simplices sicut columbae.* Qua in re notandum est, quod discipulos suos nec de columba sine serpente, nec de serpente sine columba voluit Dominus admonere: quatenus & columbae simplicitatem astutia serpentis accenderet, & serpentis astutiam columbae simplicitas temperaret. Hinc Paulus ait: *Nolite pueri effici sensibus.* Ecce astutiam *1 Cor. 14. 20.* serpentis audivimus, nunc de simplicitate columbae moneamur: *Sine malitia parvuli estote.* Inde de beato Job: *Erat vir simplex & rectus.* Quae est au- *Job 1. 1.* tem rectitudo sine simplicitate, aut quae est simplicitas sine rectitudine?

CAPUT L.

Regul. Pastor. admonit. 12.

ELECTOS suos per semetipsam Veritas admonet, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes,* *Matt. 10. 16.* *& simplices sicut columbae.* Qua videlicet in electorum cordibus debet & simplicitatem columbae astutia serpentis acuere, & serpentis astutiam columbae simplicitas temperare: quatenus nec seducti per prudentiam calleant, nec ab intellectus studio ex simplicitate torpescant.

CAPUT LI.

In exposit. B. Job, lib. 11. num. 26.

CUm enim quaeque mystica de occultis Prophetarum verbis a credentibus agnoscuntur, quid aliud quam profunda de tenebris revelantur? Unde ipsa quoque Veritas discipulis in parabolis loquens, ait: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lu-* *Matt. 10. 27.* *mine.* Cum enim mysticos allegoriarum nodos per explanationem solvimus, in lumine dicimus quod in tenebris audivimus.

CAPUT LII.

Homil. 6. in Ezechiel.

VEritas discipulis dicit: *Quae dico vobis in tene-* *Matt. 10. 27.* *bris, dicite in lumine,* id est aperte exponite quae in allegoriarum obscuritatibus audistis.

CAPUT LIII.

Homil. 20. in Evang. num. 12.

UT autem quanta esset virtus in continentia, & susceptione indigentium Redemtor noster

osten-

Matt. 10. 41. ostenderet, dixit: *Qui recipit Prophetam in nomine meo, mercedem Prophetæ accipiet*. In quibus verbis notandum est quia non ait, mercedem de Propheta, vel mercedem de justo, sed mercedem Prophetæ & mercedem justi accipiet. Aliud est enim merces de Propheta: atque aliud merces de justo, aliud merces justi. Quid est enim dicere: *Mercedem Prophetæ accipiet*, nisi quia is qui Prophetam sua largitate sustentat; quamvis ipse prophetiam non habeat, apud omnipotentem tamen Deum Prophetæ præmium habebit. Iste enim fortasse justus est; & quanto in hoc mundo nihil possidet, tanto loquendi pro justitia fiduciam majorem habet. Hunc dum ille sustentat qui in hoc mundo aliquid possidet, & fortasse adhuc pro justitia loquendi libere non præsumit, justitiæ illius libertatem sibi participem facit, ut cum eo pariter justitiæ præmia recipiat, quem sustentando adjuvit; quatenus eamdem justitiam libere loqui potuisset. Ille spiritu prophetiæ plenus est, sed tamen corporeo eget alimento; & si corpus non reficitur, certum est quod vox ipsa subtrahatur. Qui igitur alimentum Prophetæ propter hoc quod Propheta est, tribuit, prophetiæ illius vires ad loquendum dedit. Cum Propheta ergo mercedem Prophetæ recipiet, qui etsi spiritu prophetiæ plenus non fuit, hoc tamen ante Dei oculos exhibuit, quod adjuvit.

CAPUT LIV.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 7.

Matt. 11. 7. PER calamum seu certe arundinem mentis mobilitas designatur, sicut Judæorum turbis in Johannis laudem a Domino dicitur: *Quid existis videre in desertum? arundinem vento agitatam?* Ut videlicet subintelligatur *non*. Johannes quippe arundo vento agitata non erat; quia ejus mentem sancto Spiritu solidam per diversas partes nullus linguarum flatus inclinabat.

CAPUT LV.

Lib. 1. homil. 9. in Ezechielem nu. 16.

Matt. 11. 7. JOHANNEM Baptistam Veritas esse arundinem vento agitatam negat, dicens: *Quid existis videre in deserto? arundinem vento agitatam?* Quod quia negando dixerit, non affirmando, subjuncta verba testatur. Ait enim: *Sed quid existis videre in deserto? hominem vestitum mollibus? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt*. Ibidem. Arundo autem vento agitata, modo flatibus erigitur, modo flatibus inclinatur: omnis autem infirmus animus qui vel derogatione dejicitur, vel laudibus exaltatur, arundo vento agitata est; quod Johannes non erat, quia inflexibilem mentis virtutem inter laudes hominum & derogationes tenebat.

CAPUT LVI.

Homil. 20. in Evang. num. 14.

Matt. 11. 12. A *Diebus Johannis Baptistæ usque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Quæ supernæ verba sententiæ nobis sunt magnopere perscrutanda. Nam quærendum est quomodo vim perpeti regnum cælorum possit? Quis enim cælo violentiam irrogat? Et rursum quærendum est si pati vim regnum cælorum potest, cur eamdem vim a diebus Johannis Baptistæ, & non etiam ante pertulerit. Sed cum Lex dicat: *Si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur*; cunctis legentibus liquet, quia peccatores quosque pœna suæ severitatis perculit, non autem per pœnitentiam ad vitam reduxit. Cum vero Johannes Baptista Redemtoris gratiam præcurrens, pœnitentiam prædicat, ut peccator qui ex culpa est mortuus, per conversionem vivat, profecto a diebus Johannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur. Quid est autem regnum cælorum, nisi locus justorum? Solis enim justis cælestis patriæ præmium debetur, ut humiles, casti, mites, atque misericordes ad gaudia superna perveniant. Cum vero quis vel superbia tumidus, vel carnis facinore pollutus, vel iracundia accensus, vel crudelitate impius, post culpas ad pœnitentiam redit, vitam æternam percipit; quasi in locum peccator intrat alienum. A diebus ergo Johannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud: quia qui pœnitentiam peccatoribus indixit, quid aliud quam regno cælorum fieri violentiam docuit? Recogitemus ergo, fratres carissimi, mala quæ fecimus, & nosmetipsos assiduis lamentis atteramus. Hereditatem justorum, quam non tenuimus per vitam, rapiamus per pœnitentiam. Vult a nobis omnipotens Deus talem violentiam per pœnitentiam perpeti. Nam regnum cælorum rapi vult nostris fletibus; quod nostris meritis non debetur.

CAPUT LVII.

In exposit. B. Job, lib. 35. num. 7.

CIVITATI reprobæ in Evangelio Dominus dicit: *Si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent*. Matt. 11. 21. In cilicio quippe asperitas, & punctio peccatorum, in cinere autem pulvis ostenditur mortuorum. Et idcirco utrumque hoc adhiberi ad pœnitentiam solet, ut in punctione cilicii cognoscamus quid per culpam fecimus, in favilla cineris perpendamus quid per judicium facti sumus. Considerentur ergo in cilicio pungentia vitia; consideretur in cinere per mortis sententiam subsequens justa pœna vitiorum. Quia enim post peccatum carnis contumeliæ surrexerunt, videat homo in asperitate cilicii superbiendo quod fecit, videat in cinere quousque peccando pervenit.

CAPUT LVIII.

In exposit. B. Job, lib. 4. num. 66.

IN hac itaque luce impii a tumultu cessant, dum perversorum mentes, veritate cognita, laboriosa mundi desideria fugiunt, & tranquillitati intimi amoris acquiescunt. Annon ad cessationem vocat lux ipsa quæ ait: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis; & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve*. Matt. 11. 28. & seq. Quid enim grave mentis nostræ cervicibus imponit, qui vitari omne desiderium quod perturbat, præcipit? Quid grave subjectis jubet, qui declinari laboriosa hujus mundi itinera admonet?

CA-

CAPUT LIX.

In exposit. B. Job, lib. 30. num. 50.

Matt. 11.28. GRAVE servitutis jugum Dominus vidit secularium cervicibus impressum, cum diceret: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite a me quia mitis sum & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Asperum quippe jugum, & duræ, sicut diximus, servitutis pondus est, subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, B quæ prius mentem ex desiderio adeptionis afflixerant, post ex pavore amissionis premunt.

CAPUT LX.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 7.

PER calamum vel arundinem nitor gloriæ temporalis exprimitur, sicut de justis per Sapientiam dicitur: *Fulgebunt justi, & sicut scintillæ in arundineto discurrent.* Sap. 3.7. Arundinetum namque vitam secularium appellat, qui more arundinum per temporalem gloriam foris, quasi ad alta proficiunt, sed intus a soliditate veritatis inanescunt. Unde & Judæorum regnum calamo comparatur, C cum per Prophetam apparente in veritate carnis Domino dicitur: *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Isa. 42.3. Quid enim calami nomine, nisi Judaici populi temporale regnum denuntiat, nitens quidem exterius, sed interius vacuum? Et quia in eodem populo genus jam regale defecerat, & regnum ejus alienigena possidebat: apte hoc idcirco regnum quassatum calamum vocat. Quid vero per linum, nisi ejus sacerdotium exprimitur, quod lineis nimirum vestibus utebatur? Quod quia in adventu Domini caritatis ardorem perdidit: quasi amisso jam igne fidei, non ardens sed fumigans fuit. Incarnatus autem Dominus calamum quassatum non confregit, & linum fumigans non extinxit, quia Judææ regnum D quod pene destructum jam fuerat, ejusque sacerdotium quod ignem fidei non tenebat, non potestate judicii perculit, sed cum patientiæ longanimitate toleravit.

CAPUT LXI.

In exposit. B. Job, lib. 7. num. 58.

Matt. 12.36. VERITAS admonet dicens: *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Otiosum quippe verbum est, quod ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. Si ergo ratio de otioso sermone exigitur, pensandum valde est, E quæ pœna illud multiloquium sequitur, in quo etiam per superbiæ verba peccatur?

CAPUT LXII.

Homil. 6. in Evangel. num. ult.

MECUM vos admoneo ut ab otioso sermone parcamus, inutiliter loqui declinemus; in quantum refrenare linguam prævalemus, in A ventum verba non defluant, cum Rex dicat: *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Matt. 12.36. Otiosum quippe verbum est quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione justæ necessitatis caret.

CAPUT LXIII.

In exposit. B. Job, lib. 7. num. 20.

PLERUMQUE vitiorum contritionem in nobis Dominus agere inchoat. Sed cum mens ex ipso exordio profectus extollitur, cumque se jam quasi de virtutibus erigit, sævienti contra se adversario aditum pandit: qui cordis intima penetrans, omne quod in ea de studio bonæ inchoationis invenerit, confringit; tantoque se vehementius in ejus confractione exhibet, quanto & gravius, quia vel ad modicum fuerat projectus, dolet. Unde & teste Evangelio, & voce veritatis, ad neglectam domum conscientiæ spiritus qui solus exiit, cum spiritibus septem redit. Matt. 12.

CAPUT LXIV.

In exposit. Ezech. lib. 2. hom. 7.

DE jactis seminibus Dominus dicit: *Orto sole aruerunt.* Matt. 13.6. Quia videlicet facta persecutione in reproborum cordibus prædicationis verba siccantur.

CAPUT LXV.

Ibid. lib. 2. hom. 2. num. 2.

SCIENDUM quia oculi atque aures corporis adsunt etiam carnalibus, eisque sunt in usu rerum quæ corporaliter videntur: oculi vero atque aures cordis solummodo spiritalium sunt, qui invisibilia per intellectum vident, & laudem Dei sine sono audiunt. Has omnipotens Dominus aures quærebat, cum diceret: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Matt. 13.9. Quis namque in illo populo esse tunc poterat, qui aures corporis non haberet? Sed dum dicitur: *Qui habet aures audiendi, audiat,* aperte monstratur quod illas aures quæreret, quas omnes habere non poterant.

CAPUT LXVI.

Ibid. lib. 2. hom. 6. num. 2.

SUNT itaque in sanctæ Ecclesiæ ædificio constructa gazophylacia, quia abundat divitiis scientiæ lingua doctorum. Has veras esse divitias ipsa per se Veritas denuntiat, cum de transitoriis divitiis dicit: *Fallacia divitiarum suffocat verbum.* Matt. 13.22. Sapientia enim atque scientia doctrinæ spiritualis, veræ sunt divitiæ, in quarum comparatione, quæ transire possunt, falsæ nominantur. De his divitiis per Salomonem dicitur: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore Sapientis.* Prov. 21.20. Excepto autem eo, quod ad æternam patriam divitiæ spiritales ducunt, est eis a terrenis divitiis magna distantia: quia spiritales divitiæ erogatæ proficiunt, terrenæ autem divitiæ aut erogantur, & deficiunt: aut retinentur, & utiles non sunt.

CA-

A

CAPUT LXVII.

In exposit. B. Job, lib. 9. num. 98.

IPSA quoque supplicia quæ ex lance justitiæ prodeunt, inferri sine ordine nequaquam possunt. Quomodo namque in suppliciis ordo non erit, dum damnatum quemque juxta modum criminis & retributio sequitur ultionis? Hinc quippe scriptum est: *Potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatio.* (Sap. 6. 7.) Hinc in Babylonis damnatione dicitur: *Quantum exaltavit se, & in deliciis fuit, date illi tormentum & luctum.* (Apoc. 18. 7.) Si igitur juxta modum culpæ pœna distinguitur, constat nimirum qood in suppliciis ordo servatur. Et nisi tormentorum summam meritorum acta dirimerent, nequaquam judex veniens dicturum se messoribus esse perhiberet: *Colligite zizania & ligate ea in fasciculis, ad comburendum.* (Matt. 13. 30.) Si enim nullus in suppliciis ordo servabitur, cur comburenda zizania in fasciculis ligantur? Sed nimirum fasciculos ad comburendum ligare, est eos qui æterno igni tradendi sunt pares paribus sociare: ut quos similiter culpa inquinat, par etiam pœna constringat; & qui nequaquam dispari iniquitate polluti sunt, nequaquam dispari tormento crucientur; quatenus simul damnatio conterat, quos simul elatio sublevarat: quosque non dissimiliter dilatabat ambitio, non dissimilis angustet afflictio: & par cruciet flamma supplicii, quos in igne luxuriæ par succendit flamma peccati. Sicut enim in domo Patris mansiones multæ sunt pro diversitate virtutis, (Joh. 14.) sic damnatos diverso supplicio gehennæ ignibus subjicit disparilitas criminis: quæ scilicet gehenna, quamvis cunctis una sit, non tamen cunctos una eademque qualitate succendit. Nam sicut uno sole tangimur, nec tamen sub eo uno ordine omnes æstuamus, quia juxta qualitatem corporis, sentitur etiam pondus caloris: sic damnatos, & una est gehenna quæ afficit, & tamen non una omnes qualitate comburit: quia quod hic agit dispar valitudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum.

CAPUT LXVIII.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 34.

SImile est regnum cælorum sagenæ missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti. (Matt. 13. 47.) Regnum cælorum, scilicet Ecclesia vocatur, cujus dum mores Dominus ad superna sublevat, jam hæc ipsa in Domino per cælestem conversationem regnat. Quæ recte sagenæ in mari missæ comparatur, ex omni genere piscium congreganti: quia missa in hoc Gentilitatis seculo nullum respuit, sed malos cum bonis, superbos cum humilibus, iracundos cum mitibus & fatuos cum sapientibus cepit.

CAPUT LXIX.

In exposit. B. Job, lib. 1. num. 27

DE esurientibus plebibus dicitur: *Date illis vos manducare.* (Matt. 14. 17.) Et rursum: *Dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant.* Id est, in prædicatione vestra verbum consolationis accipiant, ne a veritatis pabulo jejuni remanentes, in hujus vitæ labore deficiant.

CAPUT LXX.

In exposit. B. Job, lib. 27. num. 22.

OMNIPOTENS Deus per prædicatores suos prius nos de prava actione corripiens concutit, & postmodum per spem consolans nutrit. Si enim divina dispensatio per has nubes judicium modo non ageret, nequaquam eisdem nubibus dixisset: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* (Johan. 20. 22.) Et rursum si per has jejuna corda non pasceret, nequaquam de esurientibus populis Dominus diceret: *Date illis vos manducare.* (Matt. 14. 16.) B Quod sic tunc eorum manibus factum credimus, ut hoc eorum verbis quotidie fieri sine cessatione videamus: quid enim agit Petrus, cum per Epistolas loquitur, nisi ut verbi pabulo corda nostra male jejuna satientur? Quid Paulus, quid Johannes per Epistolas loquentes operantur, nisi ut mentes nostræ cælestia alimenta percipiant, & inediæ suæ fastidium quo moriebantur vincant?

CAPUT LXXI.

Regul. Pastoral. 1. part. cap. 1.

NIMIRUM Pastorum imperitia meritis congruit subjectorum: quia quamvis lumen scientiæ sua culpa exigente non habeant, C districto tamen judicio agitur ut per eorum ignorantiam hi etiam qui sequuntur offendant. Hinc namque in Evangelio per semetipsam Veritas dicit: *Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt.* (Matt. 15. 14.)

CAPUT LXXII.

In exposit. B. Job, lib. 10. num. 5.

IPSE quippe sibi homo loquitur, cum per hoc quod sentit nequaquam divinitatis spiritu a carnalis prudentiæ intellectu separatur; cum caro sensum exerit, & mentem quasi ad intelligentiam provocans foras mittitur. Unde & adhuc Pe- D tro terrena sapienti Veritas dicit: *Non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* (Matt. 8. 33.) Cui tamen recta confitenti dicitur: *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est.* (Ibid. 16. 17.)

CAPUT LXXIII.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 13.

VOCE Veritatis dicitur: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum sibi.* (Luc. 9. 23.) Semetipsum enim abnegat, qui calcato typo superbiæ, ante Dei oculos esse se a se alienum demonstrat.

E

CAPUT LXXIV.

Homil. 10. in Ezech. num. 7.

QUi vult post me venire, abneget semetipsum. (Matt. 16. 24.) Semetipsum abnegat, qui mutatus ad meliora, incipit esse quod non erat, & desinit esse quod erat.

CA-

A

CAPUT LXXV.

In exposit. B. Job, lib. 32. num. 8.

IPSE vero gloriosus est qui dum seipso perfruitur, accedentis laudis indigens non est. Ipse speciosis induitur vestibus, quia sanctorum Angelorum choros quos condidit, in usum sui decoris assumsit; & velut quamdam vestem gloriosam sibi Ecclesiam exhibet, non habentem maculam, aut rugam. Unde ei per Prophetam dicitur: *Confessionem & decorem induisti amictus lumine sicut vestimento*. Hic quippe confessionem, illic decorem: quia quos hic per pœnitentiam confitentes fecerit, illic fulgentes per decorem justitiæ ostendit. Luce ergo sicut vestimento amicitur, quia Sanctis omnibus quibus dictum est: *Vos estis lux mundi*, in illa æterna gloria vestietur. Unde per Evangelium dicitur, quia transfigurato in monte Domino vestimenta ejus facta sunt candida sicut nix. In qua transfiguratione, quid aliud quam resurrectionis ultimæ gloria nuntiatur? In monte enim vestimenta ejus sicut nix facta sunt, quia in supernæ claritatis culmine Sancti omnes ei luce justitiæ fulgentes adhærebunt.

Ephes. 5.
Psal. 103. 2.
Matt. 5. 14.
Matt. 17.

B

CAPUT LXXVI.

In exposit. B. Job, lib. 8. num. 92.

JUSTI nec oblata bona hic pro magno suscipiunt, nec illata mala valde pertimescunt, sed & cum bonis præsentibus utuntur, ventura mala metuunt; & dum de malis præsentibus gemunt, bonorum sequentium amore consolantur. Sicque temporali refoventur subsidio, sicut viator in stabulo utitur lecto, pausat & recedere festinat: quiescit corpore, sed ad aliud tendit mente. Nonnumquam vero & adversa perpeti appetunt, in transitoriis prosperari refugiunt; ne delectatione itineris a patriæ perventione tardentur; ne gressum cordis in via peregrinationis figant, & quandoque ad conspectum cælestis patriæ sine remuneratione perveniant. Gaudent despici, nec dolent se necessitatibus affligi. Qui igitur contra præsentia se adversa non muniunt, quasi contra æstus & pluvias habere tabernaculum nolunt. Unde & Petrus jure reprehenditur, quia necdum mentis perfectione roboratus veritatis claritate cognita, in terra figere tabernaculum conatur. Justi itaque hic se construere negligunt, ubi peregrinos se & hospites noverunt. Quia enim in propriis gaudere desiderant, esse in alieno felices recusant. Injusti autem quanto longius ab æternæ patriæ hereditate divisi sunt, tanto in terra altius fundamenta cogitationis figunt.

Matt. 17.

CAPUT LXXVII.

In exposit. B. Job, lib. 20. num. 66.

ETSI ad cælum raptus Elias esse perhibetur, mortem tamen distulit, non evasit. De ipso quippe ore Veritatis dicitur: *Elias quidem venturus est, & restituet omnia*; veniet enim restituturus omnia, quia ad hoc nimirum huic mundo restituitur, ut & prædicationis munera impleat, & carnis debitum solvat.

Matt. 17. 11.

CAPUT LXXVIII.

In exposit. B. Job, lib. 35. num. 24.

IN Evangelio Veritas dicit: *Elias venit, & ille restituet omnia*. Nunc enim amisit Israelitas Ecclesia, quos convertere prædicando non valuit; sed tunc Elia prædicante, dum quot invenerit colligit, velut plenius recipit quod amisit. Matt. 17. 11.

CAPUT LXXIX.

Homil. 7. lib. 1. in Ezech. num. 4.

IN nostro bono opere aliquando cavendum est scandalum proximi, aliquando vero pro nihilo contemnendum. Quod in ipso nostro auctore didicimus, qui dum tributum Petro inquisito peteretur, prius paradigma proposuit, per quod se nihil debere respondit, dicens: *Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis an ab alienis?* Cui cum diceretur, *ab alienis*, illico respondit: *Ergo liberi sunt filii*. Sed postquam se liberum esse monstravit, ne fortasse scandalum cuiquam faceret, subdidit: *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem qui prius ascenderit tolle, & aperto ore ejus invenies staterem; illum sumens da eis pro me & te*. Qui rursum, cum diceret, quia *omne quod in os intrat, non coinquinat hominem*, & *tunc accedentes dixerunt: Scis quia Pharisæi audito verbo scandalizati sunt? at ille respondens ait: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur. Sinite illos: cæci sunt & duces cæcorum*. Ecce magistra veritas ne in quorumdam cordibus scandalum gigneretur, quod non debuit, tributum dedit. Et rursum cum generari scandalum in quorumdam cordibus contra veritatem vidit, in suo eos scandalo remanere permisit. Ex qua re nobis considerandum est, quia in quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur.

Matt. 17. 24. 27.
Ibid. v. 26
Matt. 15. 11.

C

CAPUT LXXX.

In exposit. B. Job, lib. 6. num. 57.

D

QUi *scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*. Quid per mare nisi seculum, quid per molam asinariam, nisi actio terrena signatur? Quæ dum colla mentis per stulta desideria constringit, hanc in laboris circuitum mittit. Sunt itaque nonnulli, qui dum terrenas actiones deserunt, & ad contemplationis studia humilitate postposita, ultra intelligentiæ vires surgunt, non solum se in errorem dejiciunt, sed infirmos quosque a gremio unitatis dividunt. Qui unum de minimis scandalizat, melius illi fuerat ligata collo mola asinaria in mare projici, quia perversæ menti expeditius esse potuisset, ut occupata in mundo terrena negotia ageret, quam per contemplationis studia ad multorum perniciem vacaret.

Matt. 18. 6.

E

CAPUT LXXXI.

Regul. Pastoral. 1. part. cap. 2.

NEMO quippe amplius in Ecclesia nocet, quam

qui perverse agens, nomen vel ordinem sancti- A tatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Indigni autem quique tanti reatus pondera fugerent, si veritatis sententiam sollicita cordis aure pensarent, quæ

Matt. 18. 6. ait: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*. Per molam quippe asinariam secularis vitæ circuitus ac labor exprimitur, & per profundum maris extrema damnatio designatur. Qui ergo ad sanctitatis speciem deductus, vel verbo destruit ceteros vel exemplo, melius profecto fuerat ut hunc ad mortem sub exte- B riori habitu terrena acta constringerent, quam sacra officia in culpa ceteris imitabilem demonstrarent. Quia nimirum si solus caderet, utcumque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret.

CAPUT LXXXII.

Dialogor. lib. 4. cap. 60.

SCIENDUM est quod ille recte sui videlicet delicti veniam postulat, qui prius hoc quod in ipso delinquitur relaxat. Munus enim non accipitur, nisi ante discordia ab animo pellatur,

Matt. 5. 23. 24. dicente Veritate: *Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quia habet aliquid adversum te C frater tuus, relinque ibi munus tuum ante altare; & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum*. Qua in re pensandum est, cum omnis culpa munere solvatur, quam gravis est culpa discordiæ, pro qua nec munus accipitur. Debemus itaque ad proximum quamvis longe positum, longeque disjunctum, mente ire, eique animum subdere, humilitate illum ac benevolentia placare; ut scilicet Conditor noster, dum tale placitum nostræ mentis aspexerit, a peccato nos solvat qui munus pro culpa su-

Ibid. 18. v. 27 mit. Veritatis autem voce attestante didicimus: quia servus qui decem millia talenta debebat, cum pœnitentiam ageret, absolutionem debiti a Domino accepit: sed quia conservo suo centum D sibi denarios debenti debitum non dimisit; & hoc est jussus exigi quod ei fuerit jam dimissum. Ex quibus videlicet dictis constat, quia si hoc quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, & illud rursum a nobis exigitur, quod nobis jam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus.

CAPUT LXXXIII.

Regul. Pastoral. tert. part. admonit. 19.

Matt. 19. 11. PER semetipsam de virginitatis integritate Veritas dicit: *Non omnes capiunt hoc verbum*. Quod ideo innotuit summum, quia denegavit omnium; & dum prædicit quia difficile E capitur, audientibus innotuit cœptum cum qua cautela teneatur.

CAPUT LXXXIV.

In exposit. B. Job, lib. 35. num. 38.

QUIA enim ad suscipienda onera sponte se camelus humiliat, non immerito Redemtoris gratiam signat, qui in eo quod infirmitatis nostræ onera suscipere dignatus est, a potestatis suæ celsitudine sponte descendit. Unde & per Evangelistam dicit: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*. Et *Nemo tollit eam a me*. Et unde iterum dicit: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum*. Job. 10. 18. Matt. 19. 24.

quid enim nomine divitis, nisi quemlibet elatum, quid cameli appellatione, nisi propriam considerationem signat? Camelus enim per foramen acus transiit, cum idem Redemtor noster usque ad susceptionem mortis per angustias passionis intravit. Quæ passio velut acus extitit, quia dolore corpus pupugit. Facilius autem camelus foramen acus, quam dives regnum cælorum ingreditur; quia nisi ipse prius infirmitatis nostræ onera suscipiens, per passionem suam formam nobis humilitatis ostenderet, nequaquam se ad humilitatem illius superba nostra rigiditas inclinaret.

CAPUT LXXXV.

In exposit. B. Job, lib. 4. num. 46.

ORTUS vero auroræ, est illa nova nativitas resurrectionis, qua sancta Ecclesia etiam carne suscitata oritur ad contemplandum lumen æternitatis. Si enim ipsa carnis nostræ resurrectio, quasi quædam nativitas non esset, de ea veritas non dixisset: *In regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ*. Esse ergo hanc ortum vidit, quam regenerationem vocavit. Matt. 19. 28.

CAPUT LXXXVI.

In exposit. B. Job, lib. 10. num. 52.

TUNC enim cum Deo judices veniunt, qui nunc pro Deo injuste judicantur. Tunc eorum lux tanto latius emicat, quanto eos nunc manus persequentium durius angustat. Tunc reproborum oculis patescet quod cælesti potestate subnixi sunt, qui terrena omnia sponte reliquerunt. Unde electis suis Veritas dicit: *Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel*. Matt. 19. 28

Quid enim? Plusquam duodecim judices illa interni consessus curia non habebit? Sed nimirum duodenario numero quantitas universitatis exprimitur, quia quisquis stimulo divini amoris excitatus hic possessa reliquerit, illic proculdubio culmen judiciariæ potestatis obtinebit. Ut simul tunc judex cum judice veniat, qui nunc consideratione judicii sese spontanea paupertate castigat. Hinc est enim quod de sanctæ Ecclesiæ Sponso per Salomonem dicitur: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum Senatoribus terræ*. Hinc Prov. 31. 23

Isaias ait: *Dominus ad judicium veniet cum Senioribus populi sui*. Hinc eosdem Seniores Veritas Isa. 3. 14.

non jam servos, sed amicos denuntiat, dicens: *Non jam dico vos servos, sed amicos meos*. Quos Joan. 15. 15

nimirum Psalmista intuens, ait: *Mihi autem honorati sunt amici tui, Deus*. Quorum dum celsitudinem cordis aspiceret, mundi gloriam qua calcarent protinus addidit: *Nimis confortatus est principatus eorum*. Ac ne paucos esse crederemus, quos proficere usque ad summa tantæ perfectionis agnoscimus, illico adjunxit: *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur*. Quot itaque nunc pro amore veritatis sese libenter Psal. 138. 17 Ibid. v. 18

ter humiliant, tot tunc in judicio lampades coruscant.

CAPUT LXXXVII.

In exposit. B. Job, lib. 15. num. 18.

PRo bono nostro opere & hic nobis mentis requies, & illic gaudia æterna præparantur, veritate attestante, quæ ait: *Si quis reliquerit do-* Mat. 19.29. *mos aut agros, &c. centuplum in hoc seculo recipiet, & in futuro vitam æternam possidebit*. Centenarius quippe numerus decemplicato denario fit perfectus. Hic itaque centuplum recipit, qui etsi nil habuerit, ipsa tamen perfectione mentis jam in hoc seculo habere nil quærit.

CAPUT LXXXVIII.

Lib. 2. in Ezech. hom. 6. num. 16.

DENARIUS autem numerus per semetipsum multiplicatus in centenarium surgit. Unde recte per centenarium magna perfectio designatur, sicut de electis dicitur: *Omnis qui relinquit* Matt. 19.29. *domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Neque etenim Sanctus quisque ideo terrena deserit, ut hæc possidere in hoc mundo multiplicius possit; quia quisquis terreno studio ter- [C] ram relinquit, terram non relinquit, sed appetit. Nec qui unam uxorem deserit, centum recepturus est: sed per centenarium numerum perfectio designatur, post quam etiam vita æterna promittitur. Quia quisquis pro Dei nomine temporalia atque terrena contemnit, & hic perfectionem mentis recipit, ut jam ea non appetat quæ contemnit, & in sequenti seculo ad æternæ vitæ gloriam pervenit. Centies itaque recipit quod dedit, qui perfectionis spiritum accipiens terrenis non indiget, etiamsi hæc non habet. Ille enim pauper est qui eget eo quod non habet. Nam & qui non habens, habere non appetit, dives est; paupertas quippe in inopia mentis est, non in qualitate possessionis. Nam cui cum paupertate bene convenit, non est [D] pauper.

CAPUT LXXXIX.

In exposit. B. Job, lib. 17. num. 5.

AD has vias tumentia discipulorum corda revocabat, cum locum jam gloriæ quærerent, sed ejusdem gloriæ iter ignorarent, dicens: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Con- Matt. 20.22. sessionis quippe illius celsitudinem a dextris sinistrisque quæsierant, sed quanta ad hanc esset itineris angustia non videbant. Unde & eorum mox oculis imitandus calix passionis objicitur: ut videlicet si ad sublimitatis gaudia tenderent, prius viam [E] humilitatis invenirent.

CAPUT XC.

Homil. 27. in Evangel. num. 4.

DUM filii Zebedæi interveniente matre quærerent, ut unus a dextris Dei, & alius a sinistris sedere debuissent, audierunt: *Potestis* Matt. 20.22. *bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Jam locum

[A] celsitudinis quærebant, ad vitam illos Veritas revocat, per quam ad celsitudinem venirent: ac si dicatur: Jam vos locus delectat celsitudinis, sed prius via exerceat laboris: per calicem enim pertingitur ad majestatem. Si mens vestra appetit quod demulcet, prius bibite quod dolet: sic per amarum poculum confectionis pervenitur ad gaudium salutis.

CAPUT XCI.

Homil. 35. ibid. num. 7.

DUO quippe sunt martyrii genera: unum in mente, aliud in mente simul & actione. Esse itaque martyres possumus, etiamsi nullo [B] ferro percutientium trucidemur. Mors quippe a persequente, martyrium in aperto opere est: ferre vero contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. Nam quia duo sunt martyrii genera, unum in occulto opere, aliud in publico, testatur Veritas quæ Zebedæi filios requirit, dicens: *Potestis bibere calicem quem ego bi-* Matt. 20.22. *biturus sum?* Cui cum protinus respondissent: *Possumus*, illico Dominus respondit, dicens: *Calicem quidem meum bibetis*. Quid enim per calicem, nisi dolorem passionis accipimus? De quo alias dicit: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste*. Et Matt. 26.39. Zebedæi filii, id est Jacobus & Johannes, non uterque per martyrium occubuit; & tamen quod uterque calicem biberet, audivit. Johannes nam- [C] que nequaquam per martyrium vitam finivit, sed tamen martyr extitit, quia passionem quam non suscepit in corpore, servavit in mente.

CAPUT XCII.

In exposit. B. Job, lib. 19. num. 5.

IN Evangelio scriptum est, quia egrediens Dominus a Jericho transibat: duo autem cæci sedentes juxta viam clamaverunt, dicentes: *Domine,* Mat. 20.30. *miserere nostri, fili David*. Ad quorum vocem sicut illic scriptum est: Stetit Jesus & lumen reddidit. Quid est autem transeundo audire, stando lumen restituere, nisi quod per humanitatem suam nobis [D] misertus est, qui per divinitatis suæ potentiam a nobis mentis nostræ tenebras exclusit? Quod enim propter nos natus & passus est, quod resurrexit, ascendit in cælum; quasi transit Jesus: quia hæc nimirum actio temporalis est. Sed stans nos tetigit, & illuminavit; quia non sicut illa dispensatio temporalis, ita verbi æternitas transit, quæ in se manens, innovat omnia: stare enim Dei est, incommutabili cogitatione mutabilia cuncta disponere. Qui ergo voces petentium transiens audivit, stans lumen reddidit; quia etsi propter nos temporalia pertulit, inde tamen nobis lucem tribuit, unde habere mutabilitatis transitum nescit.

CAPUT XCIII.

[E]

In Ezechiel. lib. 2. hom. 5. num. 2.

REdemtor noster *cum asellum sedens Jerusalem* Matt. 21.8. *tenderet*, sicut Evangelista testatur: *Multi vestimenta sua straverunt in via; & qui præibant, & qui sequebantur clamabant, dicentes: Hosanna in excelsis, benedictus qui venit in nomine Domini*. Salvator etenim noster asellum sedens, Jerusalem tendit, quando uniuscujusque fidelis animam regens, videlicet jumentum suum, ad pacis intimæ

visionem ducit. Jumentum etiam sedet, cum sanctæ A Ecclesiæ universaliter præsidet, eamque in supernæ pacis desiderium accendit. Multi autem vestimenta sua sternunt in via, quia corpora sua per abstinentiam domant, ut ei iter ad mentem præparent, vel exempla bona sequentibus præbeant. Alii autem frondes vel ramos cædunt de arboribus, & sternunt in via; quia in doctrina veritatis, verba atque sententias patrum ex eorum eloquio excerpunt; ut hæc in via Dei ad auditoris animum venientes, humili prædicatione summittant. Quod indigni quoque & nos modo facimus. Nam cum patrum sententias in sermone exhortationis assumimus, frondes de arboribus cædimus; & has in via omnipotentis Domini sternimus. Sed qui præibant, & qui sequebantur clamabant: *Hosanna*. Præcessit quippe Judaicus populus, secutus est Gentilis. Et quia omnes electi, sive qui Judæa B esse potuerunt, sive qui nunc in Ecclesia existunt, in Mediatorem Dei & hominum crediderunt & credunt, qui præeunt & qui sequuntur, Hosanna clamant: Hosanna autem latina lingua, salva nos dicitur: ab ipso enim salutem & priores quæsierunt, & præsentes quærunt, & benedictum qui venit in nomine Domini confitentur. Quoniam una fides, una spes est præcedentium atque sequentium populorum. Nam sicut illorum peccata passione ac resurrectione ejus sanata sunt, ita nos præterita passione illius, ac permanente in secula resurrectione salvamur. Quem enim priores nostri ex Judaico populo crediderunt atque amaverunt venturum, hunc nos & venisse credimus & amamus, ejusque desiderio accendimur, ut eum facie C ad faciem contemplemur.

CAPUT XCIV.

In exposit. B. Job, lib. 25. num. 36.

NEque enim frustra per semetipsum Dominus æs nummulariorum fudit, & cathedras vendentium columbas evertit: nimirum significans quia per magistros quidem vitam judicat plebium, sed per semetipsum facta examinat magistrorum. Quamvis etiam subditorum vitia quæ a magistris modo vel dissimulantur judicari, vel nequeunt, ejus proculdubio judicio reserventur. Matt. 21.

CAPUT XCV.

In exposit. B. Job, lib. 25. num. 21.

TUNC enim coactus in tenebras exteriores mittitur, qui nunc interioribus excæcatur voluntarie.

CAPUT XCVI.

Hom. 9. lib. 1. in Ezech. num. 34.

SUB unius damnati specie multitudo omnis exprimitur reproborum, cum voce Veritatis dicitur: *Ligatis pedibus ac manibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium*. Tunc enim reprobi in exteriores tenebras cadunt, quia nunc in interiores sua se sponte dejecerunt; ut veritatis lumen nec credendo, nec bene operando sequerentur. In quibus, ligatis pedibus ac manibus, mitti præcipiuntur; quia nunc dum tempus operandi atque currendi est, habere manus & pedes liberos in bona actione noluerunt. Matt. 22. 13.

CAPUT XCVII.

In exposit. B. Job, lib. 15. num. 4.

SÆpe hypocrita, dum sanctum se simulat, & iniquum exhibere minime formidat, ab omnibus honoratur, eique sanctitatis gloria defertur ab his qui exteriora cernunt, sed interiora perspicere nequeunt. Unde fit ut gaudeat in prima sessione, hilarescat in primo recubitu, infletur in prima salutatione, elevetur in reverenti voce obsequentium, & superba cogitatione tumeat in famulatu subditorum. Sicut voce quoque Veritatis de talibus dicitur: *Omnia vero opera sua faciunt ut videantur ab hominibus; dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias suas: amant enim primos recubitus in cœnis; & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Sed hoc eorum gaudium æternitati comparatum quid erit, quando irruente mortis articulo ita consumitur, ac si omnino non fuerit? Cujus nimirum gaudii lætitia pertransit, & pœna permanet: & cum res amittitur, causa durat. Matt. 23. 18 & seq.

CAPUT XCVIII.

In exposit. B. Job, lib. 1. num. 24.

HAbuit vero & ante Redemtoris adventum Judæa boves, quia ad prædicandum misit operarios, quibus voce Veritatis dicitur: *Væ vobis, hypocritæ, qui circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum. Et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.* Matt. 23. 15.

CAPUT XCIX.

Regul. Pastor. tert. part. admonit. 34.

PHarisæi ore Veritatis increpantur, cum audiunt: *Decimatis mentham, & anetum, & cyminum: & relinquitis quæ graviora sunt legis, judicium, & misericordiam, & fidem.* Neque enim negligenter audiendum est quod cum decimare eos minima diceret, extrema quidem de oleribus maluit, sed tamen bene olentia memorare: ut profecto ostenderet, quia simulatores cum parva custodiunt, odorem de se extendere sanctæ opinionis quærunt. Et quamvis implere maxima prætermittant, ea tamen minima observant, quæ humano judicio longe lateque D redolent. Matt. 23. 23.

CAPUT C.

Regulæ Pastoral. tert. part. admonit. 34.

QUidam in culpis gravioribus alto reatu se obligant, & tamen plerumque in parvis quæ custodiunt deterius peccant; quia & in illis iniqua faciunt, & per ista se hominibus, quia iniqui sunt tegunt. Unde fit ut cum majora mala perpetrent, coram Deo apertæ iniquitatis fit: & cum parva bona custodiunt coram hominibus, simulatæ sanctitatis. Hinc est enim quod Pharisæis dicitur: *Liquantes culicem, camelum autem glutientes*. Ac si aperte diceretur: E Minima mala discernitis, majora devoratis. Matt. 23. 24.

CAPUT CI.

In exposit. B. Job, lib. 26. num. 59.

SIMULATORES quique actione nequitiæ intrin-

trinsecus tenebrescunt, & ostensione justitiæ superficietenus dealbantur. Quibus voce Dominica dicitur: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia. Ita & vos foris quidem apparetis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.* Foris ergo ostendendo servant, quæ vivendo intus impugnant. Intus vero mala cogitantes exaggerant, quæ foris aliud superducentes occultant. Apud districtum itaque judicem excusationem jam de ignorantia habere non possunt, quia dum ante oculos hominum omnem modum sanctitatis ostentant, ipsi sibi sunt testimonio, quia bene vivere non ignorant. (Matt. 23. 27)

CAPUT CII.

In exposit. B. Job, lib. 16. num. 81.

IDCIRCO iniquitas frigori comparatur, quia peccantis mentem torpore constringit. Unde scriptum est: *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam facit malitiam suam.* Quo contra caritas est calor, quia videlicet mentem accendit quam replet, de quo calore scriptum est: *Abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum.* (Jerem. 6. 7. — Matt. 24. 12)

CAPUT CIII.

In exposit. B. Job, lib. 32. num. 12.

QUAMVIS sævitia ad crudelitatem dilatat, superna tamen misericordia dierum brevitate coangustat. Hinc enim per semetipsam Veritas dicit: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.* Hinc rursus ait: *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro.* Quia enim superbos nos infirmos Dominus conspicit, dies quos singulariter malos intulit, misericorditer breviatos dicit. Profecto ut & superbiam terreat de adversitate corporis, & infirmitatem resoveat de brevitate. (Matt. 24. 21 — Ibid. v. 22.)

CAPUT CIV.

In exposit. B. Job, lib. 32. n. 24.

CONSIDERANDUM valde est, cum Behemoth iste caudam suam sicut cedrum sublevat, in quo tunc atrocior quam nunc se exerit, surgat. Quæ enim pœnarum genera novimus, quæ non jam vires Martyrum exercuisse gaudemus? Alios namque improviso ictu immersus jugulo gladius stravit, alios cruci patibulum affixit; in quo mors & provocata repellitur, & repulsa provocatur. Alios hirsutis ferra dentibus attrivit: alios armata ferro insulcans ungula sparsit: alios belluina rabies morsibus detruncando comminuit; alios ab intimis viscerum per cutem pressa vis verberum rupit; alios effossa terra viventes operuit; alios ab alto demersos in mortem precipitium fregit; alios in se projectos aqua replendo absorbuit; alios edax flamma usque ad cineres depasta consumsit. Cum igitur Behemoth iste caudam suam in fine mundi nequius dilatat, quid est quod in his tormentis tunc atrocius crescat, nisi hoc quod in Evangelio per semetipsam Veritas dicit: *Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ; & dabunt signa magna, & prodigia: itaut in errorem mittantur, si fieri potest, etiam electi.* Nunc enim fideles nostri mira faciunt, cum perversa patiuntur. Tunc autem Behemoth hujus satellites etiam cum adversa inferunt, mira facturi sunt. Pensemus ergo quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius martyr & corpus tormentis subjicit, & tamen ante ejus oculos miracula tortor facit. Cujus mens tunc non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is qui flagris cruciat, signis coruscat? (Matt. 24. 24)

CAPUT CV.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 61.

VERITATIS ore per Evangelium dicitur: *Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ; & dabunt signa magna, & prodigia: itaut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Qua in re valde quærendum est, quomodo aut hi qui electi sunt, induci in errorem possunt; aut cur, *si fieri potest*, quasi ex dubietate subditur: cum quid faciendum sit, Dominus omnia prospiciens præstolatur. Sed quia electorum cor & trepida cogitatione concutitur, & tamen eorum constantia non movetur, una hac sententia Dominus utrumque complexus est, dicens: *Itaut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Quasi enim jam errare est in cogitatione [a] turbari; sed protinus, *si fieri potest*, subjungitur: quia proculdubio fieri non potest, ut in errorem plene electi capiantur. (Matt. 24. 24)

CAPUT CVI.

Homil. 9. lib. 1. in Ezechiel. num. 8.

SCIENDUM nobis est, quia dubitatio locutionis Dei, non ex ignorantia, sed ex aliqua significatione descendit. Nam quis nesciat quod qui fecit & videt omnia, omnia sciat? Et per semetipsam in Evangelio Veritas de Antichristi prædicatoribus dicit: *Dabunt signa magna, & prodigia: itaut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Cur hoc sub dubitatione dicitur, cum quid futurum sit, a Domino præsciatur? Unum vero ex duobus est, quia si electi sunt, fieri non potest: si autem fieri potest, electi non sunt. Et tamen dicitur: *Ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Ista ergo dominici sermonis dubitatio, ex electorum cordibus designatio tentationis fuit: quia qui electi sunt ad persistendum, per signa prædicatorum Antichristi tentabuntur ad cadendum. Per hoc ergo quod dicitur, *si fieri potest*, hoc exprimitur, quod electi in corde tentabuntur: nutant enim, sed non cadunt. Dicitur ergo, *si fieri potest*, quia trepidabunt: Et tamen dicuntur electi, quia non cadunt. Dubitatio quippe sermonis a Domino in electis exprimit trepidationem mentis. Quos & electos nominat, quia cernit quod in fide & bono opere persistunt. (Matt. 24. 24)

CAPUT CVII.

In expositione Ezechiel. lib. 1. hom. 2. num. 17.

SIcut fulgur exit ab Oriente, & paret usque ad Occidentem, ita erit adventus filii hominis. Ubi nullus tunc a judicio in sua mente latere permittitur, quia ipso judici fulgure penetretur. (Matt. 24. 27)

[a] Al. titubare.

CAPUT CVIII.

Regul. Pastoral. tert. part. cap. 39.

ALTA etenim quæque debent multis audientibus contegi, & vix paucis aperiri. Hinc namque per semetipsam Veritas dicit: Matt. 24. 45 *Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici, mensuram?* Per mensuram quippe tritici exprimitur modus verbi, ne cum angusto cordi incapabile aliquid tribuitur, extra fundatur. Hinc Paulus ait: 1. Cor. 3. 2. *Non potui vobis loqui sicut spiritualibus, sed quasi carnalibus; tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* Hinc Moyses a secreto Dei exiens, coruscantem coram populo faciem velat; quia nimirum turbis claritatis intimæ arcana non indicat.

CAPUT CIX.

In exposit. B. Job, lib. 23. num. 17.

Matt. 25. FATUÆ Virgines in vasculis suis oleum non sumsisse referuntur, quia arrogantes omnes, cum se ab aliquibus fortasse vitiis continent, bonum gloriæ intra conscientias habere non possunt. In vase autem proprio sumserat Paulus oleum, cum dicebat: 2. Cor. 1. 12. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Inane ergo vasculum ferre, est intus corde vacuo foras humani oris judicium quærere.

CAPUT CX.

In exposit. B. Job, lib. 8. num. 76.

FATUÆ Virgines quæ oleum in vasis non sumserant, quia in alienis scilicet vocibus gloriam, & non in suis conscientiis habebant, turbatæ per Sponsi præsentiam dicunt: Matt. 25. 8. *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Oleum quippe a proximis petere, est gloriam boni operis a testimonio alieni oris implorare. Mens etenim vacua cum cunctis suis laboribus nihil se intus tenuisse invenerit, testimonium foris quæris. Ac si aperte fatuæ Virgines dicunt: Cum nos repelli sine retributione conspicitis: dicite in vestro opere, quid vidistis. Sed frustra tunc hypocrita in hac domo laudis innititur, quia nihil ei in judicio attestatio humana suffragatur. Quia eamdem laudem quam post in testimonio exigit, prius in munere recepit.

CAPUT CXI.

In exposit. B. Job, lib. 7. num. 45.

SÆPE etenim dum præsentis vitæ brevitas, quasi diu perseveratura diligitur, ab æterna spe animus frangitur, & delectatus præsentibus, desperationis suæ caligine reverberatur. Cumque longum putat quod ad vivendum sibi spatium restat, repente vitam deserens, æterna invenit, quæ vitare jam nequeat. Hinc est enim quod per quemdam Sapientem dicitur: Eccli. 2. 16. *Væ his qui perdiderunt sustinentiam.* Sustinentiam videlicet perdunt, qui dum diu se immorari visibilibus æstimant, spem invisibilium derelinquunt. Cumque mens in præsentibus figitur, vita terminatur. Et repente ad supplicia improvisa perveniunt, quæ decepti suis præsumtionibus, aut numquam se contingere, aut tarde crediderunt. Matt. 25. 13. Hinc Veritas dicit: *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.* Hinc rursum scriptum est:
A *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* 1. Thess. 5. 2. Quia enim ad rapiendam animam propinquans, minime conspicitur, furi in nocte comparatur. Tanto igitur debet, quasi superveniens metui, quanto a nobis non valet ventura præsciri. Unde & sancti viri, quia brevitatem vitæ indesinenter aspiciunt, quasi quotidie morientes vivunt; & tanto se solidius mansuris præparant, quanto & nulla esse transitoria semper ex fine pensant. Hinc quippe Psalmista veloci cursu fugere vitam peccatoris aspiciens, ait: *Pusillum adhuc, & non erit peccator.* Psal. 36. 10. Hinc iterum dicit: *Homo sicut fenum dies ejus, tamquam flos agri.* Psal. 102. 15. Hinc Isaias ait: *Omnis caro fenum, & omnis gloria ejus sicut flos feni.* Isa. 40. 6. Hinc mentes præsumentium Jacobus corB ripit, dicens: *Quæ est vita nostra? vapor est ad modicum apparens.* Jacob. 4. 15.

CAPUT CXII.

In exposit. B. Job, lib. 16. num. 2.

IN omni quippe quod bene agimus, nosmetipsos, non autem Deum juvamus. Unde & per Psalmistam dicitur: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non indiges.* Psal. 15. 2. Ipse enim vere nobis Dominus, quia & utique Deus est, qui bono non indiget servientis, sed bonitatem confert: C quia recipit ut oblata bonitas non ipsi, sed prius accipientibus, & prius reddentibus prosit. Nam si in judicium Dominus veniens dicit: *Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis,* Matt. 25. 40. mira hoc pietate loquitur ex suorum compassione membrorum; & ipse nos per hoc quod caput nostrum est adjuvat, qui per nostra bona opera in suis membris adjuvatur.

CAPUT CXIII.

In exposit. B. Job, lib. 15. num. 23.

VENTURUS namque in judicio Dominus dicturus est reprobis: *Esurivi enim & non dedistis mihi manducare; sitivi & non dedistis mihi bibere; hospes eram & non collegistis me; nudus & non operuistis me, &c.* Matt. 25. 42. Ex qua culpa subjungitur: D *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & Angelis ejus.* Si igitur tanta pœna multatur, qui non dedisse convincitur, qua pœna feriendus est qui redarguitur abstulisse?

CAPUT CXIV.

In expositione B. Job, lib. 12. num. 16.

PASSIONI quippe Dominus propinquans, infirmantium in se vocem sumsit, dicens: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.* Matt. 26. 39. Eorumque timorem ut abstraheret, rursus per obedientiam vim fortitudinis ostendens, ait: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ibidem. E Ut cum hoc imminet quod fieri nolumus, sic per infirmitatem petamus, ut non fiat: quatenus per fortitudinem parati simus, ut voluntas Conditoris nostri etiam contra nostram voluntatem fiat.

CAPUT CXV.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 31.

QUASI avi quippe diabolo Dominus illusit, Job. 40. 24. dum

dum ei in Passione unigeniti filii sui ostendit escam, sed laqueum abscondit. Vidit enim quod ore perciperet, sed non vidit quod gutture teneret. Nam quamvis cum filium Dei fuerat ipse confessus, velut purum tamen illum hominem mori credidit, ad cujus mortem Judæorum persequentium animos concitavit. Sed in ipso traditionis ejus tempore tarde jam cognovisse intelligitur quod illa ejus morte puniretur. Unde & Pilati conjugem somnus terruit, ut vir illius à justi persecutione cessaret. Sed res interna dispensatione disposita nulla valuit machinatione refragari. Expediebat quippe ut peccatorum mortem juste morientium solveret mors justi injuste morientis.

Math. 8.

Math. 27.

CAPUT CXVI.

Homil. 32. in Evangel. num. 3.

E Vicino namque abstinentia carnis nonnumquam vana gloria obsidet; quia dum tenuitas in corpore, dum pallor in vultu respicitur, virtus patefacta laudatur: & tanto se celerius foras fundit, quanto ad humanos oculos per ostensum pallorem exit. Et plerumque fit, ut quod causa Dei agi creditur, pro solis humanis favoribus agatur. Quod bene Simon ille significat, qui inventus in itinere, crucem dominicam in angariam portat. Aliena quippe onera in angariam portantur, quando per vanitatis studium aliquid geritur. Qui ergo per Simonem designantur, nisi abstinentes & arrogantes, qui per abstinentiam quidem carnem afficiunt, sed fructum abstinentiæ interius non requirunt? Crucem ergo Domini in angariam Simon portat, quia cum ad opus bonum ex bona voluntate non ducitur, rem justi sine fructu peccator operatur. Unde & idem Simon crucem portat, sed non moritur: quia abstinentes & arrogantes, per abstinentiam quidem corpus afficiunt, sed per desiderium gloriæ mundo vivunt.

Matt. 28.32

LIBER SECUNDUS.

Capitula sumta ex Evangelio secundum Marcum.

EXPLANATIO PRÆCEDENTIUM CAPITULORUM.

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 31. num. 45.

Marc. 1. 6.

LOcustas & mel silvestre edebat. Johannes quippe eum quem Prophetæ auctoritate pronuntiat, etiam specie ciborum clamat. In semetipso enim designavit Dominum, quem prævenit. Qui nimirum in redemtionem nostram veniens, quia infructuosæ Gentilitatis dulcedinem sumsit, mel silvestre edidit. Quia vero Judæorum plebem in suum corpus ex parte convertit, in cibum locustas accepit. Ipsos namque locustæ significant, subitos saltus dantes, sed protinus ad terram cadentes. Saltus enim dabant cum præcepta Domini se implere promitterent; sed citius ad terram cadebant, cum per prava opera hæc se audisse denegarent. Videamus in eis quasi quemdam locustarum saltum: *Omnia quæ locutus est Dominus, & faciemus & audiemus.* Videamus autem quomodo citius ad terram ruunt: *Utinam mortui essemus in Ægypto, & non in hac vasta solitudine! Utinam pereamus & non inducat nos Dominus in terram istam.* Locustæ ergo erant, quia habebant saltum per vocem, & casum per actionem.

Exod. 24. 3.

Num. 14. 2.

CAPUT II.

In expositione Ezech. lib. 2. hom. 5. num. 12.

IDCIRCO senarium numerum dicimus esse perfectum, quia sexto die perfecit Deus omnia opera sua. Quoniam vero peccatori homini legem dedit, quæ in decem præceptis scripta est: & sexdecies ducta in sexagenarium surgit, recte per sexaginta cubitos, bonorum operum perfectio designatur. Quod aperte etiam Dominus in Evangelio designat, qui cum parabolam seminantis exponeret, dixit: *Aliud cecidit in terram bonam; & dabat fructum ascendentem, & crescentem: & afferebat unum triginta, unum sexaginta, et unum centum.* Fructus etenim terræ bonæ triginta affert, cum mens perfectionem fidei, quæ est in Trinitate conceperit. Sexaginta affert, cum bonæ vitæ opera perfecta protulerit. Centum vero, cum ad æternæ vitæ contemplationem profecerit. Sinistra enim nostra est vita præsens, dextra vero est vita ventura: & recte per centenarium numerum æternæ vitæ contemplatio designatur, quia cum post triginta ac sexaginta ad centesimum numerum computando pervenimus, idem centenarius numerus in dexteram transit. Fides atque operatio adhuc in sinistra est, quia hic adhuc positi, & credimus quod non videmus, & operamur ut videamus: cum vero jam se animus in contemplatione æternæ vitæ suspenderit, quasi ad dexteram manum computus pervenit.

Marc. 4. 8.

CAPUT III.

In Ezech. lib. 2. hom. 3. num. 3. & seq.

SI quidam gradus in cordis ascensione non essent, Psalmista non diceret: *Ambulabunt de virtute in virtutem.* * Nec mirum si de vir-

Psal. 83. 8. Num. 4.

virtute in virtutem gradus sunt, quando ipsa A unaquæque virtus, quasi quibusdam gradibus augetur; & sic per incrementa meritorum ad summa perducitur. Alia namque sunt virtutis exordia, aliud provectus, aliud perfectio. Si enim & ipsa fides ad perfectionem suam non quibusdam gradibus duceretur, sancti Apostoli minime dixissent: *Auge nobis fidem*. (Luc. 17. 5.) Et quidam venit ad Dominum, qui curari voluit filium suum; sed requisitus an crederet, respondit: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam*. (Marc. 9. 24.) pensate quod dicitur: si credebat, cur incredulitatem dicebat? Si vero incredulitatem se habere noverat, quomodo credebat? Sed quia per occultam inspirationem gratiæ meritorum suorum gradibus fides crescit, uno eodemque tempore, is qui necdum B perfecte crediderat, simul & credebat & incredulus erat. * Hos nimirum gradus Dominus sub messis nomine describit, dicens: (* Num. 5.) (Marc. 4. 26. &c.) *Sic est regnum Dei, quemadmodum si jaciat homo semen in terram, & dormiat, & exurgat nocte ac die; & semen germinet & crescat, dum nescit ille. Ultro enim terra fructificat primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Et cum se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest tempus messis*. Semen homo jactat in terra, cum cordi suo bonam intentionem inserit. Et postquam semen jactaverit, dormit: quia in spe boni operis quiescit. Nocte vero exurgit ac die, quia inter adversa & prospera proficit. Et semen germinat & crescit, dum ille nescit; quia & cum C adhuc metiri incrementa sua non valet, semel concepta virtus ad provectum ducitur, & ultro terra fructificat, quia præveniente se gratia mens hominis spontanea ad fructum boni operis surgit. Sed hæc eadem terra primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum producit in spica. Herbam quippe producere, est inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere: ad spicam vero herba pervenit, cum se virtus animo concepta ad provectum boni operis pertrahit. Plenum vero frumentum in spica fructificat; quando jam in tantum virtus proficit, ut esse robusti & perfecti operis possit. At cum se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest tempus messis. Omnipotens enim Deus producto fructu falcem mittit, & messem suam desecat: quia cum unumquemque ad opera perfecta perduxerit, ejus temporalem vitam per emissam sententiam incidit, ut granum suum ad cælestia horrea perducat. Cum igitur desideria bona concipimus, semen in terra mittimus. Cum vero operari recta incipimus, herba sumus. Cum vero ad profectum boni operis crescimus, ad spicam pervenimus. Cumque in ejusdem operationis perfectione solidamur, jam plenum frumentum in spica proferimus. * (Num. 6.) (Luc. 22.) Herba etenim Petrus fuerat, qui passionis tempore per amorem Domini sequens, hunc confiteri ante ancillæ vocem timebat. Erat enim jam viriditas in mente, quia credebat omnium Redemtorem, sed valde adhuc flexibilis pede conculcabatur timoris. Jam spica surrexerat, quando eum quem moriturum confiteri timuerat, nuntiante Angelo in Galilæa viventem videbat. Sed tunc plenum granum in spica pervenerat, quando veniente desuper spiritu & suam mentem illius amore roborante, ita solidatus est, ut vires persequentium cæsus despiceret, & Redemtorem suum libere inter flagella prædicaret.

CAPUT IV.

In exposit. B. Job, lib. 16. num. 76.

DOMORUM nomine conscientiæ designantur, in quibus habitamus, cum tractando quid agimus. Unde cuidam sanato dicitur: *Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit*. (Marc. 5. 19.) Id est, peccati jam vitio securus ad conscientiam revertere, & in vocem prædicationis excitare.

CAPUT V.

In exposit. Ezech. lib. 1. hom. 12. n. 11.

CUIDAM sanato Veritas per semetipsam dicit: *Tolle grabatum, & vade in domum tuam*. (Marc. 2. 9.) Per grabatum quippe in quo carnis est requies, ipsa caro signatur; per domum vero, conscientia figuratur. Et quia cum mente mortui in vitiis jacemus, in carnis delectatione quiescimus, infirmi portamur in lecto. Cum vero sanati fuerimus mente, ut jam pulsantibus carnis vitiis resistamus, necesse est ut & tentationum contumelias de nostra carne toleremus. Ægroto itaque ad salutem reducto præcipitur: *Tolle grabatum tuum*; id est, porta lectum in quo portatus es; quia necesse est ut sanatus quisque portet contumelias carnis in qua prius jacebat ægrotus. Quid est ergo dicere: *Tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam*; nisi porta tentationes carnis in quibus hactenus jacuisti, ac revertere ad conscientiam tuam, ut videas quæ fecisti.

CAPUT VI.

In exposit. B. Job, lib. 16. num. 68.

IN Evangelio Dominus convivantium famulorum etiam per locorum distinctionem concordiam designavit, cum satiaturus de quinque panibus populum, quinquagenos per turbas, vel centenos discumbere præcepit (Marc. 6.): ut videlicet turba fidelium escam suam, & locis disjuncta, & moribus conjuncta perciperet. D Jubilei quippe requies quinquagenarii numeri misterio continetur. Quinquagenarius bis ducitur, ut ad centenarium perducatur. Quia ergo prius a malo quiescitur opere, ut post anima plenius quiescat in cogitatione, alii quinquageni, alii autem centeni describuntur: quoniam sunt nonnulli qui jam a pravis actibus habent requiem operis, & sunt nonnulli qui a perversis cogitationibus habent jam requiem mentis.

CAPUT VII.

In exposit. Ezech. lib. 1. hom. 10. n. 20.

VIGILANTER intuendum est quod voce Domini ad Prophetam dicitur, ut prius sermones ejus audiat, E & postmodum loquatur: audimus enim verba Dei si facimus; & tunc ea proximis recte loquimur, cum prius ipsi fecerimus. Quod bene Marcus Evangelista confirmat, cum factum Domini miraculum narrat, dicens: *Adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur ut imponat illi manum*. (Marc. 7. 32.) Cujus ordinem curationis insinuat, subdens: *Misit digitos suos in auriculas, expuensque tetigit linguam ejus; & suspiciens in cælum ingemuit*; & ait illi: *Ephpheta: quod est adaperire: & statim*

statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus & loquebatur recte. Quid est enim quod Creator omnium Deus, cum surdum & mutum sanare voluisset, in aures illius suos digitos misit, & expuens, linguam ejus tetigit? Quid per digitos Redemtoris, nisi dona Spiritus sancti? Unde cum alio in loco ejecisset dæmonium, dicit: *Si in digito Deo ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei*. Qua de re per Evangelistam alium dixisse describitur: *Si ego in spiritu Dei ejicio dæmons, igitur pervenit in vos regnum Dei*. Ex quo utique loco colligitur, quia digitus Dei Spiritus vocatur: digitos ergo in auriculas mittere, est per dona sancti Spiritus mentem surdi ad obediendum aperire. Quid est vero quod expuens linguam ejus tetigit? Saliva nobis est ex ore Redemtoris, accepta sapientia in eloquio divino; saliva quippe ex capite defluit in ore: ea ergo sapientia quæ ipse est, dum lingua nostra tangitur, mox ad prædicationis verba formatur. Qui suspiciens in cælum, ingemuit: non quod ipse necessarium gemitum haberet, qui dabat quod postulabat; sed nos ad eum gemere qui cælo præsidet docuit: ut & aures nostræ per dona sancti Spiritu aperiri, & lingua per salivam oris, id est per scientiam divinæ locutionis solvi debeat ad verba prædicationis. Cui mox *Ephpheta*, id est adaperire dicitur, & statim apertæ sunt aures ejus & solutum est vinculum linguæ ejus. Qua in re notandum est, quia propter clausas aures dictum est, *adaperire*. Sed cui aures cordis ad obediendum apertæ fuerint, ex subsequenti proculdubio etiam linguæ ejus vinculum solvitur: ut bona quæ ipse fecerit, etiam facienda aliis loquatur; ubi & bene additur, *& loquebatur recte*. Ille enim recte loquitur, qui prius obediendo fecerit, quæ loquendo admonet esse facienda.

Luc. 11. 20.

Matt. 12. 28

B

CAPUT VIII.

In exposit. Ezech. l. 2. hom. 9. num. 22.

DUM fessi atque jejuni ad Dominum populi convenissent, discipulis Dominus dixit: *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinet me, nec habent quod manducent. Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via; quidam enim ex eis de longe venerunt*. Turba triduo Dominum sustinet, quando multitudo fidelium peccata quæ perpetravit per pœnitentiam declinans, ad Deum se in opere, in locutione, atque in cogitatione convertit. Quos dimitttere jejunos in domum suam Dominus non vult, ne deficiant in via: quia videlicet conversi peccatores in præsentis vitæ via deficiunt, si in sua conscientia sine doctrinæ sanctæ pabulo dimittantur: ne ergo lassentur in ejus peregrinationis itinere, pascendi sunt sacra admonitione. Valde autem pensanda est pia sententia quæ processit ex ore Veritatis, qua dicitur: *Quidam enim ex eis de longe venerunt*. Est enim qui nihil peccati carnalis expertus, ad omnipotentis Dei servitium festinavit. Iste de longinquo non venit, quia per incorruptionem & innocentiam proximus fuit. Alius nulla impudicitia, nullis flagitiis inquinatus, solum autem conjugium expertus ad ministerium spiritale conversus est. Neque enim iste venit de longinquo, quia usus conjunctione concessa, per illicita non erravit. Alii vero post carnis flagitia, alii post falsa testimonia, alii post facta furta, alii post illatas violentias, alii post

Marc. 8. 2-3

A perpetrata homicidia ad pœnitentiam redeunt; atque ad omnipotentis Dei servitium convertuntur. Hi videlicet ad Dominum de longinquo veniunt. Quanto etenim quisque plus in pravo opere erravit, tanto ab omnipotente Domino longius recessit. Nam & prodigus filius qui patrem deseruit, abiit in regionem longinquam, in qua porcos pavit, quia vitia nutrivit. Dentur ergo alimenta eis etiam qui de longinquo veniunt, quia conversis peccatoribus doctrinæ sanctæ cibi præbendi sunt, ut in Deum vires reparent, quas in flagitiis amiserunt: quia sæpe a doctoribus tanto necesse est ut largioribus cibis doctrinæ satientur, quanto fessi majoribus vitiis venerunt.

CAPUT IX.

In exposit. B. Job, lib. 22. num. 49.

FIDES quæ ad bona alia perfecte capessenda nos imbuit, plerumque in exordiis suis & nutat & solida est. Et jam certissime habetur, & tamen de ejus fiducia adhuc sub dubitatione trepidatur: pars namque ejus prius accipitur, ut in nobis postmodum perfecte compleatur. Si enim certo gradu in mente credentis non proficeret, requisitus in Evangelio Pater sanandi pueri non dixisset: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam*. Marc. 9 23.

C Adhuc ergo ascendebat ad fidem, quam jam perceperat, qui uno eodemque tempore clamabat, & jam se credere, & adhuc ex incredulitate dubitare. Hinc est etiam quod Redemtori nostro a discipulis dicitur: *Auge nobis fidem*: ut quæ jam accepta per initium fuerat, quasi per augmenta graduum ad perfectionem veniret. Luc. 17. 5.

CAPUT X.

In exposit. B. Job, lib. 10. num. 50.

QUI enim ab hujus mundi appetitu moriuntur, terrenis profecto mentibus omnimodo extincti æstimantur. Quod bene nostri miraculum Redemtoris signat, cum ab immundo spiritu hominem liberat. De quo nimirum scriptum est: *Clamans & multum discerpens eum, exiit ab eo; & factus est sicut mortuus, itaut multi dicerent, quia mortuus est. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum & surrexit*. Velut mortuus quippe ostenditur, qui a maligni spiritus potestate liberatur; quia quisquis jam terrena desideria subjicit, vitam in se carnalis conversationis extinguit; & mundo mortuus apparet, quia possessore pravo, qui per immunda desideria se agitabat, caret: quem multi mortui dicunt, quia qui spiritaliter vivere nesciunt, cum qui carnalia bona non sequitur, extinctum funditus arbitrantur.

D

Marc. 9. 25.

CAPUT XI.

E

In exposit. Ezech. lib. 1. hom. 12. num. 24.

MOX ut animus amare cælestia cœperit, mox ut ad visionem pacis intimæ tota se intentione collegerit, antiquus ille adversarius qui de cælo lapsus est, invidet, & insidiari amplius incipit, acriores quam consueverat tentationes admovet; itaut plerumque sic resistentem anima tentet, sicut ante numquam tentaverat, quando possidebat. Unde scriptum est: *Fili, accedens ad servitutem* Eccl. 2. 1.

Ia sta in justitia & timore, & præpara animam A *tuam ad tentationem.* Unde & dæmoniacus qui a Domino sanatur, ab exeunte dæmone decer-
Marc. 9. 35 pitur, sicut scriptum est: *Et clamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo.* Quid est enim quod obsessum hominem antiquus hostis quem possessum non discerpserat, deserendo discerpsit, nisi quod plerumque, dum de corde expellitur, acriores in eo tentationes generat, quam prius excitaverat, quando hoc quietus possidebat?

CAPUT XII.

In exposit. Ezech. lib. 1. hom. 8. num. 8.

SUNT nonnulli qui dum plus sapere quam necesse est, student, a proximorum pace resiliunt; dum eos velut hebetes, stultosque
Marc. 9. 43 contemnunt. Unde per se Veritas admonet, dicens; *Habete in vobis sal; & pacem habete inter vos.* Ut quisquis habere sal sapientiæ studet, curet necesse est quatenus a pace concordiæ numquam recedat.

CAPUT XIII.

Reg. Pastoral. tert. part. admon. 23.

SÆPE vero dum quosdam major scientia erigit, a ceterorum societate disjungit; & quasi quo plus sapiunt, eo a concordiæ virtute desipiscunt. Hi itaque audiant quod per semetipsam Veritas dicat: *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.* Marc. 9.49.
Sal quippe sine pace non virtutis est donum, sed damnationis argumentum. Quo enim quisque melius sapit, eo concordiam deserens deterius delinquit. Et idcirco inexcusabiliter merebitur supplicium, quia prudenter, si voluisset, potuit vitare
B peccatum. Quibus recte quoque per Jacobum dicitur: *Quod si zelum animarum habetis, & contentiones* Jac. 3.14. &c. *in cordibus vestris, nolite gloriari & mendaces esse adversus Veritatem. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica: quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica.* Pudica videlicet, quia caste intelligit; pacifica autem, quia per elationem, se minime a proximorum societate disjungit.

LIBER TERTIUS.

Capitula sumta ex Evangelio secundum Lucam.

EXPLANATIO PRÆCEDENTIUM CAPITULORUM.

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 35. num. 10.

Luc. 1. 6. CAUTE nimis in laude justorum conjugum dictum est: *Erant ambo justi ante Deum*. Non enim secura laus est, justos ante homines apparere. Sæpe enim humana sententia velut in Deo magnum quempiam approbat, sed hunc omnipotens Deus, qui quasi ex se approbatur, ignorat. Hinc est enim quod Psalmista vigilanter exorat, dicens: *Dirige in conspectu tuo viam meam*. Psal. 5. 9. Nimirum quia plerumque in conspectu hominum recta via creditur, etiam quæ veritatis itinere depravatur.

CAPUT II.

Hom. 7. in Evang. num. 1.

Luc. 1. 17. AD Zachariam namque de Johanne Angelus dicit: *Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ*. Qui idcirco venturus in spiritu & virtute Eliæ dicitur, quia sicut Elias secundum Domini adventum præveniet, ita Johannes prævenit primum: sicut ille præcursor venturus est Judicis, ita iste præcursor factus est redemptoris. Johannes igitur in spiritu Elias erat, in persona Elias non erat.

CAPUT III.

Homil. 34. in Evang. num. 9.

AD Mariam quoque Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominatur: illum quippe nuntiare veniebat, qui ad debellandas aerias potestates humilis apparere dignatus est, de quo per Psal. 23. 7. Psalmistam dicitur: *Tollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*. Et rursum: *Dominus virtutum iste est Rex gloriæ*. Per Dei enim fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum Dominus & potens in prælio contra potestates aerias ad bella veniebat.

CAPUT IV.

In exposit. B. Job, lib. 28. num. 32. 33.

JUSTORUM mentes a prurigine & ardore vitiorum ad cogitationum temperiem tranquillitatemque perveniunt, dum jam terrena non appetunt, dum flammas carnis desideriis cœlestibus extinguunt. * Propter hoc quoque mentis refrigerium cœlitus datum Mariæ dicitur: *Virtus Al-* (* Num. 33. Luc. 1. 35.)

Tom. IV. part II.

B *tissimi obumbrabit tibi*. Quamvis hac in re per obumbrationis vocabulum, incarnandi Dei utraque potuit natura signari. Umbra enim a lumine formatur & corpore. Dominus autem per divinitatem lumen est: qui mediante anima, in ejus utero fieri dignatus est per humanitatem corpus. Quia ergo lumen incorporeum in eius erat utero corporandum, ei quæ incorporeum concepit ad corpus, dicitur: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Id est, corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen divinitatis. Luc. 1. 35.

CAPUT V.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 51.

C DOMINICA incarnatio, servata veritate historiæ, obumbrationis appellatione signatur, sicut angelicus sermo testatur, qui ad Mariam dicit: *Virtus Altissimi obumbravit tibi*. Quia enim umbra non aliter exprimitur, nisi per lumen & corpus, virtus ei Altissimi obumbravit, quia in eius utero lux incorporea corpus sumsit, ex qua videlicet obumbratione in se refrigerium mentis accepit.

CAPUT VI.

In exposit. B. Job, lib. 4. num. 30.

D SICUT mors hoc quod interficit, agit ut non sit in vita; ita oblivio hoc quod interficit, agit ut non sit in memoria. Unde recte, quia Johannes Hebræorum populo eum quem obliti fuerant Deum prædicare veniebat, per Zachariam dicitur: *Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent*. Luc. 1. 79. In umbra enim mortis sedere, est a divini amoris notitia in oblivione lassescere.

CAPUT VII.

Homil. 33. in Evangel. num. 4.

PER Zachariam dicitur: *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*. Ibidem. Tunc enim gressus E nostros in viam pacis dirigimus, quando per illud actionum iter pergimus, in quo ab actoris nostri gratia non discordemus.

CAPUT VIII.

In exposit. B. Job, lib. 7. num. 7.

QUIA enim per prophetam dicitur: *Omnis caro fenum*, Isa. 40. 6. universitatis Conditor ex nostra substantia carnem sumens, fenum fieri voluit, de nostra

in perpetuum caro fenum remaneret. Unde &
natus in præfepe ponitur: ut videlicet fignaretur,
quia fancta animalia quæ jejuna diu apud Legem
inventa funt, incarnationis ejus feno fatiantur.
Præfepe enim natus implevit, qui cibum femet-
Joan. 6. 57. ipfum mentibus mortalium præbuit, dicens: *Qui
comedit carnem meam, & bibit meum fanguinem,
in me manet, & ego in eo.*

CAPUT IX.

In expofit. B. Job, lib. 31. num. 3.

NATUS Dominus a Paftoribus in præfepi
reperitur, quia ejus incarnatio quæ nos
reficit, Prophetarum fcriptura cognofcitur.

CAPUT X.

In expofit. B. Job, lib. 27. num. 28. 29.

QUID enim difficilius quam hominem in
terra editum, terrena & fragilia membra
geftantem, cælorum alta confcendere,
fupernorum fpirituum arcana penetrare? Sed
eorumdem fpirituum ad nos Conditor ve-
nit, feque hominem etiam fub ipfis exhibuit,
Pfal. 8. 6. ficut de illo Patri Propheta dicitur: *Minuisti
eum paulo minus ab Angelis.* Et quia inter nos &
eofdem fpiritus difcordantis vitæ fcandalum repe-
rit, mira potentia, mirabiliori etiam pietate, C
fumma creans, ima fufcipiens, ima cum fummis
junxit. Hinc eft enim quod eodem rege nato,
Angelorum chori in ejus annuntiatione prodeunt,
hymnum dicunt, & devicta pravæ vitæ difcor-
dia, hos quos dudum defpexerant cives agno-
Luc. 2. 14. fcunt, confono ore prædicantes: *Gloria in excelfis
Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ac
fi aperte dicant: Quos a nobis malitia disjunxe-
rat, jam nunc in terra nata bonitas jungat. Hinc
eft quod ante incarnationem ejus in Teftamento
veteri adoraffe homo Angelum legitur, nec ta-
men adorare prohibetur: fed poft Mediatoris
adventum, cum fe Johannes adorando Angelo D
Apoc. 19. 10. & 22. 9. proftraviffet, audivit: *Vide ne feceris: confervus
tuus fum, et fratrum tuorum.* Quid eft enim hoc
quod prius æquanimiter fe concedebant adorari,
poft ab homine Angeli recufant; nifi quod prius
hominem carnalibus corruptionibus deditum, nec
ab eifdem carnalibus corruptionibus redemtum,
quo abjectiorem noverant, juftius contemnebant.
Poftmodum vero humanam naturam etiam fub-
ftratam habere non poterant, quo hanc in auctore
fuo etiam fuper femetipfos dactam videbant.
Neque enim debet in membris jam fubjecta de-
fpici, quæ in ipfo membrorum capite meruit
prælata venerari.

CAPUT XI.

In expofit. Ezechiel. lib. 2. hom. 7. n. 5.

OMNIS enim torpor teporis anguftia eft,
omnis vero benignitas caritatis magna lati-
tudo. Nam & fi res defint, quæ fortaffe
indigenti proximo præbeantur, ampla eft fub-
ftantia voluntatis bonæ, quæ fufficit ad regni
Luc. 2. 14. retributionem; ficut fcriptum eft: *In terra pax
hominibus bonæ voluntatis.*

CAPUT XII.

In expofit. B. Job, lib. 27. num. 18.

ANGELICOS vero fpiritus recte Dei milites
dicimus; quia decertare eos contra pote-
A ftates aereas non ignoramus. Quæ tamen certami-
na non labore, fed imperio peragunt: quia quod
agendum contra immundos fpiritus appetunt, ex
adiutorio cuncta regentis poffunt. De hac nam-
que militia nafcente rege noftro fcriptum eft:
Subito facta eft cum Angelo multitudo militiæ cæleftis. Luc. 2. 13.

CAPUT XIII.

In Ezech. lib. 1. hom. 2. num. 3.

JUXTA rationis ufum, doctrinæ fermo non fup-
petit, nifi in ætate perfecta. Unde & ipfe Do-
minus anno duodecimo ætatis fuæ in medio do-
ctorum fedens, non docens, fed interrogans, vo-
B luit inveniri; ut enim non auderent in infirma æta-
te prædicare, ille anno duodecimo ætatis fuæ in-
terrogare homines eft dignatus in terra, qui per
divinitatem fuam femper Angelos docet in cœlo.
Quia enim ipfe eft Deus fapientiæ; de ipfo etiam
Angeli videndo bibunt hoc quod beatitudine æter-
na fatiantur.

CAPUT XIV.

Regul. Paftoral. part. 3. admonit. 26.

REDEMPTOR nofter cum in cœlis fit Con-
ditor, & oftenfionis fuæ potentia femper do-
ctor Angelorum, ante tricennale tempus in terra
magifter fieri noluit hominum: ut videlicet præ-
cipitatis jugum faluberrimi timoris tofunderet,
cum ipfe etiam qui labi non poffet, perfectæ vi-
tæ gratiam nonnifi perfecta ætate prædicaret. Scri-
ptum quippe eft: *Cum factus effet annorum duode-* Luc. 2. 42.
cim, remanfit puer Jefus in Jerufalem. De quo a pa-
rentibus requifito paulo poft fubditur: *Invenerunt* Ibidem.
*illum in templo fedentem in medio doctorum, audien-
tem illos, & interrogantem.* Vigilanti itaque con-
fideratione penfandum eft, quod cum Jefus anno-
rum duodecim dicitur, in medio doctorum fe-
dens, non docens, fed interrogans invenitur.
Quod exemplo fcilicet oftenditur, ne infirmus do-
cere quis audeat, fi ille puer doceri interrogando
voluit, qui per divinitatis potentiam verbum fcien-
tiæ ipfis fuis doctoribus miniftravit.

CAPUT XV.

In expofit. B. Job, lib. 17. num. 37.

A*Scendit Jefus in naviculam Petri; & rogavit* Luc. 5. 3.
*ut a terra reduceret pufillum; & ita præ-
dicabat turbis.* Per navem Petri quid aliud
quam commiffa Petro Ecclefia defignatur, de qua
ut Dominus turbis confluentibus prædicet, cum
E a terra paulum reduci jubet? Quam nec in al-
tum duci, & tamen a terra præcepit remove-
ri: profecto fignificans prædicatores fuos rudi-
bus debere populis, nec alta nimis de cœlefti-
bus, nec tamen terrena prædicare.

CAPUT XVI.

Regul. Paftoral. fec. part. cap. 5.

IPSA Veritas per fufceptionem nobis noftræ hu-
manitatis oftenfa, in monte orationi inhæret,
miracula in urbibus exercet. Imitationis videlicet
viam bonis Rectoribus fternens; ut & fi jam fum-
ma contemplando appetunt, neceffitatibus tamen
in-

infirmantium compatiendo misceantur: quia tunc ad alta caritas mirabiliter surgit, cum ad viam proximorum se misericorditer attrahit. Et quo benigne descendit ad infima, valenter recurrit ad summa.

CAPUT XVII.

In exposit. Cantic. cap. 1. num. 5.

COMPUNCTIO quæ per caritatem fit, quæ ex desiderio accenditur, quasi quoddam osculum est; toties enim anima osculatur Deum, quoties in amore ejus compungitur. Sunt enim multi qui jam quidem Deum metuunt, jam bonam operationem recipiunt: sed necdum B osculantur, quia amore ejus minime compunguntur: quod bene in convivio Pharisæi signatum est, qui cum Dominum recepisset, cum osculanti mulieri pedes ejus in corde suo derogaret, audivit: *Intravi in domum tuam, osculum mihi non dedisti; hæc autem ex quo ingressa est, non cessavit osculari pedes meos*. Omnis qui jam eleemosynas facit, qui jam bonis operibus studet, quasi Christum in convivium recipit, Christum pascit; quia eum in membris suis sustentare non desinit. Sed si nondum per amorem compungitur, adhuc ejus vestigia non osculatur. Præponitur ergo Pastori mulier quæ osculatur, quia præponitur cuique exteriora sua danti, is qui interno mentis ardore, in desiderio Domini compungitur. Bene autem dictum est: *Non cessavit osculari pedes meos*. Non enim sufficit in amorem Dei semel compungi & quiescere, sed & compunctio esse debet & crebrescere. Unde mulier ex eo laudatur, quia osculari non destitit, id est compungi minime cessavit. Unde & per Prophetam dicitur: *Constitui te diem solemnem in confrequentationibus usque ad cornu altaris*. Dies solemnis est Domino compunctio cordis nostri: sed tunc in confrequentatione dies solemnis constituitur, cum in lacrymas pro amore assidue mens movetur. Cui velut si diceremus: quamdiu ista acturi sumus, quamdiu tribulatione affligimur, illico terminum quousque fieri debeat subjunxit; dicens: *Usque ad cornu altaris*. Cornu quippe altaris est exaltatio sacrificii interioris; quia tamdiu necesse est ut quisque se affligat, quousque ad superni sacrificii altitudinem, id est ad gaudia pertingat: ubi cum venerimus, jam nulla necessitas est ut solemnem diem Domino de nostra lamentatione faciamus.

Luc. 7. 44.

Psal. 117. 27.

CAPUT XVIII.

In exposit. B. Job, lib. num. 33.

ELECTUS quisquis nisi Dominum agnovisset, utique non amaret, sed aliud est cognoscere per fidem, atque aliud per speciem. Aliud est invenire per credulitatem, aliud per contemplationem: ex qua re agitur ut electi omnes eum quem fide cognoverunt, videre quoque per speciem anhelent; cujus amore flagrantes, æstuant: quia ejus dulcedinis suavitatem in ipsa suæ fidei certitudine degustant. Quod bene ille in Geraseranorum regione sanatus a dæmonibus designat, qui vult abire cum Jesu, sed ei a magistro salutis dicitur: *Redi in domum tuam, & narra quanta fecit Deus tibi*. Amanti enim adhuc dilatio imponitur, ut ex dilati amoris desiderio, meritum retributionis augeatur. Fit ergo nobis A omnipotens Deus dulcis in miraculis, & tam in sua celsitudine manet occultus, ut & quiddam monstrando de se, occulta nos inspiratione in suo amore succendat; & tamen abscondendo majestatis suæ gloriam, amoris sui vim per æstum desiderii augeat.

Luc. 8. 39.

CAPUT XIX.

In exposit. B. Job, lib. 20. num. 43.

NONNULLI in sancta Ecclesia fidem quam se tenere asserunt, premunt potius quam venerantur: dum sua magis illius nomine, quam ejus adipisci lucra concupiscunt. Electi autem B dum servare fidei meritum rectis operibus curant, ad auctoris notitiam, etiam inter reproborum tumultus appropinquant. Quod in Evangelio muliere sanguinis fluxu laborante signatum est; de qua cum Dominus diceret: *Quis me tetigit?* Petrus ratiocinando respondit: *Turbæ te comprimunt & affligunt; & dicis: Quis me tetigit?* illico adjunxit: *Tetigit me aliquis: nam & ego sensi virtutem de me exisse*. Multi ergo Dominum comprimunt, & una tangit; quia carnales quique in Ecclesia eum premunt a quo longe sunt. Sed audire causas veræ rationis meruit, cum ei Dominus dixit: *Tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exisse*. Ecce turbæ premebant Dominum; sed tamen sola tetigit quæ ad illum C humiliter venit: quia nimirum multi etiam in sancta Ecclesia reprobi, veritatem cognoscendo premunt, quam bene vivendo tangere negligunt: premunt & longe sunt, quia divinam notitiam professionibus sequuntur, moribus fugiunt: premunt, inquam, sed longe sunt, quia eidem fidei quam loquendo adstruunt, agendo contradicunt.

Luc. 8. 45.

CAPUT XX.

In exposit. B. Job, lib. 3. num. 36. 37.

PREMENTE turba, una Redemtorem nostrum mulier tetigit. Unde & eidem Redemtor noster protinus dicit: *Quis me te-* D *tigit?* cui cum discipuli responderent: *Turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis: Quis me tetigit?* illico adjunxit: *Tetigit me aliquis; nam & ego sensi virtutem de me exisse*. Multi ergo Dominum comprimunt, & una tangit; quia carnales quique in Ecclesia eum premunt a quo longe sunt. Et soli tangunt qui ei veraciter humiles adjunguntur. Turba igitur premit, quia multitudo carnalium quo intus admittitur, gravius toleratur. Premit & non tangit, quia & importuna est per præsentiam, & absens per vitam: nonnumquam enim pravis nos sermonibus, nonnumquam vero solis perversis moribus insequuntur. Suadent namque aliquando quæ tenent; aliquando vero etsi non suadeant, præbere tamen iniquitatis exempla non E cessant. Qui igitur ad mala nos verbis vel exemplis illiciunt, profecto persecutores nostri sunt, a quibus tentationum certamina sumimus, quæ saltem in corde vincamus.

Luc. 8. 45.

CAPUT XXI.

In exposit. B. Job, lib. 19. num. 42.

SCIENDUM est quia aliquando in actionibus nostris minora prætermittenda sunt pro utilitate

tate majorum: nam quis ignoret esse boni operis meritum, mortuum sepelire? & tamen cuidam qui ad sepeliendum patrem se dimitti popoſcerat, dictum est: *sine & mortui sepeliant mortuos suos: Tu autem vade, & annuntia regnum Dei*. Postponendum namque est obsequium hujus ministerii, officio prædicationis: quia illo carne mortuos in terra conderet, isto autem anima mortuos ad vitam resuscitaret.

Luc. 9. 60.

CAPUT XXII.

In exposit. Ezech. hom. 3. n 16.

Luc. 9. 62.

VERITAS dicit: *Nemo mittens manum suam in aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei*. manum quippe in aratrum mittere, est quasi per quemdam compunctionis vomerem ad proferendos fructus terram cordis sui aperire: sed retro post aspicit, qui post exordia boni operis ad mala revertitur quæ reliquit.

CAPUT XXIII.

In expositione Ezechiel. lib. 2. hom. 7. num. 17.

Luc. 10. 20.

A Privato gaudio Veritas ad commune discipulos revocat, cum eos de prædicatione redeuntes, & de subjectione dæmonum lætantes admonet, dicens: *Nolite gaudere super hoc, sed potius gaudete & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cælo*. Non enim omnes electi dæmonia ejiciunt, sed tamen electorum omnium nomina cælo tenentur adscripta. Admonentur ergo discipuli privatam lætitiam deponere, communi autem & perpetua felicitate gaudere. Quisquis itaque in eo gaudet quod alter non habet, ex ipsa sua abundantia deterior factus, gaudium privatum habet.

CAPUT XXIV.

Regul. Pastoral. part. 2. cap. 6.

Luc. 10. 13.

INESSE pastoribus debet, & juste consulens misericordia, & pie sæviens disciplina. Hinc namque est, quod docente Veritate per Samaritani studium semivivus in stabulum ducitur, & vinum atque oleum vulneribus adhibetur: ut per vinum scilicet mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Necesse est quippe ut quisquis sanandis vulneribus præest, in vino morsum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum sananda foveantur. Miscenda ergo est lenitas cum severitate, faciendum quoddam ex utroque temperamentum: ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur.

CAPUT XXV.

In exposit. B. Job, lib. 6. num. 61.

Luc. 10.

QUIA enim contemplativa vita minor quidem tempore, sed merito major est quam activa, sacris Evangelii verbis ostenditur, in quo duo mulieres diversa egisse referuntur. Maria quippe Redemtoris nostri verba audiens, ad pedes illius residebat. Martha autem corporalibus ministeriis insistebat. Cumque contra Mariæ otium Martha quereretur, audivit. *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima: Porro unum est necessarium; Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Quid enim per Mariam quæ verba Domini residens audiebat, nisi contemplativa vita exprimitur? Quid per Martham exterioribus obsequiis occupatam, nisi activa signatur? Sed Marthæ cura non reprehenditur, Mariæ vero etiam laudatur: quia magna sunt activa vitæ merita, sed contemplativæ potiora. Unde nec auferri umquam Mariæ pars dicitur, quia activæ vitæ opera cum corpore transeunt; contemplativa autem gaudia melius ex fine convalescunt.

Ibid. v. 41. & 42.

CAPUT XXVI.

In exposit. Ezech. part. 2. hom. 2. num. 9.

BENE has utrasque vitas duæ illæ mulieres signaverunt, Martha videlicet & Maria, quarum una satagebat circa frequens ministerium, alia vero sedebat ad pedes Jesu, & audiebat verba de ore ejus. Cumque erga sororem Martha quereretur quod se adjuvare negligeret, respondit Dominus dicens: *Martha, occuparis & satagis circa multa: porro unum est necessarium: Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea*. Ecce, pars Marthæ non reprehenditur, sed Mariæ laudatur. Neque enim bonam partem elegisse Mariam dicit, sed optimam; ut etiam pars Marthæ indicaretur bona. Quare autem pars Mariæ sit optima, subinfertur, cum dicitur, *quæ non auferetur ab ea*. Activa etenim vita cum corpore deficit. Quis enim in æterna patria panem esurienti porrigat, ubi nemo esurit? quis potum tribuat sitienti, ubi nemo sitit? quis mortuum sepeliat, ubi nemo moritur? Cum præsenti ergo seculo vita aufertur activa: contemplativa autem hic incipitur, ut in cælesti patria proficiat: quia amoris ignis qui hic ardere inchoat, cum ipsum quem amat viderit, in amore ipsius amplius ignescit. contemplativa vero vita minime aufertur, quia subtracta præsentis seculi luce perficitur.

Luc. 10. 41. &c.

CAPUT XXVII.

In exposit. B. Job, lib. 15. num. 26.

PERVERSA mens prius anhelat per avaritiam concupita congregare: & cum quasi quodam ventre avaritiæ multa congesserit, satiata arctatur; quia dum anxiatur qualiter acquisita custodiat, ipsa eam sua satietas angustat. Divitis enim cujusdam uberes fructus ager attulerat; sed quia ubi eos tantos reponeret, non habebat, dixit: *Quid faciam, quod non habeo quo congregem fructus meos? & dixit, hoc faciam: Destruam horrea mea, & majora ædificabo*. Qui ergo ex abundantia coangustatus dicebat, *quid faciam*, quasi multo cibo pressus æstuabat. Pensemus quot votis appetiit ut uberes fructus ager illius afferret. Ecce autem vota completa sunt; quia fructus uberes ager attulit: sed quia ad recondendum loca non sufficiunt, multiplicatus dives quid faciat ignorat. O angustia ex satietate nata! de ubertate agri angustatur animus avari: dicens namque: *quid faciam*, profecto indicat, quia votorum suorum affectibus pressus sub quodam rerum fasce laborabat.

Luc. 12. 17.

CAPUT XXVIII.

In exposit. B. Job, lib. 25. num. 31

QUAMLIBET sero de hac vita tollantur iniqui,

qui, subito & repente tolluntur. Quia enim si nem suum cogitando prævidere nesciunt, subitum est quod ante cogitare non potuerunt. Subito dives ille stultus est, qui horrea quæ præparabat deseruit, & inferni locum quem non prævidebat invenit. Ad aliud exercebat animam per cogitationem, sed ad aliud emisit per sententiam. Aliud dum viveret contemplatus est, aliud dum moreretur expertus. Reliquit enim diu tentata temporalia, & inopinata invenit æterna. Unde ei propter hanc ignorantiam cæcitatis suæ bene per divinam sententiam dicitur: *Hac nocte animam tuam repetunt a te.* (Luc. 12.20.) In nocte quippe ablata est, quæ in obscuritate est cordis amissa, in nocte ablata est quæ considerationis lucem habere noluit, ut quod poterat pati prævideret. Unde bene discipulis futura cogitantibus Paulus Apostolus dicit: *Vos autem fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa quasi fur comprehendat: omnes enim vos filii lucis estis, & filii diei: non sumus noctis atque tenebrarum.* (1. Thess. 5.4.) Dies enim exitus tamquam fur in nocte comprehendit, quando stultorum animas futura non prævidentes ejicit.

CAPUT XXIX.

In exposit. B. Job, lib. 28. num. 12.

LUMBOS vero accingere, est vel in opere luxuriam, vel in cogitatione refrenare. Delectatio namque carnis in lumbis est. Unde & sanctis prædicatoribus dicitur: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes.* (Luc. 12.35.) Per lumbos enim luxuria, per lucernas autem bonorum operum claritas designatur. Jubentur ergo lumbos accingere, & lucernas tenere. Ac si aperte audiant: Prius in vobismetipsis luxuriam restringite, & tunc de vobis, aliis bonorum operum exempla monstrate.

CAPUT XXX.

In exposit. B. Job, lib. 25. num. 51.

SUNT namque nonnulli, qui ex eo quod Veritas dicit: *Servus qui non cognovit voluntatem Domini, & facit digna plagis vapulabit paucis; & servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens juxta eam, vapulabit multis,* (Luc. 12.47. 48) nolunt scire quid faciant; & quasi minimos se vapulaturos existimant, si nesciant quod operari debuerunt: sed aliud est nescisse, aliud scire noluisse. Nescit namque qui apprehendere vult, & non valet; qui autem ut nesciat, aurem a voce veritatis avertit, iste non nesciens, sed contemtor addicitur.

CAPUT XXXI.

In exposit. B. Job, lib. 25. num. 29.

SÆPE nonnulli quæ facere despiciunt, etiam scire contemnunt; quia enim scriptum est: *Servus nesciens voluntatem Domini sui, & non faciens digna, plagis vapulabit paucis. Et servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens juxta eam, vapulabit multis;* (Luc. 12.47.) impunitatem peccandi existimant remedium nesciendi. Qui nimirum sola superbiæ caligine tenebrescunt; atque ideo non discernunt, quia aliud est nescisse, aliud scire noluisse: nescire enim ignorantiæ est, scire noluisse superbia. Et tanto magis excusationem non possunt habere, quia nesciant, quanto magis eis etiam nolentibus opponitur quod cognoscant.

CAPUT XXXII.

Regul. Pastoral. tert. part. admonit. 32.

DE occulta jam retributione judicii est quod quorumdam mens, malum quod perpetrat, illuminatur ut videat; sed non conatur ut vincat: ut quo melius videt, eo deterius pereat; quia & intelligentiæ lumen percipit, & actionis pravæ tenebras non relinquit. Nam cum acceptam in adjutorium scientiam negligunt, hanc contra se in testimonium vertunt; & de lumine intelligentiæ augent supplicia, quod profecto acceperant, ut possent delere peccata. Quorum nimirum nequitia cum malum agit quod dijudicat, venturum jam judicium hic degustat: ut cum æternis suppliciis servatur obnoxia, suo hic interim examine non sit absoluta: tantoque illic graviora tormenta percipiat, quanto hic malum non deserit, etiam quod ipsa condemnat. Hinc enim Veritas dicit: *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non facit juxta voluntatem ejus, vapulabit multis.* (Luc. Ibid.)

CAPUT XXXIII.

In exposit. B. Job, lib. 22. n. 8. & 9.

NON est secura lætitia in divinis paginis, vel fortia vel multa cognoscere, sed cognita custodire. Nam qui bene intelligit, quid intelligendo debeat, agnoscit: quanto enim per intellectum latius extenditur, tanto ad explenda opera enixius ligatur. Unde in Evangelio Veritas dicit: *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo; & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.* (Luc. 12.48.) Deputemus intelligentiam datam quasi pecuniam mutuam: quia quo plus nobis creditur ex benignitate, eo debitores amplius tenemur in opere.

CAPUT XXXIV.

In exposit. Ezech. lib. 1. hom. 5. n. 8.

IGNIS enim nomine Spiritus sanctus figurari solet, de quo in Evangelio Dominus dicit: *Ignem veni mittere in terram; & quid volo nisi ut accendatur?* (Luc. 12.49.) Cum enim carnalis mens Spiritum sanctum accipit, spiritali amore succensa malum plangit quod fecit. Et terra ardet, quando, accusante se conscientia, cor peccatoris uritur atque in dolore pœnitentiæ crematur. Hinc rursus scriptum est: *Deus tuus ignis consumens est.* (Deut. 4.24.) Quia enim mentem quam reprehendit, eam a peccatorum rubigine mundam reddit, Creator noster & ignis dicitur & consumens.

CAPUT XXXV.

In Evangelio homil. 30. num. 5.

IGnem veni mittere in terram; & quid volo nisi ut ardeat? (Luc. 12.49.) Terra enim vocata sunt corda terrena, quæ dum semper infimas in se cogitationes congerunt, a malignis spiritibus conculcantur. Sed ignem in terram Dominus misit, cum afflatu sancti spiritus cor carnale incendit. Et terra ardet, cum cor carnale in suis pravis voluptatibus frigidum,

dum, relinquit concupiscentias præsentis seculi, & incenditur ad amorem Dei.

CAPUT XXXVI.

In Evangel. hom. 39. num. 5.

[Luc. 12. 58.] *CUm vadis cum adversario tuo ad Principem in via, da operam liberari ab ipso: ne forte tradat te judici, & judex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem.* Adversarius quippe noster in via est sermo Domini contrarius nostris carnalibus desideriis in præsenti vita; a quo ipse liberatur qui præceptis ejus humiliter subditur. Alioquin adversarius judici, & judex tradet exactori; quia ex sermone Domini contemto reus ejus peccatos tenebitur in examine judicis. Quem judex exactori tradet, quia hunc maligno spiritui ad ultionem trahere permittit, ut compulsam animam ipse ad pœnam de corpore exigat, quæ ei ad culpam sponte consensit. Exactor mittit in carcerem, quia per spiritum malignum in inferno detruditur, quousque dies judicii veniat, ex quo jam in inferni ignibus simul & ipse crucietur.

CAPUT XXXVIII.

In exposit. B. Job, lib. 19. num. 3.

IN Evangelio Dominus cum similitudinem regni cælestis ex grano sinapis denuntiaret, ait: [Luc 13. 18. 19] *Cui simile est regnum Dei, & cui simile æstimabo illud? Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum; & crevit & factum est in arborem magnam, & volucres cæli requieverunt in ramis ejus.* Ipse quippe est granum sinapis, qui in horti sepultura plantatus arbor magna surrexit. Granum namque fuit cum moreretur, arbor cum resurgeret: granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam majestatis. [Isa. 53. 2. Psal. 44. 3.] Granum, quia *vidimus eum, & non erat aspectus:* arbor autem quia, *speciosus forma præ filiis hominum.* Hujus arboris rami, sancti prædicatores sunt; & videamus quam late tendantur. [Psal. 18. 5.] Quid enim de eis dicitur? *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* In istis ramis volucres requiescunt: quia sanctæ animæ quæ quibusdam virtutum pennis a terrena cogitatione se sublevant, in eorum dictis atque consolationibus ab hujus vitæ fatigatione respirant.

CAPUT XXXVIII.

In exposit. B. Job, lib. 23. num. 68.

MENS etenim mutabilitatis suæ pondere ad aliud semper impellitur quam est; & nisi in statu suo a recta quotidie disciplina teneatur, semper in deteriora delabitur. Quæ enim semper stantem deseruit, statum quem habere poterat amisit. Unde nunc cum ad meliora nititur, quasi contra ictum fluminis conatur: cum vero ab intentione ascendendi resolvitur, sine labore reducitur ad ima. Quia enim in ascensu laborem, in descensu otium, intraturos per angustam portam [Luc. 13. 24.] Dominus admonet, dicens: *Contendite intrare per angustam portam.* Dicturus quippe angustæ portæ introitum, præmisit, *contendite:* quia nisi mentis contentio ferveat, unda mundi non vincitur per quam anima semper ad ima vocatur.

CAPUT XXXIX.

In exposit. B. Job, lib. 1. num. 29.

SCRIPTURA sacra aliquando cibus nobis est, aliquando potus. Cibus est in locis obscurioribus, quia quasi exponendo frangitur, & mandendo glutitur: potus vero est in locis apertioribus, quia ita sorbetur sicut invenitur. Cibum vidit Propheta Scripturam sacram qui exponendo frangeretur, cum diceret: [Thren. 4. 4.] *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Id est, infirmi quique Scripturæ sacræ valentiores sententias petierunt exponendo comminui; sed qui exponere debeat, non valet inveniri. Potum vidit Scripturam sacram Propheta, cum diceret: [Isa. 55. 1.] *Omnes sitientes venite ad aquas.* Si potus aperta mandata non essent, per semetipsam Veritas non clamaret: [Johan. 7. 37.] *Si quis sitit, veniat ad me & bibat.* Quasi cibum ac potum vidit Propheta Judææ defuisse, cum diceret: [Isa. 5. 13] *Nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus siti exaruit.* Paucorum quippe est occulta agnoscere, multorum vero historiæ aperta sentire. Et idcirco Judææ nobiles non siti, sed fame interisse asserit: quia hi qui præesse videbantur, dum totos se exteriori intelligentiæ dederant, quod de intimis discutiendo manderent, non habebant. Quia vero sublimioribus ab interno intellectu cadentibus, parvulorum intelligentia & in exterioribus exsiccatur, recte illic adjungitur: *Multitudo ejus siti exaruit.* Ac si aperte diceret: dum vulgus vitæ suæ studium deserit, jam nec fluenta historiæ exquirit. Et occulta mandata sacri eloquii & aperta se intellexisse testantur, qui reprobanti se judici conquerentes dicunt: [Luc. 13. 26] *Manducavimus & bibimus coram te.* Quod aperte exponendo subjungunt, *& in plateis nostris docuisti.*

CAPUT XL.

In exposit. B. Job, lib. 17. num. 2.

CONSIDERAT Dominus quos puniat; sed eosdem ipsos ante non videt; quos nescit. Nam quibusdam in fine dicturus est: [Luc. 13. 27] *Nescio vos unde estis; discedite a me omnes operarii iniquitatis.* Miro igitur modo pravorum vitam & intuetur & obliviscitur: quia quos per districtionem sententiæ judicat, quantum est ad memoriam misericordiæ ignorat.

CAPUT XLI.

In exposit. B. Job, lib. 14. num. 14.

IMPIO quippe sitire, est hujus mundi bona concupiscere. Unde Redemtor noster ante Pharisæi domum hydropicum curat, & cum contra avaritiam disputaret, scriptum est: [Luc. 14. 1. Luc. 16.] *Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, & deridebant illum.* Quid est ergo quod ante Pharisæi domum hydropicus curatur, nisi quod per alterius ægritudinem corporis, in altero exprimitur ægritudo cordis? Hydropicus quippe quo amplius bibit, amplius sitit; & omnis avarus ex potu sitim multiplicat, quia cum ea quæ appetit, adeptus fuerit, ad appetenda alia amplius anhelat. Qui enim adipiscendo plus appetit, huic sitis ex potu crescit.

CA-

CAPUT XLII.

In exposit. Ezech. lib. 2. hom. 3. n. 20.

Luc. 14. 33 QUi non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Quidam enim relinquunt omnia, multi autem etiam possidendo renuntiant: quia sic ad usum possessa retinent, ut eis ex desiderio non succumbant.

CAPUT XLIII.

Homil. 36. in Evangel. num. 7.

PLerumque ipsa despectio hominis, revocat eum ad semetipsum. Is enim qui patrem relinquit, & partem substantiæ quam perceperat, prodige expendit, postquam esurire cœpit, in se reversus dixit: *Quanti mercenarii patris mei abundant panibus*. Longe quippe a se discesserat, quando peccabat. Et si non esurisset, in semetipsum minime rediisset; quia postquam terrenis rebus indiguit, tunc cogitare cœpit quid de spiritualibus amisit. Luc. 15. 17

CAPUT XLIV.

In exposit. B. Job, lib. 12. num. 9.

NUllus homo sine peccato est, nisi ille qui in hunc mundum venit non ex peccato. Et quia omnes in culpa ligamur, amissione ipsa justitiæ morimur. Concessa prius in paradiso veste innocentiæ nudamur, interitu etiam carnis subsequente consumimur. Homo itaque peccator moritur in culpa, nudatur a justitia, consumitur in pœna. Hanc nuditatem peccatoris filii tegere dignatus est pater, qui eo redeunte dixit: *Cito proferte stolam primam*. Prima quippe stola est vestis innocentiæ, quam homo bene conditus accepit, male a serpente persuasus perdidit. Contra hanc rursum nuditatem dicitur: *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet*. Vestimenta quippe custodimus, cum præcepta innocentiæ servamus in mente; ut cum nos judicii culpa nudat, ad amissam redeuntes innocentia pœnitentia operiat. Luc. 15. 22

CAPUT XLV.

In exposit. B. Job, lib. 29. num. 12.

Luc. 15. FILIUS minor qui consumta substantia ad patrem rediit, in munere annulum accepit. Gentilis enim populus qui immortalitate perdita ad Deum pœnitendo revertitur, per fidei signaculum munitur. Unde & ab Sponso suo Ecclesiæ dicitur. *Pone me ut signaculum super cor tuum*. Idcirco namque signaculum rebus ponitur, ne qua diripientium præsumtione temerentur. Sponsus ergo in cor signaculum ponitur, quando fidei ejus mysterium in custodia nostræ cogitationis imprimitur, ut ille infidelis servus, nimirum noster adversarius, cum signata fide corda considerat, tentando ea irrumpere non præsumat. Cant. 8. 6.

CAPUT XLVI.

Homil. 26. in Evangelio num. 2.

QUID vero apud Deum vilius, quid esse despectius potest, quam servare honorem

A apud homines, & interni testis oculos non timere? Unde ipse Dominus dicit: *Vos estis qui justificatis vos coram hominibus; Dominus autem novit corda vestra. Quia quod hominibus altum est, abominabile est apud Deum*. Notate, fratres, notate quod dicitur? si enim quod ab hominibus altum est, abominabile est apud Deum, cogitatio cordis nostri tanto apud Deum in imo est, quanto hominibus in alto; & humilitas cordis nostri tanto apud Deum in alto est, quanto hominibus in imo. Despiciamus ergo si quid boni gerimus; nulla nos inflet operatio, non rerum abundantia, non gloria extollat. Si quidem ex bonis affluentibus intus intumescimus, Deo despecti sumus: quo contra Psalmista de humilibus dicit: *Custodiens parvulos Dominus*. Qui quia parvulos humiles appellat, postquam sententiam protulit, consilium subjungit. Nam quasi quæreremus quid ipse ad hæc fecerit, adjunxit: *Humiliatus sum & liberavit me*. Luc. 16 15 Psal. 114. 6 B Ibidem.

CAPUT XLVII.

In exposit. B. Job, lib. 8. num. 29.

AD videnda bona extincti oculus non redit, quia ad exhibenda recta opera, exuta carne, anima non recurrit. Hinc est quod dives quem inferni flamma cruciabat, quia semetipsum reparare operando non posset agnoverat, nequaquam sibi sed relictis fratribus prodesse satagebat, dicens: *Rogo te, pater Abraham, ut mittas Lazarum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis ne & ipsi veniant in locum hunc tormentorum*. Solet namque mœstum animum spes vel falsa refovere, sed ut pœnam suam reprobi gravius sentiant, & spem de venia amittunt. Unde flammis ultricibus traditus non sibi, ut diximus, sed opitulari fratribus concupivit, qui numquam se ignium carere tormentis adjuncto desperationis supplicio agnovit. Hinc Salomon ait: *Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos quo tu properas*. C Luc. 16. 27 Eccle. 9. 10.

D

CAPUT XLVIII.

In exposit. B. Job, lib. 9. num. 101.

SEquaces quosque suos secum in tormento reprobi, flamma illustrante, visuri sunt quorum amore deliquerant; quatenus qui eorum vitam carnaliter contra præcepta Conditoris amaverant, ipsorum quoque eas interitus in augmento suæ damnationis affligat. Quod profecto Evangelio teste colligimus, in quo veritate nuntiante dives ille quem contigit ad æterni incendii tormenta descendere, quinque fratrum describitur meminisse. Qui Abraham petiit ut ad eorum eruditionem mitteret, ne illic eos quandoque venientes par pœna cruciaret. Qui igitur ad doloris sui cumulum, propinquorum absentium meminit, constat proculdubio, quia eos ad augmentum supplicii paulo post potuit etiam præsentes videre. Quid autem mirum si secum quoque reprobos aspiciat cremari, qui ad doloris sui cumulum eum quem despexerat in sinu Abrahæ Lazarum vidit? Is ergo cui ut pœna cresceret, & vir electus apparuit, cur non credendum sit, quod videre in supplicio, hos etiam quos contra Deum dilexerat, possit? Qua ex re colligitur quod eos quos inordi- Luc. 16. E

nate nunc reprobi diligunt, miro judicii ordine, se cum tunc in tormentis videbunt: ut pœnam propriæ punitionis exaggeret illa auctori præposita carnalis cognatio pari ante oculos ultione damnata. Ignis itaque qui in obscuritate cruciat, credendum est quia lumen ad tormentum servat.

CAPUT XLIX.

In exposit. B. Job, lib. 5. num. 28.

HABENT quippe hoc hæretici proprium, ut malis bona permisceant, quatenus facile sensui audientis illudant. Si enim semper prava dicerent, citius in sua pravitate cogniti, quod vellent minime persuaderent. Rursum si semper recta sentirent, profecto hæretici non fuissent: sed dum fallendi arte ad utraque deserviunt, & ex malis bona inficiunt, & ex bonis mala ut recipiantur abscondunt: sicut qui veneni poculum porrigit, ora poculi dulcedine mellis tangit; dumque hoc quod dulce est primo attactu delibatur, etiam illud quod est mortiferum indubitanter absorbetur. Itaque hæretici permiscent recta perversis; ut ostendendo mala, latenti eos peste corrumpant. Aliquando tamen prædicatione sanctæ Ecclesiæ atque exhortatione correcti, ab hac sensus sui diversitate salvantur. Quos bene in Evangelio illa decem leprosorum mundatio designat. (Luc. 17.) In lepra quippe & pars cutis in fulgorem ducitur, & pars in colore sano retinetur. Leprosi itaque hæreticos exprimunt, quia, dum rectis prava permiscent, colorem sanum maculis aspergunt. Unde & bene ut salventur clamant: *Jesu præceptor*. (Ibidem.) Quia enim in ejus verbis se errasse significant, hunc salvandi humiliter præceptorem vocant. Cumque ad cognitionem præceptoris redeunt, mox ad formam salutis recurrunt.

CAPUT L.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 26.

HÆretici, ut facile valeant perversa suadere, dictis suis quædam recta permiscent; ut animas audientium ex rectis sensibus trahant, & perversis feriant. Qui in præceptis Dei, quia sana insanaque locutione variantur, bene in Evangelio decem leprosorum sunt specie designati; (Luc. 17.) quorum colori sano dum vitiosus candor aspergitur, immoderato hoc candore fœdantur. Unde admonemur: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*. (Rom 12. 3.) Qui etiam quia necdum Deum diligunt, de quo male sentiunt; nec proximum, a quo dividuntur; Decalogi præceptis adversi sunt, atque ideo ad deprecandum Dominum decem veniunt. Pro eo autem quod sanis insana miscuerunt, coloris diversitate variantur. Sed quia in ejus præceptis offenderunt, id illum unde offenderant, vocant, dicentes: *Jesu præceptor*. (Luc. 17. 13.) Unde & mox curari meruerunt.

CAPUT LI.

In exposit. B. Job, lib. 31. num. 105.

DE egredientibus animabus Veritas spondet, dicens: *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*. (Luc. 17. 23.) Ac si aperte dicat: Qui cælesti sedi incarnatus Redemtor nunc præsideo, electorum quoque animas cum carne solvero, ad cælestia sublevo.

CAPUT LII.

In exposit. B. Job, lib. 14. num. 31.

SUnt quidam qui postquam Deum in mente contemserint, multo magis humana judicia spernunt; atque omne malum quod appetunt, audaciter peragere non erubescunt: quos ad perpetrandum malum occulta iniquitas invitat, & nulla aperta verecundia retardat. Sicut & de quodam iniquo judice dicitur: *Deum non timebat, & hominem non reverebatur*. (Luc. 18. 2.) Hinc est etiam quod de quibusdam impudenti fronte peccantibus dictum est: *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt*. (Isa. 3. 9.)

CAPUT LIII.

In exposit. B. Job, lib. 2. num. 32.

MEDIATORIS scientia cuncta sciens, sed in locutione sua ignorantiam nostram suscipiens, atque dum suscepit, docens, nonnumquam quasi ex nostra dubitatione loquitur; sicut dicit: *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem super terram?* (Luc. 18. 8.)

CAPUT LIV.

In exposit. B. Job, lib. 32. num. 36.

SÆPE contingit ut justi & injusti habeant verba similia, sed tamen semper cor longe dissimile est. Ex quibus dictis Deus ab injustis offenditur, in eisdem quoque a justis placatur. Nam Pharisæus ingressus templum dicebat: *Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo*. (Luc. 18. 12.) Sed justificatus magis Publicanus quam ille exiit. Ezechias quoque Rex cum molestia corporis afflictus ad extremitatem pervenisset vitæ, in oratione compunctus dixit: *Obsecro, Domine: memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto*. (Isa. 38. 3.) Nec tamen Dominus hanc confessionem perfectionis ejus despexit aut renuit, quem mox in suis precibus exaudivit. Ecce Pharisæus se justificatum in opere, Ezechias justum se asseruit etiam in cogitatione: atque unde ille offendit, inde iste Dominum placavit. Cur itaque hoc, nisi quia omnipotens Deus singulorum verba a cogitationibus pensat, & in ejus auribus superna non sunt quæ humili corde proferuntur?

CAPUT LV.

In exposit. B. Job, lib. 4. cap. 3. Præfat.

RArum valde est ut qui avaritiam possident, ad requiem tendant; dum per semetipsam Veritas dicat: *Difficile qui pecunias habent, intrabunt in regnum cælorum*. (Luc. 18. 24.) Nam qui hic multiplicandis divitiis inhiant, certum est quia alterius vitæ gaudia spernant. Quod tamen ut Redemtor noster valde rarum, & ex solo divino miraculo evenire posse monstraret: *Apud homines*, inquit, *hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt*.

CAPUT LVI.

In exposit. B. Job, lib. 27. num. 78.

SI igitur sapientes esse, atque ipsam sapientiam con-

contemplari appetimus, stultos nos humiliter cognoscamus. Relinquamus noxiam sapientiam, discamus laudabilem fatuitatem. Hinc quippe scriptum ast: (1. Cor. 1. 27.) *Stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes.* Hinc rursum dicitur: (Ibid. 3. 18.) *Si quis vult inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat ut sit sapiens.* Hinc (Luc. 19.) Evangelicæ historiæ verba testantur, quod Zachæus, cum videre præ turba nil posset, sycomori arborem ascendit, ut transeuntem Dominum cerneret. Sycomorus quippe ficus fatua dicitur: pusillus itaque Zachæus sycomorum subiit, & Dominum vidit, quia qui mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi Dei sapientiam subtiliter contemplantur. Pusillanimitatem namque nostram ad videndum Dominum turba præpedit; quia infirmitatem humanæ mentis, ne lucem veritatis intendat, curarum secularium tumultus premit. Sed prudenter sycomorum ascendimus, si provide eam quæ divinitus præcipitur, stultitiam tenemus. Quid enim in hoc mundo stultius quam amissa non quærere, possessa rapientibus relaxare, nullam pro acceptis injuriis injuriam reddere, imo & adjunctis aliis patientiam præbere? Quasi enim sycomorum nos ascendere præcipit, cum dicit: (Luc. 6. 30.) *Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.* Et rursum: (Matt. 5. 39.) *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* Per sycomorum igitur transiens Dominus cernitur, quia per hanc sapientem stultitiam, etsi necdum ut est solide, jam tamen per contemplationis lumen Dei sapientia, quasi in transitu videtur. Quam videre nequeunt qui sibi sapientes esse videntur, quia ad conspiciendum Dominum in alta cogitationum suarum turba depressi, adhuc sycomori arborem non invenerunt.

CAPUT LVII.

Regul. Pastoral. 1. part. cap. 9.

(Matt. 25.) CAVEAT fidelis quisque ne acceptam pecuniam in sudario ligans, de ejus occultatione judicetur. Pecuniam quippe in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere.

CAPUT LVIII.

In exposit. B. Job, lib. 5. num. 33.

ILLE vero perfectus est, qui erga imperfectionem proximi impatiens non est. Nam qui alienam imperfectionem ferre non valens, deserit, ipse sibi testis est quia perfecte necdum profecit. (Luc. 21. 19.) Hinc in Evangelio Veritas dicit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Quid est enim animam possidere, nisi perfecte in omnibus vivere, cunctis mentis motibus ex virtutis arce dominari? Qui igitur patientiam tenet, animam possidet; quia inde contra adversa omnia fortis efficitur, unde sibi & seipsum vincendo dominatur; & quo se laudabiliter frangit, infractum se fortiter exerit: quia cum in suis se voluptatibus superat, sese ad contrarium invictum parat.

CAPUT LIX.

In exposit. B. Job, lib. 20. num. 39.

PRAVORUM mens hujus mundi servitiis dedita, & rerum temporalium fatigationibus assueta, etiamsi libere vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat: & usu miseræ conversationis trituram laboris quærit; ut a jugo mundanæ servitutis cessare non liceat, etiam si liceat; quod videlicet jugum Dominus a discipulorum cervice solvebat, cum diceret: (Luc. 21. 34.) *Attendite vobis ne forte graventur corda vestra in crapula & ebrietate.* Atque illico adjunxit: *Et in curis hujus vitæ; & superveniat in vos repentina dies illa.* Et rursum: (Matt. 11. 28.) *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite a me quia mitis sum & humilis corde.* Quid est enim Domino mitem se in magisterio atque humilem dicere, nisi relictis exercendæ elationis difficultatibus, plana quædam bene vivendi itinera demonstrare?

CAPUT LX.

In exposit. Ezech. lib. 1. hom. 8. n. 25.

HUMANI generis Redemtor humanitatem quam descendendo sub Angelis assumsit, ascendendo super Angelos exaltavit. Sic vero factum eum sub Angelis dicimus, sicut factum sub lege prædicante Apostolo audivimus. Assumptam ergo humanitatem sub Angelis accipimus, pro ea minoratione in qua dignatus est apparere. Nam mox ut verbum caro factum est, mox Deus homo potestate super Angelos fuit. De ipso quippe ante passionem scriptum est: (Matt. 4. 11.) *Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Sed tamen ut humanitatis ejus infirmitas monstraretur, rursum de eo scriptum est: (Luc. 22. 43.) *Apparuit illi Angelus de cælo confortans.* In documento ergo utriusque naturæ, huic & Angeli ministrare, hunc & Angelus confortare describitur. Unus quippe in utraque natura; quoniam qui Deus ante secula extitit, homo factus est in fine seculorum: cui tamen ante passionem suam & Angeli ministrant, & hunc Angelus confortat. Post passionem vero atque resurrectionem ejus, huic Angeli ministrare possunt, sed jam hunc confortare non possunt.

CAPUT LXI.

In exposit. B. Job, lib. 24. num. 33.

SÆPE electi tunc vehementer metuunt, cum ad solvendum humanæ conditionis debitum venientes, districto judici propinquare se cernunt: & fit tanto timor acrior, quanto & retributio æterna vicinior. Ante oculos autem cordis nihil inane tunc transvolat de phantasmate cogitationis; quia subductis a medio omnibus, se & illum tantummodo considerant cui appropinquant: crescit pavor vicina retributione justitiæ, & urgente solutione carnis, quanto magis districtum judicium jam quasi tangitur, tanto vehementius formidatur. Et si ea quæ sciunt, numquam se prætermisisse meminerunt, formidant tamen illa quæ nesciunt. Quia videlicet semetipsos dijudicare & comprehendere omnino non possunt; atque urgente exitu, subtiliori terrentur metu. Unde Redemtor noster solutioni carnis appropinquans, & membrorum suorum speciem servans, factus in agonia cœpit prolixius orare. (Luc. 22. 43.) Quid enim pro se ille cum in agonia esset peteret, qui in terris positus cælestia cum potestate tribuebat? Sed appropinquante morte nostræ mentis in se certamen expressit, qui vim quamdam terroris ac formidinis patimur, cum per solutionem carnis æterno judicio propinqua-

mus. Neque enim tunc cujuslibet anima immerito terretur, quando post pusillum hoc invenit quod in æternum mutare non possit. [* Num. 33.] * Consideramus quippe quod viam vitæ præsentis nequaquam sine culpa transire potuimus. Consideramus etiam quia nec hoc quidem sine aliquo reatu nostro est, quod laudabiliter gessimus, si remota pietate judicemur. Quis enim nostrum vitam præcedentium patrum valeat vel superare, vel assequi? & tamen David dicit [Psal. 142. 2.]: *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Paulus cum diceret [1. Cor. 4. 4.]: *Nihil mihi conscius sum*, caute subjunxit: *Sed non in hoc justificatus sum.* Jacobus dicit [Jac. 3. 2.]: *In multis offendimus omnes.* Johannes dicit [1. Johan. 1. 8.]: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* B Quid ergo facient tabulæ, si tremunt columnæ? aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si hujus pavoris turbine etiam cedri quatiuntur? [* Num. 34.] * Sed justorum animæ a levibus quibusque contagiis ipso sæpe mortis pavore purgantur, & æternæ retributionis gaudia jam ab ipsa carnis solutione percipiunt. Plerumque vero contemplatione quadam retributionis internæ, etiam priusquam carne exspolientur, hilarescunt; & dum vetustatis debitum solvunt, novi jam muneris lætitia perfruuntur.

CAPUT LXII.

In exposit. B. Job, lib. 8. num. 30.

VISUS quippe hominis est misericordia Redemtoris quæ insensibilitatis nostræ duritiam cum respicit, emollit. Unde teste quoque Evangelio dicitur [Luc. 22. 61.]: *Respexit Jesus Petrum, & recordatus est Petrus verbi quod dixerat Jesus. Et egressus foras flevit amare.* Exutam vero carne animam nequaquam visus hominis aspicit, quia post mortem non liberat, quem ante mortem gratia ad veniam non reformat.

CAPUT LXIII.

In exposit. B. Job, lib. 10. num. 53.

D HUJUS lampadis flammas Herodes explorare voluit, cum ejus miracula videre concupivit; sicut scriptum est [Luc. 23. 8.]: *Erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eo quod audisset multa de illo; & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri:* Sed lampas hæc ante ejus oculos nullo radio lucis emicuit, quia ei qui se non pie, sed curiose quæsierat, nil de se mirabile ostendit. Inquisitus quippe Redemtor tacuit, expectatus miracula exhibere contemsit; sesequе apud se in occultis retinens, eos quos exteriora quærere comperit, ingratos foras reliquit; magis eligens aperte a superbientibus despici, quam a non credentibus vacua voce laudari. Unde & protinus lampas ista contemta est, sicut illic subditur [Ibidem.]: *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo & illusit indutum veste alba.* E [* Num. 54.] * Sed contemta lampas quæ in terra irrisiones tolerat, de cælo judicium coruscat.

CAPUT LXIV.

In exposit. B. Job, lib. 22. num. 38.

A SANCTI etenim viri in commotionis tentatione semetipsos ostendere omnino refugiunt, & cum audientibus prodesse nequeunt, etiam despici tacentes volunt, ne de sapientiæ suæ ostentatione glorientur. Cumque aliquid prudenter dicunt, non quærunt suam gloriam, sed auditorum vitam. Cum vero conspiciunt quia auditorum vitam loquendo lucrari non possunt, tacendo abscondunt scientiam suam. Ad imitandum quippe vitam Domini, quasi ad quoddam nobis propositum signum currimus; ipse enim quia Herodem vidit non provectum quærere, sed signa vel scientiam velle mirari, requisitus ab eo tacuit. Et quia constanter tacuit, ab eo irrisus exivit. Scriptum namque est: *Herodes autem viso Jesu gavisus est valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum; eo quod audiret multa de illo: & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.* [Luc. 23. 8.] B Unde & subditur: *Interrogabat autem illum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat.* Tacens vero Dominus quam sit despectus ostenditur, cum illic protinus subinfertur: *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo & illusit.* [Ibidem.] Quod videlicet factum oportet nos audientes discere, ut quoties auditores nostri nostra volunt quasi laudanda cognoscere, non autem sua perversa mutare, omnino taceamus: ne si ostentationis studio verbum loquimur, & illorum culpa quæ erat esse non desinat, & nostra quæ non erat fiat. * Dicat fortasse aliquis: Unde novimus quo corde quis audiat? [* Num. 39.] Sed multa sunt quæ audientis animum produnt, maxime si auditores nostri & semper laudant quod audiunt, & numquam C quod laudant sequuntur.

CAPUT LXV.

In exposit. B. Job, lib. 12. num. 7.

PER lignum incarnata Dei sapientia figuratur, sicut de ea scriptum est: *Lignum vitæ est his qui apprehenderunt eam.* [Prov. 3. 18.] Et sicut ipsa ait: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet.* [Luc. 23. 31.] Se enim lignum viride & nos lignum aridum dixit: quia ipse in se vim divinitatis habet: nos vero qui puri homines sumus, lignum aridum appellamur.

CAPUT LXVI.

Homil. 32. in Evang. num. 5.

LINGUAS igneas doctores habent, quia dum Deum amando prædicant, corda audientium inflammant. Nam otiosus sermo docentis est, si præbere non valet incendium amoris. Hoc doctrinæ incendium ab ipso ore veritatis conceperant qui dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis cum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* [Luc. 24. 32.] Ex audito quippe sermone, inardescit animus, torporis frigus recedit, fit mens in superno desiderio anxia, a concupiscentiis terrenis aliena. Amor verus qui hanc repleverit, in fletibus cruciat, sed dum tali ardore cruciatur, ipsis suis cruciatibus pascitur. E Audire ei libet præcepta cælestia, & quot mandatis instruitur, quasi tot facibus inflammatur; & quæ torpebat prius per desideria, ardet postmodum per verba.

CAPUT LXVII.

In exposit. B. Job, lib. 14. num. 72.

REDEMTOR noster dubitantibus de sua resurrectione discipulis ostendit manus & latus, palpan-

Luc. 2, 39. panda ossa carnemque præbuit, dicens: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Qui cum eidem Eutiçio in Constantinopolitana urbe positus, hoc Evangelicæ veritatis testimonium protulissem, ait: Idcirco hoc Dominus fecit, ut dubitationem resurrectionis suæ de discipulorum cordibus amoveret. Cui, inquam, mira est res valde quam adstruis, ut inde nobis dubietas surgat, unde discipulorum corda a dubietate sanata sunt. Quid enim deterius dici potest quam ut hoc nobis de ejus vera carne dubium fiat, per quod discipuli ejus ad fidem ab omni sunt dubietate reparati? Si enim hoc habuisse non adstruitur quod ostendit; unde fides discipulis ejus confirmata est, inde nostra destruitur. Qui adjungebat etiam dicens: Corpus palpabile habuit quod ostendit, sed post confirmata corda palpantium, omne illud in Domino quod palpari potuit in sublimitate est aliqua redactum. Ad hoc ipse respondit, dicens; scriptum est:
Rom. 6. 9. *Christus resurgens a mortuis jam non moritur, mors ei ultra non dominabitur*. Si quid ergo in ejus corpore post resurrectionem potuit immutari, contra veridicam Pauli sententiam post resurrectionem Dominus rediit in mortem; quod quis dicere vel stultus præsumat, nisi qui veram carnis ejus resurrectionem negat? Tunc mihi objecit, dicens: cum scriptum
1. Cor. 15. 50 sit: *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*; qua ratione credendum est resurgere veraciter carnem? Cui, inquam: in sacro eloquio aliter caro dicitur, juxta naturam, atque aliter juxta culpam vel corruptionem. Caro quippe juxta
Genes. 2. 23. Johan. 1. 14. naturam, sicut scriptum est: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, Et: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Caro vero juxta culpam, sicut scriptum est: *Non permanebit in homi-*
Genes. 6. 3. *nibus istis spiritus meus, eo quod sint caro*. Et, sicut Psalmista ait: *Memoratus est quia caro sunt, spiritus*
Psal. 77. 39. *vadens & non rediens*. Unde & discipulis Paulus dicebat: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu*.
Rom. 8. 9. Neque enim in carne non erant quibus Epistolas transmittebat: sed quia passiones carnalium desideriorum vincent, jam liberi per virtutem spiritus in carne non erant. Quod ergo Paulus Apostolus dicit: *Quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*, carnem secundum culpam vult intelligi, non carnem secundum naturam. Unde & mox quia carnem secundum culpam diceret ostendit; subdens: *Neque corruptio incorruptelam possidebit*: In illa ergo cælestis regni gloria caro secundum naturam erit, sed secundum passionis desideria non erit, quia devicto mortis aculeo in æterna incorruptione regnabit.

CAPUT LXVIII.

Reg. Pastoral. tert. part. admon. 26.

IPSA veritas quæ repente quos vellet roborare, potuisset, ut exemplum sequentibus daret, ne imperfecti prædicare præsumerent, postquam plene discipulos de virtute prædicationis instruxit, illico adjunxit: *Vos autem sedete in civitate*
Luc. 24. 39. *quousque induamini virtute ex alto*. In civitate quippe consedemus, si intra mentium nostrarum nos claustra constringimus, ne loquendo exterius evagemur. Ut cum virtute divina perfecte induamur, tum quasi a nobismetipsis foras etiam alios instruentes exeamus.

LIBER QUARTUS.

Capitula sumta ex Evangelio secundum Johannem.

1 14. *Quasi unigeniti a Patre*, j.
1 33. *Super quem videris spiritum*, ij.
1 48. *Cum esses sub ficu, vidi te*, iij.
3 8. *Spiritus ubi vult spirat*, iv.
3 13. *Et nemo ascendit ad cælum*, v.
3 18. *Qui autem non credit jam judicatus est*, vj.
5 35. *Ille erat lucerna ardens*, vij.
6 38. *Quia descendi de cælo non ut faciam*, viij.
7 38. *Flumina de ventre ejus*, ix.
6 71. *Et ex vobis unus diabolus est*, x.
7 15. *Jesus ergo cum novisset quia venturi erant*, xj.
8 7. *Qui sine peccato est vestrum*, xij.
9 6. *Exspuit in terram, & fecit lutum*, xiij.
10 22. *Et hyems erat*, xiv.
Idem, xv.
10 28. *Et non rapiet eas de manu mea*, xvj.
11 33. *Fremuit spiritu, & turbavit seipsum*, xvij.
12 14. *Et invenit Jesus asellum*, xviij.
12 24. *Nisi granum frumenti cadens*, xix.
12 28. *Venit ergo vox de cælo*, xx.
13 3. *Sciens quia omnia dedit ei Pater*, xxj.
13 5. *Et cœpit lavare pedes*, xxij.
13 23. *Recumbens unus ex discipulis*, xxiij.
13 35. *In hoc cognoscent omnes*, xxiv.
14 2. *In domo Patris mei mansiones*, xxv.
Idem, xxvj.
14 23. *Et ad eum veniemus*, xxvij.
14 27. *Pacem relinquo vobis*, xxviij.
Idem, xxix.
14 30. *Venit enim Princeps hujus mundi*, xxx.
15 12. *Hoc est præceptum meum*, xxxj.
15 14. *Vos amici mei estis*, xxxij.
15 22. *Si non venissem, & locutus fuissem*, xxxiij.
16 7. *Si non abiero*, xxxiv.
16 25. *Palam de Patre annuntiabo*, xxxv.
Idem, xxxvj.
16 33. *Hæc locutus sum vobis ut in me*, xxxvij.
18 36. *Regnum meum non est de hoc mundo*, xxxviij.
21 16. *Simon Johannes diligis me?* xxxix.
21 18. *Et alius te cinget*, xl.

EXPLANATIO PRÆCEDENTIUM CAPITULORUM.

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 18. n. 32.

IN sacro eloquio *sicut* & *quasi*, aliquando non pro similitudine ponitur, sed pro veritate. Unde & illud: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi*
Johan. 1. 14 *Unigeniti a Patre*.

CAPUT II.

In expositione B. Job, lib. 2. num. 90.

Johan. 1. 33. IN Evangelio scriptum ast: *Super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat*. In cunctis namque fidelibus spiritus venit, sed in solo Mediatore semper singulariter permaner spiritus: quia ejus humanitatem numquam deseruit, ex cujus divinitate procedit. In illo igitur manet, qui solus & omnia & semper potest: nam fideles qui hunc accipiunt, cum signorum dona habere semper ut volunt non possunt, hunc se accepisse quasi in transitus ostensione lætantur. Sed cum rursum de eodem spiritu veritatis ore discipulis dicitur: Johan. 14. 18. *Apud vos manebit & in vobis erit;* quid est quod divina voce, Mediatoris signum hæc eadem sancti spiritus mansio declaratur, cum dicitur: *Super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum?* Si igitur juxta magistri vocem & in discipulis manet, quomodo singulare jam signum erit quod in Mediatore permanet? Quod citius cognoscimus, si dona ejusdem spiritus discernamus. * Num. 91. * Alia namque sunt dona illius sine quibus ad vitam nequaquam pertingitur, alia quibus vitæ sanctitas pro aliorum utilitate declaratur. Mansuetudo namque, humilitas, patientia, fides, spes, caritas, dona ejus sunt; sed ea sine quibus ad vitam homines pervenire nequaquam possunt: Prophetiæ autem virtus, curatio, genera linguarum, interpretatio sermonum, dona ejus sunt; sed quæ virtutis ejus præsentiam pro correptione intuentium ostendunt. In his igitur donis sine quibus ad vitam perveniri non potest, Spiritus sanctus sive in prædicatoribus suis, sive in electis omnibus semper manet. In illis autem quibus per ostensionem illius, non nostra vita servatur, sed aliorum quæritur, nequaquam semper in prædicatoribus permanet, quia semper quidem eorum cordi ad bene vivendum præsidet, nec tamen per eos virtutum signa ostendit, sed aliquando se eis a signorum ostensionibus subtrahit, ut eo humilius virtutes habeantur, quo habitæ teneri non possunt. * Num. 92. * Mediator autem Dei & hominum homo Christus Jesus in cunctis eum & semper & continue habet præsentem: quia ex illo idem spiritus per substantiam profertur. Recte ergo & cum in sanctis prædicatoribus maneat, in Mediatore singulariter manere perhibetur: quia in istis per gratiam manet ad aliquid, in illo autem per substantiam manet ad cuncta. Sicut enim corpus nostrum sensum tantummodo tactus agnoscit, caput autem corporis, usum simul omnium quinque sensuum possidet, ut videat, audiat, gustet, odoretur, tangat; ita membra superni capitis in quibusdam virtutibus emicant, ipsum vero caput in cunctis virtutibus flagrat. Dissimiliter ergo spiritus manet in illo, a quo per naturam numquam recedit. Dona vero ejus quibus ad vitam tenditur, sine periculo amitti non possunt. Dona autem quibus vitæ sanctitas demonstratur, plerumque, ut dictum est, sine dispendio subtrahuntur. Illa ergo pro nostra eruditione tenenda sunt; hæc pro alienis profectibus exquirenda. In illis nos terreat formido, ne pereant; in istis vero ad tempus aliquando sublatis consoletur humilitas; quia ad elationem mentem fortasse sublevabant.

CAPUT III.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 59.

IN Scriptura sacra videre Dei, aliquando eligere ponitur. Sicut in Evangelio scriptum est: Johan. 1. 48. *Cum esses sub ficu, vidi te*. Id est, positum te sub umbra Legis elegi.

CAPUT IV.

In exposit. B. Job, lib. 27. num. 41.

VOX Dei auditur, cum gratiæ aspiratio mente concipitur, cum insensibilitas occultæ surditatis rumpitur, & cor ad studium summi amoris excitatum virtutis intimæ clamore penetratur; sed istam vocem supervenientis spiritus, quæ se in aure cordis insinuat, nec ipsa mens quæ per hanc illustrata fuerit investigat. Pensare enim non valet invisibilis virtus, quibus sibi meatibus influat, quibus ad se modis veniat, quibus recedat. Unde bene per Johannem dicitur: *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis; sed nescis unde veniat, & quo vadat*. Johan. 3. 8. Vocem enim spiritus audire, est vi compunctionis intimæ in amorem invisibilis Conditoris assurgere. Sed nemo scit unde veniat, quia ignoratur per ora prædicantium quibus se ad nos occasionibus fundat: & nemo scit quo vadat, quia cum unam prædicationem multi audiunt, intelligi proculdubio non potest, quem deserens abjiciat, & cujus ingrediens in corde requiescat. Una quippe res foris agitur, sed non per hanc uno modo intuentium corda penetrantur: quia qui invisibiliter visibilia modificat, in humanis cordibus causarum semina incomprehensibiliter plantat.

CAPUT V.

In exposit. B. Job, lib. 27. num. 29. & 30.

PAULUS dicit: 2. Cor. 5. 1. *Scimus enim quod si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis*. Sed si nos quoque qui ex terra sumus cælum conscendimus, ubi est quod rursum Veritas dicit: Johan. 3. 13. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo?* Cui nimirum sententiæ statim obviat quod eadem Veritas dicit: Johan. 17. 24. *Pater, volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum*. Quæ sibi in verbis suis non discrepat, sed ad quærenda hæc quasi discordantia studium nostræ mentis inflammat. Omnes enim nos qui in ejus fide renati sumus, ejus proculdubio corpus existimus. Quia igitur mira dispensatione pietatis membrorum suorum caput Dominus factus est, repulsa reproborum multitudine solus est etiam nobiscum. Nemo igitur ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit filius hominis qui est in cælo; quia dum nos jam cum illo unum facti sumus, unde solus venit in se, illuc solus redit etiam in nobis. Et is qui in cælo semper est, ad cælum quotidie ascendit, quia qui in divinitate super omnia permanet, humanitatis suæ compage sese quotidie ad cælos trahit.

CAPUT VI.

In exposit. B. Job, lib. 26. num. 50.

DUÆ quippe sunt partes, electorum scilicet atque reproborum, bini ordines singulis partibus

tibus continentur. Alii namque judicantur & pereunt, alii non judicantur & pereunt: alii judicantur & regnant, alii non judicantur & regnant. Judicantur & pereunt, quibus dominica inclamatione dicitur: Matt. 25. 42. *Esurivi & non dedistis mihi manducare, sitivi & non dedistis mihi potum; hospes eram, & non collegistis me; nudus, & non operuistis me; æger & in carcere, & non visitastis me.* Ibid. v. 41. Quibus præmittitur: *Discedite a me maledicti in ignem æternum qui præparatus est diabolo & Angelis ejus.* Alii vero in extremo judicio non judicantur, & pereunt: de quibus per Prophetam Psal. 1. 6. Dominus ait: *Non resurgent impii in judicio.* Et Joan. 3. 18. de quibus Dominus dicit: *Qui autem non credidit, jam judicatus est.* Et de quibus Paulus ait: Rom. 2. 12. *Qui sine lege peccaverunt, sine lege & peribunt.* Resurgunt vero etiam omnes infideles, sed ad tormenta non ad judicium; non enim eorum tunc causa discutitur, qui a conspectu districti judicis jam cum damnatione suæ infidelitatis discedunt. Professionem vero fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur ut pereant. Qui vero nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem judicis in extrema examinatione non audiunt; quia præjudicati infidelitatis suæ tenebris, ejus quem despexerunt invectione redargui non merentur; illi saltem verba judicis audient, qui ejus fidei saltem verba tenuerunt. Isti in damnatione sua æterni judicis nec verba percipiunt, quia ejus reverentiam, nec verbotenus servare maluerunt; illi legaliter pereunt, quia sub lege positi peccaverunt. Istis in perditione sua de lege nihil dicitur, quia nihil legis habere conati sunt. Princeps namque terrenam Rempublicam regens, aliter punit civem interius delinquentem, atque aliter hostem exterius rebellantem. In illo sua jura consulit, cumque sub verbis dignæ invectionis addicit. Contra hostem vero bellum movet, instrumenta perditionis exercet, dignaque militiæ tormenta retribuit: de malo vero ejus quid lex habebat, non requirit; neque lege necesse est perimi, qui lege numquam potuit teneri. Ita ergo in extremo judicio & legalis illum invectio percutit, qui ab eo quod professionem tenuit, actionem declinavit; & iste sine judicii invectione perimitur, * Num. 31. qui lege fidei non tenetur. * Ex electorum vero parte alii judicantur & regnant, qui vitæ maculas lacrymis tergunt. Qui mala præcedentia factis sequentibus redimentes, quidquid illicitum aliquando fecerint, ab oculis judicis, eleemosynarum superductione cooperiunt. Quibus judex veniens in dexteram consistentibus dicit: Ibid. v. 35. *Esurivi, & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere; hospes eram & collegistis me; nudus, & operuistis me; infirmus, & visitastis me; in carcere eram, & venistis ad me.* Vers. 34. Quibus præmittit, dicens: *Venite, benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Alii autem non judicantur & regnant, qui etiam præcepta legis perfectione virtutum transcendunt. Qui nequaquam hoc solum quod cunctis quæ divina lex præcipit implere contenti sunt, sed præstantiore desiderio plus exhibere appetunt quam præceptis generalibus audire potuerunt. Quibus dominica voce dicitur: Matt. 19. 28. *Vos qui reliquistis omnia vestra, & secuti estis me, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel.* Et de quibus Propheta ait: Isa. 3. 14. *Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui.* Et de quibus Salomon cum de sanctæ A Ecclesiæ Sponso loqueretur, intulit, dicens: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.* Prov. 31. 23. Hi itaque in extremo judicio non judicantur & regnant, quia cum autore suo etiam judices veniunt. Relinquentes quippe omnia plus prompta devotione executi sunt, quam juberi generaliter audierunt. Speciali namque jussione paucis perfectioribus, & non generaliter omnibus dicitur hoc quod adolescens audivit: *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. Et veni, sequere me.* Matt. 19. 21. Si enim sub hoc præcepto cunctos jussio generalis adstringeret, culpa profecto esset aliquid nos de hoc mundo possidere. Sed aliud est quod per Scripturam sacram generaliter omnibus præcipitur, aliud B quod specialiter perfectioribus imperatur. Hi ergo recte sub generali judicio non tenentur, quia & præcepta generalia vivendo vicerunt. Sicut enim non judicantur & pereunt, qui suadente perfidia lege teneri contemnunt: ita non judicantur & regnant, qui suadente pietate etiam ultra generalia divinæ legis præcepta proficiunt. Hinc est quod Paulus etiam specialia præcepta transcendens, plus opere exhibuit quam institutione permissionis accepit. Cum enim accepisset ut Evangelium prædicans de Evangelio viveret, & Evangelium audientibus contulit, & tamen Evangelii sumtibus sustentari recusavit. Cur C ergo iste judicetur ut regnet, qui minus quod servaret accepit, sed maius quod viveret invenit?

CAPUT VII.

In exposit. Ezech. lib. 1. hom. 11. num. 7.

NEque hoc speculatori sufficit ut altum vivat, nisi & loquendo assidue ad alta auditores suos pertrahat, eorumque mentes ad amorem cælestis patriæ loquendo succendat; sed tunc hæc caute agit, cum lingua eius ex vita arserit. D Nam lucerna quæ ex semetipsa non ardet, eam rem cui supponitur, non accendit. Hinc enim de Johanne Veritas dicit: *Ille enim erat lucerna ardens & lucens;* Joban. 5. 35. ardens videlicet per cæleste desiderium, lucens per verbum.

CAPUT VIII.

In exposit. B. Job, lib. 35. num. 28.

IN Evangelio Veritas dicit: *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras: quia de cælo descendi, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Joban. 6. 37. Quid enim si suam faceret, eos qui ad se veniunt repulisset? Quis autem nesciat quod voluntas E filii a Patris voluntate non discrepet? Sed quoniam primus homo, quia suam facere voluntatem voluit, a paradisi gaudio exivit; secundus ad redemtionem hominis veniens, dum voluntatem se Patris & non suam facere ostendit, permanere nos intus docuit. Cum igitur non suam, sed Patris voluntatem facit, eos qui ad se veniunt foras non ejicit: quia dum exemplo suo nos obedientiæ subjicit, viam nobis egressionis claudit. Hinc rursum ait: *Non possum ego a meipso facere quidquam, sed sicut audio judico:* Ibid. 5. 30. nobis quippe obedientia usque ad mortem servanda præcipitur. Ipse autem si sicut audivit judicat, tunc quoque obedit cum judex venit; ne igitur nobis usque ad præsentis vitæ terminum obedientia laboriosa appareat, Redem-

demtor noster indicat, qui hanc, etiam cum judex venerit servat. Quid ergo mirum si peccator homo obedientiæ in præsentis vitæ brevitate se subjicit, quando hanc Mediator Dei & hominum, & cum obedientes remunerat, non relinquit?

CAPUT IX.

In exposit. Ezech. lib. 1. hom. 10. num. 6.

IN sacro eloquio nonnumquam venter pro mente poni consuevit. Unde & per Jeremiam dicitur: *Ventrem meum, ventrem meum doleo*; (*Jerem. 4. 19.*) quod quia de spiritali & non corporeo ventre dixerat, adjunxit: *Sensus cordis mei conturbati sunt*. Neque enim ad salutem populi pertinebat, si Propheta ventrem corporeum se dolore prædicaret: sed ventrem doluit qui mentis afflictionem sensit. Sed cur exemplum Prophetæ proferimus, cum testimonium Dei apertius habeamus? Et necesse est ut cum per semetipsam Veritas loquitur, Propheta taceat, quia lucerna claritatem non habet, in sole; (*Johan. 7. 38.*) *Omnis enim qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*: quia enim de mentem fidelium sanctæ prædicationes defluunt, quasi de ventre credentium aquæ vivæ flumina decurrunt.

CAPUT X.

In exposit. B. Job, lib. 13. num. 38.

JAM quippe unum corpus sunt diabolus, & omnes iniqui; ut plerumque nomine capitis censeatur corpus, & nomine corporis appelletur caput. (*Johan. 6. 71.*) Nam capitis nomine corpus censetur, cum de perverso homine dicitur: *Ex vobis unus diabolus est*. Et rursum nomine corporis appellatur caput, cum de ipso apostata Angelo dicitur: (*Matt. 13. 28.*) *Inimicus homo hoc fecit*.

CAPUT XI.

Regul. Pastoral. 1. part. cap. 3.

IPSE Dei hominumque Mediator regnum percipere vitavit in terris, qui supernorum quoque spirituum scientiam sensumque transcendens, ante secula regnat in cælis. Scriptum quippe est: (*Johan. 6. 15.*) *Jesus cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum regem: fugit iterum in montem ipse solus*. Quis enim principari hominibus tam sine culpa potuisset, quam is qui hos nimirum regeret quos ipse creaverat; sed quia idcirco in carne apparuit, ut non solum nos per passionem redimeret, verum etiam per conversationem doceret, exemplum se sequentibus præbens, rex fieri noluit; ad crucis vero patibulum sponte convenit: oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetiit, ut membra ejus videlicet discerent favores mundi fugere, terrores minime timere, pro veritate adversa diligere, prospera formidando declinare. Quia & ista sæpe per tumorem cor inquinant, & illa per dolorem purgant. In istis se animus erigit: in illis autem, etiamsi aliquando se erexerat, sternit. In istis sese homo obliviscitur: in illis vero ad sui memoriam nolens, etiam coactusque revocatur. In istis sæpe & antea acta bona depereunt: in illis autem longi quoque temporis admissa terguntur.

CAPUT XII.

In exposit. B. Job, lib. 14. num. 34.

QUI enim semetipsum prius non judicat, quid in alio rectum judicet, ignorat. Et si novit fortasse per auditum quod rectum judicare debeat, recte tamen judicare aliena merita non valet, cui conscientia innocentiæ propriæ nullam judicii regulam præbet. Hinc est enim quod insidiantibus quibusdam & puniendam adulteram deducentibus dicitur: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*. (*Johan. 8. 7.*) Ad aliena quippe punienda peccata ibant, & sua reliquerant; revocantur itaque intus ad conscientiam, ut prius propria corrigant, & tunc aliena reprehendant.

CAPUT XIII.

In exposit. B. Job, lib. 8. num. 49.

SALIVÆ nomine sapor intimæ contemplationis accipitur, quæ in os a capite defluit, quia de claritate Conditoris adhuc in hac vita positos vix gustu revelationis tangit. Unde & Redemtor veniens salivam luto miscuit, (*Johan. 9.*) & cæci nati oculos reparavit: quia superna gratia carnalem cogitationem nostram per admixtionem suæ contemplationis irradiat, & ab originali cæcitate hominem ad intellectum reformat. Nam quia a paradisi gaudiis expulsum in hoc jam exilio natura edidit, quasi a nativitate homo sine oculis processit.

CAPUT XV.

In exposit. B. Job, lib. 2. num. 2.

SACRA eloquia in exordio narrationum qualitates exprimunt, terminosque causarum. Aliquando namque a positione loci, aliquando a positione corporis, aliquando a qualitate aeris, aliquando a qualitate temporis signant quid de ventura actione subjiciant. A positione quippe locorum divina Scriptura exprimit subsequentium merita finesque causarum; sicut de Israel dicit, quia verba Dei in monte audire non potuit, sed præcepta in campestribus accepit; subsequentem nimirum infirmitatem populi indicans, quia ascendere ad summa non valuit, sed semetipsum in infimis, neglecte vivendo, laxavit. A positione corporis futura denuntiat, sicut in Apostolorum Actibus Stephanus (*Act. 7.*) Jesum qui a dextris virtutis sedet, stantem se vidisse manifestat; stare quippe adjuvantis est. Et recte stare cernitur, qui in bello certaminis opitulatur. A qualitate aeris res subsequens demonstratur, sicut Evangelista eum prædicante Domino nullum tunc ex Judæa crediturum cerneret, præmisit dicens: (*Johan. 10. 22.*) *Hyems autem erat*: scriptum namque est: *Abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum*. (*Matt. 24. 12.*) Idcirco ergo hyemis curavit tempus exprimere, ut inesse auditorum cordibus malitiæ frigus indicaret. Hinc est quod negaturo Petro præmittitur, (*Johan. 18. 18.*) quia frigus erat, & stans ad prunas calefaciebat se. Jam namque intus a caritatis calore torpuerat, & ad amorem præsentis vitæ, quasi ad persecutorum prunas infirmitate æstuante recalebat. A qualitate quoque temporis finis exprimitur actionis, sicut non rediturus ad veniam, ad traditionis perfidiam Judas nocte exiisse pro-

Johan. 13. 30. prohibentur: cum egrediente illo, ab Evangelista dicitur: *Erat autem nox*. Hinc enim & iniquo diviti dicitur: *Hac nocte repetunt animam tuam abs te*. Anima quippe quæ ad tenebras ducitur non in die repeti, sed in nocte memoratur. Hinc est quod Salomon qui sapientiam non perseveraturus accepit, in somnis hanc & nocte accepisse describitur. Hinc est quod Angeli ad Abraham meridie veniunt: punituri autem Sodomam ad eam vespere venisse memorantur. Luc. 12. 20.

CAPUT XV.

In exposit. B. Job, lib. 3. num. 6.

MANUI itaque adversarii Sanctus traditur, sed tamen in intimis manu adjutoris sui retinetur. De illis quippe ovibus fuit, de quibus in Evangelio Veritas dicit: *Non rapiet eas quisquam de manu mea*; & tamen expetenti hosti dicitur: *Ecce in manu tua est*; idem ergo in manu Dei est, idem in manu diaboli. Nam dicens: *In manu tua est*; cum protinus adjungit: *Verumtamen animam illius serva*; patenter pius adjutor innotuit, quia tenuit quem concessit, & dando non dedit, quem adversarii sui jaculis objiciens abscondit. Johan. 10. 28. Job. 2. 6.

CAPUT XVI.

In exposit. B. Job, lib. 3. num. 30.

NEQUE enim sicut nos, qui puri homines sumus, irruente sæpe tentatione concutimur: ita Redemptoris anima tentationis est necessitate turbata. Hostis namque noster & si in excelsum montem eum permissus assumsit, si se daturum regna mundi perhibuit, si quasi in panem vertendos lapides ostendit; mentem tamen Mediatoris Dei & hominum tentatione quassare non valuit. Sic enim dignatus est hæc exterius cuncta suscipere, ut tamen ejus mens interius divinitati suæ inhærens inconcussa permaneret. Qui & si quando turbatus spiritu infremuisse dicitur; ipse divinitus disponebat quantum ipse humanitus turbaretur. Immutabiliter omnibus præsidens, & semetipsum mutabilem in satisfactione infirmitatis ostendens. Quietus ergo in semetipso manens, disposuit quidquid pro ostendenda humanitate quam susceperat, etiam turbulentus fecit. Matt. 4. Johan. 11. 33.

CAPUT XVII.

In exposit. B. Job, lib. 1. num. 23.

Johan. 12. 14. JERUSALEM tendens Dominus, asellum sedisse perhibetur. Quid est enim sedendo asinum Jerusalem venire, nisi Gentilitatis simplicia corda possidendo, ea ad visionem pacis regendo, & præsidendo perducere?

CAPUT XVIII.

Homil. 8. in Evang. num. 1.

Isa. 40. 6. PER Prophetam dicitur: *Omnis caro fœnum*. Factus homo, fœnum nostrum vertit in frumentum qui de semetipso ait: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*. Unde & natus in præsepio reclinatur, ut fideles omnes, videlicet sancta animalia, carnis suæ frumento reficeret, ne ab æternæ intelligentiæ pabulo jejuna remanerent. Johan. 12. 24.

CAPUT XIX.

In exposit. B. Job, lib. 28. num. 4.

VERBIS namque per Angelum loquitur Deus cum vel in imagine ostenditur; sed superne verba locutionis audiuntur, sicut dicente Domino: *Pater, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te*; protinus respondetur: *Clarificavi, & iterum clarificabo*. Neque enim Deus qui sine tempore vi impulsionis intimæ clamat in tempore, per suam substantiam illam vocem edidit, quam circumscriptam tempore per humana verba distinxit; sed nimirum de cœlestibus loquens, verba sua quæ audiri ab hostibus voluit, rationabili creatura administrante formavit. Johan. 17. 1.

CAPUT XX.

In exposit. B. Job, lib. 3. num. 29.

CUM ergo se pro nostra redemtione Dominus membrorum Satanæ manibus tradidi, quid aliud quam ejusdem Satanæ manum in se sævire permisit? Ut unde ipse exterius occumberet, inde nos interius exteriusque liberaret. Si igitur Satanæ manus potestas accipitur, ejus manum juxta carnem pertulit, cujus potestatem corporis usque ad sputum, colaphos, flagella, crucem, lanceamque toleravit. Unde & Pilato ejus videlicet corpori, ad passionem veniens dicit: *Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper*. Sed tamen hanc potestatem quam contra se ei extrinsecus dederat, suis servire lucris intrinsecus compellebat. Pilatus enim vel Satan qui ejusdem Pilati caput exstiterat sub potestate illius super quem potestatem acceperat, tenebatur: quia & superior ipse disposuerat hoc quod inferius accedens a persecutore tolerabat: ut cum ex mala mente infidelium surgeret, utilitati tamen electorum omnium, ipsa quoque crudelitas deserviret. Pie igitur disponebat intus quod semetipsum pati nequiter permittebat foris. Hinc est enim quod de illo in cœna dicitur: *Sciens Jesus quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia ex Deo exivit, & ad Deum vadit, surgit a cœna, & ponit vestimenta sua*. Ecce in manus persequentium iturus, sciebat quod in manum suam ipsos etiam persecutores acceperat. Qui enim omnia accepisse se noverat, constat quia & ipsos a quibus tenebatur, tenebat. Ut ipse in se ad usum pietatis intorqueret, quidquid eorum contra se malitia permissa sæviret. Johan. 19. 11. Johan. 13. 3.

CAPUT XXI.

In exposit. B. Job, lib. 1. num. 31.

RECTE sanctis Apostolis post prædicationem Dominus pedes lavit, ut videlicet aperte monstraretur quia plerumque & in bono opere peccati pulvis contrahitur; & inde inquinantur vestigia loquentium, unde audientium corda mundantur. Nam sæpe nonnulli dum exhortationis verba faciunt, quamlibet tenuiter sese intrinsecus, quia per eos purgationis gratia derivatur, extollunt. Cumque verbo aliena opera diluunt, quasi ex bono itinere pulverem malæ cogitationis sumunt. Quid ergo fuit post prædicationem pedes discipulorum lavare, nisi a Johan. 13.

prædicationis gloria cogitationum pulverem tergere, gressusque cordis ab interna elatione mundare?

CAPUT XXII.

Præfat. in lib. Moral. num. 3.

MORIS enim Scripturæ sacræ est ut ipsi qui scribunt, sic de se in illa quasi de aliis loquantur. Hinc est enim quod Moyses ait:
Num. 12. 3 *Erat Moyses mitissimus super omnes homines qui mora-*
Johan. 19. 26 *bantur in terra*. Hinc Johannes dicit: *Discipulus*
Luc. 24. *ille quem diligebat Jesus*. Hinc Lucas ait quod ambularent duo ex discipulis in via, Cleophas & alius, quem profecto alium, dum tam studiose tacuit, ut quidam dicunt, se fuisse monstravit. Scriptores igitur sacri eloquii, quia impulsu sancti Spiritus agitantur, sic de se in illo testimonium, quasi de aliis proferunt. Spiritus ergo sanctus per Moysen de Moyse locutus est, Spiritus sanctus per Johannem de Johanne locutus. Paulus quoque quia non ex seipso loqueretur
2. Cor. 13. 3 insinuat, dicens: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?*

CAPUT XXIII.

In exposit. Ezech. lib. 2. hom. 3. num. 22.

PLERUMQUE sanctos viros aspicimus mira agere, virtutes multas facere, leprosos mundare, dæmonia ejicere, tactu ægritudines corporum fugare, Prophetiæ spiritu ventura prædicere; cuncta itaque hæc necdum palmæ sunt, sed adhuc pictura palmarum. Nam hæc aliquando dantur & reprobis. Unde per Evangelium Veritas
Matt. 7. 22. dicit: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia numquam novi vos. Discedite a me maledicti qui operamini iniquitatem*. Unum vero signum electionis est solidus
Johan. 13. 35. caritatis; sicut scriptum est: *In hoc scietur, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*. Hæc autem miracula cum electi faciunt, longe dissimiliter a reprobis faciunt; quia de eis foris ostenditur, quales apud omnipotentem Deum intus habeantur. Ibi autem eis palma erit, ubi jam mortis contentio non erit. Nam prædicator egregius tunc aspexit palmam veram vincentibus dari, cum resurrectionem prævidit fieri, sicut dicit:
1. Cor. 15. 53. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua, ubi est mors stimulus tuus?* Tunc ergo erit perfecta victoria, cum mors plene fuerit absorpta.

CAPUT XXIV.

In exposit. B. Job, lib. 4. num. 70.

QUIA in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa proculdubio discretio dignitatum; ut quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. Unde in Evangelio
Johan. 14. 2. Veritas dicit: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*. Sed in eisdem multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionum diversitas concors; quia tanta vis in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. Unde & non æque laborantes in vinea, æque cuncti denarium sortiuntur. Et quidem apud Patrem mansiones multæ sunt, & tamen eumdem denarium dispares laboratores accipiunt: quia una cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamvis non una sit omnibus sublimitas vitæ.

CAPUT XXV.

In exposit. B. Job, lib. 35. num. 46.

VERITAS in Evangelio dicit: *In domo Patris* Johan. 14. 2
mei mansiones multæ sunt. Apud Patrem quip-
B pe mansiones multæ sunt: quia in illa beatitudinis vita non dispari, unusquisque juxta dispar meritum locum disparem percipit, sed ejusdem disparitatis damna non sentit: quia tantum sibi quantum perceperit sufficit.

CAPUT XXVI.

Hom. 7. in Evang. num. 2.

VIA Domini ad cor dirigitur, cum veritatis sermo humiliter auditur. Via Domini ad cor dirigitur, cum ad præceptum via præparatur.
C Unde scriptum est: *Si quis diligit me, sermonem* Johan. 14. 23.
meum servabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quisquis ergo in superbia mentem elevat, quisquis avaritiæ æstibus anhelat, quisquis se inquinationibus luxuriæ polluit, cordis ostium contra veritatem claudit, & ne ad se Dominus veniat, claustra animi series vitiorum damnat.

CAPUT XXVII.

In exposit. B. Job, lib. 6. num. 53.

IN Scriptura sacra aliter pax plena dicitur, atque aliter inchoata. Inchoatam quippe Veritas discipulis dederat, cum dicebat: *Pa-*
cem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Et ple- Johan. 14. 27.
D nam Simeon desiderat, cum exoraret, dicens:
Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum ver- Luc. 2. 29.
bum tuum in pace. Pax enim nostra ex desiderio Conditoris inchoatur; ex manifesta autem visione perficitur. Plena quippe tunc erit, cum mens nostra, nec ignorantia cæcatur, nec carnis suæ impugnatione concutitur. Sed quia ejus exordia tan-
gimus, cum vel mentem Deo, vel carnem Job. 5. 24.
menti subjugamus, tabernaculum justi habere pacem dicitur; quia videlicet ejus corpus quod mente inhabitatur, a perversis desideriorum motibus, sub justitiæ dispositione refrenatur.

CAPUT XXVIII.

E *Reg. Pastoral. 3. p. cap. 24. admon. 23.*

PLERUMQUE enim gravius intentionem mentium rerum tranquillitas tentat; ut quo non sunt molesta quæ tenent, eo minus amabilia fiant quæ vocant: & quo delectant præsentia, eo non inquirantur æterna. Unde & per semetipsam Veritas loquens, cum terrenam pacem a superna distingueret, atque ad venturam discipulos ex præ-
senti provocaret, ait: *Pacem relinquo vobis, pacem* Johan. 14. 27.

meam

meam do vobis. Relinquo scilicet transitoriam, do mansuram. Si ergo in ea cor, quæ relicta est, figitur, numquam ad illam quæ danda est pervenitur. Pax igitur præsens ita tenenda est, ut & diligi debeat & contemni; ne si immoderate diligitur, diligentis animus in culpa capiatur. Unde etiam monendi sunt pacati, ne dum nimis humanam pacem desiderant, pravos hominum mores nequaquam redarguant; & consentiendo perversis ab auctoris sui se pace disjungant: ne dum humana foris jurgia metuunt, interni fœderis discissione feriantur. Quid enim pax transitoria, nisi quoddam vestigium pacis æternæ? Quid ergo esse dementius potest, quam vestigia in pulvere impressa diligere, sed ipsum a quo impressa sunt non amare? Hinc David dum totum se ad fœdera pacis æternæ constringeret, testatur quod cum malis concordiam non
Psal. 138.21. teneret, dicens: *Nonne qui te oderant, Deus, oderam illos, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos: inimici facti sunt mihi*. Inimicos etenim Dei perfecto odio odisse, est & quod facti sunt diligere, & quod faciunt increpare: mores pravorum premere, vitæ prodesse. Pensandum est igitur, quando ab increpatione quiescitur, quanta culpa cum pessimis pax tenetur, si Propheta tantus hoc velut in hostiam Deo obtulit, quod contra se pro Domino pravorum inimicitias excitavit.

CAPUT XXIX.

Homil. 39. in Evangel. num. 8.

UNUS autem in hominibus extitit, qui ante
Joan. 14.30. passionem suam libera voce dixit: *Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim Princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam*. Quia enim hunc mortalem hominem vidit, suum in illo mundi Princeps aliquando invenire posse credidit; sed sine ullo peccato a mundi corruptione exivit, qui sine peccato in mundum venit. Constat enim quia omnes qui de carnis delectatione nati sunt, in eorum proculdubio vel locutione, vel cogitatione, vel opere aliquid suum Princeps hujus mundi habeat: sed idcirco illos, vel post rapere, vel prius tenere non potuit, quia illos ille a debitis suis eripuit, qui pro nobis sine debito mortis debitum solvit: ut nos ideo sub jure hostis nostri debita nostra non teneant; quia pro nobis Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus gratuito reddidit quod non debuit. Quia enim pro nobis mortem carnis indebitam reddidit, nos a debita animæ morte liberavit. Ait ergo: *Venit enim Princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam*. Unde curandum nobis est, & cum magnis quotidie fletibus cogitandum, quam sævus, quam terribilis sua in nos opera requirens, in die nostri exitus Princeps hujus mundi veniat, si etiam ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid quæsivit in quo invenire nil potuit. Quid itaque nos miseri dicturi, quid acturi sumus, qui innumera mala commisimus? Quid requirenti adversario, & multa sua in nobis invenienti dicemus, nisi solum quod nobis est certum refugium, solida spes: quia unum cum illo facti sumus, in quo Princeps hujus mundi & suum aliquid requisivit, & invenire minime potuit? quoniam solus est inter mortuos liber, & a peccati jam servitio veraci libertate solvimur, quia ei qui vere liber est, unimur,

CAPUT XXX.

In exposit. B. Job, lib. 10. num. 7.

QUID hoc loco Dei lex accipi, nisi caritas debet, per quam semper in mente legitur præcepta vitæ qualiter in actione teneantur? De hac etenim lege Veritatis voce dicitur: *Hoc est præceptum* Joan. 15.12.
meum ut diligatis invicem. De hac Paulus ait: *Ple-* Rom. 13.10.
nitudo legis dilectio. De hac iterum dicit: *Invicem* Galat. 6.2.
onera vestra portate; & sic adimplebitis legem Christi. Lex enim Christi quid congruentius intelligi, quam caritas potest? quam tunc vere perficimus, cum fraterna onera ex amore toleramus.

CAPUT XXXI.

In exposit. B. Job, lib. 27. n. 28.

AMICUS veritatis est rectæ amator actionis. Unde & ipsa Veritas discipulis dicit: *Vos a-* Joan. 15.14.
mici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. Amicus quippe animi custos dicitur. Unde non immerito qui custodire voluntatem Dei in præceptis illius nititur, ejus amicus vocatur. Hinc est quod rursum eisdem Veritas dicit: *Vos autem dixi ami-* Ibid. v.15.
cos: quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.

CAPUT XXXII.

In exposit. B. Job, lib. 25. num. 28.

SCIENDUM quippe est quod peccatum tribus modis admittitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur. Et gravius quidem infirmitate quam ignorantia, sed multo gravius studio quam infirmitate peccatur. Ignorantia Paulus peccaverat, cum dicebat: *Qui prius*
fui blasphemus & persecutor, & contumeliosus, sed 1. Tim. 1.13.
misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in in-
credulitate. Petrus vero infirmitate peccavit, quan- Luc. 22.
do omne in eum robur fidei quod Domino perhibuit, una vox puellæ concussit, & Deum quem corde tenuit, voce denegavit. Sed quia infirmitatis culpa vel ignorantiæ eo facilius tergitur, quo non studio perpetratur, Paulus quæ ignoravit sciendo correxit, & Petrus motam, & quasi arescentem jam radicem fidei lacrymis rigando solidavit. Ex industria vero peccaverant hi de qui-
bus Magister dicebat: *Si non venissem, & locutus* Joan. 15.22.
fuissem eis; peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Et paulo post:
Et viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum. Vers. 24.
Aliud est enim bona non facere, aliud bonorum odisse doctorem: sicut aliud est præcipitatione, aliud deliberatione peccare. Sæpe enim præcipitatione peccatum committitur: quod tamen consilio, & deliberatione damnatur. Ex infirmitate enim plerumque solet accidere, amare bonum, sed implere non posse: ex studio vero peccare, est bonum nec facere, nec amare. Sicut ergo nonnumquam gravius est peccatum diligere quam perpetrare, ita nequius est odisse justitiam quam non fecisse.

CAPUT XXXIII.

In exposit. B. Job, lib. 8. num. 41.

SUIS dilectoribus Veritas dicit: *Si ego non abie-* Joan. 16.7.
ro,

ro, *Paraclitus non veniet*. Ac si aperte diceret: Si ab intentionis vestræ oculis corpus non subtraho, ad intellectum vos invisibilem per consolatorem Spiritum non perduco.

CAPUT XXXIV.

Dialog. lib. 2. cap. 38.

Ibidem. IPSA quoque Veritas ut fidem discipulis augeret, dixit: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*. Cum enim constet quia Paraclitus spiritus ex Patre semper procedat & Filio, cur se Filius recessurum dicit, ut ille veniat qui a Filio numquam recedit? Sed quia discipuli in carne Dominum cernentes, corporeis hic semper oculis videre sitiebant, recte eis dicitur: *Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet*. Ac si aperte diceretur: si corpus non subtraho, qui sit amor spiritus non ostendo, & nisi me desieritis corporaliter cernere, numquam me discetis spiritaliter amare.

CAPUT XXXV.

In exposit. B. Job, lib. 30. num. 17.

TUNC cælorum rationem Dominus narrat, cum semetipsum nobis quomodo electis spiritibus præsit insinuat. Tunc cælorum rationem narrat, cum detersa mentis nostræ caligine clara se visione manifestat. Unde & in Evangelio dicit: *Venite hora cum jam non in parabolis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis.* Palam quippe de Patre annuntiare se asserit, quia per patefactam tunc majestatis suæ speciem, & quomodo ipse gignenti non impar oriatur, & quomodo utriusque spiritus utrique coæternus procedat, ostendit. Aperte namque tunc videbimus quomodo hoc quod oriendo est, ei de quo oritur subsequens non est. Quomodo is qui per processionem producitur, a proferentibus non præitur. Aperte tunc videbimus quomodo & unum divisibiliter tria, & indivisibiliter tria unum. Lingua ergo tunc narrantis Dei, est visa claritas sublevantis. (Johan. 16. 25)

CAPUT XXXVI.

In exposit. B. Job, lib. 30. num. 49.

IN illa suscepti contemplatione gaudiorum, jam nullatenus indigent verba audire docentium: quia angustias vitæ præsentis evadentes, ultra a doctoribus prædicationem vitæ accipere non requirunt. Tunc quippe impletur quod scriptum est: *Non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens: Cognosce Dominum: Omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, dicit Dominus.* Tunc impletur quod in Evangelio veritas dicit: *Palam de Patre annuntiabo vobis*. Filius enim de Patre palam annuntiat, quia sicut & superius diximus, per hoc quod verbum est, ex natura nos divinitatis illustrat. Verba ergo tunc docentium quasi quosdam humanæ linguæ rivulos non quærunt, quando de ipso jam veritatis fonte debriantur. (Jerem. 31. 34.) (Johan. 16. 25)

CAPUT XXXVII.

In exposit. B. Job, lib. 26. num. 26.

HÆc locutus sum vobis ut in me pacem habeatis. *In mundo pressuram habebitis*. Ac si aperte diceret: Fiducia vos de me interius consolando reficiat: quia erit de mundo exterius quod sæviendo graviter premat. (Johan. 16. 33)

CAPUT XXXVIII.

In exposit. B. Job, lib. 8. num. 12.

VOCE autem Redemtoris dicitur: *Regnum meum non est de hoc mundo*. Omnes ergo qui spe cælestium præditi exercitio vitæ præsentis atterimur, in alieno laboramus. Nam sæpe & reprobis servire cogimur, & alieno quidem labore fatigamur. Sed tamen præmia nostra percipimus, & per hoc pervenimus ad propria, quod pure ministramus aliena. Quo contra quibusdam Veritas dicit: *Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabis vobis?* (Johan. 18. 36.) (Luc. 16. 12.)

CAPUT XXXIX.

Regul. Pastoral. 1. part. cap. 5.

PETRO Dominus ait: *Simon Joannis, amas me?* Qui cum se amare protinus respondisset, audivit: *Si diligis me, pasce oves meas*. Si ergo dilectionis testimonium cura pastionis; quisquis virtutibus pollens gregem Dei renuit pascere, Pastorem summum convincitur non amare. (Johan. 21. 16)

CAPUT XL.

In exposit. B. Job, lib. 31. num. 69. & 70.

SI prædicator fortis gloriam passionis appetit, si discrimen mortis subire pro Domino lætus quærit, quid est quod ipsi prædicatori qui ex robusto virtutem traxit in nomine, Petro veritas dicit: *Cum senueris extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo non vis?* Quomodo de passione gaudet, qui cinctus ab alio, ire quo ducitur non volet? Sed si pensamus qualiter animus, appropinquante passione & mortis metu quatitur, & tamen de venturo regni præmio lætatur: & intelligimus quomodo gloriosi certaminis subire periculum volens nolit, quia & in morte considerat quod tolerans paveat, & in fructu mortis aspicit quod appetens quærat. Videamus Paulum quomodo amet quod refugit, quomodo refugiat quod amat; ait enim: *Desiderium habens dissolvi, & cum Christo esse*. Et: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum*. Et tamen dicit: *Qui sumus in hoc habitaculo, ingemiscimus gravati & quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita*. Ecce & mori desiderat, & tamen carne exspoliari formidat. Cur hoc? quia etsi victoria in perpetuum lætificat, ipsa nihilominus ad præsens pœna perturbat. Et quamvis vincat amor subsequentis muneris, tangit tamen non sine mœrore animum pulsus doloris. Sicut enim vir fortis, cum vicino jam belli certamine armis accingitur, palpitat & festinat; tremit & sævit; quasi pavere per pallorem cernitur, sed per iram vehementer urgetur: ita vir sanctus cum passioni propinquare se conspicit, & naturæ suæ infirmitate concutitur, & spei suæ soliditate roboratur, & de vicina morte trepidat, & tamen quod moriendo verius vivat, exultat. Ad regnum quippe non potest nisi interposita morte transire, & idcirco & confidendo quasi ambigit, & quasi ambigendo confidit. Et gaudens metuit, & metuens gau- (Johan. 21. 18.) (Philip. 1. 23.) (2 Cor. 5. 4.)

gaudet: quia scit quod ad bravium quietus non A pervenit, nisi hoc quod inter, acet cum labore transcendat. Sic nos cum morbos a corpore repellere cupimus, tristes quidem amarum purgationis poculum sumimus. Certi autem de subsequenti salute gaudemus: quia enim pervenire corpus aliter ad salutem non valet, in potu libet etiam quod tædet.

LIBER QUINTUS.

Capitula sumta ex Libro Actuum Apostolorum.

1 4. *Et convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent*, j.
1 10. *Ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis*, ij. B
1 15. *Erat autem turba hominum simul fere centum viginti*, iij.
1 18. *Et hic quidem possedit agrum de mercede*, iv.
1 21 *Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt*, v.
2 22 *Et factus est repente de cælo sonus tamquam advenientis*, vj.
Idem, vij.
2 3. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis*, viij.
2 22. *Jesum Nazarenum virum approbatum*, ix.
2 24. *Solutis doloribus inferni*, x.
2 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*, xj. C
3 15. *Quem Deus suscitavit a mortuis*, xij.
5 29. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*, xiij.
8 20 *Pecunia tecum sit in perditionem*, xiv.
9 4 *Saule, Saule, quid me persequeris?* xv.
9 18. *Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tamquam squamæ*, xvj.
9 25 *Per murum dimiserunt eum*, xvij.
9 34 *Surge & sterne tibi*, xviij.
10 4 *Corneli, orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt*, xix.
10 13. *Surge, Petre, occide & manduca*, xx.
Idem, xxj.
10 26. *Surge, & ego ipse homo sum*, xxij.
16 3. *Et assumens circumcidit eum*, xxiij.
16 9. *Vir Macedo erat*. xxiv.
17 18. *Quid vult seminiverbius hic dicere?* xxv.
17 29. *Genus ergo cum simus Dei*, xxvj.
20 26. *Contestor vos hodierna die*, xxvij.
Idem, xxviii.
23 6. *Viri fratres, ego Pharisæus sum*, xxix.

EXPLANATIO PRÆCEDENTIUM CAPITULORUM.

CAPUT PRIMUM.

Homil. 29. in Evangel. num. 1.

AD insinuandam quoque veritatem Dominicæ Resurrectionis notandum nobis est quid Lucas referat dicens: *Convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent*. Et post pauca: *Videntibus* D *illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum*. Notate verba, signate mysteria: convescens elevatus est, comedit & ascendit, ut videlicet per effectum comestionis, veritas patesceret carnis.

Act. 1. 4.
Ibid. 1. 9. 10.

CAPUT II.

Homil: 29. in Evangel. num. 9.

QUÆRENDUM nobis est quidnam sit quod nato Domino apparuerunt Angeli, & tamen non leguntur in albis vestibus apparuisse: ascendente autem Domino missi Angeli in albis leguntur vestibus apparuisse. Sic etenim scri- E ptum est: *Videntibus illis elevatus est: & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis*. In albis autem vestibus gaudium & solemnitas mentis attenditur. Quid est quod nato Domino non in albis vestibus, ascendente autem Domino in albis vestibus apparent, nisi quod magna tunc solemnitas Angelis facta est, cum cælum Deus homo penetravit: quia nascente Domino videbatur divinitas humiliata, ascendente vero Domino est humanitas exaltata? Albæ etenim vestes exaltationi magis congruunt quam humiliationi. In assumtione ergo ejus Angeli in albis vestibus videri debuerunt, quia qui in nativitate sua apparuit Deus humilis, in ascensione sua ostensus est homo sublimis.

Ibid. 1. 9. 19.

CAPUT III.

In exposit. B. Job, lib. 35. num. 17.

PRopter septenarium numerum temporalia, octonarium æterna signantem, super centum viginti fideles in cœnaculo residentes Spiritus Sanctus effusus est. Per septem quippe & octo, quindecim computantur. Et si ab uno usque ad quindecim numerando paulatim per incrementa consurgimus, usque ad centesimum & vicesimum numerum pervenimus: quia scilicet effusione Sancti Spiritus didicerunt, ut & temporalia tolerando transirent, & æterna inhianter appeterent.

CAPUT IV.

In exposit. B. Job, lib. 9. num. 58.

MORE autem sacri eloquii per Petrum quoque de Juda dicitur: *Hic possedit agrum de mercede iniquitatis*. Neque enim emto pretio sanguinis, agrum figuli possidere Judas potuit, qui relatis triginta argenteis traditionis crimen criminosiori in se protinus morte multavit: sed possedit, dictum est, possideri fecit.

Act. 1. 18.

CAPUT V.

In exposit. B. Job, lib. 32. num. 27.

OMNE enim peccatum undenarium est, quia dum perverse agitur, præcepti Decalogum transit; & quia in cilicio peccatum plangitur,

hinc est quod in tabernaculo vela cilicina undecim A fiunt. Psal. 11. 1. Hinc per undecimum Psalmum dicitur: *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus*. Act. 1. 2. Hinc Petrus in undenario numero remanere Apostolos metuens, Matthiam duodecimum sorte missa requisivit. Nisi enim signari culpam per undenarium cerneret, implere Apostolorum numerum duodenario tam festine non curaret.

CAPUT VI.

In exposit. B. Job, lib. 28. num. 2.

Act. 2. QUOD enim de adventu sancti Spiritus scriptum est: *Factus est repente de cælo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis; & replevit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ quasi ignis: seditque supra singulos eorum*. Per ignem quidem Deus apparuit; sed per semetipsum locutionem interius fecit; & neque ignis Deus, neque ille sonitus fuit, sed per hoc quod exterius exhibuit, expressit hoc quod interius gessit. Quia enim discipulos & zelo succensos & verbo eruditos intus reddidit, foris linguas igneas ostendit. In significationem igitur admota sunt elementa, ut ignem & sonitum sentirent corpora; igne vero invisibili & voce sine sonitu docerentur corda. Foris ergo fuit ignis qui apparuit, sed intus qui scientiam dedit.

CAPUT VII.

In exposit. B. Job, lib. 5. num. 65.

QUID enim per vocem auræ lenis, nisi cognitio sancti Spiritus designatur, qui de Patre procedens, & ideo quod est Filii accipiens, nostræ tenuiter notitiæ infirmitatis infunditur? Qui tamen super Apostolos veniens per exteriorem sonum, tamquam per vehementem spiritum Act. 2. 2. demonstratur, cum dicitur: *Factusque est repente de cælo sonus, tamquam advenientis spiritus validi*. Spiritus cum se notitiæ humanæ infirmitatis insinuet, & sonitu vehementis spiritus, & voce auræ lenis exprimitur; quia videlicet veniens, & vehemens est & lenis. Lenis quia notitiam suam quatenus cognosci utcumque valeat, nostris sensibus temperat: vehemens, quia quantumlibet hanc temperat, adventu tamen suo infirmitatis nostræ cæcitatem illuminando perturbat. Illustratione enim sua nos leniter tangit, sed inopiam nostram inaniter concutit.

CAPUT VIII.

In exposit. B. Job, lib. 27. num. 34.

POTEST autem per os Dei Unigenitus filius designari: qui sicut brachium ejus dicitur, quia per eum cuncta Pater operatur; ita etiam os Isa. 58. 14. dicitur de quo Propheta ait: *Os enim Domini locutum est*. Per quem nobis omnia loquitur: ac si oris nomine patenter diceretur verbum. Sicut nos quoque pro verbis, linguam dicere solemus: ut cum Græcam vel Latinam linguam dicimus, Latina vel Græca verba monstramus. Os ergo Domini non immerito ipsum verbum accipimus. Unde & ei Sponsa in Canticis canticorum dicit: *Osculetur me* Cant. 1. 1. *osculo oris sui*. Ac si dicat: Tangat me dulcedine & præsentia unigeniti filii Redemtoris mei. Per sonum vero oris potest ejusdem Domini Spiritus sanctus designari. Unde & alias in ejusdem Spiritus significatione scriptum est: Act. 2. 2. *Factus est repente de cælo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis*. Sonus igitur de ore Domini procedit, cum consubstantialis ejus spiritus ad nos per filium veniens surditatem nostræ insensibilitatis rumpit: sicut de eodem sono incircumscripto & incorporeo os Domini loquitur, dicens: *De meo accipiet, & annuntiabit vobis*. Johan. 16. 15

CAPUT IX.

Homil. 32. in Evang. num. 4. 5. & seq.

B SPIRITUS sanctus super discipulos in igneis linguis apparuit; omniumque linguarum scientiam dedit. Quid scilicet hoc miraculo designatur, nisi quod sancta Ecclesia eodem spiritu repleta, omnium Gentium erat voce locutura? Qui vero contra Deum turrem ædificare conati sunt, communionem unius linguæ perdiderunt: in his autem qui Deum humiliter metuebant, linguæ omnes unitæ sunt. Hic ergo humilitas virtutem meruit, illic superbia confusionem. Sed quærendum nobis est cur Spiritus sanctus Patri & Filio coæternus in igne apparuit, cur in igne simul & linguis, cur aliquando in columba, aliquando vero in igne monstratur, cur super unigenitum Filium apparuit in columbæ specie, & super discipulos in C igne: itaut neque super Dominum veniret in igne, neque super discipulos monstraretur in columba. Per quatuor itaque hæc quæ proposuimus solvendo redeamus. Patri namque & Filio coæternus Spiritus in igne monstratur, quia incorporeus & ineffabilis, atque invisibilis ignis est Deus, attestante Paulo: *Deus noster ignis consumens est*. Deus Hebr. 12. 29. quippe ignis dicitur, quia per hunc peccatorum rubigo consumitur. De hoc igne Veritas dicit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut* Luc. 12. 49. *ardeat?* Terra enim vocata sunt corda terrena, quæ dum semper infimas in se cogitationes egerunt, a malignis spiritibus conculcantur; sed ignem in terram Dominus mittit, cum afflatu sancti Spiritus cor carnalium incendit: & terra ardet, cum D cor carnale in suis prius voluptatibus frigidum, relinquit concupiscentias præsentis seculi, & incenditur ad amorem Dei. Bene ergo in igne apparuit Spiritus, quia ab omni corde quod replet, torporem frigoris excutit, & hoc in desiderio suæ æternitatis accendit. In igneis autem linguis monstratus est, quia idem Spiritus coæternus est Filio, & habet cognationem maximam lingua cum Verbo. Verbum quippe Patris est Filius, & quia Spiritus una est & Verbi substantia, idem Spiritus monstrari debuit in lingua. Vel certe, quia per linguam procedit Verbum, in linguis apparuit Spiritus, quia quisquis sancto Spiritu tangitur, Dei Verbum, id est unigenitum Filium confitetur. Et negare Verbum Dei non valet, qui jam sancti Spiritus linguam habet. Vel certe in igneis linguis E apparuit Spiritus, quia omnes quos repleverit, ardentes pariter & loquentes facit. Linguas igneas doctores habent, quia dum Deum amando prædicant, corda audientium inflammant: nam otiosus sermo docentis est, si præbere non valet incendium amoris. Hoc doctrinæ incendium ab ipso Veritatis ore conceperant, qui dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur in* Luc. 24. 32. *via, & aperiret nobis Scripturas?* Ex audito quippe sermone inardescit animus, torporis frigus re-

ce-

cedit, fit mens in superno desiderio anxia, a concupiscentiis terrenis aliena. Amor verus qui hanc repleverit, in fletibus cruciat: sed dum tali ardore cruciatur, ipsis suis cruciatibus pascitur. Audire ei libet præcepta cælestia; & quot mandatis instruitur, quasi tot facibus inflammatur; & quæ torpebat prius per desideria, ardet postmodum per verba. Unde bene & per Moysen dicitur: *In dextera ejus ignea lex*. Sinistra quippe reprobi, qui ad sinistram ponendi sunt; dextera autem Dei appellantur electi. In dextera autem Dei ignea lex est, quia electi mandata cælestia nequaquam frigido corde audiunt, sed ad hæc amoris intimi facibus inardescunt. Sermo ad aurem ducitur, & mens eorum sibimet irata ex internæ dilectionis flamma concrematur. In columba vero sanctus Spiritus & in igne monstratus est, quia omnes quos repleverit, simplices & ardentes facit: simplices puritate, ardentes æmulatione. Neque etenim placet Deo aut simplicitas sine zelo, aut zelus sine simplicitate. Hinc ipsa Veritas dicit: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*. Qua in re notandum est quod discipulos suos nec de columba sine serpente, nec de serpente sine columba voluit Dominus admonere: quatenus & columbæ simplicitatem, astutia serpentis accenderet, & serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret. Hinc Paulus ait: *Nolite pueri effici sensibus*. Ecce astutiam serpentis audivimus; nunc de simplicitate columbæ moneamus: *Sed malitia parvuli estote*. Inde de beato Job dicitur: *Erat vir simplex & rectus*. Quæ est autem rectitudo sine simplicitate, aut quæ est simplicitas sine rectitudine? Quia ergo & rectitudinem docet iste spiritus & simplicitatem, & in igne monstrari debuit & in columba, quatenus omne cor quod ejus gratia tangitur, & mansuetudinis lenitate tranquillum, & zelo justitiæ accensum fiat. * Ad extremum vero quærendum est, cur in ipso Redemtore nostro Mediatore Dei & hominum per columbam apparuit, in discipulis vero per ignem. Certe unigenitus Filius judex est generis humani; sed quis ejus justitiam ferret, si priusquam nos per mansuetudinem colligeret, culpas nostras per zelum rectitudinis examinare voluisset? Homo ergo pro hominibus factus, mitem se hominibus præbuit. Noluit peccatores ferire, sed colligere; prius voluit mansuete colligere, ut haberet quos postmodum in judicio salvaret. In columba ergo apparere super eum debuit Spiritus, qui non veniebat ut peccata jam per zelum percuteret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret. At contra super discipulos in igne debuit Spiritus sanctus demonstrari, ut hi qui erant simpliciter homines atque ideo peccatores, eos contra semetipsos spiritalis fervor accenderet, & peccata quæ Deus per mansuetudinem parceret, ipsi in se per pœnitentiam punirent: neque ipsi quippe esse poterant sine peccato, qui adhærebant cælesti magisterio, Johanne attestante, qui ait: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est*. In igne ergo in hominibus, in columba vero apparuit in Domino, quia peccata nostra quæ pie Dominus per mansuetudinem tolerat, nos per zelum rectitudinis debemus caute conspicere, & ardore semper pœnitentiæ cremare. Igitur per columbam Spiritus in Redemtore monstratus est, per ignem vero in hominibus: quia quanto nobis nostri judicis facta est severitas temperata, tanto erga se debet fieri nostra infirmitas accensa.

Deut. 33.2. — Matt. 10.16. — 1. Cor. 14. 20. — Ibidem. — Job 1.1. — * Num. 6. — 1. Johan 1.8.

CAPUT X.

Regul. Pastoral. tert. part. admonit. 35.

AD Jeremiam missum ad prædicationem dicitur: *Ecce constitui te hodie super Gentes & super regna, ut evellas & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices & plantes*. Quia nisi prius perversa destrueret, ædificare utiliter recta non posset: nisi ab auditorum suorum cordibus spinas vani amoris evelleret, nimirum frustra in eis sanctæ prædicationis verba plantaret. Hinc est quod Petrus prius evertit ut postmodum construeret; cum nequaquam Judæos monebat quid jam facerent, sed de his quæ fecerant increpabat, dicens: *Jesum Nazarenum virum approbatum a Deo in vobis virtutibus, & prodigiis, & signis quæ fecit per illum Deus in medio vestri sicut vos scitis. Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis; quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni*. Ut videlicet crudelitatis suæ cognitione destructi, ædificationem sanctæ prædicationis quanto anxie quærerent, tanto utiliter audirent. Unde illico responderunt: *Quid ergo faciemus, viri fratres?* Quibus mox dicitur: *Agite pœnitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum*. Quæ ædificationis verba profecto contemnerent, nisi prius salubriter ruinam suæ destructionis invenissent.

Jerem. 1. 10. — Act. 2. 22. &c.

CAPUT XI.

In exposit. B. Job, lib. 29. num. 24.

VIGILANTI vero est cura pensandum quod in novissima abyssi deambulasse se perhibet: deambulare quippe non constricti, sed liberi est. Quem enim vincula adstringunt, ejus nihilominus gressus impediunt. Quia igitur Dominus nulla peccati vincula pertulit, in inferno deambulavit: liber quippe ad ligatos venit. Unde scriptum est: *Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber*. In novissimis ergo abyssi Domino deambulare, est in lacum damnationis nil suæ retentionis invenire, attestante Petro, qui ait: *Solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*.

Job 38. 16. — Psal. 87. 5. — Act. 2. 24.

CAPUT XII.

Regul. Pastoral. tert. part. admonit. 31.

PETRUS cum quosdam territos malorum suorum consideratione conspiceret, admonuit dicens: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*. Dicturus enim baptisma, præmisit pœnitentiæ lamenta: ut prius se aqua suæ afflictionis infunderent, & postmodum sacramenta baptismatis lavarent. Qua igitur mente qui transactas culpas flere negligunt, vivunt securi de venia, quando ipse summus Pastor Ecclesiæ huic etiam sacramento addendam pœnitentiam credidit, quod peccata principaliter extinguit?

Act. 2. 38.

CAPUT XIII.

In exposit. B. Job, lib. 28. num. 27.

ECCE aliquis, vel damna rerum, vel afflictionem corporis metuens, minas terrenæ potentiæ

tiæ pertimescit, & contra vim resistentium veritatem defendere non præsumit. Hunc Petrus quia in timore angustum respicit, ostensa exemplorum suorum linea ad virtutis latitudinem tendit. Ipse quippe flagellatus a Principibus populi, cum idcirco se relaxari conspiceret, ut a prædicatione cessaret; cum prohiberetur loqui in posterum, nequaquam saltem in præsens cessit. Nam

Act. 4. 19. respondit protinus, dicens: *Obedire oportet Deo, magis quam hominibus*; & rursum: *Non enim possumus quæ vidimus & audivimus, non loqui*. At ille dudum debilis & præsentia damna formidans, dum exempla tantæ fortitudinis contemplatur in auctoritate verbi, jam Petri lineam sequitur; jam nil adversitatis metuit; jam resistentes Deo potestates seculi, etiam cum corporis laceratione con-B temnit. Sed tamen quanto vires persequentium patiendo fortiter destruit, quanto inter adversa nullis terroribus cedit, tanto plerumque & in his etiam quæ inter fideles positus senserit, se ceteris præponit; sua magis consilia eligit, & sibi potius quam aliis credit. Hic nimirum dum in-

** al. obeditionibus.* justis * objectionibus non cedens, in virtute se exerit; etiam recta aliorum consilia non recipiens, pedem extra limitem tendit. Hunc Petrus intra mensuræ lineam revocat, qui postquam libertate vocis auctoritatem principum pressit, per humilitatem cordis de non circumcidendis Gentibus Pauli consilium audivit. Sic enim semetipsum contra adversarios ex auctoritate curabat exigere, ut tamen sibimetipsi non crederet in his quæ non C recte sentiret; ut & libertate fortitudinis tumentes potestates excederet, & humilitate mansuetudinis obedientiam in recto consilio etiam minoribus fratribus exhiberet: & modò per semetipsum aliis, modo & sibimetipsi cum aliis obviaret. In factis igitur Petri quædam ante oculos nostros auctoritatis & humilitatis linea tenditur, ne mens nostra, aut per timorem ad mensuram non perveniat, aut per tumorem limitem excedat.

CAPUT XIV.

In exposit. B. Job, lib. 12. num. 14.

QUIA enim Deus Trinitas est, extinctam carnem unigeniti Filii sancta Trinitas, id est Pater, & idem Filius, & Spiritus sanctus resuscitavit.

CAPUT XV.

In exposit. B. Job, lib. 4. num. 2.

CUM ergo sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, sed ex justitiæ examine erumpunt. Intus enim subtile judicium Dei aspiciunt, & mala foras exurgentia quo maledicto debeant feriri cognoscunt; & eo in maledicto non peccant, quo ab interno judicio non discordant. Hinc est quod Pe-

Act. 8. 20. trus in offerentem sibi pecunias Simonem, sententiam maledictionis intorsit, dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*. Quia enim non ait, est, sed sit, non indicativo, sed optativo modo se dixisse signavit. Hinc Elias duobus quinquagenariis

4. Reg. 1. 10. ad se venientibus dixit: *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo & consumat vos*. Quorum utrorumque sententiæ quanta ratione veritatis convaluit, terminus causæ monstravit. Nam & Simon

A æterna perditione interiit, & duos quinquagenarios desuper veniens flamma consumsit. Virtus ergo subsequens testificatur qua mente maledictionis sententia promitur, cum enim & maledicentis innocentia permanet, & tamen eum qui maledicitur usque ad interitum maledictio absorbet, ex utriusque partis fine colligitur, quia ab uno & intimo judice in reum sententia sumta jaculatur.

CAPUT XVI.

In exposit. B. Job, lib. 3. num. 25.

B SI enim caput nostrum tormenta nostra non tangerent, nequaquam afflictis membris persecutori suo etiam de cælo clamaret: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Si cruciatus nostri *Act. 9. 4.* ejus pœnæ non essent, conversus afflictusque Paulus minime diceret: *Suppleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea*. Et tamen per resurrectionem jam sui capitis exaltatus dicens: *Qui nos conresuscitavit, & consedere fecit in cælestibus*. *Ephes. 2. 6.* Nempe hunc in terra persecutionum tormenta constrinxerant: sed pœnarum suarum ponderibus pressus, ecce jam per gloriam capitis in cælo residebat.

CAPUT XVII.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 51.

FERTUR quia draconis corpus squamis tegitur, ne citius jaculatione penetretur: ita corpus omne diaboli, id est multitudo reproborum, cum de iniquitate sua corripitur, quibus valet tergiversationibus se excusare conatur: & quasi quasdam defensionis squamas objicit, ne transfigi sagitta veritatis possit. Quisquis enim dum corripitur, peccatum suum magis excusare appetit quam deflere, quasi squamis tegitur, dum a sanctis prædicatoribus gladio verbi jaculatur: squamas habet, & ideirco ad ejus præcordia transeundi viam verbi sagitta non habet; duritia enim carnali repellitur, ne spiritalis ejus gladius infigatur. Car-D nali sapientia contra Deum Saulus obduruerat, quando cor ejus nulla prædicationis Evangelicæ sagitta penetrabat. Sed postquam forti cælitus increpatione jaculatus & superno respectu cæcatus est, (lumen quippe ut acciperet, amisit) ad Ananiam veniens illuminatur; in qua illuminatione quia defensionum suarum duritia caruit, bene de eo scriptum est: *Ceciderunt quasi squamæ ab oculis ejus*. *Act. 9. 18.* Carnalis videlicet integumenti illum duritia presserat; & ideirco radios veri luminis non videbat. Sed postquam superbæ repugnationes ejus victæ sunt, defensionum squamæ ceciderunt: quæ quidem sub Ananiæ manibus ab oculis ceciderunt corporis, sed ante jam sub dominica increpatione ceciderunt ab oculis cordis. Cum enim altæ E invectionis jaculo confossus jaceret, humili jam & penetrando corde requirebat, dicens: *Domine, quid me vis facere?* *Act. 9. 6.* Repulsis videlicet squamis jam ad cordis viscera veritatis sagitta pervenerat, quando deposita elatione superbiæ, eum quem impugnaverat, Dominum confitens, & quid ageret nesciens requirebat. Intueri libet ubi est sævus ille persecutor? ubi lupus rapax? Ecce in ovem jam versus est qui percunctatur Pastoris semitam quam sequatur. Et notandum quod, cum diceret: *Quis es, Domine?* Non ei a Domino res- *Ibid. v. 5.*

pon-

ponderet: Ego sum Unigenitus Patris, ego Principium, ego Verbum ante secula. Quia enim Saulus incarnatum Dominum credere contemnebat, & ejus humanitatis infirma despexerat, de cælo hoc quod contemserat, audivit: *Ego sum Jesus Nazarenus quem tu persequeris.* [Vers. 8.] Ac si diceret: Hoc a me audi de superioribus, quod in me de inferioribus despicis. Auctorem cæli venisse desperas in terram. Ex terra ergo hominem cognosce de cælo: ut tanto in me amplius sacramenta infirmitatis metuas, quanto & per hæc perducta in cælestibus ad excellentiam potestatis probas. Prosternens igitur te nequaquam tibi hoc adstruas quod ante secula Deus sum, sed illud a me audis, quod de me credere dedignaris. Postquam enim dixit, *Jesus*, adhue in expressione terrenæ inhabitationis subdidit, *Nazarenus*. Velut si apertius diceretur: Humilitatis meæ infirma suscipe, & tuæ superbiæ squamas amitte.

CAPUT XVIII.

In exposit. B. Job, lib. 31. n. 56. 57. 58.

QUIA ergo vir sanctus pravis ac male agentibus sese etiam cum non quæritur opponit, recte de equo Dei dicitur: *In occursum pergit armatus.* [Job 39. 21.] Intueri libet illum sessoris sui calcaribus excitatum contra armatos hostes quantus Paulum zeli fervor accenderat, quando eum ad irrumpendas Ephesi theatri turbas zeli flamma rapiebat; scriptum quippe est: *Repleti sunt ira. & exclamaverunt, dicentes: Magna Diana Ephesiorum; & impleta est civitas confusione; & impetum fecerunt uno animo in theatrum rapto Gajo & Aristarcho Macedonibus comitibus Pauli.* [Act. 19. 28.] Atque mox subditur: *Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli; quidam autem & de Asiæ principibus qui erant amici ejus, miserunt ad eum, rogantes ne se daret in theatrum.* In quibus profecto verbis agnoscimus, quo impetu contra cuneus adversantes irrueret, nisi eum per amicos & discipulos caritatis frena tenuissent. Sed si obviare hostibus, si ultro pugnam petere, si nosmetipsos semper reliquere in cursu nostri fervoris debemus; quid est quod idem prædicator egregius de semetipso fatetur, dicens: *Damasci præpositus Gentis Aretæ Regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet; & per fenestram in sporta dimissus sum per murum: & effugi manus ejus.* [2. Cor. 11. 32.] Quid est quod equus iste modo sponte armatorum cuneos impetit, & modo se ab armatis hostibus, quasi trepidus abscondit; nisi hoc quod necesse est ut in ejus artificiosa virtute discamus adversariorum pugnam, & constanter aliquando appetere, & prudenter aliquando declinare? Necesse est quippe ut per omne quod agimus, in mentis trutina positum, hinc pondus, illinc fructum nostri laboris æstimemus; & cum pondus fructum superat, laborem quisque innoxie declinat; dummodo se in aliis exerceat, in quibus lucro fructuum pondus laboris vincat. Cum vero subsequenti qualitate fructuum, laboris mensura aut æquatur, aut vincitur, labor non sine gravi culpa declinatur. Unde prædicator sanctus cum Damasci valde obstinatas mentes persequentium cerneret, eorum noluit adversitati confligere, quia & semetipsum quem profuturum multis noverat, vidit posse deficere, & aut nullis se illic, aut paucis prodesse. Secessum ergo a certamine petiit, & pugnaturum felicius ad alia se bella servavit; non enim loco virtus, sed locus virtuti defuit: & idcirco fortissimus miles ab angustia obsidionis, certaminis campum quæsivit. Ubi autem subjuganda Regi proprio multa adversariorum colla conspexit, subire bellum, vel cum morte non timuit, sicut ipse cum Jerosolymam pergeret, eumque discipuli, passione illius per prophetiam præscita prohiberent, sibimetipsi attestatur, dicens: *Ego enim non solum alligari, sed & mori paratus sum pro nomine Domini Jesu, neque enim facio animam meam pretiosiorem quam me.* [Act. 21. 13 & 20. 24.] Qui igitur hic hostiles cuneos etiam præscita passione sua imperterritus petiit, illic de dispensatione fuisse edocuit, non de timore quod fugit.

CAPUT XIX.

In exposit. B. Job, lib. 23. num. 46.

PER lectum vel stratum repausatio in bonis operibus designatur. Unde in Apostolorum Actibus Petrus Apostolus dicit: *Ænea, sanat te Dominus Jesus Christus, surge & sterne tibi.* [Act. 9. 34.] Quid est dicere, *Surge*, nisi mala quæ perpetrasti derelinque? Et quid est dicere, *sterne tibi*, nisi mercedis causas in quibus requiescere debeas operare, ut & deserat surgendo quod fecit, & inveniat sternendo quod fecerit. Quod utrumque Propheta breviter comprehendit, dicens: *Declina a malo, & fac bonum.* [Psal. 36. 27.] Declinare quippe a malo, est ab eo quo jacuit surgere. Bonum vero facere, est mercedis opera in quibus requiescere debeat, præparare. Qui enim declinat mala, sed bona adhuc non facit, surrexit quidem ab eo quod jacuit, sed ubi requiescere debeat, necdum stravit.

CAPUT XX.

In exposit. Ezech. lib. 2. hom. 7. n. 9.

PRIUS ad fidem venimus, & postmodum per spiritalium donorum gradus cælestis vitæ aditum intramus. Non enim virtutibus venitur ad fidem, sed per fidem pertingitur ad virtutes: Cornelius enim Centurio cujus eleemosynæ ante baptismum, Angelo teste, laudatæ sunt, non operibus venit ad fidem, sed fide venit ad opera: Nam ei per Angelum dicitur: *Orationes tua & eleemosynæ ascenderunt in conspectu Dei.* [Act. 10. 4.] Si enim Deo vero & ante baptismum non crediderat, quem orabat? vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat, si non ab ipso se in bonis perfici petebat? Sciebat igitur Creatorem omnium esse Deum, sed quia ejus omnipotens Filius incarnatus esset ignorabat, neque enim poterat bona agere, nisi credidisset; scriptum namque est: *Sine fide impossibile est placere Deo.* [Hebr. 11. 6.] Fidem ergo habuit cujus orationes & eleemosynæ placere potuerant: bona autem actione promeruit, ut Deum perfecte cognosceret, & incarnationis ejus mysterium crederet: quatenus ad sacramenta baptismatis perveniret: Per fidem ergo venit ad operationem, sed per opera est solidatus in fidem.

CAPUT XXI.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 15.

MAXILLA quippe Ecclesiæ sancti prædicatores sunt, sicut sub Judææ specie per Jeremiam di-

Thren. 1.2. dicitur: *Plorans, ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus*: quia in adversitate Ecclesiæ illi amplius plangunt, qui vitam carnalium confringere prædicando noverunt. Per ipsos quippe sancta Ecclesia iniquos a vitiis conterit, & quasi glutiens in sua membra convertit. Unde ipsi quoque primo prædicatori, velut maxillæ Ecclesiæ, dicitur: *Occide & manduca*. Act. 10.13. Judic. 15. Hinc est etiam quod Samson maxillam asini tenuit, & hostes premit: quia Redemtor noster simplicitatem atque patientiam prædicantium suæ manu virtutis tenens, a vitiis suis carnales interfecit, & maxilla in terram projecta postmodum aquas fudit; quia data morti prædicatorum corpora, magna populis monstravere miracula.

CAPUT XXII.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 56.

Act. 10.13. MActa *&* manduca. Quod mactatur, a vita occiditur; id vero quod comeditur, in comedentis corpore commutatur. Macta ergo & manduca dicitur, id est a peccato eos in quo vivunt, interfice, & a seipsis in tua illos membra converte.

CAPUT XXIII.

In exposit. B. Job, lib. 22. num. 24.

PRimus Pastor Ecclesiæ, cum adorante se Cornelio super se sibi honorem videret oblatum, ad æqualitatem conditionis suæ citius recurrit, Act. 10.26. dicens: *Surge, & ego ipse homo sum.* Quis enim nesciat quod Conditori suo homo debeat, & non homini prosterni? quia ergo humiliari sibi plusquam debuit, proximum vidit, ne ultra humanitatis metas mens intumesceret, esse se hominem recognovit, quatenus illati sibi honoris elationem frangeret ex considerata æqualitate conditionis. Hinc a Johanne Angelus adoratus, creaturam se esse cognoscit, dicens: Apoc. 19.10. *Vide ne feceris; conservus tuus sum, & fratrum tuorum.* Hinc Propheta cum ad videnda sublimia rapitur, filius hominis vocatur; ut ductus ad cœlestia, hominem se esse meminerit. Ac si eum divina vox verbis apertioribus admoneat, dicens: Memento quid sis, ne de his ad quæ raperis extollaris, sed altitudinem revelationis temperet memoria conditionis.

CAPUT XXIV.

In exposit. B. Job, lib. 28. num. 28. & 29.

SI pro nostris bonis minimis, quibus actis proficimus, nec tamen intermissis interimus, majora laborum mala proximis imminent; necessario nos virtutum augmenta seponimus, ne inferioribus proximis fidei detrimenta generemus; ne tanto jam quod agimus virtus non sit, quanto per occasionem sui in alienis cordibus fundamenta virtutum destruit. Quam discretionis lineam bene ante intuentium oculos Paulus tendit, qui & Gentiles ad libertatem fidei venientes circumcidi prohibuit; & tamen Lystris, atque Iconium transiens, ipse Act. 15. & 16. Timotheum qui Gentili patre editus fuerat, circumcidit. Videns enim quod nisi se mandata litteræ servare ostenderet, Judæorum rabiem etiam in his qui sibi tunc comites aderant, excitaret, assertionis suæ vim proposuit, & sine damno fidei se suosque a persecutionis immanitate custodivit; fecit quod fieri fidei amore prohibuit, sed ad fidei retorsit ministerium, quod quasi non fideliter fecit. Plerumque enim virtus, cum indiscrete tenetur, amittitur, cumque discrete intermittitur, plus tenetur. Nec mirum si in incorporeis intelligimus, quod agi & in corporeis rebus videmus. Ex studio namque arcus distenditur, ut in suo tempore cum utilitate tendatur; qui si otium relaxationis non accipit, feriendi virtutem ipso usu tensionis perdit; sic aliquando in exercitatione virtus, cum per discretionem prætermittitur, reservatur; ut tanto post vitia valenter feriat, quanto a persecutione interim prudenter cessat.

CAPUT XXV.

In exposit. Ezech. lib. 2. hom. 1. n. 12.

FUniculum & mensuræ calamum in manu sua Redemtor noster tenuit, cum Paulum Apostolum per apparentem virum Macedonem admonere dignatus est; ita ut idem Macedo vir diceret: *Transiens, adjuva nos.* Et tamen volentes Apostolos Act. 16. ad prædicandum ire in Asiam non permisit Spiritus Jesu. Quid est quod sancti Apostoli, & ibi vocantur ire, ubi fortasse pergere non cogitabant, & illuc ubi pergere desiderabant, ire prohibentur, nisi quia occulti judicii funiculus & mensuræ calamus tenetur in manu: ut & alii verba vitæ audiant, & alii nullatenus audire mereantur. Funiculus ergo mensuræ est qui alio tractus est, aliunde retractus.

CAPUT XXVI.

Regul. Pastoral. 2. part. cap. 4.

IN mente quippe audientium semen secuturæ cogitationis est auditæ qualitas locutionis; quia dum per aurem sermo concipitur, cogitatio in mente generatur. Unde ab hujus mundi sapientibus prædicator egregius seminiverbius est Act. 17. vocatus.

CAPUT XXVII.

In exposit. B. Job, lib 20. num. 41.

GEnus igitur cum simus Dei, non debemus æstimare Act. 17.29. auro & argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationi hominis divinum esse simile. Genus videlicet Dei dicimur, non ex ejus natura editi, sed per spiritum illius & voluntatem conditi, & adoptive recreati. Tanto igitur ad hanc nobilitatem quisque erigitur, quanto per acceptam imaginem ad similitudinem illius ex imitatione renovatur.

CAPUT XXVIII.

In exposit. Ezechiel. lib. 1. hom. 11. n. 9. & 10.

O! Quam liber a commissorum sibi sanguine fuerat prædicator egregius qui dicebat: *Mundus* Act. 20.26. *sum a sanguine omnium; non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Si enim non annuntiasset, mundus a sanguine non esset; quibus omne consilium annuntiare studuit, ab eorum sanguine mundus fuit. In qua voce nos convenimur, nos constringimur, nos rei esse ostendimur, qui Sacerdotes vocamur; qui super ea mala quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus; quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi, & tacentes videmus. Cum vero

Ezech.3.18. ro dicitur: *Sanguinem autem ejus de manu tua requiram:* si hoc in loco sanguinis nomine mors corporis designatur, valde nobis de nostro silentio augetur metus: quia si in subjectis suis is qui prælatus ad speculandum est, etiam de morte corporis quandoque morituri, tam graviter reus tenetur, quo reatu de morte animæ subjectorum constringitur, quæ potuisset semper vivere si verba correptionis audisset? Sed melius possunt sanguinis nomine peccata signari. Unde quidam cum peccata carnis defleret, dixit: Psal.50.16. *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ.* Sanguis ergo morientis de manu speculatoris requiritur, quia peccatum subditi, culpæ præpositi, si tacuerit, reputatur. Est ergo quod faciat ut etiam moriente subdito se liberum reddat. Surgat, invigilet, Prov.6.3. malis actibus contradicat, sicut scriptum est: *Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.*

CAPUT XXIX.

Regul. Pastoral. 3. part. admon. 26.

PAULUS ex eo se a proximorum sanguine mundum credidit, quod feriendo eorum vi- A tiis non pepercit, dicens: *Contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium: non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Act.20.26.

CAPUT XXX.

Regul. Pastoral. 3. part. admon. 24.

QUI ergo iniquos pace sociat, iniquitati vires administrat, quia bonos deterius deprimunt quos & unanimiter persequuntur. B Unde & prædicator egregius gravi Pharisæorum Sadducæorumque persecutione deprehensus, inter semetipsos dividere studuit quos contra se unitos graviter vidit, cum clamavit, dicens: *Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum; de spe & resurrectione mortuorum ego judicor.* Act.23.6. Dumque Sadducæi spem resurrectionemque mortuorum esse denegarent, quam Pharisæi juxta sacri eloquii præcepta crederent, facta in persecutorum unanimitate dissensio est, & divisa turba illæsus Paulus exiit, quæ hunc unita prius immaniter C pressit.

LIBER SEXTUS.

Capitula sumta ex Epistola S. Jacobi, & ex aliis Epistolis Catholicis.

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 2. num. 38.

Jacob.1.17. PEr Jacobum dicitur: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Ipsa enim mutabilitas umbra est, quæ divinam obumbraret lucem, si hanc per aliquas vicissitudines permutaret; sed quia Deo mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra vicissitudinis intercidit.

CAPUT II.

In exposit. B. Job, lib. 32. num. 9.

GRAVIS perfidiæ error admittitur, si fortasse quis timet quod in illa divinitatis substantia furore tranquillitas varietur. Creator namque omnium eo summæ immortalitatis est, quo creaturæ more mutabilis non est. Hinc de illo Jac.1.17. per Jacobum dicitur: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

CAPUT III.

In exposit. B. Job, lib. 25, num. 9.

OMnis namque mutatio velut quædam mortis imitatio est: id enim quod mutat, quasi ab eo quod erat interficit, ut desinat esse quod fuit, & incipiat esse quod non fuit. Lumen igitur verum, Creator videlicet noster, quia nulla mutabilitatis vicissitudine tenebrescit, nullis naturæ suæ defectibus obumbratur; sed ejus esse sine mutabilitate fulgere est, tenebræ vel umbra mortis dicitur ei non esse. Unde alias scriptum est: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio;* & unde rursum Paulus Apostolus dicit: *Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem.* Sed cum cuncti noverimus quod & humana anima, & angelici spiritus sint immortales instituti, cur ab Apostolo solus Deus immortalitatem habere perhibetur; nisi quia solus vere non moritur, qui solus numquam mutatur?

CAPUT IV.

D

In exposit. B. Job, lib. 7. num. 58.

QUia autem multiloquio quisquis serviens rectitudinem justitiæ tenere non possit, testatur Propheta, qui ait: *Vir linguosus non dirigetur super terram;* Psal.139.12. hinc Salomon iterum dicit: *In multiloquio peccatum non deerit;* Prov.10.19. hinc Isaias ait: *Cultus justitiæ silentium.* Isa.32.17. Videlicet indicans, quia mentis justitia desolatur, quando ab immoderata locutione non parcitur. Hinc Jacobus dicit: *Si quis putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.* Jac.1.26. Hinc rursum ait: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Ibid.v.19. Hinc iterum adjungit: *Lingua inquietum* Ibid.3.8. E *malum, plena veneno mortifero.*

CAPUT V.

In exposit. B. Job, lib. 32. num. 27.

IRa viri justitiam Dei non operatur. Jac.1.2. Quia dum perturbata mens judicium suæ rationis exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat.

CAPUT VI.

In exposit. B. Job, lib. 19. num. 32, 33.

VEstimento utique cum vestimur, ex omni parte circumdamur. Ille ergo justitia sicut vestimento vestitur, qui se undique bono opere protegit, & nullam partem actionis suæ peccato nudam relinquit. Nam qui in aliis actionibus justus est, in aliis injustus; quasi hoc latus cooperuit, illud nudavit, nec jam bona sunt opera quæ subortis aliis pravis operibus inquinantur. Hinc enim per Salomonem dicitur: *Qui in uno offenderit, multa bona perdet.* Hinc Jacobus dicit: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Quam videlicet sententiam suam ipse diligenter exposuit, cum subjunxit: *Qui enim*

Eccle. 9.18. Jac. 2.10.

A *dixit, Non mœchaberis, dixit, Non occides: Quod si non mœchaberis, occidas autem, factus es transgressor legis.* Cordis ergo oculis circumquaque porrectis; undique nobis adhibenda custodia est. Unde recte quoque per Salomonem dicitur: *Omni custodia serva cor tuum: quia ex ipso vita procedit.* Dicturus enim *custodia*, præmisit *omni*, ut videlicet unusquisque hinc inde se diligenter inspiciat; & quamdiu in hac vita est, contra spiritales inimicos in acie se positum sciat: ne mercedem quam per has actiones colligit, per alias amittat: ne hinc hostis fores obstruat, & aliunde aditum pandat. Si qua etenim civitas contra insidiantes inimicos magno valletur aggere, fortibus cingatur muris, insomni muniatur custodia, unum vero in ea foramen tantummodo B immunitum per negligentiam relinquatur; inde proculdubio hostis ingreditur qui undique exclusus esse videbatur.

Jacob. 2.11. Prov. 4.23.

Ex Epistola S. Petri prima.

1 12. *IN quem desiderant Angeli*, i.
2. 5. *Et vos tamquam lapides vivi*, ij.
3 3 *Non in veste pretiosa*, iij.
3 15. *Parati semper ad satisfactionem*, iv.
4 10. *Unusquisque sicut accepit gratiam*, v.
4 11. *Si quis loquitur, quasi sermones Dei*, vj.
4 17. *Quoniam tempus est ut incipiat*, vij.
4 18. *Et si justus quidem vix*, viij.

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 91.

QUia de Deo per primum Ecclesiæ prædicatorem dicitur: *In quem desiderant Angeli prospicere;* sunt nonnulli qui nequaquam videre, vel Angelos suspicantur. Et tamen dictum per veritatis sententiam scimus: *Angeli eorum in cœlis, semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.* Numquid ergo aliud veritas, aliud prædicator insonat veritatis? Sed si sententia utraque confertur, quia sibi nequaquam discordet, agnoscitur: Deum quippe Angeli & vident, & videre desiderant; & intueri sitiunt, & intuentur. Si enim sic videre desiderant, ut effectu sui desiderii minime perfruantur, desiderium sine fructu anxietatem habet, & anxietas pœnam: beati vero Angeli ab omni pœna anxietatis longe sunt, quia numquam simul pœna & beatitudo conveniunt. Rursum cum eos dicimus Dei visione satiari, quia & Psalmista ait: *Satiabor, dum manifestabitur gloria tua;* considerandum nobis est, quoniam satietatem solet fastidium subsequi. Ut ergo recte sibi utraque conveniant, dicat Veritas: *Quoniam semper vident:* dicat prædicator egregius: *quia semper videre desiderant;* ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur. Ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur; & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Sic quoque & nos erimus, quando ad ipsum fontem vitæ venerimus: erit nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas, sed longe abest a siti necessitas, longe a satietate fastidium; quia & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus.

1 Petr. 1.12. Matt. 18.10. Psal. 16.15.

CAPUT II.

In exposit. Ezech. lib. 2. hom. 1. num. 5.

PER Psalmistam dicitur: *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas.* Quia enim illa interna pacis visio ex Sanctorum civium congregatione construitur, Jerusalem cælestis ut civitas ædifica- C tur; quæ tamen in hac peregrinationis terra, dum flagellis percutitur, tribulationibus tunditur, ejus lapides quotidie quadrantur. Et ipsa est civitas, scilicet sancta Ecclesia quæ regnatura in cælo, adhuc laborat in terra, cujus civibus Petrus dicit: *Et vos tamquam lapides vivi superædificamini.* Et Paulo ait: *Dei agricultura, Dei ædificatio est.* Quæ videlicet civitas habet hic in Sanctorum moribus magnum jam ædificium suum; in ædificio quippe lapis lapidem portat, quia lapis super lapidem ponitur; & qui portat alterum, portatur ab altero. Nam vicissim se proximi tolerant, ut per eos ædificium caritatis surgat. Hinc enim Paulus admonet, dicens: *Invicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem* D *Christi.* Cujus legis virtutem denuntians, ait: *Plenitudo legis caritas.* Si ego enim vos portare negligo in moribus vestris, & vos me tolerare contemnitis in moribus meis, caritatis inter vos ædificium unde surgit, quos vicaria dilectio per patientiam non conjungit? In ædificio autem, ut prædiximus, lapis qui portat, portatur, quia sicut ego jam eorum mores tolero, qui adhuc in conversatione boni operis rudes sunt: ita ego quoque ab illis toleratus sum, qui me in timore Domini præcesserunt & portaverunt, ut portatus portare discerem. Sed ipsi quoque a majoribus portati sunt. Lapides vero qui in summitate atque extremitate fabricæ ponuntur, ipsi quidem portantur ab aliis, sed alios nequaquam portant: E quia & hi qui in fine Ecclesiæ, id est in extremitate mundi nasciturí sunt, tolerantur quidem a majoribus, ut eorum mores ad bona merita componantur; sed cum eos non sequuntur qui per illos proficiant, nullos super se fidelis fabricæ jam lapides portant. Nunc itaque alii portantur a nobis, nos vero portati sumus ab aliis: omne autem pondus fabricæ fundamentum portat, quia mores simul omnium solus Redemtor noster tolerat, de quo Paulus ait: *Fundamentum autem aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus.*

Psal. 121.3. 1 Petr. 2.5. 1 Cor. 3.9. Galat. 6.2. Rom. 13.10. 1 Cor. 3.11.

Je-

Jesus. Portat fundamentum lapides, & a lapidibus non portatur: quia Redemtor noster omnia nostra tolerat, sed in ipso non fuit quod tolerari debuisset.

CAPUT III.

Hom. 6. in Evangel. num. 3.

NEMO ergo existimet in luxu atque in studio vestium peccatum deesse, quia si hoc culpa non esset, nullomodo Johannem Dominus de vestimenti sui asperitate laudasset. Si hoc culpa non esset, nequaquam Petrus Apostolus per Epistolam feminas a pretiosarum vestium appetitu compesceret, dicens: *Non in veste pretiosa.* Pensate ergo quæ culpa sit hoc etiam viros appetere, a quo curavit Pastor Ecclesiæ & feminas prohibere?

1. Petr. 3. 3. 1. Tim. 2. 9.

CAPUT IV.

In exposit. B. Job, lib. 23. num. 24.

VERA doctrina tanto vehementius elationis vitium per cogitationem fugit, quanto ardentius verborum suorum jaculis ipsum magistrum elationis insequitur. Cavet enim ne eum magis elatis moribus prædicet, quem in corde audientium sacris sermonibus insectatur. Humilitatem namque, quæ magistra est omnium materque virtutum, & loquendo dicere, & vivendo conatur ostendere, ut eam apud discipulos veritatis plus moribus quam sermonibus eloquatur. Unde Paulus Thessalonicensibus loquens, quasi culminis proprii Apostolus oblitus, ait: *Facti sumus parvuli in medio vestrum.* Unde Petrus Apostolus, cum diceret: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe.* in ipsa doctrinæ scientia qualitatem docendi asseruit esse servandam, subdens: *Sed cum modestia & timore conscientiam habentes bonam.*

1. Thess. 2. 7. 1. Petr. 3. 15.

CAPUT V.

In exposit. B. Job, lib. 28. num. 22.

SIC itaque Creator noster ac dispositor cuncta moderatur, ut qui extolli poterat ex dono quod habet, humilietur ex virtute quam non habet. Sic cuncta moderatur, ut cum per impensam gratiam unumquemque sublevat, etiam per disparem alterius alterum subdat, & meliorem quisque dono alio eum qui sibi subjicitur attendat: ac licet se præire ex aliis sentiat, eidem tamen quem superat se in aliis postponat. Sic cuncta moderatur, ut dum singula quæque sunt omnium, interposita quadam caritatis necessitudine, fiant omnia singulorum; & unusquisque sic quod non accepit in altero possideat, ut ipse alteri possidendum quod accepit humiliter impendat. Hinc enim per Petrum dicitur: *Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Tunc namque bene multiformis gratia Dei dispensatur, quando acceptum donum, & ejus qui hoc non habet creditur, quando propter eum cui impenditur datum putatur.

1. Petr. 4. 10.

CAPUT VI.

In exposit. Ezech. lib. 1. hom. 7. num. 21.

QUIA enim bona nostra non a nobis sunt; sed ab eo hæc accepimus a quo factum est ut essemus, tanto ea nobis non debemus retinere privata, quanto ea nobis conspicimus ab auctore nostro ad communem utilitatem data. Unde recte Petrus Apostolus in exhortatione hujus rei subdit, dicens: *Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*, atque adhuc adjecit: *Si quis loquitur quasi sermones Dei, si quis ministrat, tamquam ex virtute quam administrat Deus.* Ac si aperte dicat: Humiliter impendite bonum proximis, quia scitis vobis non a vobis esse quod habetis.

1. Petr. 4. 10. Ibid. v. 11.

CAPUT VII.

In exposit. B. Job, lib. 9. num. 90.

EX ipsa nunc bonorum vita & labore cognoscimus si emendari, dum tempus est, nolumus, quanta post animadversione feriamur. Electos quippe Dei cernimus & pia agere, & crudelia multa tolerare. Hinc ergo colligitur districtus judex quanta feriat districtione quos reprobat, si hic cruciat quos amat, Petro attestante qui ait: *Tempus est ut judicium incipiat de domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio?*

1. Petr. 4. 17.

CAPUT VIII.

In exposit. B. Job, lib. 5. num. 22.

BENE autem subditur: *Et venit super me indignatio.* Magna quippe arte doctrinæ dicturus verba, prætulit recte facta; ut hinc unusquisque consideret quæ peccantes postmodum supplicia maneant, si etiam justos tam valida hic flagella castigant. Hinc est enim quod Petrus ait: *Tempus est ut incipiat judicium de domo Dei: & si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?*

Job. 3. 2. 1. Petr. 4. 17. 18.

Ex Epistola S. Petri secunda.

CAPUT PRIMUM.

Regul. Pastoral. tert. part. admonit. 20.

NISI mentes abstinentium plerumque impatientia a sinu tranquillitatis excuteret, nequaquam, cum diceret: *Ministrate autem in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam*, protinus vigilanter adjungeret, dicens: *In abstinentia autem patientiam.* Deesse quippe abstinentibus patientiam prævidit, quæ eis ut adesset admonuit.

2. Petr. 1. 5.

CAPUT II.

In exposit. Ezech. lib. 2. hom. 6. num. 51.

FUERUNT quidam qui secundam Petri Epistolam, in qua Epistolæ Pauli laudatæ sunt, ejus dicerent non fuisse. Sed si ejusdem Epistolæ verba pensare voluissent, longè aliter sentire potuerant: in ea quippe scriptum est: *Voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria, hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui;* atque subjungitur: *Et hanc vocem nos audivimus, cum essemus cum ipso in monte sancto.* Legant itaque Evangelium, & protinus agnoscant, quia cum vox ista de cælo venit, Petrus Apostolus in monte cum Domino stetit. Ipse ergo hanc Epistolam scripsit, qui hanc vocem in monte de Domino audivit. 2. Petr. 1. 17

CAPUT III.

In exposit. Ezech. lib. 3. hom. 3. num. 17.

UT sancti Apostoli perfectæ incarnationis dominicæ mysterium crederent, illorum prædicatio obtinuit, qui hoc, priusquam fieret, & videre, & prædicare potuerunt. Unde recte quoque primus Apostolorum, magna scilicet columna veri tabernaculi, loquitur, dicens: *Habemus firmiorem propheticum sermonem cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* In quibus verbis indicat quamvis ad alta surrexit ex culmine, ibi religata persistat in fide. Quæ tamen lucerna prophetici sermonis jam quidem intelligentibus lucet; sed adhuc non intelligentibus cooperta allegoriarum obscuritatibus permanet. Unde etiam per Psalmistam de iisdem dictis Prophetarum dicitur: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris;* quia videlicet occulta est scientia in Prophetis. 2. Petr. 1. 19; Psal. 17. 12.

CAPUT IV.

In exposit. B. Job, lib. 19. num. 18.

LUCERNÆ enim signatur nomine sacræ lumen A Scripturæ, de qua ipse Ecclesiæ Pastor dicit: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.* Et Psalmista ait: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine.* Quia autem principale nostrum mens est, appellatione capitis mens vocatur. Unde per Psalmistam dicitur: *Impinguasti in oleo caput meum.* Ac si aperte dicat: Caritatis pinguedine replesti mentem. Nunc ergo lucerna super caput Ecclesiæ splendet, quia sacra eloquia tenebras nostræ mentis irradiant, ut in hoc caliginoso vitæ præsentis loco, dum verborum Dei lucem percipimus, B quæ sint agenda videamus. Nunc ad lumen in tenebris ambulat, quoniam sancta universalis Ecclesia, etsi alienæ occulta cogitationis non penetrat, quia quasi faciem non cognoscit in nocte, ponit tamen gressus boni operis, directa lumine supernæ locutionis. 2. Petr. 1. 19; Psal. 118. 105; Psal. 22. 5.

CAPUT V.

In expositione Ezech. lib. 2. hom. 6. num. 9.

APOSTOLORUM primus cum multa discipulos admoneret, atque a quibusdam detrahi C de Pauli scriptis agnosceret, dicit: *Sicut carissimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, loquens in eis, de his in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant sicut & ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Ecce Petrus in Epistolis suis asserit Paulum in his quæ scripserat admirandum. Ecce Paulus in Epistolis suis scribit Petrum reprehensibilem. Certe enim nisi legisset Petrus Epistolas Pauli, non laudasset; si autem legit, quia illic ipse reprehensibilis diceretur, invenit. Amicus ergo veritatis laudavit etiam quod reprehensus est, atque & hoc D ipsum placuit, quia in his non placuerat, quæ aliter quam debuerat sensit. Pensate, rogo, fratres carissimi, in quo mentis vertice stetit, qui illas Epistolas laudavit in quibus se scriptum vituperabilem invenit, quæ illa tanta esse mansuetudo potuit, quæ quies animi, quæ soliditas atque imperturbatio cogitationis? 2. Petr. 3. 15.

Ex Epistola S. Johannis prima.

1 1. *SEd si quis peccaverit, advocatum habemus*, j.
2 4. *Qui dicit, quia diligo Deum & mandata*, ij.
2 15. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ*, iij.
2 15. *Si quis diligit mundum, non est caritas*, iv.
2 27. *Sicut unctio ejus docet vos de omnibus*, v.
Idem, vj.
3 2. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus*, vij.
Idem, viij.
3 17. *Qui habuerit substantiam mundi*, ix.
3 18. *Non diligamus verbo neque lingua*, x.
3 21. *Cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus*, xj.
Idem, xij.
E
4 12. *Deum nemo vidit umquam*, xiij.
4 16. *Deus caritas est*, xiv.
4 18. *Perfecta caritas foras mittit timorem*, xv.
5 17. *Omnis iniquitas peccatum est*, xvj.
4 20. *Qui non diligit fratrem suum quem videt*, xvij.
5 16. *Et est peccatum ad mortem*, xviij.

CAPUT PRIMUM.

In exposit. Ezech. lib. 1. hom. 7. num. 24.

NECESSE est ut nos qui parvuli adhuc sumus, perfectorum semper & virtutes & lacrymas ante mentis nostræ oculos ponamus. Imitemur quæ in illis aspicimus, ut dum cœperimus per incrementa crescere, possimus ab illo districto examine mala quæ fecimus velare. In assiduis enim fletibus, in quotidiana nostra pœnitentia, habemus Sacerdotem in cælis, qui interpellat pro nobis, de quo etiam per Johannem dicitur: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum, justum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Ecce exultat animus, cum advocati nostri potentiam audimus, sed exultationem nostram iterum remordet timor, quia ipse qui nobis advocatus est, dicitur justus: non enim causas inju- 1. Johan. 2. 1.

justitiæ habemus. Justus vero advocatus iojustas causas nullomodo suscipit, nec verba dare pro injustitia consentit. Quid ergo agimus, carissimi fratres mei? Sed ecce occurrit animo quod agamus: mala quæ fecimus, & deseramus & accusemus; scriptum est: *Justus in principio accusator est sui*. (Prov. 18. 17.) Quilibet etenim peccator conversus io fletibus, jam justus esse inchoat cum cœperit accusare quod fecit. Cur enim justus non sit qui contra suam injustitiam jam per lacrymas sævit? Justus igitur advocatus noster, justos nos defendet in judicio, quia nosmetipsos & cognoscimus & accusamus injustos: non ergo in fletibus, noo in actibus nostris, sed io advocati nostri allegatione confidamus.

CAPUT II.

Homil. 30. in Evang. num. 1.

(1. Johan. 2. 4.) PROBATIO dilectioois exhibitio est operis: hinc in Epistola sua idem Johannes dicit: *Qui dicit quia diligo Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est*. Vere enim Deum diligimus, si ad mandata ejus nostris nos voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita desideria defluit, profecto Deum non amat, quia ei in sua volunte contradicit.

CAPUT III.

In exposit. Ezech. lib. 2. hom. 7. num. 41.

(Ibid. v. 15.) JOHANNES admonet, dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*. Qui mox rationem subdidit, quare: *Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo*. Nemo enim potest duobus dominis servire, quia non valet simul transitura, & æterna diligere. Si enim æternitatem diligimus, cuncta temporalia in usu, non in affectu possidemus. Qui eamdem rationem protinus subdit, (1. Johan. 2. 16) dicens: *Quia omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*. Ideo enim habere aliquid homines, & ultra quam necesse est concupiscunt, ut habendo superbiant, & quia hoc alius non habet sese in cogitationibus extollant.

CAPUT IV.

In exposit. B. Job, lib. 18. n. 16.

QUI enim terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Esse quidem sine delectatione anima numquam potest: nam aut infimis delectatur, aut summis; & quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto majori fastidio torpescit ad infima: quantoqoe acriori cura mardescit ad infima, tanto tempore damnabili frigescit a summis. Utraque enim simul & æqualiter amari non possunt: unde Johannes Apostolus sciens inter spinas amorum secularium supernæ caritatis messem germinare non posse, priusquam æterni amoris semina proferat, de audientium cordibus sancta verbi manu amorum secularinm spinas eradicat, dicens: (1. Johan. 2. 16) *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*. Mox quippe subjungit: *Quia si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo*. Ac si aperte dicat: Utrique se amores in uno corde non capiunt, nec in eo seges supernæ caritatis pullulat, in quo illam spinæ infimæ delectationis necant. Atque ipsas ex hac infima delectatione nascentes enumerat punctiones, dicens: *Quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est, & mundus transit & concupiscentia ejus*. (Ibidem.)

CAPUT V.

In exposit. B. Job, lib. 5. num. 50.

POTEST enim per verbum absconditum allocutio intimæ aspirationis intelligi, de qua Johannes dicit: *Unctio ejus docet vos de omnibus*. (1. Johan. 2. 27) Quæ nimirum aspiratio humana mentem contingendo sublevat, & temporales cogitationes deprimens, æternis hanc desideriis inflammat; ut nihil ei jam nisi quæ superna sunt libeat, & cuncta quæ inferius de humana perstrepunt corruptione, contemnat. Absconditum ergo verbum andire, est locutionem sancti Spiritus corde concipere; quæ profecto sciri non potest, nisi a quo haberi potest. Unde & veritatis voce de hac abscondita locutione dicitur: *Ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere*. (Johan. 14. 16.) Sicut enim idem paraclitus post Mediatoris ascensum, alius humani generis consolator, in semetipso invisibilis est; ita omnem quem repleverit, ad desideranda invisibilia accendit. Et quoniam mundana corda sola visibilia diligunt, hunc mundus non accipit, quia ad diligenda invisibilia non assurgit. Seculares enim mentes, quanto se foras per desideria dilatant, tanto ad receptionem illius sinum cordis angustant.

CAPUT VI.

Homil. 30. in Evangel. num. 9.

PER hoc quod vox loquentis communiter admonet, est magister interior, qui de vocis intelligentia quosdam specialiter docet. De hac unctione spiritus rursum per Johannem dicitur: (1. Johan. 2. 27) *Sicut unctio ejus docet vos de omnibus*. Per vocem ergo non instruitur, quando mens per spiritum non ungitur. Sed cur ista de doctrina hominum loquimur, quando & ipse Conditor non ad eruditionem hominum loquitur, si eidem homioi per unctionem Spiritus non loquatur? Certe Caio priusquam fratricidium opere perpetraret, audivit: *Peccasti, quiesce*; (Genes. 4. 7. juxta 70.) sed quia culpis suis exigentibns voce est admonitus noo unctione, audire Dei verba potuit, sed servare contemsit.

CAPUT VII.

In exposit. Ezech. lib. 1. hom. 2. num. 20.

POST hanc vero similitudinem quæ nunc in moribns tenetur, quandoqoe ad similitudinem gloriæ perveniitur. Hinc etenim Johannes dicit: (1. Johan. 3. 2.) *Nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus*. Qui mox unde hoc fieri valet, adjungit, dicens: *Quoniam videbimus eum sicuti est*. Esse etenim Dei, est æternum hunc atque incommutabilem permanere. Nam omne quod mutatur, desinit esse quod fuit, & incipit esse qnod non fuit: Dei vero esse, est dissimiliter numquam esse. Unde ad Moysen dicitur: *Ego sum qui sum*. Et: *Dices filiis Israel*: (Exod. 3. 14.)

Exo. 3. 14. *Israel: Qui est, misit me ad vos.* Jacobus quoque ait: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Ita per Johannem dicitur: *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Quia per hoc quod aspicimus ejus essentiam naturæ, a mutabilitatem nostra liberati, figimur in æternitate. Iram mutabimur quippe in ipso quem videbimus, quia morte carebimus videndo vitam, mutabilitatem nostram transcendemus videndo immutabilem: corruptione nulla tenebimur videndo incorruptionem.

CAPUT VIII.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 79.

AD hoc enim Sancti omnes ad illa gaudia æterna perveniunt, ut esse Deo similes possint; sicut scriptum est: *Cum apparuerit, similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est.* (1. Johan. 3. 2.) Et tamen scriptum est: *Domine, quia similis tibi?* (Psal. 88. 9.) Et iterum *Aut quis similis erit Deo inter filios Dei?* Unde ergo similes, & unde non similes, nisi quia huic sapientiæ & similes erunt ad imaginem, & tamen non erunt similes ad æqualitatem? Aspiciendo quippe æternitatem Dei, fit eis ut æterni sint; & dum visionis ejus donum percipiunt, ex perceptione beatitudinis imitantur quod vident. Et similes ergo sunt, quia beati fiunt; & tamen Creatori similes non sunt, quia creatura sunt. Et habent itaque quamdam Dei similitudinem; quia non habent finem: & tamen incircumscripti æqualitatem non habent, quia habent circumscriptionem.

CAPUT IX.

Hom. 27. in Evang. num. 3.

ECCE nos usque ad mortem nemo persequitur. Unde ergo probare possumus an diligimus inimicos? Sed est quod in pace sanctæ Ecclesiæ fieri debeat unde clarescat, si persecutionis tempore mori pro dilectione valeamus. Ecce idem Johannes dicit: *Qui autem habuerit substantiam mundi; & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo caritas Dei manet in eo.* (1. Johan. 3. 17.) Hinc etiam Johannes Baptista ait: *Qui habet duas tunicas, det unam non habenti.* (Luc. 3. 11.) Qui ergo tranquillitatis tempore non dat pro Deo tunicam suam, quando in persecutione daturus est animam suam? Virtus ergo caritatis ut invicta sit in perturbatione, nutriatur per misericordiam in tranquillitate, quatenus omnipotenti Deo primum discat sua impendere, postmodum se.

CAPUT X.

In exposit. B. Job, lib. 21. num. 29.

ALII egenos fratres non student rebus fulcire, cum possint, sed blandis tantum sermonibus fovere; quos vehementer Jacobi prædicatio sancta reprehendit, dicens: *Si autem frater & soror nudi sunt, & indigent victu quotidiano; dicat autem aliquis ex vobis illis, Ite in pace, & calefacimini, & saturamini: non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corporum, quid proderit?* (Jac. 2. 15.) Quos Johannes quoque Apostolus admonet, dicens: *Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* (1. Johan. 3. 18.) Dilectio itaque nostra semper exhibenda est, & veneratione sermonis, & ministerio largitatis.

CAPUT XI.

In exposit. B. Job, lib. 10. num. 27.

PER Johannem dicitur: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; & quid uid petierimus ab eo, accipiemus.* (1. Joh. 3. 21.) Hinc Salomon ait: *Qui avertit aurem suam, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* (Prov. 28. 9.) Cor quippe nos in petitione non reprehendit, cum resistere se præceptis ejus quem postulat, meminit; & oratio fit execrabilis, cum a censura avertitur legis: quia dignum profecto est ut ab ejus beneficiis sit quisque extraneus, cujus nimirum jussionibus non vult esse subjectus. * Qua in re hoc est salubre remedium, ut cum se mens ex memoria culpæ reprehendit, hoc prius in oratione defleat quod erravit; quatenus erroris macula cum fletibus tergitur, in petitione sua cordis facies ab auctore munda videatur. Sed curandum nimis est ne ad hoc rursus proruat, quod se mundasse fletibus exultat; ne dum deplorata iterum culpa committitur in conspectu justi judicis, ipsa etiam lamenta levigentur. Solerter quippe debemus meminisse quod dicitur: *Ne iteres verbum in oratione tua.* (Eccl. 7. 15.) Quo videlicet dicto vir sapiens nequaquam nos prohibet sæpe veniam petere, sed culpas iterare. Ac si aperte dicat: cum male gesta defleveris, nequaquam rursus facias quod in precibus iterum plangas.

* Num. 28.

CAPUT XII.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 9.

GRAVITER namque unusquisque confunditur, quando mandata Dei, vel legendo, vel audiendo respicit, quæ vivendo contemsit. Hinc enim Johannis voce dicitur: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus ab eo, accipiemus.* (1. Joh 3. 21.) Ac si diceret: Si id quod præcipit facimus, & id quod petimus obtinemus. Valde namque apud Deum utraque hæc necessarie congruunt, ut & oratione operatio, & operatione fulciatur oratio: hinc etenim Jeremias ait: *Scrutemur vias nostras, & quæramus, & revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cælis.* (Thren. 3. 40.) Vias etenim nostras scrutari, est cogitationum interna discutere. Cor vero cum manibus levat qui orationem suam operibus roborat. Nam quisquis orat, sed operari dissimulat, cor levat, & manus non levat. Quisquis vero operatur & non orat, manus levat & cor non levat. Juxta ergo Johannis vocem, tunc cor fiduciam in oratione accipit, cum sibi vitæ pravitas nulla contradicit.

CAPUT XIII.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 88.

SAPIENTIA quippe quæ Deus est, si oculis omnium viventium occulta esset, hanc proculdubio Sanctorum nemo vidisset. Sed ecce huic sententiæ Johannem audio concordantem, qui ait: *Deum nemo vidit umquam.* (1. Joh. 4. 12.) Rursumque cum Testamenti veteris Patres intueor, multos horum, teste ipsa sacræ lectionis historia, Deum vidisse cognosco. Vidit quippe Deum Jacob, & ait: *Vidi Dominum facie* (Genes. 32 30.)

facie ad faciem, & salva facta est anima mea. Vi- A dit Moyses Deum, de quo scriptum est: Exod. 33. 11. *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum*. Vidit Job Dominum, qui dicit: Job. 42. 5. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te*. Vidit Isaias Dominum, qui ait: Isa. 6. 1. *Anno quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum*. Vidit Michæas Dominum, qui dicit: 3. Reg. 22. 19. *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæli assistentem ei a dextris & a sinistris*. Quid est ergo quod tot Testamenti veteris Patres Deum se vidisse testati sunt, & tamen de hac sapientia quæ Deus est, dicitur: Job. 28. 21. *Abscondita est ab oculis omnium viventium*. Et Johannes ait: Johan. 1. 18. *Deum nemo vidit umquam*. Nisi hoc quod paten- B ter datur intelligi, quamdiu hic mortaliter vivitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest: ut anima gratia spiritus afflata per figuras quasdam Deum videat, sed ad ipsam vim ejus essentiæ non pertingat? Hinc est enim quod Jacob qui Deum se vidisse testatur, hunc nonnisi in Angelo vidit. Hinc est quod Moyses qui cum Deo facie ad faciem loquitur, sicut loqui solet homo cum amico suo, ei inter ipsa verba suæ locutionis dixit: Exod. 33. 13. *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifeste ut videam te*. Certe enim si Deus non erat cum quo loquebatur, ostende mihi Deum diceret, & non ostende temetipsum. Si autem Deus erat cum quo facie ad faciem loquebatur, cur petebat C videre quem videbat? Sed ex hac petitione ejus colligitur, quia eum sitiebat per incircumscriptæ nostræ naturæ suæ claritatem cernere, quem jam cœperat per quasdam imagines videre; ut sic superna essentia mentis ejus oculis adesset: quatenus ei ad æternitatis visionem nulla imago creata temporaliter interesset. Et viderunt ergo Patres Testamenti veteris Dominum, & tamen juxta Johannis vocem: *Deum nemo vidit umquam*; & juxta beati Job sententiam sapientia quæ est Deus, abscondita est ab oculis omnium viventium, quia in hac mortali carne consistentibus, & videri potuit per quasdam circumscriptas imagines, & videri non potuit per incircumscriptum lumen æternitatis. * Num. 89. * Sin vero a quibusdam po- D test in hac adhuc corruptibili carne viventibus, sed tamen inæstimabili virtute crescentibus quodam contemplationis acumine æterna Dei claritas videri, hoc quoque a beati Job sententia non abhorret, qui ait: *Abscondita est ab oculis omnium viventium*; quoniam quisquis sapientiam, quæ Deus est, vidit, huic vitæ funditus moritur, ne jam ejus amore teneatur. Nullus quippe eam videt, qui adhuc carnaliter vivit, quia nemo potest amplecti Deum simul & seculum; qui enim Deum videt, eo ipso moritur quo vel intentione cordis, vel effectu operis ab hujus vitæ delectationibus tota mente separatur. Unde ad eumdem quoque Moysen dicitur: Exod. 33. 20. *Non enim videbit me homo, & vivet*. Ac si aperte diceretur: Nullus umquam spiritaliter vidit, & E mundo carnaliter vivit. * Num. 90. * Sciendum vero est quod nonnulli fuerunt qui Deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri: quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit. Neque enim illi simplici & incommutabili essentiæ, aliud est claritas, aliud natura, sed ipsa ei natura sua claritas, ipsa claritas natura est: quia enim suis dilectoribus hæc Dei sapientia se quandoque ostenderet in se, ipse pollicetur, dicens: Johan. 14. 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*. Ac si patenter dicat: Qui in vestra me cernitis, restat ut in mea me natura videatis. Hinc rursus ait: Matt. 5. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Hinc Paulus dicit: 1. Cor. 13. 12. *Nunc videmus per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum*. * Num. 91. * Videbimus igitur Deum, ipseque erit præmium laboris nostri, ut post mortalitatis hujus tenebras accessa ejus luce gaudeamus. * Num. 92. * Nec tamen ita videbimus sicut videt ipse semetipsum: longe quippe dispariliter videt Creator se, quam videt creatura Creatorem. Nam quantum ad immensitatem Dei quidam nobis modus figitur contemplationis, quia eo ipso pondere circumscribimur, quo creatura sumus. * Num. 93. * Sic profecto non ita conspicimus Deum, sicut ipse conspicit se, sicut non ita requiescimus in Deo, quemadmodum requiescit in se. Nam visio nostra, vel requies erit utcumque similis visioni, vel requiei illius, sed æqualis non erit: ne enim jaceamus in nobis, ut ita dicam, contemplationis penna nos sublevat, atque a nobis ad illum erigimur intuendum; rapique intentione cordis, & dulcedine contemplationis, aliquo modo a nobis imus in ipsum. Et jam hoc ipsum ire nostrum, minus est requiescere, & tamen sic ire, perfecte requiescere est: & perfecta ergo requies est, quia Deus cernitur, & tamen adæquanda non est requiei illius, qui non a se in alium transit ut quiescat. Est itaque requies, ut ita dicam, similis atque dissimilis, quia quod illius requies est, hoc nostra imitatur. Namque ut beati atque æterni simus in æternum, imitamur æternum, & magna nobis est æternitas, imitatio æternitatis; nec exortes sumus ejus quem imitari possimus, quia & videntes participamus, & participantes imitamur. Quæ nimirum visio nunc fide inchoatur, sed tunc in specie perficitur, quando coæterna Dei sapientia, quam modo per ora prædicantium quasi per decurrentia flumina sumimus, in ipso suo fonte bibimus.

CAPUT XIV.

Hom. 30. in Evangel. num. 2.

IPSE namque Spiritus sanctus amor est. Unde & Johannes dicit: 1. Johan. 4. 8. *Deus caritas est*. Qui ergo mente integra Deum desiderat, profecto habet quem amat. Neque enim quisquam posset Deum diligere, si eum quem diligeret, non haberet.

CAPUT XV.

In exposit. B. Job, lib. 11. num. 55.

LEX namque sub percussione ultionis populum tenuit, ut quisquis sub illa peccaret, protinus morte puniretur; nec plebs Israelitica ex amore Domino, sed ex timore serviebat. Numquam vero impleri justitia per timorem potest, quia juxta Johannis vocem: 1. Johan. 4. 18. *Perfecta caritas foras mittit timorem*. Et Paulus adoptivos filios consolatur, dicens: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba Pater*. Rom. 8. 15.

CAPUT XVI.

In exposit. B. Job, lib. 11. num. 57.

QUAMVIS inter iniquitatem, atque peccatum nihil distare perhibeat Johannes Apostolus, qui ait, *Iniquitas peccatum est*; (1. Johan. 3. 4.) ipso tamen usu loquendi plus iniquitas quam peccatum sonat, & omnis se homo libere peccatorem fatetur, iniquum vero dicera nonnumquam arubescit. Inter scelara vero & delicta hoc distat, quod scelus etiam pondus peccati transit, delictum vero pondus peccati non transit, quia cum offerri sacrificium per legem jubetur, nimirum præcipitur sicut pro peccato, ita etiam pro delicto, & nonnumquam scelus in opere est, delictum vero plerumqua in sola cogitatione. Unde & per Psalmistam dicitur: *Delicta quis intelligit?* (Psal. 18. 13.) Quia videlicet peccata operis tanto citius cognoscuntur, quanto axterius videntur: peccata vero cogitationis eo ad intelligendum difficilia sunt, quo invisibiliter perpetrantur.

CAPUT XVII.

In exposit. B. Job, lib. 7. num. 28.

QUIA autem duo sunt præcepta caritatis, Dei videlicet amor & proximi, per amo- A rem Dei amor proximi gignitur, & per amorem proximi, Dei amor nutritur. Nam qui amare Deum negligit, profecto diligere proximum nescit: & tunc plenius in Dei dilectione proficimus, si in ejus dilectionis gremio prius proximi caritate lactamur. Quia enim amor Dei amorem proximi generat, dicturus per legem Dominus: *Diliges proximum tuum*, præmisit dicens: *Diliges Dominum Deum tuum*, (Deut. 6. 5. & 10. 12.) ut scilicet in terra pectoris nostri prius amoris sui radicem figeret, quatenus per ramos postmodum dilectio fraterna germinaret. Et rursum quia amor Dei & proximi amore calescit, testatur Johannes qui increpat, dicens: *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* (1. Joh. 4. 20.) Quæ tamen B divina lectio per timorem nascitur, si in affectum crescendo permutatur.

CAPUT XVIII.

In exposit. B. Job, lib. 16. num. 82.

PECCATUM quippe usqua ad inferos ducitur, quod ante finem vitæ præsentis per correctionem ac pœnitentiam non emendatur, de quo videlicet peccato per Johannem dicitur: *Est peccatum ad mortem; non pro illo dico ut roget.* (1. Johan. 5. 16.) Peccatum namque ad mortem est peccatum usque C ad mortem, quia scilicet peccatum quod hic non corrigitur; ejus venia frustra postulatur.

Ex Epistola S. Johannis tertia.

8. NOs ergo debemus suscipere hujusmodi, j.
9. Is qui amat primatum gerere, ij.

CAPUT PRIMUM.

Homil. 20. in Evang. num. 13.

DE quibusdam peregrinantibus fratribus Gaio, per Johannem dicitur: *Pro nomine enim Christi profecti sunt, nihil accipientes a Gentibus. Nos ergo debemus suscipere hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis.* (3. Johan. v. 8.) Qui enim spiritalia dona habentibus temporalia subsidia tribuit, in ipsis donis spiritualibus cooperator existit. Nam cum pauci sunt qui spiritualia dona percipiunt, & multi qui rebus temporalibus abundant, per hoc se divites virtutibus pauperum inserunt, quod eisdem sanctis pauperibus de suis divitiis solatiantur.

CAPUT II.

In exposit. Ezech. lib. 1. hom. 9. num. 17.

MAGNA inquisitiona res indiget, cum recti E operis viam teneamus, utrum semper despicere derogantium verba debeamus, an certe aliquando compescere; de qua re sciendum, quia linguas detrahentium sicut nostro studio debemus axcitare, ne ipsi pereant, ita per suam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat; aliquando autem etiam D compescere; ne dum de nobis mala disseminant, eorum qui audire nos ad bona poterant, corda innocentium corrumpant. Hinc est quod Johannes obrrectatoris sui linguam redarguit, dicens: *Is qui amat primatum gerere in eis Diotrepes non recipit nos; propter hoc, si venero, commoneam ejus opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos.* (3. Johan. v. 9.) Hinc Paulus iterum detrahentibus Corinthiis loquitur, dicens: *Epistolæ*, inquiunt, *graves sunt & fortes, præsentia autem corporis infirma, sermo contemtibilis: hoc cogitet qui ejusmodi est, quia quales sumus verbo per Epistolas absentes, tales & præsentes in opere.* (2. Cor. 10. 10.)

Ex Epistola S. Judæ,

5. JEsus populum de terra Ægypti salvans, j.

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 35.

HOC semper electi provident ut ante ad justitiam redeant, quam sese ira judicis inextinguibiliter accendat; ne ultimo flagello deprehensi, simul ats finiatur vita cum culpa. Flagellum quippe tunc diluit culpam, cum mutaverit vitam. Nam cujus mores non mutat, non expiat actiones. Omnis ergo divina percussio, aut purgatio in nobis vitæ præsentis est, aut initium pœnæ sequentis. Propter eos enim qui ex flagello proficiunt, dictum est: *Qui fingis dolorem in præcepto*; (Psal. 93. 20.) quia dum flagellatur iniquus, & corrigitur, audire præceptum noluit, audit doloram. Dolor ergo in præcepto fingitur ei qui a malis operibus, quasi præcepti vice dolore cohibetur. De his vero quos damnant flagella, & non liberant, dicitur: *Percussisti eos nec doluerunt, attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam.* (Jerem. 5. 3.) His flagella ab hac vita inchoant, & in

æter-

Deut. 32. 22. æterna percussione perdurant. Unde per Moysen Dominus dicit: *Ignis exarsit ab ira mea, & ardebit usque ad inferos deorsum*. Quantum ad præsentem etenim percussionem spectat, recte dicitur: *Ignis exarsit ab ira mea*. Quantum vero ad æternam damnationem, aperte mox subditur: *Et ardebit usque ad inferos deorsum*. Licet a quibusdam
Nahum 1. 9. dici soleat illud quod scriptum est: *Non judicat Deus bis in idipsum*: qui tamen hoc quod per Prophetam de iniquis dicitur, non attendunt:
Jerem. 17. 18. *Et duplici contritione contere eos*. Et id quod alias scriptum est: *Jesus populum de terra Ægypti*
A *salvans, secundò eos qui non crediderunt, perdidit*. Juda 5.
Quibus tamen si consensum præbemus quamlibet culpam bis ferri non posse, hoc ex peccato percussis, atque in peccato suo morientibus debet æstimari, quia eorum percussio hic cœpta, illic perficitur, ut in correptis unum flagellum sit quod temporaliter incipitur, sed in æternis suppliciis consummatur: quatenus eis qui omnino corrigi renuunt, jam præsentium flagellorum percussio sequentium sit initium tormentorum.

LIBER SEPTIMUS.

Capitula sumta ex Apocalypsi S. Johannis Apostoli.

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 9. num. 13.

ARCTURI nomine qui in cæli axe constitutus septem stellarum radiis lucet, Ecclesia universalis exprimitur; quæ in Johannis
Apocal. 1. 12. 20. Apocalypsi per septem Ecclesias, septemque candelabra figuratur, quæ bona in se septiformis gratiæ Spiritus continet, claritate summæ virtutis irradians, quasi ab axe veritatis lucet.

CAPUT II.

In exposit. B. Job, lib. 35. num. 18.

Apoc. 1. 4. SEPTENARIO numero sanctæ Ecclesiæ universitas designatur. Unde Johannes in Apocalypsi septem Ecclesiis scribit, sed per eas quid aliud quam universalem intelligi Ecclesiam voluit? quia nimirum universalis Ecclesia ut
4. Reg. 4. plena septiformis gratiæ Spiritu signaretur, Eliseus super puerum mortuum septies inspirasse describitur. Super extinctum quippe populum Dominus veniens, quasi septies inspirat: quia et dona Spiritus sancti septiformis gratiæ misericorditer tribuit.

CAPUT III.

In exposit. B. Job, lib. 34. num. 14.

E QUIA sæpe Scriptura sacra prædicatores Ecclesiæ pro eo quod gloriam regni cœlestis annuntiant, Angelorum solet nomine designare, possumus Angelos etiam sanctos prædicatores accipere. Hinc est enim quod Johannes in Apocalypsi septem Ecclesiis scribens, Apoc. 1. 4.
Angelis Ecclesiarum loquitur, id est prædicatoribus populorum. Hinc per Prophetam ait: *Et Angeli pacis amare flebunt*. Hinc rursum Isa 33. 7.
Malachias Propheta loquitur, dicens: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*; hinc Malach. 2. 7.
Paulus ait: *Magnum est pietatis sacramentum quod* ma- 1. Tim. 3. 16

manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in hoc mundo, assumtum est in gloria. Qui igitur dispensationis mysterium postquam apparuisse Angelis dixit, *Prædicatum est Gentibus* subdidit, profecto Angelorum nomine prædicatores sanctos, id est veritatis nuntios designavit.

CAPUT IV.

In exposit. B. Job, lib. 29. num. 13.

Genes. 4. CAIN tempus Antichristi non novit, & tamen membrum Antichristi per meritum fuit. Judas sævitiam persuasionis illius ignoravit, & tamen juri crudelitatis ejus avaritia suadente succubuit. Simon divisus longe ab Antichristi temporibus extitit, & tamen ejus sese superbiæ miraculorum potentiam perverse appetendo conjunxit. Sic iniquum corpus suo capiti, sic membris membra junguntur, cum & cognitione se nesciunt, & tamen sibi actione copulantur. Neque enim Pergamus Balaam libros aut verba cognoverat, & tamen ejus nequitiam sequens voce supernæ increpationis audiebat: *Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere scandalum coram filiis Israel; edere & fornicari.* Thyatiræ quoque Ecclesiam a Jezabel notitia, & tempora & loca dividebant; sed quia eam per vitæ reatus adstrinxerat, inesse ei Jezabel dicitur, atque operibus perversis insistere, Angelo attestante, qui ait: *Habeo adversus te aliqua, quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit Prophetam, docere, & seducere servos meos, fornicari, & manducare de Idolothytis.* Ecce quia reperiri potuerunt qui Jezabel vitam reproba actione secuti sunt, Jezabel illic inventa memoratur. Quia videlicet pravum corpus conjuncti mores unum faciunt: etiamsi hoc loca vel tempora scindunt. Unde fit ut in perversis suis imitatoribus, & iniquus quisque maneat qui jam præteriit, & in suis operatoribus ipse iniquorum actor jam appareat qui needum venit.

Matt. 26.

Act. 8.

Apoc. 2. 14.

Ibid. v. 20.

CAPUT V.

In exposit. B. Job, lib. 19. num. 4.

VIDERE quippe perfecte coæternam Deo sapientiam, hoc est quod habere. Unde ad Johannem de munere vincentis dicitur: *Dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* In hac etenim vita scire quid vel videre possumus, etiam quod non accepimus: habere vero nomen novum in calculo inscriptum, est in æterno præmio notitiam Dei humanis mentibus inusitatam, quam scire non potest, nisi qui hanc etiam acceperit, habere.

Apoc. 2. 17.

CAPUT VI.

Regul. Pastoral. tert. part. admonit. 35.

Prov. 18. 9. PER Salomonem dicitur: *Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* Quia videlicet qui cœpta bona districte non exequitur, dissolutione negligentiæ manum destruentis imitatur. Hinc Sardis Ecclesiæ ab Angelo dicitur: *Esto vigilans, & confirma cetera quæ moritura erant; non enim invenio opera tua plena coram Deo.* Quia igitur plena coram Deo ejus opera inventa non fuerant, moritura reliqua etiam quæ erant gesta prædicabat. Si enim quod mortuum in nobis est, ad vitam non accenditur, hoc etiam extinguitur quod quasi adhuc vivum tenetur.

Apoc. 3. 2.

CAPUT VII.

In exposit. B. Job, lib. 17. num. 42.

QUi vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. Nam quisquis in Dei opere recta intentione firmatur, columna in structura fabricæ spiritualis erigitur, ut in hoc templo, quod est Ecclesia, positus, & utilitati sit & decori. Apoc. 3. 12.

CAPUT VIII.

Regul. Pastoral. tert. part. admonit. 35.

UTinam frigidus esses aut calidus; sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. Calidus quippe est, qui bona studia arripit & consummat: frigidus vero est qui consummanda nec inchoat. Et sicut a frigore per teporem transitur ad calorem, ita a calore per teporem reditur ad frigus. Quisquis ergo amisso infidelitatis frigore vivit, sed nequaquam tepore superato excrescit ut ferveat, proculdubio calore desperato, dum noxio in tepore demoratur, agit ut frigescat. Sed sicut ante teporem frigus sub spe est, ita post frigus tepor in desperatione; qui enim adhuc in peccatis est, conversionis fiduciam non amittit: qui vero post conversionem tepuit, & spem quæ esse potuit de frigore subtraxit. Aut calidus ergo quisque esse, aut frigidus quæritur, ne tepidus evomatur; ut videlicet, aut necdum conversus adhuc de se conversionis spem præbeat, aut jam conversus in virtutibus inardescat, ne evomatur tepidus; quia a calore quem proposuit, torpore ad noxium frigus redit. Ibid. 3. 15.

CAPUT IX.

In exposit. B. Job, lib. 34. num. 6.

VOCE Angeli prædicatori Laodiciæ dicitur: *Dicis quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis quia tu es miser & miserabilis, pauper & nudus & cæcus.* Quasi divitem se asserit, qui per arrogantiam sanctitatis extollitur; sed pauper, cæcus, & nudus arguitur. Pauper utique, quia virtutum divitias non habet; cæcus, quia nec paupertatem quam patitur videt; nudus, quia primam stolam perdidit, sed pejus, quia se nec perdidisse cognoscit. Ibid. 3. 17.

CAPUT X.

In exposit. B. Job, lib. 4. num. 61.

QUID vero aurum, nisi sapientiam appellat. De qua per Salomonem dicitur: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis?* Aurum nempe sapientiam vidit, quam thesaurum vocavit; quæ & recte auri appellatione signatur, quia sicut aurum temporalia, ita sapientia bona æterna meretur. Si aurum sapientia non esset, nequaquam Laodiciæ Ecclesiæ ab Angelo diceretur: *Suadeo tibi a me emere aurum ignitum.* Aurum quippe emi- Prov. 21. 20.

Apoc. 3. 18.

emimus, cum accepturi sapientiam prius obedientiam præbemus, ad quem videlicet nos contractum bene quidam Sapiens excitat, dicens: Eccli. 1.33. *Concupiscens sapientiam serva mandata; & Dominus præbebit illam tibi.*

CAPUT XI.

Regul. Pastor. 1. part. cap. 11.

Apoc 3.18. PER Angelum dicitur: *Collyrio inunge oculos tuos ut videas*. Collyrio quippe oculos ut videamus, inungimus, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem, intellectus nostri aciem medicamine operationis adjuvamus.

CAPUT XII.

In exposit. B. Job, lib. 26. num. 53.

BENE autem sancti viri Scripturæ sacræ testimonio reges vocantur; quia prælati cunctis motibus carnis, modo luxuriæ appetitum frenant, modo æstus avaritiæ temperant, modo gloriam elationis inclinant, modo suggestiones livoris obruunt, modo ignem furoris extinguunt. Reges ergo sunt, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt. Quia igitur ab hac potestate regiminis potestatem transeunt retributionis, dica- C tur recte: Job 36.7. *Reges in solio collocat in perpetuum*. Semetipsos enim regendo ad tempus fatigati sunt, sed in regni erectionis * internæ solio in perpetuo collocantur, & eo illic accipiunt alios digne judicare, quo hic nesciunt sibimetipsis nequiter parcere. * al. æternæ. Hinc enim alias dicitur: Psal. 93.15. *Donec justitia convertatur in judicium*. Paulus de se suisque consortibus dicit: 2. Cor. 5.21. *Ut nos efficeremur justitia in ipso*. Justitia ergo in judicium vertitur: quia hi qui nunc juste atque irreprehensibiliter vivunt, tunc judicandi potentiam nanciscuntur. Hinc Laodiciæ Ecclesiæ Dominus dicit: Apoc. 3.21. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus*. Vincens Dominus in throno cum Patre sedisse se asserit, quia post passionis cer- D tamina, post resurrectionis palmam clarius se omnibus quod potestati Patris esset æqualis indicavit, eique se non disparem, calcato aculeo mortis, innotuit. Unde & Mariæ necdum se credenti Patri similem dicit: Johan. 20.17. *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem*. Nobis enim in throno Filii sedere, est ex ejusdem Filii potestate judicare. Quia enim judicii principatum ex ejus virtute percipimus, velut in ejus throno residemus. Nec abhorret a vero quod alias super duodecim thronos Matt. 19. sessuros testatur esse discipulos: hic vero in throno suo perhibet esse sessuros; per thronos quippe duodecim universale judicium, per thronum vero Filii, singulare culmen judiciariæ potestatis ostenditur; hoc ergo duodecim thronis, E quod uno throno Filii designatur: quia videlicet universale judicium ex Mediatoris nostri interventione percipitur.

CAPUT XIII.

In exposit. B. Job, lib. 22. num. 20.

SANCTI autem viri sciunt post primi parentis lapsum de corruptibili stirpe se editos, & A non virtute propria, sed præveniente superna gratia ad meliora se vota, vel opera commutatos; & quidquid sibi mali inesse cognoscunt, de mortali propagine sentiunt meritum: quidquid vero in se boni inspiciunt, immortalis gratiæ cognoscunt donum; eique de accepto munere debitores fiunt, qui & praeveniendo dedit eis bonum velle quod noluerunt, & subsequendo concessit bonum posse quod volunt. Unde bene per Johannem dicitur: Apoc. 4.10. *Adoraverunt viventem in secula seculorum, mittentes coronas suas ante thronum Domini*. Coronas namque suas ante thronum mittere, est certaminum suorum victorias non sibi tribuere, sed auctori; ut ad illum referant gloriam laudis, a quo se sciunt vires accepisse B certaminis.

CAPUT XIV.

In exposit. B. Job, lib. 2. num. 11.

IN Johannis Apocalypsi dicitur: Apoc. 6.9. *Vidi subter altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium Jesu quod habebant; & clamabant voce magna, dicentes: Usquequo, Domine, sanctus & verus non judicas & vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* Ubi illico adjungitur: *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ. Et dictum est illis ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conservorum & fratrum eorum*. Quid est animas vindictæ petitionem dicere, nisi diem extremi judicii, & resurrectionem extinctorum corporum desiderare. Magnus quippe earum clamor, magnum est desiderium; tanto enim quisque minus clamat, quanto minus desiderat; & tanto majorem vocem in aures incircumscripti spiritus exprimit, quanto se in ejus desiderium plenius fundit. Animarum igitur verba ipsa sunt desideria. Nam si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret: *Desideria cordis eorum audivit auris tua*. Psal. 9.17. Sed cum aliter moveri soleat mens quæ petit, aliter quæ petitur, & Sanctorum animæ ita in interni secreti sinu Deo inhæreant, ut inhærendo requiescant; quomodo dicuntur petere quas ab interna voluntate constat nullatenus discrepare? Quomodo dicuntur petere quas & voluntatem Dei certum est, & ea quæ futura sunt non ignorare? Sed in ipso positæ, aliquid ab ipso petere dicuntur, non quod quidquam desiderent, quod ab ejus voluntate quem cernunt, discordat, sed quo mente ardentius inhærent, eo etiam de ipso ergo accipiunt ut ab ipso petant quod eum facere velle noverant. De ipso bibunt quod ab ipso sitiunt, & modo nobis adhuc incomprehensibili in hoc quod petendo esuriunt, præsciendo satiantur. Discordarent ergo a voluntate Conditoris, si quæ eum vident velle non peterent, eique minus inhærerent, si voluntatem ejus desiderio pigriori pulsarent. Quibus responsum divinitatis dicitur: *Requiescite tempus adhuc modicum, donec compleatur numerus conservorum & fratrum vestrorum*. Desiderantibus animabus, *requiescite adhuc modicum* dicere, est inter ardorem desiderii ex ipsa præscientia solatium consolationis aspirare: ut animarum vox sit, hoc quod amantes desiderant, & respondentis Dei sermo sit hoc quod eas retributionis certitudine inter desideria confirmat. Respondere ergo ejus, est ut collectionem fratrum expectare debeant, eorum mentibus libenter expectandi moras infundere; ut cum carnis

resurrectionem appetunt, etiam ex colligendorum A fratrum augmento gratulentur.

CAPUT XV.

In exposit. B. Job, lib. 35. num. 25.

SANCTÆ Ecclesiæ in fine suo duplum recipere, est in singulis nobis, & de beatitudine animæ, & de carnis incorruptione gaudere. Hinc est enim quod per Prophetam de electis dicitur: *In terra sua duplicia possidebunt*. Isa. 61. 7. Hinc est quod Johannes Apostolus de Sanctis finem mundi quærentibus dicit: *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ; & dictum est eis ut requiescerent tempus adhuc modicum*, Apoc. 6. 11. *donec compleretur numerus conservorum & fratrum* B *eorum*. Ante resurrectionem Sancti singulas stolas accipiunt, quia sola animarum beatitudine perfruuntur: in fine autem mundi binas habituri sunt, quia cum mentis beatitudine etiam carnis gloriam possidebunt.

CAPUT XVI.

In exposit. B. Job, lib. 9. num. 8.

ALIQUANDO in sacro eloquio solis nomine prædicatorum claritas designatur. Sic per Johannem dicitur: *Factus est sol ut saccus cilicinus*. Apoc. 6. 12. In extremo quippe tempore sol quasi cilicinus saccus ostenditur; quia fulgens vita prædicantium, ante reproborum oculos aspera & despecta monstratur.

CAPUT XVII.

Homil. 5. lib. 2. in Ezechiel. num. 22.

QUID per palmas, nisi præmia victoriæ designantur? ipsæ quippe dari vincentibus solent. Unde de his quoque qui in certamine martyrii antiquum hostem vicerant, etiam victores in patria gaudebant, scriptum est: *Palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro qui sedet super thronum, & agno*: Apoc. 7. 9. 10. palmas quippe in manibus habere, est victoriis in operatione tenuisse, cujus operationis palma ibi retribuitur, ubi jam sine certamine gaudetur.

CAPUT XVIII.

In exposit. B. Job, lib. 30. num. 52.

BENE conversantibus primum solitudo mentis tribuitur, ut exurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant, ut ebullientes ad infima curas cordis, per superni gratiam restringant amoris, omnesque motus importune se offerentium levium cogitationum, quasi quasdam circumvolantes muscas ab oculis mentis abigant manu gravitatis, & quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant, ubi cum illo, exteriore cessante strepitu, per interna desideria silenter loquantur. * De hoc secreto cordis alias dictum est: *Factum est silentium in cælo quasi media hora*. * Num. 53. Apoc. 8. 1. Cælum quippe Ecclesia electorum vocatur; quæ ad sublimia, dum per sublevationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, atque intra se Deo quoddam silentium facit: quod quidem silentium contemplationis, quia in hac vita non potest esse perfectum, factum media hora dicitur. Nolenti quippe animo cogitationum tumultuosi se strepitus ingerunt, etiam sublimibus intentum rursum ad respicienda terrena cordis oculum violenter trahunt. Unde scriptum est: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*. Sap. 9. 15. Bene ergo factum hoc silentium, non integra, sed media hora describitur, quia hic contemplatio nequaquam perficitur, quamvis ardenter inchoetur.

CAPUT XIX.

In exposit. Ezech. lib. 2. hom. 2. num. 14.

FACTUM *est silentium quasi hora media*. Ibidem. Cælum quippe est anima justi, sicut per Prophetam Dominus dicit: *Cælum mihi sedes est*; Isa. 66. 1. Et, *Cæli enarrant gloriam Dei*. Psal. 18. 1. Cum ergo quies contemplativæ vitæ agitur in mente, silentium fit in cælo, quia terrenorum actuum strepitus quiescit a cogitatione, ut ad secretum intimum aurem animus apponat. Sed quia hæc quies mentis esse in hac vita perfecta non potest, nequaquam hora integra factum in cælo silentium dicitur, sed quasi media, ut neque ipsa media plane sentiatur, cum præmittitur *quasi*: quia mox ut se animus sublevare cœperit, & quietis intimæ lumine perfundi, redeunte C citius cogitationum strepitu, de semetipso confunditur, & confusus cæcatur.

CAPUT XX.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 48.

QUALE itaque illud persecutionis tempus apparebit, quando ad pervertendam fidelium pietatem alii verbis sæviunt, alii gladiis; quia quod eis ab aliis verbis blandientibus dicitur, hoc ab aliis gladiis ferientibus imperatur? Quæ utrorumque actio, id est potentium atque loquentium, in Johannis Apocalypsi brevi est sententia comprehensa, qua dicitur: *Potestas* D *equorum in ore, & in caudis eorum erat*. Apoc. 9. 19. In ore namque doctorum scientia, in caudis vero secularium potentia figuratur. Per caudam quippe quæ retro est, hujus seculi postponenda temporalitas designatur, de qua Paulus Apostolus dicit: *Unum autem quæ retro sunt oblitus, ad ea quæ ante sunt extensus*. Philip. 3. 13. Retro est enim omne quod transit, ante vero est omne quod veniens permanet. Istis vero equis, id est prædicatoribus ubique carnali impulsu currentibus, in ore & in cauda potestas est, quia ipsi quidem perversa suadendo prædicant, sed temporalibus potestatibus fulti, per ea quæ se retro sunt exultant. Et quia ipsi apparere despicabiles queunt, ab iniquis auditoribus suis per eos sibi reverentiam exigunt, quorum patrociniis E fulciuntur.

CAPUT XXI.

In exposit. B. Job, lib. 9. num. 15.

URGENTE etenim fine mundi superna scientia proficit, & largius cum tempore excrescit; hic namque per Danielem dicitur: *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia*. Dan. 12. 4. Hinc Johanni in priori parte revelationis Angelus dicit: *Signa*, Apoc. 10. 4.

gna, quæ locuta sunt septem tonitrua. Cui tamen ejusdem revelationis termino præcipit, dicens: *Ne signaveris verba prophetiæ hujus libri*. Pars quippe revelationis anterior signari præcipitur, terminus prohibetur: quia quidquid in sanctæ Ecclesiæ initiis latuit, finis quotidie ostendit.

Ibid. 22. 10.

CAPUT XXII.

In exposit. B. Job, lib. 28. num. 16.

Apoc. 11. 2.

IN Apocalypsi scriptum est: *Atrium quod foris templum, ejice foras, ne metiaris eum*. Quid enim atrium aliud, quam latitudinem significat vitæ præsentis? Et recte foris templum sunt, qui per atrium designantur; atque ideo metiendi non sunt, quia augusta porta est quæ ducit ad vitam, & latitudo vitæ pravorum non admittitur ad mensuras & regulas electorum.

CAPUT XXIII.

In exposit. B. Job, lib. 9. num. 3.

DUO illi eximii prædicatores dilata morte subtracti sunt, ut ad prædicationis usum in fine revocentur; de quibus per Johannem dicitur: *Hi sunt duæ olivæ & duo candelabra in conspectu Domini terræ adstantes*. Quorum unum in Evangelio per semetipsam Veritas pollicetur, dicens: *Elias venturus est, & restituet omnia*.

Apoc. 11. 4. Matt. 17. 11.

CAPUT XXIV.

In exposit. B. Job, lib. 34. num. 25.

CUM figurate sol ponitur, aliquando Dominus, aliquando persecutio, aliquando de re qualibet manifestæ visionis ostensio, aliquando autem intelligentia sapientium designatur. Per solem quippe Dominus figuratur, sicut libro sapientiæ perhibetur quod omnes impii in extremi die judicii cognita sua damnatione dicturi sunt: *Erravimus a via veritatis, & lumen justitiæ non luxit nobis, & sol non ortus est nobis*. Ac si aperte dicant: Interni in nobis luminis radius non refulsit. Unde & Johannes ait: *Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus*. In sole enim illustratio veritatis, in luna autem quæ menstruis suppletionibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur; sancta autem Ecclesia quia superni luminis splendore protegitur, quasi sole vestitur; quia vero cuncta temporalia despicit, lunam sub pedibus premit.

Sap. 5. 6. Apoc. 12. 1.

CAPUT XXV.

In exposit. B. Job, lib. 4. num. 17.

STELLARUM nomine aliquando Sanctorum justitia quæ in hujus vitæ tenebris lucet, aliquando vero hypocritarum fictio demonstratur: quia bona quæ faciunt, ad percipiendas laudes hominibus ostendunt. Si enim recte viventes stellæ non essent, nequaquam Paulus discipulis diceret: *In medio nationis pravæ & perversæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo*. Rursum si inter eos qui recta agere videntur, quidam de actione sua retributionem favoris humani non quærerent, nequaquam stellas Johannes ruere a cælestibus videret, dicens: *Misit draco caudam, & traxit tertiam partem stellarum*. Draconis enim cauda stellarum pars trahitur: quia extrema persuasione Antichristi quidam qui videntur lucere, rapientur. Stellas namque in terram trahere, est eos qui videntur studio vitæ cælestis inhærere, ex amore terreno iniquitate aperti erroris involvere.

Philip. 2. 15. Apoc. 12. 4.

CAPUT XXVI.

In exposit. B. Job, lib. 32. num. 25.

DE hac cauda Behemot istius sub draconis specie per Johannem dicitur: *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli; & misit eas in terram*. Cælum namque est Ecclesia, quæ in hac nocte vitæ præsentis, dum in se innumeras Sanctorum virtutes continet, radiantibus desuper sideribus fulget, sed draconis cauda in terram stellas dejicit: quia illa Satanæ extremitas per audaciam assumti hominis erecta, quosdam quos velut electos Dei in Ecclesia invenit, obtinendo reprobos ostendit. Stellas de cælo in terram cadere, est relicta nonnullos spe cælestium, illo duce ad ambitu gloriæ secularis inhiare.

Ibidem.

CAPUT XXVII.

Homil. 34. in Evang. num. 9.

MICHAEL namque, quis sicut Deus. Et quoties miræ virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur, ut ex ipso actu & nomine detur intelligi, quia nullus potest facere quod facere prævalet Deus. Unde & ille antiquus hostis qui esse Deo per superbiam similis concupivit, dicens: *In cælum ascendam, super astra cæli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis; ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*. Dum in fine mundi in sua virtute relinquitur extremo supplicio perimendus, cum Michaele Archangelo præliaturus esse perhibetur; sicut per Johannem dicitur: *Factum est prælium cum Michaele Archangelo*: ut qui se ad Dei similitudinem superbus extulerat, per Michaelem peremtus discat, quia ad Dei similitudinem per superbiam nullus exurgat.

Isa. 14. 13. Apoc. 12. 7.

CAPUT XXVIII.

In exposit. B. Job, lib. 2. num. 15.

ASTUTUS quippe adversarius cum semen vestrum inter prospera bene egisse considerat, reprobare apud judicem per adversa festinat. Unde recte in Apocalypsi voce angelica dicitur: *Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte*. Scriptura autem sacra sæpe diem pro prosperis, noctem autem pro adversis ponere consuevit. In die ergo & nocte accusare non desinit, quia modo nos in prosperis, modo in adversis accusabiles ostendere contendit. In die accusat, cum prosperis male non uti instruit. In nocte accusat, cum in adversis non habere patientiam demonstrat.

Apoc. 12. 10.

CAPUT XXIX.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 59.

V*Idi aliam bestiam ascendentem de terra habentem cornua duo, similia agni; & loquebatur ut dra-*

Apoc. 13. 11.

co-

te. Priorem quippe bestiam, id est Antichristum superiore jam descriptione narravarat: post quem etiam hæc alia bestia ascendisse dicitur, quia post eum multitudo prædicatorum illius ex terrena potestate gloriatur. De terra quippe ascendere, est de terrena gloria superbire. Quæ habet duo cornua agni similia, quia per hypocrisim sanctitatis, eam quam in se veraciter Dominus habuit singularem, sibi inesse & sapientiam mentitur & vitam. Sed quia sub agni specie auditoribus reprobis serpentinum virus infunditur, recte illic subditur: *Et loquebatur ut draco*. Ista argo bestia, id est prædicantium multitudo, si aperte ut draco loqueretur, agno similis non appareret, sed assumit agni speciem ut draconis axerceat operationem.

CAPUT XXX.

In exposit. B. Job, lib. 34. num. 1.

MUNDI tempus dum venientibus annis augetur, erebrescentibus malis afficitur; & unde ætatis augmentum percipit, inde salutis dispendium sentit. Tribulationes namque cum temporibus erescunt, & eo detrimenta vitæ debilior tolerat, quo quasi ad vitam provectior durat: totis enim contra illum antiquus hostis viribus solvitur, qui quamvis jam nuna intarit, pro eo quod supernæ conditionis beatitudinem amisit; tunc tamen plenius extinguitur, quando & a tentandi licentia abstractus, exterius incendiis religatur. Unde & axtrema mundi atrocius tentaturus aggreditur: quia tanto fit ferventior ad sævitiam, quanto se viciniorem sentit ad pœnam. Considerat quippe quod juxta sit ut licentiam nequissimæ libertatis amittat, & quantum brevitate temporis angustatur, tantum multiplicitate crudelitatis expanditur; sicut de illo voce angelica
Apoc. 12. 12. ad Johannem dicitur: *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet*. Tunc argo in magnæ iræ furorem se dilatat, ne qui in beatitudine stare non potuit, in damnationis suæ foveam cum paucis ruat. Tunc quidquid nequiter valuerit, callidius exquirit. Tunc cervicem superbiæ altius arigit, & per damnatum illum quem gestat hominem, omne quod temporalitar prævalet, nequiter ostendit.

CAPUT XXXI.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 62.

VELUT enim olla fervens ast unaquæque tunc anima, cogitationum suarum impetus quasi spumas undarum ardentium sustinens, quas & ignis zeli commovet, & ipsa temporalis oppressio in ore ollæ intrinsecus clausas tenet. Unde Johannes quoque, cum hujus
Ibid. 13. 13. bestiæ signa narraret, adjunxit: *Ita ut ignem faceret de cælo descendere*. Ignem quippe descendere, est de cælestibus electorum animas sancti zeli flammas emanara.

CAPUT XXXII.

Regul. Pastoral. 3. part. admonit. 29.

Apoc. 14. 14. PER Johannem dicitur: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; Virgines enim sunt: qui sequuntur Agnum quocumque abierit*. Et quod, *Canticum cantant quod nemo possit dicere, nisi illa centum quadraginta & quatuor millia*. Singulariter quippe Canticum Agno cantare, est cum eo in perpetuum præ cunctis fidelibus etiam de carnis incorruptione gaudere: quod tamen ceteri electi Canticum audire possunt, licet dicere nequeant: quia per caritatem quidem in illorum celsitudine læti sunt, quamvis ad aorum præmia non assurgant.

CAPUT XXXIII.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 21.

VIdi, *& ecce nubes candida; & super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam*. Apoc. 14. 14. Potestas enim divini judicii, quia undique stringit, circulus dicitur. Et quia intra se omnia incidendo complectitur, falcis appellatione signatur. In falce enim quidquid inciditur, quaquaversum flectitur, intus cadet. Et quia potestas superni judicii nullatenus avitatur (intra ipsam quippe sumus, quolibet fugere conemur,) recte cum venturus judex ostenditur, falcem tenera perhibetur: quia cum potenter ad omnia obviat, incidando circumdat. Esse se intra judicis falcem vidit Propheta, cum diceret: *Si ascendero* Psal. 138. 8. 9. 10.
in cælum tu illic es; si descendero ad infernum, ades; si sumsero pennas meas ante lucem, & habitavero in postremo maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Intra quamdam asse falcem se vidit, cum ex nullo sibi loco petere fugæ auditum posse cognovit, dicens: *Quia ne-* Psal. 74. 7.
que ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus, subaudis patet via fugiendi. Atque mox ipsam supernæ potentiæ omnimodam comprehensionem subdens, ait: *Quoniam Deux judex est*. Ae si diceret: Fugiendi via undiqua deest, quia ille judicat qui ubiqua est.

CAPUT XXXIV.

In exposit. B. Job, lib. 34. num. 26.

AURI nomine splendor supernæ civitatis accipitur, sicut hanc Johannes se vidisse testatur, dicens: *Ipsa civitas aurum mundum simi-* Apoc. 21. 18
le vitro mundo. Aurum namque ax quo illa constat, simile vitro dicitur, ut & per aurum clara, & per vitrum perspicua designetur. Auri rursus nomine caritas intimatur, sicut Angelum quem sibi loqui Ibid. 15. 6.
idem Johannes aspexit, ad mamillas zona aurea cinctum vidit: quia nimirum supernorum civium pectora, dum pœnali jam nequaquam timori subjecta sunt, atqua a se vicissim nulla scissione solvuntur, ex sola se caritate constringunt. Zonam quippe auream eirea mamillas habere, est cunctos mirabilium cogitationum motus, per solius jam amoris vincula restringere.

CAPUT XXXV.

In exposit. B. Job, lib. 34. num. 25.

SOlis nomine sapientia intellectus exprimitur, sicut in Apocalypsi scriptum est: *Quartus An-* Apoc. 16. 8.
gelus effudit phialam suam in solem; & datum est illi æstu afficere homines, & igni. Phialam videlicet in solem effundere, ast percussionis supplicia viris sapientiæ splendore fulgentibus irrogare. Et

da-

datum est illi ut afficeret homines æstu & igni; quia A dum sapientes viri cruciatibus victi male agendi errore tanguntur, illorum exemplo persuasi infirmi quique, temporalibus desideriis inardescunt: ruinæ namque fortium, augmentum præstant perditionibus infirmorum. Quia sole acumen sapientium designatur, per comparationem quoque a Salomone dicitur: *Sapiens ut sol permanet; stultus ut luna mutabitur*. Hoc ergo loco quid per solis radium, nisi acumina sapientium demonstrantur? Qui in sancta Ecclesia per acumina sapientiæ quasi radios videbantur lucis aspergere, & per auctoritatem rectitudinis resplendere.

Eccl. 27. 12.

CAPUT XXXVI.

In exposit. B. Job, lib. 1. num. 81.

SI enim apud Deum nostra nos opera quasi vestimenta non tegerent, nequaquam voce angelica diceretur: *Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.* Turpitudo enim nostra tunc cernitur, cum vita reprehensibilis ante justorum oculos, in judicio nequaquam subsequentis boni operis tegmine velatur.

Apoc. 16. 15.

CAPUT XXXVII.

In exposit. B. Job, lib. 26. num. 63.

SICUT vestimenta corpus, sic bona opera protegunt animam. Unde cuidam dicitur: *Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet*.

Apoc. 16. 15.

CAPUT XXXVIII.

Homil. 34. in Ezechiel. num. 1.

SOLENT in sacro eloquio per aquas populi designari. Unde per Johannem dicitur, *aquæ vero sunt populi*. Idcirco autem aquis populus designatur, quia & in vita sonum habet ex tumultu carnis, & quotidie defluit ex decursu mortalitatis.

CAPUT XXXIX.

Homil. 6. in Evang. num. 24.

DE hoc ergo extremo convivio alias per Johannem dicitur: *Beati qui ad cænam nuptiarum vocati sunt*. Idcirco enim non ad prandium, sed ad cœnam vocatos narrat, quia nimirum in fine diei convivium cœna est. Qui ergo finito præsentis vitæ tempore ad refectionem supernæ contemplationis veniunt, non ad Agni prandium, sed ad cœnam vocantur.

Apoc. 19. 9.

CAPUT XL.

Homil. 8. in Evang. num. 2.

LOTH vel Josue Angelos adorant, nec tamen adorare perhibentur. Johannes in Apocalypsi adorare Angelum voluit, sed tamen idem hunc Angelus adorare ne se debeat, compescit, dicens; *Vide ne feceris; conservus tuus sum & fratrum tuorum*. Quid est quod ante Redemtoris adventum Angeli ab hominibus adorantur & tacent; postmodum vero adorari refugiunt? nisi quod naturam nostram prius quam despexerant, postquam hanc super se assumtam conspiciunt, substratam sibi videre pertimescunt? Nec jam sub se velut infirmam contemnere ausi sunt, quam super se, videlicet in cæli Rege venerantur. Nec habere dedignantur hominem socium, qui super se adorant hominem Deum.

Apoc. 19. 10.

CAPUT XLI.

In exposit. B. Job, lib. 31. num. 27.

EQuus quippe est unicuique sanctæ animæ corpus suum, quod videlicet novit & ab illicitis continentiæ freno restringere, & rursum caritatis impulsu in exercitatione boni operis relaxare. B Unde & Johannes Apostolus in Apocalypsi Dominum contemplatus, ait: *Et exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis*. Multitudinem Sanctorum quæ in hoc martyrii bello sudaverat, recte exercitum vocat. Qui idcirco in equis albis sedere referuntur, quia nimirum eorum corpora, & luce justitiæ & castimoniæ candore claruerunt.

Apoc. 19. 14.

CAPUT XLII.

In exposit. Ezech. lib. 2. hom. 1. n. 9.

PER Johannem dicitur: *Habebat in vestimento & in femore suo scriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium*. Quid enim ejus vestimentum C est atque aliud ipse. Nam nostrum quoque vestimentum caro dicitur, sed tamen ipsi nos sumus caro qua vestimur: hoc autem vestimentum illius longe ante Isaias aspiciens per crucem passionis sanguine cruentatum dixit: *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua quasi calcantium in torculari?* Cui ipse respondit: *Torcular calcavi solus, & de Gentibus non est vir mecum*. Solus enim torcular in quo calcatus est calcavit, qui sua potentia eam quam pertulit passionem vicit. Nam qui usque ad mortem crucis passus est, de morte cum gloria surrexit. Bene autem dicitur: *Et de Gentibus non est vir mecum*: quia hi pro quibus pati venerat, passionis ejus esse participes debeant; D qui pro eo quod illo tempore necdum crediderant, de ipsis in passione queritur, quorum vita in illa passione quærebatur. Per femur vero propagatio carnis est. Quia ergo per propaginem generis humani, sicut generationum ordines Matthæo vel Luca narrantibus describuntur, in hunc mundum venit ex Virgine, & per incarnationis suæ mysterium, quia Rex esset & Dominus, cunctis ubique Gentibus indicavit; in vestimento & in femore scriptum habuit: *Rex Regum, & Dominus dominantium*. Unde enim in mundo innotuit, ibi de se lectionis sententiam infixit.

Ibid. v. 16.

Isa. 63. 2.

Ibid. v. 3.

CAPUT XLIII.

E *In exposit. B. Job, lib. 4. num. 16.*

HUnc Leviathan, electi Angelorum spiritus nunc in puteo abyssi clausum premunt. Unde scriptum est: *Vidi Angelum descendentem de cælo habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem antiquum qui est diabolus & Satanas, & ligavit eum per annos mille, & misit eum in abyssum*. Quem tamen in mundi fine ad apertiora certamina revocant, & totum contra nos in suis viribus relaxant,

Apoc. 20. 1. 2.

Ibid v.7. Unde illic rursum scriptum est: *Cum completi fuerint mille anni, solvetur Satanas*. Ille enim apostata Angelus, qui ita conditus fuerat ut Angelorum ceteris legionibus emineret, ita superbiendo succubuit, ut nunc stantium Angelorum ditioni substratus sit; quatenus vel nunc ad utilitatem nostram eis ministrantibus religatus lateat, ut ad probationem nostram eis relaxantibus totis se suis contra nos viribus solutus exerceat.

CAPUT XLIV.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 67.

Apoc. 20. 1. VIdi *Angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua: & apprehendit draconem serpentem antiquum; qui est diabolus & Satanas; & ligavit eum per annos mille, & misit in abyssum, & clausit, & signavit super illum ut non seducat amplius Gentes, donec consummentur mille anni*. Millenario enim numero non quantitatem temporis, sed universitatem qua regnat Ecclesia designat. Antiquus autem serpens ligatus catena in abyssum mittitur; quia religatus a bonorum cordibus apud reproborum mentes reclusus, eis atrocius dominatur. Qui paulo post quoque de puteo abyssi educi describitur, quia de iniquorum cordibus, nunc occulte sævientibus, tunc accepta contra Ecclesiam potestate in vim apertæ persecutionis erumpit.

CAPUT XLV.

In exposit. B. Job, lib. 32. num. 22.

SIcut enim cedrus arbusta cetera in altum crescendo deserit, ita tunc Antichristus mundi gloriam temporaliter obtinens, mensuras hominum, & honoris culmine, & signorum potestate transcendit. Spiritus quippe in illo est qui in sublimibus conditus potentiam naturæ suæ non perdidit, vel dejectus. Cujus idcirco virtus nunc minime ostenditur, quia dispensatione divinæ fortitudinis

Apoc. Ibid. ligatur. Unde per Johannem dicitur: *Vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu ejus, & apprehendit draconem serpentem antiquum qui est diabolus & Satanas; & ligavit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, et clausit; et signavit super illum*. Ligatus quippe in abyssum perhibetur: quia retrusus in pravorum cordibus, potentia divinæ dispensationis adstringitur, ne in quantum prævalet, effrenetur; ut quamvis per eos occulte sæviat, ad violentas tamen rapinas superbiæ non erumpat. Sed illic quomodo in mundi fine sit solvendus intimatur, cum dicitur:

Ibid. v. 7. *Et postquam fuerint consummati mille anni, solvetur Satan de carcere suo, et exibit et seducet gentes*. Millenario namque numero, pro perfectione sua, universum hoc quantumlibet sit sanctæ Ecclesiæ tempus exprimitur. Quo peracto antiquus hostis suis viribus traditus, pauco quidem in tempore, sed in multa contra nos virtute laxatur.

CAPUT XLVI.

In exposit. B. Job, lib. 14. num. 19.

Apoc. 6. 6. BEatus et sanctus *qui habet partem in resurrectione prima*? Quia ille post in carne feliciter resurgit qui in hac vita positus a mentis suæ morte surrexit.

CAPUT XLVII.

In exposit. B. Job, lib. 24. num. 15. et 16.

QUi plenissime intelligere appetit qualis est; tales nimirum debet conspicere, qualis non est: ut ex bonorum forma metiatur, quanto ipse deserto bono deformis est. Ex his quippe quibus plenissime bona adsunt, perpendit recte quæ sibi minus sunt, atque in illorum pulchritudine conspicit fœditatem suam, quam in seipso & potest perpeti, & sentire non potest. Lucem namque debet conspicere, qui vult de tenebris judicare; ut in illa videat quid de tenebris æstimat per quas videre præpeditur. Peccator namque incognita vita justorum si semetipsum conspicit, peccatorem se nullatenus comprehendit. Videre enim se non potest, quia fulgorem lucis nesciens, cum semetipsum conspicit, quid aliud quam tenebras attendit? Justorum ergo debemus vitam conspicere, ut subtiliter deprehendamus nostram. Illorum videlicet species quasi quædam forma nobis imitanda proponitur. Viva lectio est vita bonorum. Unde & non immerito iidem justi in sacro eloquio libri nominantur, sicut scriptum est: *Libri sunt aperti, et alius liber apertus est, qui est vitæ: et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris*. Apoc. 20. 12. Liber namque vitæ est ipsa visio advenientis judicis, in quo quasi scriptum est omne mandatum: quia quisquis eum viderit, mox teste conscientia quidquid non fecit, intelligit. Libri etiam aperti referuntur, quia justorum tunc vita conspicitur in quibus mandata cælestia opere impressa cernuntur, & judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, quia in ostensa vita justorum, quasi in expansione librorum legunt bonum quod ipsi agere noluerunt, atque ex eorum qui fecerunt comparatione denuntiantur. Ne ergo unusquisque tunc videns eos, quod non fecit defleat, nunc in eis quod imitetur attendat.

CAPUT XLVIII.

In exposit. B. Job, lib. 17. num. 11.

TERRA & cælum, vel qualiter transeat, vel qualiter maneat distinguamus. Utraque namque hæc per eam quam nunc habent imaginem transeunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistunt. Hinc namque per Paulum dicitur: *Præterit enim figura hujus mundi*. 1. Cor. 6. 31. Hinc per semetipsam Veritas dicit: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*. Matt. 24. 35. Hinc ad Johannem angelica voce perhibetur: *Erit cælum novum & terra nova*; Apoc. 21. 1. quæ quidem non alia condenda sunt, sed hæc ipsa renovantur. Cælum igitur & terra, & transit, & erit, quia & ab ea quam nunc habet specie per ignem tergitur, & tamen in sua semper natura servatur. Unde per Psalmistam dicitur: *Mutabis ea & mutabuntur*. Psal. 101. 27. Quam quidem ultimam commutationem suam ipsis nobis nunc vicissitudinibus nuntiant, quibus nostris usibus indesinenter alternant. Nam terra a sua specie, hyemali ariditate deficit, vernali humore viridescit. Cælum quotidie caligine noctis obducitur, & diurna claritate renovatur. Hinc ergo, hinc fidelis quisque colligat, & interire hæc, & tamen per innovationem refici, quæ constat nunc assidue velut ex defectu reparari.

CA-

CAPUT XLIX.

In exposit. Ezech. lib. 2. hom. 2. num. 3.

POTEST etiam portæ nomine unusquisque prædicator intelligi : quia quisquis nobis januam regni cælestis ore suo aperit, porta est. Unde & duodecim portæ, vel in Johannis Apocalypsi, vel in extremo hujus prophetiæ visione describuntur.

CAPUT L.

Ibid. lib. 2. hom. 2. num. 15.

HUMILITAS hominum quandoque ad æqualitatem perducitur Angelorum. Unde
Matt. 22. 30. scriptum est : *Neque nubent, neque nubentur,*
Apoc. 21. 17. *sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.* Et unde per Johannem dicitur : *Mensura hominis quæ est Angeli.* Quia usque ad illam altitudinem gloriæ homo perducitur in qua solidatos se Angeli lætantur.

CAPUT LI.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 77.

AURI namque metallum novimus potiori metallis omnibus claritate fulgere. Vitri vero naturæ est ut extrinsecus visum, pura intrinsecus perspicuitate perluceat. In alio metallo quidquid intrinsecus continetur, absconditur : in vitro vero quilibet liquor qualis continetur interius, talis exterius demonstratur, atque ut ita dixerim, omnis liquor in vitreo vasculo clausus patet. Quid ergo aliud in auro, vel vitro accipimus, nisi illam supernam patriam, illorum beatorum civium societatem quorum corda sibi invicem, & claritate fulgent, & puritate translucent? quam Johannes in Apocalypsi conspexerat, cum dicebat :
Apoc. 21. 18. *Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide ; ipsa vero civitas auro mundo* [a] *simili vitro mundo.* Quia enim Sancti omnes summa in ea beatitudinis claritate fulgebunt, instructa auro dicitur : & quoniam ipsa illorum claritas vicissim in alternis cordibus patet, & dum uniuscujusque vultus attenditur, simul & conscientia penetratur : hoc ipsum aurum vitro mundo simile esse memoratur. Ibi quippe uniuscujusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus, patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi.

CAPUT LII.

In exposit. B. Job, lib. 29. num. 75.

CUm venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant, redimeret. Galat. 4. 4. Qui natus ex Virgine velut lucifer inter tenebras nostræ actionis apparuit, qui fugata obscuritate peccati æternum nobis mane nuntiavit, luciferum se innotuit, quia diluculo ex morte surrexit, & fulgore sui luminis mortalitatis nostræ tetram caliginem pressit. Qui bene per Johannem dicitur, *Stella splendida & matutina.* Apoc. 22. 16. Vivus quippe post mortem apparens matutina nobis stella factus est ; quia dum in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequatur, indicavit.

CAPUT LIII.

In exposit. Ezech. lib. 2. hom. 2. num. 4.

QUisquis spiritalia videndo proficit, oportet ut hæc loquendo etiam aliis propinet. Videt quippe ut annuntiet, qui in eo quod in se profecerit, etiam prædicando de profectu proximi curam gerit. Unde & alibi scriptum est : *Qui audit, dicat : veni.* Ibid. 22. 17. Cum enim jam vox vocantis Dei efficitur in corde, necesse est ut proximo per prædicationis officium erumpat in vocem, & idcirco alium vocet, quia ipse jam vocatus est.

CAPUT LIV.

Homil. 6. in Evangel. num. 6.

IN quantum vos profecisse pensatis, etiam alios trahite ; in via Dei habere socios desiderate. Si quis vestrum, fratres, ad forum vel fortasse ad balneum pergit, quem otiosum esse considerat, ut secum veniat, invitat. Ipsa terrena actio vos vestra conveniat ; & si ad Deum tenditis, curate ne ad eum soli veniatis : Hinc scriptum est : *Qui audit, dicat : veni.* Ibidem. Ut qui jam in corde vocem superni amoris acceperit, foras etiam proximis vocem exhortationis reddat.

CAPUT LV.

Regul. Pastoral. part. 3. admon. 26.

VOce angelica Johannes admonet, cum dicit : *Qui audit, dicat : veni* ; Ibidem. ut nimirum cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando alios, quo ipse rapitur, trahat ; ne clausas fores etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat.

[a] De hac lectione, vide notam *b.* ad locum Moralium indicatum, colum. 199.

LIBER OCTAVUS.

Capitula sumta ex Epistola ad Romanos, & ex aliis S. Pauli Epistolis.

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 17. num. 8.

QUisquis delinquit & vivit, idcirco hunc divina dispensatio in iniquitate tolerat, ut ab iniquitate compescat : sed qui diutius toleratur, nec tamen ab iniquitate compescitur, munus quidem supernæ patientiæ percipit, sed reatus sui vinculis ex ipso se munere arctius adstringit. Nam quia accepta pœnitentiæ tempora vertit ad

ad culpam, districtus in ultimis judex impensa argumenta misericordiæ convertit ad pœnam. Hine namque per Paulum dicitur: *An ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei.* Rom. 2.4.5.

CAPUT II.

In exposit. B. Job, lib. 29. num. 60.

SEMETIPSUM Dominus indurare perhibet, non quo pravorum mentes ipse ad culpam formet, sed quo a culpa non liberat, sicut scriptum est: *Ego obdurabo cor Pharaonis.* Quod quia misericorditer emollire noluit, profecto districte se obdurare nuntiavit. Rom. 7.18.

CAPUT III.

In exposit. B. Job, lib. 27. num. 58.

LOCUS autem misericordiæ Dei est ipsa Gentilitas, cujus culpa districtus judex, si juste A animadverteret, ad reconciliationem gratiæ numquam veniret. Quæ cum nulla apud Deum merita habuit, reconciliationis tamen gratiam ex sola misericordia accepit. Unde bene per Paulum dicitur: *Gentes autem super misericordia honorare Deum.* Rom. 15.9. Unde rursum scriptum est: *Et quæ non consecuta misericordiam, nunc autem misericordiam consecuta.* 1 Petr. 2.10.

CAPUT IV.

In exposit. B. Job, lib. 28. num. 25.

B BENE itaque David inter acceptas ex divina largitate mensuras pedem cordis presserat, cum dicebat: *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Psal. 130.1. Super se quippe in mirabilibus ambularet, si apparere magnus ultra quam poterat, quæreret: super se namque in mirabilibus attollitur, qui & in his ad quæ non sufficit, videri idoneus conatur. Bene intra has mensuras etiam in ipsa Paulus prædicationis suæ se latitudine coarctabat, cum diceret: *Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus.* Rom. 15.18.

Ex Epistola ad Corinthios prima.

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 31. num. 104.

PULLI *ejus lambunt sanguinem.* Job 39.30. Ac si aperte diceret: Ipsa quidem divinitatis contemplatione pascitur; sed quia auditores ejus divinitatis percipere arcana nequaquam possunt, cognito crucifixi Domini cruore satiantur. Sanguinem namque lambere, est passionis dominicæ infirma venerari: hinc est quod idem Paulus qui, sicut paulo ante jam diximus, ad tertii cæli secreta volaverat, discipulis dicebat: *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Christum Jesum, & hunc crucifixum.* 1.Cor. 2.2. Ac si aperte hæc aquila diceret: Ego quidem escam meam, divinitatis ejus potentiam, de longe prospicio, sed vobis parvulis adhuc incarnationis ejus tantummodo lambendum sanguinem trado. Nam qui per prædicationem suam, tacita divinitatis celsitudine, infirmos auditores de solo cruore crucis edocuit, quid aliud quam sanguinem pullis præbuit?

CAPUT II.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 74.

DOCTRINA sapientiæ & prædicatione pulchra est & pura veritate conspicua, nec aliud se per fallaciam prætendit exterius, & aliud reservat interius, neque in dictis suis pulchra videri appetit nitore sermonis, sed integritate veritatis. In mandatis igitur suis Dei sapientia non confertur tinctis Indiæ coloribus, Job 28.16. quia dum fucata eloquentiæ ornamenta non habet, quasi vestis sine tinctura placet. Quam fucationem tincturæ bene Paulus despexerat, cum dicebat: *Quæ & loquimur* D *non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus.* 1.Cor. 2.13. Malebat quippe hanc sapientiam sola puritate veritatis ostendere, non autem eloquii tinctione fucare.

CAPUT III.

In exposit. B. Job, lib. 27. num. 64.

NEquaquam sibi doctores tribuant quod per exhortationem suam ad summa proficere auditores vident: quia nisi Spiritus sanctus eorum corda repleat, ad aures corporum vox docentium incassum sonat. Formare enim vocem magistri exterius possunt, sed hanc imprimere interius E non possunt: *Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* 1.Cor. 3.7.

CAPUT IV.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 67.

INiqua mens dum esse sapiens carnaliter appetit, stultam se ad spiritalia ostendit. Nam quia teste Paulo *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum*, 1.Cor. 3.19. tanto quisque amplius intus stultus fit, quanto conatur exterius sapiens videri.

CA-

CAPUT V.

In exposit. B. Job, lib. 21. num. 18.

QUAMVIS nonnumquam a reatu adulterii, nequaquam discrepet culpa fornicationis, cum Veritas dicat: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Matt. 5. 28. (Quia enim Græco verbo mœchus adulter dicitur, cum non aliena conjux, sed mulier videri prohibetur, aperte veritas ostendit quia ex solo visu cum turpiter vel innupta concupiscitur, adulterium perpetratur.) Tamen plerumque ex loco vel ordine concupiscentis discernitur: quia sic hunc in sacro ordine studiosa concupiscentia sicut illum adulterii inquinat culpa. In personis tamen non dissimilibus idem luxuriæ distinguitur reatus: in quibus fornicationis culpa quia ab adulterii reatu discernitur, prædicatoris egregii lingua testatur, quæ inter cetera asserit, dicens: *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri regnum Dei possidebunt.* 1. Cor. 6. 9. Qui enim adjuncto reatu sententiam subdidit, quam valde à se dissideat, ostendit.

CAPUT VI.

In exposit. B. Job, lib. 27. num. 62.

PERFECTA scientia est scire omnia, & tamen juxta quemdam modum scientem se esse nescire: quia etsi jam Dei præcepta novimus, etsi jam virtutem verborum illius sollicita consideratione ponderamus, etsi jam quæ intellexisse nos credimus agimus, adhuc aperte eadem quali districtione examini sint discutienda nescimus; necdum Dei faciem cernimus, necdum occulta ejus consilia videmus. Quanta ergo est nostra scientia, quæ quousque mortalitatis pondere premitur, ipso suæ incertitudinis nubilo cæcatur? De qua bene per Paulum dicitur: *Qui se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire.* 1. Cor. 8. 2. In hoc itaque mundo dum vivimus, tunc perfecte quæ scienda sunt, scimus, cum proficientes ad intelligentiam nihil nos perfecte scire cognoscimus.

CAPUT VII.

In exposit. B. Job, lib. 28. num. 11.

AIT Apostolus: *Si quis existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire.* Ibidem. Quia enim prima stultitia Angeli elatio cordis fuit, vera sapientia efficitur hominis humilitas suæ æstimationis: quam quisquis vel magna sapiendo deserit, eo ipso vehementer desipit quod semetipsum nescit.

CAPUT VIII.

In exposit. B. Job, lib. 20. num. 9.

VIDEAMUS qualiter Paulo & arridetur jam per supernam gratiam, & ipse adhuc quasi non credit per suspicionis metum. Jam e cælo illi Dominus loquens, ejusque interius oculos aperiens, exterius claudens, potentiam suæ majestatis ostenderat: jam de eo Ananiæ dixerat, *Vas electionis est mihi*: Act. 9. 15. jam in tertium cælum super se raptus fuerat: jam in paradisum ductus, arcana verba quæ dicere A non posset, audierat; & tamen adhuc timidus dicit: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar.* 1. Cor. 9. 27. Ecce arridenti sibi divinæ gratiæ, & jam per spem credit, & necdum tamen credit per securitatem.

CAPUT IX.

In expositione B. Job, lib. 25. num. 21.

FORMIDEMUS igitur in his quæ accepimus, nec eos qui illa necdum assecuti sunt desperemus. Quid enim sumus hodie novimus, qui autem post paulum possumus esse, nescimus. Hi vero quos fortasse despicimus, & tarde possunt incipe- B re, & tamen vitam nostram ferventioribus studiis anteire. Timendum itaque est ne etiam nobis cadentibus surgat, qui nobis stantibus irridetur. Quamvis stare jam non novit, qui non stantem novit irridere. Hunc autem supernorum judiciorum metum Paulus Apostolus discipulorum cordibus incutiens ait: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* 1. Cor. 10. 12.

CAPUT X.

In exposit. B. Job, lib. 29. num. 46.

ALTA quippe atque incomprehensibilis sancti Spiritus gratia, cum luce sua mentes nostras C irradiat, etiam tentationes adversarii dispensando modificat ut simul multæ non veniant; ut ipsæ tantummodo quæ ferri possunt, illustratam jam Deo animam tangant; ut cum tactus sui ardore nos cruciant, perfectionis incendio non exurant, Paulo attestante, qui ait: *Fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari, supra quam potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere.* 1. Cor. 10. 13.

CAPUT XI.

In exposit. B. Job, lib. 28. num. 21.

QUis posuit mensuram ejus si nosti, vel quis tetendit super eam lineam? Job. 38. 5. Quis enim nisi D Conditor noster hujus terræ mensuras ponit, qui interni judicii secreto moderamine, alii sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ, alii 1. Cor. 12. plenam fidem; alii gratiam sanitatum; alii operationem virtutum; alii prophetiam; alii discretionem spirituum; alii genera linguarum; alii interpretationem sermonum tribuit? Quatenus in uno eodem spiritu iste verbo sapientiæ polleat, nec tamen sermone scientiæ, id est doctrinæ fulciatur: quia sentire, atque invenire sufficit etiam quod per discendi studium non apprehendit. Ille sermone scientiæ fulgeat, nec tamen in verbo sapientiæ convalescat; quia & sufficit explere quantum didicit, & tamen ad sentiendum a semetipso subtile aliquid non assurgit. Iste per fidem & elementis imperat, nec E tamen per sanitatum gratiam infirmitates corporum curat. Ille orationis opere morbos subtrahit, nec tamen arenti terræ, verbo pluvias reddit. Iste operatione virtutum ad præsentem vitam etiam mortuos revocat, & tamen prophetiæ gratiam non habens, quæ sibi ventura sunt ignorat. Ille ventura quæque velut præsentia attendit, & tamen in nulla signorum operatione se exerit. Iste per discretionem spirituum in factis subtiliter mentes conspicit, sed tamen diversi generis lin-

linguas nescit. Ille diversi generis linguas examinat, sed tamen in rebus similibus dissimilia corda non pensat. Alius in una lingua quam novit, sermonum pondera interpretando prudenter discutit; & tamen reliquis bonis quæ non habet, patienter caret.

CAPUT XII.

In exposit. B. Job, lib. 18. n. 41.

CONFLATIONIS igni qui extra catholicam toleratur Ecclesiam, quam nullius omnino virtutis, sit Paulus Apostolus insinuat, dicens: *Si tradidero corpus meum ut ardeat, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Alii quippe prava de Deo sentiunt; alii recta de auctore tenent, sed unitatem cum fratribus non tenent. Ilii errore fidei, isti vero schismatis perpetratione divisi sunt. Unde & ipsa parte Decalogi utrarumque partium culpæ reprimuntur, cum divina voce dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* Atque mox subditur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Qui enim de Deo perversa sentit, liquet profecto quia Deum non diligit: qui vero de Deo recta sentiens a sanctæ Ecclesiæ unitate divisus est; constat quia proximum non amat quem habere socium recusat. * Quisquis ergo ab hac unitate matris Ecclesiæ sive per hæresim de Deo perversa sentiendo, seu errore schismatis proximum non diligendo, dividitur; caritatis hujus gratia privatur, de qua

1. Cor. 13. 3.
Deut. 6. 4. 5.
* Num. 42.

A hoc quod præmisimus Paulus dicit: *Si tradidero corpus meum ut ardeat, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest:* Ac si aperta voce diceret: Extra locum suum conflationis mihi ignis adhibitus, tormento me cruciat, mundatione non purgat. Hunc omnes sanctæ pacis amatores summo studio locum quærunt, hunc quærentes inveniunt, hunc invenientes tenent: scientes, peccatorum remissio vel ubi, vel quando, vel qualibus detur. Ubi quippe nisi in catholicæ matris sinu? Quando, nisi ante venturi exitus diem? Quia, *Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis.* Et: *Quærite Dominum dum inveniri potest; invocate eum dum prope est.* Qualibus, nisi conversis; qui ad parvulorum imitationem magistra humilitate formantur; quibus dicitur: *Sinite, parvulos venire ad me; talium est enim regnum cælorum.* Et, *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.*

2. Cor. 6. 2.
Isa. 55. 6.
Matt. 19. 14

CAPUT XIII.

In exposit. B. Job, lib. 24. num. 20.

C PAULUS namque cum ceterorum Sanctorum sollicitudinem in prædicatione robustius laborando transcenderet, ut ab elatione se premeret, & vires suas in humilitatis gremio nutriret, crudelitatis suæ antiquæ non immemor, Apostolorum omnium innocentiam contemplatus, ait: *Ego minimus sum Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei.*

1. Cor. 15. 9.

Ex Epistola ad Corinthios secunda.

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 34. num. 32.

UNGUENTORUM odoribus opinio solet signari virtutum. Unde sponsa in Canticis Sponsum desiderans, dicit: *In odore unguentorum tuorum currimus.* Et Paulus Apostolus virtutum laude flagrare nesciens, dicit: *Christi bonus odor sumus Deo.*

Cant. 1. 3.
2. Cor. 2. 15

CAPUT II.

In exposit. B. Job, lib. 22. num. 8.

IN se Paulus scientiæ divitias contemplatus, & contemplationem suam consideratione humanæ fragilitatis humilians, ait: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.*

2. Cor. 4. 7.

CAPUT III.

In exposit. B. Job, lib. 29. num. 58.

ALIUD quippe ejus intrinsecus latet, atque aliud extrinsecus ostendit: *Transfigurat enim se velut Angelum lucis.* Et callida deceptionis arte plerumque proponit laudabilia, ut ad illicita pertrahat.

2. Cor. 11. 14

CAPUT IV.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 44.

D MEMBRA ejus sæpe cum aperta nequitia nocere non possunt, bonæ actionis habitum summunt, & prava quidem exibent, sed sancta specie mentiuntur. Iniqui enim si aperte mali essent, a bonis recipi omnino non possent, sed sumunt aliquid devisione bonorum; ut dum boni viri in eis recipiunt speciem quam amant, permixtum sumant etiam virus quod vitant. Unde quosdam Paulus Apostolus intuens sub prædicationis velamine ventris studio servientes, ait: *Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Quid ergo mirum si ministri ejus transfigurantur velut ministri justitiæ?

2. Cor. 11. 14

E

CAPUT V.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 24.

ACCIPERE namque & aliquando dicimus auferre. Unde & aves illæ quæ rapiendis sunt avibus avidæ, accipitres vocantur. Unde & Paulus Apostolus dicit: *Sustinetis enim si quis devorat, si quis accipit.* Ac si diceret: Si quis rapit.

2. Cor. 11. 20

CAPUT VI.

In exposit. B. Job, lib. 19. num. 37.

PRÆDICATORES boni & honorem propter elationem fugiunt, & honorari tamen propter imitationem volunt. Sic nimirum Paulus Apostolus discipulis loquens, & honorem fugit, & tamen quantum esset honorandus ostendit. Nam cum Thessalonicensibus diceret: (1. Thess. 2. 5.) *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione avaritiæ; Deus testis est*; secutus adjunxit: (Ibid. v. 7.) *Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis, cum possimus honori esse ut Christi Apostoli; sed facti sumus parvuli in medio vestrum.* Rursus Corinthiis, honorem fugiens, dicit: (2. Cor. 4. 5.) *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum Christum.* Quos tamen videns falsorum Apostolorum persuasionibus a veræ fidei tramite deviare, eis se summopere, quantum esset venerandus ostendit, dicens: (2. Cor. 11. 21.) *In quo quis audet; in insipientia dico, audeo & ego. Hebræi sunt, & ego. Israelitæ sunt, & ego. Semen Abrahæ sunt, & ego. Ministri Christi sunt, & ego: ut minus sapiens dico, plus ego.* Quibus etiam subjungit, quod ei quoque tertii cæli secreta patuerint, quod raptus etiam paradisi arcana penetravit. Ecce honorem fugiens, servum se discipulorum prædicat. Ecce honorem pro utilitate audientium quærens, falsis Apostolis vitæ suæ merita superposuit. Egit quippe doctor egregius ut dum ipse qualis esset agnoscitur, & vita & lingua male prædicantium ejus* comparatione vilesceret. (* al. prædicatione.) Illos videlicet commendaret, si se absconderet; cumque se non ostenderet, errori locum dedisset. Miro igitur modo & humilitatis gratiam, & utilitatis quærit incrementa: ut & servum se discipulis prædicet, & adversariis potiorem demonstret. Ostendit discipulis quid humilitatis acceperit, ostendit adversariis quid sublimitatis.

CAPUT VII.

In exposit. B. Job, lib. 19. num. 18.

PER viscera caritatis quiquid in damno parvulorum sustinet, se perpeti animus perfectorum dolet. Infirmorum etenim damna ad corda fortium per compassionem transeunt. Unde per Paulum dicitur: (2. Cor. 11. 29.) *Quis infirmatur, & ego non infirmor, quis scandalizatur & ego non uror?* Tanto enim quisque perfectus est, quanto perfecte sentit dolores alienos.

CAPUT VIII.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 13.

OMNES veraciter Sancti non solum gloriam supra modum suum omnino non appetunt, sed etiam hoc ipsum videri refugiunt quod esse meruerunt. Unde ille prædicator egregius veritatis, contra Pseudoapostolos loquens, dum virtutes eximias operationis suæ pro discipulorum eruditione narraret, dum tot se pericula tolerasse coacervata persecutione describeret, & posthæc usque ad tertium cælum, rursumque in paradisum raptum se esse memoraret, ubi tanta cognoscere potuisset, quanta loqui omnino non posset: erat de se adhuc fortasse admirabi-

A libera locuturus, sed ab humana laude alta consideratione se temperans, subdit: (2. Cor. 12. 6.) *Parco autem ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* Habebat ergo adhuc dicendum de se aliquid qui parcit dicere, sed egit utrumque doctor egregius, ut & loquendo quæ egerat discipulos instrueret, & tacendo se intra humilitatis limitem custodiret. Nimis namque esset ingratus, si de se discipulis tota reticeret; & fortasse nimis incautus, si de se tota vel discipulis proderet; sed mirabiliter, ut dictum est, egit utrumque, ut loquendo erudiret vitam audientium, tacendo custodiret suam.

CAPUT IX.

B

In exposit. B. Job, lib. 19. num. 31.

PAULUM video fluminum, & latronum, & civitatis, & solitudinis, maris ac terræ pericula sustinentem, frenantem jejuniis ac vigiliis corpus, sustinentem frigoris & nuditatis ærumnam, ad Ecclesiarum custodiam vigilanter se ac pastoraliter exercentem, ad tertium cælum raptum, rursumque eum in paradisum raptum, & audisse arcana verba quæ non licet homini loqui; & tamen Satanæ Angelo ad tentandum conceditur. Orat ut eximi debeat, & non exauditur. Cujus cum ipsa initia conversionis aspicio, perpendo quod ei superna pietas cælos aperit, C seseque illi Jesus de sublimibus ostendit. Qui lumen corporis ad tempus perdidit, lumen cordis in perpetuum accepit. Ad Ananiam mittitur, vas electionis vocatur; & tamen de civitate eadem quam post visionem Jesu ingressus fuerat, fugiens recedit, sicut ipse testatur, dicens: (2. Cor. 11. 32.) *Damasci præpositus Aretæ regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet, & per fenestram in sporta demissus sum per murum; & sic effugi manus ejus.* Cui licenter dicam: O Paule in cælo jam Jesum conspicis, & in terra adhuc hominem fugis. In paradisum duceris, secreta Dei verba cognoscis, & adhuc a Satanæ Angelo tentaris. Unde sic fortis ut ad cælestia rapiaris, unde sic infirmus ut in terra hominem fugias, & adhuc D a Satanæ Angelo adversa toleres, nisi quia ipse qui te sublevat, rursum te subtilissima mensura moderatur: ut & in miraculis tuis nobis prædices virtutem Dei, & rursum in timore tuo reminisci nos facias infirmitatis nostræ? Quæ tamen infirmitas ne in desperationem nos pertrahat, cum pulsat, dum ipse in infirmitate tua Dominum rogares, quia auditus non es, nobis quoque locutus es quid audisti: (2. Cor. 12. 9.) *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* * (* Num. 16.) Aperta ergo Dei voce ostenditur, quia custos virtutis est infirmitas. Tunc quippe bene interius custodimur, cum per dispensationem tolerabiliter tentamur exterius, aliquando vitiis, aliquando pressuris. Nam eis quoque quos viros novimus fuisse virtutum, tentationes atque certamina non defuere vitiorum. Hinc est enim quod ad consolationem nostram idem prædicator egregius de se quædam E talia prodere dignatur, dicens: (Rom. 7. 23.) *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati quæ est in membris meis.* Ad ima quippe trahit caro, ne extollatur spiritus; & ad summa trahit spiritus, ne prosternat caro. Spiritus levat, ne jaceamus in infimis, caro aggravat ne extollamur ex summis. Si non sublevante spiritu nos caro ten-

ta-

tāret, perfectione proculdubio tentationis suæ in ima dejiceret. Rursum vero si non tentante carne ad summa nos spiritus sublevaret, in superbiæ casu, ipsa nos pejus sublevatione prosterneret. Sed fit certo moderamine ut dum unusquisque Sanctorum jam quidem interius ad summa rapitur, sed adhuc tentatur exterius, nec desperationis lapsum nec elationis incurrat: quoniam nec tentatio exterior culpam perficit, quia interior intentio sursum trahit; nec rursum intentio interior in superbiam elevat, quia tentatio exterior humiliat dum gravat: sicque magno ordine cognoscimus in interiori provectu quid accepimus, in exteriori defectu quid sumus: & miro modo agitur ut nec virtute quisquam extolli debeat, nec de tentatione desperet: quia dum spiritus trahit, & caro retrahit, subtilissimo judicii interni moderamine infra summa, & supra infima in quodam medio anima libratur.

CAPUT X.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 26.

MAXILLA tamen Behemot istius perforata, intelligi & aliter potest, ut in ore tenere dicatur, non quos jam perfecte peccatum implicat, sed quos adhuc peccati persuasionibus tentat: quatenus ei quemlibet mandere sit, de peccati eum delectatione tentare. Mandendum quidem, sed non deglutiendum acceperat Paulum, [2. Cor. 12.] quando illum post tot revelationum sublimia stimulus carnis agitabat. Tunc ergo cum contra illum licentiam tentationis accepit, in maxilla eum tenuit, sed perforata. Qui vero elatus perire poterat, tentatus est, ne periret: tentatio ergo illa non vorago vitiorum, sed custodia meritorum fuit: quia Leviathan iste fatigando eum in afflictionem contrivit, sed non in culpam capiendo devoravit.

CAPUT XI.

In exposit. B. Job, lib. 24. num. 42.

PAULUS disciplinam tenuit, cum Corinthiis diceret: *Cum enim si inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* [1. Cor. 3. 3.] Sed humilitatem in disciplina non perdidit, quia deprecando præmonuit, dicens: *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* [1. Cor. 1. 10.] Rursum formam humilitatis tenuit, cum eisdem Corinthiis loquens, paulo latius fortasse quam voluerat semetipsum reprehendit, dicens: *Factus sum insipiens.* [2. Cor. 12. 11.] Sed disciplinam in hac humilitate non perdidit, quia illico adjunxit: *Vos me coegistis.* Exemplum magnæ humilitatis exhibuit, cum discipulis dixit: *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Dominum nostrum Jesum Christum, nos autem servos vestros per Christum.* Sed in hac humilitate disciplinæ justitiam non amisit, qui eisdem delinquentibus dicit: *Quid vultis, in virga veniam ad vos?* [1. Cor. 4. 21.] Sciunt ergo prædicatores sancti utroque moderamine artem magisterii temperare: & cum delinquentium reatus inveniunt, sciunt modo severe corripere, modo humiliter deprecari.

Ex Epistola ad Galatas.

1. 2. *Deinde autem post annos quatuordecim ascendi Jerosolymam*, j.

4. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio*, ij.

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 35. num. 30.

SCIENDUM summopere est quod obedientia aliquando si de suo aliquid habeat, nulla est: aliquando autem si de suo aliquid non habeat, minima. Nam cum hujus mundi successus præcipitur, cum locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem evacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat: neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad accipienda hujus vitæ prospera libidini propriæ ambitionis servit. Rursum cum mundi despectus præcipitur, cum probra adipisci, & contumeliæ jubentur, nisi ex semetipso animus appetat, obedientiæ sibi meritum minuit, qui ad ea quæ in hac vita despecta sunt, invitus nolensque descendit: ad detrimentum quippe obedientia adducitur, cum mentem ad suscipienda probra hujus seculi nequaquam ex parte aliqua etiam sua vota comitantur. Debet ergo obedientia, & in adversis ex suo aliquid habere, & rursum in prosperis ex suo aliquid omnimodo non habere: quatenus & in adversis tanto sit gloriosior, quanto divino ordini etiam ex desiderio jungitur, & in prosperis tanto sit verior, quanto a præsenti ipsa quam divinitus percipit, gloria funditus ex mente separatur. [Num. 31.] Sed hoc quidem virtutis pondus melius ostendimus, si cælestis patriæ duorum heroum facta memoremus. Moyses namque cum in deserto oves pasceret, Domino per Angelum in igne loquente vocatus est, [Exod. 3.] ut eripiendæ omni Israelitarum multitudini præesset; sed quia apud se mente humilis extitit, oblatam protinus tanti regiminis gloriam expavit, moxque ad infirmitatis patrocinium recurrit, dicens: *Non sum eloquens ab heri, & nudiustertius. Ex quo cæpisti loqui ad servum tuum, tardioris & impeditioris linguæ factus sum.* [Exod. 4. 10.] Et se postposito mitti alium postulat, dicens: *Mitte quem missurus es.* [Vers. 13.] Ecce cum auctore linguæ loquitur, & ne tanti regiminis potestatem suscipiat, elinguem se esse causatur. Paulus quoque divinitus fuerat admonitus, ut Jerosolymam ascendere debuisset, sicut ipse Galatis dicit: *Deinde post annos quatuordecim ascendi Jerosolymam, assumto Barnaba & Tito: ascendi autem secundum revelationem.* [Galat. 2. 1.] Isque in itinere cum Prophetam Agabum reperisset, [Act. 21.] quanta se adversitas in Jerosolymis maneret, audivit: scriptum quippe est quod idem Agabus zonam Pauli suis pedibus inserens, dixit: *Virum cujus zona hæc est, sic alligabunt in Jerusalem.* [Ibid. v. 11.] A Paulo autem protinus respondetur: *Ego non solum alligari, sed & mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Jesu: neque enim pretiosiorem facio animam meam quam me.* [Vers. 13.] Præceptione igitur revelationis Jerosolymam pergens adversa cognoscit, & tamen hæc libenter appetit: audit quæ timeat, sed ad hæc ardentius anhelat. Moyses itaque ad prospera de suo nihil habet, quia precibus renititur, ne Israeliticæ plebi

præ-

præferatur: Paulus ad adversa etiam ex suo voto ducitur, quia malorum imminentium cognitionem percipit, sed devotione spiritus etiam ad acriora fervescit. Ille præsentis potestatis gloriam Deo voluit jubente declinare; iste, Deo aspera & dura disponente, studuit ad graviora animum præparare. Præeunte ergo utrorumque ducum facto instruimur, ut si obedientię palmam apprehendere veraciter nitimur, prosperis hujus seculi ex sola jussione, adversis autem etiam ex devotione inclinemur.

CAPUT II.

In exposit. B. Job, lib. 30. num. 47.

PRÆDICATORES enim sancti nunc in lacrymis seminant, ut segetem postmodum gaudiorum metant. Nunc quasi cervæ in dolore partus sunt, ut spiritali prole postmodum sint fecundi. Ut enim unum de multis loquar, video Paulum quasi quamdam cervam in partu suo magni doloris rugitus emittentem. Ait enim: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, vellem esse apud vos modo, & mutare vocem meam; quoniam confundor in vobis.* Galat. 4. 19. Ecce mutare vult vocem in partu suo, ut prædicationis sermo in rugitum vertatur doloris; mutare vult vocem, quia quos jam prædicando pepererat, reformando gemens iterum parturiebat. Qualem rugitum hæc cerva pariens emittebat, quando eisdem post se redeuntibus exclamare cogebatur, dicens: *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit!* Ibid. 3. 1. & : *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini?* Vel certe: *Currebatis bene; quis vos impedivit veritati non obedire?* Qualis in hujus cervæ partu rugitus fuit, quæ diu conceptos filios cum tot difficultatibus peperit, & quandoque partos ad malitiæ uterum redisse cognovit? Consideremus quid doloris habuerit, quid laboris, quæ & postquam potuit concepta edere, rursum compulsa est extincta suscitare?

Ex Epistola ad Ephesios.

4 23. R*Enovamini spiritu mentis*, j.

IN EXPOSITIONE BEATI JOB,

lib. 25. num. 14.

ELECTORUM est actus suos quotidie ab ipso cogitationis fonte discutere, & omne quod turbidum profluit, ab intimis exsiccare. Sicut enim non sentimus quomodo crescunt membra, proficit corpus, mutatur species, nigredo capillorum albescit in canos (hæc quippe omnia nobis nescientibus aguntur in nobis) ita mens nostra per momenta vivendi, ipso curarum usu a semetipsa permutatur; & non agnoscimus, nisi vigilanti custodia ad interiora nostra residentes, profectus nostros quotidie defectusque pensemus. Hoc ipsum enim in hac mortali vita consistere, quasi ad vetustatem ire est. Et cum indiscussa mens relinquitur, in quodam senio torporis sopitur; quia sui negligens, & propositum robur insensibiliter perdens, a forma priori fortitudinis, dum nescit, senescit. Unde & per Prophetam sub Ephraim specie dicitur: *Comederunt alieni robur ejus, & nescivit: sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignoravit.* Osee 7. 9. Cum vero semetipsam quærit, & subtiliter pœnitendo se discutit, ab hac ipsa vetustate sua lota lacrymis & mœrore incensa renovatur, & quæ jam pene inveterata frixerat, per subministrata interni amoris studia novum calet. Unde Paulus Apostolus usu mortalis vitæ veterascentes discipulos admonet, dicens: *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Ephes. 4. 23. * Sed ad hæc agenda, valde exempla patrum, & sacri eloquii præcepta nos adjuvant. * Num. 15. Si enim Sanctorum opera inspicimus, & divinis jussionibus aurem præbemus, alia nos contemplata, alia audita succendunt, & cor nostrum torpore non constringitur, dum imitatione provocatur.

Ex Epistola ad Philippenses.

2 15. I*Nter quos lucetis, sicut luminaria magna*, j.
3 13. *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse*, ij.
3 20. *Nostra autem conversatio in cælis est*, iij.
4 17. *Non quæro datum, sed requiro fructum*, iv.

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 17. num. 22.

PER stellas singulorum bene viventium animæ designantur, qui inter pravorum hominum conversationes, dum magnis virtutibus eminent, quasi in tenebris noctis lucent. Unde per Paulum quoque discipulis dicitur: *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Philip. 2. 15

CAPUT II.

In exposit. B. Job, lib. 22. num. 12. & 13.

SANCTI viri de his quæ se minus egisse intelligunt, tristitiam requirunt; indignos se existimant, & pene soli bona sua non vident, quæ in se videnda omnibus ad exemplum præbent. Hinc est quod Paulus dum expleta in se bona postponeret, & sola adhuc reliqua quæ essent explenda cogitaret, dicit: *Ego me non arbitror apprehendisse.* Philip. 3. 13. Hinc est quod ut posset se de bonis quæ agebat humiliare, studebat ad animum præterita mala reducere, dicens: *Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus.* 1. Tim. 1. 13. Qui etsi aliquando dixit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi;* 2. Tim. 4. 7. intuendum summopere est, quia ea illo tempore intulit, quo jam ex tempore discessurum se esse cognovit. Ibi quippe præmisit, dicens: *Ego enim jam delibor, & tempus meæ resolutionis instat.* Ibid. v. 6. Tunc ergo ad memoriam perfectionem reduxit operis, cum jam prævidit ad largitatis spatium minime subesse tempus operationis. Sicut enim dum vivimus, debemus bona nostra a me-

memoria repellere ne extollant, ita appropinquante exitu; plerumque ea ad memoriam juste revocamus, ut videlicet fiduciam præbeant, & desperatum timorem premant. Qui etsi Corinthiis enumerando bona sua narravit, illos confirmare studuit, non se ostendere. Nam quia eadem bona non in se ostenderet, patefacta tribulatione propriæ tentationis edocuit, qua expressa subjunxit: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis*. (2. Cor. 12. 10) Ut ergo discipulos instrueret, de se summa referebat: ut vero se in humilitate custodiret, considerationis oculum, non in virtutibus suis, sed in in infirmitatibus fixerat.

CAPUT III.

In exposit. B. Job, lib. 31. num. 95.

VIDEAMUS aquilam nidum sibi in arduis construentem. Ait: *Nostra conversatio in cælis*. (Philip. 3. 20.) Et rursum. *Qui conresuscitavit, & consedere nos fecit in cælestibus*. (Ephes. 2. 6.) Tunc Paulus fortasse in carcere tenebatur, cum se consedere Christo in cælestibus testaretur: sed ibi erat ubi jam ardentem mentem fixerat, non illic ubi illum necessario pigra adhuc caro retinebat. Hoc namque esse speciale specimen electorum solet, quod sic sciunt præsentis vitæ viam carpere, ut per spei certitudinem noverint jam se ad alta provenisse: quatenus cuncta quæ præterfluunt, sub se esse videant; atque omne quod in hoc mundo eminet, amore æternitatis calcent.

CAPUT IV.

In exposit. B. Job, lib. 19. num. 22.

SANCTIS prædicatoribus debita ab audientibus stipendia conferuntur, & quos fatigat injunctus prædicationis labor, exhibita a discipulis pinguedo boni operis fovet; non quod ideo prædicent ut alantur, sed ideo alantur ut prædicent; id est ut prædicare subsistant: non ut in intentionem sumendi victus transeat actio prædicationis, sed ad utilitatem prædicationis deserviant ministeria sustentationis. A bonis ergo prædicatoribus non causa victus prædicatio impenditur, sed causa prædicationis accipitur victus. Et quoties prædicantibus necessaria ab audientibus conferuntur, non solent de rerum munere, sed de conferentium gaudere mercede. Unde per Paulum dicitur: *Non quæro datum, sed requiro fructum*. (Philip. 4. 17) Datum quippe, est res ipsa quæ impenditur; fructus vero dati est, si benigna mente futuræ mercedis studio aliquid impendatur. Ergo datum in re accipimus, fructum in corde. Et quia discipulorum suorum Apostolus mercede potius quam munere pascebatur, nequaquam datum, sed fructum se quærere fatetur. Unde & subdidit protinus, dicens: *Habeo autem omnia, & abundo*. (Vers. 18.)

Ex Epistola ad Colossenses.

3 9. EXuente vos veterem hominem cum actibus suis, j.

IN EXPOSITIONE BEATI JOB,

lib. 19. num 53.

CUNCTIS vera scientibus liquet, quod ad vetustam vitam vitia pertinent, virtutes ad novam. Hinc etenim Paulus dicit: *Exuentes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum*. (Coloss. 3. 9) Hinc rursus ait: *Vetus homo noster simul crucifixus est*. (Rom. 6. 6.) Hinc Psalmista ex typo humani generis loquens, inter malignos spiritus deprehensus dicit: *Inveteravi inter omnes inimicos meos*. (Psal. 6. 8.) A fervore etenim mentis, vel inter carnales inimicos ipso aliquomodo vivendi usu veterascimus, & assumtæ novitatis speciem fuscamus. A qua tamen vetustate si quotidie studia circumspectionis invigilant orando, legendo bene vivendo, renovamur: quia vita nostra dum lacrymis lavatur, bonis operibus exercetur, sanctis meditationibus tenditur, ad novitatem suam sine cessatione reparatur.

Ex Epistola ad Tessalonicenses prima.

2 18. VOluimus venire ad vos, ego quidem Paulus, j.

IN EXPOSITIONE BEATI JOB,

lib. 27. num. 56.

SÆPE enim prædicatores sancti exhortari quosdam volunt, sed nequeunt; sæpe quosdam declinare appetunt, sed tamen internæ instigationis impulsu exhortari eos instantissime compelluntur. Videamus nubem Dei, quomodo gubernantis manu, & ad ea quæ non appetit ducitur, atque ab impulsu suo iterum gubernantis manu retinetur. Certe Paulus cum vestimenta sua excutiens a Corinthiis discedere vellet, audivit: *Noli timere, sed loquere, & ne taceas, quoniam ego tecum sum, & nemo apponetur tibi ut noceat te, quoniam multus est mihi populus in hac civitate*. (Act. 18. 9.) Rursum cum ad Thessalonicenses voluisset ire retentus est, dicens: *Voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus, & semel & iterum; sed impedivit me Satanas*. (1. Thess. 2. 18) Neque enim per semetipsum Satan præpedire vias tanti Apostoli potuit, sed occultæ dispensationis nutibus, dum adversatur, nesciens deservivit. Ut nimirum Paulus dum ad alios vellet accedere, nec valeret, eis a quibus recedere non poterat, aptius prodesset.

Ex Epistola ad Thessalonicenses secunda.

2 4. EXtollens se super omne quod dicitur Deus; Deus autem, j.

2 6. Ut revelaretur in suo tempore. Nam mysterium, ij.

2 8. *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui*, iij.

CA-

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 29. num. 18.

SUPERBA Antichristi celsitudo, quæ super reprobas mentes hominum fastu gloriæ sæcularis erigitur, itaut homo peccator, & tamen æstimari homo despiciens, Deum se super homines mentiatur. Unde Paulus Apostolus dicit: *Itaut in templo Dei sedeat ostendens se, tamquam sit Deus.* (2. Thess. 2. 4.) Cujus ut tumorem plenius ostenderet, præmisit: *Qui adversatur & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Deus enim dici aliquando & homo potest juxta quod ad Moysen dicitur: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* (Exod. 7. 1.) Deus vero coli purus homo non potest. Quia vero se Antichristus, & super sanctos quoque homines, & super ipsius potentiam divinitatis extollit, per exactum sibi nomen gloriæ, & hoc quod Deus dicitur, & hoc quod Deus colitur, transire conatur. Notandum vero est in quantam superbiæ foveam cecidit, qui in mensura ruinæ qua lapsus est, non permansit. Diabolus quippe vel homo ab statu conditionis propriæ elata mente corruerunt, ut vel ille diceret: *Ascendam super altitudinem nubium; similis ero Altissimo.* (Isa. 14. 13.) Vel iste audiens crederet: *Aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii.* (Genes. 3. 5.) Idcirco ergo uterque cecidit, quia esse Deo similis non per justitiam, sed per potentiam concupivit; sed homo per gratiam liberatus qui Dei similitudinem perverse appetendo ceciderat, in reatu criminis sui longe Deo imparem se esse cognoscens, clamat: *Domine, quis similis tibi?* (Psal. 34. 10.) Diabolus vero in lapsus sui crimine juste dimissus, in mensura ruinæ suæ minime permansit, sed quanto diu ab omnipotentis gratia defuit, tanto magis reatum criminis cumulavit. Nam qui ideo cecidit, quia perverso ordine Deo esse similis voluit, eo usque perductus est, ut in Antichristum veniens, videri Deo esse similis dedignetur, atque eum quem habere non potuit superbus æqualem, damnatus inferiorem putet. Nam cum de illo hoc quod jam præmisimus, dicitur: *Extollens se supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur;* aperte monstratur, quia appetendo dudum Dei similitudinem, quasi juxta Deum se erigere voluit, sed in superbiæ culpam crescendo, jam se supra omne quod dicitur Deus & colitur, extollit.

CAPUT II.

In expositione B. Job, lib. 29. num. 15.

JOHANNES ait: *Nunc Antichristi multi facti sunt;* (1. Johan. 2. 18) quia iniqui omnes jam membra ejus sunt: quæ scilicet perverse edita caput suum male vivendo prævenerunt. Hinc Paulus ait: *Ut reveletur in suo tempore, nam mysterium jam operatur iniquitatis.* (2. Thess. 2. 6.) Ac si diceret: Tunc Antichristus manifestus videbitur; nam in cordibus iniquorum secreta sua jam nunc occultus operatur. Ut enim de apertioribus criminibus taceam, ecce alius fratri in corde suo tacitus invidet, & si occasionem reperiat, eum supplantare contendit: cujus alterius membrum est, nisi ejus de quo scriptum est: *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum?* Alius magni meriti esse se estimans, per tumorem cordis cunctis se præferens, omnes semetipso inferiores credit: (Sap. 2. 24.) cujus alterius membrum est, nisi ejus de quo scriptum est: *Omne sublime videt; & ipse est rex super omnes filios superbiæ?* (Job. 41. 25.) Alius mundi hujus potentiam quærit, non quo aliis prosit, sed quo ipse subditus alteri non sit: cujus alterius membrum est, nisi ejus de quo scriptum est: *Qui dixit, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis; ascendam super altitudinem nubium: similis ero Altissimo?* (Isa. 14. 13.) Solus quippe Altissimus ita dominatur super omnia, ut alteri subesse non possit. Quem diabolus imitari perverse voluit cum suum dominium quærens, ei subesse recusavit. Imitatur ergo diabolum quisquis, idcirco potestatem suam appetit, quia ei qui sibi est superna ordinatione præpositus, subesse fastidit.

* Sunt præterea plurima quæ quosdam in ipsa pace Ecclesiæ constitutos infideles esse renuntient. (* Num. 16.) Video namque nonnullos ita personam potentis accipere, ut requisiti ab eo, pro favore ejus non dubitent in causa proximi verum negare. Et quis est veritas nisi ille qui dixit: *Ego sum Via, Veritas, & Vita?* (Johan. 14. 6.) Neque enim Johannes Baptista de confessione Christi, sed de justitiæ veritate requisitus occubuit: sed quia Christus est Veritas, ad mortem usque idcirco pro Christo, quia videlicet pro veritate, pervenit. Ponamus ergo ante oculos quod aliquis percunctatus personam potentis accepit, & ne verbi saltem injuriam pateretur, veritatem negavit. Quid rogo iste faceret in dolore pœnarum, qui Christum erubuit inter flagella verborum? Ecce & posthæc ante oculos hominum adhuc Christianus est, & tamen si eum Dominus districte disposuit judicare, jam non est.

* Video autem alios, quibus per locum magisterii, exhortandi sunt officia arguendique commissa; (* Num. 17.) qui vident aliquid illicitum admitti, & tamen, dum quorumdam potentum offendere gratiam metuunt, arguere non præsumunt. Quisquis iste est, quid aliud fecit, nisi vidit lupum venientem & fugit? (Johan. 10.) Fugit quia tacuit, quia despecta æterna gratia temporalem gloriam plus amavit. Ecce ante potentis faciem intra sui se latebras silentii abscondit, & sicut persecutioni publicæ, sic occultum locum dedit timori. Bene de talibus dicitur: *Dilexerunt gloriam hominum magis quam Dei.* (Johan. 12. 43) Quisquis igitur talis est, si hæc districte judicantur & persecutio publica defuit, & tamen tacendo Christum negavit. Non ergo desunt, vel in pace Ecclesiæ Antichristi tentamenta. Nemo itaque illa persecutionis extremæ tempora, quasi sola perhorrescat; apud iniquos namque quotidie res Antichristi agitur, quia in eorum cordibus mysterium suum, jam nunc occultus operatur.

CAPUT III.

In exposit. B. Job, lib. 32. num. 12.

QUem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui, (2. Thessal. 2. 8.) qui non Angelorum bello, non Sanctorum certamine, sed per adventum judicis solo oris spiritu æterna morte ferietur.

Ex Epistola ad Timotheum prima.

6. 16. *Et lucem habitat inaccessibilem*, j.
6. 20. *Devitans prophanas vocum novitates*, (i)

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 18. *num.* 91.

VIDEBIMUS igitur Deum, ipsumque est præmium laboris nostri, ut post mortalitatis hujus tenebras accessa ejus luce gaudeamus. * Sed cum ejus lucem dicimus accessam, [* Num. 91.] [1. Tim. 6.16.] obsistit animo quod Paulus dicit: *Qui lucem habitat inaccessibilem, quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest*. Ecce rursus audio quod Psalmista ait: *Accedite ad eum, & illuminamini*. [Psal. 33. 6.] Quomodo ergn accedendo illuminamur, si ipsam lucem qua illuminari possumus non videmus? Si vero accedendo ipsam qua illuminamur lucem videmus, quomodo inaccessibilis esse perhibetur? Qua in re pensandum est quod inaccessibilem dixit omni homini, sed humana sapienti. Scriptura quippe sacra omnes carnalium sectatores humanitatis nomine notare solet. Unde idem Apostolus quibusdam discordantibus dicit: *Cum enim sint inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* [1. Cor. 3. 3.] Quibus paulo post subjecit: *Nonne & homines estis?* [Ibid. 2. 9.] Et unde alias testimonium protulit: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se*. Et cum hoc hominibus dixisset absconditum, mox subdidit: *Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum*; ipsum se ab hominis vocatione discernens, qui raptus super hominem divina jam saperet. Ita etiam hoc loco cum lucem Dei inaccessibilem perhiberet, ut ostenderet quibus, subdidit: *Quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest*. More suo homines vocans omnes humana sapientes; quia qui divina sapiunt, videlicet supra homines sunt. Videbimus igitur Deum si per cælestem conversationem supra homines esse mereamur; nec tamen ita videbimus sicut videt ipse semetipsum. Longe quippe dispariter videt Creator se, quam videt creatura Creatorem. Nam quantum ad immensitatem Dei, quidam [A] nobis modus figitur contemplationis, quia eo ipso pondere circumscribimur quo creatura sumus. * Sic profecto non ita conspicimus [* Num. 93.] Deum, sicut ipse conspicit se: sicut non ita requiescimus in Deo, quemadmodum ipse requiescit in se. Nam visio nostra vel requies, erit utcumque similis visioni vel requiei illius, sed æqualis non erit. Ne enim jaceamus in nobis, ut ita dicam, contemplationis penna nos sublevat, atque a nobis ad illum erigimur intuendum; raptique intentione cordis, & dulcedine contemplatinnis, aliquomodo a nobis imus in ipsum; & jam hoc ipsum ire nostrum minus est [B] requiescere; & tamen sic ire, perfecte requiescere est. Et perfecta ergn requies est, quia Deus discernitur, & tamen æquanda non est requiei illius qui non a se in alium transfit ut quiescat. Est itaque requies, ut ita dicam, similis atque dissimilis: quia quod illius requies est, hoc nostra imitatur. Namque ut beati atque æterni simus in æternum, imitamur æternum. Et magna nobis est æternitas, imitatio æternitatis, nec exortes sumus ejus quem imitari possumus; quia & videntes participamur, & participantes imitamur. Quæ nimirum visio nunc fide inchoatur, sed tunc [C] in specie perficitur, quando coæternam Dei sapientiam quam modo per ora prædicantium, quasi per decurrentia flumina sumimus, in ipso suo fonte biberimus.

CAPUT II.

In exposit. B. Job, lib. 18. *num.* 39.

SÆPE hæretici dum sua student perversa adstruere, ea proferunt quæ profecto in sacrorum librorum paginis non tenentur. Unde & discipulum suum prædicator egregius admonet, dicens: [D] *O Timothee! depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates*. [1. Tim. 6.20] Quia dum laudari hæretici tamquam de excellenti ingenio cupiunt, quasi nova quædam proferunt, quæ in antiquorum patrum libris veteribus non tenentur. Sicque fit ut dum videri sapientes desiderant, miseris suis auditoribus, stultitiæ semina spargant.

Ex Epistola a Titum.

1. 6. *Si quis sine crimine est*, j.

IN EXPOSITIONE BEATI JOB,

lib. 21. *num.* 19.

HOC inter peccatum distat & crimen, quod omne crimen peccatum est, non tamen omne peccatum crimen: & in hac vita multi sine crimine, nullus vero esse sine peccatis valet. Unde & prædicator sanctus, cum virum dignum gratia sacerdotali describeret, nequaquam dixit: Si quis sine peccato, sed: *Si quis sine crimine est*. [Tit. 1. 6.] Quis vero esse sine peccato valeat, cum Johannes dicat: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est*. [1. Johan. 1. 8.] In qua videlicet peccatorum & criminum distinctione pensandum est, quia nonnulla peccata animam polluunt, nam crimina extinguunt.

Ex Epistola ad Hebræos.

§ 1. 8. Et non docebit ultra unusquisque, j.
6 7. *Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem*, ij.
11 13. *Confitentes quod peregrini, & hospites sint super terram*, iii
11 27. *Invisibilem enim tamquam videns sustinuit*, iv.

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 30. num. 17.

Quid enim cælorum ratio accipitur, nisi vis superna secretorum, quid per cæli concentum, nisi concors prædicantium sermo designatur? Conditor igitur noster cum cælorum rationem narrare cœperit, dormire cæli concentum facit; quia cum jam nobis per speciem ostenditur, nimirum prædicantium verba subtrahuntur. Hinc enim per Jeremiam Dominus dicit: *Non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum, dicit Dominus*. Hinc Paulus ait: *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur*. Jerem. 31. 34. 1. Cor. 13. 8.

CAPUT II.

In exposit. B. Job, lib. 28. num. 20.

Si peccatoris animus pulvis est: quia in superficie attollitur, & tentationis aura raptatur, unde scriptum est: *Non sic impii, non sic, sed tamquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ*; nil obstat intelligi animam justi, de qua scriptum est: *Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam, opportunam illis a quibus colitur accipit benedictionem*. Psal. 1. 5. Hebr. 6. 7.

CAPUT III.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 48.

Quis autem in hoc mundo peregrinatur populus, nisi qui ad sortem electorum currens, habere se patriam novit in cælestibus, & tanto magis illic sperat invenire se propria, quanto hic cuncta quæ prætereunt esse a se deputat aliena? Peregrinus itaque est populus, omnium numerus electorum; qui hanc vitam quoddam sibi exilium deputantes, ad supernam patriam tota cordis intentione suspirant; de quibus Paulus dicit: *Confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram*. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Hanc peregrinationem idem quoque Apostolus tolerabat, cum diceret: *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus, & non per speciem*. Hujus peregrinationis ærumnas satagebat evadere, cum dicebat: *Desiderium habens dissolvi, & cum Christo esse*. Et rursum: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum*. Hujus peregrinationis pondus grave sentiebat Psalmista, cum diceret: *Heu me, quod incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar; multum incola fuit anima mea*. Ab hac eripi quantocius anhelabat, cum supernis desideriis flagrans diceret: *Sitivit anima mea ad Deum vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei*. Hebr. 11. 16. 2. Cor. 5. 6. Philip. 1. 23. Vers. 21. Psal. 119. 5. Psal. 41. 3.

CAPUT IV.

In exposit. B. Job, lib. 19. num. 21.

Perversi quique dum interna non appetunt, in suis se cogitatibus foras fundunt: unde eis per Prophetam dicitur: *Redite prævaricatores ad cor*. Et rursum: *Væ qui cogitatis inutile*. In actionibus quippe suis verentur homines quos corporaliter vident, & Deum sibi præsentem non æstimant esse quem non vident. Quo contra in laudem justi dicitur, dum Ægypti Regem contemneret, & Dei mandatis obediret: *Quia invisibilem tamquam videns sustinuit*. Perversum quippe terræ principem quasi non vidit, quem ab oculis cordis sui abjecit: Regem vero invisibilem tamquam videns sustinuit, quia ab ejus timoris intuitu mentis oculum non deflexit. Isa. 46. 8. Mich. 2. 1. Hebr. 11. 27.

ALULFI DE EXPOSITIONE NOVI TESTAMENTI.

PRÆFATIO

De quatuor Evangelistis, per quatuor animalia designatis.

Homil. 2. in Ezech. n. 18. PER sancta quatuor animalia, quæ Ezechieli Prophetæ ostenduntur in visione, sancti quatuor Evangelistæ, Matthæus videlicet, Marcus, Lucas, & Johannes figurantur: & sub Evangelistarum personis omnes simul perfecti significantur. Nec immerito per Evangelistas quatuor, perfectorum omnium numerus exprimitur: quia omnes, qui in Ecclesia modo perfecti sunt, perfectionis suæ rectitudinem per eorum Evangelium didicerunt. Homil. 3. in Ezech. n. 1. Sancta itaque quatuor animalia, per quæ quatuor Evangelistæ significantur, subtili narratione describuntur ab Ezechiele, cum dicitur: *Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni*. Quid per faciem nisi notitia, & quid per pennas, nisi volatus exprimitur? Per faciem quippe unusquisque agnoscitur; per pennam vero in altum avium corpora sublevantur. Facies itaque pertinet ad fidem, penna ad contemplationem. Per fidem namque ab omnipotenti Deo cognoscimur; sicut ipse de suis ovibus dicit: *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ*. Johan. 10. 14. & 15. Qui rursus ait: *Ego scio quos elegerim*. Johan. 13. 18. Per contemplationem vero, qua super nosmetipsos tollimur, quasi in aerem levamur. Quatuor ergo facies uni sunt: quia, si requiras quid Matthæus de incarnatione Domini sentiat; hoc nimirum sentit quod Marcus, Lucas, & Johannes. Si quæras quid Johannes sentiat; hoc proculdubio quod Lucas, Marcus, & Matthæus. Si quæras quid Marcus; hoc quod Matthæus, Johannes, & Lucas. Si quæras quid Lucas; hoc quod Johannes, Matthæus, & Marcus sentit. Quatuor ergo facies uni sunt, quia notitia fidei, qua cognoscuntur a Deo, ipsa est in uno, quæ est simul in quatuor. Quidquid enim in uno inveneris, hoc in omnibus simul quatuor recognosces. Et quatuor pennæ uni, quia Dei omnipotentis filium Dominum nostrum Jesum Christum, simul omnes concorditer prædicant, & ad divinitatem ejus mentis oculos levantes, penna contemplationis volant. Evangelistarum ergo facies ad humanitatem Domini pertinet, penna ad divinitatem: quia in eum, quem corporeum aspiciunt, quasi facies intendunt. Sed dum hunc esse incircumscriptum & incorporeum ex divinitate annuntiant, per contemplationis pennam quasi in aerem levantur. Quia itaque, & una est fides incarnationis ejus in omnibus, & par contemplatio divinitatis ejus in singulis, recte dicitur: *Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni*. Homil. 4. in Ezech. n. 1. Deinde etiam hæc eadem sancta animalia subtilius describuntur, ut per hæc Evangelistarum significari personas, ipsa

A subtilitas descriptionis aperiat, nihilque sermo Dei nostro intellectu dubietatis relinquat. Dicitur enim: *Similitudo vultus eorum, facies hominis, & facies leonis a dextris ipsorum quatuor: facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor, et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor*. Quod enim quatuor hæc animalia pennata sanctos quatuor Evangelistas designent, ipsa uniuscujusque libri evangelici exordia testantur. Nam quia ab humana generatione cœpit, jure per hominem Matthæus; quia per clamorem in deserto, recte per leonem Marcus; quia a sacrificio exorsus est, bene per vitulum Lucas; quia vero a divinitate Verbi cœpit, digne per aquilam significatur Johannes. Qui dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat* Johan. 1. 1.
B *apud Deum, et Deus erat Verbum*; dum in ipsam divinitatis substantiam intendit, quasi more aquilæ in solem oculos fixit. Sed quia electi omnes membra sunt Redemtoris nostri, ipse autem Redemtor noster caput est electorum omnium: per hoc quod membra ejus figurata sunt, nil obstat, si in his omnibus etiam ipse signetur. Ipse enim unigenitus Dei filius veraciter factus est homo: ipse in sacrificio redemtionis nostræ dignatus est mori, ut vitulus: ipse per virtutem suæ fortitudinis surrexit, ut leo. Leo etiam apertis oculis dormire perhibetur: quia in ipsa morte, in qua ex humanitate Redemtor noster dormire potuit, ex divinitate sua immortalis permanendo vigilavit. Ipse etiam post resurrectionem suam ascendens ad
C Cælos, in superioribus est elevatus, ut aquila. Totum ergo simul nobis est, quia & nascendo homo, & moriendo vitulus, & resurgendo leo, & ad cælos ascendendo aquila factus est. Sed quia per hæc animalia Evangelistas quatuor, & sub eorum specie simul perfectos omnes jam superius significari diximus; restat ut quomodo unusquisque electorum istis animalium visionibus exprimatur, ostendamus.

Omnis etenim electus & in via Domini perfectus, & homo, & vitulus, & leo simul, & aquila est. Homo enim rationale est animal: Vitulus autem in sacrificio mactari solet. Leo vero fortis est bestia, sicut scriptum est: *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum*. Prov. 30. 30 Aquila ad subli-
D mia volat, & irreverberatis oculis solis radios intendit. Omnis itaque, qui in ratione perfectus est, homo est. Et quoniam semetipsum ab hujus seculi voluptate mortificat, vitulus est. Quia vero ipsa sua spontanea mortificatione contra adversa omnia fortitudinem securitatis habet, leo est. Unde

a. Cur expositionem hanc Paterianæ attexuerim collectioni, aperuimus in Præfatione. De Alulfo legenda quæ ibidem diximus.

de scriptum est : *Justus autem quasi leo confidens, absque terrore erit*. (Prov. 28. 1.) Quia vero sublimiter contemplatur ea, quæ cælestia & æterna sunt, aquila est. Igitur quoniam justus quisque per rationem homo: per sacrificium mortificationis suæ, vitulus: per fortitudinem securitatis, leo: per contemplationem vero efficitur aquila: recte per hæc sancta animalia signari unusquisque perfectus potest. Quod idcirco dicimus, ut ea quæ de quatuor animalibus dicta sunt, pertinere etiam ad perfectorum singulos demonstremus.

Sed magna nobis de iisdem Evangelistis, & sanctis prædicatoribus quæstio oritur, cur homo & leo a dextris ipsorum quatuor, vitulus vero a sinistris ipsorum quatuor esse perhibeatur. Neque enim sine mira ratione est, cur duo illa a dextris, & unum hoc esse a sinistris dicatur. Et rursum quærendum est, cur aquila non a dextris, vel sinistris, sed desuper ipsorum quatuor esse memoretur. Duas itaque nobis quæstiones objecimus, quas oportet ut, aperiente Domino, dissolvamus. Homo igitur & leo a dextris: vitulus vero a sinistris esse perhibetur. A dextris etenim læta, a sinistris vero tristia habemus. Unde & sinistrum nobis esse dicimus hoc quod adversum esse deputamus. Et sicut præfati sumus, per hominem incarnatio, per vitulum passio, per leonem vero auctoris nostri resurrectio designatur. De incarnatione autem unigeniti filii, qua redemti sumus, omnes electi lætati sunt: de morte vero illius, ipsi electorum primi sancti Apostoli contristati, qui iterum de ejus resurrectione sunt gavisi. Quia ergo & nativitas ejus, & resurrectio lætitiam discipulis præbuit, quos ejus passio contristavit, homo & leo a dextris; vitulus vero a sinistris fuisse describitur. Ipsi namque sancti Evangelistæ de ejus humanitate gavisi sunt, de ejus resurrectione confirmati, qui de ejus passione fuerant contristati. Homo ergo & leo eis a dextris est, quia Redemtoris nostri eos incarnatio vivificavit, resurrectio confirmavit. Sed vitulus a sinistris, quia mors illius eos ad momentum temporis in infidelitatem prostravit. Jure autem locus aquilæ non juxta, sed desuper esse describitur: quia sive per hoc, quod ejus ascensionem signat, seu quia Verbum Patris, Deum apud Patrem esse denuntiat, super Evangelistas ceteros virtute contemplationis excrevit, cum quibus & simul de ejus Deitate loquitur, hanc tamen omnibus subtilius contemplatur. Sed si aquila cum aliis tribus adjuncta, quatuor animalia esse memorantur: mirum quomodo desuper ipsorum quatuor esse describitur, nisi quia Johannes per hoc, quod in principio Verbum vidit, etiam super semetipsum transiit: nam nisi & se transiisset, Verbum in principio non vidisset. Qui ergo & semetipsum transgressus est, non jam solummodo super tria, sed adjuncto & se, super quatuor fuit. Præterea de eisdem sanctis animalibus quærendum est, cum singulis distincta imaginibus describantur, ut aliud homini, aliud leoni, aliud vitulo, aliud aquilæ simile dicatur, quid sit quod paulo superius de omnibus simul dicatur: *Similitudo hominis in eis?* (Ibid. hom. 2. num. 19.) Sed quis hic modo describitur, nisi ille, de quo scriptum est: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo?* (Philip. 2. 6.) Hæc itaque animalia, ut surgere valeant ad sanctitatis virtutem, ad hujus hominis tendunt similitudinem; sancta enim non essent, si hujus hominis similitudinem non haberent: quia quidquid in eis de visceribus pietatis, quidquid de mansuetudinis spiritu, quidquid de zelo rectitudinis, quidquid de custodia humilitatis, quidquid de fervore caritatis est: hoc ab ipso fonte misericordiæ, ab ipsa radice mansuetudinis Dei, ab ipsa virtute justitiæ, id est a Mediatore Dei & hominum Domino Deo traxerunt.

Hujus se hominis similitudinem habere prædicator egregius ostendit, dicens: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. (1. Cor. 11. 1.) Ad ejus nos similitudinem surgere admonet, cum dicit: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem ejus, qui de cælo descendit*. (1. Cor. 15. 49.) Sanctus etenim quisque in tantum ad similitudinem hujus hominis dicitur, in quantum vitam sui Redemtoris imitatur. Nam ejus mandatis, & operibus discordare, quid est aliud quam a similitudine longe recedere? Ad hujus similitudinem hominis surgere festinabat Propheta, cum diceret. *In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas*. (Psal. 118. 15. Ibid. nonnullis interpositis.) Qui enim tacitus in mente vias Domini considerat, & sese exercere in mandatis illius festinat, quid aliud in semetipso, nisi imaginem novi hominis reformat? Quod quia in Sanctorum cordibus incessanter agitur, recte de sanctis animalibus dicitur, quod in eis est similitudo hominis: quia quod sancta, quod mira sunt, hoc in eis de specie similitudinis est, id est de virtute imitationis.



IN

INCIPIUNT CAPITULA

DE EVANGELIO SECUNDUM MATTHÆUM.

1 *Liber generationis Jesu Christi filii David.*
2 *Et post transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel.*
3 *Non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum.*
4 *At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judæ.*
5 *Post baptismum ductus est Jesus in desertum a spiritu, &c.*
6 *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.*
7 *Assumsit eum diabolus in montem excelsum valde.*
8 *Angeli accesserunt, & ministrabant ei.*
9 *Vidit Petrum & Andream: & vocavit eos.*
10 *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*
11 *Beati qui lugent.*
12 *Vos estis sal terræ.*
13 *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, &c.*
14 *Nolite putare, quoniam veni solvere legem, &c.*
15 *Qui solverit unum de mandatis istis minimis.*
16 *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.*
17 *Item unde supra.*
18 *Si offers munus tuum ad altare, &c.*
19 *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam.*
20 *Si oculus tuus dexter scandalizat te.*
21 *Si quis tulerit tibi tunicam, dimitte illi & pallium.*
22 *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.*
23 *Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua.*
24 *Amen dico vobis: receperunt mercedem suam.*
25 *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum.*
26 *Diligite inimicos vestros.*
27 *Item unde supra.*
28 *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.*
29 *Cum jejunatis, &c. Exterminant facies suas, ut appareant jejunantes.*
30 *Attendite a falsis Prophetis.*
31 *A fructibus eorum cognoscetis eos.*
32 *Non omnis qui dicit mihi, Domine.*
33 *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.*
34 *Item unde supra.*
35 *Panem nostrum quotidianum.*
36 *Dimitte nobis debita nostra.*
37 *Ne nos inducas in tentationem.*
38 *Si enim dimiseritis hominibus.*
39 *Quærite primum regnum Dei.*
40 *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?*
41 *Nescio vos unde sitis.*
42 *Item unde supra.*
43 *Domine, puer meus jacet paralyticus.*
44 *Cæci illuminati diffamaverunt Jesum.*
45 *Estote prudentes sicut serpentes.*
46 *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine.*
47 *Veni separare hominem, &c. Inimici hominis domestici.*
48 *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ.*
49 *Quid existis in desertum videre, arundinem vento agitatam?*
50 *Quid existis in desertum videre? Prophetam? Dico vobis, & plusquam Prophetam.*
51 *A diebus Johannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur.*
52 *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.*
53 *Si quis vult post me venire.*
54 *Videte ne contemnatis, &c. Angeli eorum semper vident faciem Patris.*
55 *Si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes.*
56 *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ.*
57 *Venite ad me omnes qui laboratis.*
58 *Tollite jugum meum super vos.*
59 *Discite a me, quia mitis sum.*
60 *Malus homo de malo thesauro profert mala.*
61 *De omni verbo otioso reddenda est ratio.*
62 *Colligite primum zizania, & ligate ea.*
63 *Mittet Filius hominis Angelos suos.*
64 *Item unde supra.*
65 *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare.*
66 *Dominus ambulans supra mare.*
67 *Quodcumque ligaveris super terram.*
68 *Absit a te, Domine, Non erit tibi hoc.*
69 *Reges terræ a quibus accipiunt tributa.*
70 *Non omnes capiunt verbum hoc.*
71 *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me.*
72 *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, &c.*
73 *Cum venissent operatores vineæ, acceperunt singulos denarios.*
74 *Nonne ex denario convenisti mecum?*
75 *Jesus stans, duos cæcos illuminavit.*
76 *Legatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores.*
77 *Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, ne faciatis.*
78 *Omnia opera sua faciunt.*
79 *Liquantes culicem, camelum glutientes.*
80 *Væ vobis hypocritæ.*
81 *Item unde supra.*
82 *Orate ne fiat vestra fuga hyeme, vel Sabbato.*
83 *Si dixerint: Ecce in deserto est, nolite exire.*
84 *Sicut fulgur exit ab Oriente.*
85 *Quis putas est fidelis servus?*
86 *Fatuæ virgines non sumserunt oleum secum.*
87 *Date nobis de oleo vestro.*
88 *Novissime vero veniunt, &c. dicentes: Domine, Domine, aperi nobis.*
89 *Amen dico vobis: Nescio vos.*
90 *Cum venerit filius hominis in majestate.*
91 *Venite, benedicti Patris mei.*
92 *Hospes fui, & suscepistis me.*
93 *Quamdiu fecistis uni de his fratribus minimis.*
94 *Tunc dicet & his, qui a sinistris ejus erunt.*
95 *Discedite a me maledicti in ignem æternum.*
96 *Esurivi, & non dedistis mihi manducare.*
97 *Ibunt impii in supplicium æternum.*
98 *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.*
99 *Judas laqueo se suspendit.*
100 *Multa passa sum per visum hodie propter eum.*
101 *Et ecce velum templi scissum est.*
102 *Et multa corpora Sanctorum surrexerunt.*
103 *Erat aspectus Angeli sicut fulgur.*
104 *Respondens autem Angelus, dixit mulieribus: Nolite timere, &c. Surrexit, &c.*

Præ-

Præfatiuncula de beato Matthæo.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 41.

OMnipotens Deus, occulto consilio, quosdam ab ipsis ætatis suæ exordiis innocentes custodiens, usque ad virtutum culmen provehit: alios autem in exordiis suis deserens, scaturientibus vitiis, ire per abrupta permittit. Plerumque tamen etiam eos respicit, & ad sequendum se sancti amoris igne succendit, atque inolitas in eorum cordibus prurigines vitiorum, vertit in fervorem virtutum: & eo magis ignescunt ad desiderium requirendæ pietatis Dei, quo magis erubescunt suæ memoriam iniquitatis. De talibus Evangelista Matthæus fuerat, qui terrenis negotiis implicatus, telonii usibus serviebat: sed cum eum Dominus ad telonium sedentem videret, ut ad se revocaret, cor ejus durum & frigidum, divini amoris igne tactum succenditur, & a terrena, quam prius tenuit, actione separatur, & ad sequendam cælestem vitam, desideriorum æstu roboratur: ut, sicut prius durus fuerat in amorem seculi, ita postmodum se fortem exhiberet in amorem Dei: & quod antea renuebat audire, jam credere inciperet & prædicare. Sanctæ quippe Ecclesiæ fortis propugnator extitit, cujus videlicet lingua quasi acutissimo gladio, Evangelii administratione Dominus infidelium corda transfixit. Qui igitur infirmus prius despectusque per terrena negotia, fortis postmodum factus est ad cælestia prædicamenta. Non ergo in eo debet despici quidquid fuit, qui jam cœpit esse quod non fuit.

Ibid. n. 44.

LIBER PRIMUS.

EXPOSITIO
EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM.

CAPUT PRIMUM.

Abraham genuit Isaac; Isaac genuit Jacob.

Homil. 25 in Evang. n. 8. et expos. B. Job, lib. 33. num. 17.

De eo quod per incarnationem suam Christus diabolum captivavit.

DOMINUS noster Jesus Christus ad redemtionem humani generis veniens, velut quemdam de se in necem diaboli hamum fecit. Quis enim nesciat, quod in hamo esca ostenditur, aculeus occultatur? Esca quippe provocat, ut aculeus pungat. Assumsit itaque Dominus noster corpus, ut in eo diabolus, quasi suam escam mortem carnis appeteret. Quam mortem dum in illo injuste appetiit, eos, quos quasi juste tenebat, amisit. In hamo ergo incarnationis ejus captus est: quia dum in illo appetiit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis. Ibi quippe inerat humanitas, quæ ad se devoratorem duceret: ibi divinitas quæ perforaret: ibi aperta infirmitas quæ provocaret: ibi occulta virtus, quæ raptoris faucem transfigeret. In hamo igitur captus est, quia inde interiit, unde devoravit: & in Redemtore nostro, dum per satellites suos escam corporis momordit, divinitatis illum aculeus perforavit. Quasi hamus quippe fauces glutientis tenuit, dum in illo & esca carnis patuit, quam devorator appeteret: & divinitas passionis tempore latuit, quæ necaret. In hac quippe aquarum abysso, id est ab hac immensitate generis humani, ad omnium mortem inhians, vitam pene omnium vorans, huc illucque aperto ore cetus iste ferebatur: sed ad mortem ceti istius, hamus in hac aquarum profunditate caliginosa, est mira dispositione suspensus. Hujus hami linea, illa est per Evangelium antiquorum patrum propago memorata. Nam, cum dicitur: *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob*: cumque ceteri successores, interposito Joseph nomine, usque ad Mariam Virginem desponsatam describuntur, quasi quædam linea, in cujus extremo incarnatus Dominus, id est hamus iste ligaretur, quem in his aquis humani generis dependentem aperto ore cetus iste appeteret; sed ore per satellitum suorum sævitiam morso, mordendi vires ulterius non haberet. Ad mortem igitur ceti humanis mortibus insidiantis, Dominus incarnatum Unigenitum filium suum misit, in quo dum mortalis caro conspicitur, & immortalitatis potentia non videtur, quasi hamus fauces raptoris tenuit, & sese mordentem momordit, & inde devorantem peremit, unde acumen potentiæ, quo transfigeret, occultavit.

CAPUT II.

Matt. I. 12.

Et post transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel.

a De lapide angulari Christo, qui fecit utraque unum. *Psal. 117. 22. In exposit. B. Job, lib. 28. num. 16.*

[a] PSalmista de Domino dicit: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Lapis angularis Dominus Jesus dicitur, vel quia in se hinc Judaicum, illinc Gentilem populum suscipiens in una Ecclesiæ fabrica, quasi duos parietes jungit: vel quia in terra, plebi Israeliticæ nationes Gentium copulans, utramque simul Angelis in cælo sociavit. Hujus lapidis typum Jechonias rex tenuit, quem Matthæus, dum quaterdenas generationes describeres, secundo numeravit. Quem enim fini secundæ, ipsum rursum initio tertiæ generationis inseruit: ipse namque in Babyloniam cum Israelitica plebe migratus est, qui dum ab aliis ad alia ducitur, pro utriusque parietis latere non immerito secundo numeratur: cujus migrationis flexus angularem lapidem designat. Ubi enim ordo a rectitudine flectitur, ut eat in diversum, tamquam angulum facit. Recte ergo numerari bis potuit, quia per utrumque parietem, quasi duo in se latera ostendit. Unde & ejus bene imaginem tenuit qui in Judæa ortus, Gentilitatem colligens, quasi Jerosolymis Babylo-

a Hæc non habentur iisdem omnino verbis apud S. Greg. multa quoque alibi aut addit Alulfus, aut detrahit; quod semel hic notare sufficiat.

loniam venit: atque hanc in semetipso fidei fabricam prius discordiæ studio scissam, arte caritatis intexuit.

CAPUT III.

Matt. 1. 25.

Accepit Joseph Mariam conjugem suam; & non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum, & vocavit nomen ejus Jesum.

De virginitate beatæ Mariæ. In exposit. B. Job, lib. 8. num. 89.

NON cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum. Ita dictum debet intelligi: non quod hanc post nativitatem Dei cognoverit, sed quod nequaquam illam contigit, etiam cum sui Conditoris matrem esse nescivit. Nam quia eam nequaquam contingere valuit, postquam redemtionis nostræ ex ejus utero celebrari mysterium agnovit, de illo profecto tempore necesse erat ut Evangelista testimonium ferret, de quo propter Joseph ignorantiam dubitari potuisset. Sic namque & per Psalmistam dicitur: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Non quod a dextris Domini nequaquam Dominus sedeat, postquam inimicos illius feriens, ejus potestati substernit: sed quod in æterna cunctis beatitudine præsidet etiam priusquam rebellium suorum corda conculcet. In qua nimirum sententia constat, quia subjectis hostibus sine fine & posterius regnat.

Psal. 109. 1. 2.

CAPUT IV.

Matt. 2. 5.

At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judæ.

De loco nativitatis Christi. In exposit. B. Job, lib. 35. num. 26.

ISRAELITÆ prius Christum cognoverunt, quem in passione sua, post quasi incognitum contemserunt. Nam nasciturum Christum, nullus, qui plene legem didicit, ignoravit. Unde & Herodes rex Magorum occursione perterritus, Sacerdotes & Principes studuit solerter inquirere, ubi Christum nasciturum esse præscirent. Cui protinus responderunt: *In Bethlehem Judæ.* Prius ergo noverant, quem passionis suæ tempore dum despicerent, ignorabant.

CAPUT V.

Matt. 4.

Postquam Dominus Jesus in Jordane baptizatus est a Johanne, ductus est in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo.

De tentatione Domini. In exposit. B. Job, lib. 24. num. 27.

HOstis noster adhuc in hac vita nos positos, quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit: eos enim pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit. Contra nos vero eo vehementius incitatur, quo ex corde nostro, quasi ex jure propriæ habitationis expellitur. Hoc enim in seipso Dominus sub quadam dispensatione figuravit, qui diabolum nonnisi post baptisma se tentare permisit: ut signum nobis quoddam futuræ conversionis innueret, quod ejus membra, postquam ad Deum proficerent, tunc acriores tentationum insidias tolerarent.

CAPUT VI.

Matt. 4. 5.

Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.

In exposit. B. Job, lib. 2. num. 43.

ANtiquus hostis Redemtorem humani generis, debellatorem suum, in mundum venisse cognovit. Unde & per obsessum hominem in Evangelio dicit: *Quid nobis & tibi, fili Dei, venisti huc ante tempus torquere nos?* Qui tamen prius cum hunc passibilem cerneret, & posse mortalia perpeti humanitatis videret, omne quod de ejus suspicatus est divinitate, ei in dubium venit suæ fastu superbiæ. Nil quippe nisi superbum sapiens, dum hunc esse humilem conspicit, Deum esse dubitavit. Unde & ad tentationum argumenta se convertit, dicens: *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Quia igitur passibilem vidit, non hunc esse Deum credens, dubitando tentavit, sed tentando conscientiam ejus penetrare, mentemque ejus tentatione turbare non potuit.

Matt. 9. 28.

CAPUT VII.

Iterum assumsit eum diabolus in montem excelsum valde.

Matt 4. 2.

De eodem. In exposit. B. Job, lib. 1. num. 30.

NEquaquam sicut nos, qui puri homines sumus, irruente sæpe tentatione, concutimur, ita Redemtoris nostri anima tentationis est necessitate turbata. Hostis namque noster cum Deum incarnatum esse dubitaret, & hoc ex petitis miraculis tentando cognoscere vellet, etsi in excelsum montem cum permissus assumsit, si daturum se ei regna mundi perhibuit, si quasi in panem vertendos lapides ostendit: mentem tamen Mediatoris Dei & hominum tentatione quassare non valuit. Sic enim dignatus est hæc exterius cuncta suscipere, ut tamen ejus mens interius divinitati suæ inhærens, inconcussa permaneret. Qui etsi quando turbatus spiritu infremuisse dicitur, ipse tamen divinitus disponebat, quantum ipse humanitus turbaretur; immutabiliter omnibus præsidens, & semetipsum mutabilem in satisfactione infirmitatis ostendens. Quietus ergo in semetipso manens, disposuit quidquid pro ostendenda humanitate, quam susceperat, etiam turbulentus fecit.

Joban. 11.

CAPUT VIII.

Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

Matt 4. 11.

De duabus in Christo naturis. Homil. 8. in Ezech. n. 24.

POstquam unigenitus Patris minoratus paulominus ab Angelis, incarnatus apparuit, mox Deus homo per humanitatem potestate sub Angelis fuit, qui & priusquam per resurrectionis exaltaretur gloriam, divinitate super Angelos fuit. De ipso quippe ante passionem scriptum est: *Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Sed tamen ut humanitatis ejus infirmitas monstraretur, rursum de eo scriptum est: *Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum.* In documento ergo utriusque naturæ, huic & Angeli ministrare, hunc & Angelus confortare describitur. Unus quippe in utraque natura est, quoniam qui Deus ante secula extitit, homo factus est in fine seculorum. Cui tamen ante passionem suam, & Angeli ministrant, & hunc Angelus confortat: post passionem vero & resurrectionem ejus, huic Angeli ministrare possunt, sed jam hunc confortare non possunt: quia humanitatem, quam descendendo sub Angelis assumsit, ascendendo super Angelos exaltavit.

Luc. 22. 34.

CA-

CAPUT IX.

Matt. 4.18.

Ambulans Jesus juxta mare Galileæ, vidit Petrum & Andream mittentes rete in mare, & ait illis: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.

De vocatione prædicatorum. In exposit. B. Job, lib. 33. num. 14. 1. Cor. 1.27.

INfirmos prædicatores mundo Dominus exhibuit, & per eos, potentes quosque devicit. Attestante quippe Paulo: *Infirma mundi prius elegit Deus, ut post confunderet fortia*: Elegit quippe stulta mundi, ut confunderet sapientes: prius namque collegit indoctos, & postmodum philosophos: & non per oratores docuit piscatores, sed mira potentia, per piscatores subegit oratores.

CAPUT X.

Matt. 5.9

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.

De sanctificatione paupertatis. In exposit. B. Job, lib. 26. num. 49.

SCriptura sacra plerumque pauperes humiles vocare consuevit; unde in Evangelio cum adjectione spiritus nominantur. Quos enim divitiæ visibiliter potentes ostendunt, apud semetipsos pauperes sunt, qui in suis conscientiis elati non sunt.

CAPUT XI.

Matt. 5.5.

Beati qui lugent.

De fructu compunctionis. Homil. 2. in Evang. n. 8.

REvocemus, fratres, ante oculos peccata quæ fecimus: consideremus quam terribilis judex adveniat hæc puniturus. Mentem formemus ad lamenta, vita nostra ad tempus amarescat in pœnitentia, ne amaritudinem æternam sentiat in vindicta. Per fletus quippe ad æterna gaudia ducimur, Veritate pollicente, quæ ait: *Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur*. Ad fletum vero per gaudia venitur, hoc eadem Veritate attestante, quæ ait: *Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis, & flebitis*. Si ergo retributionis gaudium quærimus in perventione, pœnitentiæ amaritudinem in via teneamus.

Luc. 6.25.

CAPUT XII.

Matt. 5.13.

Vos estis sal terræ.

De doctoribus sanctæ Ecclesiæ. Homil. 17. in Evang. n. 16.

COnsiderandum nobis est, fratres carissimi, quod quia una eademque exhortationis voce non sufficit simul cunctos admonere, studeat quisque singulos, in quantum valet, instruere, privatis locutionibus ædificare. Debemus namque pensare quod a Domino sanctis dicitur Apostolis, & per Apostolos nobis: *Vos estis sal terræ*. Si igitur sal sumus, condire mentes fidelium debemus. Vos igitur, qui Pastores estis, pensate quia animalia Dei pascitis; de quibus profecto animalibus Deo per Psalmistam dicitur: *Animalia tua habitabunt in ea*. Et sæpe videmus quod petra salis brutis animalibus anteponitur, ut ex eadem salis petra lambere debeant, & meliorari. Quasi ergo inter bruta animalia petra salis debet esse Sacerdos in populis. Curare namque Sacerdotem necesse est, quæ singulis dicat: unumquemque qualiter admoneat: ut quisquis Sacerdoti jungitur, quasi ex salis tactu, æternæ vitæ sapore condiatur. Sal etenim non sumus, si corda audientium non condimus. Quod condimentum ille

Psal. 67.11.

A proximo veraciter impendit, qui prædicationis verbum non subtrahit. Sed tunc aliis vere recta prædicamus, si dicta rebus & exemplis ostendimus. Nullum autem puto, fratres carissimi, ab aliis majus præjudicium, quam a Sacerdotibus tolerat Deus: quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus, nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vacamus. Et quia eo ipso quo ceteris prælati sumus, ad agenda quælibet majorem licentiam habemus: susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum. Dei causas relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus

Hieronymus interpositus.

B implicamur. Impletum est in nobis quod Jeremias, considerans mortem nostram & deplorans, dicit: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum*. Aurum quippe obscuratum est, quia Sacerdotum vita quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba. Color optimus est mutatus, quia sanctitatis habitus per terrena, & abjecta opera ad ignominiam despectionis venit. Lapides vero sanctuarii intrinsecus habebantur, nec sumebantur in summi Sacerdotis corpore, nisi cum Sancta sanctorum ingrediens in secreto sui Conditoris apparebat. Nos ergo, fratres carissimi, nos sumus lapides sanctuarii, qui apparere semper debe-

Num. 15.

Thren. 4.1.

C mus in secreto Dei, quos numquam necesse est foris conspici, id est numquam in extraneis actibus videri. Sed dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum: quia hi, qui per vitam & orationem intus semper esse debuerant, per vitam reprobam foris vacant. Ecce jam pene nulla est seculi actio, quam non Sacerdotes administrent. Dum ergo in sancto habitu constituti, exteriora sunt quæ exhibent, quasi sanctuarii lapides foris jacent. Quia enim Græca voce *platea*, a latitudine vocatur, sanctuarii lapides in plateis jacent, cum religiosi quique lata mundi itinera sectantur. Nec solum in plateis, sed & in capite platearum dispersi sunt, quia & per desiderium hujus mundi opera peragunt, & tamen de religioso habitu culmen honoris quærunt. In capite

D ergo platearum dispersi sunt, quia & jacent per ministerium operis, & honorari volunt de imagine sanctitatis. Impletum est etiam in nobis, quod scriptum est: *Et erit sicut populus, sic Sacerdos*. Sacerdos enim non distat a populo, quando actionem vulgi nullo vitæ suæ transcendit merito, cui & exhortationis sale, & exemplo actionis bonæ, ad vitam æternam doctor & dux debet existere. Quid autem animas hominum, nisi cibum Domini dixerimus, quæ ad hoc sunt conditæ, ut in ejus corpore trajiciantur, id est ut in æternæ augmentum Ecclesiæ tendant. Sed hujus cibi condimentum nos esse debuimus; sicut enim diximus, missis prædicatoribus dicitur: *Vos estis sal terræ*. Si igitur cibus Dei est populus, condimentum ci-

Num. 14.

Osee 9. 9.

E bi Sacerdotes esse debuerunt. Sed quia dum nos ab orationis & eruditionis sanctæ usu cessamus, sal infatuatum est; condire non valet cibum Dei, & idcirco ab auctore non sumitur: quia exigente fatuitate nostra, minime conditur. Pensemus ergo, qui umquam per linguam nostram conversi, qui de perverso suo opere nostra increpatione correcti, pœnitentiam egerunt: quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit? quis avaritiam? quis superbiam declinavit? Sic quippe debemus age-

re curam nostri, ut non negligamus curam proximi, ut quisquis ad nos jungitur, ex linguæ nostræ sale condiatur. Iste itaque qui jam sanctus, admoneatur ut crescat. Ille vero qui adhuc iniquus est, admoneatur ut se corrigat: quatenus quisquis se ad Sacerdotem junxerit, sale sermonis illius conditus redeat.

CAPUT XIII.

Matt. 5. 16.

Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.

De bonorum operum ostensione. In exposit. B. Job, lib. 8. num. 13.

OCCULTANDA sunt bona, quæ agimus, ne hæc in hujus vitæ itinere incaute portantes, latrocinantium spirituum incursione perdamus. Et tamen Veritas dicit: *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est*. Sed aliud est profecto, cum in ostensione operis gloria quæritur largitoris: aliud, cum laus privata concupiscitur de dono largientis; ubi & rursus in Evangelio hæc eadem Veritas dicit:

Matth. 6. 1.

Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Opus ergo nostrum cum hominibus ostenditur, in cordis prius examine pensandum est, per ejusdem ostensionis studium quid quæratur. Si enim dantis gloriam quærimus, etiam publicata nostra opera in conspectu illius, occulta servamus. Si vero per hæc nostram laudem concupiscimus, foras ab ejus conspectu jam fusa sunt, etiamsi a multis ignorentur. Sed valde perfectorum est, sic ostenso opere, auctoris gloriam quærere, ut de illata laude, privata nesciant exultatione gaudere. Tunc namque solum innoxie hominibus laudabile opus ostenditur, cum per despectum mentis veraciter laus impensa calcatur: quam quia infirmi quique perfecte contemnendo non superant, restat necesse est ut bonum, quod operantur, abscondant.

CAPUT XIV.

Matt. 5. 17.

Nolite putare, quoniam veni solvere legem, sed adimplere.

De distantia duorum Testamentorum. Homil. 16. in Ezech. no. 9. Exod. 19. Matth. 5.

TESTAMENTUM vetus operum crimina compescuit, dari decimas præcepit: sed Testamentum novum cogitationes pravas coercuit, derelinqui omnia, & pro Deo vitam corporis jussit cum præsenti seculo despici. Minora quippe præcepta Israelitico populo per Legem data sunt; unde & eidem populo Moyses in campo locutus est. Altiora Dominus sanctis Apostolis dedit; unde & eosdem de vitæ mandatis in monte docuit. Dum vero Redemtor noster per Evangelium dicit: *Nolite putare, quoniam veni solvere Legem, aut Prophetas, non veni solvere, sed adimplere*: adimplere venerat Legem, qui Legis justitiæ gratiam addidit, ut quod illa jubebat in minimis, ipse perfici adjuvaret in summis; & quod illa coercebat ab opere, ipse resecaret a corde.

CAPUT XV.

Matt. 5. 19.

Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.

De his, qui docent quæ non faciunt.

DE doctoribus male viventibus Dominus dicit: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum*. Mandatum solvit & docet, quando hoc quisque voce prædicat, quod vivendo non implet. Sed ad regnum æternæ beatitudinis pervenire non valet, qui non vult opere implere quod docet. Quomodo ergo in eo minimus vocatur, quia ad hoc nullomodo intrare permittitur? Regnum itaque cælorum præsentem Ecclesiam appellat, de qua scriptum est: *Et colligent de regno ejus omnia scandala*. In superno enim regno scandala, quæ ex eo colligi debuerant, non habentur. Qui ergo mandatum solvit opere, & sic docet voce, in illo regno cælorum erit minimus: in isto nec minimus: in sancta vero Ecclesia doctor, qui mandatum solverit, minimus vocatur: quia cujus vita despicitur, restat ut & prædicatio contemnatur.

In exposit. B. Job, lib. 19. num. 23. Homil. 12. in Evang. sub init.

Matt. 13. 41.

CAPUT XVI.

Matt. 5. 22.

Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.

De subtili judicio Dei. In exposit. B. Job, lib. 21. num. 9.

SIC Dominus uniuscujusque actiones judicabit, ut ne minutissimæ quidem cogitationes ejus judicio, ac verba tenuissima, quæ apud nos usu viluerunt, indiscussa remaneant. Hinc etenim Dominus dicit: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui dixerit fratri suo, racha, reus erit concilio: qui dixerit, fatue; reus erit gehennæ ignis*. Racha quippe in Hebræo eloquio, vox interjectionis est, quæ quidem animum irascentis ostendit, nec tamen plenum verbum iracundiæ exprimit. Prius ergo ira reprehenditur sine voce, postmodum vero ira cum voce, sed necdum pleno verbo formata. Ad extremum vero cum dicitur, *fatue*, ira redarguitur quæ cum excessu vocis expletur, etiam perfectione sermonis. Et notandum quod in ira perhibet reum esse judicio: in voce iræ, quod est *racha*, reum concilio: in verbo vocis, quod est *fatue*, reum gehennæ. Per gradus enim culpæ, crevit ordo sententiæ: quia in judicio adhuc causa discutitur, in concilio autem jam causæ sententia definitur, in gehenna vero ignis ea quæ de concilio egreditur, sententia expletur. Quia ergo humanos actus subtili Dominus examinatione dijudicat: ira sine voce, judicio: ira in voce, concilio: ira vero in voce & sermone, gehennæ ignibus mancipatur.

CAPUT XVII.

Item unde supra.

In exposit. B. Job, lib. 5. num. 17.

SCIENDUM est autem, quoniam sæpe qui sunt in potestate, ad subjectorum contumelias passim erumpunt: & hoc quod invigilantes regimini serviunt, per linguæ procacitatem perdunt: minori scilicet formidine judicis verba pensantes, quia qui sine causa fratri, *Fatue*, dixerit, gehennæ se ignibus addicit.

CAPUT XVIII.

Matt. 5. 23.

Si offers munus tuum ad altare, &c.

De aliorum in nos relaxandis delictis. Dialog. lib. 4. c. 60. in pr.

SCIENDUM est, quia ille recte veniam a Domino postulat, qui prius hoc, quod in ipsum delinquitur, relaxat. Munus enim non accipitur, nisi ante discordia ab animo repellatur, dicente Veritate: *Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris quod habet aliquid adversum te frater tuus,*

tuus, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum. Qua in re pensandum est, cum omnis culpa munere solvatur, quam gravis sit culpa discordiæ, pro qua nec munus accipitur. Debemus itaque ad proximum, quamvis longe positum, longeque disjunctum, mente ire, eique animum subdere, humilitate illum ac benevolentia placare: ut scilicet Conditor noster, dum tale placitum nostræ mentis aspexerit, a peccato nos solvat, qui munus pro culpa sumit. Veritatis enim voce attestante didicimus: quia servus, qui decem millia talenta debebat, cum pœnitentiam ageret, absolutionem de debito accepit a domino: sed conservo suo centum sibi denarios debenti, cum non dimisit debitum, & hoc est jussus exigi, quod ei fuerat jam dimissum. Ex quibus videlicet dictis constat, quia si hoc, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, etiam rursus exigitur, quod nobis jam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus.

Matt. 18.

CAPUT XIX.

Matt. 5. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

De fornicationis, & adulterii distinctione. In expos. B. Job. lib. 21. num. 18.

ALIQUANDO a reatu adulterii nequaquam discrepat culpa fornicationis, cum Veritas dicat: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Quia Græco verbo, *mœchus*, adulter dicitur, cum non aliena conjux, sed mulier videri prohibetur, aperte Veritas ostendit quia etiam solo visu cum turpiter vel innupta concupiscitur, adulterium perpetratur. Quod tamen plerumque ex loco, vel ordine concupiscentis discernitur, quia scilicet sic hunc in sacro ordine studiosa concupiscentia, sicut illum adulterii inquinat culpa. In personis tamen non dissimilibus, idem luxuriæ distinguitur reatus, in quibus fornicationis culpa quia ab adulterii reatu discernitur, prædicatoris egregii lingua testatur, quæ inter cetera asserit, dicens: *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Quod enim disjunctæ reatu sententiæ subdidit, quam valde a se dissideat, ostendit.

1. Cor. 6. 9.

CAPUT XX.

Matt. 5. 29. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te.*

De vita activa, & contemplativa. In expos. B. Job. lib. 6. num. 57.

NONNULLI hominum ita otiosæ mentis sunt, ut si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant: & nonnulli ita inquieti sunt, ut si vacationem laboris habuerint, gravius laborent: quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentius ad cogitationes vacat. Unde necesse est ut nec quieta mens ad exercitationem se immoderati laboris dilatet, nec inquieta ad studium contemplationis angustet. Sæpe enim, qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt; & sæpe, qui occupati bene humanis usibus viverent, gladio suæ quietis extincti sunt. Hinc namque est, quod nonnulli inquieti spiritus, dum plus exquirunt contemplando quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt, & dum veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri erroris fiunt. Hinc per semetipsam Veritas dicit: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Bonum tibi est cum uno in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Duæ quippe vitæ, activa videlicet & contemplativa, cum servantur in mente, quasi duo oculi habentur in facie. Dexter enim oculus contemplativa vita est, sinister activa. Sed sunt nonnulli, ut diximus, qui discrete intueri summa & spiritualia nequaquam possunt, & tamen alta contemplationis assumunt, atque idcirco in perfidiæ foveam intellectus pravi errore dilabuntur. Hos itaque contemplativa vita ultra vires assumta, cogit a veritate cadere, quos in statu suæ rectitudinis humiliter poterat activa sola custodire: quibus recte hoc, quod præfati sumus, Veritas dicit: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Ac si aperte diceret: Cum ad contemplativam vitam idonea discretione non sufficis, solam securius activam tene. Cum & in hoc quod pro magno eligis, deficis, eo contentus esto quod pro minimo attendis; ut, si per contemplativam vitam a veritatis cognitione compelleris cadere, regnum cælorum per solam activam valeas saltem luscus intrare.

CAPUT XXI.

Si quis vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Matth. 5. 40.

DIVINA voce præcipitur: *Si quis tulerit tibi tunicam, & voluerit tecum in judicio contendere, dimitte illi & pallium.* Et rursum: *Si quis quod tuum est tulerit, ne repetas.* Hypocritæ tamen prælati assumto sancto conversationis habitu, filiorum custodiam deserunt, & temporalia quæque defendere etiam jurgiis quærunt. Exemplo suo discipulorum corda perdere non trepidant, & quasi per negligentiam amittere patrimonia terrena formidant; animarum damna æquanimiter tolerant, jacturam rerum temporalium repellere etiam cum spiritus commotione festinant. Nam quanto magis terrena diligunt, tanto privari eis vehementius pertimescunt. Quia enim mente in hoc mundo aliquid possidemus, non docemur nisi cum amittimus: sine dolore namque amittitur, quod sine amore possidetur. Quæ vero ardenter diligimus habita, graviter suspiramus ablata. Quis autem nesciat quia nostris usibus res terrenas Dominus condidit, suis vero animas hominum creavit? Plus ergo Deo se amare convincitur, qui neglectis his, quæ ejus sunt, propria tuetur. Perdere namque hypocritæ ea, quæ Dei sunt, id est animas hominum, non timent, & ea, quæ sua sunt, amittere, videlicet res cum mundo transeuntes, quasi districto judici posituri rationes timent; ac si placatum inveniant, cui, desideratis rebus, id est rationalibus perditis, insensibilia & non quæsita conservant.

De damnis temporalibus. In expos. B. Job. lib. 31. num. 21.

CAPUT XXII.

Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Matth. 6. 1.

QUISQUIS laudis concupiscentiam jam sufficit calcare, ædificationis fraudem perpetrat, si bona quæ agit occultat: & quasi jactato semine ra-

De contemtu laudis humanæ. Reg. Pastor. part. 3. c. 35.

radices subtrahit, qui opus, quod imitandum A est, non ostendit. Hinc namque Veritas dicit: *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Ubi illa quoque sententia promitur, quæ longe aliud præcepisse videtur, dicens: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Quid est ergo quod opus nostrum ita faciendum est, ne videatur; & tamen ut debeat videri, præcipitur: nisi quod ea, quæ agimus, & occultanda sunt, ne ipsi laudemur: & tamen ostendenda sunt, ut laudem cælestis Patris augeamus? Nam cum justitiam nostram coram hominibus facere Dominus prohiberet, illico adjunxit: *Ut videamini ab eis.* Et cum rursus videnda ab hominibus bona opera nostra præciperet, protinus subdidit: B *Ut glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Qualiter igitur essent videnda, & qualiter non videnda, ex sententiarum fine monstravit; quatenus operantis mens opus suum, & propter se videri non quæreret, & tamen hoc propter cælestis Patris gloriam non celaret. Unde fit plerumque ut bonum opus & in occulto sit, cum fit publice: & rursus in publico, cum agitur occulte. Qui enim in publico bono opere non suam, sed superni Patris gloriam quærit, quod fecit abscondit; quia illum solum testem habuit, cui placere curavit: & qui in secreto suo bono opere deprehendi ac laudari concupiscit, licet nullus fortasse viderit quod exhibuit, tamen hoc coram hominibus fecit: quia tot te- C stes in bono opere secum duxit, quot humanas laudes in corde requisivit.

Matt. 5. 16.

CAPUT XXIII.

Matt. 6. 3.

Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua.

Reg. Pastor. part. 3. c. 20 Ibid cap. 35.

DE expenso munere ne transitoria laus ab aliquo quæratur, & a Domino præcipitur: *Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Id est, dispensationi piæ nequaquam se gloria vitæ præsentis admisceat, sed opus rectitudinis appetitionem ignoret favoris. Valde namque bonum suum dijudicat, qui ad ejus mercedem sufficere favores D humanos putat. Cum enim pro recto opere laus transitoria quæritur, æterna retributione res digna, vili pretio venumdatur: de quo videlicet pretio Veritas dicit: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam:*

CAPUT XXIV.

Matt. 6. 2.

Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

De mercede hypocritarum. In exposit. B. Job, lib. 8. num. 69.

IN cunctis operibus suis hypocrita quærit honoris reverentiam, laudis gloriam, a melioribus metui, sanctus ab omnibus vocari. Sed cum transitoriis favoribus inhiat, perdit percipiendo quod laborat, veritate attestante, quæ ait: *Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.* Sed hæc merces teneri diu non potest, quia pro ostensis operibus honor tribuitur, sed vita ad terminum urgetur: laudes resonant, sed ad finem cum laudibus tempora festinant. Nequaquam quippe mentis ejus intentio in illa gloria figitur, quæ sine fine posidetur.

CAPUT XXV.

Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum. Matth. 6. 6.

De oratione. In exposit. B. Job. lib. 22. num. 43. 1. Reg. 1.

INTUS in desiderio cordis est secretus clamor orationis, qui ad humanas aures non pervenit, & tamen auditum replet Conditoris. Hinc est quod Anna ad templum pergens, ore quidem tacuit, & tamen tot sui desiderii voces emisit. Hinc in Evangelio Dominus dicit: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum: & clauso ostio, ora Patrem tuum: & Pater tuus, qui videt te in abscondito, reddet tibi.* Clauso quippe ostio, petit in cubiculo, qui tacente ore in conspectum supernæ pietatis fundit affectum mentis. Et vox auditur in abscondito, cum per sancta desideria silenter clamatur. Unde recte per Psalmistam quoque dicitur: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Psal. 9. 17.

CAPUT XXVI.

Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & oderis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. Matth. 5. 43.

IN novo Testamento nonnulla facta prohibentur, & magnæ culpæ esse deputantur, quæ sub veteri Testamento quondam tenere veritatis imaginem videbantur, & minoris culpæ forsitan esse poterant, atque putabantur: in quo Testamento per taurorum hircorumque victimas sacrificium non fuit ipsa veritas, sed umbra veritatis. Nam in Testamento novo, præceptis altioribus, manifestata per carnem veritate proficimus: justumque est ut facta quædam, quæ in illo populo umbræ veritatis deservierant, deseramus. Si quis vero per Testamentum vetus aliquam culpam, sicut est mendacium, vult tueri; quia minus illic quibusdam fortasse nocuerit, dicat necesse est rerum alienarum raptum, dicat retributionem injuriæ, quæ infirmis illic concessa sunt, nocere sibi non posse. Quæ omnia cunctis liquet, quanta animadversione veritas insequitur, quæ nobis jam suæ significationis umbra postposita, in vera carne declaratur.

In exposit. B. Job. lib. 18. num. 7.

CAPUT XXVII.

Item unde supra.

PATRES quippe Testamenti veteris ex permissione Legis acceperant, quatenus adversarios suos odii retributione percuterent, sicut in Lege scriptum est: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Accepta quippe tunc justis licentia fuerat, ut Dei suosque adversarios quanta possent virtute comprimerent, eosque jure gladii ferirent. Quod in novo proculdubio Testamento compescitur, cum per semetipsam prædicat Veritas, di- E cens: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos;* & ad patienter toleranda, quæ ab eis inferuntur mala, discipulos suos alibi cohortatur, dicens: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Idcirco possessio animæ in virtute ponitur patientiæ, quia radix omnium, custosque virtutum, patientia est. Per patientiam vero possidemus animas nostras: quia dum nobisipsis dominari discimus, hoc ipsum in-

Homil. 35. in Evang. n. 4. Levit. 19. 18. Ibid. hom. 35 num. 4. Luc. 21. 19.

incipimus possidere quod sumus. Patientia vero A est aliena mala æquanimiter perpeti, contra eum quoque, qui mala irrogat, nullo dolore morderi. Nam qui sic mala proximi portat, ut tamen tacitus doleat, & tempus dignæ retributionis quærat, patientiam non exhibet, sed ostendit; scriptum quippe est: *Caritas patiens est, benigna est.* (1. Cor. 13. 4.) Patiens namque est, ut aliena mala toleret: benigna vero est, ut ipsos etiam, quos portat, amet. Hinc namque per semetipsam Veritas dicit: *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui vos oderunt: orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Virtus itaque est curam hominibus adversarios tolerare, sed virtus coram Deo diligere: quoniam Deus hoc solum sacrificium accipit, quod ante ejus oculos in altari boni operis flamma caritatis incendit. (Num. 9.) Sciendum vero, quod plerumque patientes esse videmur, quia retribuere mala non possumus. Sed qui malum idcirco non retribuit, quia nequaquam valet, proculdubio patiens non est: quoniam patientia non in ostensione inquiritur, sed in corde. (Ibidem.) Sciendum præterea est quod plerumque patientibus solet evenire, ut eo quidem tempore, quo adversa patiuntur, vel contumelias audiunt, nullo pulsentur vel dolore, & sic patientiam exhibeant, ut custodire etiam cordis curent innocentiam. Sed cum post paululum hæc ipsa, quæ pertulerint, ad memoriam revocantur, igne vehementissimi doloris instigantur, argumenta ultionis exquirunt, & mansuetudinem, quam tolerantes habuerunt, in retractatione sua semeptipsos dijudicantes perdunt. C (Num. 9.) Callidus namque adversarius quietis jam tempore ad victoris animum redit, & vel damna rerum, vel injuriarum jacula ad memoriam reducit: cunctaque quæ sibi sunt illata, vehementer exaggerans, intolerabilia fuisse ostendit. Quiescentis igitur animum tanto furore conturbat, ut plerumque vir patiens illa se æquanimiter tolerasse, etiam post victoriam, captivus erubescat, seque non reddidisse contumelias doleat, & deteriora rependere, si præbeatur occasio, quærat. Quibus ergo isti sunt similes, nisi his, qui per fortitudinem in campo sunt victores, sed per negligentiam postmodum intra urbis claustra capiuntur? Quibus isti sunt similes, nisi his, quos irruens gravis languor, D a vita non subtrahit, sed leviter veniens recidiva febris occidit? Ille ergo veraciter patientiam servat, qui & ad tempus aliena mala sine dolore tolerat, & hæc eadem retractans, pertulisse talia se exultat, ne patientiæ bonum, quod in perturbationibus custoditur, quietis tempore pereat.

CAPUT XXVIII.

Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. (Matth. 5. 44.)

(In exposit. B. Job, lib. 14. num. 38. similia habentur lib. 4. Dial. cap. 44.)

LIBENTIUS sacrificium orationis accipitur, cum in conspectu misericordis judicis proximi dilectione conditur. Quod tunc veraciter quisque cumulat, si hoc etiam pro adversariis impendat. Hinc est quod magistra Veritas dicit: *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Hinc rursum ait: *Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester, qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra.* Plus itaque pro se valere preces suas efficit, qui & has aliis impendit. Orant igitur Sancti pro inimicis suis eo tempore, quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda convertere, & ipsa conversione salvare. Quid enim aliquid pro inimicis orandum est nisi hoc, quod ait Apostolus: *Ut det illis Dominus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem?* (2. Tim. 2. 25. 26.) Sed facto judicio, cum eos in inferno ardere viderint, tunc pro eis non orabunt: quia jam nullatenus ad opera justitiæ ab iniquitate commutari poterunt. Eadem itaque causa est cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne damnatis; quæ nunc etiam causa est ut non oretur pro diabolo, Angelisque ejus eterno supplicio deputatis; vel quæ nunc etiam causa est ut non orent sancti homines pro hominibus infi- B delibus, impiisque defunctis, scilicet quia de eis utique, quos æterno deputatos supplicio jam noverunt, ante illum justi judicis conspectum, orationis suæ meritum cassari refugiunt. Quod si nunc quoque viventes justi mortuis & damnatis injustis minime compatiuntur, quando ad hoc aliquid judicabile de sua carne sese perpeti etiam ipsi noverunt; quanto districtius tunc iniquorum tormenta respiciunt, quando ab omni vitio corruptionis exuti, ipsi jam justitiæ intimius & arctius inhærebunt? Sic quippe mentes eorum per hoc quod justissimo judici inhærent, vis districtionis absorbet, ut omnino eis non libeat quidquid ab illius internæ regulæ subtilitate discordat.

CAPUT XXIX.

Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. (Matt. 6. 16.)

(De abstinentia hypocritarum. Homil. 3. in Evang. n. 3.)

HYPOCRITÆ mira abstinentia plerumque se affligunt, jejuniis eorum ora pallescunt, corpus debilitate quatitur, pectus interrumpentibus suspiriis urgetur, sicque morti per abstinentiam appropiant, ut pene quotidie morientes vivant. Sed ad hæc humanos oculos quæruot, admirationis gloriam expetunt. Abstinentiam namque carnis e vicino noonumquam vana gloria obsidet & comitatur; quia dum tenuitas in corpore, dum pallor in vultu respicitur, virtus patefacta laudatur, & D tanto celerius se foris fundit, quanto ad humanos oculos per ostensum pallorem exiit. Et plerumque fit ut hoc, quod agi causa Dei creditur, pro solis humanis favoribus agatur. Quod bene Simon ille significat, (Matt. 27.) qui invectus in itinere, crucem dominicam in angaria portat; aliena quippe onera in angaria portantur, quando per vanitatis studium aliquid geritur. Qui ergo per Simonem designatur, nisi abstinentes & arrogantes, qui per abstinentiam quidem carnem afficiunt, sed abstinentiæ fructum interius non requirunt? Crucem ergo Domini in angaria Simon portat, qui cum ad opus bonum ex bona voluntate non ducitur, rem justi sine fructu peccator operatur. Unde & idem Simon crucem portat, sed non moritur, quo- E niam abstinentes & arrogantes per abstinentiam quidem corpus afficiunt, sed per desiderium vanæ gloriæ mundo vivunt: ab ore proximorum admirationis sermo quæritur, quia tanto labore, nihil aliud, nisi æstimatio humana cogitatur.

CA-

CAPUT XXX.

Matt. 7. 15. *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

De asperis Rectoribus. Homil. 17. in Evang. n. 4. MULTI cum regiminis curam suscipiunt, ad lacerandos subditos inardescunt, terrorem potestatis exhibent; & quibus prodesse debuerant, nocent: & quia caritatis viscera non habent, domini videri appetunt, patres se esse minime recognoscunt, humilitatis locum in elationem dominationis immutant: & si quando extrinsecus blandiuntur, intrinsecus sæviunt: de quibus Veritas dicit: *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Qui vero locum regiminis suscipit, mala inferre non debet, sed tolerare: ut ex ipsa sua mansuetudine iram sævientium mitiget, & peccatorum vulnera in aliis ipse afflictionibus vulneratus sanet. Quem & si quando zelus rectitudinis exigit, ut erga subjectos sæviat, furor ipse de amore sit, non de crudelitate, quatenus & jura disciplinæ foris exhibeat, & intus paterna caritate diligat, quos foris quasi insequendo castigat.

CAPUT XXXI.

Matt. 7. 20. *A fructibus eorum cognoscetis eos.*

De discretione bonorum. In exposit. B. Job, lib. 31. num. 13. CUM unum, eumdemque bonorum & malorum habitum cernimus, cum ipsam in electis & reprobis speciem professionis videmus, unde nostræ intelligentiæ suppetat ut electos a reprobis, vero a falsis comprehendendo discernat? Quod tamen citius agnoscimus, si intemerata in memoria præceptoris nostri verba pensamus, qui ait: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Neque enim sunt pensanda, quæ ostendunt in imagine, sed quæ servant in actione.

CAPUT XXXII.

Matt. 7. 21. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.*

De falsis Christianis. In exposit. B. Job, lib. 31. num. 22. ANTIQUUS hostis post Mediatoris & nostri Redemtoris adventum, multos qui baptismatis sacramento sunt signati, & sub Christianitatis nomine positi, quia recte vivere negligunt, post cognitionem Redemtoris suscipit, post lavacri undam polluit, post sacramenta cælestia ad inferni profundum rapit. Fidem enim tenent, sed vitam fidei non tenent: quia aut aperte illicita faciunt, aut ex perverso corde, quæ agunt, prava sunt, etiamsi sancta videantur. Quia enim nonnulli confitendo fideles sunt, non vivendo; hinc est quod voce Veritatis dicitur: *Non omnis qui dicit mihi, Domine,*
Luc. 6. 46. *Domine, intrabit in regnum cælorum.* Hinc rursum ait: *Quid autem vocatis me Domine, Domine, &*
Tit. 1. 16. *non facitis quæ dico?* Hinc Paulus ait: *Confitentur*
1. Johan. 2. 4. *se nosse Deum, factis autem negant.* Hinc Johannes dicit: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est.* Hinc est quod de ipsa prima sua Dominus plebe conqueritur, di-
Marc. 7. 6. cens: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eo-*
Psal. 77. 36 *rum longe est a me.* Hinc Psalmista ait: *Dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei.* Antiquus itaque adversarius toto nunc adnisu in illorum mortem se erigit, quos contra se regnaturos tabescit: & quisque Christianus ejus servituti toties se subjicit, quoties ad iniquitatem decurrit & defluit. Si igitur ambulandi cautela negligitur, incassum credendo rectum iter tenetur: quoniam via quidem fidei ad cælestem patriam proficit, sed offendentes, & recte vivere negligentes minime perducit.

CAPUT XXXIII.

Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Matt. 6. 10.

ALIQUANDO per cælos hi qui in cælestibus sunt conditi, angelici spiritus possunt designari. Unde & in Oratione nostra dicere voce Veritatis instruimur: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Ut nimirum voluntas Dei sicut a superiore creatura agitur, ita in omnibus etiam ab humana infirmitate versetur. De oratione dominica. In exposit. B. Job, lib. 27. num. 65.

CAPUT XXXIV.

Item unde supra.

POSSUNT etiam in hac oratione per cælum justi, & per terram peccatores accipi, ut videlicet voluntas nostri Conditoris, sicut in omnibus justis perficitur, ita & in omnibus quoque peccatoribus impleatur. In exposit. B. Job. lib. 15. num. 37.

CAPUT XXXV.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Matth. 6. 11

ECCE panem nostrum dicimus, & tamen ut detur oramus. Noster quippe fit cum accipitur; qui tamen Dei est, quia ab illo datur. Et Dei est ergo ex munere, & noster fit veraciter per acceptionem. In exposit. B. Job. lib. 24. num. 13.

CAPUT XXXVI.

Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Matt. 6. 12.

INIMICUS noster in nos deliquit graviter, damna intulit, juvantes læsit, amantes persecutus est. Retinenda hæc essent, si remittenda nobis delicta non essent. Advocatus enim noster precem nobis in causa nostra composuit, & ipse ejusdem causæ judex est, qui advocatus. Preci vero quam composuit, conditionem inseruit, dicens: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quia ergo ipse judex venit, qui advocatus extitit, ipse precem exaudit, qui fecit. Aut igitur non facientes dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimmittimus debitoribus nostris*: & nosmetipsos hoc dicendo amplius ligamus, aut fortasse hanc conditionem in oratione intermittimus, & advocatus noster precem, quam composuit, non recognoscit, atque apud se protinus dicit: Scio quid monui, non est ipsa oratio, quam feci. Quid ergo nobis agendum est, nisi ut veræ caritatis affectum impendamus fratribus, nulla in corde malitia remaneat? Mementote quod monemur: *Dimittite, & dimittetur vobis.* Ecce & debetur nobis, & debemus. Dimittamus ergo quod debetur nobis, ut dimittatur quod debetur a nobis. Hom. 27. in Evang. n. 9. Luc. 6. 37.

CA-

CAPUT XXXVII.

Matth. 6. 13.

Ne nos inducas in tentationem.

In exposit. B. Job. lib. 13.

DEUS in tentationem inducere nos dicitur, cum nos ab adversario induci patitur. Unde Patrem postulamus in oratione dicentes: *Ne nos inducas in tentationem*. Neque enim in tentationem Dominus inducit, qui semper a tentatione subditos misericorditer protegit. Sed tamen in tentationem quasi ejus inducere est, a tentationis nos illecebra non munire. Et tunc nos in tentationis laqueum non inducit, cum tentari ultra quam nos possumus non permittit.

CAPUT XXXVIII.

Matt. 6. 15.

Si enim remiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non remiseritis hominibus, nec Pater vester remittet peccata vestra.

De remissione peccatorum.
In exposit. B. Job lib. 10. num. 30.

GRAVI mens nostra orationis suæ tempore confusione deprimitur, si hanc aut sua adhuc operatio inquinat, aut alienæ malitiæ servatus in corde dolor accusat. Quid autem hac doloris macula reperiri deterius potest, quæ in conspectu judicis caritatem non inquinat, sed necat? Vitam quippe animæ qualibet C culpa polluit, servatus vero contra proximum dolor occidit. Menti namque ut gladius figitur, & mucrone illius ipsa viscerum occulta perforantur. Qui scilicet a transfixo corde, si prius non educitur, nihil in orationis precibus divinæ opis obtinetur, quia vulneratis membris imponi salutis medicamina nequeunt, nisi ferrum a vulnere ante subtrahat. Hinc est enim quod

Ibidem.

per semetipsam Veritas dicit: *Nisi remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester qui in cælis est, remittet vobis peccata vestra*. Hinc admonet, dicens: *Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra*. Hinc rursum ait: *Date, & dabitur vobis: dimittite, &* D *dimittetur vobis*. Hinc constitutioni postulationis conditionem posuit pietatis, dicens: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Ut profecto bonum quod a Deo compuncti petimus, hoc primum cum proximo conversi faciamus. Tunc ergo vere sine macula & confusione faciem ad Deum in oratione levamus, cum nec nos prohibita mala committimus, nec ea quæ in nos commissa sunt, ex proprio zelo retinemus.

Marc. 11. 25.
Luc. 6. 38.

CAPUT XXXIX.

Matt. 6. 33.

Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.

Quæ in oratione postulanda.
In exposit. B. Job. lib. 15. num. 11.

CUM Deus in oratione non quæritur, citius animus in oratione lassatur: quia cum illa quisque postulat, quæ fortasse juxta occultum judicium Deus tribuere recusat, ipse quoque venit in fastidium, qui non vult dare quod amatur: sed se magis Dominus, quam ea quæ condidit, vult amari: æterna potius, quam terrena postulari, sicut scriptum est: *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vo-*

A *bis*. Qui enim non ait, dabuntur, sed adjicientur vobis, profecto indicat aliud esse, quod principaliter datur, aliud quod superadditur. Quia enim nobis in intentione æternitas, in usu vero temporalitas esse debet, & illud datur, & hoc nimirum ex abundanti superadditur. Et tamen sæpe homines dum bona temporalia postulant, æterna vero præmia non requirunt, petunt quod adjicitur, & illud non desiderant ubi adjiciatur, nec lucrum suæ petitionis esse deputant. si hinc sint temporaliter pauperes, & illic f. beatitudine divites in æternum vivant.

CAPUT XL.

B *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus.* Matt. 7. 22.

PLERUMQUE sanctos viros aspicimus mira agere, virtutes multas facere, leprosos mundare, dæmonia ejicere, ægritudines corporum fugare, prophetiæ spiritu ventura prædicere: sed hæc aliquando dantur & reprobis. Unum vero signum est electionis, soliditas caritatis, sicut scriptum est: *in hoc scietur, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem*. Hæc autem miracula cum electi faciunt, longe dissimiliter a reprobis fiunt. Quia quod electi ex caritate, hoc reprobi student per elationem agere; & C per dona, quæ a Domino perceperunt, non ejus gloriam, sed proprios favores quærunt, talesque se esse credunt, quales se prædicari foris audiunt. Unde fit plerumque ut ad supernum quoque judicem cum fiducia veniant, quia tales se apud æternum judicem credunt, quales ab hominibus foris habebantur. Sed cum in terrore districti examinis omnis anteacta fiducia sanctitatis ceciderit, & cum alieni oris testimonia sibi deesse cognoverint, ad sua se opera enumeranda convertent in judicio, dicentes: *Domine. Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Sed pro his operibus nequaquam præmium recipiunt retri- D butionis, quia eis reprobatis in judicio protinus judex dicit: *Nunquam novi vos. Discedite a me, qui operamini iniquitatem*. Inde ergo eos tunc eo districtior sententia percutit, quo nunc superna bonitas etiam ingratis sua dona largius infundit, fitque eis amplitudo muneris incrementum damnationis: quia per accepta bona in sua laude se nunc elevantes, inde contra dantem superbiunt, unde ei jam amplius humiles esse debuerunt.

De facientibus miracula.
Homil. 7 in Ezech. n. ult.
In exposit B. Job, lib. 8. num. 66.
Johan. 13. 35.

CAPUT XLI.

Nescio vos unde sitis: discedite a me omnes operarii iniquitatis. Matt. 7. ibid.

OMNES arrogantes, qui vel signis, vel scientia, vel prophetia, vel aliquibus magnis ope- E ribus pollent, atque per hæc dona placere hominibus appetunt, & in virtutibus, quas accipiunt, laudes ab omnibus quærunt, nunc intra sanctæ sinum Ecclesiæ Dominus tolerat & perfert, sed in futurum aperte ejicit, cum a secretis cælestibus per extremum & publicum judicicium repellet. Ipsi tamen reprobandi venienti judici dona sua ad ejusdem memoriam revocabant, & quæ in ejus fecerint

De his qui reprobandi sunt.
In exposit B. Job, lib. 29. num. 19.

Matt. 7. nomine replicabunt, cum dicent: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Sed quomodo tales Dominus projiciens repellat, ostendit, dicens eis quos reprobat: *Nescio vos unde sitis: discedite a me omnes operarii iniquitatis.* (*Ibid. lib. 23. num. 7.*) Scire Dei approbare est, nescire vero reprobare. Ac si aperte Dominus dicat: Ego arrogantes nescio, id est eorum vitam in sapientiæ meæ virtute non approbo: quia dum laudibus instantur humanis, a vera inanescunt gloria æternæ retributionis.

CAPUT XLII.

Item unde supra.

In exposit. B. Job. lib. 11. num. 18.

QUIA enim scire Dei aliquando dicitur cognoscere, aliquando approbare: & scit iniquum, quia cognoscendo judicat: neque enim iniquum quempiam judicaret, si nequaquam cognosceret; & tamen iniquum nescit: quoniam ejus facta non approbat. Et novit ergo, quia deprehendit, & non novit, quoniam hunc in suæ sapientiæ specie non recognoscit; sicut de veraci quolibet viro dicitur, quia falsitatem nesciat; non quia, cum ab aliis falsum dicitur, hoc reprehendere ignorat; sed eamdem ipsam fallaciam & scit in examine, & nescit in amore, ut videlicet hanc ipse non agat, quam actam ab aliis damnat.

CAPUT XLIII.

Matt. 8. 6. 7. *Domine, puer meus jacet paralyticus in domo & male torquetur. Cui Jesus protinus respondit, dicens: Ego veniam, & curabo eum.*

De acceptione personarum. Hom. 8. in in Evang. n. 2.

SOLERTER hic nobis est intuendum, quod cum quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum, rogaret Dominum ut descenderet & sanaret eum, respondit ei, dicens: *Vade, filius tuus vivit.* Quid est ergo, quod regulus rogat, ut ad filium ejus veniat, & tamen ire corporaliter recusat: ad servum vero Centurionis non invitatur, & tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præsentiam non dignatur adesse, Centurionis servo non dedignatur occurrere. Quid est hoc, nisi quod superbia nostra retundatur? quia in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores & divitias veneramur: cumque pensamus, quæ circa eos sunt, interiora profecto minime prævidemus. Dum ea consideramus quæ in corporalibus despecta sunt, negligimus pensare quod sunt. Redemtor vero noster, ut ostenderet, quia quæ alta sunt hominum, Sanctis despicienda sunt, & quæ despecta sunt hominum, Deo despecta non sunt, ad reguli filium ire noluit, ad servum vero Centurionis ire paratus fuit. Increpata est ergo nostra superbia, quæ nescit pensare homines propter homines. Sola, ut diximus, quæ circumstant hominibus, pensat, naturam non aspicit, honorem Dei in hominibus non agnoscit. Ecce non vult ire filius Dei ad filium reguli, & tamen ire paratus est ad salutem servi. Certe si nos cujuspiam servus rogaret ut ad eum ire deberemus; protinus nobis superbia nostra in cogitatione tacita responderet, dicens: Non eas, quia temetipsum degeneras, honor tuus despicitur, locus vilescit. Ecce de cælo venit, qui servo occurrere in terra non despicit, & tamen humiliari in terra contemnimus, qui de terra sumus.

CAPUT XLIV.

Cæci illuminati diffamaverunt Jesum. *Matth. 9. 31.*

De occultatione boni operis. Mixtim ex Moral lib. 19 n. 36. & Dial lib. 1. cap. 9.

SANCTORUM virorum est bona quæ fecerint, occultare, ne contingat eos lapsum elationis incurrere. Hinc est quod Dominus Jesus duos juxta viam cæcos sedentes illuminans, præcepit dicens: *Videte ne quis sciat.* De quibus illico scriptum est: *Illi autem abeuntes, diffamaverunt eum per totam terram illam.* Sed quærendum nobis est, quid sit hoc quod ipse Dominus, cui hoc est velle quod posse, taceri virtutes suas voluit, & tamen ab his, qui illuminati sunt, quasi invitus indicatur. Numquidnam unigenitus Filius Patris, & sancto coæternus Spiritui, hac in re velle habuit quod implere non potuit, ut miraculum, quod taceri voluit, minime potuerit abscondi? sed Redemtor noster per mortale corpus omne quod egit, nobis hoc in exemplo actionis præbuit, ut pro nostrarum virium modulo, ejus vestigia sequentes inoffenso pede operis, præsenti vitæ carpamus viam. Miraculum namque faciens, & taceri jussit, & tamen taceri non potuit; ut videlicet electi ejus, exempla doctrinæ illius sequentes, in magnis quæ faciunt, latere quidem in voluntate habeant, sed ut prosint aliis, prodantur inviti: quatenus & magnæ humilitatis sit quod sua opera taceri appetunt, & magnæ utilitatis sit quod eorum opera taceri non possunt. Non ergo Dominus voluit fieri quidquam, & minime potuit: sed quid vel membra ejus debeant, quidve de eis etiam nolentibus fiat, doctrinæ magisterio exemplum dedit. Illius igitur exemplum sequentes, & facta quidem sua occultando, seipsos custodiant: sed dum produntur inviti, bona ad proximos suos exempla transmittant. Occultentur ergo studio, necessitate publicentur, & eorum occultatio sit custodia propria, eorumque publicatio sit utilitas aliena.

CAPUT XLV.

Estote prudentes sicut serpentes. *Matt. 10. 16.*

De prudenti simplicitate. Mixtim in exposit. B. Job lib. 1. n. 2 & hom. 30. super Evang. n. 3. ac Regul. Pastor. part. 3 c. 11.

ELABORARE debent simplices, ut simplicitatis bono prudentiam adjungant, quatenus sic securitatem de simplicitate possideant, ut circumspectionem prudentiæ non amittant. Hinc per semetipsam discipulos suos Veritas admonet, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Qua in re notandum est quod discipulos suos, nec de columba sine serpente, nec de serpente sine columba voluit Dominus admonere, sed utraque necessario conjunxit in admonitione, quia videlicet in electorum cordibus simplicitatem columbæ debet astutia serpentis acuere, & serpentis astutiam columbæ simplicitas temperare: quatenus nec seducti per prudentiam caleant, nec ab intellectus studio cum simplicitate torpescant. Hinc Paulus ait: *Nolite pueri effici sensibus.* (*1. Cor 14. 20*) Ecce prudentiam serpentis audivimus, nunc de simplicitate columbæ moneamur: *sed malitia parvuli estote.* (*Ibidem.*)

CA-

CAPUT XLVI.

Matt. 10. 27.

Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine.

De expositione Scripturarum. In exposit. B. Job, lib. 11. n. 16. & hom. 6 in Ezech. n. 1

CUM aliqua mystica de occultis Prophetarum verbis a credentibus agnoscuntur, quid aliud quam profunda de tenebris revelantur? Unde ipsa quoque Veritas discipulis in parabolis loquens, ait: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*; id est, aperte exponite, quæ in allegoriarum obscuritatibus audistis. Cum enim mysticos allegoriarum nodos per explanationem solvimus, in lumine dicimus quod in tenebris audivimus.

CAPUT XLVII.

Matt. 10. 36

Veni separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam: & inimici hominis domestici ejus.

De malis persuasoribus. In exposit. B. Job, lib. 3. num. 13.

ANTIQUUS adversarius non solum per semetipsum, sed per eos etiam qui nobis adhærent, statum satagit nostræ mentis inclinare. Cum enim cor nostrum sua persuasione non subruit, ad hoc nimirum per linguas adhærentium repit. Hinc per Prophetam dicitur: *Unusquisque se a proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam.* (Jerem. 9. 4.) Hinc rursum scriptum

C est. *A filiis tuis cave, & a domesticis tuis attende.* (Eccles. 32. 25) Callidus namque adversarius cum a bonorum cordibus repelli se conspicit, eos, qui ab illis valde diliguntur, exquirit: & per eorum verba blandiens loquitur, qui plus ceteris amantur: ut dum vis amoris cor perforat, facile persuasionis ejus gladius ad intimæ rectitudinis munimina irrumpat.

CAPUT XLVIII.

Matt. 10. 41.

Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.

De susceptione indigentium Prophetarum. Homil. 20. in Evang. n. 12.

QUANTA sit virtus in continentia & susceptione indigentium ostendit Redemtor noster, cum ait: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.*

D In quibus verbis notandum est, quia non ait: Mercedem de Propheta, vel mercedem de justo: sed mercedem Prophetæ, & mercedem justi accipiet. Aliud est enim merces de Propheta, aliud merces Prophetæ: & aliud merces de justo, aliud merces justi. Quid enim est dicere, mercedem Prophetæ accipiet, nisi quia is qui Prophetam sua largitate sustentat, quamvis ipse prophetiam non habeat, apud omnipotentem tamen Dominum prophetiæ præmia habebit? Iste enim prophetiæ spiritu plenus est, sed tamen corporeo indiget alimento: & si corpus non reficitur, certum est quod vox ipsa subtrahatur. Qui igitur alimentum Prophetæ, propter hoc quod Propheta est tribuit, prophetiæ illius vires ad loquendum dedit. Cum Propheta ergo mercedem Prophetæ accipiet, qui etsi spiritu prophetiæ plenus non fuit, hoc tamen ante oculos Dei exhibuit, quod adjuvit. Ille fortasse justus est, & quanto in hoc mundo nihil possidet, tanto loquendi pro justitia fiduciam majorem habet: hunc dum ille sustentat, qui

A in hoc mundo aliquid possidet, & fortasse pro justitia adhuc loqui libere non præsumit; justitiæ illius libertatem sibi participem facit, ut cum eo pariter justitiæ præmia recipiat, quem sustinendo adjuvit, quatenus eamdem justitiam libere loqui potuisset.

CAPUT XLIX.

Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Matt. 11. 7.

De Johannis Baptistæ constantia. Mixtim ex lib. 33. exposit. in Job, n. 7 & hom. 9. in Ezech. n. 16.

HOC in laude beati Johannis Baptistæ turbis Judæorum a Domino dicitur, cum mentis mobilitas, quæ nonnumquam in sacro eloquio per arundinem designari solet, in eo esse de-

B negatur: post interrogationem enim Domini subintelligitur, non. Quod quia negando dixerit, non affirmando, subjuncta verba testantur, cum ait: *Sed quid existis in desertum videre, hominem mollibus vestitum. Ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Arundo autem vento agitata modo flatibus erigitur, modo flatibus inclinatur. Omnis autem infirmus animus, qui vel derogatione dejicitur, vel laudibus exaltatur, arundo vento agitata est. Quod Johannes non erat, quia inflexibilem mentis verticem inter laudes hominum & derogationes tenebat, & ejus mentem sancto Spiritu solidam per diversas partes nullus linguarum flatus inclinabat.

CAPUT L.

Quid existis in desertum videre? Prophetam? utique dico vobis, & plusquam Prophetam. Matt. 11. 7.

Homil. 7. in Evang. n. 3. Johan. 1. 21.

JOHANNES requisitus, respondit, dicens: *Non sum Propheta.* Quia enim plusquam Prophetam se noverat, esse Prophetam se negabat. Qui idcirco plusquam Propheta dicitur: quia Prophetæ officium est ventura prænuntiare, non etiam ostendere. Johannes vero plusquam Propheta est, quia quem verbo dixit, digito ostendit.

CAPUT LI.

A diebus Johannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur. Matt. 11. 12.

De pœnitentibus. Homil. 20. in Evang. n. 14. Matt. 3. 8. Luc. 3. 8.

TURBAS, quæ veniebant ad suum baptismum, Johannes admonebat, dicens. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Et rursus: *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* Unde jam patenter datur intelligi quid est quod Veritas dicit: *A diebus autem Johannis Baptistæ usque nunc regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Quæ supernæ verba sententiæ nobis sunt magnopere perscrutanda: Nam quærendum est quomodo vim perpeti regnum cælorum possit. Quis enim cælo violentiam irrogat? Et rursus quærendum est si pati vim re-

E gnum cælorum potest, & violenti rapiunt illud, cur eamdem vim a diebus Johannis Baptistæ, & non etiam ante pertulerit? In lege vero scriptum est: *Si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur.* Cunctis ergo legentibus liquet quia peccatores quosque pœna suæ severitatis perculit, non autem pœnitentia ad vitam reduxit. Cum vero Johannes Baptista Redemtoris gratiam præcurrens pœnitentiam prædicat, ut peccator, qui ex culpa mortuus est, per conversionem vivat, profecto a die-

bus Johannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur. Quid est autem regnum cælorum, nisi locus justorum? Solis enim justis cælestis patriæ præmia debentur, ut humiles, casti, mites, & misericordes ad gaudia superna perveniant. Cum vero quis vel superbia tumidus, vel carnis facinore pollutus, vel iracundia accensus, vel crudelitate impius, post culpas ad pœnitentiam redit, & vitam æternam percipit, quasi in locum peccator intrat alienum. A diebus ergo Johannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud: quia qui pœnitentiam peccatoribus indixit, quid aliud, quam cælorum regno fieri violentiam docuit? Recogitemus ergo, fratres carissimi, mala quæ fecimus; & nosmet ipsos assiduis lamentis atteramus; hereditatem justorum, quam non tenuimus per vitam, rapiamus per pœnitentiam. Vult a nobis omnipotens Deus talem violentiam perpeti: nam regnum cælorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur.

CAPUT LII.

Matt. 15. 11.

Non quod intrat in os, coinquinat hominem.

De attendendis cogitationibus. Lib. 1. Epist. 64. ad Aug. in Resp. 10.

SICUT in veteri Testamento exteriora opera observantur, ita in novo Testamento non tam quod exterius agitur, quam id quod interius cogitatur, sollicita intentione attenditur, ut subtili sententia puniatur. Nam cum multa lex velut immunda manducare prohibeat, in Evangelio tamen Dominus dicit: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quæ exeunt de corde, illa sunt quæ coinquinant hominem*; & paulo post subjecit exponens: *Ex corde exeunt cogitationes malæ*. Ubi ubertim indicatum est, quoniam illud ab omnipotente Deo pollutum esse ostenditur in opere, quod ex pollutæ cogitationis generatur radice. Unde Paulus quoque Apostolus dicit: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil esse mundum*: & mox ejusdem causam coinquinationis annuntians subjungit: *Coinquinata sunt enim eorum mens & conscientia*. Non est ergo cibus immundus ei, cui mens immunda non fuerit.

Tit. 1. 15.

CAPUT LIII.

Matt. 16. 24.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.

De mortificatione. Mutuo ex lib. 33 in Job, n. 13. & hom. 10 in Ezech. num. 7.

SUNT nonnulli, qui vias Veritatis appetentes, & æterna cupientes, valde se a mundo alienos reddunt, dum non solum aliena non appetunt, sed etiam sua derelinquunt: & non solum in eo gloriam non quærunt, sed hanc, cum se obtulerit, etiam contemnunt: & tanto omnipotentis Dei amore replentur, ut mutata mente, sibimet extranei esse videantur, implentes hoc quod Veritatis voce dicitur: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum*. Semetipsum enim abnegat qui calcato typho superbiæ, ante Dei oculos se alienum esse demonstrat. Seipsum abnegat qui mutatur ad meliora, qui incipit esse quod non erat, & desinit esse quod erat.

CAPUT LIV.

Matt. 18. 10.

Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.

De angelica natura. In exposit. B. Job, lib. 2. num. 3. Hebr. 1. 14.

CUM de Angelis per Paulum dicitur: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capiunt salutis?* Quomodo videre semper faciem Patris possunt, si ad ministerium exterius pro nostra salute mittuntur? Quod tamen citius solvimus, si quantæ subtilitatis sit angelica natura, pensamus. Neque enim sic a divina visione foras exeunt, ut internæ contemplationis gaudiis priventur: quia si Conditoris aspectum exeuntes amitterent, nec jacentes erigere, nec ignorantibus vera nuntiare possent: fontemque lucis, quem egredientes ipsi perderent, cæcis nullatenus propinarent. In hoc est itaque nunc natura angelica a naturæ nostræ conditione distincta: quia nos & loco circumscribimur, & cæcitatis ignorantia coarctamur: Angelorum vero spiritus loco quidem circumscripti sunt, sed tamen eorum scientiæ longe super nos incomparabiliter dilatantur. Interius quippe exteriusque sciendo diffusi sunt, quia ipsum fontem scientiæ contemplantur. Quid enim de his, quæ scienda sunt, nesciunt, qui scientem omnia sciunt? Eorum itaque scientia comparatione nostræ valde dilatata est, sed tamen divinæ comparatione scientiæ, angusta; sicut & ipsi illorum spiritus comparatione nostrorum quidem corporum, sunt spiritus: sed comparatione summi & incircumscripti spiritus, corpus sunt. Et faciem ergo Patris semper vident, & tamen ad nos veniunt: quoniam ad nos spirituali præsentia foras exeunt, & tamen ibi se, unde recesserant, per internam contemplationem servant.

Lib. 4. Dial. c. 33. in fin.

CAPUT LV.

Matt. 11. 21.

Si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt, &c.

De pœnitentia. In exposit. B. Job lib. 35. num. 7.

SI *in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent*. In cilicio quippe asperitas & punctio peccatorum: in cinere vero pulvis ostenditur mortuorum. Et idcirco utrumque hoc adhiberi solet ad pœnitentiam, ut in punctione cilicii cognoscamus quid per culpam fecimus: & in favilla cineris perpendamus quid per judicium facti sumus. Considerentur ergo in cilicio pungentia vitia, consideretur in cinere per mortis sententiam subsequens pœna justa vitiorum. Quia enim post peccatum carnis contumeliæ surrexerunt, videat homo in asperitate cilicii superbiendo quid fecit, videat in cinere usquequo peccando pervenit. Potest quoque cilicio ipso per recordationem & pœnitentiam dolorum punctio designari, quia quasi quodam cilicio peccatorum pungitur, dum in mente sua asperis redargutionum stimulis confricatur. In cinere quoque pœnitentiam agit, quia ex primo peccato, quid per justum judicium factus sit, solerter attendit.

CAPUT LVI.

Matt. 11. 25.

Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia, &c.

De occultis Dei judiciis. In exposit. B. Job, lib. 27. n. 4. & l. 25 num. 32. Johan. 9. 39.

DOMINUS per infirmitatem carnis nostræ obtutibus apparens, dum alios reprobat, alios vocat; mira judicia exhibuit, quæ a nobis & cogitari possint, & comprehendi non possint. Ait namque: *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant*. Unde cum de hujus rei causa loqueretur, ait: *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater*. Atque mox tamquam rationem quamdam absconsionis & revelationis adjungens, ait: *Quia sic fuit placitum ante te*. Quibus nimirum verbis exempla humilitatis accipimus, ne temere discutere superna consilia de aliorum vocatione, aliorum vero repulsione præsumamus. Cum enim intulisset utrumque, non mox rationem reddidit, sed sic Deo placitum dixit: hoc videlicet ostendens, quia injustum esse non potest, quod justo placuit. Quod autem ait: *Abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus*; sapientes & prudentes videlicet superbientes vocavit, quia nimirum superbientibus veritatis cognitio denegatur. Qui enim non subjunxit: revelasti ea stultis, sed, parvulis, tumorem se damnasse innotuit, non acumen.

CAPUT LVII.

Matt. 11. 28.

Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis.

Qualiter ad Deum accedere debeamus. In exposit. B. Job, lib. 21 num. 9. Johan. 4. 21.

AD se venire nos Dominus præcepit, nimirum non gressibus corporis, sed profectibus cordis; ipse namque ait: *Veniet hora quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem*. Et paulo post: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum*. In corde ergo gressus esse insinuat quando, & ut veniamus, vocat; & tamen motu corporis nequaquam nos ad alia transire denuntiat. In Scriptura sacra nonnumquam appellatione gressuum, vel motus mentium vel profectus accipimus meritorum: quibus profecto gressibus ad semetipsam nos Veritas vocat, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis*.

CAPUT LVIII.

Matt. 11. 26.

Tollite jugum meum super vos.

De secularium curarum abjectione. In exposit. B. Job, lib. 4 num. 66.

MAGNA est servitus secularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quamvis in eis sponte desudet. Quasi enim quodam jugo servitutis premunt prospera, dum appetuntur: premunt adversa, dum formidantur: hoc videlicet jugum grave servitutis vidit Dominus secularium cervicibus impressum, cum diceret: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos*. Nihil grave mentis nostræ cervicibus imponit, qui vitari desiderium omne quod perturbat, præcipit. Nihil grave subjectis jubet, qui declinare laboriosa hujus mundi itinera admonet:

Ibid. lib. 10. num. 50.

Jugum meum suave, & onus meum leve est. Asperum quippe jugum, & duræ, sicut diximus, ser-

A virtutis pondus est subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quæ prius mentem ex desiderio adeptionis afflixerant, post, ex pavore amissionis, premunt. Hoc etiam jugum servitutis a discipulorum cervice solvebat Dominus, cum diceret: *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate*: illico subjungens: *& curis hujus vitæ*. Amant enim homines pro hujus mundi gloria etiam laborum tribulationes, cunctisque pro ea sudoribus libenter serviunt, & gravium jugo devotissime colla submittunt: cujus servitutis conditione & jugo carere

Ibid. lib. 10. num. 39. Luc. 21. 34.

B est jam in mundo nihil concupiscere. At si quis semel a dominatione desideriorum temporalium colla mentis excusserit, quadam jam etiam in hac vita libertate perfruitur: dum nullo desiderio felicitatis afficitur, nullo adversitatis terrore coarctatur.

CAPUT LIX.

Matt. 11. 29.

Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.

De humilitate & superbia. In exposit. B. Job, lib. 34. num. 54.

CONTRA superbiæ pestem audiamus cuncti, quod discipulos Veritas admonet, dicens: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis cor-*

C *de*. Ad hoc namque unigenitus Dei filius formam humilitatis nostræ suscepit, ad hoc invisibilis, non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit: ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum probra, passionum tormenta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Quanta igitur humilitatis est virtus, propter quam solam veraciter edocendam, is, qui sine æstimatione est magnus, usque ad passionem factus est parvus? Quia enim originem perditioni nostræ præbuit superbia diaboli, instrumentum redemtionis nostræ inventa est humilitas Dei. Hostis quippe noster inter omnia conditus, videri super omnia voluit elatus: Redemtor vero noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus

Ibid. n. 55. 57

D est parvus. Sed melius & elationis causam detegimus, & fundamenta humilitatis aperimus, si brevi commemoratione perstringimus, quid mortis auctor, quid vitæ suadeat Conditor. Ille nihil aliud mentes sibi subditas docet, quam celsitudinis culmen appetere: cuncta æqualia mentis tumore transcendere, societatem hominum alta elatione transire: ac sese contra potentiam Conditoris erigere, sicut de eis per Psalmistam dicitur: *Transierunt in dispositionem cordis, cogitaverunt & locuti sunt nequitias, iniquitatem in excelsum locuti sunt*. Iste autem ad sputa, ad palmas, ad colaphos, ad spineam coronam, ad crucem, ad lanceam & mortem veniens, membra sua admonet, dicens: *Si quis mihi ministrat, me sequa-*

Psal. 72. 7. Johan. 12. 26

E *tur*. Quia igitur Redemtor noster corda regit humilium, & mortis auctor rex est superborum: aperte cognoscimus, quod superbia evidentissimum est signum reproborum; at contra humilitas, electorum. Cum ergo quam quisque habeat, cognoscitur: sub quo rege militet invenitur. Unusquisque enim quasi quemdam titulum portat operis, quo facile ostendat sub cujus serviat potestate Rectoris. Unde & per Evangelium dicitur: *A fructibus eorum cognoscetis eos*. Qui ergo sub rege superbiæ militant, licet aliquando spe-

Matt. 7. 16.

 ciem

ciem humilitatis assumant, semetipsos tamen in omnibus celare nequaquam possunt: quoniam eorum superbia diu latere non sustinens, cum ex alia tegitur, ex alia actione nudatur. Qui vero sub rege humilitatis militans, pavidi semper, & ex omni latere circumspecti, adversum elationis jacula pugnant, & quasi contra venientes ictus solum magis in suo corpore oculum custodiunt, dum in semetipsis principaliter humilitatem tuentur. Cum ergo Dominus omnibus quos vocat, dicit: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*: nihil est aliud se mitem in magisterio humilemque dicere, nisi relictis exercendæ difficultatibus elationis, plana quædam bene vivendi itinera demonstrare.

CAPUT LX.

Matt. 12. 34. *Malus homo de malo thesauro profert mala.*

De illis qui audent docere quod tacere nolunt. In exposit. B. Job, lib. 1. num. 23.

PLerumque doctor qui audet docere quæ negligit agere, cum desierit bona loqui quæ contemsit operari, docere subjectos incipit prava quæ agit: ut justo Dei omnipotentis judicio jam nec in bono linguam habeat, qui bonam vitam habere recusat: quatenus cum mens terrenarum amori rerum intenditur, de terrenis rebus semper loquatur. Unde Veritas in Evangelio dicit: *Ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala*. Hinc etiam Johannes ait: *Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur*.

Luc. 6. 45. Johan. 4. 5.

CAPUT LXI.

Matt. 12. 36. *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem.*

De multiloquio, & otioso sermone. Regul. Past. par. 3. c. 14.

MUltiloquio vacantes, quia per multiplicia verba dilabuntur, plerumque diu otiosa cavere verba negligunt, ad noxia perveniunt, ut aliena prius loqui libeat, postmodum detractionibus eorum vitam, de quibus loquitur, mordeat: ad extremum vero usque ad apertas lingua contumelias erumpat. Hinc Salomon dicit: *In multiloquio peccatum non deerit*. Hinc Jacobus dicit: *Si quis putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio*. Hinc rursus ait: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum*. Hinc iterum linguæ vim definiens, adjungit: *Inquietum malum, plena veneno mortifero*. Hinc per semetipsam Veritas admonet, dicens: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint, reddent rationem de eo in die judicii*. Otiosum quippe verbum est, quod aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. Si ergo ratio de otioso sermone exigitur, pensemus quæ pœna multiloquium maneat, in quo etiam per innoxia verba peccatur.

Prov. 10. 19. Jac. 1. 26. Ibid. v. 19. Ibidem.

CAPUT LXI.

Matt. 13. 30. *Colligite zizania, & ligate ea in fasciculos ad comburendum.*

De distantia infernalium tormentorum. In expos. B. Job, lib. 9. num. 38.

SIcut in domo Patris mansiones multæ sunt pro diversitate virtutis, sic damnatos diverso supplicio gehennæ ignibus subjicit disparilitas criminis. Quæ scilicet gehenna licet cunctis una sit, non tamen cunctos una eademque qualitate suc-
A cendit. Nam sicut uno sole omnes tangimur, nec tamen sub eo uno ordine omnes æstuamus; quia juxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris: sic damnatis una est gehenna, quæ afficit, & tamen non una omnes qualitate comburit: quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum. Nisi enim tormentorum summam meritorum acta dirimerent, nequaquam judex veniens ad judicium se messoribus perhiberet esse dicturum: *Colligite zizania, & ligate in fasciculos ad comburendum*. Messores quippe Angeli zizania ad comburendum in fasciculos ligant, cum eos qui æterno igni tradendi sunt, pares paribus, in tormentis similibus sociant: ut superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis,
B avari cum avaris, fallaces cum fallacibus, invidi cum invidis, infideles cum infidelibus ardeant; & ut quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat. Cum ergo similes in culpa ad tormenta similia ducantur, quia in locis pœnalibus eos Angeli deputant, quasi zizaniorum fasciculos ad comburendum ligant.

Lib. 4. Dial. cap. 35.

CAPUT LXIII.

Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno suo omnia scandala. Matt. 13. 41.

REGNUM Dei non semper in sacro eloquio venturum regnum dicitur, sed nonnum-
C quam præsentis temporis Ecclesia vocatur. Neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax summa est, inveniri, aut esse scandala poterunt, quæ colligantur, ubi profecto reprobi non admittuntur.

Quid significet regnum cælorum. Homil. 12. in Evang. n. 1. & 32. n. 6.

CAPUT LXIV.

Item unde supra.

PLerumque in sancto Evangelio regnum Dei, vel regnum cælorum, præsens Ecclesia nominatur: congregatio quippe justorum regnum cælorum dicitur, quia per Prophetam Dominus dicit: *Cælum mihi sedes est*. Et Salomon ait: *Anima
D justi sedes sapientiæ*. Paulus etiam dicit: *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*: liquido debemus colligere, quod si Deus sapientia, anima vero justi sedes sapientiæ, dum cælum dicitur sedes Dei, cælum ergo est anima justi. Hinc per Psalmistam de sanctis prædicatoribus dicitur: *Cæli enarrant gloriam Dei*. Regnum ergo cælorum est Ecclesia justorum: quia dum eorum corda nil ambiunt in terra, per hoc, quod suspirant ad superna, jam in eis Dominus quasi in cælestibus regnat.

Hom. 31. in Evang. n. 1. Isa. 66. 1. Sap. 7. 27. 1. Cor. 1. 24. Psal. 18. 1.

CAPUT LXV.

Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Matt. 13. 47.

E REGNUM cælorum vocatur Ecclesia, cujus dum mores Dominus ad superna sublevat, jam hæc ipsa in Domino per cælestem conversationem regnat. Quæ recte etiam sagenæ in mare missæ comparatur ex omni genere piscium congreganti: quia missa in hoc Gentilitatis seculum, nullum respuit, sed malos cum bonis, superbos cum humilibus, iracundos cum mitibus, & fatuos cum sapientibus capit.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 34.

CA-

A

CAPUT LXVI.

Matt. 14. 24. *Dominus ambulans supra mare. Navicula autem, in qua transfretabant, in medio mari jactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus.*

Præsens seculum vocatur mare. In exposit. B. Job, lib. 17. num. 45. Job 26. 12.

BEATUS Job de Domino dicit: *In fortitudine illius maria sunt congregata.* Quid aliud maris nomine, quam præsens seculum designatur? In quo corda hominum terrena quærentium, diversis cogitationum fluctibus intumescunt; qui elatione superbiæ incitati, dum alterna intentione se impetunt, quasi adversanti se undæ collidunt. Sed jam in fortitudine Domini maria congregata sunt, quoniam incarnato Domino, discordantia B secularium corda concorditer credunt. Jam Petrus in mari ambulat: quia nimirum Christi prædicatoribus, illa quondam tumida humili auditu corda substrata sunt; ut recte etiam in Evangelio hujus mundi mansuetudinem figuraverit, quod procellosa maris aqua Domini pedibus presso tumore calcata est.

CAPUT LXVII.

Matt. 16. 19. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, &c.*

De potestate bonorum Rectorum. Dialog lib. 2. c. 23. sub fin.

PETRUS Apostolus in hac adhuc carne erat, qui audiebat: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Cujus nunc vicem ligandi & solvendi obtinent, qui locum sancti regiminis fide & moribus tenent, & adhuc in hac carne corruptibili degentes solvere possunt animas in illo jam invisibili judicio constitutas. Sed ut tanta valeat homo de terra, cæli & terræ Conditor in terram venit e cælo. Atque ut judicare caro etiam de spiritualibus possit, hoc ei largiri dignatus est, factus pro hominibus caro Deus; quia inde surrexit ultra se infirmitas nostra, unde sub se infirmata est Dei firmitas.

CAPUT LXVIII.

Matt. 16. 22. *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc.*

De consiliis carnalium hominum. In exposit. B. Job, lib. 3. num. 38.

SCIENDUM est quia carnales in Ecclesia aliquando metu, aliquando vero audacia suadere bonis perversa contendunt. Cumque ipsi vel pusillanimitate vel elatione deficiunt, hæc justorum cordibus infundere, quasi ex dilectione moliuntur. Carnalem videlicet mentem Petrus ante Redemtoris mortem resurrectionemque retinebat: carnali mente Sarviæ filius duci suo David adjunctus inhæserat: sed tamen unus formidine, alter elatione peccabat. Ille quippe magistri mortem audiens, dixit: *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc:* hic vero injurias ducis non ferens, ait: *Numquid pro his verbis non occidetur Semei, qui maledixit Christo Domini?* Sed illi mox dicitur: *Redi post me Satana:* & hic cum germano protinus audivit: *Quid mihi & vobis, filii Sarviæ: cur efficiamini hodie mihi in Satan?* Mala itaque suadentes, Angeli apostatæ appellatione censentur, qui blandis verbis ad illicita quasi diligentes, trahunt. Valde vero deteriores sunt, qui huic culpæ, non formidine, sed elatione succumbunt.

2 Reg. 19. 21.

CAPUT LXIX.

Reges terræ a quibus accipiunt tributum? Matt. 17. 24.

De scandalo aliquando contemnendo, aliquando vitando. Homil. 7 in Ezech. n. 4.

IN nostro bono opere aliquando cavendum est scandalum, aliquando vero pro nihilo contemnendum. Quod in ipso nostro auctore didicimus, qui dum tributum Petro inquisito peteretur, prius paradigma proposuit, per quod se nihil debere respondit, dicens: *Reges terræ, a quibus accipiunt tributum, vel censum; a filiis suis, an ab aliis?* Illico respondit: *Ergo liberi sunt filii.* Sed postquam liberum se esse monstravit, ne fortasse scandalum cuiquam faceret, subdidit: *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare: & mitte hamum, & eum piscem, qui prius ascenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens, da eis pro me & te.* Qui rursum cum diceret: *Quia omne, quod in os intrat, non coinquinat hominem,* tunc accedentes discipuli dixerunt ei: *Scis quia Pharisæi, audito hoc verbo, scandalizati sunt?* Ait ille respondens ait: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur: sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Ecce magistra Veritas, ne in quorumdam cordibus scandalum gigneretur, quod non debuit, tributum dedit. Et rursum, quia generari scandalum in quorumdam cordibus contra veritatem vidit, in suo eos scandalo remanere permisit. Ex C qua re nobis considerandum est, quia quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus: si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur.

Matt. 15. 12.

CAPUT LXX.

Non omnes capiunt verbum hoc. Matt. 19. 11.

De virginitate. Regul. Past. par. 3. c. 28.

PECCATA carnis ignorantes, tanto sollicitius debent præcipitem metuere ruinam, quanto altius stant, & audire quid per semetipsam Veritas de hac integritate dicat: *Non omnes capiunt verbum hoc.* Quod eo innotuit summum, quo deD negavit omnium: & dum prædicit, quia difficile capitur, audientibus innuit, captum cum qua cautela teneatur.

CAPUT LXXI.

Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, in regeneratione cum sederit, &c. Matt. 19. 28

De evangelico paupertate. In exposit B. Job, lib 10. n. 52 & 60. & in Ezech. num. 18.

OMnes Sancti, qui mundum perfecte reliquerunt, cum Domino venient ad judicium: & ejus corpori uniti, ejus majestati conjuncti, & simul facti cum eo judices videbuntur, qui modo perfecta opera juxta evangelica præcepta secuti sunt. Hinc est quod ipsis sanctis Apostolis dicitur: E *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Neque enim plusquam duodecim judices illa interni consessus curia non habebit: sed nimirum duodenario numero quantitas universitatis exprimitur: quia quisquis stimulo divini amoris excitatus, hic possessa reliquerit, illic proculdubio culmen judiciariæ potestatis obtinebit; ut simul tunc judex cum judice veniat, qui nunc consideratione judicii sese spontanea

pau-

paupertate castigat. Hinc est enim, quod de sanctæ Ecclesiæ Sponso per Salomonem dicitur: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ*. Hinc Isaias ait: *Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui*. Hinc eosdem seniores Veritas non jam famulos, sed amicos denuntiat, dicens: *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos*. In extremi ergo judicii die justus quisque, qui nunc despicitur, quanta potestate fulgeat, demonstratur: tunc enim cum Deo judices veniunt, qui nunc pro Deo injuste judicantur. Tunc eorum lux tanto latius emicat, quanto nunc eos manus persequentium durius angustat. Tunc reproborum oculis patescet quod cælesti potestate subnixi sunt, qui terrena omnia sponte reliquerunt. Quot enim nunc pro veritatis amore sese libenter humiliant, tot tunc in judicio cum Christo judices, quasi lampades coruscant. Omnes quidem qui nunc præcepta legis perfectione virtutum transcendunt, qui nequaquam hoc solum, quod cunctis divina lex præcepit, implere contenti sunt, sed præstantiori desiderio plus exhibere appetunt, quam præceptis generalibus audire potuerunt, quibus dominica voce dicitur: *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me; cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*: hi in extremo judicio non judicantur, sed & regnant: quia cum auctore suo etiam judices veniunt. Relinquentes quippe omnia, plus prompta devotione exsecuti sunt, quam juberi generaliter audierunt. Speciali namque jussione paucis perfectioribus, & non generaliter omnibus dicitur hoc quod adolescens dives audivit: *Vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, & sequere me*. Si enim sub hoc præcepto cunctos jussio generalis adstringeret, culpa profecto esset aliquid nos de hoc mundo possidere. Sed aliud est, quod per Scripturam sacram generaliter omnibus præcipitur: aliud, quod specialiter perfectioribus imperatur. Hi ergo recte sub generali judicio non tenentur, qui præcepta generalia vivendo vicerunt. Sicut enim non judicantur, & pereunt, qui suadente perfidia legem tenere contemnunt: ita non judicantur, & regnant, qui suadente pietate etiam ultra generalia divinæ legis præcepta proficiunt. Hinc est, quod Paulus etiam specialia præcepta transcendens, plus opere exhibuit, quam institutione permissionis accepit. Cum enim accepisset, ut Evangelium prædicans de Evangelio viveret: Evangelium quidem audientibus contulit, & tamen Evangelii sumtibus sustentari recusavit. Cur ergo iste judicetur ut regnet, qui minus, quod servaret, accepit: sed majus, quod viveret, invenit?

Prov. 31. 23.
Isa. 3. 14.
Johan. 15. 15.
Matt. 19. 21.

CAPUT LXXII.

Matt. 16. 29.

Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

Homil. 18 in Ezech. n. 16.

NEQUAQUAM Sanctus quisque ideo terrena deserit, ut hæc possidere in hoc mundo multiplicius possit: quia quisquis terreno studio terram relinquit, terram non relinquit, sed appetit: nec qui unam uxorem deserit, centum recepturus est. Sed quia denarius numerus per semetipsum multiplicatus in centenarium surgit, recte per centenarium perfectio magna designatur, per quam etiam vita æterna promittitur. Quisquis enim pro Dei nomine temporalia, & terrena contemnit, hic perfectione mentis recipit ut jam ea non appetat, quæ contemnit, & in sequenti seculo ad æternæ vitæ gloriam perveniat. Centies itaque recipiet quod dedit, qui perfectionis spiritum accipiens, terrenis non indiget, etiamsi hæc non habeat. Ille enim pauper est, qui eget eo, quod non habet. Nam qui & non habens habere non appetit, dives est. Paupertas quippe in inopia mentis est, non in quantitate possessionis: nam ille, cui in paupertate bene convenit, non est pauper.

CAPUT LXXIII.

Matt. 20. 10.

Cum venissent operatores vineæ, qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.

De remuneratione bonorum operum.
In exposit. B. Job, lib. 35. num. 42.

DENARIUS numerus in Scriptura sacra perfectus est: quia lex in decem præceptis concluditur, omnisque culpa non amplius, quam per decem verba cohibetur. Et enarrante Veritate, operatores vineæ denario remunerantur. In denario quippe tria junguntur ad septem. Homo autem, qui ex anima constat & corpore, in septem qualitatibus continetur. Nam tribus spiritualiter, & quatuor corporaliter viget. In dilectione etenim Dei tribus spiritualiter excitatur, cum et per legem dicatur: *Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua*. Corporaliter vero quatuor qualitatibus continetur: quia videlicet ex materia calida & frigida, humida & sicca componitur. Homo ergo qui ex septem qualitatibus constat, denario remunerari dicitur: quia in illa perceptione supernæ patriæ, septem nostra ad tria junguntur æterna: ut homo contemplationem Trinitatis accipiat, & de remuneratione operis quasi quodam denario consummatus vivat. Vel certe, quod septem virtutes sunt, quibus in hac vita laboratur, dumque eis in remuneratione contemplatio Trinitatis redditur, vita laborantium denario remuneratur. Sed perfectus quisque etiam in hac vita denarium accipit: dum eisdem septem virtutibus, spem, fidem, caritatemque conjungit.

Matt. 22. 37.

CAPUT LXXIV.

Nonne ex denario convenisti mecum? Matt. 20. 13.

Divina judicia non discutienda.
In exposit. B. Job, lib. 25. n. 14. & l. 15. num. 13.

NEmo temere debet superna consilia, & divina judicia discutere, sed consilium summæ, & occultæ virtutis satisfactio sit apertæ rationis: quia injustum esse non potest quod justo Domino placet. Unde & in vinea mercedem laborantibus reddens, cum quosdam operarios inæquales in opere æquaret in præmio, & plus in mercede quæreret, qui labori amplius insudasset, ait: *Nonne ex denario convenisti mecum? Volo autem & huic novissimo dare, sicut & tibi: aut non licet mihi quod volo facere?* In cunctis igitur, quæ deterius disponuntur, aperta causa est rationis, occultæ justitia voluntatis. Sciendum est autem, quod sola est sancta Ecclesia in qua bonum opus peragitur, unde

unde & mercedem denarii non acceperunt, nisi qui A intra vineam laboraverunt.

CAPUT LXXV.

Matt. 20. 29. *Duo cæci sedentes secus viam, ut audierunt quia Jesus egrediens ab Jerico transiret, clamabant: Miserere nostri fili David.*

De duabus Christi naturis. In exposit. B. Job, lib. 19. num. 5.

DOMINUS noster Jesus Christus Deo Patri suo coæternus, per humanitatem dicitur transitum habere: per divinitatem vero quasi stare. Inde enim non transit unde æternus est, inde vero transit, unde propter nos apparuit temporalis; sic namque & in Evangelio scriptum est: *Quia egrediens ab Jerico Dominus transibat. Duo autem* B *cæci sedentes juxta viam clamaverunt dicentes: Domine, miserere nostri, fili David.* Ad quorum vocem sicut illic scriptum est: *Stetit Jesus, & lumen reddidit.* Quid est autem transeundo audire, stando lumen restituere, nisi quod per humanitatem suam nobis misertus est, qui per divinitatis potentiam a nobis mentis nostræ tenebras exclusit? Quod enim propter nos natus, & passus est: quod resurrexit, & ascendit in cælum, quasi transit Jesus: quia nimirum hæc actio temporalis est. Sed stans eos tetigit, & illuminavit: quia non sicut illa dispensatio temporalis, ita verbi æternitas transit, quæ in se manens innovet omnia; stare enim Dei est incommutabili cogitatione mutabilia cuncta disponere. Qui ergo voces petentium C transiens audivit, stans lumen reddidit: quia & si propter nos temporalia pertulit, inde tamen nobis lucem tribuit, unde habere mutabilitatis transitum nescit.

CAPUT LXXVI.

Matt. 22. 13. *Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores.*

Homil. 9. in Ezech. n. 34.

QUISQUIS adhuc præsenti seculo mente inhæret, & adhuc terrenis voluptatibus delectatur, amare non potest æterna gaudia, quæ justis promittuntur. Cognoscat igitur in volumine sancti Evangelii damnationem reproborum, quæ in eo scripta est: & ab animo per ti- D morem expellat quod diligit, ut possit ex judicio cælestem gloriam amare, quam elegit, vel audit. Ibi quippe sub unius damnati specie multitudo reproborum exprimitur, cum voce Veritatis dicitur: *Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.* Tunc enim reprobi in exteriores tenebras cadunt, quia nunc in interioribus sua se sponte dejecerunt, ut veritatis lumen nec credendo, nec bene operando sequerentur. In quas tenebras, ligatis manibus & pedibus, mitti præcipiuntur: quia nunc, dum tempus operandi & currendi est, habere manus & pedes liberos in bona actione noluerunt. Ibi etiam de reprobis scriptum est: E

Isa. 66. 24. *Vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur.*

CAPUT LXXVII.

Matt. 23. 3. *Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, nolite facere.*

De malis doctoribus.

STULTUS aliquando donum sectæ intelligentiæ accipit, Scripturæ sacræ sententiis do-

cetur, bon
hoc, quo
nec tamen
do calcat
desideria a
didicerit
per desid
præcepit
faciunt,

Om

S ÆPE
&
ab
gloria
sed in
ut ga
primo recub...
elevetur in reverenti voce obsequentium ...
superba cogitatione tumeat in famulatu subditorum, sicut voce quoque Veritatis de talibus dicitur: *Omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus: amant enim primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Sed hæc eorum gaudii lætitia pertransibit, & pœna permanebit.

...colorare. Mens
...laboribus nihil
...nium foris
...t: Cum
...licite in
... ni-
...;

la sua divini
lis antepo
blice f
latens

CAPUT LXXIX.

Liquantes culicem, camelum glutientes. Matt. 23. 24.

De Judæis. In exposit. B. Job, lib. 1. num. 21.

CAMELI nomine Dominus hic designatur, a quo hoc Judæis adversantibus dicitur. Culex enim susurrando vulnerat, camelus autem sponte se ad suscipienda onera inclinat. Liquaverunt ergo Judæi culicem, quia seditiosum latronem dimitti petierunt: camelum vero glutierunt, quia eum, qui ad suscipienda nostræ mortalitatis onera sponte descenderat, extinguere clamando conati sunt.

CAPUT LXXX.

Væ vobis hypocritæ. Matt. 23. 27.

De simulatione hypocritarum. In exposit. B. Job, lib. 18. num. 21. Regul. Past. cap. 32.

STUDIUM hypocritarum esse solet, ut & quod sunt, supprimant: & hoc quod non sunt, esse se hominibus innotescant. Refugiunt videri quod sunt, & ante oculos superinducta quadam innocentiæ honestate se vestiunt. Unde recte per Evangelium voce nostri Redemptoris increpantur, cum eis dicitur: *Væ vobis hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis; quæ foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Ita & vos foris quidem apparetis hominibus justi, intus autem pleni estis rapina, & iniquitate.* Hypocritas ergo recte sepulcra dealbata, speciosa exterius, sed mortuorum ossibus plena interius Veritas vocat; quia vitiorum mala intus contegunt, humanis vero oculis quorumdam demonstratione operum de solo foris justitiæ colore blandiuntur. Culpas itaque suas occultando hominibus virtutesque pandendo, unde puniri debeant, abscondentes detegunt, & unde remunerari poterant detegentes abscondunt. Nam dum occulta ma-

la

la sua divini judiciis, recta vero sua humanis oculis anteponunt: & sine teste est bonum, quod publice faciunt; & non sine æterno teste est, quod latenter delinquunt.

CAPUT LXXXI.

Item unde supra.

Homil. 9. in Ezech. n. 33. QUOD autem dicitur: *Væ vobis hypocritæ*; sciendum est, quod in Scriptura sacra, *Væ*, sæpius de æterno luctu, quam præsenti solet intelligi. Unde scriptum est: *Væ impio in malo: retributio enim manuum ejus fiet ei.* Et beatus Job loquitur, dicens: *Si impius fuero, væ mihi est: si autem justus, non levabo caput, saturatus afflictione & miseria.* Justorum enim afflictio temporalis est. Væ ergo, quod dixit, a temporali afflictione distinxit, qui & justum afflictionem, & impium væ habere perhibuit. Et per semetipsam Veritas dicit: *Væ mundo a scandalis.* Et: *Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis.* Et: *Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.*

Isa. 3. 11. Job 10. 15. Matt. 18. 7. Luc. 6. 25. Ibid. 21. 23.

CAPUT LXXXII.

Matt. 24. 20. *Orate ne fiat fuga vestra hyeme, vel Sabbato.*

De conversione non differenda. Homil. 12. in Evang. n. 1. SOLLICITE, fratres carissimi, cogitare debemus ne nobis in vacuum tempora pereant, & tunc quæramus ad bene agendum vivere, cum jam compellimur de corpore exire: & meminisse debemus quid Veritas dicat: *Orate, ne fiat fuga vestra hyeme, vel Sabbato.* Per legis quippe mandatum ambulare longius in Sabbato non licet. Hyems quoque ad ambulandum impedimento est: quia gressus ambulantium torpor frigoris adstringit. Ait ergo: *Orate ne fiat fuga vestra hyeme, vel Sabbato.* Ac si aperte dicat: Videte ne tunc quæratis peccata vestra fugere, quando jam non licet ambulare. Illud ergo tempus, quo fugere non licet, modo debet cogitari dum licet. Illa hora exitus nostri est semper intuenda: ista Redemtoris admonitio ante mentis oculos semper ponenda.

CAPUT LXXXIII.

Matt 24. 26. *Si dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire.*

De hæreticis. In exposit. B. Job, lib. 20, num. 20. Job 30. 3. DE hæretico dicit beatus Job: *Qui rodebant in solitudine.* Rodi solet quod comedi non potest. Hæretici itaque quia per supernam gratiam non adjuti, sed sua virtute moliuntur Scripturam sacram intelligere, exterius illam contrectant, sed ad ejus interiora secreta spiritualia non perveniunt: & quoniam ab universalis Ecclesiæ sunt disjuncti societate, non quolibet loco rodere memorantur, sed in solitudine. Ad quam nimirum solitudinem, quia prædicatores falsi sequaces suos traherent, longe ante Veritas præmonuit, dicens: *Si dixerint: Ecce in deserto est, nolite exire.* Præterea hæretici clandestinis inter se conventiculis coeunt, ut errori suo reverentiam, quam non valent ex ratione, præbeant ex occultatione: & infirmis animabus pravitatis sermo tanto reverendus appareat, quanto secretus. Unde per Salomonem mulier ex typo hæreseos suadet, dicens: *Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior.* Et beatus Job dicit: *In desertis habitabant torrentium, & in cavernis terræ.* Quid vero aliud cavernas terræ, quam occultas hæreticorum prædicatione accipimus? Quæ occulta scilicet prædicamenta detestatur Veritas, dicens: *Si quis vobis dixerit: ecce hic Christus est, ecce illic: nolite credere.* Et rursum: *Si dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem; ita erit & adventus filii hominis.* Hoc itaque hic in penetralibus, quod in Job dicitur, in cavernis. In cavernis enim hæretici habitant; quoniam errorem suum plerumque secretis prædicationibus occultant, ut quo se doctoribus prudentioribusque non indicant, eo vehementius imperitos ad se trahant.

Ibid. n. 23. Prov. 9. 17. Job 30. 6.

CAPUT LXXXIV.

Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret in Occidentem, ita erit adventus filii hominis. Matt. 24. 27.

CUM Dominus ad judicium venerit, districti judicii concussio omnia simul elementa perturbabit, & in illo die cunctorum, qui tunc in carne mortali fuerint inventi, in pavore nimio corda commovebuntur. Cum enim cœperit impleri quod scriptum est: *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur*: quæ mens erit hominis æterni judicis sententiam non formidantis? Ibi enim simul tunc cuncta peccata ante oculos redeunt: ibi omnia, quæ cum delectatione acta sunt, ad memoriam cum pavore revocantur: ibi caligo cogitationis miseræ ex pœna proximæ damnationis erit. Tunc quippe ex peccatorum memoria sensum mentis deprimit caligo cæcitatis, cum unigenitum Dei filium in forma divinitatis conspicere non permittuntur reprobi. *Videbunt enim in quem transfixerunt.* Et: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei.* Ignis etiam ille judicii, qui cælum aereum & terram concremabit, peccatores proculdubio constringet in pœna suæ damnationis. Nam sicut fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem, ita erit adventus filii hominis, ubi nullus a judicio tunc in sua mente latere permittitur: quia ipse judicis fulgore penetratur. Ipse enim Angelis & Archangelis, omnibusque virtutibus præsidens Redemtor noster, in suo tunc terrore videbitur, eique ignis judicii in reproborum vindictam famulabitur. Hinc Psalmista ait: *Ignis in conspectu ejus ardebit, & in circuitu ejus tempestas valida.* Hinc Petrus Apostolus ait: *Adveniet dies Domini ut fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa vero ignis ardore solventur.*

De die judicii, Homil. 2. in Ezech. n. 16. Matt. 24. 29. Johan. 19. 37. Zach. 12. 10. Num. 17. Psal. 49. 3. 2. Petr. 3. 10.

CAPUT LXXXV.

Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Matt. 24. 45.

ALta quæque debent a prædicatoribus multis audientibus contegi, & vix paucis aperiri. Hinc namque per semetipsam Veritas dicit: *Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?* Per mensuram quippe tritici exprimitur modus verbi, ne cum angusto cordi incapabile aliquid tribuitur, extra fundatur. Hinc Paulus ait: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus,*

De prædicatoribus. Regul. Past. par. 3. cap. 39. 1. Cor. 3. 1.

bus, sed quasi carnalibus: tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Hine ad beatum Job dicitur: *Quis dedit gallo intelligentiam?* prædicator enim sanctus, dum caliginoso hoc clamat in tempore, quasi gallus cantat in nocte, cum dicit: *Hora est jam nos de somno surgere.* Et rursum: *Evigilate justi, & nolite peccare.* Gallus cum jam edere cantus parat, prius alas excutit; & semetipsum feriens, vigilantiorem reddit: quia nimirum necesse est, ut hi, qui verba sanctæ prædicationis movent, prius studio bonæ actionis evigilent, prius se per sublimia facta excutiant, & tunc ad bene vivendum alios sollicitos reddant: prius cognitionum alis semetipsos feriant, quidquid in se inutile deprehenderint, districta animadversione corrigant, & tunc demum aliorum vitam loquendo componant, & antequam verba exhortationis insonent, omne quod locuturi sunt, operibus clament. Gallus etiam profundioribus horis noctis altos edere cantus solet; cum vero matutinum jam tempus in proximo est, minutas & tenues voces format: quia nimirum qui recte prædicat, obscuris adhuc cordibus aperta clamat, nil de occultis mysteriis indicat, ut tunc subtiliora quædam de cælestibus audiant, cum luci veritatis appropinquant.

Job 38. 36.
Rom. 13. 11.
1. Cor. 15. 34.

CAPUT LXXXVI.

Fatuæ Virgines non sumserunt oleum secum.

Matt. 25. 3.

De decem Virginibus fatuis & prudentibus. In exposit. B. Job, lib. 23. num. 17.

PRÆDICATORES sancti cum loquuntur, nequaquam mentis gaudium in ostensione ponunt disertæ locutionis: sed bonum scientiæ in cordis secreto meditantur, & ibi gaudent, ubi hoc percipiunt, non ubi inter tot tentationum laqueos innotescere compelluntur; quamvis cum bonum, quod accipiunt, innotescunt, media interveniente caritate, ex profectu audientium & non ex propria ostensione gratulantur. Arrogantes enim cum scientiam accipiunt, nihil se accepisse æstimant, si hanc eos occultam habere contingat; nusquam quippe suum gaudium, nisi in ore hominum ponunt. Unde & fatuæ Virgines in suis vasis oleum non sumsisse referuntur: quia arrogantes omnes, cum se ab aliquibus fortasse vitiis continent, bonum gloriæ intra conscientias habere non possunt. In vase autem proprio sumserat Paulus oleum, qui dicebat: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Inane ergo vasculum ferre, est intus corde vacuo foras humani favoris judicium quærere: quia dum gloria exterius quæritur, intra vas oleum non habetur.

2. Cor. 1. 12.

CAPUT LXXXVII.

Date nobis de oleo vestro.

Matt. 25. 8.

De defectu hypocritarum in judicio. In exposit. B. Job, lib. 8. num 74.

HYPOCRITA nihil aliud in omni quod agit, nisi opinionis suæ gloriam cogitat: nec curat quo post meritum ducitur, sed quid interim dicatur. Sed laus cum ejus vita præterit, & humanus favor in judicio deficit. Unde & fatuæ Virgines, quæ oleum in vasis non sumserant, quia in alienis scilicet vocibus gloriam, & in suis conscientiis non habebant, turbatæ per Sponsi præsentiam dicunt: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Oleum quippe a proximis petere, est gloriam boni operis a testimonio alienis oris implorare. Mens etenim vacua, cum a cunctis suis laboribus nihil se intus tenuisse invenerit, testimonium foris quærit. Ac si aperte fatuæ Virgines dicant: Cum nos repelli sine retributione conspicitis, dicite in nostro opere quod vidistis. Sed hypocritæ nihil in judicio attestatio humana suffragabitur; quia eamdem laudem, quam post iu testimonium exigit, prius in munere recepit.

CAPUT LXXXVIII.

Novissime vero veniunt & reliquæ Virgines dicentes: Domine, aperi nobis.

Matt. 25. 11.

De multimoda vocatione Dei. Homil. 36. in Evang. n. 10.

AD cælestis regni gaudia nos, fratres carissimi, Dominus vocat per se, vocat per Angelos, vocat per Patres, vocat per prophetas, vocat per Apostolos, vocat per pastores, vocat plerumque per miracula, vocat plerumque per flagella, vocat aliquando per hujus mundi prospera, vocat aliquando per adversa. Sæpe namque nonnulli hic proficere volentes, & prosperari, cum apprehendere temporalem gloriam conantur, omnipotente Deo misericorditer eos respiciente nequeunt, quia eos in carnalibus suis desideriis mundi hujus adversitates feriunt: aut enim ægritudine longa tabescunt, aut injuriis afflicti concidunt, aut gravibus percussi damnis affliguntur, & in mundi dolore vident, quia nihil confidere de ejus voluptate debuerunt; seque ipsos in suis desideriis reprehendentes, ad Deum corda convertunt. Multi igitur hujus mundi adversitatibus fracti, ad Dei vocantis amorem revertuntur, & a præsentis vitæ desideriis corriguntur. Nemo ergo Deum vocantem contemnat; ne dum vocatus audire, & obedire recusat, cum voluerit intrare non valeat. Audite quid Sapientia per Salomonem dicat: *Tunc invocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non invenient me.* Hinc est quod fatuæ Virgines tarde venientes clamant: *Domine, Domine, aperi nobis*, sed jam tunc aditum quærentibus dicitur: *Amen, amen dico vobis, nescio vos.* Hanc valde timendam sententiam, fratres carissimi, intenta aure percipite, ut tanto eam minus sentiatis in examine quanto nunc auditis formidolosius in prædicatione. Si autem cuncta mundi relinquere, quod paucis datum est, non potestis, sic tenete quæ sunt hujus mundi, ut tamen per ea in mundo non teneamini: ut terrena res possideatur, non possideat: ut sub vestræ mentis sit dominio quod habetis, ne si mens vestra terrenarum rerum amore vincatur, a rebus suis magis ipsa possideatur. De hominibus, qui vel plura ambiunt, vel obtinere cuncta quæ ambierunt, possunt, audite quod scriptum est: *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Ac si aperte Veritas dicat: Quid prodest homini si totum quod extra se est, congreget, si hoc solum quod ipse est, damnet? Sit ergo res temporalis in itinere, desideretur æterna in perventione, sint terrena, quæ nostro corpori serviant, quatenus cordi minime obsistant, ne nos ad cælestem patriam quo nos vocat Dominus, præpediant. Nihil sit quod desiderium nostræ mentis retardet, nullius nos rei in hoc mundo delectatio implicet. Si bonum diligitur, mens in bonis melioribus, id est in cælestibus delectetur: si malum metuitur, mala animo æterna proponantur; ut dum illic esse conspicit,

Prov. 1. 28.
Regul. Pastor. part. 3. cap 20.
Matth. 16. 26.

& amplius quod diligat, & amplius quod pertimescat, hic omnino non hæreat.

CAPUT LXXXIX.

Matt. 25. 12.

Amen dico vobis, nescio vos.

De reprobatione hypocritarum. In expos. B. Job, lib. 8. num. 81.

SUPERNA dispensatio hypocritis largitur bonum operis, & sortem denegat hereditatis: operandi munera cumulat, & tamen vota operantis ignorat: quia dum perceptum munus ad laudem propriam trahitur, in conspectu lucis intimæ umbra elationis obscuratur. Cum igitur a præsentis vitæ favoribus, interveniente morte, fuerit separatus, internus eum arbiter negat, seque eum nescire denuntiat, quia simulatoris vitam juste reprobando Veritas ignorat: nec recognoscit ejus bona, quæ egit, quoniam hæc ex intentione recta non protulit. Unde & fatuis Virginibus in judicium veniens dicet: *Amen, amen dico vobis, nescio vos*. In quibus dum corruptionem mentis considerat, carnis etiam incorruptionem damnat. Nescire autem Dei, reprobare est. Unde & quibusdam, quos reprobat, in fine dicturus est: *Nescio vos unde sitis. Discedite a me omnes operarii iniquitatis*. Sicut etiam nescire mentiri vix verax dicitur, qui labi per mendacium dedignatur: non quo si mentiri velit, nesciat; sed quo falsa loqui veritatis amore contemnat.

Ibid. num. 6.

CAPUT XC.

Matt. 25. 31. 32.

Cum venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes Gentes, & separabit eas ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, & statuet oves a dextris, hædos autem a sinistris.

De discretione bonorum & malorum. Homil. 19. in Evang. n. 5.

AD sanctam ecclesiam, fratres carissimi, quam multi convenimus, Ecclesiæ parietes implemus, & tamen nemo nostrum potest scire, qui sint qui in illo electorum Dei numerentur grege. Ecce vox omnium Christum clamat, sed vita omnium non clamat: plerique Deum sequuntur vocibus, sed fugiunt moribus. Hinc etenim ad Titum Paulus dicit: *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant*. Hinc Jacobus ait: *Fides sine operibus mortua est*. Hic igitur multi fidelibus per confessionem admiscentur, sed propter vitam reprobam in sorte fidelium in die judicii numerari non merentur. Hoc ovile sanctæ Ecclesiæ hœdos recipit cum agnis: sed attestante Evangelio, cum judex venerit, bonos separat a malis, sicut pastor segregat oves ab hædis. Neque etenim illic in ovium grege numerari possunt, qui hic carnis suæ voluptatibus serviunt. Illic eos a sorte humilium judex separat, qui se hic in superbiæ cornibus exaltant. Regnum cælorum percipere nequeunt, qui hic & in cælesti fide positi, toto desiderio terrena quærunt.

Tit. 1. 16.

Jac. 2. 20. & 26.

CAPUT XVI.

Matt. 25. 34.

Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.

De extremo judicio.

DUÆ sunt partes, electorum scilicet, atque reproborum, sed bini ordines eisdem singulis partibus continentur. Alii namque judicantur, & regnant; alii non judicantur, & regnant; alii judicantur, & pereunt; & alii non judicantur, & pereunt. Ex parte quippe electorum judicantur & regnant, qui vitæ maculas lacrymis tergunt, qui mala præcedentia factis sequentibus redimentes, quidquid illicitum aliquando fecerunt, ab oculis judicis eleemosynarum superductione cooperiunt; quibus judex veniens in dextra consistentibus dicit: *Esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me*. Quibus præmittit, dicens: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*. Alii autem non judicantur, & regnant, qui etiam præcepta Legis, perfectione virtutum transcendunt, qui nequaquam hoc solum quod cunctis divina Lex præcipit, implere contenti sunt, sed præstantiori desiderio plus exhibere appetunt, quam præceptis generalibus audire potuerunt: quibus dominica voce dicitur: *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*. Et de quibus Propheta ait: *Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui*. Et de quibus Salomon, cum de sanctæ Ecclesiæ Sponso loqueretur, intulit, dicens: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ*. Hi itaque in extremo judicio non judicantur, & regnant: quia cum auctore suo etiam judices veniunt, relinquentes quippe omnia, plus promta devotione executi sunt, quam juberi generaliter audierunt. Speciali namque jussione paucis perfectionibus, & non generaliter omnibus dicitur hoc, quod adolescens dives audivit: *Vade, & vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo; & veni, et sequere me*. Si enim sub hoc præcepto cunctos jussio generalis adstringeret, culpa profecto esset aliquid nos de hoc mundo possidere. Sed aliud est quod per Scripturam sacram generaliter omnibus præcipitur: aliud quod perfectioribus specialiter imperatur. Hi ergo recte sub generali judicio non tenentur, qui & præcepta generalia vivendo vicerunt. Sicut enim non judicantur & pereunt, qui suadente perfidia, legem tenere contemnunt: ita non judicantur, & regnant, qui suadente pietate, etiam ultra generalia divinæ legis præcepta proficiunt. Hinc est quod Paulus etiam specialia præcepta transcendens, plus opere exhibuit, quam institutione permissionis accepit. Cum enim accepisset, ut Evangelium prædicans, de Evangelio viveret, & Evangelium audientibus contulit, & tamen Evangelii sumtibus sustentari recusavit. Justum est igitur, ut iste non judicetur, & regnet, qui minus quod servaret, accepit: sed majus quod viveret, invenit.

In expos. B. Job, lib. 26. cap. 30. & 31.

Ibid. v. 35.

Matt. 19. 28.

Isa. 3. 14.

Prov. 31. 23.

Matt. 19. 21.

1. Cor. 9.

Matt. 25. 35.

CAPUT XCII.

Hospes fui, et suscepistis me.

De hospitalitate. Hom. 23. in Evang. n. ..

Hebr. 13. 1.

HOSPITALITATEM, fratres carissimi, diligite, opera caritatis amate. Hinc etenim per Paulum dicitur: *Caritas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite oblivisci: per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hospitio receptis*. Hinc

Pe-

1. Petr. 4. 9. Petrus ait: *Hospitales invicem sine murmuratione*. A Hinc ipsa Veritas dicit: *Hospes fui, & suscepistis me*. Cum igitur ante judicium Dominus per Matt. 25. 40. membra sua suscipitur, in judicium veniens susceptores suos recognoscet, dicens: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Pensate ergo, fratres, quanta hospitalitatis virtus sit, & ad hospitalitatis gratiam ne sitis pigri. Peregrini ad hospitium non solum invitandi, sed etiam trahendi. Ad mensas vestras Christum suscipite, ut vos ab eo suscipi ad æterna convivia valeatis. Præbete modo peregrino Christo hospitium, ut vos in judicio non quasi peregrinos nesciat, sed ut proprios recipiat ad regnum.

CAPUT XCIII.

Matt. 25. 45 *Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

De misericordia pauperibus exhibenda. hom. 40. in Evang. n. 10. & 11.

ANTE futurum judicium, fratres carissimi, solerter agite, culparum vestrarum intercessores quærite, advocatos vobis in die judicii pauperes procurate. Ecce importune se pauperes offerunt, atque his indigent, quæ vobis jam satiatis quotidie de' mensa cadunt. Ecce nos rogant, qui tunc pro nobis intercessores venient. Certe nos omnino rogare debuimus, & tamen rogamur. Videte si negare debemus, quod petimur; quando patroni sunt, qui petunt. Nolite ergo misericordiæ tempora perdere, nolite accepta remedia dissimulare, ante supplicium de supplicio cogitate. Cum quoslibet in hoc mundo abjectos aspicitis, etiam si qua reprehensibilia eorum esse videantur, nolite despicere: quia fortasse quos morum infirmitas vulnerat, medicina paupertatis curat: quorum si qua sunt talia quæ jure debeant reprehendi, hæc si vultis ad usum vestræ mercedis inflectite, ut ex ipsis eorum vitiis cumulentur vobis incrementa pietatis, quatenus pariter panem detis, & verbum; panem refectionis cum verbo correptionis: & duo a vobis alimenta percipiat, qui unum quærebat, dum exterius cibo, & interius satiatur eloquio. Pauper ergo cum reprehensibilis cernitur, moneri debet, & despici non debet: si vero reprehensionis nil habet, venerari summopere, sicut intercessor, debet. Sed ecce multos cernitis, qui cujus sint meriti nescitis. Omnes igitur honorate quos pauperes cernitis, & quos foris videtis despectos seculi, intus arbitramini amicos Dei. Cum his participamini quod habetis, ut hoc quandoque quod habent dignentur vobiscum participari. Pensate quod ore magistri Gentium dicitur: *In*
2. Cor. 8. 14. *hoc tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum*. Pensate quid ipsa per se Veritas dicat: *Quamdium fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis*. Ad tribuendum ergo pigri nequaquam esse debetis, quando hoc quod jacenti in terra porrigitis, sedenti in cælo datis.

CAPUT XCIV.

Matt. 25. 41 *Tunc dicet & his qui a sinistris ejus erunt: Ite maledicti in ignem æternum.*

De discretione judicandorum. In expofit. B. Job. lib. 26. num. 51.

DUOS ordines pars reproborum continet. Alii namque judicantur, & pereunt: alii non judicantur & pereunt. Judicantur & pereunt, quibus dominica voce in damnatione dicitur: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi bibere: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: æger & in carcere, et non visitastis me*, quibus præmittitur: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus*. Alii in extremo judicio non judicantur & pereunt; de quibus Propheta ait: *Non resurgunt impii in judicio*: & de quibus dicitur: *Qui autem non credit, jam judicatus est*; & de quibus Paulus ait: *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*. Resurgent vero etiam omnes infideles, sed ad tormentum, non ad judicium: non enim eorum tunc causa discutitur, qui ad conspectum districti judicis jam cum damnatione suæ infidelitatis accedunt. Professionem vero fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur, ut pereant. Qui vero nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem judicis in extrema examinatione non audiunt: quia præjudicati infidelitatis suæ tenebris, ejus quem despexerant, invectione redargui non merentur. Illi tantum verba judicis audiunt, quia ejus fidei tantum verba tenuerunt. Isti in damnatione sua judicis æterni nec verba percipiunt, quia ejus reverentiam, nec verbotenus servare voluerunt. Illi legaliter pereunt, quia sub Lege positi peccaverunt, istis in perditione sua de Lege nihil dicitur: quia nihil Legis habere conati sunt. Princeps namque terrenam Rempublicam regens, aliter punit civem interius delinquentem, atque aliter hostem exterius rebellantem. In illo jura sua consulit, eumque sub verbis divinæ invectionis addicit. Contra hostem vero bellum movet, instrumenta perditionis exercet, dignaque ejus malitiæ tormenta retribuit, de malo vero ejus quid lex habeat non requirit: neque enim lege necesse est perimi, qui lege numquam potuit teneri. Ita ergo in extremo judicio, & legalis illum invectio percutit, qui ab eo, quod professione tenuit, actione declinavit: & iste sine judicii invectione perimitur, qui lege fidei non tenetur.

Psal. 1. 5. Johan. 3. 18. Rom. 2. 12.

CAPUT XCV.

Discedite a me maledicti in ignem æternum. Matt. 25. 41.

De damnatione diaboli, & omnium reproborum. In expofit. B. Job, lib 33. num. 37.

EXTREMI judicii die, æterno tunc judice terribiliter apparente, adstantibus legionibus Angelorum, assistente cuncto ministerio cælestium potestatum, & electis omnibus ad hoc spectaculum deductis, antiquus hostis diabolus in medium captivus deducetur, & cum suo corpore, id est cum reprobis omnibus, æternæ gehennæ incendiis mancipabitur, cum dicetur: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus*. O quale erit illud spectaculum, quando hæc immanissima bellua electorum oculis ostendetur, quæ hoc belli tempore nimis illos terrere potuerat, si videretur! sed occulto ac miro Dei consilio agitur, ut & nunc per ejus gratiam a pugnantibus non visa vincatur, & tunc a lætis victoribus jam captiva videatur. Tunc autem justi divino adjutorio quantum debitores sunt, plenius recognoscent, quando tam fortem bestiam viderint, quam nunc infirmi vicerunt; & in hostis sui immanitate conspicient, quantum debeant gratiæ defensoris sui. Redeunt enim de hoc prælio tunc milites nostri virtutum trophæa

 refe-

referentes, & receptis corporibus cum jam in illo judicio regni cælestis introitum sortiuntur, prius immanissimas vires hujus antiqui serpentis aspiciunt, ne vile æstiment quod evaserunt. Et videntibus cunctis, præcipitabitur: quia visa mors ejus tunc gaudium exhibet, cujus tolerata vita nunc justis quotidie in cruciatibus bellum movet.

CAPUT XCVI.

Matt. 25. 35. *Esurivi & non dedistis mihi manducare, &c.*

De raptoribus. Regul. Past. part. 3. c. 20

OMNES qui aliena adhuc intendunt rapere, quid Dominus in judicio reprobis dicat, sollicite debent audire; ait namque: *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum, &c.* Quibus etiam præmittit, dicens: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus.* Ecce nequaquam audiunt, quia rapinas vel quælibet alia violenta commiserunt, & tamen æternis gehennæ ignibus mancipantur. Hinc ergo colligendum est, quanta damnatione plectendi sunt, qui aliena rapiunt, si tanta animadversione feriuntur, qui sua indiscrete tenuerunt. Perpendant quo eos obliget reatu res rapta, si tali subjicit pœnæ non tradita. Perpendant quid illata mereatur injustitia, si tanta percussione digna est pietas non impensa.

Vers. 41.

CAPUT XCVII.

Matt. 25. 46. *Ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.*

De æternis suppliciis. In expos. B. Job, lib. 34. num. 35.

SUNT plerique qui peccatis suis idcirco finem ponere negligunt, quia habere quandoque finem super se judicia futura suspicantur. Quidem breviter respondemus, si quandoque finienda sunt supplicia reproborum, quandoque ergo finienda sunt etiam gaudia beatorum. Per semetipsam namque Veritas dicit: *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Si igitur hoc verum non est, quod minatus est, neque illud verum est, quod promisit.

At inquiunt: Ideo æternam pœnam peccantibus minatus est, ut eos a peccatorum perpetratione compesceret: quia creaturæ suæ æterna supplicia minari debuit, non inferre. Quibus citius respondemus: Si falsa minatus est, ut ab injustitia corrigeret, etiam falsa pollicitus est, ut ad justitiam provocaret. Et quis hanc eorum vesaniam toleret, qui dum promissionibus suis reproborum supplicia finire asserunt, assertione sua etiam electorum præmia, remunerationesque conficint? Quis hanc eorum vesaniam toleret, qui conantur adstruere verum non esse, quod Veritas de æterno igne minata est? Et dum satagunt Deum perhibere misericordem, non verentur prædicare fallacem.

Num. 36. At inquiunt: Sine fine puniri non debet culpa cum fine. Justus nimirum est omnipotens Deus: & quod non æterno peccato commissum est, æterno non debet puniri tormento. Quibus citius respondemus, quod recte dicerent si judex justus districtusque veniens, non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo tunc cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt: voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. Nam magis appetunt peccare quam vivere, & ideo hic semper vivere cupiunt, ut numquam desinant peccare cum vivunt. Ad districti ergo judicis justitiam pertinet, ut numquam careant supplicio, quorum mens in hac vita numquam voluit carere peccato; & nullus detur iniquo terminus ultionis, quia quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis.

At inquiunt: Nullus justus crudelitatibus pascitur, & delinquens servus a justo Domino idcirco cædi præcipitur, ut a nequitia corrigatur: ad aliquid ergo cæditur, cum non ejus Dominus cruciatibus delectatur. Iniqui vero gehennæ ignibus traditi, quo fine semper ardebunt? Et quia certum est quod pius, & omnipotens Deus non pascitur cruciatibus iniquorum, cur cruciantur miseri si non expiantur? Quibus citius respondemus quod omnipotens Deus, qui pius est, miserorum cruciatu non pascitur: quia autem justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio, & quidem sua iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid concremantur: scilicet, ut justi omnes & in Deo videant gaudia, quæ percipiunt, & in istis respiciant supplicia, quæ evaserunt: ut tanto in æternum magis divinæ gratiæ debitores se esse cognoscant, quanto in æternum mala puniri conspiciunt, quæ ejus adjutorio vitare potuerunt. Num. 37.

CAPUT XCVIII.

Pater mi si possibile est, transeat a me calix iste. Matt. 26. 39

SOLENT justi viri in eo quod ipsi certum ac solidum sentiunt, quasi ex dubietate aliquid proferre, ut infirmorum in se verba transferant. Sed rursum per fortem sententiam, infirmantium dubietati omnimodo contradicunt, quatenus per hoc, quod dubie proferre cernuntur, infirmis aliquatenus condescendant: & per hoc quod certam sententiam proferunt, infirmorum mentes dubias ad soliditatem trahant. Quod nimirum dum faciunt, exemplum capitis nostri sequuntur: passioni quippe Dominus propinquans, infirmantium in se vocem sumsit, dicens: *Pater mi si possibile est, transeat a me calix iste;* eorumque timorem, ut abstraheret, suscepit. Et rursus per obedientiam vim fortitudinis ostendens, ait: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu;* ut cum imminet quod fieri nolumus, sic per infirmitatem petamus ut non fiat, quatenus per fortitudinem parati simus, ut voluntas Conditoris nostri etiam contra voluntatem nostram fiat. Hoc igitur exemplo nonnumquam a fortibus infirmitatis illa verba suscipienda sunt, ut eorum post prædicamenta fortia, infirmorum corda gravius roborentur.

De circumspectione infirmorum in petitionibus suis. In expos. B. Job, lib. 14. num. 16.

CAPUT XCIX.

Judas abiens, laqueo se suspendit. Matt. 27. 5.

SÆPE nonnulli exire a pravis actibus cupiunt, sed quia eorumdem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi, a semetipsis exire non possunt. Et quidam culpas proprias punire cupientes, hoc quod recte se agere æstimant, in graviores culpas vertunt: sitque modo miserabili, ut quod exitum putant, hoc inclusionem inveniant. Sic videlicet reprobus Judas cum mortem sibi contra peccatum intulit, ad æternæ mortis suppli-

De vinculis peccatorum. In expos. B. Job, lib. 11. num 12.

plicia pervenit; & pejus de peccato pœnituit, quam peccavit.

CAPUT C.

Matth. 27. 19. *Multa passa sum hodie per visum propter eum.*

Quod diabolus purum hominem credidit esse Christum. In exposit. B. Job, lib. 33 num. 30.

ANTIQUUS hostis quamvis Dominum Jesum Christum esse filium Dei fuerat ipse confessus, velut purum tamen illum hominem mori credidit, ad cujus mortem Judæorum persequentium animos concitavit. Sed in ipso traditionis tempore tarde jam cognovisse intelligitur, quod ipse illa ejus morte puniretur. Unde & Pilati conjugem somnus terruit, ut vir illius a justi persecutione cessaret. Sed res interna dispensatione disposita, nulla valuit machinatione refragari. Expediebat quippe, ut peccatorum mortem juste morientium, solveret mors justi injuste morientis.

CAPUT CI.

Matt. 27. 51. *Et ecce velum templi scissum est in duas partes, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt.*

De vinculis humanæ mortalitatis per Christum solutis. In exposit. B. Job. lib. 30 n. 60 & 67.

INCARNATUS Dominus, qui in forma Dei æqualis est Patri, in forma servi minor est factus Patre, quia minor est etiam seipso. Naturam autem nostram suscipiens, iniquitatis jugo nullomodo teneri potuit; quem quamvis macula culpæ nostræ non attigit, passio tamen nostræ mortalitatis adstrinxit. Quasi quædam enim vincula habuit, ea quæ nos nequitiæ merito patimur, nostræ scilicet mortalitatis infirma, quibus usque ad mortem sponte ligari se voluit, & quæ per resurrectionem mirrabiliter solvit. Esurire quippe, sitire, lassescere, teneri, flagellari, crucifigi, nostræ mortalitatis vinculum fuit. Sed cum expleta morte velum templi rumperetur, scinderentur petræ, monumenta panderentur, inferni claustra patescerent, quid aliud tot argumentis tantæ virtutis ostenditur, nisi quod illa infirmitatis nostræ vincula solvebantur; ut is, qui ad suscipiendam servi formam venerat, in ipsa servi forma ab inferni vinculis absolutus, ad cælum etiam cum membris liber rediret? De quibus ejus vinculis Petrus Apostolus attestatur, dicens: *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* (Act. 2. 24.) Vincula itaque ejus tunc soluta sunt, cum infirmitates passionis illius, in resurrectionis sunt gloriam commutatæ.

CAPUT CII.

Matt. 27. 52. *Et multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt.*

De dominica, & nostra resurrectione. In exposit. B. Job. lib. 14. num. 69.

HABEMUS spem nostræ resurrectionis, considerata gloria capitis nostri. Sed ne quis, vel cogitatione tacita forsitan dicat, quod idcirco ille resurrexit a morte quia unus idem Deus & homo, mortem, quam ex humanitate pertulit, ex divinitate superavit: nos vero qui puri homines sumus: a mortis surgere damnatione non possumus: recte in resurrectionis ejus tempore etiam multorum Sanctorum corpora resurrexerunt, ut in se nobis exemplam ostenderet, & de aliorum, qui nobis per puram humanitatem

A similes fuerunt, nos resurrectione roboraret: quatenus cum se homo desperaret percipere quod in se ostenderat Deus homo, hoc in se fieri posse præsumeret quod in ipsis factum cognosceret, quos puros fuisse homines non dubitaret.

Sunt vero nonnulli, qui considerantes quod spiritus a carne solvitur, quod caro in putredinem vertitur, quod putredo in pulverem redigitur, quod pulvis ita in elementa solvitur, ut nequaquam ab humanis oculis videatur, resurrectionem fieri posse desperant; & dum arida ossa inspiciunt, hæc vestiri carnibus, rursumque ad vitam viridescere posse diffidunt: qui si resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certe hanc tenere B ex ratione debuerant. Quid enim quotidie, nisi resurrectionem nostram in elementis suis mundus imitatur? Per quotidiana quippe momenta, lux ipsa temporalis, quasi moritur, dum supervenientibus noctis tenebris, ea quæ aspiciebatur, subtrahitur; & quasi quotidie resurgit, dum lux ablata oculis, supressa iterum nocte reparatur. Per momenta quoque temporum cernimus arbusta viriditatem foliorum amittere, a fructuum prolatione post largitionem cessare, & ecce subito quasi ex arescenti ligno velut quadam resurrectione venientе videmus folia erumpere, fructus grandescere, & totam arborem redivivo decore vestiri. Indesinenter cernimus parva arborum semina terræ humoribus commendari, ex quibus non longe post conspicimus magna arbusta surgere, C folia pomaque proferre. Consideremus ergo parvum cujuslibet arboris semen, quod in terram jacitur, ut arbor ex illo producatur: & comprehendamus, si possumus, ubi in illa tanta parvitate seminis tam immensa arbor latuit, quæ ex illo processit: ubi lignum, ubi cortex, ubi viriditas foliorum, ubi ubertas fructuum. Numquidnam in semine tale aliquid videbatur, cum in terram jaceretur? Et tamen oculto rerum omnium opifice cuncta mirabiliter ordinante, & in mollitie seminis latuit asperitas corticis, & in teneritudine illius absconsa est fortitudo roboris, & in siccitate ejus ubertas fructificationis. Quid ergo mirum, si tenuissimum pulverem, vel a nostris oculis in elementis redactum, cum vult, D in hominem reformat, qui ex tenuissimis seminibus immensa arbusta redintegrat? Quia ergo rationabiles sumus conditi, spem resurrectionis nostræ ex ipsa debemus rerum specie, & contemplatione colligere. Sed quia in nobis sensus torpuit rationis, accessit in exemplum gratia Redemtoris. Venit namque Conditor noster, suscepit mortem, ostendit resurrectionem; ut qui resurrectionis spem ex ratione tenere nolumus, hanc ex ejus adjutorio, & exemplo teneremus. Beatus quoque Job de resurrectione dixit: *Scio quod Redemtor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum.* (Job. 19. 25.) Quisquis igitur resurrectionis virtutem in se fieri posse desperat, verba in Gentilitate positi viri fidelis erubescat, & pen-E set quanto pœnæ sit pondere feriendus, si adhuc non credit suam, qui jam resurrectionem Domini cognovit factam, si & illic suam credidit Job qui adhuc Domini Jesu sperabat esse faciendam.

Homil. 21. in Evang. n. 6.

Ad instruendam igitur ignorantiam nostram, ad roborandam infirmitatem nostram Dominus noster, suæ resurrectionis exemplum nobis sufficere voluit. Solus quippe illo tempore mortuus est, & tamen solus minime surrexit: quia sicut

su-

resurrectionem appetunt, etiam ex colligendorum fratrum augmento gratulentur.

CAPUT XV.

In exposit. B. Job, lib. 35. num. 25.

SANCTÆ Ecclesiæ in fine suo duplum recipere, est in singulis nobis, & de beatitudine animæ, & de carnis incorruptione gaudere. Hinc est enim quod per Prophetam de electis dicitur : *In terra sua duplicia possidebunt*. (Isa. 61. 7.) Hinc est quod Johannes Apostolus de Sanctis finem mundi quærentibus dicit : *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ ; & dictum est eis ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec compleretur numerus conservorum & fratrum eorum*. (Apoc. 6. 11.) Ante resurrectionem Sancti singulas stolas accipiunt, quia sola animarum beatitudine perfruuntur : in fine autem mundi binas habituri sunt, quia cum mentis beatitudine etiam carnis gloriam possidebunt.

CAPUT XVI.

In exposit. B. Job, lib. 9. num. 8.

ALIQUANDO in sacro eloquio solis nomine prædicatorum claritas designatur. Sic per Johannem dicitur : *Factus est sol ut saccus cilicinus*. (Apoc. 6. 12.) In extremo quippe tempore sol quasi cilicinus saccus ostenditur ; quia fulgens vita prædicantium, ante reproborum oculos aspera & despecta monstratur.

CAPUT XVII.

Homil. 5. lib. 2. in Ezechiel. num. 22.

QUID per palmas, nisi præmia victoriæ designantur ? ipsæ quippe dari vincentibus solent. Unde de his quoque qui in certamine martyrii antiquum hostem vicerant, etiam victores in patria gaudebant, scriptum est : *Palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes : Salus Deo nostro qui sedet super thronum, & agno* : (Apoc. 7. 9. 10.) palmas quippe in manibus habere, est victoriæ in operatione tenuisse, cujus operationis palma ibi retribuitur, ubi jam sine certamine gaudetur.

CAPUT XVIII.

In exposit. B. Job, lib. 30. num. 52.

BENE conversantibus primum solitudo mentis tribuitur, ut exurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant, ut ebullientes ad infima curas cordis, per superni gratiam restringant amoris, omnesque motus importune se offerentium levium cogitationum, quasi quasdam circumvolantes muscas ab oculis mentis abigant manu gravitatis, & quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant, ubi cum illo, exteriore cessante strepitu, per interna desideria silenter loquantur. * De hoc secreto cordis alias dictum est : *Factum est silentium in cælo quasi media hora*. (* Num. 53. Apoc. 8. 1.) Cælum quippe Ecclesia electorum vocatur ; quæ ad sublimia, dum per sublevationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, atque intra se Deo quoddam silentium facit : quod quidem silentium contemplationis, quia in hac vita non potest esse perfectum, factum media hora dicitur. Nolenti quippe animo cogitationum tumultuosi se strepitus ingerunt, etiam sublimibus intentum rursum ad respicienda terrena cordis oculum violenter trahunt. Unde scriptum est : *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*. (Sap. 9. 15.) Bene ergo factum hoc silentium, non integra, sed media hora describitur, quia hic contemplatio nequaquam perficitur, quamvis ardenter inchoetur.

CAPUT XIX.

In exposit. Ezech. lib. 2. hom. 2. num. 14.

FActum est silentium quasi hora media. (Ibidem.) Cælum quippe est anima justi, sicut per Prophetam Dominus dicit : *Cælum mihi sedes est* ; (Isa. 66. 1.) Et, *Cæli enarrant gloriam Dei*. (Psal. 18. 1.) Cum ergo quies contemplativæ vitæ agitur in mente, silentium fit in cælo, quia terrenorum actuum strepitus quiescit a cogitatione, ut ad secretum intimum aurem animus apponat. Sed quia hæc quies mentis esse in hac vita perfecta non potest, nequaquam hora integra factum in cælo silentium dicitur, sed quasi media, ut neque ipsa media plane sentiatur, cum præmittitur *quasi* : quia mox ut se animus sublevare cœperit, & quietis intimæ lumine perfundi, redeunte citius cogitationum strepitu, de semetipso confunditur, & confusus cæcatur.

CAPUT XX.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 48.

QUALE itaque illud persecutionis tempus apparebit, quando ad pervertendam fidelium pietatem alii verbis sæviunt, alii gladiis ; quia quod eis ab aliis verbis blandientibus dicitur, hoc ab aliis gladiis ferientibus imperatur ? Quæ utrorumque actio, id est potentium atque loquentium, in Johannis Apocalypsi brevi est sententia comprehensa, qua dicitur ; *Potestas equorum in ore, & in caudis eorum erat*. (Apoc. 9. 19.) In ore namque doctorum scientia, in caudis vero secularium potentia figuratur. Per caudam quippe quæ retro est, hujus seculi postponenda temporalitas designatur, de qua Paulus Apostolus dicit : *Unum autem quæ retro sunt oblitus, ad ea quæ ante sunt extensus*. (Philip. 3. 13.) Retro est enim omne quod transit, ante vero est omne quod veniens permanet. Illis vero equis, id est prædicatoribus ubique carnali impulsu currentibus, in ore & in cauda potestas est, quia ipsi quidem perversa suadendo prædicant, sed temporalibus potestatibus fulti, per ea quæ se retro sunt exultant. Et quia ipsi apparere despicabiles queunt, ab iniquis auditoribus suis per eos sibi reverentiam exigunt, quorum patrociniis fulciuntur.

CAPUT XXI.

In exposit. B. Job, lib. 9. num. 15.

URGENTE etenim fine mundi superna scientia proficit, & largius cum tempore excrescit : hic namque per Danielem dicitur : *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia*. (Dan. 12. 4.) Hinc Johanni in priori parte revelationis Angelus dicit : *Signa*, (Apoc. 10. 4.)

gna, quæ locuta sunt septem tonitrua. Cui tamen ejusdem revelationis termino præcipit, dicens: *Ne signaveris verba prophetiæ hujus libri.* Pars quippe revelationis anterior signari præcipitur, terminus prohibetur: quia quidquid in sanctæ Ecclesiæ initiis latuit, finis quotidie ostendit. (Ibid. 22. 10.) A

CAPUT XXII.

In exposit. B. Job, lib. 28. num. 16.

(Apoc. 11. 2.) IN Apocalypsi scriptum est: *Atrium quod foris templum, ejice foras, ne metiaris eum.* Quid enim atrium aliud, quam latitudinem significat vitæ præsentis? Et recte foris templum sunt, qui per atrium designantur: atque ideo metiendi non sunt, quia angusta porta est quæ ducit ad vitam, & latitudo vitæ pravorum non admittitur ad mensuras & regulas electorum. B

CAPUT XXIII.

In exposit. B. Job, lib. 9. num. 3.

DUO illi eximii prædicatores dilata morte subtracti sunt, ut ad prædicationis usum in fine revocentur; de quibus per Johannem dicitur: *Hi sunt duæ olivæ & duo candelabra in conspectu Domini terræ adstantes.* Quorum unum in Evangelio per semetipsam Veritas pollicetur, dicens: *Elias venturus est, & restituet omnia.* (Apoc. 11. 4.) (Matt. 17. 11.) C

CAPUT XXIV.

In exposit. B. Job, lib. 34. num. 25.

CUM figurate sol ponitur, aliquando Dominus, aliquando persecutio, aliquando de re qualibet manifestæ visionis ostensio, aliquando autem intelligentia sapientium designatur. Per solem quippe Dominus figuratur, sicut libro sapientiæ perhibetur quod omnes impii in extremi die judicii cognita sua damnatione dicturi sunt: *Erravimus a via veritatis, & lumen justitiæ non luxit nobis, & sol non ortus est nobis.* Ac si aperte dicant: Interni in nobis luminis radius non refulsit. Unde & Johannes ait: *Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus.* In sole enim illustratio veritatis, in luna autem quæ menstruis suppletionibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur; sancta autem Ecclesia quia superni luminis splendore protegitur, quasi sole vestitur; quia vero cuncta temporalia despicit, lunam sub pedibus premit. (Sap. 5. 6.) (Apoc. 12. 1.) D

CAPUT XXV.

In exposit. B. Job, lib. 4. num. 17.

STELLARUM nomine aliquando Sanctorum justitia quæ in hujus vitæ tenebris lucet, aliquando vero hypocritarum fictio demonstratur; quia bona quæ faciunt, ad percipiendas laudes hominibus ostendunt. Si enim recte viventes stellæ non essent, nequaquam Paulus discipulis diceret: *In medio nationis pravæ & perversæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo.* Rursum si inter eos qui recta agere videntur, quidam de actione sua retributionem favoris humani non quærerent, nequaquam stellas Johannes ruere a cælestibus viderat, dicens: *Misit draco caudam, & traxit tertiam partem stellarum.* Draconis enim cauda stellarum pars trahitur: quia extrema persuasione Antichristi quidam qui videntur lucere, rapientur. Stellas namque in terram trahere, est eos qui videntur studio vitæ cælestis inhærere, ex amore terreno iniquitate aperti erroris involvere. (Philip. 2. 15.) (Apoc. 12. 4.) E

CAPUT XXVI.

In exposit. B. Job, lib. 32. num. 25.

DE hac cauda Behemot istius sub draconis specie per Johannem dicitur: *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli; & misit eas in terram.* Cælum namque est Ecclesia, quæ in hac nocte vitæ præsentis, dum in se innumeras Sanctorum virtutes continet, radiantibus desuper sideribus fulget, sed draconis cauda in terram stellas dejicit: quia illa Satanæ extremitas per audaciam assumti hominis erecta, quosdam quos velut electos Dei in Ecclesia invenit, obtinendo reprobos ostendit. Stellas de cælo in terram cadere, est relicta nonnullos spe cælestium, illo duce ad ambitu gloriæ secularis inhiare. (Ibidem.)

CAPUT XXVII.

Homil. 34. in Evang. num. 9.

MICHAEL namque, quis sicut Deus. Et quoties miræ virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur, ut ex ipso actu & nomine detur intelligi, quia nullus potest facere quod facere prævalet Deus. Unde & ille antiquus hostis qui esse Deo per superbiam similis concupivit, dicens: *In cælum ascendam, super astra cæli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis; ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Dum in fine mundi in sua virtute relinquitur extremo supplicio perimendus, cum Michaele Archangelo præliaturus esse perhibetur; sicut per Johannem dicitur: *Factum est prælium cum Michaele Archangelo:* ut qui se ad Dei similitudinem superbus extulerat, per Michaelem peremtus discat, quia ad Dei similitudinem per superbiam nullus exurgat. (Isa. 14. 13.) (Apoc. 12. 7.)

CAPUT XXVIII.

In exposit. B. Job, lib. 2. num. 15.

ASTUTUS quippe adversarius cum semen vestrum inter prospera bene egisse considerat, reprobare apud judicem per adversa festinat. Unde recte in Apocalypsi voce angelica dicitur: *Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Scriptura autem sacra sæpe diem pro prosperis, noctem autem pro adversis ponere consuevit. In die ergo & nocte accusare non desinit, quia modo nos in prosperis, modo in adversis accusabiles ostendere contendit. In die accusat, cum prosperis male nos uti instruit. In nocte accusat, cum in adversis non habere patientiam demonstrat. (Apoc. 12. 10.)

CAPUT XXIX.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 59.

VIdi aliam bestiam ascendentem de terra habentem cornua duo, similia agni; & loquebatur ut dra- (Apoc. 13. 11.)

ea. Priorem quippe bestiam, id est Antichristum A superiore jam descriptione narraverat: post quem etiam hæc alia bestia ascendisse dicitur, quia post eum multitudo prædicatorum illius ex terrena potestate gloriatur. De terra quippe ascendere, est de terrena gloria superbire. Quæ habet duo cornua agni similia, quia per hypocrisim sanctitatis, eam quam in se veraciter Dominus habuit singularem, sibi inesse & sapientiam mentitur & vitam. Sed quia sub agni specie auditoribus reprobis serpentinum virus infunditur, recte illic subditur: *Et loquebatur ut draco*. Ista ergo bestia, id est prædicantium multitudo, si aperte ut draco loqueretur, agno similis non appareret, sed assumit agni speciem ut draconis exerceat operationem.

CAPUT XXX.

In exposit. B. Job, lib. 34. num. 1.

MUNDI tempus dum venientibus annis augetur, crebrescentibus malis afficitur; & unde ætatis augmentum percipit, inde salutis dispendium sentit. Tribulationes namque cum temporibus crescunt, & eo detrimenta vitæ debilior tolerat, quo quasi ad vitam provectior durat; totis enim contra illum antiquus hostis viribus solvitur, qui quamvis jam nunc interiit, pro eo quod supernæ conditionis beatitudinem amisit; tunc tamen plenius extinguitur, quando & a tentandi licentia abstractus, exterius incendiis religatur. Unde & extrema mundi atrocius tentaturus aggreditur: quia tanto fit ferventior ad sævitiam, quanto se viciniorem sentit ad pœnam. Considerat quippe quod juxta sit ut licentiam nequissimæ libertatis amittat, & quantum brevitate temporis angustatur, tantum multiplicitate crudelitatis expanditur; sicut de illo voce angelica
Apoc. 12. 12. ad Johannem dicitur: *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet*. Tunc ergo in magnæ iræ furorem se dilatat, ne qui in beatitudine stare non potuit, in damnationis suæ foveam cum paucis ruat. Tunc quidquid nequiter valuerit, callidius exquirit. Tunc cervicem superbiæ altius erigit, & per damnatum illum quem gestat hominem, omne quod temporaliter prævalet, nequiter ostendit.

CAPUT XXXI.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 62.

VELUT enim olla fervens est, unaquæque tunc anima, cogitationum suarum impetus quasi spumas undarum ardentium sustinens, quas & ignis zeli commovet, & ipsa temporalis oppressio in ore ollæ intrinsecus clausas tenet. Unde Johannes quoque, cum hujus
Ibid. 13. 13. bestiæ signa narraret, adjunxit: *Itaut ignem faceret de cœlo descendere*. Ignem quippe descendere, est de cœlestibus electorum animas sancti zeli flammas emanare.

CAPUT XXXII.

Regul. Pastoral. 3. part. admonit. 29.

Apoc. 14. 14. PER Johannem dicitur: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; Virgines enim sunt: qui sequuntur Agnum quocumque abierit*. Et quod, *Canticum cantant quod nemo posset dicere, nisi illa centum quadraginta & quatuor millia*. Singulariter quippe Canticum Agno cantare, est cum eo in perpetuum præ cunctis fidelibus etiam de carnis incorruptione gaudere: quod tamen ceteri electi Canticum audire possunt, licet dicere nequeant: quia per caritatem quidem in illorum celsitudine læti sunt, quamvis ad eorum præmia non assurgant.

CAPUT XXXIII.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 21.

B VIdi, *& ecce nubes candida; & super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam*. Apoc. 14. 14. Potestas enim divini judicii, quia undique stringit, circulus dicitur. Et quia intra se omnia incidendo complectitur, falcis appellatione signatur. In falce enim quidquid inciditur, quaquaversum flectitur, intus cadet. Et quia potestas superni judicii nullatenus evitatur (intra ipsam quippe sumus, quolibet fugere conemur,) recte cum venturus judex ostenditur, falcem tenere perhibetur: quia cum potenter ad omnia obviat, incidendo circumdat. Esse se intra judicis falcem vidit Propheta, cum diceret: *Si ascendero in cælum tu illic es; si descendero ad infernum, ades: si sumsero pennas meas ante lucem, & habitavero* Psal. 138. 8. 9. 10.
C *in postremo maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*. Intra quamdam esse falcem se vidit, cum ex nullo sibi loco petere fugæ auditum posse cognovit, dicens: *Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus*, subaudis patet via fugiendi. Atque mox ipsam supernæ potentiæ omnimodam comprehensionem subdens, ait: *Quoniam Deus judex est*. Ac si diceret: Fugiendi via undique deest, quia ille judicat qui ubique est. Psal. 74. 7.

CAPUT XXXIV.

In exposit. B. Job, lib. 34. num. 26.

D AURI nomine splendor supernæ civitatis accipitur, sicut hanc Johannes se vidisse testatur, dicens: *Ipsa civitas aurum mundum simile vitro mundo*. Apoc. 21. 18 Aurum namque ex quo illa constat, simile vitro dicitur, ut & per aurum clara, & per vitrum perspicua designetur. Auri rursus nomine caritas intimatur, sicut Angelum quem sibi loqui idem Johannes aspexit, ad mamillas zona aurea cinctum vidit: Ibid. 15. 6. quia nimirum supernorum civium pectora, dum pœnali jam nequaquam timori subjecta sunt, atque a se vicissim nulla scissione solvuntur, ex sola se caritate constringunt. Zonam quippe auream circa mamillas habere, est cunctos mirabilium cogitationum motus, per solius jam amoris vincula restringere.

E

CAPUT XXXV.

In exposit. B. Job, lib. 34. num. 25.

SOlis nomine sapientia intellectus exprimitur, sicut in Apocalypsi scriptum est: *Quartus Angelus effudit phialam suam in solem; & datum est illi æstu afficere homines, & igni*. Apoc. 16. 8. Phialam videlicet in solem effundere, est percussionis supplicia viris sapientiæ splendore fulgentibus irrogare. Et da-

datum est illi ut affligeret homines æstu & igni; quia A dum sapientes viri cruciatibus victi male agendi errore tanguntur, illorum exemplo persuasi infirmi quique, temporalibus desideriis inardescunt: ruinæ namque fortium, augmentum præstant perditionibus infirmorum. Quia sole acumen sapientium designatur, per comparationem quoque a Salomone dicitur: *Sapiens ut sol permanet; stultus ut luna mutabitur*. (Eccl. 27.12.) Hoc ergo loco quid per solis radium, nisi acumina sapientium demonstrantur? Qui in sancta Ecclesia per acumina sapientiæ quasi radios videbantur lucis aspergere, & per auctoritatem rectitudinis resplendere.

CAPUT XXXVI.

In exposit. B. Job, lib. 2. num. 81.

SI enim apud Deum nostra nos opera quasi vestimenta non tegerent, nequaquam voce angelica diceretur: *Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus*. (Apoc. 16.15) Turpitudo enim nostra tunc cernitur, cum vita reprehensibilis ante justorum oculos, in judicio nequaquam subsequentis boni operis tegmine velatur.

CAPUT XXXVII.

In exposit. B. Job, lib. 26. num. 63.

SICUT vestimenta corpus, sic bona opera protegunt animam. Unde cuidam dicitur: *Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet*. (Apoc. 16.15.)

CAPUT XXXVIII.

Homil. 34. in Ezechiel. num. 1.

SOLENT in sacro eloquio per aquas populi designari. Unde per Johannem dicitur, *aquæ vero sunt populi*. Idcirco autem aquis populus designatur, quia & in vita sonum habet ex tumultu carnis, & quotidie defluit ex decursu mortalitatis.

CAPUT XXXIX.

Homil. 6. in Evang. num. 24.

DE hoc ergo extremo convivio alias per Johannem dicitur: *Beati qui ad cœnam nuptiarum vocati sunt*. (Apoc. 19.9.) Idcirco enim non ad prandium, sed ad cœnam vocatos narrat, quia nimirum in fine diei convivium cœna est. Qui ergo finito præsentis vitæ tempore ad refectionem supernæ contemplationis veniunt, non ad Agni prandium, sed ad cœnam vocantur.

CAPUT XL.

Homil. 8. in Evang. num. 2.

LOTH vel Josue Angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur. Johannes in Apocalypsi adorare Angelum voluit, sed tamen idem hunc Angelus adorare ne se debeat, compescit, dicens: *Vide ne feceris: conservus tuus sum & fratrum tuorum*. (Apoc. 19. 10.) Quid est quod ante Redemtoris adventum Angeli ab hominibus adorantur & tacent; postmodum vero adorari refugiunt? nisi quod naturam nostram prius quam despexerant, postquam hanc super se assumtam conspiciunt, substratam sibi videre pertimescunt? Nec jam sub se velut infirmam contemnere ausi sunt, quam super se, videlicet in cæli Rege venerantur. Nec habere dedignantur hominem socium, qui super se adorant hominem Deum.

CAPUT XLI.

In exposit. B. Job, lib. 31. num. 27.

EQuus quippe est unicuique sanctæ animæ corpus suum, quod videlicet novit & ab illicitis continentiæ freno restringere, & rursum caritatis impulsu in exercitatione boni operis relaxare. B Unde & Johannes Apostolus in Apocalypsi Dominum contemplatus, ait: *Et exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis*. (Apoc. 19.14.) Multitudinem Sanctorum quæ in hoc martyrii bello sudaverat, recte exercitum vocat. Qui idcirco in equis albis sedere referuntur, quia nimirum eorum corpora, & luce justitiæ & castimoniæ candore claruerunt.

CAPUT XLII.

In exposit. Ezech. lib. 2. hom. 1. n. 9.

PER Johannem dicitur: *Habebat in vestimento & in femore suo scriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium*. (Ibid. v. 16.) Quid enim ejus vestimentum C est atque aliud ipse. Nam nostrum quoque vestimentum caro dicitur, sed tamen ipsi nos sumus caro qua vestimur: hoc autem vestimentum illius longe ante Isaias aspiciens per crucem passionis sanguine cruentatum dixit: *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua quasi calcantium in torculari?* (Isa. 63.2.) Cui ipse respondit: *Torcular calcavi solus, & de Gentibus non est vir mecum*. (Ibid. 3.) Solus enim torcular in quo calcatus est calcavit, qui sua potentia eam quam pertulit passionem vicit. Nam qui usque ad mortem crucis passus est, de morte cum gloria surrexit. Bene autem dicitur: *Et de Gentibus non est vir mecum*: quia hi pro quibus pati venerat, passionis ejus esse participes debeant; D qui pro eo quod illo tempore necdum crediderant, de ipsis in passione queritur, quorum vita in illa passione quærebatur. Per femur vero propagatio carnis est. Quia ergo per propaginem generis humani, sicut generationum ordines Matthæo vel Luca narrantibus describuntur, in hunc mundum venit ex Virgine, & per incarnationis suæ mysterium, quia Rex esset & Dominus, cunctis ubique Gentibus indicavit, in vestimento & in femore scriptum habuit: *Rex Regum, & Dominus dominantium*. Unde enim in mundo innotuit, ibi de se lectionis sententiam infixit.

CAPUT XLIII.

In exposit. B. Job, lib. 4. num. 16.

E HUnc Leviathan electi Angelorum spiritus nunc in puteo abyssi clausum premunt. Unde scriptum est: *Vidi Angelum descendentem de cælo habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem antiquum qui est diabolus & Satanas, & ligavit eum per annos mille, & misit eum in abyssum*. (Apoc. 20. 1. & 2.) Quem tamen in mundi fine ad apertiora certamina revocant, & totum contra nos in suis viribus relaxant,

Ibid v.7. Unde illic rursum scriptum est: *Cum completi fuerint mille anni, solvetur Satanas*. Ille enim apostata Angelus, qui ita conditus fuerat ut Angelorum ceteris legionibus emineret, ita superbiendo succubuit, ut nunc stantium Angelorum ditioni substratus sit; quatenus vel nunc ad utilitatem nostram eis ministrantibus religatus lateat, ut ad probationem nostram eis relaxantibus totis se suis contra nos viribus solutus exerceat.

CAPUT XLIV.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 67.

Apoc. 20.1. VIdi *Angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua:* B *& apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & Satanas; & ligavit eum per annos mille, & misit in abyssum, & clausit, & signavit super illum ut non seducat amplius Gentes, donec consummentur mille anni*. Millenario enim numero non quantitatem temporis, sed universitatem qua regnat Ecclesia designat. Antiquus autem serpens ligatus catena in abyssum mittitur; quia religatus a bonorum cordibus apud reproborum mentes reclusus, eis atrocius dominatur. Qui paulo post quoque de puteo abyssi educi describitur, quia de iniquorum cordibus, nunc occulte sævientibus, tunc accepta contra Ecclesiam potestate in vim apertæ persecutionis erumpit.

CAPUT XLV.

In exposit. B. Job, lib. 32. num. 22.

SIcut enim cedrus arbusta cetera in altum crescendo deserit, ita tunc Antichristus mundi gloriam temporaliter obtinens, mensuras hominum, & honoris culmine, & signorum potestate transcendit. Spiritus quippe in illo est qui in sublimibus conditus potentiam naturæ suæ non perdidit, vel dejectus. Cujus idcirco virtus nunc minime ostenditur, quia dispensatione divinæ fortitudinis

Apoc. Ibid. ligatur. Unde per Johannem dicitur: *Vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu ejus, & apprehendit draconem* D *serpentem antiquum qui est diabolus & Satanas; & ligavit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, et clausit, et signavit super illum*. Ligatus quippe in abyssum perhibetur: quia retrusus in pravorum cordibus, potentia divinæ dispensationis adstringitur, ne in quantum prævalet, effrenetur; ut quamvis per eos occulte sæviat, ad violentas tamen rapinas superbiæ non erumpat. Sed illic quomodo in mundi fine sit solvendus intimatur, cum dicitur:

Ibid. v.7. *Et postquam fuerint consummati mille anni, solvetur Satan de carcere suo, et exibit et seducet gentes*. Millenario namque numero, pro perfectione sua, universum hoc quantumlibet sit sanctæ Ecclesiæ tempus exprimitur. Quo peracto antiquus hostis suis viribus traditus, pauco quidem in tempore, sed in multa contra nos virtute laxatur.

CAPUT XLVI.

In exposit. B. Job, lib. 14. num. 19.

Apoc. 6. 6. BEatus et sanctus qui habet partem in resurrectione *prima*. Quia ille post in carne feliciter resurgit qui in hac vita positus a mentis suæ morte surrexit.

CAPUT XLVII.

In exposit. B. Job, lib. 24. num. 15. et 16.

QUi plenissime intelligere appetit qualis est, tales nimirum debet conspicere, qualis non est: ut ex bonorum forma metiatur, quanto ipse deserto bono deformis est. Ex his quippe quibus plenissime bona adsunt, perpendit recte quæ sibi minus sunt, atque in illorum pulchritudine conspicit fœditatem suam, quam in seipso & potest perpeti, & sentire non potest. Lucem namque debet conspicere, qui vult de tenebris judicare; ut in illa videat quid de tenebris æstimat per quas videre præpeditur. Peccator namque incognita vita justorum si semetipsum conspicit, peccatorem se nullatenus comprehendit. Videre enim se non potest, quia fulgorem lucis nesciens, cum semetipsum conspicit, quid aliud quam tenebras attendit? Justorum ergo debemus vitam conspicere, ut subtiliter deprehendamus nostram. Illorum videlicet species quasi quædam forma nobis imitanda proponitur. Viva lectio est vita bonorum. Unde & non immerito iidem justi in sacro eloquio libri nominantur, sicut scriptum est: *Libri* Apoc. 20.12. *sunt aperti, et alius liber apertus est, qui est vitæ: et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris*. Liber namque vitæ est ipsa visio advenientis judicis, in quo quasi scriptum est omne mandatum: C quia quisquis eum viderit, mox teste conscientia quidquid non fecit, intelligit. Libri etiam aperti referuntur, quia justorum tunc vita conspicitur in quibus mandata cælestia opere impressa cernuntur, & judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, quia in ostensa vita justorum, quasi in expansione librorum legunt bonum quod ipsi agere noluerunt, atque ex eorum qui fecerunt comparatione denuntiantur. Ne ergo unusquisque tunc videns eos, quod non fecit defleat, nunc in eis quod imitetur attendat.

CAPUT XLVIII.

In exposit. B. Job, lib. 17. num. 11.

TERRA & cælum, vel qualiter transeat, vel qualiter maneat distinguamus. Utraque namque hæc per eam quam nunc habent imaginem transeunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistunt. Hinc namque per Paulum dicitur: *Præ-* 1. Cor. 6.31. *terit enim figura hujus mundi*. Hinc per semetipsam Veritas dicit: *Cælum & terra transibunt, verba au-* Matt. 24.35. *tem mea non transibunt*. Hinc ad Johannem angelica voce perhibetur: *Erit cælum novum & terra* Apoc. 21.1. *nova*: quæ quidem non alia condenda sunt, sed hæc ipsa renovantur. Cælum igitur & terra, & transit, & erit, quia & ab ea quam nunc habet specie per ignem tergitur, & tamen in sua semper natura servatur. Unde per Psalmistam dicitur: E *Mutabis ea & mutabuntur*. Quam quidem ultimam Psal. 101.27. commutationem suam ipsis nobis nunc vicissitudinibus nuntiant, quibus nostris usibus indesinenter alternant. Nam terra a sua specie, hyemali ariditate deficit, vernali humore viridescit. Cælum quotidie caligine noctis obducitur, & diurna claritate renovatur. Hinc ergo, hinc fidelis quisque colligat, & interire hæc, & tamen per innovationem refici, quæ constat nunc assidue velut ex defectu reparari.

CA-

CAPUT XLIX. A

In exposit. Ezech. lib. 2. hom. 2. num. 3.

POTEST etiam portæ nomine unusquisque prædicator intelligi : quia quisquis nobis januam regni cælestis ore suo aperit, porta est. Unde & duodecim portæ, vel in Johannis Apocalypsi, vel in extremo hujus prophetiæ visione describuntur.

CAPUT L.

Ibid. lib. 2. hom. 2. num. 15.

HUMILITAS hominum quandoque ad æqualitatem perducitur Angelorum. Unde scriptum est : *Neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.* Et unde per Johannem dicitur : *Mensura hominis quæ est Angeli.* Quia usque ad illam altitudinem gloriæ homo perducitur in qua solidatos se Angeli lætantur. Matt. 22. 30. Apoc. 21. 17.

CAPUT LI.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 27.

AURI namque metallum novimus potiori metallis omnibus claritate fulgere. Vitri vero naturæ est ut extrinsecus visum, pura intrinsecus perspicuitate perluceat. In alio metallo quidquid intrinsecus continetur, absconditur : in vitro vero quilibet liquor qualis continetur interius, talis exterius demonstratur, atque ut ita dixerim, omnis liquor in vitreo vasculo clausus patet. Quid ergo aliud in auro, vel vitro accipimus, nisi illam supernam patriam, illorum beatorum civium societatem quorum corda sibi invicem, & claritate fulgent, & puritate translucent? quam Johannes in Apocalypsi conspexerat, cum dicebat : *Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide ; ipsa vero civitas auro mundo* a *simili vitro mundo.* Quia enim Sancti omnes summa in ea beatitudinis claritate fulgebunt, instructa auro dicitur : & quoniam ipsa illorum claritas vicissim in alternis cordibus patet, & dum uniuscujusque vultus attenditur, simul & conscientia penetratur : hoc ipsum aurum vitro mundo simile esse memoratur. Ibi quippe uniuscujusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus, patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sicque unusquisque tunc erit conspicabilit alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi. Apoc. 21. 18. a. D

a De hac lectione, vide notam b. ad locum Moralium indicatum, colum. 595.

C APUT LII.

In exposit. B. Job, lib. 29. num. 75.

CUm venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant, redimeret. Qui natus ex Virgine velut lucifer inter tenebras nostræ actionis apparuit, qui fugata obscuritate peccati æternum nobis mane nuntiavit, luciferum se innotuit, quia diluculo ex morte surrexit, & fulgore sui luminis mortalitatis nostræ tetram caliginem pressit. Qui bene per Johannem dicitur, *Stella splendida & matutina.* Vivus quippe post mortem apparens matutina nobis stella factus est ; quia dum in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequatur, indicavit. Galat. 4. 4. Apoc. 22. 16. B

CAPUT LIII.

In exposit. Ezech. lib. 1. hom. 2. num. 4.

QUisquis spiritalia videndo proficit, oportet ut hæc loquendo etiam aliis propinet. Videt quippe ut annuntiet, qui in eo quod in se profecerit, etiam prædicando de profectu proximi curam gerit. Unde & alibi scriptum est : *Qui audit, dicat : veni.* Cum enim jam vox vocantis Dei efficitur in corde, necesse est ut proximo per prædicationis officium erumpat in vocem, & idcirco alium vocet, quia ipse jam vocatus est. Ibid. 22. 17. C

CAPUT LIV.

Homil. 6. in Evangel. num. 6.

IN quantum vos profecisse pensatis, etiam alios trahite ; in via Dei habere socios desiderate. Si quis vestrum, fratres, ad forum vel fortasse ad balneum pergit, quem otiosum esse considerat, ut secum veniat, invitat. Ipsa terrena actio vos vestra conveniat ; & si ad Deum tenditis, curate ne ad eum soli veniatis : Hinc scriptum est : *Qui audit, dicat : veni.* Ut qui jam in corde vocem superni amoris acceperit, foras etiam proximis vocem exhortationis reddat. Ibidem.

CAPUT LV.

Regul. Pastoral. part. 3. admon. 26.

VOce angelica Johannes admonet, cum dicit : *Qui audit, dicat : veni* ; ut nimirum cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando alios, quo ipse rapitur, trahat ; ne clausas fores etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat. Ibidem. E

L I B E R O C T A V U S.

Capitula sumta ex Epistola ad Romanos, & ex aliis S. Pauli Epistolis.

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 17. num. 8.

QUisquis delinquit & vivit, idcirco hunc divina dispensatio in iniquitate tolerat, ut ab iniquitate compescat : sed qui diutius toleratur, nec tamen ab iniquitate compescitur, munus quidem supernæ patientiæ percipit, sed reatus sui vinculis ex ipso se munere arctius adstringit. Nam quia accepta pœnitentiæ tempora vertit ad

ad culpam, districtus in ultimis judex impensa argumenta misericordię convertit ad pœnam. Hinc namque per Paulum dicitur: *An ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ; & revelationis justi judicii Dei.* Rom. 2. 4. 5.

CAPUT II.

In exposit. B. Job, lib. 29. num. 60.

SEMETIPSUM Dominus indurare perhibet, non quo pravorum mentes ipse ad culpam format, sed quo a culpa non liberat, sicut scriptum est: *Ego obdurabo cor Pharaonis.* Quod quia misericorditer emollire noluit, profecto districta se obdurare nuntiavit. Rom. 7. 18.

CAPUT III.

In exposit. B. Job, lib. 27. num. 58.

LOCUS autem misericordiæ Dei est ipsa Gentilitas, cujus culpa districtus judex, si juste A animadverteret, ad reconciliationem gratiæ nunquam veniret. Quæ cum nulla apud Deum merita habuit, reconciliationis tamen gratiam ex sola misericordia accepit. Unde bene per Paulum dicitur: *Gentes autem super misericordia honorare Deum.* Unde rursum scriptum est: *Et quæ non consecuta misericordiam, nunc autem misericordiam consecuta.* Rom. 15. 9. 1 Petr. 2. 10.

CAPUT IV.

In exposit. B. Job, lib. 28. num. 25.

B BENE itaque David inter acceptas ex divina largitate mensuras pedem cordis presserat, cum dicebat: *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Psal. 130. 1. Super se quippe in mirabilibus ambularet, si apparere magnus ultra quam poterat, quæreret; super se namque in mirabilibus attollitur, qui & in his ad quæ non sufficit, videri idoneus conatur. Bene intra has mensuras etiam ipsa Paulus prædicationis suæ se latitudine coarctabat, cum diceret: *Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus.* Rom. 15. 18.

Ex Epistola ad Corinthios prima.

2 2. *Non enim judicavi scire me aliquid*, j.
2 13. *Quæ & loquimur non in doctis humanæ*, ij.
3 7. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat*, iij.
3 19. *Sapientia hujus mundi stultitia est*, iv.
6 9. *Neque fornicarii, neque adulteri*, v.
8 2. *Qui se existimat aliquid scire*, vj.
Idem, vij.
C 9 27. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*, viij.
10 12. *Qui se existimat stare, videat ne cadat*, ix.
10 13. *Qui non patietur vos tentari supra quam potestis*, x.
12 8. *Alii datur per spiritum sermo sapientiæ*, xj.
13 3. *Si tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem*, xij.
15 9. *Qui non sum dignus vocari Apostolus*, xiij.

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 31. num. 104.

PUlli ejus lambunt sanguinem. Job 39. 30. Ac si aperte diceret: Ipsa quidem divinitatis contemplatione pascitur; sed quia auditores ejus divinitatis percipere arcana nequaquam possunt, cognito crucifixi Domini cruore satiantur. Sanguinem namque lambere, est passionis dominicæ infirma venerari: hinc est quod idem Paulus qui, sicut paulo ante jam diximus, ad tertii cæli secreta volaverat, discipulis dicebat: *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Christum Jesum, & hunc crucifixum.* 1. Cor. 2. 2. Ac si aperte hæc aquila diceret: Ego quidem escam meam, divinitatis ejus potentiam, de longe prospicio, sed vobis parvulis adhuc incarnationis ejus tantummodo lambendum sanguinem trado. Nam qui per prædicationem suam, tacita divinitatis celsitudine, infirmos auditores de solo cruore crucis edocuit, quid aliud quam sanguinem pullis præbuit?

CAPUT II.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 74.

DOCTRINA sapientiæ & prædicatione pulchra est & pura veritate conspicua, nec aliud se per fallaciam prætendit exterius, & aliud reservat interius; neque in dictis suis pulchra videri appetit nitore sermonis, sed integritate veritatis. In mandatis igitur suis Dei sapientia non confertur tinctis Indiæ coloribus, Job 28. 16. quia dum fucata eloquentiæ ornamenta non habet, quasi vestis sine tinctura placet. Quam fucationem tincturæ bene Paulus despexerat, cum dicebat: *Quæ & loquimur* D *non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus.* 1. Cor. 2. 13. Malebat quippe hanc sapientiam sola puritate veritatis ostendere, non autem eloquii tinctione fucare.

CAPUT III.

In exposit. B. Job, lib. 27. num. 64.

NEquaquam sibi doctores tribuant quod per exhortationem suam ad summa proficere auditores vident: quia nisi Spiritus sanctus eorum corda repleat, ad aures corporum vox docentium incassum sonat. Formare enim vocem magistri exterius possunt, sed hanc imprimere interius E non possunt: *Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* 1. Cor. 3. 13.

CAPUT IV.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 67.

INiqua mens dum esse sapiens carnaliter appetit, stultam se ad spiritalia ostendit. Nam quia teste Paulo *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum*, 1. Cor. 3. 7. tanto quisque amplius intus stultus fit, quanto conatur exterius sapiens videri.

CA-

CAPUT V.

In exposit. B. Job, lib. 21. num. 18.

QUAMVIS nonnumquam a reatu adulterii, nequaquam discrepet culpa fornicationis, Matt. 5. 28. cum Veritas dicat: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* (Quia enim Græco verbo mœchus adulter dicitur, cum non aliena conjux, sed mulier videri prohibetur, aperte veritas ostendit quia ex solo visu eum turpiter vel innupta concupiscitur, adulterium perpetratur.) Tamen plerumque ex loco vel ordine concupiscentis discernitur; quia sic hunc in sacro ordine studiosa concupiscentia sicut illum adulterii inquinat culpa. In personis tamen non dissimilibus idem luxuriæ distinguitur reatus: in quibus fornicationis culpa quia ab adulterii reatu discernitur, prædicatoris egregii lingua testatur, 1. Cor. 6. 9. quæ inter cetera asserit, dicens: *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Qui enim adjuncto reatu sententiam subdidit, quam valde a se dissideat, ostendit.

CAPUT VI.

In exposit. B. Job, lib. 27. num. 62.

PERFECTA scientia est scire omnia, & tamen juxta quemdam modum scientem se esse nescire: quia etsi jam Dei præcepta novimus, etsi jam virtutem verborum illius sollicita consideratione ponderamus, etsi jam quæ intellexisse nos credimus agimus, adhuc aperte eadem quali districtione examini sint discutienda nescimus; necdum Dei faciem cernimus, necdum occulta ejus consilia videmus. Quanta ergo est nostra scientia, quæ quousque mortalitatis pondere premitur, ipso suæ incertitudinis nubilo cæcatur? 1. Cor. 8. 2. De qua bene per Paulum dicitur: *Qui se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire.* In hoc itaque mundo dum vivimus, tunc perfecte quæ scienda sunt, scimus, cum proficientes ad intelligentiam nihil nos perfecte scire cognoscimus.

CAPUT VII.

In exposit. B. Job, lib. 28. num. 11.

Ibidem. AIT Apostolus: *Si quis existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire.* Quia enim prima stultitia Angeli elatio cordis fuit, vera sapientia efficitur hominis humilitas suæ æstimationis: quam quisquis vel magna sapiendo deserit, eo ipso vehementer desipit quod semetipsum nescit.

CAPUT VIII.

In exposit. B. Job, lib. 20. num. 9.

VIDEAMUS qualiter Paulo & arridetur jam per supernam gratiam, & ipse adhuc quasi non credit per suspicionis metum. Jam e cælo illi Dominus loquens, ejusque interius oculos aperiens, exterius claudens, potentiam suæ majestatis ostenderat: Act. 9. 15. jam de eo Ananiæ dixerat, *Vas electionis est mihi*: jam in tertium cælum super se raptus fuerat: jam in paradisum ductus, arcana verba quæ dicere non posset, audierat; & tamen adhuc timidus dicit: 1. Cor. 9. 27. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar.* Ecce arridenti sibi divinæ gratiæ, & jam per spem credit, & necdum tamen credit per securitatem.

CAPUT IX.

In expositione B. Job, lib. 25. num. 21.

FORMIDEMUS igitur in his quæ accepimus, nec eos qui illa necdum assecuti sunt desperemus. Quid enim sumus hodie novimus, qui autem post paulum possumus esse, nescimus. Hi vero quos fortasse despicimus, & tarde possunt incipere, & tamen vitam nostram ferventioribus studiis anteire. Timendum itaque est ne etiam nobis cadentibus surgat, qui nobis stantibus irridetur. Quamvis stare jam non novit, qui non stantem novit irridere. Hunc autem supernorum judiciorum metum Paulus Apostolus discipulorum cordibus incutiens ait: 1. Cor. 10. 12. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.*

CAPUT X.

In exposit. B. Job, lib. 29. num. 46.

ALTA quippe atque incomprehensibilis sancti Spiritus gratia, cum luce sua mentes nostras irradiat, etiam tentationes adversarii dispensando modificat ut simul multæ non veniant; ut ipsæ tantummodo quæ ferri possunt, illustratam jam Deo animam tangant; ut cum tactus sui ardore nos cruciant, perfectionis incendio non exurant, Paulo attestante, qui ait: 1. Cor. 10. 13. *Fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari, supra quam potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere.*

CAPUT XI.

In exposit. B. Job, lib. 28. num. 21.

Job 38. 5. QUis *posuit mensuram ejus si nosti, vel quis tendit super eam lineam?* Quis enim nisi Conditor noster hujus terræ mensuras ponit, qui 1. Cor 12. interni judicii secreto moderamine, alii sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ; alii plenam fidem; alii gratiam sanitatum; alii operationem virtutum; alii prophetiam; alii discretionem spirituum; alii genera linguarum; alii interpretationem sermonum tribuit? Quatenus in uno eodem spiritu iste verbo sapientiæ polleat, nec tamen sermone scientiæ, id est doctrinæ fulciatur: quia sentire, atque invenire sufficit etiam quod per discendi studium non apprehendit. Ille sermone scientiæ fulgeat, nec tamen in verbo sapientiæ convalescat; quia & sufficit explere quantum didicit, & tamen ad sentiendum a semetipso subtile aliquid non assurgit. Iste per fidem & elementis imperat, nec tamen per sanitatum gratiam infirmitates corporum curat. Ille orationis opere morbos subtrahit, nec tamen arenti terræ, verbo pluvias reddit. Iste operatione virtutum ad præsentem vitam etiam mortuos revocat, & tamen prophetiæ gratiam non habens, quæ sibi ventura sunt ignorat. Ille ventura quæque velut præsentia attendit, & tamen in nulla signorum operatione se exerit. Iste per discretionem spirituum in factis subtiliter mentes conspicit, sed tamen diversi generis

linguas nescit. Ille diversi generis linguas examinat, sed tamen in rebus similibus dissimilia corda non pensat. Alius in una lingua quam novit, sermonum pondera interpretando prudenter discutit; & tamen reliquis bonis quæ non habet, patienter caret.

CAPUT XII.

In exposit. B. Job, lib. 18. n. 41.

CONFLATIONIS igni qui extra catholicam toleratur Ecclesiam, quam nullius omnino
1. Cor. 13. 3. virtutis, sit Paulus Apostolus insinuat, dicens: *Si tradidero corpus meum ut ardeat, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest*. Alii quippe prava de Deo sentiunt; alii recta de auctore tenent, sed unitatem cum fratribus non tenent. Illi errore fidei, isti vero schismatis perpetratione divisi sunt. Unde & ipsa parte Decalogi utrarumque partium culpæ reprimuntur, cum divina voce dicitur: *Diliges Do-*
Deut. 6. 4. 5. *minum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua*. Atque mox subditur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Qui enim de Deo perversa sentit, liquet profecto quia Deum non diligit: qui vero de Deo recta sentiens a sanctæ Ecclesiæ unitate divisus est; constat quia proxi-
* Num. 42. mum non amat quem habere socium recusat. * Quisquis ergo ab hac unitate matris Ecclesiæ sive per hæresim de Deo perversa sentiendo, seu errore schismatis proximum non diligendo, dividitur, caritatis hujus gratia privatur, de qua

A hoc quod præmisimus Paulus dicit: *Si tradidero corpus meum ut ardeat, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest*. Ac si aperta voce diceret: Extra locum suum conflationis mihi ignis adhibitus, tormento me cruciat, mundatione non purgat. Hunc omnes sanctæ pacis amatores summo studio locum quærunt, hunc quærentes inveniunt, hunc invenientes tenent: scientes, peccatorum remissio vel ubi, vel quando, vel qualibus detur. Ubi quippe nisi in catholicæ matris sinu? Quando, nisi ante venturi exitus diem? Quia, *Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis*. 2. Cor. 6. 2.
B Et: *Quærite Dominum dum inveniri potest; invocate eum dum prope est*. Qualibus, nisi conversis, Isa. 55. 6.
qui ad parvulorum imitationem magistra humilitate formantur; quibus dicitur: *Sinite, parvulos venire ad me; talium est enim regnum cælorum*. Et, *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*. Matt. 19. 14

CAPUT XIII.

In exposit. B. Job, lib. 24. num. 20.

PAULUS namque cum ceterorum Sanctorum sollicitudinem in prædicatione robustius labo-
C rando transcenderet, ut ab elatione se premeret, & vires suas in humilitatis gremio nutriret, crudelitatis suæ antiquæ non immemor, Apostolorum omnium innocentiam contemplatus, ait: *Ego minimus sum Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei*. 1. Cor. 15. 9.

Ex Epistola ad Corinthios secunda.

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 34. num. 32.

UNGUENTORUM odoribus opinio solet signari virtutum. Unde sponsa in Canticis
Cant. 1. 3. Sponsum desiderans, dicit: *In odore unguentorum tuorum currimus*. Et Paulus Apostolus virtutum
2. Cor. 2. 15 laude flagrare nesciens, dicit: *Christi bonus odor sumus Deo*.

CAPUT II.

In exposit. B. Job, lib. 22. num. 8.

IN se Paulus scientiæ divitias contemplatus, & contemplationem suam consideratione humanæ
2. Cor. 4. 7. fragilitatis humilians, ait: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*.

CAPUT III.

In exposit. B. Job, lib. 29. num. 58.

ALIUD quippe ejus intrinsecus latet, atque aliud extrinsecus ostendit: *Transfigurat enim*
2. Cor. 11. 14 *se velut Angelum lucis*. Et callida deceptionis arte plerumque proponit laudabilia, ut ad illicita pertrahat.

CAPUT IV.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 44.

D MEMBRA ejus sæpe cum aperta nequitia nocere non possunt, bonæ actionis habitum sumunt, & prava quidem exibent, sed sancta specie mentiuntur. Iniqui enim si aperte mali essent, a bonis recipi omnino non possent, sed sumunt aliquid de visione bonorum; ut dum boni viri in eis recipiunt speciem quam amant, permixtum sumant etiam virus quod vitant. Unde quosdam Paulus Apostolus intuens sub prædicationis velamine ventris studio servientes, ait: *Ipse enim* 2. Cor. 11. 14.
Satanas transfigurat se in Angelum lucis. Quid ergo mirum si ministri ejus transfigurantur velut ministri justitiæ?

E

CAPUT V.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 24.

ACCIPERE namque & aliquando dicimus auferre. Unde & aves illæ quæ rapiendis sunt avibus avidæ, accipitres vocantur. Unde & Paulus Apostolus dicit: *Sustinetis enim si quis devorat, si* 2. Cor. 11. 20
quis accipit. Ac si diceret: Si quis rapit.

CA-

CAPUT VI.

In exposit. B. Job, lib. 19. num. 37.

PRÆDICATORES boni & honorem propter elationem fugiunt, & honorari tamen propter imitationem volunt. Sic nimirum Paulus Apostolus discipulis loquens, & honorem fugit, & tamen quantum esset honorandus ostendit. Nam cum Thessalonicensibus diceret: *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione avaritiæ; Deus testis est*, secutus adjunxit: *Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis, cum possimus honori esse ut Christi Apostoli; sed facti sumus parvuli in medio vestrum*. Rursus Corinthiis, honorem fugiens, dicit: *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum Christum*. Quos tamen videns falsorum Apostolorum persuasionibus a veræ fidei tramite deviare, eis se summopere, quantum esset venerandus ostendit, dicens: *In quo quis audet, in insipientia dico, audeo & ego. Hebræi sunt, & ego. Israelitæ sunt, & ego. Semen Abrahæ sunt, & ego. Ministri Christi sunt, & ego: ut minus sapiens dico, plus ego*. Quibus etiam subjungit, quod ei quoque tertii cæli secreta patuerint, quod raptus etiam paradisi arcana penetravit. Ecce honorem fugiens, servum se discipulorum prædicat. Ecce honorem pro utilitate audientium quærens, falsis Apostolis vitæ suæ merita superposuit. Egit quippe doctor egregius ut dum ipse qualis esset agnoscitur, & vita & lingua male prædicantium ejus * comparatione vilesceret. Illos videlicet commendaret, si se absconderet; cumque se non ostenderet, errori locum dedisset. Miro igitur modo & humilitatis gratiam, & utilitatis quærit incrementa: ut & servum se discipulis prædicet, & adversariis potiorem demonstret. Ostendit discipulis quid humilitatis acceperit, ostendit adversariis quid sublimitatis.

1. Thess. 2. 5.
Vers. 6. 7.
2. Cor. 4. 5.
2. Cor. 11. 21.
* al. prædicatione.

CAPUT VII.

In exposit. B. Job, lib. 19. num. 18.

PER viscera caritatis quiquid in damno parvulorum sustinet, se perpeti animus perfectorum dolet. Infirmorum etenim damna ad corda fortium per compassionem transeunt. Unde per Paulum dicitur: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Tanto enim quisque perfectus est, quanto perfecte sentit dolores alienos.

2. Cor. 11. 29.

CAPUT VIII.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 13.

OMNES veraciter Sancti non solum gloriam supra modum suum omnino non appetunt, sed etiam hoc ipsum videri refugiunt quod esse meruerunt. Unde ille prædicator egregius veritatis, contra Pseudoapostolos loquens, dum virtutes eximias operationis suæ pro discipulorum eruditione narraret, dum tot se pericula tolerasse coacervata persecutione describeret, & posthæc usque ad tertium cælum, rursumque in paradisum raptum se esse memoraret, ubi tanta cognoscere potuisset, quanta loqui omnino non posset: erat de se adhuc fortasse admirabiliora locuturus, sed ab humana laude alta consideratione se temperans, subdit: *Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me*. Habebat ergo adhuc dicendum de se aliquid qui parcit dicere, sed egit utrumque doctor egregius, ut & loquendo quæ egerat discipulos instrueret, & tacendo se intra humilitatis limitem custodiret. Nimis namque esset ingratus, si de se discipulis tota reticeret; & fortasse nimis incautus, si de se tota vel discipulis proderet; sed mirabiliter, ut dictum est, egit utrumque, ut loquendo erudiret vitam audientium, tacendo custodiret suam.

2. Cor. 12. 6.

CAPUT IX.

In exposit. B. Job, lib. 19. num. 11.

PAULUM video fluminum, & latronum, & civitatis, & solitudinis, maris ac terræ pericula sustinentem, frenantem jejuniis ac vigiliis corpus, sustinentem frigoris & nuditatis ærumnam, ad Ecclesiarum custodiam vigilanter se ac pastoraliter exercentem, ad tertium cælum raptum, rursumque eum in paradisum raptum, & audisse arcana verba quæ non licet homini loqui, & tamen Satanæ Angelo ad tentandum conceditur. Orat ut eximi debeat, & non exauditur. Cujus cum ipsa initia conversionis aspicio, perpendo quod ei superna pietas cælos aperit, seseque illi Jesus de sublimibus ostendit. Qui lumen corporis ad tempus perdidit, lumen cordis in perpetuum accepit. Ad Ananiam mittitur, vas electionis vocatur; & tamen de civitate eadem quam post visionem Jesu ingressus fuerat, fugiens recedit, sicut ipse testatur, dicens: *Damasci præpositus Aretæ regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet, & per fenestram in sporta demissus sum per murum; & sic effugi manus ejus*. Cui licenter dicam: O Paule in cælo jam Jesum conspicis, & in terra adhuc hominem fugis. In paradisum duceris, secreta Dei verba cognoscis, & adhuc a Satanæ Angelo tentaris. Unde sic fortis ut ad cælestia rapiaris; unde sic infirmus ut in terra hominem fugias, & adhuc a Satanæ Angelo adversa toleres; nisi quia ipse qui te sublevat, rursum te subtilissima mensura moderatur: ut & in miraculis tuis nobis prædices virtutem Dei, & rursum in timore tuo reminisci nos facias infirmitatis nostræ? Quæ tamen infirmitas ne in desperationem nos pertrahat, cum pulsat, dum spe in infirmitate tua Dominum rogares, quia auditus non es, nobis quoque locutus es quid audisti: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur*. * Aperta ergo Dei voce ostenditur, quia custos virtutis est infirmitas. Tunc quippe bene interius custodimur, cum per dispensationem tolerabiliter tentamur exterius, aliquando vitiis, aliquando pressuris. Nam eis quoque quos viros novimus fuisse virtutum, tentationes atque certamina non defuere vitiorum. Hinc est enim quod ad consolationem nostram idem prædicator egregius de se quædam talia prodere dignatur, dicens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati quæ est in membris meis*. Ad ima quippe trahit caro, ne extollatur spiritus; & ad summa trahit spiritus, ne prosternat caro. Spiritus levat, ne jaceamus in infimis; caro aggravat ne extollamur ex summis. Si non sublevante spiritu nos caro ten-

2. Cor. 11. 32.
2. Cor. 12. 9.
* Num. 12.
Rom. 7. 23.

ta-

tarêt, perfectione proculdubio tentationis suæ in A ima dejiceret. Rursum vero si non tentante eatne ad summa nos spiritus sublevaret, in superbiæ casu, ipsa nos pejus sublevatione prosterneret. Sed fit certo moderamine ut dum unusquisque Sanctorum jam quidem interius ad summa rapitur, sed adhuc tentatur exterius, nec desperationis lapsum nec elationis incurrat: quoniam nec tentatio exterior culpam perficit, quia interior intentio sursum trahit; nec rursum intentio interior in superbiam elevat, quia tentatio exterior humiliat dum gravat: sicque magno ordine cognoscimus in interiori provectu quid accepimus, in exteriori defectu quid sumus; & miro modo agitur ut nec virtute quisquam extolli debeat, nec de tentatione desperet: quia dum spiritus trahit, B & caro retrahit, subtilissimo judicii interni moderamine infra summa, & supra infima in quodam medio anima libratur.

CAPUT X.

In exposit. B. Job, lib. 33. num. 26.

MAXILLA tamen Behemot istius perforata, intelligi & aliter potest, ut in ore tenere dicatur, non quos jam perfecte peccato implicat, sed quos adhuc peccati persuasionibus tentat: quatenus ei quemlibet mandere sit, de peccati eum de- C lectatione tentare. Mandendum quidem, sed non deglutiendum acceperat Paulum, quando illum post tot revelationum sublimia stimulus carnis agitabat. Tunc ergo cum contra illum licentiam tentationis accepit, in maxilla eum tenuit, sed perforata. Qui vero elatus perire poterat, tentatus est, ne periret: tentatio ergo illa non vorago vitiorum, sed custodia meritorum fuit: quia Leviathan iste fatigando eum in afflictionem contrivit, sed non in culpam capiendo devoravit. 2. Cor. 12.

CAPUT XI.

In exposit. B. Job, lib. 24. num. 42.

PAULUS disciplinam tenuit, cum Corinthiis diceret: *Cum enim si inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Sed humilitatem in disciplina non perdidit, quia deprecando præmonuit, dicens: *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Rursum formam humilitatis tenuit, cum eisdem Corinthiis loquens, paulo latius fortasse quam voluerat semetipsum reprehendit, dicens: *Factus sum insipiens.* Sed disciplinam in hac humilitate non perdidit, quia illico adjunxit: *Vos me coegistis.* Exemplum magnæ humilitatis exhibuit, cum discipulis dixit: *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Dominum nostrum Jesum Christum, nos autem servos vestros per Christum.* Sed in hac humilitate disciplinæ justitiam non amisit, qui eisdem delinquentibus dicit: *Quid vultis, in virga veniam ad vos?* Sciunt ergo prædicatores sancti utroque moderamine artem magisterii temperare: & cum delinquentium reatus inveniunt, sciunt modo severe corripere, modo humiliter deprecari.

1. Cor. 3. 3. 1. Cor. 1. 10. 2. Cor. 11. 17. 1. Cor. 4. 21.

Ex Epistola ad Galatas.

1. 2. *DEinde autem post annos quatuordecim ascendi Jerosolymam*, j.

4. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio*, ij.

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 35. num. 30.

SCICNDUM summopere est quod obedientia aliquando si de suo aliquid habeat, nulla est: aliquando autem si de suo aliquid non habeat, minima. Nam cum hujus mundi successus præcipitur, cum locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem evacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat: neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad accipienda hujus vitæ prospera libidini propriæ ambitionis servit. Rursum cum mundi despectus præcipitur, cum probra adipisci, & contumeliæ jubentur, nisi ex semetipso animus appetat, obedientiæ sibi meritum minuit, qui ad ea quæ in hac vita despecta sunt, invitus nolensque descendit: ad E detrimentum quippe obedientia adducitur, cum mentem ad suscipienda probra hujus seculi nequaquam ex parte aliqua etiam, sua vota comitantur. Debet ergo obedientia, & in adversis ex suo aliquid habere, & rursum in prosperis ex suo aliquid omnimodo non habere, quatenus & in adversis tanto sit gloriosior, quanto divino ordini etiam ex desiderio jungitur, & in prosperis tanto sit verior, quanto a præsenti ipsa quam divinitus percipit, gloria funditus ex mente separatur. Sed hoc quidem virtutis pondus melius ostendimus, si cælestis patriæ duorum heroum facta memoremus. Moyses namque eum in deserto oves pasceret, Domino per Angelum in igne loquente vocatus est, ut eripiendæ omni Israelitarum multitudini præesset; sed quia apud se mente humilis extitit, oblatam protinus tanti D regiminis gloriam expavit, moxque ad infirmitatis patrocinium recurrit, dicens: *Non sum eloquens ab heri, & nudiustertius. Ex quo cœpisti loqui ad servum tuum, tardioris & impeditioris linguæ factus sum.* Et se postposito mitti alium postulat, dicens: *Mitte quem missurus es.* Ecce cum auctore linguæ loquitur, & ne tanti regiminis potestatem suscipiat, elinguem se esse causatur. Paulus quoque divinitus fuerat admonitus, ut Jerosolymam ascendere debuisset, sicut ipse Galatis dicit: *Deinde post annos quatuordecim ascendi Jerosolymam, assumto Barnaba & Tito: ascendi autem secundum revelationem.* Itque in itinere cum Prophetam Agabum reperisset, quanta se adversitas in Jerosolymis maneret, audivit: scriptum quippe est quod idem Agabus zonam Pauli suis pedibus inserens, dixit: *Virum cujus zona hæc est, sic alligabunt in Jerusalem.* A Paulo autem protinus respondetur: *Ego non solum alligari, sed & mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Jesu: neque enim pretiosiorem facio animam meam quam me.* Præceptione igitur revelationis Jerosolymam pergens adversa cognoscit, & tamen hæc libenter appetit: audit quæ timeat, sed ad hæc ardentius anhelat. Moyses itaque ad prospera de suo nihil habet, quia precibus renititur, ne Israeliticæ plebi præ-

Exod. 3. Exod. 4. 10. Ibid. 13. Galat. 2. 1. Act. 21. Ibid. v. 11. Ibid. 13. Num. 11.

præferatur: Paulus ad adversa etiam ex suo voto ducitur, quia malorum imminentium cognitionem percipit, sed devotiona spiritus etiam ad acriora fervescit. Ille præsentis potestatis gloriam Deo voluit jubente declinare: iste, Deo aspera & dura disponente, studuit ad graviora animum præparare. Præeunte ergo utrorumque ducum facto instruimur, ut si obedientię palmam apprehendere veraciter nitimur, prosperis hujus seculi ex sola jussione, adversis autem etiam ex devotione inclinemur.

CAPUT II.

In exposit. B. Job, lib. 30. num. 47.

PRÆDICATORES enim sancti nunc in lacrymis seminant, ut segetem postmodum gaudiorum metant. Nunc quasi cervæ in dolore partus sunt, ut spiritali prole postmodum sint fecundi. Ut enim unum de multis loquar, video Pau- A lum quasi quamdam cervam in partu suo magni doloris rugitus emittentem. Ait enim: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, vellem esse apud vos modo, & mutare vocem meam; quoniam confundor in vobis.* (Galat. 4. 19.) Ecce mutare vult vocem in partu suo, ut prædicationis sermo in rugitum vertatur doloris; mutare vult vocem, quia quos jam prædicando pepererat, reformando gemens iterum parturiebat. Qualem rugitum hæc cerva pariens emittebat, quando eisdem post se redeuntibus exclamare cogebatur, dicens: *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit!* (Ibid. 3. 1.) &: *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini?* Vel certe: *Currebatis bene; quis vos impedivit veritati non obedire?* Qualis in hujus cervæ B partu rugitus fuit, quæ diu conceptos filios cum tot difficultatibus peperit, & quandoque partos ad malitiæ uterum redisse cognovit? Consideremus quid doloris habuerit, quid laboris, quæ & postquam potuit concepta edere, rursum compulsa est extincta sucitare?

Ex Epistola ad Ephesios.

4 23. R*enovamini spiritu mentis*, j.

IN EXPOSITIONE BEATI JOB,

lib. 25. num. 14.

ELECTORUM est actus suos quotidie ab ipso cogitationis fonte discutere, & omne quod turbidum profluit, ab intimis exsiccare. Sicut enim non sentimus quomodo crescunt membra, proficit corpus, mutatur species, nigredo capillorum albescit in canos (hæc quippe omnia nobis nescientibus aguntur in nobis) ita mens nostra per momenta vivendi, ipso curarum usu a semetipsa permutatur; & non agnoscimus, nisi vigilanti custodia ad interiora nostra residentes, profectus nostros quotidie defectusque pensemus. Hoc ipsum enim in hac mortali vita consistere, quasi ad vetustatem ire est. Et cum indiscussa mens relinquitur, in quodam senio torporis sopitur; quia sui negligens, & propositum robur insensibiliter perdens, a forma priori fortitudinis, dum nescit, senescit. Unde & per Prophetam sub Ephraim specie dicitur: *Comederunt alieni robur ejus, & nescivit: sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignoravit.* (Osee 7. 9.) C Cum vero semetipsam quærit, & subtiliter pœnitendo se discutit, ab hac ipsa vetustate sua lota lacrymis & mœrore incensa renovatur, & quæ jam pene inveterata frixerat, per subministrata interni amoris studia novum calet. Unde Paulus Apostolus usu mortalis vitæ veterascentes discipulos admonet, dicens: *Renovamini spiritu mentis vestræ.* (Ephes. 4. 23.) * Sed ad hæc agenda, valde exempla patrum, & sacri eloquii præcepta nos adjuvant. (* Num. 15.) Si enim Sanctorum opera inspicimus, & divinis jussionibus aurem præbemus, alia nos contemplata, alia audita succendunt, & cor nostrum torpore non D constringitur, dum imitatione provocatur.

Ex Epistola ad Philippenses.

2 15. I*Nter quos lucetis, sicut luminaria magna*, j.
3 13. *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse*, ij.
3 20. *Nostra autem conversatio in cælis est*, iij.
4 17. *Non quæro datum, sed requiro fructum*, iv.

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 27. num. 22.

PER stellas singulorum bene viventium animæ designantur, qui inter pravorum hominum E conversationes, dum magnis virtutibus eminent, quasi in tenebris noctis lucent. Unde per Paulum quoque discipulis dicitur: *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* (Philip. 2. 15.)

CAPUT II.

In exposit. B. Job, lib. 22. num. 12. & 13.

SANCTI viri de his quæ se minus egisse intelligunt, tristitiam requirunt; indignos se existimant, & pene soli bona sua non vident, quæ in se videnda omnibus ad exemplum præbent. Hinc est quod Paulus dum expleta in se bona postponeret, & sola adhuc reliqua quæ essent explenda cogitaret, dicit: *Ego me non arbitror apprehendisse.* (Philip. 3. 13.) Hinc est quod ut posset se de bonis quæ agebat humiliare, studebat ad animum præterita mala reducere, dicens: *Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus.* (1. Tim. 1. 13.) Qui etsi aliquando dixit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi;* (2. Tim. 4. 7.) intuendum summopere est, quia ea illo tempore intulit, quo jam ex tempore discessurum se esse cognovit. Ibi quippe præmisit, dicens: *Ego enim jam delibor, & tempus meæ resolutionis instat.* (Ibid. v. 6.) Tunc ergo ad memoriam perfectionem reduxit operis, cum jam prævidit ad largitatis spatium minime subesse tempus operationis. Sicut enim dum vivimus, debemus bona nostra a me-

memoria repellere ne extollant, ita appropinquante exitu; plerumque ea ad memoriam juste revocamus, ut videlicet fiduciam præbeant, & desperatum timorem premant. Qui etsi Corinthiis enumerando bona sua narravit, illos confirmare studuit, non se ostendere. Nam quia eadem bona non in se ostenderet, patefacta tribulatione propriæ tentationis edocuit, qua expressa subjunxit: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis*. Ut ergo discipulos instrueret, de se summa referebat: ut vero se in humilitate custodiret, considerationis oculum, non in virtutibus suis, sed in in infirmitatibus fixerat.

2. Cor. 12. 10

CAPUT III.

In exposit. B. Job, lib. 31. num. 95.

VIDEAMUS aquilam nidum sibi in arduis construentem. Ait: *Nostra conversatio in cælis*. Et rursum. *Qui conresuscitavit, & consedere nos fecit in cælestibus*. Tunc Paulus fortasse in carcere tenebatur, cum se consedere Christo in cælestibus testaretur: sed ibi erat ubi jam ardentem mentem fixerat, non illic ubi illum necessario pigra adhuc caro retinebat. Hoc namque esse speciale specimen electorum solet, quod sic sciunt præsentis vitæ viam carpere, ut per spei certitudinem noverint jam se ad alta provenisse: quatenus cuncta quæ præterfluunt, sub se esse videant; atque omne A quod in hoc mundo eminet, amore æternitatis calcent.

Philip. 3. 20. Ephes. 2. 6.

CAPUT IV.

In exposit. B. Job, lib. 19. num. 22.

SANCTIS prædicatoribus debita ab audientibus stipendia conferuntur, & quos fatigat injunctus prædicationis labor, exhibita a discipulis pinguedo boni operis fovet; non quod ideo prædicent ut alantur, sed ideo alantur ut prædicent; id est ut prædicare subsistant: non ut in intentionem sumendi victus transeat actio prædicationis, sed ad utilitatem prædicationis deserviant ministeria C sustentationis. A bonis ergo prædicatoribus non causa victus prædicatio impenditur, sed causa prædicationis accipitur victus. Et quoties prædicantibus necessaria ab audientibus conferuntur, non solent de rerum munere, sed de conferentium gaudere mercede. Unde per Paulum dicitur: *Non quæro datum, sed requiro fructum*. Datum quippe, Philip. 4. 17
est res ipsa quæ impenditur; fructus vero dati est, si benigna mente futuræ mercedis studio aliquid impendatur. Ergo datum in re accipimus, fructum in corde. Et quia discipulorum suorum Apostolus mercede potius quam munere pascebatur, nequaquam datum, sed fructum se quærere fatetur. Unde & subdidit protinus, dicens: *Habeo autem* C *omnia, & abundo*. Vers. 18.

Ex Epistola ad Colossenses.

3 9. *EXuente vos veterem hominem cum actibus suis*, j

IN EXPOSITIONE BEATI JOB,

lib. 19. num 53.

CUNCTIS vera scientibus liquet, quod ad vetustam vitam vitia pertinent, virtutes ad novam. Hinc etenim Paulus dicit: *Exuentes vos* D *veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum*. Hinc rursus ait: *Vetus homo noster simul crucifixus est*. Hinc Psalmista ex typo humani generis loquens, inter malignos spiritus deprehensus dicit: *Inveteravi inter omnes inimicos meos*. A fervore etenim mentis, vel inter carnales inimicos ipso aliquomodo vivendi usu veterascimus, & assumtæ novitatis speciem fuscamus. A qua tamen vetustate si quotidie studia circumspectionis invigilant orando, legendo bene vivendo, renovamur: quia vita nostra dum lacrymis lavatur, bonis operibus exercetur, sanctis meditationibus tenditur, ad novitatem suam sine cessatione reparatur.

Coloss. 3. 9. Rom. 6. 6. Psal. 6. 8.

Ex Epistola ad Tessalonicenses prima.

2 18. *VOluimus venire ad vos, ego quidem Paulus*, j.

IN EXPOSITIONE BEATI JOB,

lib. 27. num. 56.

SÆPE enim prædicatores sancti exhortari quosdam volunt, sed nequeunt; sæpe quosdam declinare appetunt, sed tamen internæ instigationis impulsu exhortari eos instantissime compelluntur. Videamus nubem Dei, quomodo gubernantis manu, & ad ea quæ non appetit ducitur, atque ab impulsuo suo iterum gubernantis manu retinetur. Certe Paulus cum vestimenta sua excutiens a Corinthiis discedere vellet, audivit: *Noli timere, sed loquere, & ne taceas, quoniam ego tecum sum, & nemo apponetur tibi ut noceat te, quoniam multus est mihi populus in hac civitate*. Rursum cum ad Thessalonicenses voluisset ire retentus est, E dicens: *Voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus, & semel & iterum; sed impedivit me Satanas*. Neque enim per semetipsum Satan præpedire vias tanti Apostoli potuit, sed occultæ dispensationis nutibus, dum adversatur, nesciens deservivit. Ut nimirum Paulus dum ad alios vellet accedere, nec valeret, eis a quibus recedere non poterat, aptius prodesset.

Act. 18. 9. 1. Thess. 2. 18

Ex Epistola ad Thessalonicenses secunda.

2 4. *EXtollens se super omne quod dicitur Deus; Deus autem*, j.

2 6. *Ut revelaretur in suo tempore. Nam mysterium*, ij.

2 8. *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui*, iij.

CA-

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 29. num. 18.

SUPERBA Antichristi celsitudo, quæ super reprobas mentes hominum fastu gloriæ secularis erigitur, itaut homo peccator, & tamen æstimari homo despiciens, Deum se super homines mentiatur. Unde Paulus Apostolus dicit: *Itaut in templo Dei sedeat ostendens se, tamquam sit Deus.* (2. Thess. 2. 4.) Cujus ut tumorem plenius ostenderet, præmisit: *Qui adversatur & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Deus enim dici aliquando & homo potest juxta quod ad Moysen dicitur: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* (Exod. 7. 1.) Deus vero coli purus homo non potest. Quia vero se Antichristus, & super sanctos quoque homines, & super ipsius potentiam divinitatis extollit, per exactum sibi nomen gloriæ, & hoc quod Deus dicitur, & hoc quod Deus colitur, transire conatur. Notandum vero est in quantam superbiæ foveam cecidit, qui in mensura ruinæ qua lapsus est, non permansit. Diabolus quippe vel homo ab statu conditionis propriæ elata mente corruerunt, ut vel ille diceret: *Ascendam super altitudinem nubium; similis ero Altissimo.* (Isa. 14. 13.) Vel iste audiens crederet: *Aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii.* (Genes. 3. 5.) Idcirco ergo uterque cecidit, quia esse Deo similis non per justitiam, sed per potentiam concupivit; sed homo per gratiam liberatus qui Dei similitudinem perverse appetendo ceciderat, in reatu criminis sui longe Deo imparem se esse cognoscens, clamat: *Domine, quis similis tibi?* (Psal. 34. 10.) Diabolus vero in lapsus sui crimine juste dimissus, in mensura ruinæ suæ minime permansit, sed quanto diu ab omnipotentis gratia defuit, tanto magis reatum criminis cumulavit. Nam qui ideo cecidit, quia perverso ordine Deo esse similis voluit, eo usque perductus est, ut in Antichristum veniens, videri Deo esse similis dedignetur, atque eum quem habere non potuit superbus æqualem, damnatus inferiorem putet. Nam cum de illo hoc quod jam præmisimus, dicitur: *Extollens se supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur;* aperte monstratur, quia appetendo dudum Dei similitudinem, quasi juxta Deum se erigere voluit, sed in superbiæ culpam crescendo, jam se supra omne quod dicitur Deus & colitur, extollit.

CAPUT II.

In expositione B. Job, libr. 29. num. 15.

JOHANNES ait: *Nunc Antichristi multi facti sunt;* (1. Johan. 2. 18.) quia iniqui omnes jam membra ejus sunt: quæ scilicet perverse edita caput suum male vivendo prævenerunt. Hinc Paulus ait: *Ut reveletur in suo tempore, nam mysterium jam operatur iniquitatis.* (2. Thess. 2. 6.) Ac si diceret: Tunc Antichristus manifestus videbitur; nam in cordibus iniquorum secreta sua jam nunc occultus operatur. Ut enim de apertioribus criminibus taceam, ecce alius fratri in corde suo tacitus invidet, & si occasionem reperiat, eum supplantare contendit: cujus alterius membrum est, nisi ejus de quo scriptum est: *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum?* Alius magni meriti esse se estimans, per tumorem cordis cunctis se præferens, omnes semetipso inferiores credit: cujus alterius membrum est, nisi ejus de quo scriptum est: *Omne sublime videt; & ipse est rex super omnes filios superbiæ?* (Job. 41. 25.) Alius mundi hujus potentiam quærit, non quo aliis prosit, sed quo ipse subditus alteri non sit: cujus alterius membrum est, nisi ejus de quo scriptum est: *Qui dixit, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis; ascendam super altitudinem nubium: similis ero Altissimo?* (Isa. 14. 13.) Solus quippe Altissimus ita dominatur super omnia, ut alteri subesse non possit. Quem diabolus imitari perverse voluit cum suum dominium quærens, ei subesse recusavit. Imitatur ergo diabolum quisquis idcirco potestatem suam appetit, quia ei qui sibi est superna ordinatione præpositus, subesse fastidit. * Sunt præterea plurima quæ quosdam in ipsa pace Ecclesiæ constitutos infideles esse renuntient. (* Num. 16.) Video namque nonnullos ita personam potentis accipere, ut requisiti ab eo, pro favore ejus non dubitent in causa proximi verum negare. Et quis ast veritas nisi ille qui dixit: *Ego sum Via, Veritas, & Vita?* (Johan. 14. 6.) Neque enim Johannes Baptista de confessione Christi, sed de justitiæ veritate requisitus occubuit; sed quia Christus est Veritas, ad mortem usque idcirco pro Christo, quia videlicet pro veritate, pervenit. Ponamus ergo ante oculos quod aliquis percunctatus personam potentis accepit, & ne verbi saltem injuriam pateretur, veritatem negavit. Quid rogo iste faceret in dolore pœnarum, qui Christum erubuit inter flagella verborum? Ecce & posthæc ante oculos hominum adhuc Christianus est, & tamen si eum Dominus districte disposuit judicare, jam non est. * Video autem alios, quibus per locum magisterii exhortandi sunt officia arguendique commissa; qui vident aliquid illicitum admitti, & tamen, dum quorumdam potentum offendere gratiam metuunt, arguere non præsumunt. (* Num. 17.) Quisquis iste est, quid aliud fecit, nisi vidit lupum venientem & fugit? (Johan. 10.) Fugit quia tacuit, quia despecta æterna gratia temporalem gloriam plus amavit. Ecce ante potentis faciem intra sui se latebras silentii abscondit, & sicut persecutioni publicæ, sic occultum locum dedit timori. Bene de talibus dicitur: *Dilexerunt gloriam hominum magis quam Dei.* (Johan. 12. 43.) Quisquis igitur talis est, si hæc districte judicantur & persecutio publica defuit, & tamen tacendo Christum negavit. Non ergo desunt, vel in pace Ecclesiæ Antichristi tentamenta. Nemo itaque illa persecutionis extremæ tempora, quasi sola perhorrescat; apud iniquos namque quotidie res Antichristi agitur, quia in eorum cordibus mysterium suum, jam nunc occultus operatur.

CAPUT III.

In exposit. B. Job, lib. 32. num. 12.

QUem *Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui,* (2. Thessal. 2. 8.) qui non Angelorum bello, non Sanctorum certamine, sed per adventum judicis solo oris spiritu æterna morte ferietur.

Ex Epistola ad Timotheum prima.

6. 16. *Et lucem habitat inaccessibilem*,).
6. 20. *Devitans prophanas vocum novitates*,))

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 91.

VIDEBIMUS igitur Deum, ipsumque est præmium laboris nostri, ut post mortalitatis hujus tenebras accessa ejus luce gaudeamus. * Sed cum ejus lucem dicimus accessam, (* Num. 92. 1. Tim. 6.16.) obsistit animo quod Paulus dicit: *Qui lucem habitat inaccessibilem, quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest.* Ecce rursus audio quod Psalmista ait: *Accedite ad eum, & illuminamini.* (Psal. 33. 6.) Quomodo ergo accedendo illuminamur, si ipsam lucem qua illuminari possumus non videmus? Si vero accedendo ipsam qua illuminamur lucem videmus, quomodo inaccessibilis esse perhibetur? Qua in re pensandum est quod inaccessibilem dixit omni homini, sed humana sapienti. Scriptura quippe sacra omnes carnalium sectatores humanitatis nomine notare solet. Unde idem Apostolus quibusdam discordantibus dicit: *Cum enim sint inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* (1. Cor. 3. 3.) Quibus paulo post subjecit: *Nonne & homines estis?* (Ibid. 3. 4.) & unde alias testimonium protulit: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se.* Et cum hoc hominibus dixisset absconditum, mox subdidit: *Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum*: ipsum se ab hominis vocatione discernens, qui raptus super hominem divina jam saperet. Ita etiam hoc loco cum lucem Dei inaccessibilem perhiberet, ut ostenderet quibus, subdidit: *Quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest.* More suo homines vocans omnes humana sapientes; quia qui divina sapiunt, videlicet supra homines sunt. Videbimus igitur Deum si per cælestem conversationem supra homines esse mereamur; nec tamen ita videbimus sicut videt ipse semetipsum. Longe quippe dispariter videt Creator se, quam videt creatura Creatorem. Nam quantum ad immensitatem Dei, quidam nobis modus figitur contemplationis, quia eo ipso pondere circumscribimur quo creatura sumus. * Sic profecto non ita conspicimus (* Num. 93.) Deum, sicut ipse conspicit se; sicut non ita requiescimus in Deo, quemadmodum ipse requiescit in se. Nam visio nostra vel requies, erit utcumque similis visioni vel requiei illius, sed æqualis non erit. Ne enim jaceamus in nobis, ut ita dicam, contemplationis penna nos sublevat, atque a nobis ad illum erigimur intuendum; raptique intentione cordis, & dulcedine contemplationis, aliquomodo a nobis imus in ipsum; & jam hoc ipsum ire nostrum minus est. B requiescere; & tamen sic ire, perfecte requiescere est. Et perfecta ergo requies est, quia Deus discernitur, & tamen æquanda non est requiei illius qui non a se in alium transit ut quiescat. Est itaque requies, ut ita dicam, similis atque dissimilis: quia quod illius requies est, hoc nostra imitatur. Namque ut beati atque æterni simus in æternum, imitamur æternum. Et magna nobis est æternitas, imitatio æternitatis, nec exortes sumus ejus quem imitari possumus; quia & videntes participamur, & participantes imitamur. Quæ nimirum visio nunc fide inchoatur, sed tunc C in specie perficitur, quando coæternam Dei sapientiam quam modo per ora prædicantium, quasi per decurrentia flumina sumimus, in ipso suo fonte biberimus.

CAPUT II.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 39.

SÆPE hæretici dum sua student perversa adstruere, ea proferunt quæ profecto in sacrorum librorum paginis non tenentur. Unde & discipulum suum prædicator egregius admonet, dicens: D *O Timothee! depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates.* (1. Tim. 6. 20.) Quia dum laudari hæretici tamquam de excellenti ingenio cupiunt, quasi nova quædam proferunt, quæ in antiquorum patrum libris veteribus non tenentur. Sicque fit ut dum videri sapientes desiderant, miseris suis auditoribus, stultitiæ semina spargant.

Ex Epistola a Titum.

1. 6. *Si quis sine crimine est*,).

IN EXPOSITIONE BEATI JOB,

lib. 21. num. 19.

HOC inter peccatum distat & crimen, quod omne crimen peccatum est, non tamen omne peccatum crimen: & in hac vita multi sine crimine, nullus vero esse sine peccatis valet. Unde & prædicator sanctus, cum virum dignum gratia sacerdotali describeret, nequaquam dixit: Si quis sine peccato, sed: *Si quis sine crimine est.* (Tit. 1. 6.) Quis vero esse sine peccato valeat, cum Johannes dicat: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* (1. Johan. 1. 8.) In qua videlicet peccatorum & criminum distinctione pensandum est, quia nonnulla peccata animam polluunt, nam crimina extinguunt.

Ex

Ex Epistola ad Hebræos.

§ 31. ET non docebit ultra unusquisque, i.

6. 7. *Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem*, ii.

11 13. *Confitentes quod peregrini, & hospites sunt super terram*, iii

11, 27. *Invisibilem enim tamquam videns sustinuit*, iv.

CAPUT PRIMUM.

In exposit. B. Job, lib. 30. num. 17.

QUid enim cælorum ratio accipitur, nisi vis superna secretorum, quid per cæli concentum, nisi concors prædicantium, sermo designatur? Conditor igitur noster cum cælorum rationem narrare cœperit, dormire cæli concentum facit; quia cum jam nobis per speciem ostenditur, nimirum prædicantium verba subtrahuntur. Hinc enim per Jeremiam Dominus dicit: Jerem. 31. 34. *Non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum, dicit Dominus.* 1. Cor. 13. 8. Hinc Paulus ait: *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur.*

CAPUT II.

In exposit. B. Job, lib. 28. num. 20.

SI peccatoris animus pulvis est: quia in superficie attollitur, & tentationis aura raptatur, unde scriptum est: Psal. 1. 4. *Non sic impii, non sic, sed tamquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ*: nil obstat intelligi animam justi, de qua scriptum est: Hebr. 6. 7. *Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam, opportunam illis a quibus colitur accipit benedictionem.*

CAPUT III.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 48.

QUIS autem in hoc mundo peregrinatur populus, nisi qui ad sortem electorum currens, habere se patriam novit in cælestibus, & tanto magis illic sperat invenire se propria, quanto hic cuncta quæ prætereunt esse a se deputat aliena? Peregrinus itaque est populus, omnium numerus electorum; qui hanc vitam quoddam sibi exilium deputantes, ad supernam patriam tota cordis intentione suspirant; de quibus Paulus dicit: *Confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram.* Hebr. 11. 16. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Hanc peregrinationem idem quoque Apostolus tolerabat, cum diceret: *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* 2. Cor. 5. 6. Hujus peregrinationis ærumnas satagebat evadere, cum dicebat: *Desiderium habens dissolvi, & cum Christo esse.* Philip. 1. 23. Et rursum: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* Vers. 21. Hujus peregrinationis pondus grave sentiebat Psalmista, cum diceret: *Heu me, quod incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar; multum incola fuit anima mea.* Psal. 119. 5. Ab hac eripi quantocius anhelabat, cum supernis desideriis flagrans diceret: *Sitivit anima mea ad Deum vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei.* Psal. 42. 3.

CAPUT IV.

In exposit. B. Job, lib. 19. num. 21.

PERVERSI quique dum interna non appetunt, in suis se cogitatibus foras fundunt: unde eis per Prophetam dicitur: *Redite prævaricatores ad cor.* Is. 46. 8. Et rursum: *Væ qui cogitatis inutile.* Mich. 2. 1. In actionibus quippe suis verentur homines quos corporaliter vident, & Deum sibi præsentem non æstimant esse quem non vident. Quo contra in laudem justi dicitur, dum Ægypti Regem contemneret, & Dei mandatis obediret: *Quia invisibilem tamquam videns sustinuit.* Hebr. 11. 27. Perversum quippe terræ principem quasi non vidit, quem ab oculis cordis sui abjecit: Regem vero invisibilem tamquam videns sustinuit, quia ab ejus timoris intuitu mentis oculum non deflexit.

ALULFI DE EXPOSITIONE NOVI TESTAMENTI.

PRÆFATIO

De quatuor Evangelistis, per quatuor animalia designatis.

Homil. 2. in Ezech. n.18. Ezech. 1. PER sancta quatuor animalia, quæ Ezechieli Prophetæ ostenduntur in visione, sancti quatuor Evangelistæ, Matthæus videlicet, Marcus, Lucas, & Johannes figurantur: & sub Evangelistarum personis omnes simul perfecti significantur. Nec immerito per Evangelistas quatuor, perfectorum omnium numerus exprimitur: quia omnes, qui in Ecclesia modo perfecti sunt, perfectionis suæ rectitudinem per eorum Evangelium didicerunt. Sancta itaque quatuor animalia, per quæ quatuor Evangelistæ significantur, subtili narratione describuntur ab Ezechiele, cum dicitur: *Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni*. Quid per faciem nisi notitia, & quid per pennas, nisi volatus exprimitur? Per faciem quippe unusquisque agnoscitur, per pennam vero in altum avium corpora sublevantur. Facies itaque pertinet ad fidem, penna ad contemplationem. Per fidem namque ab omnipotenti Deo cognoscimur; sicut ipse de suis ovibus dicit: *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ*. Qui rursus ait: *Ego scio quos elegerim*. Per contemplationem vero, qua super nosmetipsos tollimur, quasi in aerem levamur. Quatuor ergo facies uni sunt: quia, si requiras quid Matthæus de incarnatione Domini sentiat; hoc nimirum sentit quod Marcus, Lucas, & Johannes. Si quæras quid Johannes sentiat; hoc proculdubio quod Lucas, Marcus, & Matthæus. Si quæras quid Marcus; hoc quod Matthæus, Johannes, & Lucas. Si quæras quid Lucas; hoc quod Johannes, Matthæus, & Marcus sentit. Quatuor ergo facies uni sunt, quia notitia fidei, qua cognoscuntur a Deo, ipsa est in uno, quæ est simul in quatuor. Quidquid enim in uno inveneris, hoc in omnibus simul quatuor recognosces. Et quatuor pennæ uni, quia Dei omnipotentis filium Dominum nostrum Jesum Christum, simul omnes concorditer prædicant, & ad divinitatem ejus mentis oculos levantes, penna contemplationis volant. Evangelistarum ergo facies ad humanitatem Domini pertinet, penna ad divinitatem: quia in eum, quem corporeum aspiciunt, quasi facies intendunt. Sed dum hunc esse incircumscriptum & incorporeum ex divinitate annuntiant, per contemplationis pennam quasi in aerem levantur. Quia itaque, & una est fides incarnationis ejus in omnibus, & par contemplatio divinitatis ejus in singulis, recte dicitur: *Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni*. Deinde etiam hæc eadem sancta animalia subtilius describuntur, ut per hæc Evangelistarum significari personas, ipsa

Homil. 9. in Ezech. n.1.

Johan. 10.14.

Johan. 13.18.

Homil. 4. in Ezech. n.1.

A nobis subtilitas descriptionis aperiat, nihilque sermo Dei nostro intellectu dubietatis relinquat. Dicitur enim: *Similitudo vultus eorum, facies hominis, & facies leonis a dextris ipsorum quatuor: facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor, et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor*. Quod enim quatuor hæc animalia pennata sanctos quatuor Evangelistas designent, ipsa uniuscujusque libri evangelici exordia testantur. Nam quia ab humana generatione cœpit, jure per hominem Matthæus; quia per clamorem in deserto, recte per leonem Marcus; quia a sacrificio exorsus est, bene per vitulum Lucas: quia vero a divinitate Verbi cœpit, digne per aquilam significatur Johannes. Qui dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat* B *apud Deum, et Deus erat Verbum*; dum in ipsam divinitatis substantiam intendit, quasi more aquilæ in solem oculos fixit. Sed quia electi omnes membra sunt Redemtoris nostri, ipse autem Redemtor noster caput est electorum omnium: per hoc quod membra ejus figurata sunt, nil obstat, si in his omnibus etiam ipse signetur. Ipse enim unigenitus Dei filius veraciter factus est homo: ipse in sacrificio redemtionis nostræ dignatus est mori, ut vitulus: ipse per virtutem suæ fortitudinis surrexit, ut leo. Leo etiam apertis oculis dormire perhibetur: quia in ipsa morte, in qua ex humanitate Redemtor noster dormire potuit, ex divinitate sua immortalis permanendo vigilavit. Ipse etiam post resurrectionem suam ascendens ad C cælos, in superioribus est elevatus, ut aquila. Totum ergo simul nobis est, quia & nascendo homo, & moriendo vitulus, & resurgendo leo, & ad cælos ascendendo aquila factus est. Sed quia per hæc animalia Evangelistas quatuor, & sub eorum specie simul perfectos omnes jam superius significari diximus; restat ut quomodo unusquisque electorum istis animalium visionibus exprimatur, ostendamus.

Johan. 1. 1.

Omnis etenim electus & in via Domini perfectus, & homo, & vitulus, & leo simul, & aquila est. Homo enim rationale est animal: Vitulus autem in sacrificio mactari solet. Leo vero fortis est bestia, sicut scriptum est: *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum*. Aquila ad sublimia D volat, & irreverberatis oculis solis radios intendit. Omnis itaque, qui in ratione perfectus est, homo est. Et quoniam semetipsum ab hujus seculi voluptate mortificat, vitulus est. Quia vero ipsa sua spontanea mortificatione contra adversa omnia fortitudinem securitatis habet, leo est. Unde

Prov. 30. 30

a. Cur expositionem hanc Paterianæ attexuerimus collectioni, aperuimus in Præfatione. De Alulfo legendi quæ ibidem diximus.

Prov. 28. 1. defcriptum eft : *Juftus autem quafi leo confidens, abfque terrore erit*. Quia vero fublimiter contemplatur ea, quæ cæleftia & æterna funt, aquila eft. Igitur quoniam juftos quifque per rationem homo: per facrificium mortificationis fuæ, vitulus: per fortitudinem fecuritatis, leo: per contemplationem vero efficitur aquila: recte per hæc fancta animalia fignati unufquifque perfectus poteft. Quod idcirco diximus, ut ea quæ de quatuor animalibus dicta funt, pertinere etiam ad perfectorum fingulos demonftremus.

Sed magna nobis de iifdem Evangeliftis, & fanctis prædicatoribus quæftio oritur, cur homo & leo a dextris ipforum quatuor, vitulus vero a finiftris ipforum quatuor effe perhibeatur. Neque enim fine mira ratione eft, cur duo illa a dextris, & unum hoc effe a finiftris dicatur. Et rurfum quærendum eft, cur aquila non a dextris, vel finiftris, fed defuper ipforum quatuor effe memoretur. Duas itaque nobis quæftiones objecimus, quas oportet ut, aperiente Domino, diffolvamus. Homo igitur & leo a dextris: vitulus vero a finiftris effe perhibetur. A dextris etenim læta, a finiftris vero triftia habemus. Unde & finiftrum nobis effe dicimus hoc quod adverfum effe deputamus. Et ficut præfati fumus, per hominem incarnatio, per vitulum paffio, per leonem vero auctoris noftri refurrectio defignatur. De incarnatione autem unigeniti filii, qua redemti fumus, omnes electi lætati funt: de morte vero illius, ipfi electorum primi fancti Apoftoli contriftati, qui iterum de ejus refurrectione funt gavifi. Quia ergo & nativitas ejus, & refurrectio lætitiam difcipulis præbuit, quos ejus paffio contriftavit, homo & leo a dextris: vitulus vero a finiftris fuiffe defcribitur. Ipfi namque fancti Evangeliftæ de ejus humanitate gavifi funt, de ejus refurrectione confirmati, qui de ejus paffione fuerant contriftati. Homo ergo & leo eis a dextris eft, quia Redemtoris noftri eos incarnatio vivificavit, refurrectio confirmavit. Sed vitulus a finiftris, quia mors illius eos ad momentum temporis in infidelitatem proftravit. Jure autem locus aquilæ non juxta, fed defuper effe defcribitur: quia five per hoc, quod ejus afcenfionem fignat, feu quia Verbum Patris, Deum apud Patrem effe denuntiat, fuper Evangeliftas ceteros virtute contemplationis excrevit, cum quibus & fimul de ejus Deitate loquitur, hanc tamen omnibus fubtilius contemplatur. Sed fi aquila cum aliis tribus adjuncta, quatuor animalia effe memo-

A rantur; mirum quomodo defuper ipforum quatuor effe defcribitur, nifi quia Johannes per hoc, quod in principio Verbum vidit, etiam fuper femetipfum tranfiit: nam nifi & fe tranfiiffet, Verbum in principio non vidiffet. Qui ergo & femetipfum transgreffus eft, non jam folummodo fuper tria, fed adjuncto & fe, fuper quatuor fuit. Præterea de eifdem fanctis animalibus quærendum eft, cum fingulis diftincta imaginibus defcribantur, ut aliud homini, aliud leoni, aliud vitulo, aliud aquilæ fimile dicatur, quid fit quod paulo fuperius de omnibus fimul dicatur: *Similitudo hominis in eis?* Sed quis hic modo defcribitur, Ibid. hom. 2. num. 19.

B nifi ille, de quo fcriptum eft: *Qui cum in forma Dei effet, non rapinam arbitratus eft effe fe æqualem Deo, fed femetipfum exinanivit, formam fervi accipiens, in fimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo?* Philip. 2. 6. Hæc itaque animalia, ut furgere valeant ad fanctitatis virtutem, ad hujus hominis tendunt fimilitudinem; fancta enim non effent, fi hujus hominis fimilitudinem non haberent: quia quidquid in eis de vifceribus pietatis, quidquid de manfuetudinis fpiritu, quidquid de zelo rectitudinis, quidquid de cuftodia humilitatis, quidquid de fervore caritatis eft: hoc ab ipfo fonte mifericordiæ, ab ipfa radice manfuetudinis Dei, ab ipfa

C virtute juftitiæ, id eft a Mediatore Dei & hominum Domino Deo traxerunt.

Hujus fe hominis fimilitudinem habere prædicator egregius oftendit, dicens: *Imitatores mei eftote, ficut & ego Chrifti*. 1. Cor. 11. 1. Ad ejus nos fimilitudinem furgere admonet, cum dicit: *Primus homo de terra terrenus, fecundus homo de cælo cæleftis. Igitur ficut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem ejus, qui de cælo defcendit*. 1. Cor. 15. 49. Sanctus etenim quifque in tantum ad fimilitudinem hujus hominis dicitur, in quantum vitam fui Redemtoris imitatur. Nam ejus mandatis, & operibus dif-

D cordare, quid eft aliud quam a fimilitudine longe recedere? Ad hujus fimilitudinem hominis furgere feftinabat Propheta, cum diceret: *In mandatis tuis exercebor, & confiderabo vias tuas*. Pfal. 118. 15. Ibid. nonnullis interpofitis. Qui enim tacitus in mente vias Domini confiderat, & fefe exercere in mandatis illius feftinat, quid aliud in femetipfo, nifi imaginem novi hominis reformat? Quod quia in Sanctorum cordibus inceffanter agitur, recte de fanctis animalibus dicitur, quod in eis eft fimilitudo hominis: quia quod fancta, quod mira funt, hoc in eis de fpecie fimilitudinis eft, id eft de virtute imitationis.



INCIPIUNT CAPITULA
DE EVANGELIO SECUNDUM MATTHÆUM.

Præ-

Præfatiuncula de beato Matthæo.

In exposit. B. Job, lib. 18. num. 43.

OMnipotens Deus, occulto consilio, quosdam ab ipsis ætatis suæ exordiis innocentes custodiens, usque ad virtutum culmen provehit: alios autem in exordiis suis deserens, scaturientibus vitiis, ire per abrupta permittit. Plerumque tamen etiam eos respicit, & ad sequendum se sancti amoris igne succendit, atque inolitas in eorum cordibus prurigines vitiorum, vertit in fervorem virtutum: & eo magis ignescunt ad desiderium requirendæ pietatis Dei, quo magis erubescunt suæ memoriam iniquitatis. De talibus Evangelista Matthæus fuerat, qui terrenis negotiis implicatus, telonii usibus serviebat: sed cum eum Dominus ad telonium sedentem videret, ut ad se revocaret, cor ejus durum & frigidum, divini A amoris igne tactum succenditur, & a terrena, quam prius tenuit, actione separatur, & ad sequendam cælestem vitam, desideriorum æstu roboratur; ut, sicut prius durus fuerat in amorem seculi, ita postmodum se fortem exhiberet in amorem Dei: & quod antea renuebat audire, jam credere inciperet & prædicare. Sanctæ quippe Ecclesiæ fortis propugnator extitit, cujus videlicet lingua quasi acutissimo gladio, Evangelii administratione Dominus infidelium corda transfixit. Qui igitur infirmus prius despectusque per terrena negotia, fortis postmodum factus est ad cælestia prædicamenta. Non ergo in eo debet B despici quidquid fuit, qui jam cœpit esse quod non fuit.

Ibid. n. 44.

LIBER PRIMUS.

EXPOSITIO EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM.

CAPUT PRIMUM.

Abraham genuit Isaac; Isaac genuit Jacob.

Homil. 25 in Evang. n. 8. ex exposit. B. Job, lib. 33. num. 17.

De eo quod per incarnationem suam Christus diabolum captivavit.

DOMINUS noster Jesus Christus ad redemtionem humani generis veniens, velut quemdam de se in necem diaboli hamum fecit. Quis enim nesciat, quod in hamo esca ostenditur, aculeus occultatur? Esca quippe provocat, ut aculeus pungat. Assumsit itaque Dominus noster corpus, ut in eo diabolus, quasi suam escam mortem carnis appeteret. Quam mortem dum in illo injuste appetiit, eos, quos quasi juste tenebat, amisit. In hamo ergo incarnationis ejus captus est: quia dum in illo appetiit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis. Ibi quippe inerat huma- D nitas, quæ ad se devoratorem duceret: ibi divinitas quæ perforaret: ibi aperta infirmitas quæ provocaret: ibi occulta virtus, quæ raptoris faucem transfigeret. In hamo igitur captus est, quia inde interiit, unde devoravit: & in Redemtore nostro, dum per satellites suos escam corporis momordit, divinitatis illum aculeus perforavit. Quasi hamus quippe fauces glutientis tenuit, dum in illo & esca carnis patuit, quam devorator appeteret: & divinitas passionis tempore latuit, quæ necaret. In hac quippe aquarum abysso, id est ab hac immensitate generis humani, ad omnium mortem inhians, vitam pene omnium vorans, huc il- E lucque aperto ore cetus iste ferebatur: sed ad mortem ceti istius, hamus in hac aquarum profunditate caliginosa, est mira dispositione suspensus. Hujus hami linea, illa est per Evangelium antiquorum patrum propago memorata. Nam, cum dicitur: *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob*: cumque ceteri successores, interposito Joseph nomine, usque ad Mariam Virginem desponsatam describuntur, quasi quædam linea, in cujus extremo incarnatus Dominus, id est hamus iste ligaretur, quem in his aquis humani generis dependentem aperto ore cetus iste appeteret; sed ore per C satellitum suorum sævitiam morso, mordendi vires ulterius non haberet. Ad mortem igitur ceti humanis mortibus insidiantis, Dominus incarnatum Unigenitum filium suum misit, in quo dum mortalis caro conspicitur, & immortalitatis potentia non videtur, quasi hamus fauces raptoris tenuit, & sese mordentem momordit, & inde devorantem peremit, unde acumen potentiæ, quo transfigeret, occultavit.

CAPUT II.

Et post transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel. *Matt. 1. 12.*

a PSalmista de Domino dicit: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Lapis angularis Dominus Jesus dicitur, vel quia in se hinc Judaicum, illinc Gentilem populum suscipiens in una Ecclesiæ fabrica, quasi duos parietes jungit: vel quia in terra, plebi Israeliticæ nationes Gentium copulans, utramque simul Angelis in cælo sociavit. Hujus lapidis typum Jechonias rex tenuit, quem Matthæus, dum quaterdenas generationes describeret, secundo numeravit. Quem enim fini secundæ, ipsum rursum initio tertiæ generationis inseruit: ipse namque in Babyloniam cum Israelitica plebe migratus est, qui dum ab aliis ad alia ducitur, pro utriusque parietis latere non immerito secundo numeratur: cujus migrationis flexus angularem lapidem designat. Ubi enim ordo a rectitudine flectitur, ut eat in diversum, tamquam angulum facit. Recte ergo numerari bis potuit, quia per utrumque parietem, quasi duo in se latera ostendit. Unde & ejus bene imaginem tenuit qui in Judæa ortus, Gentilitatem colligens, quasi Jerosolymis Baby-

a De lapide angulari Christo, qui fecit utraque unum. *Psal. 117. 21. In exposit. B. Job, lib. 28. num. 14.*

a Hæc non habentur iisdem omnino verbis apud S. Greg. multa quoque alibi aut addit Alulfus, aut detrahit; quod semel hic notare sufficiat.

loniam venit: atque hanc in ſemetipſo fidei fabricam prius diſcordiæ ſtudio ſciſſam, arte caritatis intexuit.

CAPUT III.

Matt.1.25. *Accepit Joſeph Mariam conjugem ſuam; & non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum, & vocavit nomen ejus Jeſum.*

De virginitate beatæ Mariæ. In expoſit B. Job, lib. 8. num. 89.

NON cognovit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum. Ita dictum debet intelligi: non quod hanc poſt nativitatem Dei cognoverit, ſed quod nequaquam illam contigit, etiam cum ſui Conditoris matrem eſſe neſcivit. Nam quia eam nequaquam contingere valuit, poſtquam re- B demtionis noſtræ ex ejus utero celebrari myſterium agnovit, de illo profecto tempore neceſſe erat ut Evangeliſta teſtimonium ferret, de quo propter Joſeph ignorantiam dubitari potuiſſet. Sic namque & per Pſalmiſtam dicitur: *Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris mei: donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* (Pſal. 109. 1.) Non quod a dextris Domini nequaquam Dominus ſedeat, poſtquam inimicos illius feriens, ejus poteſtati ſubſternit: ſed quod in æterna cunctis beatitudine præſidet etiam priuſquam rebellium ſuorum corda conculcet. In qua nimirum ſententia conſtat, quia ſubjectis hoſtibus ſine fine & poſterius regnat.

CAPUT IV.

Matt. 2.5. *At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judæ.*

De loco nativitatis Chriſti. In expoſit. B. Job, lib. 35. num. 26.

ISRAELITÆ prius Chriſtum cognoverunt, quem in paſſione ſua, poſt quaſi incognitum contemſerunt. Nam naſciturum Chriſtum, nullus, qui plene legem didicit, ignoravit. Unde & Herodes rex Magorum occurſione perterritus, Sacerdotes & Principes ſtuduit ſolerter inquirere, ubi Chriſtum naſciturum eſſe præſcirent. Cui protinus reſponderunt: *In Bethlehem Judæ.* Prius ergo noverant, quem paſſionis ſuæ tempore dum deſpicerent, ignorabant.

CAPUT V.

Matt. 4. *Poſtquam Dominus Jeſus in Jordane baptizatus eſt a Johanne, ductus eſt in deſertum a ſpiritu, ut tentaretur a diabolo.*

De tentatione Domini. In expoſit. B. Job, lib. 24. num. 27.

HOſtis noſter adhuc in hac vita nos poſitos, quanto magis nos ſibi rebellare conſpicit, tanto amplius expugnare contendit: eos enim pulſare negligit, quos quieto jure poſſidere ſe ſentit. Contra nos vero eo vehementius incitatur, quo ex corde noſtro, quaſi ex jure propriæ habitationis expellitur. Hoc enim in ſeipſo Dominus ſub quadam diſpenſatione figuravit, qui diabolum nonniſi poſt baptiſma ſe tentare permiſit: ut ſignum nobis quoddam futuræ converſionis innueret, quod ejus membra, poſtquam ad Deum proficerent, tunc acriores tentationum inſidias tolerarent.

CAPUT VI.

Matt.4.3. *Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.*

In expoſit. B. Job, lib. 2. num. 43.

ANtiquus hoſtis Redemtorem humani generis, debellatorem ſuum, in mundum veniſſe cognovit. Unde & per obſeſſum ho- A minem in Evangelio dicit: *Quid nobis & tibi, fili Dei, veniſti huc ante tempus torquere nos?* (Matt. 8. 29.) Qui tamen prius cum hunc paſſibilem cerneret, & poſſe mortalia perpeti humanitatis videret, omne quod de ejus ſuſpicatus eſt divinitate, ei in dubium venit ſuæ faſtu ſuperbiæ. Nil quippe niſi ſuperbum ſapiens, dum hunc eſſe humilem conſpicit, Deum eſſe dubitavit. Unde & ad tentationum argumenta ſe convertit, dicens: *Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.* Quia igitur paſſibilem vidit, non hunc eſſe Deum credens, dubitando tentavit, ſed tentando conſcientiam ejus penetrare, mentemque ejus tentatione turbare non potuit.

CAPUT VII.

Iterum aſſumſit eum diabolus in montem excelſum valde. Matt 4. 8.

De eodem. In expoſit. B. Job, lib. 3. num. 30.

NEquaquam ſicut nos, qui puri homines ſumus, irruente ſæpe tentatione, concutimur, ita Redemtoris noſtri anima tentationis eſt neceſſitate turbata. Hoſtis namque noſter cum Deum incarnatum eſſe dubitaret, & hoc ex petitis miraculis tentando cognoſcere vellet, etſi in excelſum montem cum permiſſus aſſumſit, ſi daturum ſe ei regna mundi perhibuit, ſi quaſi in panem vertendos lapides oſtendit: mentem tamen Mediatoris Dei & hominum tentatione quaſ- C ſare non valuit. Sic enim dignatus eſt hæc exterius cuncta ſuſcipere, ut tamen ejus mens interius divinitati ſuæ inhærens, inconcuſſa permaneret. Qui etſi quando turbatus ſpiritu infremuiſſe dicitur, ipſe tamen divinitus diſponebat, quantum ipſe humanitus turbaretur; immutabiliter omnibus præſidens, & ſemetipſum mutabilem in ſatisfactione infirmitatis oſtendens. Quietus ergo in ſemetipſo manens, diſpoſuit quidquid pro oſtendenda humanitate, quam ſuſceperat, etiam turbulentus fecit. (Johan. 11.)

CAPUT VIII.

Ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. Matt 4. 11.

De duabus in Chriſto naturis. Homil. 8. in Ezech. n. 24.

D POſtquam unigenitus Patris minoratus paulominus ab Angelis, incarnatus apparuit, mox Deus homo per humanitatem poteſtate ſub Angelis fuit, qui & priuſquam per reſurrectionis exaltaretur gloriam, divinitate ſuper Angelos fuit. De ipſo quippe ante paſſionem ſcriptum eſt: *Ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Sed tamen ut humanitatis ejus infirmitas monſtraretur, rurſum de eo ſcriptum eſt: *Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum.* (Luc. 22. 34.) In documento ergo utriuſque naturæ, huic & Angeli miniſtrare, hunc & Angelus confortare deſcribitur. Unus quippe in utraque natura eſt, quoniam qui Deus ante ſecula extitit, homo factus eſt in fine ſeculo- E rum. Cui tamen ante paſſionem ſuam, & Angeli miniſtrant, & hunc Angelus confortat: poſt paſſionem vero & reſurrectionem ejus, huic Angeli miniſtrare poſſunt, ſed jam hunc confortare non poſſunt: quia humanitatem, quam deſcendendo ſub Angelis aſſumſit, aſcendendo ſuper Angelos exaltavit.

CA-

CAPUT IX.

Matt 4. 18. *Ambulans Jesus juxta mare Galileæ, vidit Petrum & Andream mittentes rete in mare, & ait illis: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.*

De vocatione prædicatorum. In exposit. B. Job, lib. 33. num. 34. 1. Cor. 1. 27.

INfirmos prædicatores mundo Dominus exhibuit, & per eos, potentes quosque devicit. Attestante quippe Paulo: *Infirma mundi prius elegit Deus, ut post confunderet fortia*: Elegit quippe stulta mundi, ut confunderet sapientes: prius namque collegit indoctos, & postmodum philosophos: & non per oratores docuit piscatores, sed mira potentia, per piscatores subegit oratores.

CAPUT X.

Matt. 5. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum calorum.*

De sanctificatione paupertatis. In exposit. B. Job, lib. 26. num 49.

SCriptura sacra plerumque pauperes humiles vocare consuevit; unde in Evangelio cum adjectione spiritus nominantur. Quos enim divitiæ visibiliter potentes ostendunt, apud semetipsos pauperes sunt, qui in suis conscientiis elati non sunt.

CAPUT XI.

Matt 5. 5. *Beati qui lugent.*

De fructu compunctionis. Homil. 2. in Evang. n. 8.

REvocemus, fratres, ante oculos peccata quæ fecimus: consideremus quam terribilis judex adveniat hæc puniturus. Mentem formemus ad lamenta, vita nostra ad tempus amarescat in pœnitentia, ne amaritudinem æternam sentiat in vindicta. Per fletus quippe ad æterna gaudia ducimur, Veritate pollicente, quæ ait: *Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur*. Ad fletum vero per gaudia venitur, hoc eadem Veritate attestante, quæ ait: *Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis, & flebitis*. Si ergo retributionis gaudium quærimus in perventione, pœnitentiæ amaritudinem in via teneamus. Luc. 6. 25.

CAPUT XII.

Matt. 5. 13. *Vos estis sal terræ.*

De doctoribus sanctæ Ecclesiæ. Homil. 17. in Evang. n. 16.

COnsiderandum nobis est, fratres carissimi, quod quia una eademque exhortationis voce non sufficit simul cunctos admonere, studeat quisque singulos, in quantum valet, instruere, privatis locutionibus ædificare. Debemus namque pensare quod a Domino sanctis dicitur Apostolis, & per Apostolos nobis: *Vos estis sal terræ*. Si igitur sal sumus, condire mentes fidelium debemus. Vos igitur, qui Pastores estis, pensate quia animalia Dei pascitis; de quibus profecto animalibus Deo per Psalmistam dicitur: *Animalia tua habitabunt in ea*. Et sæpe videmus quod petra salis brutis animalibus anteponitur, ut ex eadem salis petra lambere debeant, & meliorari. Quasi ergo inter bruta animalia petra salis debet esse Sacerdos in populis. Curare namque Sacerdotem necesse est, quæ singulis dicat: unumquemque qualiter admoneat: ut quisquis Sacerdoti jungitur, quasi ex salis tactu, æternæ vitæ sapore condiatur. Sal etenim non sumus, si corda audientium non condimus. Quod condimentum ille Psal. 67. 11.

A proximo veraciter impendit, qui prædicationis verbum non subtrahit. Sed tunc aliis vere recta prædicamus, si dicta rebus & exemplis ostendimus. Ibid. num. 3. interpositum.
Nullum autem puto, fratres carissimi, ab aliis majus præjudicium, quam a Sacerdotibus tolerat Deus: quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus, nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vacamus. Et quia eo ipso quo ceteris prælati sumus, ad agenda quælibet majorem licentiam habemus: susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum. Dei causas relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus B implicamur. Impletum est in nobis quod Jeremias, considerans mortem nostram & deplorans, dicit: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum*. Aurum quippe obscuratum est, quia Sacerdotum vita quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba. Color optimus est mutatus, quia sanctitatis habitus per terrena, & abjecta opera ad ignominiam despectionis venit. Lapides vero sanctuarii intrinsecus habebantur, nec sumebantur in summi Sacerdotis corpore, nisi cum Sancta sanctorum ingrediens in secreto sui Conditoris apparebat. Nos ergo, fratres carissimi, nos sumus lapides sanctuarii, qui apparere semper debe- C mus in secreto Dei, quos numquam necesse est foris conspici, id est numquam in extraneis actibus videri. Sed dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum: quia hi, qui per vitam & orationem intus semper esse debuerant, per vitam reprobam foris vacant. Ecce jam pene nulla est seculi actio, quam non Sacerdotes administrent. Dum ergo in sancto habitu constituti, exteriora sunt quæ exhibent, quasi sanctuarii lapides foris jacent. Quia enim Græca voce *platea*, a latitudine vocatur, sanctuarii lapides in plateis jacent, cum religiosi quique lata mundi itinera sectantur. Nec solum in plateis, sed & in capite platearum dispersi sunt, quia & per desiderium hujus mundi opera peragunt, & tamen de religioso habitu culmen honoris quærunt. In capite D ergo platearum dispersi sunt, quia & jacent per ministerium operis, & honorari volunt de imagine sanctitatis. Impletum est etiam in nobis, quod scriptum est: *Et erit sicut populus, sic Sacerdos*. Sacerdos enim non distat a populo, quando actionem vulgi nullo vitæ suæ transcendit merito, cui & exhortationis sale, & exemplo actionis bonæ, ad vitam æternam doctor & dux debet existere. Quid autem animas hominum, nisi cibum Domini dixerimus, quæ ad hoc sunt conditæ, ut in ejus corpore trajiciantur, id est ut in æternæ augmentum Ecclesiæ tendant. Sed hujus cibi condimentum nos esse debuimus; sicut enim diximus, missis prædicatoribus dicitur: *Vos estis sal terræ*. E Si igitur cibus Dei est populus, condimentum cibi Sacerdotes esse debuerunt. Sed quia dum nos ab orationis & eruditionis sanctæ usu cessamus, sal infatuatum est; condire non valet cibum Dei, & idcirco ab auctore non sumitur: quia exigente fatuitate nostra, minime conditur. Pensemus ergo, qui umquam per linguam nostram conversi, qui de perverso suo opere nostra increpatione correcti, pœnitentiam egerunt: quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit? quis avaritiam? quis superbiam declinavit? Sic quippe debemus age-

Num. 15. Thren. 4. 1. Num. 24. Osee 9. 9.

re curam nostri, ut non negligamus curam proximi, ut quisquis ad nos jungitur, ex linguæ nostræ sale condiatur. Iste itaque qui jam sanctus, admoneatur ut crescat. Ille vero qui adhuc iniquus est, admoneatur ut se corrigat: quatenus quisquis se ad Sacerdotem junxerit, sale sermonis illius conditus redeat.

CAPUT XIII.

Matt 5.16

Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.

De bonorum operum ostensione. In exposit. B. Job, lib. 8. num. 13.

OCCULTANDA sunt bona, quæ agimus, ne hæc in hujus vitæ itinere incaute portantes, latrocinantium spirituum incursione perdamus. Et tamen Veritas dicit: *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Sed aliud est profecto, cum in ostensione operis gloria quæritur largitoris: aliud, cum laus privata concupiscitur de dono largientis; ubi & rursus in Evangelio hæc eadem Veritas dicit: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Opus ergo nostrum cum hominibus ostenditur, in cordis prius examine pensandum est, per ejusdem ostensionis studium quid quæratur. Si enim dantis gloriam quærimus, etiam publicata nostra opera in conspectu illius, occulta servamus. Si vero per hæc nostram laudem concupiscimus, foras ab ejus conspectu jam fusa sunt, etiamsi a multis ignorentur. Sed valde perfectorum est, sic ostenso opere, auctoris gloriam quærere, ut de illata laude, privata nesciant exultatione gaudere. Tunc namque solum innoxie hominibus laudabile opus ostenditur, cum per despectum mentis veraciter laus impensa calcatur: quam quia infirmi quique perfecte contemnendo non superant, restat necesse est ut bonum, quod operantur, abscondant.

Matt. 6.1.

CAPUT XIV.

Matt 5.17.

Nolite putare, quoniam veni solvere legem, sed adimplere.

De distantia duorum Testamentorum. Homil 16. in Ezech. num. 9. Exod. 19. Matth. 5.

TESTAMENTUM vetus operum crimina compescuit, dari decimas præcepit: sed Testamentum novum cogitationes pravas coercuit, derelinqui omnia, & pro Deo vitam corporis jussit cum præsenti seculo despici. Minora quippe præcepta Israelitico populo per Legem data sunt; unde & eidem populo Moyses in campo locutus est. Altiora Dominus sanctis Apostolis dedit; unde & eosdem de vitæ mandatis in monte docuit. Dum vero Redemtor noster per Evangelium dicit: *Nolite putare, quoniam veni solvere Legem, aut Prophetas, non veni solvere, sed adimplere*: adimplere venerat Legem, qui Legis justitiæ gratiam addidit, ut quod illa jubebat in minimis, ipse perfici adjuvaret in summis; & quod illa coercebat ab opere, ipse resecaret a corde.

CAPUT XV.

Matt 5.19.

Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.

De his, qui docent quæ non faciunt.

DE doctoribus male viventibus Dominus dicit: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Mandatum solvit & docet, quando hoc quisque voce prædicat, quod vivendo non implet. Sed ad regnum æternæ beatitudinis pervenire non valet, qui non vult opere implere quod docet. Quomodo ergo in eo minimus vocatur, quia ad hoc nullomodo intrare permittitur? Regnum itaque cælorum præsentem Ecclesiam appellat, de qua scriptum est: *Et colligent de regno ejus omnia scandala.* In superno enim regno scandala, quæ ex eo colligi debuerant, non habentur. Qui ergo mandatum solvit opere, & sic docet voce, in illo regno cælorum erit minimus: in isto nec minimus: in sancta vero Ecclesia doctor, qui mandatum solverit, minimus vocatur: quia cujus vita despicitur, restat ut & prædicatio contemnatur.

In exposit. B. Job, lib 19. num. 13. Homil. 12. in Evang. sub init.

Matt. 13.41.

CAPUT XVI.

Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Matt. 5.22.

De subtili judicio Dei. In exposit. B. Job, lib. 21. num. 9.

SIC Dominus uniuscujusque actiones judicabit, ut ne minutissimæ quidem cogitationes ejus judicio, ac verba tenuissima, quæ apud nos usu viluerunt, indiscussa remaneant. Hinc etenim Dominus dicit: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui dixerit fratri suo, racha, reus erit concilio: qui dixerit, fatue; reus erit gehennæ ignis.* Racha quippe in Hebræo eloquio, vox interjectionis est, quæ quidem animum irascentis ostendit, nec tamen plenum verbum iracundiæ exprimit. Prius ergo ira reprehenditur sine voce, postmodum vero ira cum voce, sed necdum pleno verbo formata. Ad extremum vero cum dicitur, *fatue*, ira redarguitur quæ cum excessu vocis expletur, etiam perfectione sermonis. Et notandum quod in ira perhibet reum esse judicio: in voce iræ, quod est *racha*, reum concilio: in verbo vocis, quod est *fatue*, reum gehennæ. Per gradus enim culpæ, crevit ordo sententiæ: quia in judicio adhuc causa discutitur, in concilio autem jam causæ sententia definitur, in gehenna vero ignis ea quæ de concilio egreditur, sententia expletur. Quia ergo humanos actus subtili Dominus examinatione dijudicat: ira sine voce, judicio; ira in voce, concilio: ira vero in voce & sermone, gehennæ ignibus mancipatur.

CAPUT XVII.

Item unde supra.

In exposit. B. Job, lib. 5. num. 17.

SCIENDUM est autem, quoniam sæpe qui sunt in potestate, ad subjectorum contumelias passim erumpunt: & hoc quod invigilantes regimini serviunt, per linguæ procacitatem perdunt: minori scilicet formidine judicis verba pensantes, quia qui sine causa fratri, *Fatue*, dixerit, gehennæ se ignibus addicit.

CAPUT XVIII.

Si offers munus tuum ad altare, &c. Matt. 5.23.

De aliorum in nos relaxandis delictis. Dialog. lib 4. c. 60. in pr.

SCIENDUM est, quia ille recte veniam a Domino postulat, qui prius hoc, quod in ipsum delinquitur, relaxat. Munus enim non accipitur, nisi ante discordia ab animo repellatur, dicente Veritate: *Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris quod habet aliquid adversum te frater tuus,*

tuus, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum. Qua in re pensandum est, cum omnis culpa munere solvatur, quam gravis sit culpa discordiæ, pro qua nec munus accipitur. Debemus itaque ad proximum, quamvis longe positum, longeque disjunctum, mente ire, eique animum subdere, humilitate illum ac benevolentia placare: ut scilicet Conditor noster, dum tale placitum nostræ mentis aspexerit, a peccato nos solvat, qui munus pro culpa sumit. Veritatis enim voce attestante didicimus:

Matt. 18.

quia servus, qui decem millia talenta debebat, cum pœnitentiam ageret, absolutionem de debito accepit a domino: sed conservo suo centum sibi denarios debenti, cum non dimisit debitum, & hoc est jussus exigi, quod ei fuerat jam dimissum. Ex quibus videlicet dictis constat, quia si hoc, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, etiam rursus exigitur, quod nobis jam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus.

CAPUT XIX.

Matt. 5. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo.*

De fornicationis, & adulterii distinctione. In expositione B. Job lib. 21. num. 28.

ALIQUANDO a reatu adulterii nequaquam discrepat culpa fornicationis, cum Veritas dicat: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo.* Quia Græco C verbo, *mæchus*, adulter dicitur, cum non aliena conjux, sed mulier videri prohibetur, aperte Veritas ostendit quia etiam solo visu cum turpiter vel innupta concupiscitur, adulterium perpetratur. Quod tamen plerumque ex loco, vel ordine concupiscentis discernitur, quia scilicet sic hunc in sacro ordine studiosa concupiscentia, sicut illum adulterii inquinat culpa. In personis tamen non dissimilibus, idem luxuriæ distinguitur reatus, in quibus fornicationis culpa quia ab adulterii reatu discernitur, prædicatoris egregii lingua testatur, quæ inter cetera

1. Cor. 6. 9.

asserit, dicens: *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Quod enim disjunctæ reatu sententiæ subdidit, D quam valde a se dissideat, ostendit.

CAPUT XX.

Matt. 5. 29. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te.*

De vita activa, & contemplativa. In expos. B. Job lib. 6. num. 37.

NONNULLI hominum ita otiosæ mentis sunt, ut si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant: & nonnulli ita inquieti sunt, ut si vacationem laboris habuerint, gravius laborent: quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentius ad cogitationes vacat. Unde necesse est ut nec quieta mens ad exercitationem se immoderati laboris dilatet, nec inquieta ad studium contemplationis angustet. Sæpe enim, qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt; & sæpe, qui occupati bene humanis usibus viverent, gladio suæ quietis extincti sunt. Hinc namque est, quod nonnulli inquieti spiritus, dum plus exquirunt contemplando quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt, & dum veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri erroris fiunt. Hinc per semeA tipsam Veritas dicit: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Bonum tibi est cum uno in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Duæ quippe vitæ, activa videlicet & contemplativa, cum servantur in mente, quasi duo oculi habentur in facie. Dexter enim oculus contemplativa vita est, sinister activa. Sed sunt nonnulli, ut diximus, qui discrete intueri summa & spiritualia nequaquam possunt, & tamen alta contemplationis assumunt, atque idcirco in perfidiæ foveam intellectus pravi errore dilabuntur. Hos itaque contemplativa vita ultra vires assumta, cogit a veritate cadere, quos in statu suæ rectitudinis humiliter poterat activa sola custodiB re: quibus recte hoc, quod præfati sumus, Veritas dicit: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Ac si aperte diceret: Cum ad contemplativam vitam idonea discretione non sufficis, solam securius activam tene. Cum & in hoc quod pro magno eligis, deficis, eo contentus esto quod pro minimo attendis; ut, si per contemplativam vitam a veritatis cognitione compelleris cadere, regnum cælorum per solam activam valeas saltem luscus intrare.

CAPUT XXI.

Si quis vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Matth. 5. 40.

De damnis temporalibus. In expos. B. Job. lib. 31. num. 25.

DIVINA voce præcipitur: *Si quis tulerit tibi tunicam, & voluerit tecum in judicio contendere, dimitte illi & pallium.* Et rursum: *Si quis quod tuum est tulerit, ne repetas.* Hypocritæ tamen prælati assumto sancto conversationis habitu, filiorum custodiam deserunt, & temporalia quoque defendere etiam jurgiis quærunt. Exemplo suo discipulorum corda perdere non trepidant, & quasi per negligentiam amittere patrimonia terrena formidant; animarum damna æquanimiter tolerant, jacturam rerum temporalium repellere etiam cum spiritus commotione festinant. Nam quanto magis terrena diligunt, tanto privari eis vehementius pertimescunt. Quia enim mente in hoc mundo aliquid possidemus, non docemur nisi cum amittimus: sine dolore namque amittitur, quod sine amore possidetur. Quæ vero ardenter diligimus habita, graviter suspiramus ablata. Quis autem nesciat quia nostris usibus res terrenas Dominus condidit, suis vero animas hominum creavit? Plus ergo Deo se amare convincitur, qui neglectis his, quæ ejus sunt, propria tuetur. Perdere namque hypocritæ ea, quæ Dei sunt, id est animas hominum, non timent, & ea, quæ sua sunt, amittere, videlicet res cum mundo transeuntes, quasi districto judici posituri rationes timent; ac si placatum inveniant, cui, desideratis rebus, id est rationalibus perditis, insensibilia & non quæsita conservant.

E

CAPUT XXII.

Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Matth. 6. 1.

De contemtu laudis humanæ. Reg. Pastor. part. 3. c. 31.

QUISQUIS laudis concupiscentiam jam sufficit calcare, ædificationis fraudem perpetrat, si bona quæ agit occultat: & quasi jactato semine ra-

radices subtrahit, qui opus, quod imitandum A est, non ostendit. Hine namque Veritas dicit: *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* (Matt. 5. 16.) Ubi illa quoque sententia promitur, quæ longe aliud præcepisse videtur, dicens: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Quid est ergo quod opus nostrum ita faciendum est, ne videatur; & tamen ut debeat videri, præcipitur: nisi quod ea, quæ agimus, & occultanda sunt, ne ipsi laudemur: & tamen ostendenda sunt, ut laudem cælestis Patris augeamus? Nam cum justitiam nostram coram hominibus facere Dominus prohiberet, illico adjunxit: *Ut videamini ab eis.* Et cum rursus videnda ab hominibus bona opera nostra præciperet, protinus subdidit: *Ut* B *glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Qualiter igitur essent videnda, & qualiter non videnda, ex sententiarum fine monstravit; quatenus operantis mens opus suum, & propter se videri non quæreret, & tamen hoc propter cælestis Patris gloriam non celaret. Unde fit plerumque ut bonum opus & in occulto sit, cum fit publice: & rursus in publico, cum agitur occulte. Qui enim in publico bono opere non suam, sed superni Patris gloriam quærit, quod fecit abscondit; quia illum solum testem habuit, cui placere curavit: & qui in secreto suo bono opere deprehendi ac laudari concupiscit, licet nullus fortasse viderit quod exhibuit, tamen hoc coram hominibus fecit: quia tot te- C stes in bono opere secum duxit, quot humanas laudes in corde requisivit.

CAPUT XXIII.

Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua. (Matt. 6. 3.)

Reg. Pastor. part. 3. c. 20. Ibid. cap. 35.

DE expenso munere ne transitoria laus ab aliquo quæratur, & a Domino præcipitur: *Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Id est, dispensationi piæ nequaquam se gloria vitæ præsentis admisceat, sed opus rectitudinis appetitionem ignoret favoris. Valde namque bonum suum dijudicat, qui ad ejus mercedem sufficere favores D humanos putat. Cum enim pro recto opere laus transitoria quæritur, æterna retributione res digna, vili pretio venumdatur: de quo videlicet pretio Veritas dicit: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*:

CAPUT XXIV.

Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. (Matt. 6. 2.)

De mercede hypocritarum. In exposit. B. Job, lib. 8. num. 69.

IN cunctis operibus suis hypocrita quærit honoris reverentiam, laudis gloriam, a melioribus metui, sanctus ab omnibus vocari. Sed cum transitoriis favoribus inhiat, perdit percipiendo quod laborat, veritate attestante, quæ ait: *Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.* Sed hæc merces teneri diu non potest, quia pro ostensis operibus honor tribuitur, sed vita ad terminum urgetur: laudes resonant, sed ad finem cum laudibus tempora festinant. Nequaquam quippe mentis ejus intentio in illa gloria figitur, quæ sine fine possidetur.

CAPUT XXV.

Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum. (Matth. 6. 6.)

De oratione. In exposit. B. Job. lib. 22. num. 43. 1. Reg. 1.

INTUS in desiderio cordis est secretus clamor orationis, qui ad humanas aures non pervenit, & tamen auditum replet Conditoris. Hinc est quod Anna ad templum pergens, ore quidem tacuit, & tamen tot sui desiderii voces emisit. Hinc in Evangelio Dominus dicit: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum: & clauso ostio, ora Patrem tuum: & Pater tuus, qui videt te in abscondito, reddet tibi.* Clauso quippe ostio, petit in cubiculo, qui tacente ore in conspectum su- B pernæ pietatis fundit affectum mentis. Et vox auditur in abscondito, cum per sancta desideria silenter clamatur. Unde recte per Psalmistam quoque dicitur: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua.* (Psal. 9. 17.)

CAPUT XXVI.

Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & oderis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. (Matt. 5. 43.)

In exposit. B. Job. lib. 18. num. 7.

IN novo Testamento nonnulla facta prohi- C bentur, & magnæ culpæ esse deputantur, quæ sub veteri Testamento quondam tenere veritatis imaginem videbantur, & minoris culpæ forsitan esse poterant, atque putabantur: in quo Testamento per taurorum hircorumque victimas sacrificium non fuit ipsa veritas, sed umbra veritatis. Nam in Testamento novo, præceptis altioribus, manifestata per carnem veritate proficimus: justumque est ut facta quædam, quæ in illo populo umbræ veritatis deservierant, deseramus. Si quis vero per Testamentum vetus aliquam culpam, sicut est mendacium, vult tueri; quia minus illic quibusdam fortasse nocuerit, dicat necesse est rerum alienarum raptum, dicat retributionem injuriæ, quæ infirmis illic concesD sa sunt, nocere sibi non posse. Quæ omnia cunctis liquet, quanta animadversione veritas insequitur, quæ nobis jam suæ significationis umbra postposita, in vera carne declaratur,

CAPUT XXVII.

Item unde supra.

Homil. 38. in Evang. n. 4.

PATRES quippe Testamenti veteris ex permissione Legis acceperant, quatenus adversarios suos odii retributione percuterent, sicut in Lege scriptum est: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* (Levit. 19. 18.) Accepta quippe tunc justis licentia fuerat, ut Dei suosque adversarios quanta possent virtute comprimerent, eosque jure gladii feri- E rent. Quod in novo proculdubio Testamento compescitur, cum per semetipsam prædicat Veritas, dicens: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos*; & ad patienter toleranda, quæ ab eis inferuntur mala, discipulos suos alibi cohortatur, dicens: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* (Ibid. hom. 35. num. 4. Luc. 21. 19.) Idcirco possessio animæ in virtute ponitur patientiæ, quia radix omnium, custosque virtutum, patientia est. Per patientiam vero possidemus animas nostras: quia dum nobis ipsis dominari discimus, hoc ipsum in-

incipimus possidere quod sumus. Patientia vero est aliena mala æquanimiter perpeti, contra eum quoque, qui mala irrogat, nullo dolore morderi. Nam qui sic mala proximi portat, ut tamen tacitus doleat, & tempus dignæ retributionis quærat, patientiam non exhibet, sed ostendit: (1. Cor. 13. 4.) scriptum quippe est: *Caritas patiens est, benigna est.* Patiens namque est, ut aliena mala toleret: benigna vero est, ut ipsos etiam, quos portat, amet. Hinc namque per semetipsam Veritas dicit: *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui vos oderunt: orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Virtus itaque est coram hominibus adversarios tolerare, sed virtus coram Deo diligere: quoniam Deus hoc solum sacrificium accipit, quod ante ejus oculos in altari boni operis flamma caritatis incendit. (Num. 9.) Sciendum vero, quod plerumque patientes esse videmur, quia retribuere mala non possumus. Sed qui malum idcirco non retribuit, quia nequaquam valet, proculdubio patiens non est: quoniam patientia non in ostensione inquiritur, sed in corde. (Ibidem.) Sciendum præterea est quod plerumque patientibus solet evenire, ut eo quidem tempore, quo adversa patiuntur, vel contumelias audiunt, nullo pulsentur vel dolore, & sic patientiam exhibeant, ut custodire etiam cordis curent innocentiam. Sed cum post paulutum hæc ipsa, quæ pertulerint, ad memoriam revocantur, igne vehementissimi doloris instigantur, argumenta ultionis exquirunt, & mansuetudinem, quam tolerantes habuerunt, in retractatione sua semetipsos dijudicantes perdunt. (Num. 7.) Callidus namque adversarius quietis jam tempore ad victoris animum redit, & vel damna rerum, vel injuriarum jacula ad memoriam reducit: cunctaque quæ sibi sunt illata, vehementer exaggerans, intolerabilia fuisse ostendit. Quiescentis igitur animum tanto furore conturbat, ut plerumque vir patiens illa se æquanimiter tolerasse, etiam post victoriam, captivus erubescat, seque non reddidisse contumelias doleat, & deteriora rependere, si præbeatur occasio, quærat. Quibus ergo isti sunt similes, nisi his, qui per fortitudinem in campo sunt victores, sed per negligentiam postmodum intra urbis claustra capiuntur? Quibus isti sunt similes, nisi his, quos irruens gravis languor, a vita non subtrahit, sed leviter veniens recidiva febris occidit? Ille ergo veraciter patientiam servat, qui & ad tempus aliena mala sine dolore tolerat, & hæc eadem retractans, pertulisse talia se exultat, ne patientiæ bonum, quod in perturbationibus custoditur, quietis tempore pereat.

CAPUT XXVIII.

(Matth. 5. 44.) *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.*

(In exposit. B. Job, lib. 14. num. 38. similia habentur lib. 4. Dial. cap. 44.) LIBENTIUS sacrificium orationis accipitur, cum in conspectu misericordis judicis proximi dilectione conditur. Quod tunc veraciter quisque cumulat, si hoc etiam pro adversariis impendat. Hinc est quod magistra Veritas dicit: *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Hinc rursum ait: *Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester, qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra.* Plus itaque pro se valere preces suas efficit, qui & has aliis impendit. Orant igitur Sancti pro inimicis suis eo tempore, quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda convertere, & ipsa conversione salvare. Quid enim aliquid pro inimicis orandum est nisi hoc, quod ait Apostolus: *Ut det illis Dominus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem?* (2. Tim. 2. 25. 26.) Sed facto judicio, cum eos in inferno ardere viderint, tunc pro eis non orabunt: quia jam nullatenus ad opera justitiæ ab iniquitate commutari poterunt. Eadem itaque causa est cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne damnatis; quæ nunc etiam causa est ut non oretur pro diabolo, Angelisque ejus eterno supplicio deputatis: vel quæ nunc etiam causa est ut non orent sancti homines pro hominibus infidelibus, impiisque defunctis, scilicet quia de eis utique, quos æterno deputatos supplicio jam noverunt, ante illum justi judicis conspectum, orationis suæ meritum cassari refugiunt. Quod si nunc quoque viventes justi mortuis & damnatis injustis minime compatiuntur, quando ad hoc aliquid judicabile de sua carne sese perpeti etiam ipsi noverunt; quanto districtius tunc injquorum tormenta respiciunt, quando ab omni vitio corruptionis exuti, ipsi jam justitiæ intimius & arctius inhærebunt? Sic quippe mentes eorum per hoc quod justissimo judici inhærent, vis districtionis absorbet, ut omnino eis non libeat quidquid ab illius internæ regulæ subtilitate discordat.

CAPUT XXIX.

Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. (Matt. 6. 61.)

HYPOCRITÆ mira abstinentia plerumque se affligunt, (De abstinentia hypocritarum. Homil. 3. in Evang. n. 1.) jejuniis eorum ora pallescunt, corpus debilitate quatitur, pectus interrumpentibus suspiriis urgetur, sicque morti per abstinentiam appropiant, ut pene quotidie morientes vivant. Sed ad hæc humanos oculos quærunt, admirationis gloriam expetunt. Abstinentiam namque carnis e vicino nonumquam vana gloria obsidet & comitatur; quia dum tenuitas in corpore, dum pallor in vultu respicitur, virtus patefacta laudatur, & tanto celerius se foris fundit, quanto ad humanos oculos per ostensum pallorem exiit. Et plerumque fit ut hoc, quod agi causa Dei creditur, pro solis humanis favoribus agatur. Quod bene Simon ille significat, (Matt. 27.) qui inventus in itinere, crucem dominicam in angaria portat; aliena quippe onera in angaria portantur, quando per vanitatis studium aliquid geritur. Qui ergo per Simonem designatur, nisi abstinentes & arrogantes, qui per abstinentiam quidem carnem afficiunt, sed abstinentiæ fructum interius non requirunt? Crucem ergo Domini in angaria Simon portat, qui cum ad opus bonum ex bona voluntate non ducitur, rem justi sine fructu peccator operatur. Unde & idem Simon crucem portat, sed non moritur, quoniam abstinentes & arrogantes per abstinentiam quidem corpus afficiunt, sed per desiderium vanæ gloriæ mundo vivunt: ab ore proximorum admirationis sermo quæritur, quia tanto labore, nihil aliud, nisi æstimatio humana cogitatur.

CA-

CAPUT XXX.

Matt. 7. 15. *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

De asperis Rectoribus. Homil. 17. in Evang. n. 4. MULTI cum regiminis curam suscipiunt, ad lacerandos subditos inardescunt, terrorem potestatis exhibent; & quibus prodesse debuerant, nocent: & quia caritatis viscera non habent, domini videri appetunt, patres se esse minime recognoscunt, humilitatis locum in elationem dominationis immutant: & si quando extrinsecus blandiuntur, intrinsecus sæviunt: de quibus Veritas dicit: *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Qui vero locum regiminis suscipit, mala inferre non debet, sed tolerare: ut ex ipsa sua mansuetudine iram sævientium mitiget, & peccatorum vulnera in aliis ipse afflictionibus vulneratus sanet. Quem & si quando zelus rectitudinis exigit, ut erga subjectos sæviat, furor ipse de amore fit, non de crudelitate, quatenus & jura disciplinæ foris exhibeat, & intus paterna caritate diligat, quos foris quasi insequendo castigat.

CAPUT XXXI.

Matt. 7. 20. *A fructibus eorum cognoscetis eos.*

De discretione bonorum. In exposit. B. Job, lib. 31. num. 13. CUM unum, eumdemque bonorum & malorum habitum cernimus, cum ipsam in electis & reprobis speciem professionis videmus, unde nostræ intelligentiæ suppetat ut electos a reprobis, vero a falsis comprehendendo discernat? Quod tamen citius agnoscimus, si intemerata in memoria præceptoris nostri verba pensamus, qui ait: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Neque enim sunt pensanda, quæ ostendunt in imagine, sed quæ servant in actione.

CAPUT XXXII.

Matt. 7. 21. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.*

De falsis Christianis. In exposit. B. Job, lib. 31. num. 22. ANTIQUUS hostis post Mediatoris & nostri Redemtoris adventum, multos qui baptismatis sacramento sunt signati, & sub Christianitatis nomine positi, quia recte vivere negligunt, post cognitionem Redemtoris suscipit, post lavacri undam polluit, post sacramenta cælestia ad inferni profundum rapit. Fidem enim tenent, sed vitam fidei non tenent: quia aut aperte illicita faciunt, aut ex perverso corde, quæ agunt, prava sunt, etiamsi sancta videantur. Quia enim nonnulli confitendo fideles sunt, non vivendo; hinc est quod voce Veritatis dicitur: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Hinc rursum
Luc. 6. 46. ait: *Quid autem vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Hinc Paulus ait: *Confitentur*
Tit. 1. 16. *se nosse Deum, factis autem negant.* Hinc Johan-
1. Johan. 2. 4. nes dicit: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est.* Hinc est quod de ipsa prima sua Dominus plebe conqueritur, di-
Marc. 7. 6. cens: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Hinc Psalmista ait: *Dilexe-*
Psal. 77. 36. *runt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei.* Antiquus itaque adversarius toto nunc adnisu in illorum mortem se erigit, quos contra se regnaturos tabescit: & quisque Christianus ejus servituti toties se subjicit, quoties ad iniquitatem decurrit & defluit. Si igitur ambulandi cautela negligitur, incassum credendo rectum iter tenetur: quoniam via quidem fidei ad cælestem patriam proficit, sed offendentes, & recte vivere negligentes minime perducit.

CAPUT XXXIII.

Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Matt. 6. 10.

ALIQUANDO per cælos hi qui in cælestibus sunt conditi, angelici spiritus possunt designari. Unde & in Oratione nostra dicere voce Veritatis instruimur: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Ut nimirum voluntas Dei sicut a superiore creatura agitur, ita in omnibus etiam ab humana infirmitate versetur. De oratione dominica. In exposit. B. Job, lib. 27. num. 65.

CAPUT XXXIV.

Item unde supra.

POSSUNT etiam in hac oratione per cælum justi, & per terram peccatores accipi, ut videlicet voluntas nostri Conditoris, sicut in omnibus justis perficitur, ita & in omnibus quoque peccatoribus impleatur. In exposit. B. Job. lib. 15. num. 37.

CAPUT XXXV.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Matth. 6. 11.

ECCE panem nostrum dicimus, & tamen ut detur oramus. Noster quippe fit cum accipitur; qui tamen Dei est, quia ab illo datur. Et Dei est ergo ex munere, & noster fit veraciter per acceptionem. In exposit. B. Job. lib. 24. num. 13.

CAPUT XXXVI.

Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Matt. 6. 12.

INIMICUS noster in nos deliquit graviter, damna intulit, juvantes læsit, amantes persecutus est. Retinenda hæc essent, si remittenda nobis delicta non essent. Advocatus enim noster precem nobis in causa nostra composuit, & ipse ejusdem causæ judex est, qui advocatus. Preci vero quam composuit, conditionem inseruit, dicens: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quia ergo ipse judex venit, qui advocatus extitit, ipse precem exaudit, qui fecit. Aut igitur non facientes dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimmittimus debitoribus nostris:* & nosmetipsos hoc dicendo amplius ligamus, aut fortasse hanc conditionem in oratione intermittimus, & advocatus noster precem, quam composuit, non recognoscit, atque apud se protinus dicit: Scio quid monui, non est ipsa oratio, quam feci. Quid ergo nobis agendum est, nisi ut veræ caritatis affectum impendamus fratribus, nulla in corde malitia remaneat? Mementote quod monemur: *Dimittite, & dimittetur vobis.* Ecce & debetur nobis, & debemus. Dimittamus ergo quod debetur nobis, ut dimittatur quod debetur a nobis. Hom. 27. in Evang. n. 9. Luc. 6. 37.

CA-

CAPUT XXXVII.

Matth. 6. 13.

Ne nos inducas in tentationem.

In expos. B. Job. lib. 13. 6

DEUS in tentationem inducere nos dicitur, cum nos ab adversario induci patitur. Unde Patrem postulamus in oratione dicentes: *Ne nos inducas in tentationem*. Neque enim in tentationem Dominus inducit, qui semper a tentatione subditos misericorditer protegit. Sed tamen in tentationem quasi ejus inducere est, a tentationis nos illecebra non munire. Et tunc nos in tentationis laqueum non inducit, cum tentari ultra quam nos possumus non permittit.

CAPUT XXXVIII.

Matt. 6. 14.

Si enim remiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non remiseritis hominibus, nec Pater vester remittet peccata vestra.

De remissione peccatorum. In expos. B. Job lib. 10. num. 30.

GRAVI mens nostra orationis suæ tempore confusione deprimitur, si hanc aut sua adhuc operatio inquinat, aut alienæ malitiæ servatus in corde dolor accusat. Quid autem hac doloris macula reperiri deterius potest, quæ in conspectu judicis caritatem non inquinat, sed necat? Vitam quippe animæ qualibet culpa polluit, servatus vero contra proximum dolor occidit. Menti namque ut gladius figitur, & mucrone illius ipsa viscerum occulta perforantur. Qui scilicet a transfixo corde, si prius non educitur, nihil in orationis precibus divinæ opis obtinetur, quia vulneratis membris imponi salutis medicamina nequeunt, nisi ferrum a vulnere ante subtrahat. Hinc est enim quod per semetipsam Veritas dicit: *Nisi remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester qui in cælis est, remittet vobis peccata vestra*. Hinc admonet, dicens: *Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra*. Hinc rursum ait: *Date, & dabitur vobis: dimittite, & dimittetur vobis*. Hinc constitutioni postulationis conditionem posuit pietatis, dicens: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Ut profecto bonum quod a Deo compuncti petimus, hoc primum cum proximo conversi faciamus. Tunc ergo vere sine macula & confusione faciem ad Deum in oratione levamus, cum nec nos prohibita mala committimus, nec ea quæ in nos commissa sunt, ex proprio zelo retinemus.

Ibidem. — Marc. 11. 25. — Luc. 6. 38.

CAPUT XXXIX.

Matt. 6. 33.

Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.

Quæ in oratione postulanda. In expos. B. Job. lib. 11. num. 13.

CUM Deus in oratione non quæritur, citius animus in oratione lassatur: quia cum illa quisque postulat, quæ fortasse juxta occultum judicium Deus tribuere recusat, ipse quoque venit in fastidium, qui non vult dare quod amatur: sed se magis Dominus, quam ea quæ condidit, vult amari: æterna potius, quam terrena postulari, sicut scriptum est: *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis*. Qui enim non ait, dabuntur, sed adjicientur vobis, profecto indicat aliud esse, quod principaliter datur, aliud quod superadditur. Quia enim nobis in intentione æternitas, in usu vero temporalitas esse debet, & illud datur, & hoc nimirum ex abundanti superadditur. Et tamen sæpe homines dum bona temporalia postulant, æterna vero præmia non requirunt, petunt quod adjicitur, & illud non desiderant ubi adjiciatur, nec lucrum suæ petitionis esse deputant. si hinc sint temporaliter pauperes, & illic f. beatitudine divites in æternum vivant.

CAPUT XL.

Matt. 7. 22.

Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus.

De facientibus miracula. Homil. 7 in Ezech. n. ult. In expos. B. Job, lib. 8. num. 66. Joban. 13. 35.

PLERUMQUE sanctos viros aspicimus mira agere, virtutes multas facere, leprosos mundare, dæmonia ejicere, ægritudines corporum fugare, prophetiæ spiritu ventura prædicere: sed hæc aliquando dantur & reprobis. Unum vero signum est electionis, soliditas caritatis, sicut scriptum est: *in hoc scietur, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem*. Hæc autem miracula cum electi faciunt, longe dissimiliter a reprobis fiunt. Quia quod electi ex caritate, hoc reprobi student per elationem agere; & per dona, quæ a Domino perceperunt, non ejus gloriam, sed proprios favores quærunt, talesque se esse credunt, quales se prædicari foris audiunt. Unde fit plerumque ut ad supernum quoque judicem cum fiducia veniant, quia tales se apud æternum judicem credunt, quales ab hominibus foris habebantur. Sed cum in terrore districti examinis omnis anteacta fiducia sanctitatis ceciderit, & cum alieni oris testimonia sibi deesse cognoverint, ad sua se opera enumeranda convertent in judicio, dicentes: *Domine. Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Sed pro his operibus nequaquam præmium recipiunt retributionis, quia eis reprobatis in judicio protinus judex dicit: *Nunquam novi vos. Discedite a me, qui operamini iniquitatem*. Inde ergo eos tunc eo districtior sententia percutit, quo nunc superna bonitas etiam ingratis sua dona largius infundit, fitque eis amplitudo muneris incrementum damnationis: quia per accepta bona in sua laude se nunc elevantes, inde contra dantem superbiunt, unde ei jam amplius humiles esse debuerunt.

CAPUT XLI.

Matt. 7. ibid.

Nescio vos unde sitis: discedite a me omnes operarii iniquitatis.

De his qui reprobandi sunt. In expos. B. Job, lib. 29. num. 59.

OMNES arrogantes, qui vel signis, vel scientia, vel prophetia, vel aliquibus magnis operibus pollent, atque per hæc dona placere hominibus appetunt, & in virtutibus, quas accipiunt, laudes ab omnibus quærunt, nunc intra sanctæ sinum Ecclesiæ Dominus tolerat & perfert, sed in futurum aperte ejicit, cum a secretis cælestibus per extremum & publicum judicicium repellet. Ipsi tamen reprobandi venienti judici dona sua ad ejusdem memoriam revocabant, & quæ in ejus fecerint no-

Matt. 7 nomine replicabunt, cum dicent: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Sed quomodo tales Dominus projiciens repellat, ostendit, dicens eis quos reprobat: *Nescio vos unde sitis: discedite a me omnes operarii iniquitatis.* Scire Dei approbare est, nescire vero reprobare. Ac si aperte Dominus dicat: Ego arrogantes nescio, id est eorum vitam in sapientiæ meæ virtute non approbo: quia dum laudibus inflantur humanis, a vera inanescunt gloria æternæ retributionis.

Ibid. lib. 23. num. 7.

CAPUT XLII.

Item unde supra.

In exposit. B. Job. lib. 11. num. 18.

QUIA enim scire Dei aliquando dicitur cognoscere, aliquando approbare: & scit iniquum, quia cognoscendo judicat: neque enim iniquum quempiam judicaret, si nequaquam cognosceret; & tamen iniquum nescit: quoniam ejus facta non approbat. Et novit ergo, quia deprehendit, & non novit, quoniam hunc in suæ sapientiæ specie non recognoscit; sicut de veraci quolibet viro dicitur, quia falsitatem nesciat; non quia, cum ab aliis falsum dicitur, hoc reprehendere ignorat; sed eamdem ipsam fallaciam & scit in examine, & nescit in amore, ut videlicet hanc ipse non agat, quam actam ab aliis damnat.

CAPUT XLIII.

Matt. 8. 6. 7. *Domine, puer meus jacet paralyticus in domo & male torquetur. Cui Jesus protinus respondit, dicens: Ego veniam, & curabo eum.*

De acceptione personarum. Hom. 8. in in Evang. n. 2.

SOLERTER hic nobis est intuendum, quod cum quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum, rogaret Dominum ut descenderet & sanaret eum, respondit ei, dicens: *Vade, filius tuus vivit.* Quid est ergo, quod regulus rogat, ut ad filium ejus veniat, & tamen ire corporaliter recusat: ad servum vero Centurionis non invitatur, & tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præsentiam non dignatur adesse, Centurionis servo non dedignatur occurrere. Quid est hoc, nisi quod superbia nostra retundatur? quia in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores & divitias veneramur: cumque pensamus, quæ circa eos sunt, interiora profecto minime prævidemus. Dum ea consideramus quæ in corporalibus despecta sunt, negligimus pensare quod sunt. Redemtor vero noster, ut ostenderet, quia quæ alta sunt hominum, Sanctis despicienda sunt, & quæ despecta sunt hominum, Deo despecta non sunt, ad reguli filium ire noluit, ad servum vero Centurionis ire paratus fuit. Increpata est ergo nostra superbia, quæ nescit pensare homines propter homines. Sola, ut diximus, quæ circumstant hominibus, pensat, naturam non aspicit, honorem Dei in hominibus non agnoscit. Ecce non vult ire filius Dei ad filium reguli, & tamen ire paratus est ad salutem servi. Certe si nos cujuspiam servus rogaret ut ad eum ire deberemus; protinus nobis superbia nostra in cogitatione tacita responderet, dicens: Non eas, quia temetipsum degeneras, honor tuus despicitur, locus vilescit. Ecce de cælo venit, qui servo occurrere in terra non despicit, & tamen humiliari in terra contemnimus, qui de terra sumus.

CAPUT XLIV.

Cæci illuminati diffamaverunt Jesum. Matth. 9. 31.

De occultatione boni operis. Mixtim ex Moral lib. 19 n. 36. & Dial. lib. 1. cap. 9.

SANCTORUM virorum est bona quæ fecerint, occultare, ne contingat eos lapsum elationis incurrere. Hinc est quod Dominus Jesus duos juxta viam cæcos sedentes illuminans, præcepit dicens: *Videte ne quis sciat.* De quibus illico scriptum est: *Illi autem abeuntes, diffamaverunt eum per totam terram illam.* Sed quærendum nobis est, quid sit hoc quod ipse Dominus, cui hoc est velle quod posse, taceri virtutes suas voluit, & tamen ab his, qui illuminati sunt, quasi invitus indicatur. Numquidnam unigenitus Filius Patris, & sancto coæternus Spiritui, hac in re velle habuit quod implere non potuit, ut miraculum, quod taceri voluit, minime potuerit abscondi? sed Redemtor noster per mortale corpus omne quod egit, nobis hoc in exemplo actionis præbuit, ut pro nostrarum virium modulo, ejus vestigia sequentes inoffenso pede operis, præsenti vitæ carpamus viam. Miraculum namque faciens, & taceri jussit, & tamen taceri non potuit; ut videlicet electi ejus, exempla doctrinæ illius sequentes, in magnis quæ faciunt, latere quidem in voluntate habeant, sed ut prosint aliis, prodantur inviti: quatenus & magnæ humilitatis sit quod sua opera taceri appetunt, & magnæ utilitatis sit quod eorum opera taceri non possunt. Non ergo Dominus voluit fieri quidquam, & minime potuit: sed quid vel membra ejus debeant, quidve de eis etiam nolentibus fiat, doctrinæ magisterio exemplum dedit. Illius igitur exemplum sequentes, & facta quidem sua occultando, seipsos custodiant: sed dum produntur inviti, bona ad proximos suos exempla transmittant. Occultentur ergo studio, necessitate publicentur, & eorum occultatio sit custodia propria, eorumque publicatio sit utilitas aliena.

CAPUT XLV.

Estote prudentes sicut serpentes. Matt. 10. 16.

De prudenti simplicitate. Mixtim in exposit. B. Job lib. 1. n. 2 & hom. 30. super Evang. n. 5. ac Regul. Pastor. part. 3 c. 11.

ELABORARE debent simplices, ut simplicitatis bono prudentiam adjungant, quatenus sic securitatem de simplicitate possideant, ut circumspectionem prudentiæ non amittant. Hinc per semetipsam discipulos suos Veritas admonet, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Qua in re notandum est quod discipulos suos, nec de columba sine serpente, nec de serpente sine columba voluit Dominus admonere, sed utraque necessario conjunxit in admonitione, quia videlicet in electorum cordibus simplicitatem columbæ debet astutia serpentis acuere & accendere, & serpentis astutiam columbæ simplicitas temperare: quatenus nec seducti per prudentiam calleant, nec ab intellectus studio cum simplicitate torpescant. Hinc Paulus ait: *Nolite pueri effici sensibus.* Ecce prudentiam serpentis audivimus, nunc de simplicitate columbæ moneamur: *sed malitia parvuli estote.* 1. Cor 14. 20 Ibidem.

CA-

CAPUT XLVI.

Matt. 10. 27. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine.*

De expositione Scripturarum. In exposit. B. Job, lib. 11. n. 26 & lib. 6 in Ezech n. 1

CUM aliqua mystica de occultis Prophetarum verbis a credentibus agnoscuntur, quid aliud quam profunda de tenebris revelantur? Unde ipsa quoque Veritas discipulis in parabolis loquens, ait: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*; id est, aperte exponite, quæ in allegoriarum obscuritatibus audistis. Cum enim mysticos allegoriarum nodos per explanationem solvimus, in lumine dicimus quod in tenebris audivimus.

CAPUT XLVII.

Matt. 10. 36 *Veni separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam: & inimici hominis domestici ejus.*

De malis persuasoribus. In exposit. B. Job, lib. 3 num. 13.

ANTIQUUS adversarius non solum per semetipsum, sed per eos etiam qui nobis adhærent, statum satagit nostræ mentis inclinare. Cum enim cor nostrum sua persuasione non subruit, ad hoc nimirum per linguas adhærentium repit. Hinc per Prophetam dicitur: *Unusquisque se a proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam.* Hinc rursum scriptum est: *A filiis tuis cave, & a domesticis tuis attende.* Callidus namque adversarius cum a bonorum cordibus repelli se conspicit, eos, qui ab illis valde diliguntur, exquirit: & per eorum verba blandiens loquitur, qui plus ceteris amantur: ut dum vis amoris cor perforat, facile persuasionis ejus gladius ad intima rectitudinis munimina irrumpat.

Jerem. 9. 4. Eccles. 32. 26

CAPUT XLVIII.

Matt. 10. 41. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.*

De susceptione indigentium Prophetarum. Homil. 20. in Evang. n. 12.

QUANTA sit virtus in continentia & susceptione indigentium ostendit Redemtor noster, cum ait: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.* In quibus verbis notandum est, quia non ait: Mercedem de Propheta, vel mercedem de justo: sed mercedem Prophetæ, & mercedem justi accipiet. Aliud est enim merces de Propheta, aliud merces Prophetæ: & aliud merces de justo, aliud merces justi. Quid enim est dicere, mercedem Prophetæ accipiet, nisi quia is qui Prophetam sua largitate sustentat, quamvis ipse prophetiam non habeat, apud omnipotentem tamen Dominum prophetiæ præmia habebit? Iste enim prophetiæ spiritu plenus est, sed tamen corporeo indiget alimento: & si corpus non reficitur, certum est quod vox ipsa subtrahatur. Qui igitur alimentum Prophetæ, propter hoc quod Propheta est tribuit, prophetiæ illius vires ad loquendum dedit. Cum Propheta ergo mercedem Prophetæ accipiet, qui etsi spiritu prophetiæ plenus non fuit, hoc tamen ante oculos Dei exhibuit, quod adjuvit. Ille fortasse justus est, & quanto in hoc mundo nihil possidet, tanto loquendi pro justitia fiduciam majorem habet: hunc dum ille sustentat, qui in hoc mundo aliquid possidet, & fortasse pro justitia adhuc loqui libere non præsumit; justitiæ illius libertatem sibi participem facit, ut cum eo pariter justitiæ præmia recipiat, quem sustinendo adjuvit, quatenus eamdem justitiam libere loqui potuisset.

CAPUT XLIX.

Matt. 11. 7. *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?*

De Johannis Baptistæ constantia. Mutuum ex lib. 23. exposit. in Job, n. 7 & hom. 9. in Ezech n. 16.

HOC in laude beati Johannis Baptistæ turbis Judæorum a Domino dicitur, cum mentis mobilitas, quæ nonnumquam in sacro eloquio per arundinem designari solet, in eo esse denegatur: post interrogationem enim Domini subintelligitur, non. Quod quia negando dixerit, non affirmando, subjuncta verba testantur, cum ait: *Sed quid existis in desertum videre, hominem mollibus vestitum. Ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Arundo autem vento agitata modo flatibus erigitur, modo flatibus inclinatur. Omnis autem infirmus animus, qui vel derogatione dejicitur, vel laudibus exaltatur, arundo vento agitata est. Quod Johannes non erat, quia inflexibilem mentis verticem inter laudes hominum & derogationes tenebat, & ejus mentem sancto Spiritu solidam per diversas partes nullus linguarum flatus inclinabat.

CAPUT L.

Matt. 11. 7. *Quid existis in desertum videre? Prophetam? utique dico vobis, & plusquam Prophetam.*

Homil. 7. in Evang. ex Johan. 1. 21.

JOHANNES requisitus, respondit, dicens: *Non sum Propheta.* Quia enim plusquam Prophetam se noverat, esse Prophetam se negabat. Qui idcirco plusquam Propheta dicitur: quia Prophetæ officium est ventura prænuntiare, non etiam ostendere. Johannes vero plusquam Propheta est, quia quem verbo dixit, digito ostendit.

CAPUT LI.

Matt. 11. 12. *A diebus Johannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur.*

De pœnitentibus. Homil. 20. in Evang. n 14. Matt. 3. 8. Luc. 3. 8.

TURBAS, quæ veniebant ad suum baptismum, Johannes admonebat, dicens: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Et rursus: *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* Unde jam patenter datur intelligi quid est quod Veritas dicit: *A diebus autem Johannis Baptistæ usque nunc regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Quæ supernæ verba sententiæ nobis sunt magnopere perscrutanda: Nam quærendum est quomodo vim perpeti regnum cælorum possit. Quis enim cælo violentiam irrogat? Et rursus quærendum est si pati vim regnum cælorum potest, & violenti rapiunt illud, cur eamdem vim a diebus Johannis Baptistæ, & non etiam ante pertulerit? In lege vero scriptum est: *Si quis hæc vel illa fecerit, morte moriatur.* Cunctis ergo legentibus liquet quia peccatores quosque pœna suæ severitatis perculit, non autem pœnitentia ad vitam reduxit. Cum vero Johannes Baptista Redemtoris gratiam præcurrens pœnitentiam prædicat, ut peccator, qui ex culpa mortuus est, per conversionem vivat, profecto a die-

bus Johannis Baptistæ regnum cælorum vim A patitur. Quid est autem regnum cælorum, nisi locus justorum? Solis enim justis cælestis patriæ præmia debentur, ut humiles, casti, mites, & misericordes ad gaudia superna perveniant. Cum vero quis vel superbia tumidus, vel carnis facinore pollutus, vel iracundia accensus, vel crudelitate impius, post culpas ad pœnitentiam redit, & vitam æternam percipit, quasi in locum peccator intrat alienum. A diebus ergo Johannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud: quia qui pœnitentiam peccatoribus indixit, quid aliud, quam cælorum regno fieri violentiam docuit? Recogitemus ergo, fratres carissimi, mala quæ fecimus; & nosmet ipsos assiduis lamentis atteramus; hereditatem B justorum, quam non tenuimus per vitam, rapiamus per pœnitentiam. Vult a nobis omnipotens Deus talem violentiam perpeti: nam regnum cælorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur.

CAPUT LII.

Matt. 15. 11.

Non *quod intrat in os, coinquinat hominem.*

De attendendis cogitationibus. Lib. 11. Epist. 64. ad Aug. in Resp. 10.

SICUT in veteri Testamento exteriora opera observantur, ita in novo Testamento non tam quod exterius agitur, quam id quod interius cogitatur, sollicita intentione attendi- C tur, ut subtili sententia puniatur. Nam cum multa lex velut immunda manducare prohibeat, in Evangelio tamen Dominus dicit: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quæ exeunt de corde, illa sunt quæ coinquinant hominem*; & paulo post subjecit exponens: *Ex corde exeunt cogitationes malæ*. Ubi ubertim indicatum est, quoniam illud ab omnipotente Deo pollutum esse ostenditur in opere, quod ex pollutæ cogitationis generatur radice. Unde Paulus quoque Apostolus dicit: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil esse mundum*: & mox ejusdem causam coinquinationis annuntians subjungit: *Coinquinata sunt enim eorum mens & conscientia*. Non est ergo cibus immundus ei, cui D mens immunda non fuerit.

Tit. 1. 15.

CAPUT LIII.

Matt. 16. 24.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.

De mortificatione. Mariam in lib. 33 in Job, n. 13 & hom. 10 in Ezech. num. 7.

SUNT nonnulli, qui vias Veritatis appetentes, & æterna cupientes, valde se a mundo alienos reddunt, dum non solum aliena non appetunt, sed etiam sua derelinquunt: & non solum in eo gloriam non quærunt, sed hanc, cum se obtulerit, etiam contemnunt; & tanto omnipotentis Dei amore replentur, ut mutata mente, sibimet extranei esse videan- E tur, implentes hoc quod Veritatis voce dicitur: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum*. Semetipsum enim abnegat qui calcato typho superbiæ, ante Dei oculos se alienum esse demonstrat. Seipsum abnegat qui mutatur ad meliora, qui incipit esse quod non erat, & desinit esse quod erat.

CAPUT LIV.

Matt. 18. 10.

Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.

De angelica natura. In exposit. B. Job, lib. 2. num. 3. Hebr. 1. 14.

CUM de Angelis per Paulum dicitur: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capiunt salutis?* Quomodo videre semper faciem Patris possunt, si ad ministerium exterius pro nostra salute mittuntur? Quod tamen citius solvimus, si quantæ subtilitatis sit angelica natura, pensamus. Neque enim sic a divina visione foras exeunt, ut internæ contemplationis gaudiis priventur: quia si Conditoris aspectum exeuntes amitterent, nec jacentes erigere, nec ignorantibus vera nuntiare possent: fontemque lucis, quem egredientes ipsi perderent, cæcis nullatenus propinarent. In hoc est itaque nunc natura angelica a naturæ nostræ conditione distincta: quia nos & loco circumscribimur, & cæcitatis ignorantia coarctamur: Angelorum vero spiritus loco quidem circumscripti sunt, sed tamen eorum scientiæ longe super nos incomparabiliter dilatantur. Interius quippe exteriusque sciendo diffusi sunt, quia ipsum fontem scientiæ contemplantur. Quid enim de his, quæ scienda sunt, nesciunt, qui scientem omnia sciunt? Eorum itaque scientia comparatione nostræ valde dilatata est, sed tamen divinæ comparatione scientiæ, angusta: sicut & ipsi illorum spiritus comparatione nostrorum quidem corporum, sunt spiritus: sed comparatione summi & incircumscripti spiritus, corpus sunt. Et faciem ergo Patris semper vident, & tamen ad nos veniunt: quoniam ad nos spirituali præsentia foras exeunt, & tamen ibi se, unde recesserant, per internam contemplationem servant.

Lib. 4. Dial. c. 33. in fin.

CAPUT LV.

Matt. 11. 21.

Si in Tyro, & Sidone facta fuissent virtutes, quæ in te facta sunt, &c.

De pœnitentia. In exposit. B. Job lib. 35. num. 7.

SI *in Tyro, & Sidone facta fuissent virtutes, quæ in te facta sunt, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent*. In cilicio quippe asperitas & punctio peccatorum: in cinere vero pulvis ostenditur mortuorum. Et idcirco utrumque hoc adhiberi solet ad pœnitentiam, ut in punctione cilicii cognoscamus quid per culpam fecimus: & in favilla cineris perpendamus quid per judicium facti sumus. Considerentur ergo in cilicio pungentia vitia, consideretur in cinere per mortis sententiam subsequens pœna justa vitiorum. Quia enim post peccatum carnis contumeliæ surrexerunt, videat homo in asperitate cilicii superbiendo quid fecit, videat in cinere usquequo peccando pervenit. Potest quoque cilicio ipso per recordationem & pœnitentiam dolorum punctio designari, quia quasi quodam cilicio peccatorum pungitur, dum in mente sua asperis redargutionum stimulis confricatur. In cinere quoque pœnitentiam agit, quia ex primo peccato, quid per justum judicium factus sit, solerter attendit.

CA-

CAPUT LVI.

Matt. 11. 25. *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia, &c.*

De occultis Dei judiciis. In exposit. B. Job, lib. 27. n. 4. & l. 25 num. 32. Johan. 9. 39.

DOMINUS per infirmitatem carnis nostræ obtutibus apparens, dum alios reprobat, alios vocat; mira judicia exhibuit, quæ a nobis & cogitari possint, & comprehendi non possint. Ait namque: *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant.* Unde cum de hujus rei causa loqueretur, ait: *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater.* Atque B mox tamquam rationem quamdam absconsionis & revelationis adjungens, ait: *Quia sic fuit placitum ante te.* Quibus nimirum verbis exempla humilitatis accipimus, ne temere discutere superna consilia de aliorum vocatione, aliorum vero repulsione præsumamus. Cum enim intulisset utrumque, non mox rationem reddidit, sed sic Deo placitum dixit: hoc videlicet ostendens, quia injustum esse non potest, quod justo placuit. Quod autem ait: *Abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus;* sapientes & prudentes videlicet superbientes vocavit, quia nimirum superbientibus veritatis cognitio denegatur. Qui enim non subjunxit: revelasti ea stultis, sed, parvulis, tumorem se damnasse innotuit, non acumen.

CAPUT LVII.

Matt. 11. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis.*

Qualiter ad Deum accedere debeamus. In exposit. B. Job, lib. 21 num. 9. Johan. 4. 21.

AD se venire nos Dominus præcepit, nimirum non gressibus corporis, sed profectibus cordis; ipse namque ait: *Veniet hora quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem.* Et paulo post: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.* In corde ergo gressus esse insinuat quando, & ut veniamus, vocat; & tamen motu corporis nequaquam nos ad alia transire denuntiat. In Scriptura sacra nonnumquam appellatione gressuum, vel motus mentium vel profectus accipimus meritorum: quibus profecto gressibus ad semetipsam nos Veritas vocat, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis.*

CAPUT LVIII.

Matt. 11. 16. *Tollite jugum meum super vos.*

De secularium curarum abjectione. In exposit. B. Job, lib. 4 num. 66.

MAGNA est servitus secularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quamvis in eis sponte desudet. Quasi enim quodam jugo servitutis premunt prospera, dum appetuntur: premunt adversa, dum formidantur; hoc videlicet jugum grave servitutis vidit Dominus secularium cervicibus impressum, cum diceret: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos.* Nihil grave mentis nostræ cervicibus imponit, qui vitari desiderium omne quod perturbat, præcipit. Nihil grave subjectis jubet, qui declinare laboriosa hujus mundi itinera admonet: *Jugum meum suave, & onus meum leve est.* Asperum quippe jugum, & duræ, sicut diximus, ser- (Ibid. lib. 30. num. 10.)

A vitutis pondus est subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quæ prius mentem ex desiderio adeptionis afflixerant, post, ex pavore amissionis, premunt. Hoc etiam jugum servitutis a discipulorum cervice solvebat Dominus, (Ibid. lib. 20. num. 39.) cum diceret: *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate:* illico subjungens: *& curis hujus vitæ.* Amant enim homines pro hujus mundi gloria etiam laborum tribulationes, cunctisque pro ea sudoribus libenter serviunt, & gravium jugo devotissime colla submittunt: cujus servitutis conditione & jugo carere, est jam in mundo nihil concupiscere. At si quis semel a dominatione desideriorum temporalium colla mentis excusserit, quadam jam etiam in hac vita libertate perfruitur: dum nullo desiderio felicitatis afficitur, nullo adversitatis terrore coarctatur. (Luc. 21. 34.)

CAPUT LIX.

Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Matt. 11. 29.

CONTRA superbiæ pestem audiamus cuncti, quod discipulos Veritas admonet, dicens: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis cor-* C *de.* Ad hoc namque unigenitus Dei filius formam humilitatis nostræ suscepit, ad hoc invisibilis, non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit: ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum probra, passionum tormenta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Quanta igitur humilitatis est virtus, propter quam solam veraciter edocendam, is, qui sine æstimatione est magnus, usque ad passionem factus est parvus? Quia enim originem perditioni nostræ præbuit superbia diaboli, instrumentum redemtionis nostræ inventa est humilitas Dei. Hostis quippe noster inter omnia conditus, videri super omnia voluit elatus: Redemtor vero noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus D est parvus. Sed melius & elationis causam detegimus, & fundamenta humilitatis aperimus, si brevi commemoratione perstringimus, quid mortis auctor, quid vitæ suadeat Conditor. Ille nihil aliud mentes sibi subditas docet, quam celsitudinis culmen appetere: cuncta æqualia mentis tumore transcendere, societatem hominum alta elatione transire; ac sese contra potentiam Conditoris erigere, sicut de eis per Psalmistam dicitur: *Transierunt in dispositionem cordis, cogitaverunt & locuti sunt nequitias, iniquitatem in excelsum locuti sunt.* Iste autem ad sputa, ad palmas, ad colaphos, ad spineam coronam, ad crucem, ad lanceam & mortem veniens, membra sua admonet, dicens: *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* E Quia igitur Redemtor noster corda regit humilium, & mortis auctor rex est superborum: aperte cognoscimus, quod superbia evidentissimum est signum reproborum; at contra humilitas, electorum. Cum ergo quam quisque habeat, cognoscitur: sub quo rege militet invenitur. Unusquisque enim quasi quemdam titulum portat operis, quo facile ostendat sub cujus serviat potestate Rectoris. Unde & per Evangelium dicitur: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Qui ergo sub rege superbiæ militant, licet aliquando spe-

De humilitate & superbia. In exposit. B. Job. lib. 34. num. 54. — Ibid n. 55. 57 — Psal. 72. 7. — Johan. 12. 26 — Matt. 7. 16.

ciem humilitatis assumant, semetipsos tamen in omnibus celare nequaquam possunt: quoniam eorum superbia diu latere non sustinens, cum ex alia tegitur, ex alia actione nudatur. Qui vero sub rege humilitatis militant, pavidi semper, & ex omni latere circumspecti, adversum elationis jacula pugnant, & quasi contra venientes ictus solum magis in suo corpore oculum custodiunt, dum in semetipsis principaliter humilitatem tuentur. Cum ergo Dominus omnibus quos vocat, dicit: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*: nihil est aliud se mitem in magisterio humilemque dicere, nisi relictis exercendæ difficultatibus elationis, plana quædam bene vivendi itinera demonstrare.

CAPUT LX.

Matt. 12.34. *Malus homo de malo thesauro profert mala.*

De illis qui audent docere quod facere nolunt. In exposit. B. Job, lib. 1. num. 23.

PLerumque doctor qui audet docere quæ negligit agere, cum desierit bona loqui quæ contemsit operari, docere subjectos incipit prava quæ agit: ut justo Dei omnipotentis judicio jam nec in bono linguam habeat, qui bonam vitam habere recusat: quatenus cum mens terrenarum amori rerum intenditur, de terrenis rebus semper loquatur. Unde Veritas in Evangelio dicit: *Ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala.* Hinc etiam Johannes ait: *Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur.* (Luc.6.45. Johan.4.5.)

CAPUT LXI.

Matt. 12.36. *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem.*

De multiloquio, & otioso sermone. Regul. Past. par 3.c.14.

MUltiloquio vacantes, quia per multiplicia verba dilabuntur, plerumque diu otiosa cavere verba negligunt, ad noxia perveniunt, ut aliena prius loqui libeat, postmodum detractionibus eorum vitam, de quibus loquitur, mordeat: ad extremum vero usque ad apertas lingua contumelias erumpat. Hinc Salomon dicit: *In multiloquio peccatum non deerit.* Hinc Jacobus dicit: *Si quis putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.* Hinc rursus ait: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Hinc iterum linguæ vim definiens, adjungit: *Inquietum malum, plena veneno mortifero.* Hinc per semetipsam Veritas admonet, dicens: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint, reddent rationem de eo in die judicii.* Otiosum quippe verbum est, quod aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. Si ergo ratio de otioso sermone exigitur, pensemus quæ pœna multiloquium maneat, in quo etiam per innoxia verba peccatur. (Prov. 10. 19. Jac.1.26. Ibid v.19. Ibidem.)

CAPUT LXI.

Matt. 13 30. *Colligite zizania, & ligate ea in fasciculos ad comburendum.*

De distantia internalium tormentorum. In exposit. B. Job, lib. 9. num. 38.

SIcut in domo Patris mansiones multæ sunt pro diversitate virtutis, sic damnatos diverso supplicio gehennæ ignibus subjicit disparilitas criminis. Quæ scilicet gehenna licet cunctis una sit, non tamen cunctos una eademque qualitate suc-

A cendit. Nam sicut uno sole omnes tangimur, nec tamen sub eo uno ordine omnes æstuamus; quia juxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris: sic damnatis una est gehenna, quæ afficit, & tamen non una omnes qualitate comburit: quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum. Nisi enim tormentorum summam meritorum acta dirimerent, nequaquam judex veniens ad judicium se messoribus perhiberet esse dicturum: *Colligite zizania, & ligate in fasciculos ad comburendum.* Messores quippe Angeli zizania ad comburendum in fasciculos ligant, cum eos qui æterno igni tradendi sunt, pares paribus, in tormentis similibus sociant: ut superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis, B avari cum avaris, fallaces cum fallacibus, invidi cum invidis, infideles cum infidelibus ardeant; & ut quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat. Cum ergo similes in culpa ad tormenta similia ducantur, quia in locis pœnalibus eos Angeli deputant, quasi zizaniorum fasciculos ad comburendum ligant. (Lib. 4. Dial. cap. 35.)

CAPUT LXIII.

Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno suo omnia scandala. Matt. 13. 41.

REGNUM Dei non semper in sacro eloquio venturum regnum dicitur, sed nonnumquam præsentis temporis Ecclesia vocatur. C Neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax summa est, inveniri, aut esse scandala poterunt, quæ colligantur, ubi profecto reprobi non admittuntur.

Quid significet regnum cælorum. Homil. 12. in Evang. n.1. & 32. n. 6.

CAPUT LXIV.

Item unde supra.

PLerumque in sancto Evangelio regnum Dei, vel regnum cælorum, præsens Ecclesia nominatur; congregatio quippe justorum regnum cælorum dicitur, quia per Prophetam Dominus dicit: *Cælum mihi sedes est.* Et Salomon ait: *Anima D justi sedes sapientiæ.* Paulus etiam dicit: *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*: liquido debemus colligere, quod si Deus sapientia, anima vero justi sedes sapientiæ, dum cælum dicitur sedes Dei, cælum ergo est anima justi. Hinc per Psalmistam de sanctis prædicatoribus dicitur: *Cæli enarrant gloriam Dei.* Regnum ergo cælorum est Ecclesia justorum: quia dum eorum corda nil ambiunt in terra, per hoc, quod suspirant ad superna, jam in eis Dominus quasi in cælestibus regnat. (Hom. 38. in Evang. n.2. Isa.66.1. Sap.7.27. 1.Cor. 1.24. Psal. 18.2.)

CAPUT LXV.

Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Matt.13.47.

E REGNUM cælorum vocatur Ecclesia, cujus dum mores Dominus ad superna sublevat, jam hæc ipsa in Domino per cælestem conversationem regnat. Quæ recte etiam sagenæ in mare missæ comparatur ex omni genere piscium congreganti: quia missa in hoc Gentilitatis seculum, nullum respuit, sed malos cum bonis, superbos cum humilibus, iracundos cum mitibus, & fatuos cum sapientibus capit. (In exposit. B. Job, lib. 31. num. 34.)

CA-

A

CAPUT LXVI.

Matt. 14. 24. *Dominus ambulans supra mare. Navicula autem, in qua transfretabant, in medio mari jactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus.*

Præsens seculum vocatur mare. In exposit. B. Job, lib. 17. num. 45. Job 26. 12.

BEATUS Job de Domino dicit: *In fortitudine illius maria sunt congregata.* Quid aliud maris nomine, quam præsens seculum designatur? In quo corda hominum terrena quærentium, diversis cogitationum fluctibus intumescunt; qui elatione superbiæ incitati, dum alterna intentione se impetunt, quasi adversanti se undæ collidunt. Sed jam in fortitudine Domini maria congregata sunt, quoniam incarnato Domino, discordantia B secularium corda concorditer credunt. Jam Petrus in mari ambulat: quia nimirum Christi prædicatoribus, illa quondam tumida humili auditu corda substrata sunt; ut recte etiam in Evangelio hujus mundi mansuetudinem figuraverit, quod procellosa maris aqua Domini pedibus presso tumore calcata est.

CAPUT LXVII.

Matt. 16. 19. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, &c.*

De potestate bonorum Rectorum. Dialog lib. 2. c. 23. sub fin.

PETRUS Apostolus in hac adhuc carne erat, qui audiebat: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Cujus nunc vicem ligandi & solvendi obtinent, qui locum sancti regiminis fide & moribus tenent, & adhuc in hac carne corruptibili degentes solvere possunt animas in illo jam invisibili judicio constitutas. Sed ut tanta valeat homo de terra, cæli & terræ Conditor in terram venit e cælo. Atque ut judicare caro etiam de spiritualibus possit, hoc ei largiri dignatus est, factus pro hominibus caro Deus; quia inde surrexit ultra se infirmitas nostra, unde sub se infirmata est Dei firmitas.

CAPUT LXVIII.

Matt. 16. 22. *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc.*

De consiliis carnalium hominum. In exposit. B. Job, lib. 3. num. 38.

SCIENDUM est quia carnales in Ecclesia aliquando metu, aliquando vero audacia suadere bonis perversa contendunt. Cumque ipsi vel pusillanimitate vel elatione deficiunt, hæc justorum cordibus infundere, quasi ex dilectione moliuntur. Carnalem videlicet mentem Petrus ante Redemtoris mortem resurrectionemque retinebat: carnali mente Sarviæ filius duci suo David adjunctus inhæserat: sed tamen unus formidine, alter elatione peccabat. Ille quippe magistri mortem audiens, dixit: *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc:* hic vero injurias ducis non ferens, ait: *Numquid pro his verbis non occidetur Semei, qui maledixit Christo Domini?* (2. Reg. 19. 21.) Sed illi mox dicitur: *Redi post me Satana:* & hic cum germano protinus audivit: *Quid mihi & vobis, filii Sarviæ: cur efficiamini hodie mihi in Satan?* Mala itaque suadentes, Angeli apostatæ appellatione censentur, qui blandis verbis ad illicita quasi diligentes, trahunt. Valde vero deteriores sunt, qui huic culpæ, non formidine, sed elatione succumbunt.

CAPUT LXIX.

Reges terræ a quibus accipiunt tributum? Matt. 17. 24.

IN nostro bono opere aliquando cavendum est scandalum, aliquando vero pro nihilo contemnendum. Quod in ipso nostro auctore didicimus, qui dum tributum Petro inquisito peteretur, prius paradigma proposuit, per quod se nihil debere respondit, dicens: *Reges terræ, a quibus accipiunt tributum, vel censum; a filiis suis, an ab aliis?* Illico respondit: *Ergo liberi sunt filii.* Sed postquam liberum se esse monstravit, ne fortasse scandalum cuiquam faceret, subdidit: *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare: & mitte hamum, & eum piscem, qui prius ascenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens, da eis pro me & te.* Qui rursum cum diceret: *Quia omne, quod in os intrat, non coinquinat hominem,* (Matt. 15. 12) tunc accedentes discipuli dixerunt ei: *Scis quia Pharisæi, audito hoc verbo, scandalizati sunt?* Ait ille respondens ait: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur: sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Ecce magistra Veritas, ne in quorumdam cordibus scandalum gigneretur, quod non debuit, tributum dedit. Et rursum, quia generari scandalum in quorumdam cordibus contra veritatem vidit, in suo eos scandalo remanere permisit. Ex C qua re nobis considerandum est, quia quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus: si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur.

De scandalo aliquando contemnendo, aliquando vitando. Homil. 7 in Ezech. n. 4.

CAPUT LXX.

Non omnes capiunt verbum hoc. Matt. 19. 11.

PECCATA carnis ignorantes, tanto sollicitius debent præcipitem metuere ruinam, quanto altius stant, & audire quid per semetipsam Veritas de hac integritate dicat: *Non omnes capiunt verbum hoc.* Quod eo innotuit summum, quo denegavit omnium: & dum prædicit, quia difficile D capitur, audientibus innuit, captum cum qua cautela teneatur.

De virginitate. Regul. Past. par. 3. c. 28.

CAPUT LXXI.

Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, in regeneratione cum sederit, &c. Matt. 19. 28.

OMnes Sancti, qui mundum perfecte reliquerunt, cum Domino venient ad judicium: & ejus corpori uniti, ejus majestati conjuncti, & simul facti cum eo judices videbuntur, qui modo perfecta opera juxta evangelica præcepta secuti sunt. Hinc est quod ipsis sanctis Apostolis dicitur: E *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Neque enim plusquam duodecim judices illa interni consessus curia non habebit: sed nimirum duodenario numero quantitas universitatis exprimitur: quia quisquis stimulo divini amoris excitatus, hic possessa reliquerit, illic proculdubio culmen judiciariæ potestatis obtinebit; ut simul tunc judex cum judice veniat, qui nunc consideratione judicii sese spontanea pau-

De evangelica paupertate. In exposit. B. Job, lib. 10. n. 52. & ho. 2. in Ezech. num. 18.

paupertate castigat. Hinc est enim, quod de sanctæ Ecclesiæ Sponso per Salomonem dicitur: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ*. Hinc Isaias ait: *Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui*. Hinc eosdem seniores Veritas non jam famulos, sed amicos denuntiat, dicens: *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos*. In extremi ergo judicii die justus quisque, qui nunc despicitur, quanta potestate fulgeat, demonstratur: tunc enim cum Deo judices veniunt, qui nunc pro Deo injuste judicantur. Tunc eorum lux tanto latius emicat, quanto nunc eos manus persequentium durius angustat. Tunc reproborum oculis patescet quod cælesti potestate subnixi sunt, qui terrena omnia sponte reliquerunt. Quot enim nunc pro veritatis amore sese libenter humiliant, tot tunc in judicio cum Christo judices, quasi lampades coruscant. Omnes quidem qui nunc præcepta legis perfectione virtutum transcendunt, qui nequaquam hoc solum, quod cunctis divina lex præcepit, implere contenti sunt, sed præstantiori desiderio plus exhibere appetunt, quam præceptis generalibus audire potuerunt, quibus dominica voce dicitur: *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me; cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*: hi in extremo judicio non judicantur, sed & regnant: quia cum auctore suo etiam judices veniunt. Relinquentes quippe omnia, plus promta devotione exsecuti sunt, quam juberi generaliter audierunt. Speciali namque jussione paucis perfectioribus, & non generaliter omnibus dicitur hoc quod adolescens dives audivit: *Vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, & sequere me*. Si enim sub hoc præcepto cunctos jussio generalis adstringeret, culpa profecto esset aliquid nos de hoc mundo possidere. Sed aliud est, quod per Scripturam sacram generaliter omnibus præcipitur: aliud, quod specialiter perfectioribus imperatur. Hi ergo recte sub generali judicio non tenentur, qui præcepta generalia vivendo vicerunt. Sicut enim non judicantur, & pereunt, qui suadente perfidia legem tenere contemnunt: ita non judicantur, & regnant, qui suadente pietate etiam ultra generalia divinæ legis præcepta proficiunt. Hinc est, quod Paulus etiam specialia præcepta transcendens, plus opere exhibuit, quam institutione permissionis accepit. Cum enim accepisset, ut Evangelium prædicans de Evangelio viveret: Evangelium quidem audientibus contulit, & tamen Evangelii sumtibus sustentari recusavit. Cur ergo iste judicetur ut regnet, qui minus, quod servaret, accepit: sed majus, quod viveret, invenit?

Prov. 31.23. Isa. 3.14. Johan. 15.15. Matt. 19.21.

CAPUT LXXII.

Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

Matt. 16.20.

NEQUAQUAM Sanctus quisque ideo terrena deserit, ut hæc possidere in hoc mundo multiplicius possit: quia quisquis terreno studio terram relinquit, terram non relinquit, sed appetit: nec qui unam uxorem deserit, centum recepturus est. Sed quia denarius numerus per semetipsum multiplicatus in centenarium surgit, recte per centenarium perfectio magna designatur, per quam etiam vita æterna promittitur. Quisquis enim pro Dei nomine temporalia, & terrena contemnit, hic perfectione mentis recipit ut jam ea non appetat, quæ contemnit, & in sequenti seculo ad æternæ vitæ gloriam perveniat. Centies itaque recipiet quod dedit, qui perfectionis spiritum accipiens, terrenis non indiget, etiamsi hæc non habeat. Ille enim pauper est, qui eget eo, quod non habet. Nam qui & non habens habere non appetit, dives est. Paupertas quippe in inopia mentis est, non in quantitate possessionis: nam ille, cui in paupertate bene convenit, non est pauper.

Homil. 18 in Ezech. n. 16.

CAPUT LXXIII.

Cum venissent operatores vineæ, qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.

Matt. 20.10.

DENARIUS numerus in Scriptura sacra perfectus est: quia lex in decem præceptis concluditur, omnisque culpa non amplius, quam per decem verba cohibetur. Et enarrante Veritate, operatores vineæ denario remunerantur. In denario quippe tria junguntur ad septem. Homo autem, qui ex anima constat & corpore, in septem qualitatibus continetur. Nam tribus spiritualiter, & quatuor corporaliter viget. In dilectione etenim Dei tribus spiritualiter excitatur, cum ei per legem dicatur: *Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua*. Corporaliter vero quatuor qualitatibus continetur: quia videlicet ex materia calida & frigida, humida & sicca componitur. Homo ergo qui ex septem qualitatibus constat, denario remunerari dicitur: quia in illa perceptione supernæ patriæ, septem nostra ad tria junguntur æterna: ut homo contemplationem Trinitatis accipiat, & de remuneratione operis quasi quodam denario consummatus vivat. Vel certe, quod septem virtutes sunt, quibus in hac vita laboratur, dumque eis in remuneratione contemplatio Trinitatis redditur, vita laborantium denario remuneratur. Sed perfectus quisque etiam in hac vita denarium accipit: dum eisdem septem virtutibus, spem, fidem, caritatemque conjungit.

De remuneratione bonorum operum. In exposit. B. Job, lib. 35. num. 42. Matt. 22.37.

CAPUT LXXIV.

Nonne ex denario convenisti mecum?

Matt. 20.13.

NEmo temere debet superna consilia, & divina judicia discutere, sed consilium summæ, & occultæ virtutis satisfactio sit apertæ rationis: quia injustum esse non potest quod justo Domino placet. Unde & in vinea mercedem laborantibus reddens, cum quosdam operarios inæquales in opere æquaret in præmio, & plus in mercede quæreret, qui labori amplius insudasset, ait: *Nonne ex denario convenisti mecum? Volo autem & huic novissimo dare, sicut & tibi: aut non licet mihi quod volo facere?* In cunctis igitur, quæ deterius disponuntur, aperta causa est rationis, occultæ justitia voluntatis. Sciendum est autem, quod sola est sancta Ecclesia in qua bonum opus peragitur, unde

Divina judicia non discutienda. In exposit. B. Job, lib. 25. n. 14. & l. 35. num. 13.

unde & mercedem denarii non acceperunt, nisi qui intra vineam laboraverunt.

CAPUT LXXV.

Matt. 20. 29. *Duo cæci sedentes secus viam, ut audierunt quia Jesus egrediens ab Jerico transiret, clamabant: Miserere nostri fili David.*

De duobus Christi naturis. In exposit. B. Job, lib. 19. num. 5.

DOMINUS noster Jesus Christus Deo Patri suo coæternus, per humanitatem dicitur transitum habere: per divinitatem vero quasi stare. Inde enim non transit unde æternus est, inde vero transit, unde propter nos apparuit temporalis; sic namque & in Evangelio scriptum est: *Quia egrediens ab Jerico Dominus transibat. Duo autem cæci sedentes juxta viam clamaverunt dicentes: Domine, miserere nostri, fili David.* Ad quorum vocem sicut illic scriptum est: *Stetit Jesus, & lumen reddidit.* Quid est autem transeundo audire, stando lumen restituere, nisi quod per humanitatem suam nobis misertus est, qui per divinitatis potentiam a nobis mentis nostræ tenebras exclusit? Quod enim propter nos natus, & passus est: quod resurrexit, & ascendit in cælum, quasi transit Jesus: quia nimirum hæc actio temporalis est. Sed stans eos tetigit, & illuminavit: quia non sicut illa dispensatio temporalis, ita verbi æternitas transit, quæ in se manens movet omnia; stare enim Dei est incommutabili cogitatione mutabilia cuncta disponere. Qui ergo voces petentium transiens audivit, stans lumen reddidit: quia & si propter nos temporalia pertulit, inde tamen nobis lucem tribuit, unde habere mutabilitatis transitum nescit.

CAPUT LXXVI.

Matt. 22. 13. *Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores.*

Homil. 9. in Ezech. n. 34.

QUISQUIS adhuc præsenti seculo mente inhæret, & adhuc terrenis voluptatibus delectatur, amare non potest æterna gaudia, quæ justis promittuntur. Cognoscat igitur in volumine sancti Evangelii damnationem reproborum, quæ in eo scripta est: & ab animo per timorem expellat quod diligit, ut possit ex judicio cælestem gloriam amare, quam elegit, vel audit. Ibi quippe sub unius damnati specie multitudo reproborum exprimitur, cum voce Veritatis dicitur: *Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.* Tunc enim reprobi in exteriores tenebras cadunt, quia nunc in interioribus sua se sponte dejecerunt, ut veritatis lumen nec credendo, nec bene operando sequerentur. In quas tenebras, ligatis manibus & pedibus, mitti præcipiuntur: quia nunc, dum tempus operandi & currendi est, habere manus & pedes liberos in bona actione noluerunt. Ibi etiam de reprobis scriptum est: *Vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur.* Isa. 66. 24.

CAPUT LXXVII.

Matt. 23. 3. *Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, nolite facere.*

De malis doctoribus.

STULTUS aliquando donum rectæ intelligentiæ accipit, Scripturæ sacræ sententiis docetur, bona loquitur: sed tamen nullo modo hoc, quod dicit, operatur: verba Dei profert, nec tamen diligit: laudando exaggerat, vivendo calcat. Is autem qui ad Deum per sancta desideria anhelat, discit quod audit, agit quod didicerit: sicut suos Veritas admonebat, cum per desideria sancta flagrantibus, de Pharisæis præcepit, dicens: *Quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, nolite facere.* In expos. B. Job, lib. 6. num. 14.

CAPUT LXXVIII.

Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. Matt. 23. 5.

De hypocritis. In exposit. B. Job, lib. 15. num. 4.

SÆPE hypocrita dum sanctum se simulat, & iniquum se exhibere minime formidat, ab hominibus honoratur, eique sanctitatis gloria defertur ab his qui exteriora cernunt, sed interiora perspicere nequeunt. Unde fit ut gaudeat in prima sessione, hilarescat in primo recubitu, infletur in prima salutatione, elevetur in reverenti voce obsequentium, & superba cogitatione tumeat in famulatu subditorum, sicut voce quoque Veritatis de talibus dicitur: *Omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus: amant enim primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Sed hæc eorum gaudii lætitia pertransibit, & pœna permanebit.

CAPUT LXXIX.

Liquantes culicem, camelum glutientes. Matt. 23. 24.

De Judæis. In exposit. B. Job, lib. 1. num. 21.

CAMELI nomine Dominus hic designatur, a quo hoc Judæis adversantibus dicitur. Culex enim susurrando vulnerat, camelus autem sponte se ad suscipienda onera inclinat. Liquaverunt ergo Judæi culicem, quia seditiosum latronem dimitti petierunt: camelum vero glutierunt, quia eum, qui ad suscipienda nostræ mortalitatis onera sponte descenderat, extinguere clamando conati sunt.

CAPUT LXXX.

Væ vobis hypocritæ. Matt. 23. 27.

De simulatione hypocritarum. In exposit. B. Job, lib. 18. num. 13. Regul. Past. cap. 32.

STUDIUM hypocritarum esse solet, ut & quod sunt, supprimant: & hoc quod non sunt, esse se hominibus innotescant. Refugiunt videri quod sunt, & ante oculos superinducta quadam innocentiæ honestate se vestiunt. Unde recte per Evangelium voce nostri Redemptoris increpantur, cum eis dicitur: *Væ vobis hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis; quæ foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Ita & vos foris quidem apparetis hominibus justi, intus autem pleni estis rapina, & iniquitate.* Hypocritas ergo recte sepulcra dealbata, speciosa exterius, sed mortuorum ossibus plena interius Veritas vocat; quia vitiorum mala intus contegunt, humanis vero oculis quorumdam demonstratione operum de solo foris justitiæ colore blandiuntur. Culpas itaque suas occultando hominibus virtutesque pandendo, unde puniri debeant, abscondentes detegunt, & unde remunerari poterant detegentes abscondunt. Nam dum occulta ma-

la sua divini judiciis, recta vero sua humanis oculis anteponunt: & sine teste est bonum, quod publice faciunt; & non sine æterno teste est, quod latenter delinquunt.

CAPUT LXXXI.

Item unde supra.

Homil. 9. in Ezech. n. 33. QUOD autem dicitur: *Væ vobis hypocritæ*; sciendum est, quod in Scriptura sacra, *Væ*, sæpius de æterno luctu, quam præsenti solet intelligi. Unde scriptum est: *Væ impio in malo: retributio enim manuum ejus fiet ei*. Et beatus Job loquitur, dicens: *Si impius fuero, væ mihi est: si autem justus, non levabo caput, saturatus afflictione & miseria*. Justorum enim afflictio temporalis est. Væ ergo, quod dixit, a temporali afflictione distinxit, qui & justum afflictionem, & impium væ habere perhibuit. Et per semetipsam Veritas dicit: *Væ mundo a scandalis*. Et: *Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis*. Et: *Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus*.

Isa. 3. 11.

Job 10. 15.

B

Matt. 18. 7. Luc. 6. 25. Ibid. 21. 23.

CAPUT LXXXII.

Matth. 24. 20. *Orate ne fiat fuga vestra hyeme, vel Sabbato.*

De conversione non differenda. Homil. 12. in Evang. n. 7. SOLLICITE, fratres carissimi, cogitare debemus ne nobis in vacuum tempora pereant, & tunc quæramus ad bene agendum vivere, cum C jam compellimur de corpore exire: & meminisse debemus quid Veritas dicat: *Orate, ne fiat fuga vestra hyeme, vel Sabbato*. Per legis quippe mandatum ambulare longius in Sabbato non licet. Hyems quoque ad ambulandum impedimento est: quia gressus ambulantium torpor frigoris adstringit. Ait ergo: *Orate ne fiat fuga vestra hyeme, vel Sabbato*. Ac si aperte dicat: Videte ne tunc quæratis peccata vestra fugere, quando jam non licet ambulare. Illud ergo tempus, quo fugere non licet, modo debet cogitari dum licet. Illa hora exitus nostri est semper intuenda: ista Redemtoris admonitio ante mentis oculos semper ponenda.

D

CAPUT LXXXIII.

Matt. 24. 26. *Si dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire.*

De hæreticis. In exposit. B. Job, l. 20. num. 20. Job 30. 3. DE hæretico dicit beatus Job: *Qui rodebant in solitudine*. Rodi solet quod comedi non potest. Hæretici itaque quia per supernam gratiam non adjuti, sed sua virtute moliuntur Scripturam sacram intelligere, exterius illam contrectant, sed ad ejus interiora secreta spiritualia non perveniunt: & quoniam ab universalis Ecclesiæ sunt disjuncti societate, non quolibet loco rodere memorantur, sed in solitudine. Ad quam nimirum solitudinem, quia prædicatores falsi sequaces suos traherent, longe ante Veritas præmonuit, dicens: *Si dixerint: Ecce in deserto est, nolite exire*. Præterea hæretici clandestinis inter se conventiculis coeunt, ut errori suo reverentiam, quam non valent ex ratione, præbeant ex occultatione: & infirmis animabus pravitatis sermo tanto reverendus appareat, quanto secretus. Unde per Salomonem mulier ex typo hæreseos suadet, dicens: *Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior*. Et beatus Job dicit: *In*

E

Ibid. n. 23.

Prov. 9. 17. Job 30. 6.

A *desertis habitabant torrentium, & in cavernis terræ*. Quid vero aliud cavernas terræ, quam occultas hæreticorum prædicatione accipimus? Quæ occulta scilicet prædicamenta detestatur Veritas, dicens: *Si quis vobis dixerit: ecce hic Christus est, ecce illic: nolite credere*. Et rursum: *Si dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem; ita erit & adventus filii hominis*. Hoc itaque hic in penetralibus, quod in Job dicitur, in cavernis. In cavernis enim hæretici habitant; quoniam errorem suum plerumque secretis prædicationibus occultant, ut quo se doctoribus prudentioribusque non indicant, eo vehementius imperitos ad se trahant.

CAPUT LXXXIV.

Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret in Occidentem, ita erit adventus filii hominis. Matt. 24. 27.

CUM Dominus ad judicium venerit, districti judicii concussio omnia simul elementa perturbabit, & in illo die cunctorum, qui tunc in carne mortali fuerint inventi, in pavore nimio corda commovebuntur. Cum enim cœperit impleri quod scriptum est: *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur*: quæ mens erit hominis æterni judicis sententiam non formidantis? Ibi enim simul tunc cuncta peccata ante oculos redeunt: ibi omnia, quæ cum delectatione acta sunt, ad memoriam cum pavore revocantur: ibi caligo cogitationis miseræ ex pœna proximæ damnationis erit. Tunc quippe ex peccatorum memoria sensum mentis deprimit caligo cæcitatis, cum unigenitum Dei filium in forma divinitatis conspicere non permittuntur reprobi. *Videbunt enim in quem transfixerunt*. Et: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei*. Ignis etiam ille judicii, qui cælum aereum & terram concremabit, peccatores proculdubio constringet in pœna suæ damnationis. Nam sicut fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem, ita erit adventus filii hominis, ubi nullus a judicio tunc in sua mente latere permittitur: quia ipse judicis fulgore penetratur. Ipse enim Angelis & Archangelis, omnibusque virtutibus præsidens Redemtor noster, in suo tunc terrore videbitur, eique ignis judicii in reproborum vindictam famulabitur. Hinc Psalmista ait: *Ignis in conspectu ejus ardebit, & in circuitu ejus tempestas valida*. Hinc Petrus Apostolus ait: *Adveniet dies Domini ut fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa vero ignis ardore solventur*.

De die judicii. Homil. 2. in Ezech. n. 16.

Matt. 24. 29.

Joh. 19. 37. Zach. 12. 10.

Num. 17.

Psal. 49. 3.

2. Petr. 3. 10.

CAPUT LXXXV.

Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Matt. 24. 45.

ALta quæque debent a prædicatoribus multis audientibus contegi, & vix paucis aperiri. Hinc namque per semetipsam Veritas dicit: *Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?* Per mensuram quippe tritici exprimitur modus verbi, ne cum angusto cordi incapabile aliquid tribuitur, extra fundatur. Hinc Paulus ait: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus*, 1. Cor. 3. 1.

De prædicatoribus. Regul. Past. par. 3. cap. 39.

bus, sed quasi carnalibus: tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Hinc ad beatum Job dicitur: *Quis dedit gallo intelligentiam?* prædicator enim sanctus, dum caliginoso hoc clamat in tempore, quasi gallus cantat in nocte, cum dicit: *Hora est jam nos de somno surgere*. Et rursum: *Evigilate justi, & nolite peccare*. Gallus cum jam edere cantus parat, prius alas excutit; & semetipsum feriens, vigilantiorem reddit: quia nimirum necesse est, ut hi, qui verba sanctæ prædicationis movent, prius studio bonæ actionis evigilent, prius se per sublimia facta excutiant, & tunc ad bene vivendum alios sollicitos reddant: prius cognitionum alis semetipsos feriant, quidquid in se inutile deprehenderint, districta animadversione corrigant, & tunc demum aliorum vitam loquendo componant, & antequam verba exhortationis insonent, omne quod locuturi sunt, operibus clament. Gallus etiam profundioribus horis noctis altos edere cantus solet; cum vero matutinum jam tempus in proximo est, minutas & tenues voces format: quia nimirum qui recte prædicat, obscuris adhuc cordibus aperta clamat, nil de occultis mysteriis indicat, ut tunc subtiliora quædam de cælestibus audiant, cum luci veritatis appropinquant.

Job 38. 36. Rom. 13. 11. 1. Cor. 15. 34.

CAPUT LXXXVI.

Fatuæ Virgines non sumserunt oleum secum.

Matt. 25. 3.

De decem Virginibus fatuis & prudentibus. In exposit. B. Job, lib. 23. num. 17.

PRÆDICATORES sancti cum loquuntur, nequaquam mentis gaudium in ostensione ponunt disertæ locutionis: sed bonum scientiæ in cordis secreto meditantur, & ibi gaudent, ubi hoc percipiunt, non ubi inter toe tentationum laqueos innotescere compelluntur: quamvis cum bonum, quod accipiunt, innotescunt, media interveniente caritate, ex profectu audientium & non ex propria ostensione gratulantur. Arrogantes enim cum scientiam accipiunt, nihil se accepisse æstimant, si hanc eos occultam habere contingat; nusquam quippe suum gaudium, nisi in ore hominum ponunt. Unde & fatuæ Virgines in suis vasis oleum non sumsisse referuntur: quia arrogantes omnes, cum se ab aliquibus fortasse vitiis continent, bonum gloriæ intra conscientias habere non possunt. In vase autem proprio sumserat Paulus oleum, qui dicebat: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*. Inane ergo vasculum ferre, est intus corde vacuo foras humani favoris judicium quærere: quia dum gloria exterius quæritur, intra vas oleum non habetur.

2. Cor. 1. 12.

CAPUT LXXXVII.

Date nobis de oleo vestro.

Matt. 25. 8.

De defectu hypocritarum in judicio. In exposit. B. Job, lib. 8. num. 74.

HYPOCRITA nihil aliud in omni quod agit, nisi opinionis suæ gloriam cogitat: nec curat quo post meritum ducitur, sed quid interim dicatur. Sed laus cum ejus vita prætérit, & humanus favor in judicio deficit. Unde & fatuæ Virgines, quæ oleum in vasis non sumserant, quia in alienis scilicet vocibus gloriam, & in suis conscientiis non habebant, turbatæ per Sponsi præsentiam dicunt: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur*. Oleum quippe a proximis petere, est gloriam boni operis a testimonio alienis oris implorare. Mens etenim vacua, cum a cunctis suis laboribus nihil se intus tenuisse invenerit, testimonium foris quærit. Ac si aperte fatuæ Virgines dicant: Cum nos repelli sine retributione conspicitis, dicite in nostro opere quod vidistis. Sed hypocritæ nihil in judicio attestatio humana suffragabitur: quia eamdem laudem, quam post in testimonium exigit, prius in munere recepit.

CAPUT LXXXVIII.

Novissime vero veniunt & reliquæ Virgines dicentes: Domine, aperi nobis.

Matt. 25. 11.

De multimoda vocatione Dei. Homil. 16. in Evang. n. 10.

AD cælestis regni gaudia nos, fratres carissimi, Dominus vocat per se, vocat per Angelos, vocat per Patres, vocat per prophetas, vocat per Apostolos, vocat per pastores, vocat plerumque per miracula, vocat plerumque per flagella, vocat aliquando per hujus mundi prospera, vocat aliquando per adversa. Sæpe namque nonnulli hic proficere volentes, & prosperari, cum apprehendere temporalem gloriam conantur, omnipotente Deo misericorditer eos respiciente nequeunt, quia eos in carnalibus suis desideriis mundi hujus adversitates feriunt: aut enim ægritudine longa tabescunt, aut injuriis afflicti concidunt, aut gravibus percussi damnis affliguntur, & in mundi dolore vident, quia nihil confidere de ejus voluptate debuerunt; seque ipsos in suis desideriis reprehendentes, ad Deum corda convertunt. Multi igitur hujus mundi adversitatibus fracti, ad Dei vocantis amorem revertuntur, & a præsentis vitæ desideriis corriguntur. Nemo ergo Deum vocantem contemnat; ne dum vocatus audire, & obedire recusat, cum voluerit intrare non valeat. Audite quid Sapientia per Salomonem dicat: *Tunc invocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non invenient me*. Hinc est quod fatuæ Virgines tarde venientes clamant: *Domine, Domine, aperi nobis*, sed jam tunc aditum quærentibus dicitur: *Amen, amen dico vobis, nescio vos*. Hanc valde timendam sententiam, fratres carissimi, intenta aure percipite, ut tanto eam minus sentiatis in examine quanto nunc auditis formidolosius in prædicatione. Si autem cuncta mundi relinquere, quod paucis datum est, non potestis, sic tenete quæ sunt hujus mundi, ut tamen per ea in mundo non teneamini: ut terrena res possideatur, non possideat: ut sub vestræ mentis sit dominio quod habetis, ne si mens vestra terrenarum rerum amore vincatur, a rebus suis magis ipsa possideatur. De hominibus, qui vel plura ambiunt, vel obtinere cuncta quæ ambierunt, possunt, audite quod scriptum est: *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Ac si aperte Veritas dicat: Quid prodest homini si totum quod extra se est, congreget, si hoc solum quod ipse est, damnet? Sit ergo res temporalia in itinere, desideretur æterna in perventione, sint terrena, quæ nostro corpori serviant, quatenus cordi minime obsistant, ne nos ad cælestem patriam quo nos vocat Dominus, præpediant. Nihil sit quod desiderium nostræ mentis retardet, nullius nos rei in hoc mundo delectatio implicet. Si bonum diligitur, mens in bonis melioribus, id est in cælestibus delectetur: si malum metuitur, mala animo æterna proponantur; ut dum illic esse conspicit,

Prov. 1. 28. Regul. Past. part. 3. cap. 20. Matth. 16. 26.

& amplius quod diligat, & amplius quod pertimescat, hic omnino non hæreat.

CAPUT LXXXIX.

Matt.25.12. *Amen dico vobis, nescio vos.*

De reprobatione hypocritarum. In exposit B Iob, lib. 8. num. 85. SUPERNA dispensatio hypocritis largitur bonum operis, & sortem denegat hereditatis: operandi munera cumulat, & tamen vota operantis ignorat: quia dum perceptum munus ad laudem propriam trahitur, in conspectu lucis intimæ umbra elationis obscuratur. Cum igitur a præsentis vitæ favoribus, interveniente morte, fuerit separatus, internus eum arbiter negat, seque eum nescire denuntiat, quia simulatoris vitam juste reprobando Veritas ignorat: nec recognoscit ejus bona, quæ egit, quoniam hæc ex intentione recta non protulit. Unde & fatuis Virginibus in judicium veniens dicet: *Amen, amen dico vobis, nescio vos*. In quibus dum corruptionem mentis considerat, carnis etiam incorruptionem damnat. Nescire autem Dei, reprobare est. Unde & quibusdam, quos reprobat, in fine dicturus est: *Nescio vos unde sitis. Discedite a me omnes operarii iniquitatis*. Sicut etiam nescire mentiri vix verax dicitur, qui labi per mendacium dedignatur: non quo si mentiri velit, nesciat; sed quo falsa loqui veritatis amore contemnat.

• lib. 2. num. 6.

CAPUT XC.

Matt.25.31. 32. *Cum venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes Gentes, & separabit eas ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, & statuet oves a dextris, hædos autem a sinistris.*

De discretione bonorum & malorum. Homil. 19. in Evang. n. 5. AD sanctam ecclesiam, fratres carissimi, quam multi convenimus, Ecclesiæ parietes implemus, & tamen nemo nostrum potest scire, qui sint qui in illo electorum Dei numerentur grege. Ecce vox omnium Christum clamat, sed vita omnium non clamat: plerique Deum sequuntur vocibus, sed fugiunt moribus Hinc etenim ad Titum Paulus dicit: *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant*

Tit. 1. 16 Hinc Jacobus ait: *Fides sine operibus mortua est*.

Iac. 2. 20. & 26. Hic igitur multi fidelibus per confessionem admiscentur, sed propter vitam reprobam in forte fidelium in die judicii numerari non merentur. Hoc ovile sanctæ Ecclesiæ hœdos recipit cum agnis; sed attestante Evangelio, cum judex venerit, bonos separat a malis, sicut pastor segregat oves ab hædis. Neque etenim illic in ovium grege numerari possunt, qui hic carnis suæ voluptatibus serviunt. Illic eos a sorte humilium judex separat, qui se hic in superbiæ cornibus exaltant. Regnum cælorum percipere nequeunt, qui hic & in cælesti fide positi, toto desiderio terrena quærunt.

CAPUT XVI.

Matt. 25. 34. *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.*

De extremo judicio. DUÆ sunt partes, electorum scilicet, atque reproborum, sed bini ordines eisdem singulis partibus continentur. Alii namque judicantur, & regnant; alii non judicantur, & regnant; alii judicantur, & pereunt; & alii non judicantur, & pereunt. Ex parte quippe electorum judicantur & regnant, qui vitæ maculas lacrymis tergunt, qui mala præcedentia factis sequentibus redimentes, quidquid illicitum aliquandò fecerunt, ab oculis judicis eleemosynarum superductione cooperiunt; quibus judex veniens in dextra consistentibus dicit: *Esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me*. Quibus præmittit, dicens: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*. Alii autem non judicantur, & regnant, qui etiam præcepta Legis, perfectione virtutum transcendunt, qui nequaquam hoc solum quod cunctis divina Lex præcipit, implere contenti sunt, sed præstantiori desiderio plus exhibere appetunt, quam præceptis generalibus audire potuerunt: quibus dominica voce dicitur: *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*. Et de quibus Propheta ait: *Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui*. Et de quibus Salomon, cum de sanctæ Ecclesiæ Sponso loqueretur, intulit, dicens: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ*. Hi itaque in extremo judicio non judicantur, & regnant: quia cum auctore suo etiam judices veniunt, relinquentes quippe omnia, plus promta devotione executi sunt, quam juberi generaliter audierunt. Speciali namque jussione paucis perfectionibus, & non generaliter omnibus dicitur hoc, quod adolescens dives audivit: *Vade, & vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo; & veni, et sequere me*. Si enim sub hoc præcepto cunctos jussio generalis adstringeret, culpa profecto esset aliquid nos de hoc mundo possidere. Sed aliud est quod per Scripturam sacram generaliter omnibus præcipitur: aliud quod perfectioribus specialiter imperatur. Hi ergo recte sub generali judicio non tenentur, qui & præcepta generalia vivendo vicerunt. Sicut enim non judicantur & pereunt, qui suadente perfidia, legem tenere contemnunt: ita non judicantur, & regnant, qui suadente pietate, etiam ultra generalia divinæ legis præcepta proficiunt. Hinc est quod Paulus etiam specialia præcepta transcendens, plus opere exhibuit, quam institutione permissionis accepit. Cum enim accepisset, ut Evangelium prædicans, de Evangelio viveret, & Evangelium audientibus contulit, & tamen Evangelii sumtibus sustentari recusavit. Justum est igitur, ut iste non judicetur, & regnet, qui minus quod servaret, accepit: sed majus quod viveret, invenit.

In exposit. B. Iob, lib. 26. nu. 50. & 51.

Ibid. v. 35.

Matt. 19. 28.

Isa. 3. 14.

Prov. 31. 23.

Matt. 19. 21.

1. Cor. 9.

CAPUT XCII.

Matt. 25. 35. *Hospes fui, et suscepistis me.*

De hospitalitate. Hom. 23. in Evang. n. Hebr. 13. 1. HOSPITALITATEM, fratres carissimi, diligite, opera caritatis amate. Hinc etenim per Paulum dicitur: *Caritas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite oblivisci: per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hospitio receptis*. Hinc Pe-

1. Petr. 4. 9. Petrus ait: *Hospitales invicem sine murmuratione*. A Hinc ipsa Veritas dicit: *Hospes fui, & suscepistis me*. Cum igitur ante judicium Dominus per Matt. 25. 40. membra sua suscipitur, in judicium veniens susceptores suos recognoscet, dicens: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Pensate ergo, fratres, quanta hospitalitatis virtus sit, & ad hospitalitatis gratiam ne sitis pigri. Peregrini ad hospitium non solum invitandi, sed etiam trahendi. Ad mensas vestras Christum suscipite, ut vos ab eo suscipi ad æterna convivia valeatis. Præbete modo peregrino Christo hospitium, ut vos in judicio non quasi peregrinos nesciat, sed ut proprios recipiat ad regnum.

CAPUT XCIII.

Matt. 25. 41 *Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis*.

De misericordia pauperibus exhibenda. Hom. 40. in Evang. n. 10. & 12.

ANTE futurum judicium, fratres carissimi, solerter agite, culparum vestrarum intercessores quærite, advocatos vobis in die judicii pauperes procurate. Ecce importune se pauperes offerunt, atque his indigent, quæ vobis jam satiatis quotidie de mensa cadunt. Ecce nos rogant, qui tunc pro nobis intercessores venient. Certe nos omnino rogare debuimus, & tamen rogamur. Videte si negare debemus, quod petimur; quando patroni sunt, qui petunt. Nolite ergo misericordiæ tem- C pora perdere, nolite accepta remedia dissimulare, ante supplicium de supplicio cogitate. Cum quoslibet in hoc mundo abjectos aspicitis, etiam si qua reprehensibilia eorum esse videantur, nolite despicere: quia fortasse quos morum infirmitas vulnerat, medicina paupertatis curat: quorum si qua sunt talia quæ jure debeant reprehendi, hæc si vultis ad usum vestræ mercedis inflectite, ut ex ipsis eorum vitiis cumulentur vobis incrementa pietatis, quatenus pariter panem detis, & verbum; panem refectionis cum verbo correptionis: & duo a vobis alimenta percipiat, qui unum quærebat, dum exterius cibo, & interius satiatur eloquio. Pauper ergo cum reprehensibilis cernitur, moneri debet, & D despici non debet: si vero reprehensionis nil habet, venerari summopere, sicut intercessor, debet. Sed ecce multos cernitis, qui cujus sint meriti nescitis. Omnes igitur honorate quos pauperes cernitis, & quos foris videtis despectos seculi, intus arbitramini amicos Dei. Cum his participamini quod habetis, ut hoc quandoque quod habent dignentur vobiscum participari. Pensate quod ore magistri Gentium dicitur: *In* 2. Cor. 8. 14. *hoc tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum*. Pensate quid ipsa per se Veritas dicat: *Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis*. Ad tribuendum ergo pigri nequaquam esse debetis, quando hoc quod jacenti in terra porrigitis, sedenti in cælo datis. E

CAPUT XCIV.

Matt. 25. 41 *Tunc dicet & his qui a sinistris ejus erunt: Ite maledicti in ignem æternum*.

De discretione judicandorum. In expofit. B. Job. lib. 26. num. 51.

DUOS ordines pars reproborum continet. Alii namque judicantur, & pereunt: alii non judicantur & pereunt. Judicantur & pereunt, quibus dominica voce in damnatione dicitur: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi bibere: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: æger & in carcere, et non visitastis me*, quibus præmittitur: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus*. Alii in extremo judicio non judicantur & pereunt; de quibus Propheta ait: *Non resurgunt impii in judicio*: & de quibus dicitur: *Qui autem non credit, jam judicatus est*; & de quibus Paulus ait: *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*. Resurgent vero etiam omnes infideles, sed ad tormentum, non ad judicium: non enim eorum tunc causa discutitur, qui ad conspectum distri- B cti judicis jam cum damnatione suæ infidelitatis accedunt. Professionem vero fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur, ut pereant. Qui vero nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem judicis in extrema examinatione non audiunt: quia præjudicati infidelitatis suæ tenebris, ejus quem despexerant, invectione redargui non merentur. Illi tantum verba judicis audiunt, quia ejus fidei tantum verba tenuerunt. Isti in damnatione sua judicis æterni nec verba percipiunt, quia ejus reverentiam, nec verbotenus servare voluerunt. Illi legaliter pereunt, quia sub Lege positi peccaverunt, istis in perditione sua de Lege nihil dicitur: quia nihil Legis habere conati sunt. Princeps namque terrenam Rempublicam regens, aliter punit civem interius delinquentem, atque aliter hostem exterius rebellantem. In illo jura sua consulit, eumque sub verbis divinæ invectionis addicit. Contra hostem vero bellum movet, instrumenta perditionis exercet, dignaque ejus malitiæ tormenta retribuit, de malo vero ejus quid lex habeat non requirit: neque enim lege necesse est perimi, qui lege numquam potuit teneri. Ita ergo in extremo judicio, & legalis illum invectio percutit, qui ab eo, quod professione tenuit, actione declinavit: & iste sine judicii invectione perimitur, qui lege fidei non tenetur.

Psal. 1. 5. Johan. 3. 18. Rom. 2. 12.

CAPUT XCV.

Discedite a me maledicti in ignem æternum. Matt. 25. 41.

De damnatione diaboli, & omnium reproborum. In expofit. B. Job, lib. 32. num. 37.

EXTREMI judicii die, æterno tunc judice terribiliter apparente, adstantibus legionibus Angelorum, assistente cuncto ministerio cælestium potestatum, & electis omnibus ad hoc spectaculum deductis, antiquus hostis diabolus in medium captivus deducetur, & cum suo corpore, id est cum reprobis omnibus, æternæ gehennæ incendiis mancipabitur, cum dicetur: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus*. O quale erit illud spectaculum, quando hæc immanissima bellua electorum oculis ostendetur, quæ hoc belli tempore nimis illos terrere potuerat, si videretur! sed occulto ac miro Dei consilio agitur, ut & nunc per ejus gratiam a pugnantibus non visa vincatur, & tunc a lætis victoribus iam captiva videatur. Tunc autem justi divino adiutorio quantum debitores sunt, plenius recognoscent, quando tam fortem bestiam viderint, quam nunc infirmi vicerunt; & in hostis sui immanitate conspicient, quantum debeant gratiæ defensoris sui. Redeunt enim de hoc prælio tunc milites nostri virtutum trophæa

referentes, & receptis corporibus eum jam in illo judicio regni cælestis introitum sortiuntur, prius immanissimas vires hujus antiqui serpentis aspiciunt, ne vile æstiment quod evaserunt. Et videntibus cunctis, præcipitabitur: quia visa mors ejus tunc gaudium exhibet, cujus tolerata vita nunc justis quotidie in cruciatibus bellum movet.

CAPUT XCVI.

Matt. 25. 35. *Esurivi & non dedistis mihi manducare, &c.*

De raptoribus. *Regul. Past. part. 3. c. 20* *Vers. 42.*

OMNES qui aliena adhuc intendunt rapere, quid Dominus in judicio reprobis dicat, sollicite debent audire: ait namque: *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum, &c.* Quibus etiam præmittit, dicens: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus.* Ecce nequaquam audiunt, quia rapinas vel quælibet alia violenta commiserunt, & tamen æternis gehennæ ignibus mancipantur. Hinc ergo colligendum est, quanta damnatione plectendi sunt, qui aliena rapiunt, si tanta animadversione feriuntur, qui sua indiscrete tenuerunt. Perpendant quo eos obliget reatu res rapta, si tali subjicit pœnæ non tradita. Perpendant quid illata mereatur injustitia, si tanta percussione digna est pietas oon impensa.

CAPUT XCVII.

Matt. 25. 46. *Ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.*

De æternis suppliciis. *In expo. B. Job, lib. 34. num. 31.*

SUNT plerique qui peccatis suis idcirco finem ponere negligunt, quia habere quandoque finem super se judicia futura suspicantur. Quidem breviter respondemus, si quandoque finienda sunt supplicia reproborum, quandoque ergo finienda sunt etiam gaudia beatorum. Per semetipsam namque Veritas dicit: *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Si igitur hoc verum non est, quod minatus est, neque illud verum est, quod promisit.

At inquiunt: Ideo æternam pœnam peccantibus minatus est, ut eos a peccatorum perpetratione compesceret: quia creaturæ suæ æterna supplicia minari debuit, non inferre. Quibus citius respondemus: Si falsa minatus est, ut ab injustitia corrigeret, etiam falsa pollicitus est, ut ad justitiam provocaret. Et quis hanc eorum vesaniam toleret, qui dum promissionibus suis reproborum supplicia finire asserunt, assertione sua etiam electorum præmia, remunerationesque conficint? Quis hanc eorum vesaniam toleret, qui conantur adstruere verum non esse, quod Veritas de æterno igne minata est? Et dum satagunt Deum perhibere misericordem, non verentur prædicare fallacem.

Num. 36. At inquiunt: Sine fine puniri non debet culpa cum fine. Justus nimirum est omnipotens Deus: & quod non æterno peccato commissum est, æterno non debet puniri tormento. Quibus citius respondemus, quod recte dicerent si judex justus districtusque veniens, non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo tunc cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt: voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. A Nam magis appetunt peccare quam vivere, & ideo hic semper vivere cupiunt, ut numquam desinant peccare cum vivunt. Ad districti ergo judicis justitiam pertinet, ut numquam careant supplicio, quorum mens in hac vita numquam voluit carere peccato; & nullus detur iniquo terminus ultionis, quia quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis.

At inquiunt: Nullus justus crudelitatibus pascitur, & delinquens servus a justo Domino idcirco cædi præcipitur, ut a nequitia corrigatur: ad aliquid ergo cæditur, cum non ejus Dominus cruciatibus delectatur. Iniqui vero gehennæ ignibus traditi, quo fine semper ardebunt? Et quia certum est quod pius, & omnipotens Deus non pascitur cruciatibus iniquorum, cur cruciantur miseri si non expiantur? Quibus citius respondemus quod omnipotens Deus, qui pius est, miserorum cruciatu non pascitur: quia autem justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio, & quidem sua iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid concremantur: scilicet, ut justi omnes & in Deo videant gaudia, quæ percipiunt, & in istis respiciant supplicia, quæ evaserunt: ut tanto in æternum magis divinæ gratiæ debitores se esse cognoscant, quanto in æternum mala puniri conspiciunt, quæ ejus adjutorio vitare potuerunt. *Num. 37.*

CAPUT XCVIII.

C *Pater mi si possibile est, transeat a me calix iste.* Matt. 26. 39.

De circumspectione justorum in petitionibus suis. *In exposit. B. Job, lib. 12. num 26.*

SOLENT justi viri in eo quod ipsi certum ac solidum sentiunt, quasi ex dubietate aliquid proferre, ut infirmorum in se verba transferant. Sed rursum per fortem sententiam, infirmantium dubietati omnimodo contradicunt, quatenus per hoc, quod dubie proferre cernuntur, infirmis aliquatenus condescendant: & per hoc quod certam sententiam proferunt, infirmorum mentes dubias ad soliditatem trahant. Quod nimirum dum faciunt, exemplum capitis nostri sequuntur: passioni quippe Dominus propinquans, D infirmantium in se vocem sumsit, dicens: *Pater mi si possibile est, transeat a me calix iste;* eorumque timorem, ut abstraheret, suscepit. Et rursus per obedientiam vim fortitudinis ostendens, ait: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu;* ut cum imminet quod fieri nolumus, sic per infirmitatem petamus ut non fiat, quatenus per fortitudinem parati simus, ut voluntas Conditoris nostri etiam contra voluntatem nostram fiat. Hoc igitur exemplo nonnumquam a fortibus infirmitatis illa verba suscipienda sunt, ut eorum post prædicamenta fortia, infirmorum corda gravius roborentur.

CAPUT XCIX.

E *Judas abiens, laqueo se suspendit.* Matt. 27. 5.

De vinculis peccatorum. *In exposit. B. Job. lib. 11. num 12.*

SÆPE nonoulli exire a pravis actibus cupiunt, sed quia eorumdem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi, a semetipsis exire non possunt. Et quidam culpas proprias punire cupientes, hoc quod recte se agere æstimant, in graviores culpas vertunt: fitque modo miserabili, ut quod exitum putant, hoc inclusionem inveniant. Sic videlicet reprobus Judas cum mortem sibi contra peccatum intulit, ad æternæ mortis suppli-

plicia pervenit; & pejus de peccato pœnituit, quam peccavit.

CAPUT C.

Matth. 27. 19. *Multa passa sum hodie per visum propter eum.*

Quod diabolus purum hominem crediderit esse Christum. In exposit. B. Job. lib. 33 num. 31.

ANTIQUUS hostis quamvis Dominum Jesum Christum esse filium Dei fuerat ipse confessus, velut purum tamen illum hominem mori credidit, ad cujus mortem Judæorum persequentium animos concitavit. Sed in ipso traditionis tempore tarde jam cognovisse intelligitur, quod ipse illa ejus morte puniretur. Unde & Pilati conjugem somniis terruit, ut vir illius a justi persecutione cessaret. Sed res interna dispensatione disposita, nulla valuit machinatione refragari. Expediebat quippe, ut peccatorum mortem juste morientium, solveret mors justi injuste morientis.

CAPUT CI.

Matt. 27. 51. *Et ecce velum templi scissum est in duas partes, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt.*

De vinculis humanæ mortalitatis per Christum solutis. In exposit. B. Job. lib. 10. n. 60 & 67.

INCARNATUS Dominus, qui in forma Dei æqualis est Patri, in forma servi minor est factus Patre, quia minor est etiam seipso. Naturam autem nostram suscipiens, iniquitatis jugo nullomodo teneri potuit; quem quamvis macula culpæ nostræ non attigit, passio tamen nostræ mortalitatis adstrinxit. Quasi quædam enim vincula habuit, ea quæ nos nequitiæ merito patimur, nostræ scilicet mortalitatis infirma, quibus usque ad mortem sponte ligari se voluit, & quæ per resurrectionem mirrabiliter solvit. Esurire quippe, sitire, lassescere, teneri, flagellari, crucifigi, nostræ mortalitatis vinculum fuit. Sed cum expleta morte velum templi rumperetur, scinderentur petræ, monumenta panderentur, inferni claustra patescerent, quid aliud tot argumentis tantæ virtutis ostenditur, nisi quod illa infirmitatis nostræ vincula solvebantur; ut is, qui ad suscipiendam servi formam venerat, in ipsa servi forma ab inferni vinculis absolutus, ad cælum etiam cum membris liber rediret? De quibus ejus vinculis Petrus Apostolus attestatur, dicens: *Act. 2. 24.* *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*. Vincula itaque ejus tunc soluta sunt, cum infirmitates passionis illius, in resurrectionis sunt gloriam commutatæ.

CAPUT CII.

Matt. 27. 52. *Et multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt.*

De dominica, & nostra resurrectione. In exposit. B. Job. lib. 14. num. 69.

HABEMUS spem nostræ resurrectionis, considerata gloria capitis nostri. Sed ne quis, vel cogitatione tacita forsitan dicat, quod idcirco ille resurrexit a morte quia unus idem Deus & homo, mortem, quam ex humanitate pertulit, ex divinitate superavit: nos vero qui puri homines sumus; a mortis surgere damnatione non possumus; recte in resurrectionis ejus tempore etiam multorum Sanctorum corpora resurrexerunt, ut in se nobis exemplum ostenderet, & de aliorum, qui nobis per puram humanitatem similes fuerunt, nos resurrectione roboraret: quatenus cum se homo desperaret percipere quod in se ostenderat Deus homo, hoc in se fieri posse præsumeret quod in ipsis factum cognosceret, quos puros fuisse homines non dubitaret.

Sunt vero nonnulli, qui considerantes quod *Num. 70.* spiritus a carne solvitur, quod caro in putredinem vertitur, quod putredo in pulverem redigitur, quod pulvis ita in elementa solvitur, ut nequaquam ab humanis oculis videatur, resurrectionem fieri posse desperant; & dum arida ossa inspiciunt, hæc vestiri carnibus, rursumque ad vitam viridescere posse diffidunt: qui si resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certe hanc tenere ex ratione debuerant. Quid enim quotidie, nisi resurrectionem nostram in elementis suis mundus imittatur? Per quotidiana quippe momenta, lux ipsa temporalis, quasi moritur, dum supervenientibus noctis tenebris, ea quæ aspiciebatur, subtrahitur; & quasi quotidie resurgit, dum lux ablata oculis, suppressa iterum nocte reparatur. Per momenta quoque temporum cernimus arbusta viriditatem foliorum amittere, a fructuum prolatione post largitionem cessare, & ecce subito quasi ex arescenti ligno velut quadam resurrectione veniente videmus folia erumpere, fructus grandescere, & totam arborem redivivo decore vestiri. Indesinenter cernimus parva arborum semina terræ humoribus commendari, ex quibus non longe post conspicimus magna arbusta surgere, folia pomaque proferre. Consideremus ergo parvum cujuslibet arboris semen, quod in terram jacitur, ut arbor ex illo producatur: & comprehendamus, si possumus, ubi in illa tanta parvitate seminis tam immensa arbor latuit, quæ ex illo processit: ubi lignum, ubi cortex, ubi viriditas foliorum, ubi ubertas fructuum. Numquidnam in semine tale aliquid videbatur, cum in terram jaceretur? Et tamen occulto rerum omnium opifice cuncta mirabiliter ordinante, & in mollitie seminis latuit asperitas corticis, & in teneritudine illius abscomsa est fortitudo roboris, & in siccitate ejus ubertas fructificationis. Quid ergo mirum, si tenuissimum pulverem, vel a nostris oculis in elementis redactum, cum vult, in hominem reformat, qui ex tenuissimis seminibus immensa arbusta redintegrat? Quia ergo rationabiles sumus conditi, spem resurrectionis nostræ ex ipsa debemus rerum specie, & contemplatione colligere. Sed quia in nobis sensus torpuit rationis, accessit in exemplum gratia Redemtoris. Venit namque Conditor noster, suscepit mortem, ostendit resurrectionem; ut qui resurrectionis spem ex ratione tenere nolumus, hanc ex ejus adjutorio, & exemplo teneremus. Beatus quoque Job de resurrectione dixit: *Scio* *Job. 19. 25.* *quod Redemtor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum*. Quisquis igitur resurrectionis virtutem in se fieri posse desperat, verba in Gentilitate positi viri fidelis erubescat, & pensset quanto pœnæ sit pondere feriendus, si adhuc non credit suam, qui jam resurrectionem Domini cognovit factam, si & illic suam credidit Job qui adhuc Domini Jesu sperabat esse faciendam.

Ad instruendam igitur ignorantiam nostram, *Homil. 21. in Evang. n. 6.* ad roborandam infirmitatem nostram Dominus noster, suæ resurrectionis exemplum nobis sufficere voluit. Solus quippe illo tempore mortuus est, & tamen solus minime surrexit: quia sicut su-

superius scriptum est: *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* A Ablata sunt ergo omnia argumenta perfidiæ. Ne quis enim dicat, sperare de se non debet homo, quod in carne sua exhibuit homo Deus: ecce cum Deo homine surrexisse cognovimus, quos puros homines fuisse non dubitamus. Si igitur membra nostri Redemtoris sumus, præsumamus in nobis, quod gestum constat in capite: si multum nos abjicimus, sperare debemus in nobis, nos membra ultima, quod de membris ejus superioribus audivimus.

CAPUT CIII.

Matt. 28. 3. *Erat aspectus ejus sicut fulgur, & vestimenta ejus sicut nix.*

De solemnitate dominicæ resurrectionis. Homil. 21. in Evang. n. 3.

MATTHÆUS Evangelista Angelum, qui mulieribus ad sepulcrum venientibus apparuit, describens, ait: *Erat aspectus ejus sicut fulgur, & vestimenta ejus sicut nix.* In fulgure enim terror timoris est, in nive autem blandimentum candoris. Quia vero omnipotens Deus, & terribilis est peccatoribus, & blandus justis, recte testis resurrectionis ejus Angelus, & in fulgure vultus, & in candore habitus demonstratur, ut de ipsa sua specie, & terreret reprobos, & mulceret pios. Recte etiam Angelus niveis coopertus vestimentis apparuit, quia festivitatis nostræ gaudia nuntiavit. Candor etenim vestis splendorem nostræ denuntiat solemnitatis, nostræ dicamus an suæ? Sed ut fateamur verius, & suæ dicamus & nostræ: illa quippe Redemtoris nostri resurrectio, & nostra festivitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit, & Angelorum festivitas extitit, quia nos revocando ad cælestia, eorum numerum implevit. In sua ergo ac nostra festivitate Angelus in niveis vestibus apparuit: quia dum nos per resurrectionem dominicam ad superna reducimur, cælestis patriæ damna reparantur.

CAPUT CIV.

Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: Scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis. Non est hic, surrexit enim sicut dixit. Matt. 28. 5.

LIBET considerare, fratres carissimi, pietatis viscera, quam erga nos Dominus noster habuit, & resurrectionis gloriam, quam Angelus factam mulieribus annuntiat. Conditor & Redemtor noster Dominus Jesus Christus B postquam omnia creavit, ut nos de captivitate diaboli redimeret, inter nos incarnatus apparuit, suaque passione nos a perpetua morte liberavit. Quia & si crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei: citius enim a morte voluit resurgere, ne si in illo resurrectio differretur, in nobis omnino desperaretur. Citius a morte voluit resurgere, ne nostra diu anima in infidelitatis remaneret morte: mortem enim transitorie, id est ad triduum contigit: & in ea morte nequaquam, sicut nos, usque ad finem seculi remansit. Corpus quidem Domini post mortem vivit: sed nostra adhuc corpora usque in finem mundi re- C surrectionis differuntur gloria. Nos per mortem carnis usque ad finem mundi remanemus in pulvere: ille vero die tertia a mortis viruit ariditate, & divinitatis suæ potentiam ipsa suæ carnis ostendit innovatione. Dominum ergo nostrum Jesum Christum, flagellatum, derisum, palmis cæsum, corona spinea coronatum, sputis illitum, crucifixum, mortuum esse noverimus, sed eumdem ipsum, qui inter impiorum manus occubuit, post mortem vivere certa fide credamus, libera voce profiteamur, & per resurrectionem ejus de nostræ carnis resurrectione confida- D mus. Resurrectionem enim, quam in se, qui est caput nostrum, ostendit, in nobis etiam, qui sumus ejus, quandoque facturum esse nobis promisit Dominus noster Jesus Christus, qui resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur: quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo per omnia secula seculorum. Amen.

De gloria resurrectionis. In exposit. B. Job, lib. 14. num. 67. 68.

2. Cor. 13. 4.

INCIPIUNT CAPITULA

IN EVANGELIO SEUCNDUM MARCUM.

1. *Erat Johannes in deserto baptizans, &c.*
2. *Johannes locustas, & mel silvestre edebat.*
3. *Spiritus sanctus super Dominum in columba descendit.*
4. *Et vox de cælo facta est: Tu es filius meus dilectus in quo mihi complacui.*
5. *Erat Jesus docens quasi potestatem habens.*
6. *Quid nobis, & tibi, fili Dei? Scimus qui sis, Sanctus Dei, &c.*
7. *Et comminatus, &c. Clamans, & multum discerpens, exiit ab eo spiritus immundus.*
8. *Surge, tolle grabatum tuum.*
9. *Fecit Dominus ut essent duodecim cum illo.*
10. *Et imposuit Dominus Simoni nomen, Petrus: & Jacobum Zebedei & Johannem fratrem Jacobi vocavit Boanerges.*

E

11. *Exiit seminans, &c. Venerunt volucres cæli, &c. Comederunt semen.*
12. *Aliud cecidit, &c. Sole orto aruerunt semina.*
13. *Ortum semen spinæ suffocaverunt.*
14. *Aliud cecidit in terram bonam, & afferebat fructum tricesimum.*
15. *Qui habet aures audiendi, audiat.*
16. *Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem, &c.*
17. *Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod acceptum, &c.*
18. *Si ejicis nos, mitte nos in porcos.*
19. *Revertere in domum tuam, & annuntia quanta tibi fecit Deus.*
20. *Turbæ te comprimunt, & affligunt.*
21. *Resuscitavit Jesus filiam principis.*

22.

22. *Herodes decollavit Johannem.*
23. *Date illis vos manducare.*
24. *Et discubuerunt in partes, per centenos & quinquagenos.*
25. *Abiit Jesus in montem solus orare.*
26. *Adducunt ad Jesum surdum & mutum, & deprecabantur, &c.*
27. *Misereor super turbam.*
28. *Video homines velut arbores ambulantes.*
29. *Assumsit Jesus Petrum in montem.*
30. *Et vestimenta ejus facta sunt candida sicut nix.*
31. *Faciamus hic tria tabernacula.*
32. *Elias cum venerit, restituet omnia.*
33. *Credo, Domine: adjuva incredulitatem meam.*
34. *Comminatus est Jesus immundo spiritui.*
35. *Et factus est velut mortuus.*
36. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei, &c.*
37. *Item unde supra.*
38. *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos.*
39. *Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo?*

A 40. *Nemo bonus, nisi solus Deus.*
41. *Quam difficile intrabunt in regnum Dei, qui pecunias habent.*
42. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem, &c.*
43. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?*
44. *Stans Jesus, cæcum illuminavit.*
45. *Jesus sedens super asinum, venit Jerusalem.*
46. *Cathedras vendentium columbas Dominus evertit.*
47. *Erit tunc tribulatio, qualis non fuit ab initio mundi.*
48. *Dabunt Pseudopropheta signa, & prodigia, ita ut in errorem, &c.*
49. *Adolescens sequebatur eum amictus sindone, &c.*
B 50. *Invenerunt hominem Cyrenæum, hunc angariaverunt, &c.*
51. *Et perducunt eum in Golgotha, &c.*
52. *Item unde supra.*
53. *Surrexit, non est hic.*
54. *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.*

LIBER SECUNDUS.

EXPOSITIO

EVANGELII SECUNDUM MARCUM.

CAPUT PRIMUM.

Marc. 1. 4. *Erat Johannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum: & egrediebatur ad illum omnis Judææ regio, & Jerosolymitæ universi, & baptizabantur ab illo in Jordane flumine, confitentes peccata sua. Et erat Johannes vestitus pilis cameli.*

Homil. 40. in Evan. n. 3. SUNT nonnulli qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum. Quod si videlicet culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret; quod dives, qui torquebatur apud inferos, bysso & purpura indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta pretiosa, nisi ad inanem gloriam quærit, videlicet ut honorabilior ceteris esse videatur. Nam quod pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quæratur, res ipsa testatur: nemo enim vult ibi pretiosis vestibus indui, ubi non possit ab aliis videri. Quam culpam possumus melius etiam ex diverso colligere: quia si abjectio vilis indumenti virtus non esset, Evangelista vigilanter de Johanne Baptista non diceret: *Erat indutus pilis camelorum.*

CAPUT II.

Marc. 1. 6. *Et locustas, & mel silvestre edebat.*

De conversione Judæorum, & Gentium. In exposit. B. Job, lib. 31. num. 45. LOCUSTARUM nomine aliquando Judaicus populus, aliquando conversa Gentilitas, aliquando adulantium lingua, aliquando vero per comparationem resurrectio dominica, vel prædicatorum vita designatur. Quod autem Judæorum po-

C pulum locustæ exprimant, vita Johannis signat, de quo scriptum est: *Quia locustas, et mel silvestre edebat.* Johannes quippe eum, quem prophetiæ auctoritate pronuntiat, etiam specie ciborum clamat. In semetipso enim designavit Dominum, quem prævenit. Qui nimirum in redemtionem nostram veniens, quia infructuosæ Gentilitatis dulcedinem sumsit, mel silvestre edit. Quia vero Judæorum plebem in suo corpore ex parte convertit, in cibo locustas accepit. Ipsos namque locustæ significant, subitos saltus dantes, sed protinus ad terram cadentes. Saltus enim dabant, cum præcepta Domini se imple- D re promitterent. Sed citius ad terram cadebant, cum per prava opera, hæc se audisse denegarent. Videamus in eis quasi quemdam locusticum saltum: *Omnia verba quæ locutus est Dominus, et audiemus et faciemus.* Exod. 24. 3. Videamus autem quomodo citius ad terram ruant: *Utinam mortui essemus in Ægypto, et non in hac vasta solitudine. Utinam pereamus, et non inducat nos Dominus in terram istam.* Num. 14. 3. Locustæ ergo erant, quia habebant saltum per vocem, & casum per actionem.

E

CAPUT III.

Venit Jesus a Nazareth Galilææ: et baptizatus est in Jordane a Johanne. Et statim ascendens de aqua, vidit apertos cælos, et Spiritum tamquam columbam descendentem, et manentem in ipso. Marc. 1. 9.

TRICESIMO ætatis suæ anno Dominus ad fluvium Jordanis venit; ibique cæli sunt aperti, quia Spiritus in columba descendit. Idcirco autem Spiritus sanctus in columba monstrari vo- De descensione Spiritus sancti supra Dominum. Homil. 2. in

Ezech. n. 5. Homil 30. in Evang. n. 5. & 6.

luit: quia omnes quos repleverit, simplices puritate, & mansuetudinis lenitate tranquillos facit. Ideo etiam in Redemtore nostro, Mediatore Dei & hominum, per columbam apparuit: quoniam unigenitus filius judex est generis humani. Sed quis ejus justitiam ferret, si priusquam nos per mansuetudinem colligeret, culpas nostras per zelum rectitudinis examinare voluisset? Homo ergo pro hominibus factus, mitem se hominibus præbuit, judex noster severitatem suam temperavit. Noluit peccatores ferire, sed colligere: prius voluit mansuete corrigere, ut haberet quos postmodum in judicio salvaret. In columba ergo super eum apparere Spiritus debuit, qui non veniebat ut peccata jam per zelum percuteret, sed adhuc per mansuetudinem parcendo toleraret. In cunctis fidelibus Spiritus sanctus venit, sed in solo Jesu singulariter permanet; quia Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, in cunctis eum & semper & continue præsentem habet: quoniam idem Spiritus ex illo per substantiam profertur. In illo igitur manet, qui solus & omnia & semper potest: & ejus humanitatem numquam deserit, ex cujus divinitate procedit, a quo per naturam numquam recedit.

CAPUT IV.

Marc. 1. 11.

Et vox facta est de cælis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui.

De qualitate divinæ locutionis. In expos. B. Job, lib 35 num. 8.

ALIQUANDO cælestibus substantiis per Angelos loquitur Deus, sicut baptizato Domino scriptum est: quia *vox de cælo sonuit, dicens: Tu es filius meus dilectus, in te complacui*. Quod per alium Evangelistam sic dicitur: *Hic est filius meus dilectus: in quo mihi bene complacui*. Quid est quod Pater de filio loquitur, dicens: *In quo mihi complacui?* Omnis enim qui pœnitendo corrigit aliqua quæ fecit, eo ipso quo pœnitet, se sibi displicuisse indicat, qui emendat quod fecit. Et quia omnipotens Pater, sicut intelligi ab omnibus poterat, humano modo locutus est, de peccatoribus dicens: *Pœnitet me fecisse hominem super terram*, quasi sibimetipsi displicuit in peccatoribus, quos creavit. In solo autem sibi unigenito Domino nostro Jesu Christo complacuit: quia hunc inter homines hominem creasse non pœnituit, in quo peccatum nullum omnimodo invenit, sicut de illo per Psalmistam dicitur: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. In solo ergo sibi Redemtore nostro complacuit Pater: quia in eo solo non invenit culpam, in qua se reprehendat quasi per pœnitentiam.

Homil. 8. in Ezech. n. 12.

Genes. 6. 6.

Psal. 109. 4.

CAPUT V.

Marc. 1. 22

Erat Jesus docens, sicut potestatem habens.

De ordine docendi. In expos. B. Job. lib. 23 num. 14.

BENE a doctoribus docetur, quod prius agitur quam dicatur. Nam doctrinæ subtrahis fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. Unde etiam de Domino scriptum est: *Erat enim docens, sicut potestatem habens: non sicut Scribæ & Pharisæi*. Singulariter namque, & principaliter solus ex potestate bona locutus est: quia ex infirmitate, mala nulla commisit. Ex divinitatis quippe potentia habuit id quod no-

Num 31.

A bis per humanitatis suæ innocentiam ministravit. Nos enim quia infirmi homines sumus, cum de Deo hominibus loquimur, debemus primum meminisse quod sumus: ut ex propria infirmitate pensemus, quo docendi ordine infirmis fratribus consulamus. Consideremus igitur, quia aut tales sumus, quales nonnullos corrigimus: aut tales aliquando fuimus, etsi jam divina gratia operante non sumus: ut tanto temperantius corde humili corrigamus, quanto nosmetipsos verius in his, quos emendamus. Si autem tales nec sumus nec fuimus, quales adhuc illi sunt quos emendare curamus: ne cor nostrum forte superbiat, & de ipsa innocentia pejus ruat; quorum mala corrigimus, alia eorum bona nobis ante oculos revocemus. B Quæ si omnino nulla sunt, ad occulta Dei judicia recurramus: quia sicut nos nullis meritis hoc ipsum bonum, quod habemus, accepimus: ita illos quoque potest gratia supernæ virtutis infundere, ut excitati posteris etiam ipsa possint, bona, quæ nos ante accepimus, prævenire. Quis enim crederet, quod per Apostolatus meritum Saulus lapidatum Stephanum præcessurus erat, qui in morte ejus lapidantium vestimenta servabat? His ergo primum cogitationibus humiliare cor debet, & tunc demum increpare delinquentium iniquitates.

Act. 7.

CAPUT VI.

C *Quid nobis, & tibi, fili Dei? scimus qui sis, Sanctus Dei.*

Marc. 1. 24.

ANTIQUUS hostis filium Dei incarnatum noverat, sed nostræ redemtionis ordinem nesciebat. Sciebat enim quod pro redemtione nostra incarnatus Dei filius fuerat, sed omnino quod idem Redemtor illum moriendo transfigeret, nesciebat. Illum etiam ante se positum vidit, quem cognoscendo confessus, confitendo pertimuit, dicens: *Quid nobis, & tibi, fili Dei? venisti ante tempus torquere nos?* Cognovit ergo prius quem pertimesceret, & tamen post non timuit, cum in illo quasi escam propriam mortem carnis D esuriret. Dominus quippe noster ad humani generis redemtionem veniens, assumsit corpus, ut antiquus hostis in eo quasi suam escam mortem carnis appeteret, Quam mortem dum in illo injuste appetiit, nos, quos quasi juste tenebat, amisit. Antequam autem malignus spiritus Redemtorem nostrum per mortem appeteret, cum eum miraculis coruscare conspiceret, clamabat, dicens: *Scimus qui sis, Sanctus Dei*. Qui hæc dicens, cognoscendo Dei filium, pertimescit & formidat: sed tamen vim supernæ pietatis ignorans, nonnumquam dum passibilem considerat, hominem purum putat.

De dubitatione diaboli in incarnatione Domini. In expos. B. Job. lib. 33. num. 14.

Ibid. 1. n. 28

CAPUT VII.

E *Et comminatus est Jesus immundo spiritui, dicens: Obmutesce, & exi de homine. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna, exiit ab eo.*

Marc. 1. 25.

CUM aliquis terrena contemnere, & cælestia cœperit amare, antiquus adversarius acriores ei quam consueverat tentationes admovet, itaut plerumque sic resistentem animam tentet, sicut ante numquam tentaverat quando possidebat. Unde-

De tentationibus inimici. Homil. 22. in Ezech. n. 24.

de & dæmoniacus, qui a Domino sanatur, ab exeunte dæmone discrepitur, sicut scriptum est: *Et clamans, et multum discerpens eum, exiit ab eo.* Quid est enim quod obsessum hominem antiquus hostis, quem possessum non discerpserat, deserens discerpsit? nisi quod plerumque dum de corde expellitur, acriores in eo tentationes generat, quam prius excitaverat, quando hoc quietus possidebat. Unde scriptum est: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, et timore: et prapara animam ad tentationem.* Eccles. 2. 1.

CAPUT VIII.

Surge, tolle grabatum tuum. Marc. 2. 9.

De tentationibus carnis. In exposit. B. Job, lib. 23. num. 46.

IN Scriptura sacra lectus, sive grabatus, aliquando voluptas carnis, aliquando repausatio in bonis operibus, aliquando requies temporalis accipitur. Quid est enim quod in Evangelio, sanato cuidam Dominus dicit: *Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam*, nisi quod per grabatum voluptas carnis designatur? Et jubetur utique, ut hoc sanus portet, ubi infirmus jacuerat: quia nimirum omnis, qui adhuc vitiis delectatur, infirmus jacet in voluptatibus carnis. Sed sanatus hoc portat, ubi jacuerat: quia divino adjutorio ereptus, a vitiis ejusdem carnis contumelias postmodum tolerat, in cujus prius desideriis requiescebat. Per grabatum itaque in quo carnis est requies, ipsa caro designatur: per domum vero conscientia figuratur. Et quia cum mente mortui in vitiis jacemus, in carnis delectatione quiescimus, infirmi portamur in lecto. Cum vero sanati fuerimus mente, ut jam pulsantibus vitiis carnis resistamus, necesse est ut tentationum contumelias de nostra carne toleremus. Ægro itaque ad salutem reducto præcipitur: *Tolle grabatum tuum*, id est porta lectum, in quo portatus es, quia necesse est ut sanatus quisque portet contumeliam carnis, in qua prius jacebat ægrotus. Quid est ergo dicere: *Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam*, nisi porta tentationes carnis, in quibus hactenus jacuisti: & revertere ad conscientiam tuam, ut videas quæ fecisti? Ac si diceret: Post exterius miraculum ad mentem tuam revertere, & qualem te intrinsecus Deo dedeas exhibere, perpende: & post peccatorum veniam, ne rursus quod juste feriatur admittas, cave.

Homil. 12. in Ezech. n. 11.

CAPUT IX.

Fecit Dominus Jesus, ut essent duodecim cum illo. Marc. 3. 14.

De septenarii numeri perfectione. In exposit. B. Job, lib. 35. num. 15.

SEPTENARIUS numerus apud sapientes hujus seculi quadam sua habetur ratione perfectus: quia ex primo pari, & ex primo impari consummatur. Primus enim impar ternarius est, primusque par quaternarius. Ex quibus duobus septenarius constat, qui eisdem partibus suis multiplicatus in duodenarium surgit. Nam sive tres per quatuor, seu quatuor per tres ducimus, ad duodenarium pervenimus. Sed nos quia superno munere Veritatis prædicamenta percepimus, hæc fixa scientiæ altitudine despiciendo calcamus: hoc proculdubio inconcussa fide retinentes, quia quos Spiritus gratiæ septiformis repleverit, perficit: eisque non solum Trinitatis notitiam, sed etiam virtutum quatuor, id est prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, & justitiæ operationem præbet. Qui in ipsis quoque quos ingreditur, suis quodammodo partibus augetur, dum & per Trinitatis notitiam quatuor virtutum actio accipitur, & per actionem virtutum quatuor usque ad manifestam Trinitatis speciem pervenitur. Et apud nos ergo septenarius perfectus est, sed longe dissimiliter; quia plene & non inaniter in duodenarium surgit, dum & per fidem opera, & rursum per opera perficit fidem. Sancti quoque Apostoli gratiæ septiformis spiritu implendi, duodecim sunt electi: quia in quatuor mundi partibus Trinitatem, quæ Deus est, innotescere mittebantur. Duodecim ergo electi sunt; ut etiam ex ipsius numeri ratione causa claresceret, quod per quatuor infima, tria summa prædicarent.

CAPUT X.

Et imposuit Dominus Simoni nomen Petrus; & Jacobum Zebedæi, & Johannem fratrem Jacobi vocavit Boanerges, quod est filii tonitrui: & Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Jacobum Alphæi, & Thadæum, & Simonem Chananæum, & Judam Iscariotem, qui tradidit illum. Marc. 3 15.

De nominibus Apostolorum. In exposit. B. Job. lib. 29. num. 49.

ALIQUANDO in tonitruo ipse incarnatus Dominus figuratur, qui ex antiquorum Patrum conveniente prophetia ad notitiam nostram, quasi ex nubium concursione prolatus est. Qui inter nos visibiliter apparens, ea quæ super nos erant, terribiliter sonuit: unde & ipsi sancti Apostoli de ejus gratia generati, Boanerges, id est filii tonitrui sunt vocati. Aliquando autem tonitruus, ipsa ejus prædicatio accipitur, per quam supernorum judiciorum terror auditur.

CAPUT XI.

Exiit seminans ad seminandum. Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, & volucres comederunt illud. Marc. 4. 3.

Volucres quid in Scriptura sacra significent. In exposit. B. Job. lib. 19. num. 2.

IN Scriptura sacra volucres aliquando in malis, aliquando in bono dantur intelligi: quia per eas, potestates designantur aereæ, nonnumquam bonorum studiis adversæ. Unde Veritatis ore dicitur: quoniam granum quod secus viam cecidit, venerunt volucres, & comederunt illud: quia nimirum maligni spiritus humanas mentes obsidentes, dum cogitationes noxias ingerunt, verbum vitæ a memoria evellunt.

CAPUT XII.

Aliud cecidit super terram, & statim orto sole exaruit. Marc. 4. 5.

In exposit. B. Job. lib. 34. num. 25. Ibid. multis interpositis.

IN Scriptura sacra, cum sol figurate ponitur, aliquando per eum persecutio designatur, sicut Veritas in Evangelio dicit, quod nata sine radicibus semina, orto sole, aruerunt: quia videlicet verba vitæ in corde terrenorum hominum temporali momento virentia, superveniente persecutionis ardore, siccantur. Aliquando etiam per solem, in-

telligentia, & acumen sapientium designatur, sicut per comparationem ad Salomonem dicitur: *Sapiens ut sol permanet, stultus ut luna mutatur.* [Eccles. 27. 12]

CAPUT XIII.

Et aliud cecidit inter spinas, quæ suffocaverunt illud. [Marc. 4. 7.]

[In expositione B. Job, lib. 7. num. 39.] SUNT plerique qui jam aliena non appetunt, & ab hujus mundi jurgiis, inchoato quietis amore, dividuntur, erudiri in sacris eloquiis sitiunt, vacare supernis contemplationibus concupiscunt, nec tamen perfecta animi libertate curam rerum familiarium deserunt. Cui sæpe dum licite serviunt, etiam illicitis hujus mundi jurgiis implicantur. Cumque terrenas res studiose tenere desiderant, cordis requiem deserunt, quam quærebant. Et cum substantia fugiens continua provisione protegitur, conceptus in animo divinæ scientiæ sermo dissipatur: quia juxta Veritatis sententiam, obortum semen spinæ opprimunt, cum verbum Dei a memoria importunæ terrenarum sollicitudines tollunt. Veritas quippe dicit: *Sollicitudo seculi istius, & fallacia divitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur.* [Homil. 15. in Evang. n. 1.] Divitiæ fallaces sunt, quæ diu nobiscum permanere non possunt, Fallaces sunt quæ nostræ mentis inopiam non expellunt. Solæ autem veræ divitiæ sunt, quæ nos divites virtutibus faciunt.

CAPUT XIV.

Et aliud cecidit in terram bonam, & afferebat fructum tricesimum. [Marc. 4. 8.]

[Hom. 17. in Penth. n. 12] SENARIUS numerus ideo perfectus esse dicitur, quia sexto die perfecit omnia opera sua Deus. Quod vero peccatori legem dedit, quæ in decem præceptis scripta est, & sex decies ducta in sexagenarium surgunt, recte per sexaginta, bonorum operum perfectio designatur. Quod etiam aperte Dominus in Evangelio designat, qui cum parabolam seminantis exponeret, dixit: *Aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum ascendentem & excrescentem, & afferebat unum triginta, unum sexaginta, & unum centum.* Fructus enim terræ bonæ triginta affert, cum mens perfectionem fidei, quæ est in Trinitate, conceperit. Sexaginta affert, cum bonæ vitæ opera perfecta protulerit. Centum vero affert, cum ad æternæ vitæ contemplationem profecerit. Sinistra enim nostra est vita præsens, dextera vero est vita ventura. Et recte per centenarium numerum, æternæ vitæ contemplatio designatur: quia cum post triginta ac sexaginta ad centesimum numerum pervenimus, idem centenarius numerus in dexteram transit. Fides & operatio adhuc in sinistra est, quia hic adhuc positi, & credimus quod non videmus, & operamur ut videamus. Cum vero se animus in contemplationem æternæ vitæ suspenderit, quasi ad dexteram manum computus pervenit.

CAPUT XV.

Qui habet aures audiendi, audiat. [Marc. 4. 9.]

[De auditu spirituali.] SCIENDUM, quia oculi & aures corporis adsunt etiam carnalibus, eisque sunt in usu rerum, quæ corporaliter videntur; oculi vero & aures cordis solummodo spiritualium sunt, qui invisibilia per intellectum vident, & laudem Dei sine sono audiunt. [Homil. 24. in Ezech. n. 1.] Has omnipotens Deus aures quærebat, cum diceret: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Quis namque in illo populo tunc esse poterat, qui aures corporis non haberet? sed dum dicitur: *Qui habet aures audiendi, audiat*, aperte monstratur quod illas aures quæreret, quas omnes habere non poterant.

CAPUT XVI.

Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram, &c. [Marc. 4. 26.]

ELECTUS quisque a rudimenti sui teneritudine prius inchoans, ad robusta postmodum & fortia convalescit: quod aperte Dominus in Evangelio sub messis nomine demonstrat, dicens: *Sic est regnum Dei, quemadmodum si jaciat homo sementem in terram, & dormiat; & exurgat nocte ac die, & semen germinet, & increscat, dum nescit ille.* [De profectu bonæ vitæ. In expositione Job, lib. 22. num. 46.] Cujus nimirum seminis incrementa denuntians, adjungit: *Ultro enim terra fructificat primum herbam, deinde spicas, deinde frumentum plenum in spica.* Cujus profectus quoque etiam finem subrogat, dicens: *Et cum ex se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam venit tempus messis.* Ecce Veritatis voce per qualitates frugum, distincta sunt incrementa meritorum. Ait enim: *Primum herbam, deinde spicas, deinde plenum frumentum in spica.* [Homil. 15. in Ezech. n. 5. & 6.] Semen igitur homo jactat in terram, cum cordi suo intentionem inserit bonam: & postquam semen jactaverit, dormit, quia in spe boni operis quiescit. Nocte vero exurgit ac die, quia inter adversa & prospera proficit. Et semen germinat & crescit, dum ille nescit; quia dum adhuc metiri incrementa sua non valet, semel concepta virtus ad profectum ducitur. Et ultro terra fructificat, quia præveniente gratia, mens hominis spontanea ad profectum boni operis surgit. Sed hæc eadem terra primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum producit in spica. Herbam quippe producere, est inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere. Ad spicam vero herba pervenit, cum se virtus animo concepta ad profectum boni operis pertrahit. Plenum vero frumentum in spica fructificat, quando jam in tantum virtus proficit, ut esse robusti & perfecti operis possit. Sed cum ex se produxerit fructus, statim mittet falcem, quoniam adest tempus messis. Omnipotens enim Deus, producto fructu, falcem mittit, & messem suam desecat, quia cum unumquemque ad opera perfecta perduxerit, ejus temporalem vitam per emissam sententiam incidit, ut granum suum ad horrea cælestia perducat. Cum igitur desideria bona concipimus, semen in terram mittimus: cum vero operari recta incipimus, herba sumus: cum autem ad profectum boni operis crescimus, ad spicam pervenimus: cum in ejusdem operationis perfectione solidamur, jam plenum frumentum in spica proferimus. Herba etenim Petrus fuerat, qui passionis tempore per amorem Dominum sequens, hunc confiteri ante vocem ancillæ timebat. [Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Johan. 18.] Erat enim jam viriditas in mente, quia credebat omnium Redemtorem; sed valde adhuc flexibilis, pede conculcabatur timoris. Jam quidem per devotionem viridis, sed adhuc

per

per infirmitatem tenera, cum ab ancillæ subito unius flatu sermonis inflexus est. Jam in spicam surrexerat, quoniam eum, quem moriturnm confiteri timuerat, nnntiante Angelo, viventem in Galilæa videbat. Sed ad plenum granum in spica pervenerat, quando veniente desuper Spiritu, & suam mentem in illius amore roborante, ita solidatus est, ut vires persequentium cæsus despiceret, & Redemtorem suum inter flagella libere prædicaret, & persequentibus principibus resisteret, dicens: *Obedire oportet Deo, magis quam hominibus*. Plenum frumentum inventus est, quando in tritura persecutionis tot verbera pertulit, & tamen nequaquam palearum more imminutus est, sed granum permansit. Nullus itaque, qui ad bonum propositum adhuc in mentis teneritudine esse conspicitur, despicatur: quia frumentum Dei ab herba incipit, ut granum fiat. Paulisper quippe in unaquaque anima, ut ita dicam, internæ gratiæ humor exuberat, ut herba in fingem crescat. Nemo igitur quemlibet proximum, cum adhuc herbam videt, de frumento desperet: ab herbarum quippe foliis, quæ huc illucque molliter defluunt, surgentia frugum semina solidantur.

Act. 5. 29.

CAPUT XVII.

Marc. 4. 31.

Simile est regnum Dei grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & crevit: & factum est in arborem magnam, & volucres cæli requieverunt in ramis ejus.

De arbore sapientiæ. In exposit. B. Job, lib. 19. num. 3.

IPSE quippe est granum sinapis, qui in horti sepultura plantatus, arbor magna surrexit. Granum namque fuit, cum moreretur: arbor cum resurgeret: granum per humilitatem carnis: arbor per potentiam majestatis: granum, *quia vidimus eum, & non erat aspectus*: arbor, *quia speciosus forma præ filiis hominum*. Hujus arboris rami, sancti sunt prædicatores. Et videamus quam late tendantur. Quid enim de eis dicitur: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*? In illis ramis volucres requiescunt, quia sanctæ animæ, quæ quibusdam virtutum pennis a terrena cogitatione se sublevant, in eorum dictis & consolationibus ab hujus vitæ fatigatione respirant.

Isa. 53. 2. Psal. 44. 3. Psal. 18. 5.

CAPUT XVIII.

Marc. 5. 12.

Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum.

Diabolus quam de se sit impotens. In exposit. B. Job, lib. 32. num. 30.

ABSQUE concessione omnipotentis Dei, nullam malignus spiritus contra hominem habet potestatem; quia, attestante Evangelio, describitur quod nec manere in obsesso homine potuit, nec rursus invadere bruta animalia non jussus præsumsit. Ipsi enim Redemtori nostro a legione, quæ hominem tenebat, dictum est: *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum*. Qui hanc & ab homine expulit, & in porcos ire, eosque in abyssum mittere concessit. Ex qua re colligitur quantæ infirmitatis noster adversarius existat, cui si potestas summa licentiam non præbet, grassari nec in porcos valet. Quando ergo iste sua sponte nocere factis ad Dei imaginem hominibus audeat, de quo nimirum constat quod non jussus contingere, nec porcos præsumat? Illi ergo nos necesse est sponte subdi, cui & adversa omnia subjiciuntur in vita; ut tanto nostris hostibus potentiores simus, quanto cum auctore omnium unum efficimur per humilitatem.

CAPUT XIX.

Revertere primum in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Dominus.

Marc. 5. 19.

ALIUD est Dominum cognoscere per fidem, atque aliud per speciem: aliud est invenire per credulitatem, aliud per contemplationem. Ex qua re agitur ut omnes electi eum, quem fide cognoverunt, videre quoque per speciem anhelent, cujus amore fragrantes æstuant, quia dulcedinis ejus suavitatem jam in ipsa suæ fidei certitudine degustant. Sed qui contemplationis arcem tenere desiderant, prius se in campo operis exerceant: quia primum est tempus actionis, extremum contemplationis. Unde necesse est ut perfectus quisque prius virtutibus mentem exerceat, & postmodum hæc in quiete contemplationis abscondat. Hinc est enim quod in Gerasenorum regione, is quem legio dæmonum Domino jubente dereliquit, ad Salvatoris sui pedes resedit, verba doctrinæ percipit, & de regione sua simul discedere, & cum salutis auctore esse concupiscit: sed tamen ei Veritas ipsa quæ salutem contulit, dicit: *Revertere primum in domum tuam, & narra quanta tibi fecerit Dominus*. Amanti adhuc dilatio imponitur, ut ex dilati amoris desiderio meritum retributionis augeatur. Fit enim nobis omnipotens Deus dulcis in miraculis, & tamen in sua celsitudine manet occultus, ut quædam monstrando de se, occulta nos inspiratione in suo amore succendat, & tamen in abscondendo majestatis suæ gloriam, amoris sui vim per æstum desiderii augeat. Quid autem nomine domus, ad quam sanatus reverti præcipitur, nisi conscientia designatur, in qua habitamus contractando quid agamus? Revertere igitur, ei dicitur, in domum tuam, & narra quanta fecerit Dominus; id est a peccati jam vitio securus ad conscientiam revertere, & in vocem prædicationis excitare. Cum enim quamlibet parum de divina cogitatione percipimus, redire ad humana jam nolumus, & proximorum necessitatibus onerari recusamus. Quietem contemplationis quærimus, nihilque aliud, nisi hoc quod sine labore reficit, amamus: sed sanatos nos Veritas ad domum mittit, & narrare quæ nobiscum acta sunt, præcipit; ut videlicet prius mens exsudet in opere, & postmodum refici debeat per contemplationem.

* De gaudio bonæ conscientiæ. In exposit. B. Job, lib. 16. num. 32. & lib. 6. num. 60.

Ibid. v. 19.

CAPUT XX.

Turba te comprimunt, & affligunt.

Marc. 5. 31.

CARNALES intra sanctam Ecclesiam ea, quæ confitendo tenent, vivendo non exhibent; & fidem, quam tenere se asserunt, premunt potius, quam venerantur, dum sua magis illius nomine, quam ejus adipisci lucra concupiscunt. Electi autem dum servare fidei meritum rectis operibus curant, ad auctoris sui notitiam inter reproborum tumultus appropinquant. Quod bene in Evangelio in muliere sanguinis fluxu laborante signatum est, quæ premente turba sola Dominum tetigit. De qua cum Dominus diceret: *Quis me tetigit*? Petrus ratiocinando respondit:

De perfectione carnalium. In exposit. B. Job, lib. 29. num. 43.

Turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis: Quis me tetigit? Sed audire causas veræ rationis meruit, cum ei Dominus dixit: *Tetigit me aliquis, nam & ego novi virtutem de me exisse.* Ecce turbæ premebant Dominum, & tamen sola tetigit, quæ ad illum humiliter venit: quia multi nimirum etiam in sancta Ecclesia reprobi veritatem cognoscendo premunt, quam bene vivendo tangere negligunt. Premunt & longe sunt, quia divinam notitiam professionibus sequuntur, moribus fugiunt. Premunt, inquam, sed longe sunt, qui eidem fidei, quam loquendo adstruunt, agendo contradicunt. Multi ergo Dominum comprimunt, & una tangit: quia carnales in Ecclesia eum comprimunt, a quo longe sunt: & soli tangunt, qui huic veraciter humiles adjunguntur. Turba igitur premit, quia multitudo carnalium, quo intus admittitur, eo gravius toleratur. Premit & non tangit, quia importuna est per præsentiam, & absens per vitam. Carnales itaque, quo verbis professæ fidei in Ecclesia sunt, eo bonos incorrectis suis moribus pejus premunt. Nonnumquam enim pravis nos sermonibus, nonnumquam vero solis perversis moribus insequuntur. Suadent namque aliquando quæ tenent, aliquando vero etsi non suadeant, præbere tamen iniquitatis exempla non cessant. Qui igitur ad mala nos vel verbis, vel exemplis illiciunt, profecto persecutores nostri sunt, a quibus tentationum certamina sumimus, quę saltem in corde vincamus.

Ibid. lib. 3 num. 27.

CAPUT XXI.

Resuscitavit Jesus filiam Principis.

Marc. 5.

De interna cordis quiete acquirenda. In exposit. B. Job, lib. 19. num. 61.

CUM mira ope pietatis ad cor Veritas venit, prius ab eo cogitationum carnalium æstus ejicit, & post in eo virtutum dona disponit. Quod bene nobis sacra Evangelii historia innuit, in qua dum ad resuscitandam filiam Principis invitatus Dominus duceretur, protinus additur: *Et cum ejecta esset turba, intravit, & tenuit manum ejus, & surrexit puella.* Foras ergo turba ejicitur, ut puella suscitetur: quia si non prius a secretioribus cordis expellitur importuna secularium multitudo curarum, anima, quæ intrinsecus jacet mortua, non resurgit. Nam dum se per innumeras terrenorum desideriorum cogitationes spargit, ad considerationem sui sese nullatenus colligit.

CAPUT XXII.

Herodes decollavit Johannem Baptistam.

Marc. 6.

De decollatione sancti Johannis Baptistæ. Epist. 63. l. 11 in Resp. ad interrog. & In exposit. B. Job, lib. 13. n. 11. & l. 2. num. 12. Johan. 14. 6.

CUM cognata misceri prohibitum est: quia per conjunctionem priorem caro fratris fuerit facta. Pro qua re etiam Johannes Baptista capite truncatus est, & sancto martyrio coronatus. Cui non est dictum ut Christum negaret, & tamen pro confessione occisus est, sed quia idem Dominus noster Jesus Christus dixerat: *Ego sum Veritas*, quia pro veritate Johannes occisus est, videlicet & pro Christo sanguinem fudit. Quis autem non obstupescat, quod prævalere perversi contra bonorum innocentiam permittuntur? cum Herodias apud temulentum Regem saltatu filiæ obtinet, ut caput amici Sponsi, Prophetæ, & plus quam Prophetæ ante ora convivantium in disco deferatur. Non enim sine gravissima admiratione perpendo, quod ille prophetiæ spiritu intra matris uterum impletus, atque ut ita dixerim, priusquam nasceretur renatus, ille amicus Sponsi, ille quo inter natos mulierum nemo major surrexit: ille sic Propheta, ut plus esset etiam quam Propheta, ab iniquis in carcerem mittitur, & pro puellæ saltatu capite truncatur, & vir tantæ sanctitatis pro risu turpium moritur. Numquidnam credimus quid fuisse quod in ejus vita, illa sic despecta mors tergeret? Sed quando ille vel in cibo peccavit, qui locustas solummodo, & silvestre mel edit? Quid Deo vel de qualitate sui tegminis deliquit, qui camelorum pilis corpus operuit? Quid de conversatione sua offendere potuit, qui de eremo non recessit? Quis illum loquacitatis reatus polluat, qui disjunctus longe ab hominibus fuit? Quando illum vel silentii culpa attigit, qui ad se venientes tam vehementer increpavit, dicens: *Genimina viperarum, quis vobis demonstravit fugere ab ira ventura?* Quid est quod Dei voce Johannes laudatur, & tamen pro temulentæ verbis in saltationis præmium moritur? Quid est quod omnipotens Deus sic vehementer in hoc seculo despicit, quos sic sublimiter ante secula elegit, nisi hoc quod pietati fidelium patet: quoniam idcirco sic eos premit in infimis, quia videt quomodo remuneret in summis: & foris usque ad despecta dejicit, quia intus usque ad incomprehensibilia perducit? Hinc ergo unusquisque colligat quid illic sint passuri, quos reprobat, si hic cruciat quos amat: aut quomodo ferientur, qui in judicio arguendi sunt, si sic eorum vita premitur, qui ipso judice teste laudantur. Si igitur errantibus hujus mundi potentibus, fratres carissimi, libere loqui decernimus, Johannis auctoritas ad animum reducatur, qui nequitiam Herodis reprehendens, pro verbi rectitudine occidi non timuit. Et quia Christus est veritas, ipse ideo pro Christo, quia pro veritate, animam posuit.

Matt. 3. 7.

In Ezech. l. 1. hom. 3. n. 21.

CAPUT XXIII.

Date illis vos manducare.

Marc. 6. 37.

De pastu prædicationis. In exposit. B. Job, lib. 17. num. 24.

PER prædicatores sanctos audientium subjectorum jejuna corda Dominus pascit, sicut de populis esurientibus discipulis conquerentibus respondit Dominus, dicens: *Date illis vos manducare.* Quod sic tunc eorum manibus factum esse credimus, ut hoc eorum verbis quotidie fieri sine cessatione videamus. Hoc enim ait Petrus, cum per Epistolas loquitur, ut verbi pabulo corda nostra male jejuna satientur: hoc Paulus, hoc Johannes per Epistolas loquentes operantur, ut mentes nostræ sacramenta cælestia percipiant, & inediæ suæ fastidium, quo moriebantur, vincant.

CAPUT XXIV.

Et discubuerunt in partes, per centenos, & per quinquagenos.

Marc. 6. 40.

De distinctione bene viventium. In exposit. B. Job, lib. 18. num. 69.

DIVERSÆ Ecclesiæ in singulis mundi partibus positæ unam Catholicam faciunt, in qua fideles omnes de Deo recta sentientes concorditer vivunt. Hanc namque in Evangelio Dominus per conviventium populorum, & per locorum distinctionem concordiam designavit, cum satiaturus de quinque panibus populos, quinquagenos per turmas, vel centenos discumbere præcepit; ut videlicet turba fidelium escam suam, & locis disjuncta

cta & moribus conjuncta perciperet. Jubilei quippe requies, quinquagenarii numeri mysterio continetur, & quinquagenarius bis ducitur, ut ad centenarium perducatur. Quia ergo prius a malo quiescitur opere, ut post anima plenius quiescat in cogitatione, alii quinquageni, alii autem centeni discumbunt: quoniam sunt nonnulli, qui jam a pravis actibus habent requiem operis: & sunt nonnulli qui perversis cogitationibus superatis habent jam requiem mentis.

CAPUT XXV.

Marc. 6.46. *Abiit in montem orare.*

De vicissitudine contemplandi & operandi. In expos. Job, lib. 6. num. 56.

NON est perfectus prædicator, qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit. Hinc est quod ipsa Veritas per susceptionem nostræ humanitatis nobis ostensa, in monte per noctem orationi inhæret, miracula per diem in urbibus exercet, ut perfectis innuat prædicatoribus, quatenus nec activam vitam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant, sed quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant. Speculando quippe in Dei amorem surgitur, sed prædicando ad utilitatem proximi reditur. Tunc autem ad alta caritas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit: & quo bene descendit ad infima, eo valenter recurrit ad summa.

CAPUT XXVI.

Marc. 7.32. *Adducunt surdum, & mutum, & deprecabantur eum ut imponeret ei manum.*

De curatione surdi, & muti. Homil. 10. in Ezech. n. 20.

AUDIMUS verba Dei si facimus, & tunc ea proximis recte loquimur, cum prius ipsi fecerimus. Quod bene Marcus Evangelista confirmat, cum factum Domini miraculum narrat, dicens: *Adducunt autem surdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponeret illi manum.* Cujus ordinem curationis insinuat, dicens: *Misit digitos suos in auriculas ejus, & expuens tetigit linguam ejus, & suspiciens in cælum ingemuit, & ait illi: Effeta, quod est, adaperire. Et statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte.* Quid est enim quod Creator omnium Deus, cum surdum & mutum sanare voluisset, in aures illius suos digitos misit, linguam ejus tetigit? Quid per digitos Redemtoris, nisi dona sancti Spiritus designantur? Unde cum in loco alio ejecisset dæmonium, dixit: *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.* Qua de re per Evangelistam alium dixisse describitur: *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmones, profecto pervenit in vos regnum Dei.* Ex quo utroque loco colligitur, quia digitus spiritus vocatur. Digitos igitur in auriculas mittere, est per dona sancti Spiritus mentem surdi ad obediendum aperire. Quid est vero quod expuens, linguam ejus tetigit? Saliva nobis est ex ore Redemtoris, accepta sapientia in eloquio divino; saliva quippe ex capite defluit in ore. Ea ergo sapientia quæ ipse est, dum lingua nostra tangitur, mox ad prædicationis verba formatur. Qui suscipiens in cælum ingemuit: non quod ipse necessarium gemitum haberet, qui dabat quod postulabat;

Luc. 11.20.

Matt. 12.28.

sed nos ad eum gemere, qui cælo præsidet, docuit, ut aures nostræ per dona sancti Spiritus aperiri, & lingua per salivam oris, id est per scientiam divinæ locutionis, solvi debeat ad verba prædicationis. Cui mox *Effeta*, id est *adaperire*, dicitur; & statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus. Qua in re notandum est quia propter clausas aures dictum est, *adaperire*: sed cui aures cordis ad obediendum apertæ fuerint, ex subsequenti proculdubio etiam linguæ ejus vinculum solvetur; ut bona quæ fecerit, ipse etiam facienda aliis loquatur; ubi & bene additur: *Et loquebatur recte.* Ille enim recte loquitur, qui prius obediendo fecerit, quæ loquendo admonet esse facienda.

CAPUT XXVII.

Misereor super turbam. Marc. 8.2.

De pœnitentibus. Homil. 21. in Ezech. n. 21. & 22.

OPORTET ut prædicatores in peccato positis prædicent, & cum jam cœperint peccata relinquere, & ad innocentiam festinare, necesse est ut erga eos in ore doctoris incrementa prædicationis excrescant, & quibusdam doctrinæ suæ verbis, tanto vehementius insistant, quanto eos gravius cecidisse considerant. Libet inter hæc ad medium Evangelii verba deducere, cujus sacra historia per hoc quod factum miraculum narrat, mira quæ quotidie aguntur, denuntiat. Nam cum fessi & jejuni ad Dominum populi convenissent, discipulis Dominus dicit: *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent: & si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt.* Turba Dominum triduo sustinet, quando multitudo fidelium peccata quæ perpetravit, per pœnitentiam declinans, ad Dominum se in opere, in locutione, & cogitatione convertit. Quos dimittere jejunos in domum suam Dominus non vult, ne deficiant in via: quia videlicet conversi peccatores in præsentis vitæ via deficiunt, si in sua conscientia sine doctrinæ suæ pabulo dimittuntur. Ne ergo lassentur in hujus peregrinationis itinere, pascendi sunt a doctoribus sacra admonitione. Sicut alibi de esurientibus plebibus, Apostolis præcepit, dicens: *Date illis vos manducare.* Et rursum: *Nolo dimittere eos jejunos, ne deficiant in via.* Ac si diceret: In prædicatione vestra verbum consolationis accipiant, ne a veritatis pabulo jejuni remanentes, in hujus vitæ labore succumbant. Valde autem pensanda est pia sententia, quæ processit ex ore Veritatis, qua dicitur: *Quidam enim de longe venerunt.* Est aliquis qui nil fraudis, & nil carnalis corruptionis expertus, ad omnipotentis Dei servitium festinavit. Iste de longinquo non venit: quia per incorruptionem, & innocentiam proximus fuit. Alius nulla impudicitia, nullis flagitiis inquinatus, solum autem conjugium expertus, ad ministerium spirituale conversus est. Neque iste venit de longinquo, quia usus conjunctione concessa, per illicita non erravit. Alii vero post carnis flagitia, alii post falsa testimonia, alii post facta furta, alii post illatas violentias, alii post perpetrata homicidia ad pœnitentiam redeunt, & ad omnipotentis Dei servitium convertuntur: hi videlicet ad Deum de longinquo veniunt. Quanto etenim quisque plus in pravo opere erravit, tanto ab omnipotente Domino longius recessit. Nam & prodigus filius qui patrem deseruit,

ruit, abiit in regionem longinquam in qua porcos pavit, quia vitia nutrivit. Dentur igitur alimenta eis etiam qui de longinquo veniunt, quia converſis peccatoribus doctrinæ ſanctæ cibi præbendi ſunt, ut in Deum vires reparent, quas in flagitiis amiſerunt: quia ſæpe a doctoribus tanto neceſſe eſt ut largioribus cibis doctrinæ ſatientur, quanto feſſi majoribus vitiis venerant.

CAPUT XXVIII.

Marc. 8. 24.

Video homines tamquam arbores ambulantes.

De contemplatione.

SUNT quædam contemplativæ vitæ, quæ per quaſdam modo imagines videntur, ut poſtmodum ſicut ſunt in ipſa ſua virtute, & natura videantur. Nam Paulus ait: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (1. Cor. 13. 12.). Et cæcus eum impoſitione manuum Redemtoris jam lumen recipere cœpiſſet, requiſitus eſt quid videret; & aſpiciens, ait: *Video homines velut arbores ambulantes*. Homo quippe natura rationalis eſt, arbor autem nec ſenſibilis eſt, nec vivit. Et quid iſte illuminatus cæcus ſignificat, niſi genus humanum? Cui cum Dominus contemplationis oculos aperit, prius quædam in ænigmate conſpicit, ut poſtmodum illa vera, & rationabilia cæleſtium agmina, ſicut ſunt poſita, aſpiceret. Unde & illic ſubditur: *Deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos ejus, & cœpit videre, & reſtitutus eſt, itaut videret clare omnia*. Prius itaque per ſpeculum vidit & ſimilitudinem, ut poſtmodum clare videret, & perfecte.

CAPUT XXIX.

Matt. 9. 1.

Aſſumpſit Jeſus Petrum.

In expoſit. B. Job, lib. 24. num. 29.

NOVITER converſi prius ſuavitatem ſecuritatis ſentiunt, prius pacis quiete nutriuntur: poſt cognitam vero dulcedinem tanto jam tolerabilius tentationum certamina ſuſtinent, quanto in Deo altius cognovere quod ament. Unde & Petrus prius in montem ducitur, prius claritatem transfigurationis Dominicæ contemplatur, & tunc demum tentari ancilla interrogante permittitur (Matt. 26.); ut per tentationem factus ſibi ex infirmitate conſcius, ad illud flendo & amando recurreret, quod vidiſſet: & cum eum timoris unda peccati in pelagus raperet, eſſet prioris dulcedinis anchora quæ retineret.

CAPUT XXX.

Marc. 9. 2.

Et veſtimenta ejus facta ſunt candida ſicut nix.

In expoſit. B. Job, lib. 32. num. 8. Matt. 5. 14.

DOMINUS Sanctis omnibus, quibus dictum eſt, *Vos eſtis lux mundi*, in illa æterna gloria veſtietur. Unde & per Evangelium dicitur, quia transfigurato in monte Domino, veſtimenta ejus facta ſunt candida ſicut nix. In qua transfiguratione quid aliud quam reſurrectionis ultimæ gloriæ nuntiantur? In monte enim veſtimenta ejus ſicut nix facta ſunt, quoniam in ſupernæ claritatis culmine omnes Sancti luce fulgentes juſtitiæ, ei adhærebunt.

CAPUT XXXI.

Marc. 9. 4.

Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum. Non enim ſciebat quid diceret.

In expoſit. B. Job, lib. 8. num. 91.

TABERNACULUM conſtruitur, ut ab æſtu corpus & frigore defendatur. Quid itaque hoc loco tabernaculi nomine, niſi ædificatio terrenæ felicitatis exprimitur? Per quam ſuper ſe reprobi caſura multiplicant: ut ſe a præſentis vitæ neceſſitatibus quaſi ab æſtu & imbribus defendant. Honoribus enim excreſcere ambiunt, ne deſpecti videantur: terrena aggregando exaggerant, ne inopiæ frigore tabeſcant. Ubi ergo mentis habitationem conſtruunt, ibi proculdubio tabernacula figunt. At contra juſti gaudent in hac terra deſpici, nec dolent ſe neceſſitatibus affligi: & quia contra præſentia ſe adverſa non muniunt, quaſi contra æſtus & pluvias habere tabernaculum nolunt. Hinc eſt quod atteſtante Paulo (Ibid. num. 92. Hebr. 11.) Abraham in caſulis habitat: quia habentem fundamenta civitatem quam ſupernus artifex conſtruxit, expectat. Unde & Petrus jure reprehenditur: quia necdum mentis perfectione roboratus, veritatis claritate cognita, figere tabernaculum in terra conatur. Quaſi munitum ſibi dives ille tabernaculum conſtruxerat, qui dicebat: *Anima, habes multa bona repoſita in annos multos, requieſce, comede & bibe, & epulare* (Luc. 12. 19.). Sed quia tabernaculum ejus in veritatis fundamento non ſubſiſtit, illico audivit: *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam abs te; quæ præparaſti, cujus erunt?* (Verſ. 20.) Vitæ enim fugientis amatores, dum ſtudioſe ſe in præſentibus conſtruere conantur, ad æternam repente pœnam rapiuntur.

CAPUT XXXII.

Elias venturus eſt, & reſtituet omnia. Marc. 9. 11.

De converſione Judæorum per Eliam. In expoſit. B. Job, lib. 20. num. 66. Homil. 12. in Ezech. In expoſit. B. Job, lib. 35. num. 24.

QUAMVIS ad cælum raptus Elias eſſe perhibetur, mortem tamen diſtulit, non evaſit. *Quis eſt enim homo, qui vivit, & non videbit mortem?* Veniet itaque reſtituturus omnia: quoniam ad hoc nimirum huic mundo reſtituetur, ut & munera prædicationis impleat, & carnis debitum ſolvat. Sancta Eccleſia quamvis nunc Judæos amiſerit, in fine tamen hujus ſeculi dupliciter recipit: quando Gentibus ad plenum ſuſceptis, ad ejus fidem currere omnis, quæ tunc inventa fuerit, etiam Judæa conſentit. Hinc namque ſcriptum eſt: *Donec plenitudo Gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſalvus fieret* (Rom. 11. 25.). Hinc in Evangelio Veritas dicit: *Elias venit, & ipſe reſtituet omnia*. Nunc enim amiſit Iſraelitas Eccleſia, quos convertere prædicando non valet; ſed tunc, Elia prædicante, quotquot invenerit, colliget; quod amiſit, plenius recipiet. Ex plebe quippe Judaica quotquot inventi fuerint, convertentur, & ad Eliæ prædicationem multi ex his qui tunc ex Judæis in infidelitate remanſerint, ad cognitionem veritatis redibunt, & Dominum Jeſum jam nequaquam quaſi purum hominem contemnentes, ejus divinitati ſe inhærere congaudebunt. Judæi namque ante incarnationem Domini, eum eſſe venturum crediderunt, & annuntiaverunt: ſed poſtquam in carne apparuit, hunc eſſe negaverunt: & quem venturum dixerant, præſentem contemſerunt, & nequaquam ea credendo

dendo secuti sunt, quæ patres suos prædixisse meminerunt. Elias autem veniens sicut per Malachiam dicitur, *Reducet corda filiorum ad patres eorum*: quoniam hoc de Domino incipient filii intelligere, Elia prædicante quod patres eorum prædicavere.

Malach. 4. 6.

CAPUT XXXIII.

Marc. 9. 23.

Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.

De profectu fidei. Mixtim ex lib. 22. nu. 49. In exposit. B. Job. & ho. 15. in Ezech. n. 4. Luc. 17. 5.

FIDES nostra ad perfectionem suam quibusdam gradibus ducitur: quia pars ejus prius accipitur, ut in nobis postmodum perfecte compleatur. Hinc est quod Redemtori nostro a discipulis dicitur: *Auge nobis fidem*, ut quæ jam accepta per initium fuerat, quasi per augmenta graduum ad perfectionem veniret. Si enim in credentis mente non proficeret, quidam veniens ad Dominum qui curari volebat suum filium, & interrogatus an crederet, minime dixisset: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam*. Pensate, rogo, quod dicitur. Si credebat, cur incredulitatem dicebat? Si vero incredulitatem habere se noverat, quomodo credebat? Sed quia per occultam inspirationem gratiæ, meritorum suorum gradibus fides crescit, uno eodemque tempore is qui necdum perfecte crediderat, simul & credebat, & incredulus erat. Adhuc ergo ascendebat ad fidem quam jam perceperat, qui & jam se credere, & adhuc ex incredulitate dubitare clamabat.

CAPUT XXXIV.

Marc. 9. 24.

Comminatus est Jesus spiritui immundo.

De tentationibus. In exposit. B. Job. lib. 32. nu. 33. & 34.

CUM antiquus hostis aliquem tentare incipit, prius quasi consulens, blanda & illicita animo suggerit, post ad delectationem pertrahit, ad extremum per consensionem possidens, violenta peccandi consuetudine, pœnæ insolubiliter constringit. Hinc est quod nonnulli peccata longo tempore perpetrata in semetipsis ipsi reprehendunt, & hæc ex judicio fugiunt: sed vitare opere nec decertantes possunt. Sciendum est etiam quod plerumque eis quos ceperit, tunc graviores culpas ingerit, cum præsentis vitæ termino illos propinquare cognoscit: & quos per initia prava ceperit, ad finem deteriores reddit, ut ejus tentamenta quo citius cessatura sint, eo valentius compleantur. Quia enim suis pœnis eorum satagit æquare supplicium, in eis ardentius ante mortem nititur omnia exaggerare peccata. Plerumque jam cor male subditum possidet, sed tamen divina illum gratia repellit: & misericordiæ manus ejicit, quem ad se captiva voluntas introduxit. Cumque a corde expellitur, acriores infigere stimulos iniquitatum conatur, ut eos tentationum fluctus mens ab illo impugnata sentiat, quos etiam possessa nesciebat. Quod bene in Evangelio exprimitur, cum exire de homine spiritus immundus Domino jubente narratur. Nam cum dæmoniacus puer fuisset oblatus, scriptum est: *Comminatus est Jesus spiritui immundo, dicens: Surde & mute spiritus, ego tibi præcipio, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et exclamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo*. Ecce non eum discerpserat, cum tenebat: exiens discerpsit; quia nimirum tunc pejus cogitationes mentis dilaniat, cum jam egressui divina

A virtute compulsus appropinquat; & quem mutus possederat, cum clamoribus deserebat: quia plerumque cum possidet, minora tentamenta irrogat: cum vero de corde pellitur, acriori infestatione perturbat. Hostis itaque cor hominis possidens, semper in malitia ex posterioribus crescit; cor deserens, vehementioribus cogitationum stimulis percutit. Tanto igitur quisque debet initia tentationis fugere, quanto finem ejus intelligit citius solvi non posse. Superabile namque est omne quod hostis initio suggerit, sed inde sequitur, quod vinci vix possit.

B

CAPUT XXXV.

Et factus est sicut mortuus.

Marc. 9. 25.

De conversis ad Deum. In exposit. B. Job, lib. 10. num. 50.

CARNALES homines illos quasi mortuos deputant, quos nequaquam secum vivere carnaliter pensant, qui scilicet ea non habent, quæ ipsi habent, vel solummodo amant. Qui enim ab hujus mundi appetitu moritur, a terrenis profecto mentibus omnimodo extinctus æstimatur. Quod bene nostri miraculum Redemtoris signat, cum ab immundo spiritu hominem liberat, de quo scriptum est: *Clamans, & multum discerpens exiit ab eo, & factus est sicut mortuus: itaut multi dicerent, quia mortuus est. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & surrexit*. Velut mortuus quippe ostenditur, qui a maligni
C spiritus potestate liberatur: quia quisquis jam terrena desideria subegit, vitam in se carnalis conversationis extinguit; & mundo mortuus apparet: quia possessore pravo, qui per immunda desideria se agitabat, caret. Quem multi mortuum dicunt, quia qui spiritualiter vivere nesciunt, eum qui carnalia bona non sequitur, extinctum funditus arbitrantur.

CAPUT XXXVI.

Qui scandalizaverit unum de pusillis istis.

Marc. 9. 41.

De Prælatis peccantibus. Regul. Past. par. 1. cap. 2.

NEMO amplius in Ecclesia nocet, quam qui perversa agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc
D redarguere nullus præsumit: & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Indigni autem quippe tanti reatus pondera fugerent, si Veritatis sententiam sollicita cordis aure pensarent, quæ ait: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*. Per molam quippe asinariam secularis vitæ circuitus, & labor exprimitur: & per profundum maris extrema damnatio designatur. Qui ergo ad sanctitatis speciem deductus, vel verbo ceteros destruit vel exemplo, melius profecto fuerat ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta
E constringerent, quam sacra officia in culpa ceteris imitabilem demonstrarent; quia nimirum si solus caderet, utcumque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret.

CAPUT XXXVII.

Item unde supra.

In exposit. B. Job, lib. 6. num. 37.

QUID per molam asinariam, nisi actio terrena signatur? Quę dum colla mentis per stulta desi-

deria constringit, hanc in laboris circuitum mittit. Quid vero per mare, nisi præsens seculum figuratur? Sunt itaque nonnulli qui dum terrenas actiones deserunt, & ad contemplationis studium humilitate postposita, ultra vires intelligentiæ surgunt, non solum se in errorem dejiciunt, sed infirmos quosque a gremio unitatis dividunt. Qui igitur unum de minimis scandalizat, melius illi fuerat alligata collo mola asinaria in mare projici; quia nimirum perversæ menti expedibilius esse potuisset, ut occupata mundo, terrena negotia ageret, quam per contemplationis studia ad multorum perniciem vacaret. Sunt enim nonnulli inquieti spiritus, qui dum plus exquirunt contemplando quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt: & dum Veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri errorum fiunt.

CAPUT XXXVIII.

Marc. 9.49.

Habete sal in vobis: & pacem habete inter vos.

Mixtim ex homil. 8. in Ezech. n. 4 & Regul. Past. par. 2. cap. 4.

SUNT nonnulli qui dum plus sapere quam est necesse student, a proximorum pace resiliunt, dum eos velut hebetes stultosque contemnunt. Unde per semetipsam Veritas admonet, dicens: *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos.* Per sal quippe designantur verba sapientiæ. Sal quippe sine pace non virtutis est donum, sed damnationis augmentum. Quo enim quisque melius sapit, eo deterius delinquit: & idcirco inexcusabiliter multo majus supplicium merebitur; quia si voluisset, prudenter potuisset vitare peccatum. Quisquis igitur habere sal sapientiæ studet atque laborat, curet necesse est quatenus a pace concordiæ numquam recedat. Præterea cum Rector ad loquendum se præparat, sub quanto cautelæ studio eloquatur, attendat: ne si inordinate ad loquendum rapitur, erroris vulnere audientium corda feriantur; & cum forte sapiens videri desiderat, unitatis compagem insipienter abscindat. Hinc Paulus ait: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Qui igitur sapienter loqui nititur, magnopere metuat ne ejus eloquio audientium unitas confundatur, implens quod dicitur: *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos.*

Rom 12.3.

CAPUT XXXIX.

Marc. 10.17.

Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo?

De sumptibus cælestis ædificii. Homil. 37. in Evang. n. 6. Luc 14.28.

DOminus per alium Evangelistam dicit: *Quis ex vobis volens turrim ædificare, non prius computat sumtus, qui necessarii sunt?* Ecce juxta Veritatis vocem qui turrim ædificat, prius ædificii sumtus parat. Si igitur, fratres, humilitatis turrim construere cupimus, prius nos ad adversa hujus seculi præparare debemus. Hoc enim inter terrenum & cæleste ædificium distat, quod terrenum ædificium expensas colligendo construitur, cæleste vero ædificium expensas dispergendo. Ad illud sumtus facimus, si non habita colligamus: ad istud sumtus facimus, si habita relinquamus. Istos sumtus ille dives habere non potuit, qui possessiones multas possidens, magistrum requisivit, dicens: *Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo?* Qui cum præceptum audisset omnia relinquendi, tristis abscessit, & inde angustatus est in mente, unde foris latior fuit in possessione. Quia enim in hac vita amabat sumtus celsitudinis, tendendo ad æternam patriam, habere noluit sumtus humilitatis.

CAPUT XL.

Nemo bonus, nisi unus Deus.

Marc. 10.18.

De bonitate. In exposit. B. Job, lib. 9, num. 46. Genes. 1.31.

OMNIA quæ creata sunt, bona sunt, attestante Moyse, qui ait: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Sed hoc solum bonum principaliter bonum est, per quod hæc omnia quæ bona sunt, non principaliter existunt: de quo bono Veritas dicit: *Nemo bonus, nisi unus Deus.*

CAPUT XLI.

Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt.

Marc. 10.23.

De avaris divitibus. In exposit. B. Job, lib. 4. Præfat. n. 3. Regul. Past. 3. par. cap. 20

RARUM valde est ut qui aurum possident, ad requiem tendant, dum per semetipsam Veritas dicit: *Difficile qui pecunias habent, intrabunt in regnum cælorum.* Nam qui hic multiplicandis divitiis inhiant, quæ alterius vitæ gaudia sperant? Quod tamen ut Redemtor noster valde rarum, & ex solo divino miraculo evenire posse monstraret: *hoc*, inquit, *apud homines impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Divites igitur avari, cum vel plura ambiunt, vel obtinere cuncta quæ ambierint possunt, audiant quod scriptum est: *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Ac si aperte Veritas dicat: Quid prodest homini si totum quod extra est, congregat: si hoc solum, quod ipse est, damnat?

Matt. 16.26.

CAPUT XLII.

Facilius est camelum per foramen acus transire: quam divitem intrare in regnum cælorum.

Marc. 10.25.

De humilitate Redemtoris nostri. In exposit. B. Job, lib 31. num. 38. Johan. 10.18.

CAMELI nomine Dominus in sacro eloquio exprimitur. Quia enim ad onera suscipienda sponte se camelus humiliat, non immerito Redemtoris nostri gratiam designat: qui in eo quod infirmitatis nostræ onera suscipere dignatus est, a potestatis suæ celsitudine sponte descendit. Unde per Evangelium dicit: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam: & nemo tollit eam a me, sed ego pono eam.* Et unde iterum dicit: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum.* Quid enim nomine divitis, nisi quemlibet elatum; quid appellatione cameli, nisi propriam condescensionem signat? Camelus enim per foramen acus transit, cum idem Redemtor noster usque ad susceptionem mortis per angustias passionis intravit, quæ passio velut acus extitit, quia dolore corpus pupugit. Facilius autem camelus per foramen acus, quam dives cælorum regnum ingreditur: quia nisi ipse prius infirmitatis nostræ onera suscipiens, per passionem suam formam nobis humilitatis ostenderet, nequaquam se ad humilitatem illius superba rigiditas inclinaret.

CAPUT XLIII.

Marc. 10. 38. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?*

De martyrii generibus. In exposit. B. Job, lib. 17. num. 9.

FILII Zebedæi Jacobus & Johannes, interveniente matre locum celsitudinis & gloriæ a Domino quærebant, sed ejusdem gloriæ iter ignorabant. Confessionis quippe illius celsitudinem a dextris, sinistrisque quærebant: sed quanta ad hanc esset itineris angustia minime videbant. Ad viam ergo per quam ad celsitudinem venirent, a Domino tumentia illorum corda revocantur, & eorum mox oculis imitandus calix passionis objicitur; ut videlicet si ad sublimitatis gaudia tenderent, prius viam humilitatis invenirent. Dixit ergo eis Jesus: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Ac si dicatur eis: Jam vos locus delectat celsitudinis, sed prius vos via exerceat laboris: per calicem enim pertingitur ad majestatem. Si mens vestra appetit quod demulcet, prius bibite quod dolet: sic per amarum poculum confessionis, pervenitur ad gaudium salutis. Et quoniam duo sunt martyrii genera, unum in occulto opere, aliud in publico, testatur ipse Dominus, qui cum requisisset, dicens: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Et illi dixissent: *Possumus*; illico subsecutus est, dicens: *Calicem quidem meum bibetis*. Quid enim per calicem, nisi dolorem passionis accipimus? De quo alio loco: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste*. Zebedæi autem filii, id est Jacobus & Johannes, non uterque per martyrium occubuit, & tamen quod uterque calicem biberet, audivit. Johannes namque per martyrium nequaquam vitam finivit, sed tamen martyr extitit: quia passionem, quam non suscepit in corpore, servavit in mente. Mori quippe a persequente, martyrium est in aperto opere: ferre vero contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. Et nos igitur, etiamsi nullo ferro percutientium trucidemur, martyres esse possumus, si patientiam veraciter in animo custodiamus.

Homil. 27. in Evang. n. 4. — Homil. 35. in Evang. n. 7. — Matt. 26. 39.

CAPUT XLIV.

Marc. 10. *Stans Jesus cæcum illuminavit.*

De creaturarum mutabilitate, & statu divinitatis. In exposit. B. Job, lib. 5. num. 63.

OMNIS creatura quia ex nihilo facta est, & per semetipsam ad nihilum tendit, non stare habet, sed defluere. Rationalis vero creatura, eo ipso quo ad imaginem auctoris est condita, ne ad nihilum transeat, figitur: irrationalis autem nequaquam figitur, sed donec visionis suæ ministerio speciem universitatis impleat, transeundo tardatur. Nam etsi cælum ac terra post in æternum permanent, ex semetipsis tamen nunc ad nihilum properant, sed pro eorum usu, quibus serviunt, in melius mutata perseverant. Stare ergo solius Creatoris est, per quem cuncta non transeuntem transeunt; & in quo aliqua ne transeant, retinentur. Unde & Redemtor noster, quia divinitatis ejus status capi ab humana mente non potuit, hinc se nobis ad nos in carne veniens creatus, natus, mortuus, sepultus, resurgens & ad cælestia rediens quasi transeundo monstravit. Quod bene per Evangelium illuminato cæco innotuit, cui transiens auditum præbuit, sed stans oculos reparavit. Per humilitatis quippe A dispensationem transire habet: per divinitatis vero potentiam, qua ubique præsens est, stare. Voces igitur cæcitatis nostræ Dominus audire transiens dicitur, quia humanæ miseriæ factus homo miseretur. Sans autem lucem reparat, quia infirmitatis nostræ tenebras ex virtute divinitatis illustrat.

CAPUT XLV.

Jesus sedens super asinum, venit Jerusalem. Marc. 11.

De fide Judæorum & Gentium. Moralium in exposit. B. Job, lib. 35. num. 42. & hom. 17. in Ezech. num. 2. — Marc. 11. 7.

IN amore auctoris & Redemtoris nostri fideles animæ ex Judaico populo, & ex Gentilitate convenerunt. Unde & idem Redemtor noster cum asellum sedens, Jerusalem tenderet, sicut Evangelista testatur: *Multi vestimenta sua straverunt in via: alii autem frondes cædebant de arboribus, & sternebant in via. Et qui præibant, & qui sequebantur, clamabant, dicentes: Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini.* Asinorum vel asinarum nomine, aliquando mansuetudo simplicium designatur, & Jerusalem visio pacis dicitur. Quid ergo signat quod Dominus sedendo asinum Jerusalem ducit, nisi quod simplices mentes dum præsidendo possidet, eas usque ad visionem pacis sua sacra sessione perducit? Salvator itaque noster asellum sedens, Jerusalem tendit: quando uniuscujusque fidelis anima, regens videlicet jumentum suum, ad pacis intimæ visionem perducit. Jumentum sedet etiam cum sanctæ Ecclesiæ universaliter præsidet, eamque in supernæ pacis desiderium accendit. Multi autem vestimenta sua in via sternunt; quia corpora sua per abstinentiam edomant, ut ei iter ad mentem parent, vel exempla bona sequentibus præbeant. Alii vero frondes, vel ramos de arboribus cædunt, & sternunt in via: quia in doctrina veritatis, verba, sententiasque Patrum ex eorum eloquiis excerpunt, & hæc in via Dei ad auditoris animum venientes, humili prædicatione submittunt. Quod indigni quoque & nos modo facimus. Nam cum Patrum sententias in sermone exhortationis assumimus, frondes de arboribus cædimus, & has in via omnipotentis Domini sternimus. Sed qui præibant, & qui sequebantur, clamabant: *Osanna*. Præcessit quippe Judaicus populus, secutus est Gentilis: quia omnes electi, sive qui ex Judæa esse potuerunt, sive qui nunc in Ecclesia existunt, in Mediatore Dei & hominum crediderunt, & credunt. Qui præeunt, & qui sequuntur, *Osanna* clamant. Osanna autem Latina lingua, *salva nos* dicitur. Ab ipso enim salutem priores quæsierunt: sequentes quærunt, & benedictum qui venit in nomine Domini, confitentur: quoniam una spes, una fides præcedentium, & sequentium populorum. Nam sicut illis peccata, passione & resurrectione ejus sanata sunt: ita nos præterita passione illius, permanente in secula resurrectione salvamur. Quem enim priores nostri, ex Judaico populo crediderunt, & amaverunt venturum, hunc nos & venisse credimus, & amamus, ejusque desiderio accendimur, ut eum facie ad faciem contemplemur.

CAPUT XLVI.

Cathedras vendentium columbas Dominus evertit. Marc. 11. 15.

De Pastoribus & subditis.

VObis Sacerdotibus lugens loquor: quia nonnullos vestrum cum præmiis ordinationes facere

Homil. 17 in Evang. n. 13. cere agnovimus, spiritualem gratiam vendere, & de alienis iniquitatibus cum peccati damno temporalia lucra cumulare. Cur ergo ad memoriam vestram non redit, quod vox dominica praecipiens, Matt 10.8. dicit: *Gratis accepistis, gratis date?* Cur non ante mentis oculos revocatis, quod templum Redemtor ingressus cathedras vendentium columbas evertit, & nummulariorum effudit æs? Qui namque sunt in templo Dei hodie, qui columbas vendunt, nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manus accipiunt, per quam impositionem Spiritus sanctus cælitus datur? Columba igitur venditur, quia manus impositio, per quam Spiritus sanctus accipitur, ad pretium præbetur. Sed Redemtor noster cathedras vendentium columbas evertit: quia talium negotiatorum sacerdotium destruit. B Hinc est quod sacri Canones simoniacam hæresim damnant, & eos sacerdotio privari præcipiunt, qui de largiendis ordinibus pretium quærunt. Cathedra ergo vendentium columbas evertitur, quando hi qui spiritualem gratiam venumdant, vel ante humanos, vel ante Dei oculos sacerdotio privantur. Et quidem multa sunt alia Præpositorum mala, quæ humanos modo oculos latent, & plerumque se Pastores sanctos hominibus exhibent, atque in occultis suis videri turpes ante interni arbitri oculos non erubescunt. Ecce modo negari hominibus potest quod latenter agitur: ille certe judex venturus est, cui tacendo quisque se non potest celare, quem negando non potest fallere. Veniet, veniet profecto dies ille, nec longe est, C in quo pastorum Pastor appareat, & uniuscujusque facta in publicum deducat. Et qui modo subditorum culpas per Præpositos ulciscitur: tunc Præpositorum mala per semetipsum sæviens damnabit. Unde & ingressus templum per semetipsum, quasi flagellum de funiculis fecit, & de domo Dei pravos negotiatores ejiciens, cathedras vendentium columbas evertit: quia subditorum quidem culpas per Pastores percutit, sed Pastorum vitia per semetipsum ferit. In exposit. B. Job, lib. 25. num. 36. Quamvis etiam subditorum vitia, quæ a magistris modo vel dissimulantur judicari, vel nequeunt, ejus proculdubio judicio reservantur. Igitur dum salva fide res agitur, virtutis est meritum, si a discipulis, quidquid Prioris est damnabile, modo toleratur. Debet tamen humiliter suggeri, si fortasse valeat quod displicet emen- D dari. Sed curandum summopere est, ne in superbiam transeat justitiæ inordinata defensio, ne dum rectitudo incaute diligitur, ipsa magistra rectitudinis humilitas amittatur, ne eum sibi præesse quisque despiciat, quem fortasse contingit, ut in aliqua actione reprehendat. Contra hunc tumorem superbiæ, subditorum mens ad custodiam humilitatis edomatur, si infirmitas propria incessanter attenditur. Nam vires nostras veraciter examinare negligimus; & quia de nobis fortiora credimus, idcirco eos, qui nobis prælati sunt, districte judicamus. Communia hæc mala sunt, quæ sæpe a subditis in Prælatos, sæpe a Prælatis in subditos committuntur: quia & omnes subditos hi, qui præsunt, minus quam ipsi sunt, sapientes arbitrantur: E & rursum qui subjecti sunt Rectorum suorum actiones judicant, & si ipsos regimen tenere contingeret, se posse agere melius putant. Unde plerumque fit, ut & Rectores minus prudenter ea quæ sunt agenda, videant: quia eorum oculos ipsa nebula elationis obscurat, & nonnumquam is, qui subjectus est, hoc, cum Prælatus fuerit, faciat, quod dudum fieri subjectus arguebat: & pro eo quod illa, qui judicaverat, perpetrat, saltem quia A judicavit, erubescat. Igitur sicut Prælatis curandum est, ne eorum corda æstimatione singularis sapientiæ locus superior extollat, ita subjectis providendum est, ne sibi Rectorum facta displiceant. Et quoniam Rectores habent judicem summum, magna cautela subditorum est, non temere vitam judicare regentium. Neque enim, sicut supra dixi, frustra per semetipsum Dominus æs nummulariorum fudit, & cathedras vendentium columbas evertit: significans quia per magistros quidem vitam judicat plebium: sed per semetipsum facta examinat magistrorum.

CAPUT XLVII.

Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi. Marc. 13. 18.

De afflictione electorum tempore Antichristi. In exposit. B. Job, lib. 32. n. 22. 23. 24.

ANTIQUUS hostis in fine seculi, vas proprium illum perditum hominem, Antichristum scilicet ingredietur, & suis viribus traditus pauco quidem in tempore, sed in multa contra nos virtute laxabitur; quem quamvis sævitia ad crudelitatem dilatat, superna tamen misericordia dierum brevitate angustat. Hinc enim per semetipsam Veritas dicit: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.* Hinc rursus ait: *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro.* Quia enim & superbos nos & infirmos Dominus conspicit, dies, quos singulariter malos intulit, misericorditer breviatos dicit, profecto ut & superbiam terreat de temporis adversitate, & infirmitatem refoveat de brevitate. Sed considerandum valde est, in quo tunc atrocior, quam nunc se erexerit, antiquus hostis surgat. Quæ enim pœnarum genera non novimus, quæ non jam vires martyrum exercuisse gaudemus? Alios namque improviso ictu immersus jugulo gladius stravit: alios crucis patibulum affligit, in quo mors & provocata repellitur, & repulsa provocatur: alios hirsutis serra dentibus attrivit: alios armato ferro insultans ungula carpsit: alios belluina rabies morsibus detruncando comminuit: alios ab intimis viscerum per cutem pressa vis verberum rupit: alios effossa terra viventes operuit: alios in altum demersos in mortem præcipitium fregit: alios in se projectos aqua replendo absorbuit: alios edax flamma usque ad cineres depasta consumsit. Cum igitur antiquus hostis in fine mundi per Antichristum nequius insurrexit, quid est quod in his tormentis tunc atrocius crescat: nisi hoc, quod in Evangelio per semetipsam Veritas dicit: *Surgent Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, itaut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi?* Matt. 24. 24. Nunc enim fideles nostri mira faciunt, cum perversa patiuntur; tunc autem hujus hostis satellites, etiam cum perversa inferunt, mira facturi sunt. Pensemus ergo, quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius martyr & corpus tormentis subjicit, & tamen ante ejus oculos miracula tortor facit? Cujus tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is qui flagris cruciat, signis coruscat? Nimirum enim hostis ille antiquus & altus tunc erit veneratione prodigii, & durus crudelitate tormenti: quoniam non sola tunc potestate erigitur, sed etiam signorum ostensione fulcietur.

CAPUT XLVIII.

Marc. 13. 22 *Et dabunt signa magna, itaut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.*

De prædicatoribus Antichristi. Mixtim in expos. B. Job, lib. 24. n. 51. ac homil. 9. in Ezech. n. 8.

CUM electi conspexerint signa & miracula, quæ facient ministri & prædicatores Antichristi, quoddam dubietatis nubilum in corde patientur: & ex eorum prodigiis mendacibus caligo trepidationis ad momentum in eorum cordibs generabitur. Unde Veritatis ore per Evangelium dicitur: *Surgent Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, itaut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*: quod videlicet Dei electi casuri non sunt, sed magnis terroribus trepidaturi: quoniam tanta tunc circa justos iniquitate effrenabuntur, ut etiam electorum corda, non parvo terrore feriantur. Qua in re valde quærendum est, quomodo aut hi, qui sunt electi, possunt in errorem induci: aut cur, si fieri potest, quasi ex dubietate subditur, cum quid faciendum sit, Dominus omnia præsciens præstolatur. Unum enim ex duobus est, quia si electi sunt, fieri non potest: si autem fieri potest, electi non sunt. Sed quia electorum corda & trepida cogitatione concutientur, & tamen eorum constantia non movebitur, una hac sententia Dominus utrumque complexus est, dicens: *Itaut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*. Quasi enim jam errare est, in cogitatione titubare: sed protinus, si fieri potest, subjungitur, quia proculdubio fieri potest ut in errore electi plene capiantur: Ista ergo dominici sermonis dubitatio, ex electorum cordibus designatio tentationis fuit: quia qui electi sunt ad persistendum, per signa prædicatorum Antichristi tentabuntur ad cadendum. Per hoc ergo quod dicitur fieri potest, hoc exprimitur, quod electi in corde tentabuntur. Nutant enim, sed non cadunt. Dicitur ergo, si fieri potest, quia trepidabunt, & tamen dicuntur electi, quia non cadunt. Dubitatio ergo sermonis a Domino in electis exprimit trepidationem mentis; quos electos nominat, quia cernit quod in fide & bono opere persistunt.

CAPUT XLIX.

Marc. 14. 51 *Adolescens sequebatur eum, amictus sindone, &c.*

De perfidia Judæorum. In expos. B. Job, lib. 14. n. 54. & 57.

CUM Judeorum plebs miracula nostri Redemtoris cerneret, hunc ex signis honorabat, dicens: *Hic est Christus*. Cum vero humanitatis ejus infirma conspiceret, eum Creatorem credere dedignabatur, dicens: *Non, sed seducit turbas*. (Johan. 7. 12.) Sed quid mirum eum perpeti ista a plebibus, cum ipsi quoque qui legis doctores esse videbantur, qui eum verbis propheticis incarnandum esse perhibebant, & incarnatum viderunt, ab eo tamen, suadente perfidia, divisi, & a fide veritatis aversi sunt. Scribæ itaque & legis doctores, qui erudire populos ad vitam consueverant, dum incarnatum Deum conspicerent, consiliis suis multos ab ejus fide diviserunt, quamvis prius ad credendum incarnationis ejus mysterium per Prophetarum verba multos docuisse viderentur. Quos etiam non solum ad non credendum, sed usque ad persequendum quoque Dominum turba populorum est secuta, & usque ad passionem illius sævitiæ facibus accensa. In qua videlicet passione A discipulorum corda turbata sunt, & cum ad crucis aram ventum esset, eosque gravis ex persecutione Judæorum timor invasisset, singuli fugerunt: mulieres vero quæ ad præparanda subsidia corporis exterioribus Domino mysteriis servierant, adhæserunt. Stetit quidem aliquamdiu Petrus, sed tamen post territus, negavit. Stetit etiam Johannes, cui ipso crucis tempore dictum est: *Ecce mater tua*. (Johan. 19. 27.) Sed perseverare minime potuit: quia de ipso quoque scriptum est: *Adolescens quidam sequebatur illum, amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum: at ille, rejecta sindone, nudus profugit ab eis*. Qui etsi post, ut verba sui Redemtoris audiret, ad aram crucis rediit, prius tamen territus fuit. Mulieres autem B non solum non timuisse, neque fuisse, sed etiam usque ad sepulcrum memorantur stetisse.

CAPUT L.

Invenerunt hominem Cyrenæum. Marc. 15. 21

De abstinentia hypocritarum. In exposit. B. Job, lib. 8. num. 72.

PLERUMQUE se hypocritæ mira abstinentia affligunt, omne robur corporis atterunt, & quasi carnis vitam funditus in carne viventes extinguunt: sicque per abstinentiam morti appropiant: ut pene quotidie morientes vivant: sed ad hæc humanos oculos quærunt, admirationis gloriam expetunt, attestante Veritate, quę C ait: *Exterminant facies suas ut appareant hominibus jejunantes*. (Matt. 6. 16.) Nam ora pallescunt, corpus debilitate quatitur, & pectus interrumpentibus suspiriis urgetur. Sed inter hæc ab ore proximorum admirationis sermo quæritur, nihilque tanto labore aliud nisi æstimatio humana cogitatur. Quos nimirum bene Simon ille significat, qui dominicæ passionis tempore in angaria crucem Domini portabat, de quo scriptum est: *Invenerunt hominem Cyrenæum venientem obviam sibi, nomine Simonem: hunc angariaverunt, ut tolleret crucem Jesu*. Quod enim per angariam agimus, non hoc ex studio amoris operamur. Crucem ergo Domini Jesu in angaria portare, est afflictionem abstinentiæ pro alia, quam necesse est, intentione tolerare. An D non Jesu crucem in angaria portat, qui quasi ad præceptum Domini carnem domat, sed tamen spiritualem patriam non amat? Unde & Simon idem crucem portat, sed nequaquam moritur: quia omnis hypocrita corpus quidem per abstinentiam afficit, sed tamen per amorem gloriæ mundo pejus vivit; quia sæpe per sanctitatis imaginem, locum regiminis indignus assequitur, qui nisi aliquid in se virtutis ostenderet, nullum percipere honorem mereretur: sed transit quod delectabiliter obtinet, & pœnaliter quod sequitur, manet. Sanctitatis fiducia nunc in ore hominum ponitur, sed cum internus judex secreta cordis examinat, exterius vitæ testes quærit.

E

CAPUT LI.

Et perducunt eum in Golgotha locum: erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. Marc. 15. 22

De passione Domini. Hom. 14. in Ezech. n. 6. Act. 1. 1.

OMNIA quę Dominus incarnatus verbis docuit, prius factis ostendit, sicut scriptum est: *Quæ cœpit Jesus facere & docere*. Quia enim vocare nos ad cælestem patriam venit, nimirum bona transitoria despicere, & mala temporalia non timere do-

docuit. Unde & opprobria despexit, injurias pertulit, mortem non timuit, crucis patibulum non refugit: & cum hunc voluissent rapere, & regem constituere, statim fugit. Quid nobis his exemplis aliud innuit, nisi ut debeamus hujus mundi & adversa non metuere, & prospera vitare? Quia plus plerumque ejus bona occupant animum, quam mala perturbent. Ante passionem vero suam contumelias audivit, nec tamen contumelias reddidit: traditorem suum diu tacitus pertulit, eique salutanti dare osculum non recusavit: suscepit mortem crucis, ne mori timeremus: ostendit die tertia resurrectionem, ut nos resurgere posse crederemus. Post passionem quoque suam, de his qui se crucifixerant, ad fidei gratiam vocavit: bonum pro iniquitate reddidit, & nos exemplo suo de omnibus instruxit.

CAPUT LII.

Item unde supra.

In expofit. B. Job, lib. 21. num. 11.

AD excedentem igitur omnia Redemtoris nostri vitam mentis oculos tendamus; ut in vita & in ejus præceptis agnoscamus, quid in nostra vita minus debeamus, & ad vitæ ejus exempla nostram vitam dirigamus. Hinc namque scriptum est: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus: qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: qui cum malediceretur, non maledicebat: dum pateretur, non comminabatur.* Hinc per Paulum dicitur: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Jesum: qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contemta.* Ad hoc itaque Dominus apparuit in carne, ut humanam vitam admonendo excitaret, exempla præbendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet.

1. Petr. 2. 21 — *Hebr. 12. 1.*

CAPUT LIII.

Surrexit, non est hic.

Marc. 16. 6.

De resurrectione. Homil. 21. in Evang. n. 6.

DUÆ erant vitæ, quarum unam novimus, alteram nesciebamus. Una quippe mortalis est, alia immortalis: una corruptionis, alia incorruptionis, una mortis, alia resurrectionis. Sed venit Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus; suscepit unam, & ostendit alteram: unam pertulit moriendo, & ostendit alteram resurgendo. Si igitur nobis mortalem vitam scientibus, resurrectionem promitteret carnis, & tamen hanc visibiliter non exhiberet, quis ejus promissionibus crederet? Factus itaque homo apparuit in carne, mori dignatus est ex voluntate, sed resurrexit ex potestate, & ostendit exemplo, quod nobis promisit in præmio. Ecce vero redit ad memoriam quod crucifixo Dei filio, Judæi insultantes, dicebant: *Si rex Israel est, descendat de cruce, & credimus ei.* Qui si tunc de cruce descendisset, nimirum insultantibus cedens, virtutem nobis suæ patientiæ non demonstrasset, Sed expectavit paululum, toleravit opprobria, irrisiones sustinuit, servavit patientiam, distulit admirationem. Et qui A de cruce descendere noluit, de sepulcro surrexit. Plus igitur fuit de sepulcro surgere, quam de cruce descendere: plus fuit mortem resurgendo destruere, quam vitam descendendo servare. Sed cum Judæi hunc ad insultationes suas de cruce descendere minime cernerent, cum morientem viderent, eum se vicisse crediderunt, lumen illius se quasi extinxisse gavisi sunt.

Ibid. n. 7

CAPUT LIV.

Prædicate Evangelium omni creaturæ. *Marc. 16. 15.*

Mixtim Hom. 29. in Evang. n. 1. & 2 & lib. 6. exposit. B. Job, n. 20. & 21.

DE Domini morte nomen ejus per universum mundum crevit: quia post resurrectionem suam ad prædicandum Evangelium suum B per omnem terram discipulos suos misit, dicens: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Omnis creaturæ nomine homo signatur: quia in ipso vera species, & magna communio universæ creaturæ ostenditur. Omne namque quod est, aut est & non vivit: aut est, & vivit, sed nequaquam sentit: aut est, & vivit, & sentit, sed non intelligit, nec discernit: aut est, & vivit, sentit, intelligit, & discernit. Sunt namque lapides, nec tamen vivunt: sunt arbusta, vivunt quidem nec tamen sentiunt: herbarum namque & arborum vita viriditas vocatur, sicut per Paulum de seminibus dicitur: *Insipiens tu: quod seminas non* *1. Cor. 15. 36.* C *vivificatur, nisi prius moriatur:* sicut bruta animalia vivunt & sentiunt, nec tamen intelligunt aut discernunt. Homo itaque quia habet commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, discernere cum Angelis: recte ejus nomine omnis creatura exprimitur, in quo juxta aliquid omnis creatura tenetur. Unde cum Veritas discipulis Evangelium omni creaturæ prædicare præcipit, omnem creaturam solum hominem intelligi voluit, cui commune aliquid cum omnibus creavit. Sic itaque post resurrectionem, postquam discipulos suos Ad prædicandum Evangelium misit, illi profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis: D & postquam in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, de morte Domini nomen ejus per mundum crevit, ex qua hunc infidelis turba extinxisse se credidit. Et quæ gaudebat occisum, dolet mortuum: quia hunc ad suam gloriam cognoscit pervenisse per pœnam. Si igitur, fratres carissimi, nostri Redemtoris membra sumus, præsumamus in nobis resurrectionem futuram quam in capite nostro constat esse factam. Resurrectionis ejus gloriam tota mente diligamus, & pro ejus amore moriamur. In resurrectione auctoris nostri ministros ejus Angelos concives nostros agnovimus. Ad horum ergo civium illam frequentem solemnitatem festinemus: his E cum necdum visione possumus, desiderio & mente jungamur: adjuvet omnipotens Deus ad vitam desiderium nostrum, qui pro nobis in mortem dedit unicum filium suum eumdem Jesum Christum Dominum nostrum: qui cum eo vivit, & regnat in unitate Spiritus sancti, per omnia secula seculorum. Amen.

IN-

INCIPIUNT CAPITULA
DE EVANGELIO SECUNDUM LUCAM.

1. *FUit in diebus Herodis, &c. Erant justi ambo ante Deum.*
2. *Ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ.*
3. *Missus est Angelus Gabriel.*
4. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.*
5. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*
6. *Beata, quæ credidisti, &c Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?*
7. *Præibis ante faciem Domini parare vias ejus.*
8. *Illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis sedent.*
9. *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*
10. *Et peperit Maria, &c. Et reclinavit eum in præsepio.*
11. *Pastoribus Angelus apparuit.*
12. *Gloria in excelsis Deo.*
13. *Pastores invenerunt infantem in præsepio.*
14. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*
15. *Jesus sedebat in medio doctorum.*
16. *Item unde supra,*
17. *Potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.*
18. *Securis ad radicem arborum posita est.*
19. *Qui habet duas tunicas, det non habenti.*
20. *Venit fortior me post me.*
21. *Cujus ventilabrum in manu ejus.*
22. *Ascendit Jesus in unam navim, quæ erat Simonis.*
23. *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.*
24. *Quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.*
25. *Dimittite, & dimittemini: date, & dabitur vobis.*
26. *Qui autem vides festucam in oculo fratris tui, &c.*
27. *Gaudium erit in cælo super uno pœnitente.*
28. *Convocatis Jesus duodecim Apostolis.*
29. *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos.*
30. *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos.*
31. *Tu autem vade, annuntia regnum Dei.*
32. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, &c.*
33. *Et misit illos binos ante faciem suam.*
34. *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.*
35. *Gaudete, & exultate, &c.*
36. *Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens vinum & oleum.*
37. *Intravit Jesus in quoddam castellum, &c.*
38. *Cum immundus spiritus exierit ab homine, &c. invenit domum scopis mundatam.*
39. *Tunc assumit septem alios spiritus.*
40. *Nemo accendit lucernam.*
41. *Lucerna corporis tui est oculus tuus.*
42. *Decimatis mentam, & anetum.*
43. *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus?*
44. *Anima, habes multa bona.*
45. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te.*
46. *Sint lumbi vestri præcincti.*
47. *Quod si dixerit servus ille in corde suo.*
48. *Servus qui non cognovit voluntatem Domini sui.*
49. *Cui multum datum est, multum quæritur ab illo.*
50. *Ignem veni mittere in terram.*
51. *Cum vadis cum adversario tuo.*
52. *Contendite intrare per angustam portam.*
53. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum.*
54. *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet.*
55. *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, &c.*
56. *Cito proferte stolam primam, & induite illum.*
57. *Et date annulum in manum ejus.*
58. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.*
59. *De hydropico curato.*
60. *Quod hominibus altum est, abominabile est apud Deum.*
61. *Deum non timebat, & hominem non reverebatur.*
62. *De muliere quæ erat in civitate peccatrix.*
63. *Et stans retro secus pedes Domini.*
64. *Remittuntur ei peccata multa.*
65. *Fides tua te salvam fecit.*
66. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura.*
67. *Factum est ut moreretur mendicus.*
68. *Elevans autem dives oculos, cum esset in tormentis, &c*
69. *Pater Abraham, miserere mei.*
70. *Memento fili, quia recepisti bona in vita tua.*
71. *Rogo te, ut mittas eum in domum patris mei.*
72. *Item unde supra, de eodem divite, & Lazaro.*
73. *Si habueritis fidem tamquam granum sinapis.*
74. *Occurrerunt ei decem leprosi.*
75. *Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.*
76. *Jejuno bis in Sabbato.*
77. *Zachæus sycomorum ascendit.*
78. *Dimidium bonorum do pauperibus.*
79. *Negotiamini dum venio.*
80. *Ecce mna, quam habui repositam in sudario:*
81. *Projicite eum in tenebras exteriores.*
82. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*
83. *Accepto pane, Dominus gratias egit, & fregit.*
84. *Jesus factus in agonia, prolixius orabat.*
85. *Amice, ad quid venisti?*
86. *De negatione Petri.*
87. *Et conversus Dominus, respexit Petrum.*
88. *Sprevit autem illum Herodes.*
89. *Si in viridi ligno hæc faciunt, &c.*
90. *De crucifixione Domini.*
91. *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.*
92. *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.*
93. *Hodie mecum eris in paradiso.*
94. *Una Sabbati. De morte & resurrectione Domini.*
95. *Discipulis euntibus in Emaus Dominus apparuit.*
96. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis?*
97. *De apparitionibus Domini post resurrectionem.*
98. *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos.*
99. *Palpate & videte: quia spiritus carnem, & ossa non habet,*

LIBER TERTIUS.

EXPOSITIO EVANGELII SECUNDUM LUCAM.

CAPUT PRIMUM.

A

Luc. 1. 5.

Fuit in diebus Herodis regis Judææ Sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, & uxor illi de filiabus Aaron, & nomen ejus Elizabeth. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela.

Ingregorie M. Job, lib. 11 num. 10

CORAM Domino sæpe multorum vita displicet, quæ etiam foris hominibus placet. Caute ergo nimis in laudem justorum conjugum, Zachariæ & Elizabeth, ab Evangelista dictum est: *Erant justi ambo ante Deum*. Non enim secura laus est, justos ante homines apparere; sæpe enim humana sententia velut in Deo magnum quempiam approbat, sed hunc omnipotens Deus, qui quasi ex se approbatur, ignorat. Hinc est enim quod Psalmista vigilanter exorat, dicens: *Dirige in conspectu tuo viam meam*, nimirum quia plerumque in conspectu hominum recta via creditur etiam, quæ a veritatis itinere depravatur. (Psal. 5. 9.)

CAPUT II.

Luc. 1.

Angelus Gabriel de Johannis promissione ad Zachariam dicit: Elizabeth uxor tua pariet tibi filium: & vocabis nomen ejus Johannem: ipse præcedet ante Dominum in spiritu, & virtute Eliæ.

De Johanne Baptista Homil 7. in Evan. n. 1.

JOHANNES idcirco in spiritu & virtute Eliæ venturus dicitur, quia sicut Elias secundum Domini adventum præveniet, ita Johannes prævenit primum. Inde est quod alio loco Dominus a discipulis inquisitus de adventu Eliæ, respondit: *Elias jam venit, & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eum quæcumque voluerunt. Et si vultis scire, Johannes ipse est Elias.* (Matt. 16 12.) Requisitus autem Johannes a Sacerdotibus, & Levitis si esset Elias, dixit: *Non sum Elias.* Quid est hoc, quia quod Veritas affirmat, hoc Propheta Veritatis negat? Sed si subtiliter veritas ipsa requiritur, hoc quod inter se contrarium sonat, quomodo non sit contrarium, invenitur. Johannes quippe in spiritu Elias erat, in persona Elias non erat: sicut enim ille præcursor venturus est judicis, ita iste præcursor factus est Redemtoris. Quod ergo Dominus fatetur de spiritu, hoc Johannes denegat de persona: quia & justum sicut erat, ut discipulis Dominus spiritualem de Johanne sententiam diceret, & Johannes eisdem turbis carnalibus non de suo spiritu, sed de corpore responderet. Contrarium ergo veritati videtur esse quod Johannes sonuit, sed tamen a veritatis tramite non recessit.

CAPUT III.

Missus est Angelus Gabriel. Luc. 1. 26.

De vocabulis Angelorum. Homil. 34. in Evang. n. 9.

CÆLESTIS patriæ spiritus tunc solum Angeli vocantur, cum per eos aliqua nuntiantur. Græca autem lingua Angeli nuntii, Archangeli summi nuntii vocantur. Hi enim qui minima nuntiant, Angeli: qui vero summa annuntiant, vocantur Archangeli. Hinc est quod ad Mariam Virginem non quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur. Ad hoc quippe mysterium, summum Angelum dignum venire fuerat, qui summum omnium nuntiabat. B Gabriel autem fortitudo Dei dicitur: ad Mariam ergo Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominatur. Illum quippe veniebat nuntiare, qui ad debellandas aereas potestates humilis dignatus est apparere, de quo per Psalmistam dicitur: *Tollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio.* (Psal. 23. 9.) Et rursum, *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Per Dei ergo fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum Dominus, & potens in prælio, ad debellandas aereas potestates veniebat.

C

CAPUT IV.

Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Luc. 1. 35.

De incarnatione Verbi. In expositione B. Job. lib. 18. num. 35.

OBUMBRATIO in sacro eloquio aliquando incarnatio Domini ponitur, vel mentis refrigerium a fervore carnalium cogitationum: quod servata veritate historiæ sermo testatur angelicus, qui ad Mariam dicit: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Per obumbrationis vocabulum incarnandi Dei utraque natura signatur: umbra enim a lumine & corpore formatur. D Dominus autem per divinitatem lumen est, qui mediante anima in Virginis utero fieri dignatus est per humanitatem corpus. Quia ergo lumen incorporeum in ejus utero erat corporandum, ei quæ incorporeum concepit ad corpus, dicitur: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*; id est, corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen divinitatis: ex qua videlicet obumbratione omne in te refrigerium accipies mentis.

CAPUT V.

E

Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei. Luc. 1. 35.

De utraque in Christo natura. In exposit. B. Job. lib. 18. num. 84.

NULLUS Sanctorum, quibuslibet virtutibus plenus existat, æquari potest ei, de quo beatæ Mariæ ab Angelo dictum est: *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* Nos quippe, etsi sancti efficimur, non tamen sancti nascimur: quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur,

ut

Psal. 50. 7. ut cum Propheta dicamus: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea*. Ille autem veraciter solus sanctus natus est, qui ut ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est. Huic se quidam hæresiarches æquare voluit, cum dixit: *Non invideo Christo facto Deo: quoniam si volo, & ipse possum fieri*. Qui dominum nostrum Jesum Christum non per mysterium conceptionis, sed per profectum gratiæ Deum putavit, perversa allegatione adstruens eum purum hominem natum, sed, ut Deus esset, per meritum profecisse: atque ob hoc æstimans & se, & quoslibet alios ei posse coæquari, qui filii Dei per gratiam fiunt, noo intelligens, nec attendens, quia nemo potest ei coæquari. Aliud est enim natos homines gratiam adoptionis accipere: aliud unum singulariter per divinitatis potentiam Deum ex ipso conceptu prodiisse. Nec æquari potest gloria unigeniti habita per naturam, aliis accepta per gratiam. Mediator quippe Dei & hominum, homo Christus Jesus, non, sicut iste hæreticus desipit, alter in humanitate, alter in deitate est; non purus homo conceptus, & editus, post per meritum, ut Deus esset, accepit; sed nuntiante Angelo, & adveniente Spiritu, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro, & manente incommutabili essentia, quæ ei est cum Patre, & cum Spiritu sancto coæterna; assumsit intra virginea viscera unde & impassibilis pati, & immortalis mori, & æternus ante secula, temporalis posset esse in fine seculorum: ut per ineffabile sacramentum conceptu sancto & partu inviolabili secundum veritatem utriusque naturæ, eadem virgo & ancilla Domini esset & mater. Sicquippe ei ab Elizabeth dicitur: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Et ipsa virgo concipiens, dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Et quamvis ipse est aliud ex Patre, aliud ex Virgine, non tamen alius ex Patre, alius ex Virgine: sed ipse est æternus ex Patre, ipse temporalis ex matre, ipse qui fecit, ipse qui factus est, ipse speciosus forma præ filiis hominum per divinitatem, & ipse de quo dictum est: *Vidimus eum, et non erat aspectus; &* non est species ei neque decor, per humanitatem ipse ante secula de Patre sine matre: ipse in fine seculorum de matre sine patre, ipse Conditoris templum, ipse Conditor templi, ipse auctor operis, ipse opus auctoris. Manens itaque unus ex utraque & in utraque natura, nec naturarum est copulatione confusus, nec naturarum distinctione est geminatus.

Num. 85. — Luc. 1. 43. Ibid. 1. 38. — Isa. 53. 2.

CAPUT VI.

Beata quæ credidisti. Luc. 1. 45.

ALIQUANDO ex præterito & præsenti, atque ex futuro pariter animus tangitur prophetantis: sicut Elizabeth Mariam ad se venire conspiciens, quia Verbum incarnatum gestaret in utero, agnovit, eamque jam Domini sui matrem vocavit, dicens: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* De cujus conceptione per Angelum quoque ad Joseph dicitur: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Quæ videlicet Elizabeth dicit: *Beata quæ credidisti; quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino*. Dicens enim: *Beata, quæ credidisti*, aperte indicat, quia verba Angeli, quæ dicta fuerant ad Mariam, per Spiritum agnovit; atque subjungens: *Perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino*, quæ etiam in futuro sequerentur, prævidit. Simul ergo de præterito, & præsenti, atque ex futuro per prophetiæ spiritum tacta est: quæ & eam promissionibus Angeli credidisse cognovit, & matrem nominans, quia Redemtorem humani generis in utero portaret, intellexit: & cum omnia perficienda prædicaret, quid etiam de futuro sequeretur, aspexit.

De Prophetia. Homil. 6. in Ezech. n. 8. — Luc. 1. 43. — Matt. 1. 20.

CAPUT VII.

Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Luc. 1. 76.

VIA Domini non inconvenienter accipitur hoc quod ad cor nostrum venit, seque nobis intrinsecus infundit. Hinc ergo Johanni per Spiritum dicitur: *Præibis ante faciem Domini parare vias ejus*. Quisquis enim prædicando, a sordibus vitiorum corda audientium mundat, venienti Domino viam præparat.

De via Domini. In exposit. B. Job, lib. 19 num. 6.

CAPUT VIII.

Illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis sedent. Luc. 1. 79.

IN Scriptura sacra umbra mortis aliquando oblivio mentis accipitur: quia sicut mors hoc quod interficit, agit ut non sit in vita: ita & oblivio hoc quod intercipit, agit ut non sit in memoria. Unde recte quia Johannes Hebræorum populo eum, cujus obliti fuerant, Dominum prædicare veniebat, per Zachariam dicitur: *Illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis sedent*. In umbra enim mortis sedere, est a divini amoris notitia in oblivione latescere.

De umbra mortis. In exposit. B. Job lib. 4. num. 4.

CAPUT IX.

Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Luc. 1. 79.

VIAM pacis graditur quisquis a veritatis itinere in viam scandali non flectitur. Unde per Zachariam dicitur: *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*. Tunc enim gressus nostros in viam pacis dirigimus, quando per illud actionum iter pergimus, in quo ab auctoris nostri gratia non discordamus.

De via pacis. Homil 36. in Evang. n. 4.

CAPUT X.

Et peperit Maria filium suum primogenitum, & reclinavit eum in præsepio. Luc. 2. 7.

ANTE Redemtoris nostri adventum ex electis Gentilibus, & ex Hebraico populo Sancti quique longo tempore redemtionem suam expectando gemuerunt, & desideraverunt. Gentiles, quoniam eos necdum Redemtoris sui gratia reficiebat; Judæi, quia legem tenentes, legis auctorem non videbant. Beati enim Job attestante vita cognoscimus, ut expectasse Redemtoris nostri adventum multos etiam Gentiles credamus: & nascente Domino, Simeone in Spiritu in templum veniente, didicimus quanto desiderio ex plebe Israelitica sancti viri incarnationis ejus mysterium videre cupierunt. Unde & per eumdem Redemtorem discipulis dicitur: *Multi justi & Prophetæ desideraverunt*

De Judæis & Gentilibus, adventum Christi præstolantibus. Mixtim ex lib. 7. exposit. B. Job, num. 7. — Luc. 10. 24. — Luc. 10. 24.

runt videre quæ videtis, & non viderunt: sed hoc utrorumque desiderium per Redemtoris incarnationem impletum est, & satiatum. Quia enim per Prophetam dicitur: *Omnis caro fenum:* universitatis Conditor ex nostra substantia carnem sumens, fenum fieri voluit, ne nostra in perpetuum caro fenum remaneret. Unde & natus Dominus in præsepe ponitur, ut videlicet signaretur quia sancta animalia, quæ jejuna diu apud legem sunt inventa, incarnationis ejus feno satiarentur. Præsepe enim natus implevit, qui cibum semetipsum mentibus mortalium præbuit, dicens: *Qui comedit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Ipsa igitur generis humani, quæ venit in fine mundi, redemtio, ab iis qui a mundi præcesserunt initio, tarda credebatur, & ab eis multum desiderabatur: quia longo temporis spatio a cælestium remuneratione disjungebantur.

Isa. 40. 6. — *Johan. 6. 57.*

CAPUT XI.

Luc. 2. 8.

Et pastores erant in regione eadem: & ecce Angelus Domini stetit juxta illos, dicens eis; Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.

De Judæis & Gentibus. *Hom. 10. in Evang. n. 1.*

QUÆRENDUM est quidnam sit quod Redemtore nato pastoribus in Judæa Angelus apparuit, & ad adorandum hunc ab Oriente Magos non Angelus, sed stella perduxit. Quia videlicet Judæis tamquam ratione utentibus rationale animal, id est Angelus prædicare debuit: Gentiles vero quia uti ratione nesciebant, ad cognoscendum Dominum non per vocem; sed per signa perducuntur: quoniam illis prophesiæ tamquam fidelibus, non infidelibus, & istis signa tamquam infidelibus, non fidelibus data sunt.

CAPUT XII.

Luc. 2. 15.

Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

De pace inter Angelos & homines. *In exposit. B. Job. lib. 28. num. 34. & lib. 27. n. 30. et homil. 8 in Evang. n. 2.*

DEUS Pater omnipotens unicum filium, quem sine tempore genuit, salvandis hominibus cum tempore ostendit; qui profecto filius humanam natura suscipiens, ad ima de sublimiaus venit. Cujus incarnationis mysterium etiam electi Angeli mirati sunt, qui eodem mysterio redemti non sunt: & cum redemtis in fine mundi hominibus largitatem gratiæ supernæ glorificaverunt. Ipsi quippe ut nos ad laudem Conditoris accenderent, orto per carnem Domino, clamaverunt: *Gloria in excelsis Deo.* Redemtoris ergo potentiam laudant & glorificant, quia redemtioni nostræ voces luæ exultationis accommodant: quia dum nos conspiciunt recipi, suum gaudent numerum impleri. Antequam igitur Redemtor noster per carnem nasceretur, discordiam cum Angelis habuimus, a quorum claritate & munditia per primæ culpæ meritum, & per quotidiana delicta longe distabamus. Quia enim peccando extranei eramus a Deo, extraneos nos a suo consortio deputabant Angeli cives Dei. Sed eorumdem spirituum ad nos Conditor venit, seque hominem etiam sub ipsis exhibuit, sicut de illo Patri per Prophetam dicitur: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Et quia inter nos, eosdem spiritus discordantis vitæ scandalum reperit, mira potentia, mirabiliori etiam pietate summa creans, ima suscipiens, ima cum summis junxit. Hinc est igitur quod eodem rege nato, Angelorum chori in ejus annuntiatione prodeunt, hymnum dicunt, & devicta pravæ vitæ discordia, nos quos dudum despexerant, cives agnoscunt, consono ore prædicantes: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ac si aperte dicant: Quos a nobis malitia disjunxerat, jam nunc in terra nata bonitas jungat. Is ego qui propter nos minor Angelis extitit, æquales nos Angelis virtute suæ minorationis fecit. Et quia cognovimus regem nostrum, recognoverunt nos Angeli cives suos. Quia enim rex cæli terram nostræ carnis assumsit: infirmitatem nostram illa jam angelica celsitudo non despicit, ad pacem nostram Angeli redeunt, intentionem prioris discordiæ postponunt, & quos prius infirmos abjectosque despexerant, jam socios venerantur. Hinc est enim quod Loth & Josue Angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur; Johannes vero in Apocalypsi adorare Angelum voluit, sed tamen hunc idem Angelus, ne se debeat adorare compescit, dicens: *Vide ne feceris, conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum.* Quid est quod ante Redemtoris adventum Angeli ab hominibus adorantur, & tacent, postmodum vero adorari refugiunt: nisi quod naturam nostram, quam prius despexerant, postquam hanc super se assumtam conspiciunt, prostratam sibi videre pertimescunt? Non enim jam sub se, velut infirmam contemnere ausi sunt, quam super se videlicet in cæli rege venerantur, nec habere dedignantur hominem socium, qui super se adorant hominem Deum.

Psal. 8. 6. — *Apoc. 22. 9.*

CAPUT XIII.

Luc. 2. 16.

Pastores venerunt festinantes: & invenerunt Mariam & Joseph, & infantem positum in præsepio.

Quid præsepe Domini significet. *In exposit. B. Job, lib. 31. num. 3. Psal. 67. 11.*

PRÆSEPE Scriptura sacra non inconvenienter accipitur, in qua verbi pabulo animalia sancta satiantur, de quibus per Prophetam dicitur: *Animalia tua habitabunt in ea.* Natus igitur Dominus a pastoribus in præsepe reperitur: quoniam ejus incarnatio in ea qua nos reficiunt, Prophetarum Scriptura cognoscitur.

CAPUT XIV.

Luc. 2. 35.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.

Quid gladius Mariæ. *In exposit. B. Job, lib. 34. num. 17. Ephes. 6. 17.*

IN Scriptura sacra aliquando per gladium sancta prædicatio, aliquando temporalis designatur tribulatio. Gladius sancta prædicatio ponitur, sicut Paulus ait: *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Gladius tribulatio temporalis accipitur, sicut beatæ Mariæ de secuturis tribulationibus dicitur: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

CAPUT XV.

Luc. 2. 46.

Invenerunt puerum Jesum parentes ejus in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos.

De vit. & æt

REDEMTOR noster, cum in cælis sit Conditor,

...te prædicantium. Regul. Pastor. part.3. cap.25. tor, & ostensione suæ potentiæ semper Angelorum doctor, ante tricenale tempus in terra magister fieri noluit hominum, ut videlicet præcipitatis vim saluberrimi timoris infunderet: cum ipse etiam qui labi non posset, perfectæ vitæ gratiam nonnisi perfecta ætate prædicaret. Scriptum quippe est: *Cum factus esset annorum duodecim, remansit puer Jesus in Jerusalem*: de quo a parentibus requisito, paulo post subditur: *Invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem illos*. Vigilanti itaque consideratione pensandum est quod cum Jesus annorum duodecim dicitur, in medio doctorum sedens, non docens, sed interrogans invenitur. Quo exemplo scilicet ostenditur ne infirmus docere quis audeat, si ille puer doceri interrogando voluit, qui per divinitatis potentiam verbum scientiæ ipsis suis doctoribus ministravit. Hinc vero per Paulum discipulo dicitur: *Præcipe hæc, & doce: & nemo adolescentiam tuam contemnat*. (1.Tim.4.12.) Sciendum nobis est, quoniam in sacro eloquio, aliquando adolescentia juventus vocatur; quod citius ostenditur, si Salomonis ad medium verba proferantur, qui ait: *Lætare juvenis in adolescentia tua*. (Eccl.11.9.) Si enim unum utraque esse non discerneret, quem monebat in adolescentia, juvenem non vocaret.

CAPUT XVI.

Item unde supra.

Homil.2. in Ezech. n.3.

JUxta rationis igitur usum sermo doctrinæ non suppetit, nisi in perfecta ætate, nec præsumat aliquis prædicare in infirma ætate: quia ille anno duodecimo ætatis suæ interrogare dignatus est homines in terra, qui per divinitatem suam Angelos semper docet in cælo. Quia enim ipse est Dei sapientia, de ipso Angeli videndo vivunt, hoc quod beatitudine æterna satiantur.

CAPUT XVII.

Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Luc.3.8.

De varia significatione lapidum. Mixtim ex lib. 18. expos. in B. Job, n. 52. & lib. 29. n.56. ac hom. in Ezech.11. num. 19.

IN Scriptura sacra aliquando lapides in malo, aliquando vero in bono solent accipi. Nam cum lapides pro insensibilitate ponuntur, dura per lapides corda signantur. Unde quod præmisimus, per Johannem dicitur: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*. Qui videlicet nomine lapidum corda designat Gentilium, dura tunc & insensibilia per infidelitatem; & per Prophetam Dominus pollicetur, dicens: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis carneum*. Per lapides itaque pro ipsa duritia Gentiles populi designantur. Ipsi quippe lapides coluerant, & de eis per Prophetam dicitur: *Similes illis fiant, qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis*. (Psal.113.8.) Unde Johannes Judæos aspiciens se de æstimatione generationis extollere, & Gentiles prævidens ad Abrahæ prolem cognitione fidei transire, ait: *Ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*: lapides utique duros perfidia Gentiles vocans; & rursum per lapides solent designari fortium mentes, unde per Petrum Sanctis dicitur: *Et vos tamquam lapides vivi superædificamini domus spirituales*. (1.Petr.2.)

CAPUT XVIII.

Jam securis ad radicem arborum posita est. Luc.3.9.

De tenaci avaritia divitum. Regul. Past. par.3.c.21. Psal.48.8.

NOVERINT tenaces, quod hanc primum Deo injuriam faciunt: quia danti sibi omnia nullam misericordiæ hostiam reddunt. Hinc etenim Psalmista ait: *Non dabit Deo placationem suam, nec pretium redemtionis animæ suæ*. Pretium namque redemtionis dare, est opus bonum præveniente nos gratiæ reddere. Hinc Johannes exclamat, dicens: *Jam securis ad radicem arborum posita est. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*. Qui ergo se innoxios, quia aliena non rapiunt, æstimant, ictum securis vicinæ prævideant, & torporem improvidæ securitatis amittant: ne cum ferre fructum boni operis negligunt, a præsenti vita funditus quasi ex viriditate radicis exsiccentur. Sollicite etiam tenaces attendant, quod ficulnea, quæ fructum non habuerit, contra hanc districtus agricola queritur, quod etiam terram occupavit. Terram quippe ficulnea sine fructu occupat, quando mens tenacium hoc quod prodesse multis poterat, inutiliter servat. Terram sine fructu ficulnea occupat, quando locum quem exercere alius per solem boni operis valuit, stultus per desidiæ umbram premit. Hi autem tenaces nonnumquam dicere solent, cum concessis utimur, aliena non quærimus, etsi digna misericordiæ retributione non agimus, nulla tamen perversa perpetramus. Quod idcirco sentiunt, quia videlicet aurem cordis a verbis cælestibus claudunt. (Luc.16.) Neque enim dives in Evangelio, qui induebatur purpura & bysso, qui epulabatur quotidie splendide, aliena rapuisse, sed infructuose propriis usus fuisse perhibetur. Eumque post hanc vitam ultrix gehenna suscipit, non quia aliquid illicitum gessit, sed quia immoderato usu totum se licitis tradidit.

CAPUT XIX.

Qui habet duas tunicas, det non habenti. Luc.3.8.

De misericordia. Homil.17. in Evang. n.3. 1.Johan.3.17.

IN pace sanctæ Ecclesiæ possumus probare si amicos diligamus, si persecutionis tempore mori pro dilectione valeamus. Certe Johannes Evangelista dicit: *Qui habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Hinc etiam Johannes Baptista ait: *Qui habet duas tunicas, det non habenti*. Qui ergo tranquillitatis tempore non dat pro Deo tunicam suam, quando in persecutionis tempore daturus est animam suam? Virtus ergo caritatis, ut invicta sit in perturbatione, nutriatur per misericordiam in tranquillitate: quatenus omnipotenti Deo primum discat sua impendere, postmodum se.

CAPUT XX.

Venit fortior me post me. Luc.3.16.

De Johanne Baptista. Homil.20. in Evang. n.4. Luc.3.15.

JOhannem Baptistam, quia mira sanctitate præditum populus viderat, hunc esse Christum putabat, sicut per Evangelium dicitur: *Æstimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Johanne, ne forte ipse esset Christus, quem & requirebant, dicentes: Numquid Christus es tu?* sed nisi idem Johannes apud se humilis exi-

existeret, repletus spiritu gratiæ nou fuisset, qui ut hoc quod erat, ostenderet, ait : *Venit fortior me post me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus*. Ecce cum pro mira operatione virtutum talis esset, ut Christus esse crederetur, nou solum Christum se non esse respondit, sed etiam corrigiam calceamenti ejus solvere, id est incarnationis ejus mysterium perscrutari se non dignum esse perhibuit.

CAPUT XXI.

Luc. 3. 17.

Cujus ventilabrum in manu sua est, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

De damnandis divitibus. In exposit. B. Job, lib. 17. nu 12. & 13.

ARISTÆ in spica prodeunt conjunctæ, sed crescendo paulisper a se hirsutæ disjunguntur, & rigidæ. Sic nimirum ad hujus mundi gloriam pravi divites surgunt : naturæ enim sibi communione conjuncti sunt, sed contra se vicissim crescendo dividuntur. Alius quippe alium despicit, & alter in alterum invidiæ facibus ignescit. Qui ergo ex tumore mentis a caritatis unitate se separant, quasi aristarum more contra se rigidi stant. Quid igitur pravos hujus mundi divites dixerim, nisi aristas quasdam humani generis ? Qui dum contra se superbiunt, sed bonorum vitam unanimiter affligunt, adversum se quidem divisi sunt, sed tamen concorditer grana C deorsum premunt. Nunc igitur aristæ ad alta prosiliunt, grana latent : quoniam & reproborum potentia eminet, & electorum gloria non apparet : illi se honorum fastibus ostendunt, isti in humilitate se deprimunt: sed trituræ tempus adveniet, quod & aristarum rigiditatem frangat, & solida grana non conterat. Tunc quippe superbia iniquorum comminuitur, tunc electorum vita, quanta fulgeat integritate, declaratur : quia cum injusti deficiunt, ex hac ipsa aristarum contritione agitur ut grana appareant, quæ latebant. Cumque aristæ franguntur, granorum candor ostenditur : quia iniquis in æterna supplicia cadentibus, Sanctorum justitia, quanta veritate candeat, demonstratur. Unde recte D per Johannem de Domino dicitur : *Cujus ventilabrum in manu sua est, & permundabit aream suam, & triticum recondet in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili*. Electi quippe in sancta Ecclesia sunt frumenta Dei cælestibus recondenda horreis. Quæ nunc in area trituræ paleas tolerant, quoniam in hac Ecclesiæ sanctæ purgatione mores contrarios reproborum portant, quousque hanc internus agricola ventilabro judicii dirimat, & in habitacula superna suos electos quasi munda jam grana suspiciens, æternis paleas ignibus tradat.

In exposit. B. Job, lib. 27 num. 54.

CAPUT XXII.

Luc. 5. 3.

Ascendit Jesus in naviculam Petri, & rogavit ut a terra reduceret pusillum.

De mensura prædicationis. In exposit. B. Job, lib. 27. nu. 36. & 37.

APOSTOLI curaverunt summopere rudibus populis plana & capibilia, non summa atque ardua prædicare. Nam si scientiam sanctam, ut hauriebant corde, ita ore funderent, immensitate ejus auditores suos opprimerent potius quam rigarent. Unde suos auditores distillatione verborum uutriens Paulus Apostolus loquebatur ;

A dicens : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus : tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam*. Quis enim ferre potuisset, si raptus usque ad tertium cælum, raptus in paradisum, etiam arcana verba audiens, quæ loqui homini non liceret, tam immensos supernæ patriæ sinus aperiret ? Aut cujus virtutem auditoris non opprimeret, si ea quæ intrinsecus haurire poterat, in quantum carnis lingua sufficeret, extrinsecus inundans aquæ hujus immensitas emanasset ? Ut igitur auditores rudes non inundatione scientiæ, sed moderata prædicationis distillatione foveantur, prædicationem doctorum Deus temperat, ut auditorum infirmitas doctorum rore nutrita convalescat. Quod bene in Evangelio my-
B llica descriptione narratur, dum dicitur : *Ascendit Jesus in naviculam Petri, & rogavit ut a terra reduceret pusillum : & ita sedens prædicabat turbas*. Per navem Petri, quid aliud quam commissa Petro Ecclesia designatur ? De qua ut Dominus turbis confluentibus prædicet, eam a terra paululum reduci jubet. Quam nec in altum duci, & tamen a terra præcipit removeri : profecto significans prædicatores suos rudibus debere populis, nec alta nimis de cælestibus, nec tamen terrena prædicare.

1. Cor. 3. 1. 2.

CAPUT XXIII.

Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. Luc. 5. 8.

De his qui trepidant arripere vitam sanctitatis. Homil. 9. in Evang. n. 5.

SUNT plerique in Ecclesia, qui melioris vitæ vias aggredi metuunt, & tamen jacere in sui corporis ignavia non pertimescunt. Cumque se peccatores considerant, sanctitatis vias arripere trepidant, & remanere in suis iniquitatibus non formidant. Quorum bene Petrus adhuc in infirmitate positus speciem tenet, cum viso miraculo piscium, dixit : *Exi a me, Domine : quia homo peccator sum*. Immo, si te peccatorem consideras, oportet ut a te Dominum non repellas. Sed qui idcirco melioris habitus vias, & vitæ rectioris arcem apprehendere nolunt quia se infirmos esse conspiciunt, quasi peccatores se fatentur, & Dominum repelluut ; eumque in quo sanctificari debuerant, fugiunt : & velut in perturbatione consilium non habent, dum moriuntur, & vitam timent.

CAPUT XXIV.

Quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. Luc 6. 31.

De vera caritate. Homil. 38. in Evang. n. 11. Tob. 4. 16.

CARITAS in duobus præceptis, in dilectione Dei scilicet, & proximi continetur : & ipsa dilectio proximi in duobus præceptis subdividitur, cum quidam Sapiens dicat : *Omne quod odis tibi fieri, vide ne ipse facias alteri*. Et per semetipsam
E Veritas prædicat, dicens : *Quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis*. Si enim & quod impendi nobis recte volumus, hoc aliis impartimur : & quod nobis fieri nolumus, hoc aliis ipsi facere devitamus, caritatis jura illæsa servamus. Sed nemo cum quempiam diligit, habere se caritatem protinus putet, nisi prius ipsam vim suæ dilectionis examinet. Nam si quis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, caritatem oon habet, sed habere se putat. Caritas autem vera est, cum & in Deo diligitur amicus, & propter Deum dili-

diligitur inimicus. Ille enim propter Deum diligit eos quos diligit, qui jam & eos diligere, a quibus non diligitur, scit. Probari etenim caritas per solam odii adversitatem solet; unde & per semetipsum Dominus dicit: *Diligite inimicos* Matt. 5. 44. *vestros: benefacite his qui oderunt vos*. Ille ergo securus amat, qui propter Deum & illum amat, a quo se intelligit non amari. Duo igitur præcepta caritatis, dilectionem Dei videlicet & proximi, necesse est ut custodiat quisquis habere in nuptiis, id est in sancta Ecclesia vestem nuptialem curat. Hinc est enim quod apud Ezechielem Prophetam portæ civitatis in monte constitutæ vestibulum duobus cubitis mensuratur: quia nimirum accessus nobis cælestis civitatis non panditur, si in hac Ecclesia quæ pro eo quod adhuc foris est, vestibulum dicitur, Dei & proximi dilectio non tenetur.

CAPUT XXV.

Luc. 6. 37. *Dimittite, & dimittetur vobis: date, & dabitur vobis.*

1. Cor. 13. De misericordia. In exposit. B. Job, lib. 22. num. 27.

QUIA, teste Paulo, caritas patiens & benigna describitur, per patientiam aliena mala debemus æquanimiter tolerare, & per benignitatem bona nostra misericorditer impendere; sicut Redemtor humani generis nos admonet, & dicit: *Dimittite, & dimittetur vobis: date, & dabitur vobis*. Dare namque nostrum ad res pertinet quas exterius habemus: dimittere autem ad relaxandum dolorem, quem interius ex aliena culpa contrahimus. Sed sciendum est quia qui omnino dimittit & non dat, etsi non plene operatus est, meliorem tamen partem misericordiæ tenuit. Qui vero dat & minime dimittit, omnino misericordiam nullam facit: quia ab omnipotente Deo munus ex manu non accipitur, quod obligato corde in malitia profertur. Mundari etenim debet prius animus, qui eleemosynam præbet: quoniam omne quod Deo datur, ex dantis mente pensatur.

CAPUT XXVI.

Luc. 6. 41. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, &c.*

De patient. in Reg. Past. or. part. 3. c. 9. Luc. 6. 27.

DOMINUS in Evangelio dicit: *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos; orate pro persequentibus & calumniantibus vos*. Virtus est coram hominibus adversarios tolerare, sed virtus coram Deo, diligere: quia hoc solum sacrificium Deus accipit, quod ante ejus oculos in altari boni operis flamma caritatis incendit. Hinc est quod rursum quibusdam patientibus, nec tamen diligentibus, dicitur: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Perturbatio quippe impatientiæ festuca est: malitia vero in corde, trabes in oculo. Illam enim aura tentationis agitat: hanc consummata nequitia pene immobiliter portat. Recte igitur illic subjungitur: *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui*. Ac si dicatur menti iniquæ interius dolenti, & sanctam se exterius per patientiam demonstranti: Prius a te molem malitiæ excute, & tunc alios de impatientiæ levitate reprehende; ne dum non studes simulationem vincere, pejus sit tibi aliena prava tolerare.

CAPUT XXVII.

Ita gaudium erit in cælo super uno peccatore pænitentiam agente, quam super nonaginta novem justis. Luc. 15. 10.

De pœnitentibus. Regul. Past. part. 3. c. 28

SÆPE nonnulli ad Dominum post carnis peccata redeuntes, tanto se ardentius in bonis operibus exhibent, quanto damnabiliores se de malis vident: & sæpe nonnulli in carnis integritate perdurantes, cum minus se respiciunt habere quod defleant, plene sibi sufficere vitæ suæ innocentiam putant, & ad fervorem spiritus nullis se ardoris stimulis inflammant. Et fit Deo plerumque gratior amore ardens vita post culpam, quam securitate torpens innocentia. Unde & voce judicis dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*. Luc. 7. 47. Et: *Gaudium erit in cælo super uno pænitente, quam super nonaginta novem justis, quibus non est opus pænitentia*. Quod citius & ex ipso usu colligimus, si nostræ mentis judicia pensemus. Plus namque terram diligimus, quæ post spinas exarata fructus uberes producit, quam quæ nullas spinas habuerit, sed tamen exculta sterilem segetem gignit.

CAPUT XXVIII.

Convocatis Dominus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent: & misit illos prædicare regnum Dei, & infirmos curare. Luc. 9. 1.

De miraculis. Hom. 4 in Evang. n. 3

CONCESSA sunt, & adjuncta sanctis prædicatoribus a Domino miracula, ut fidem verbis daret virtus ostensa, & nova facerent qui nova prædicarent. Florente enim mundo, crescente genere humano, diu in hac vita carne subsistente, rerum opulentia exuberante, quis cum audiret aliam esse vitam, crederet? quis invisibilia visibilibus præferret? Sed ad salutem redeuntibus infirmis, ad vitam resurgentibus mortuis, carnis munditiam recipientibus leprosis, ereptis a jure spirituum immundorum dæmoniacis, tot visibilibus miraculis exactis, quis non crederet quod de invisibilibus audiret? Ad hoc quippe visibilia miracula coruscant ut corda audientium ad fidem invisibilium pertrahant: ut per hoc quod mirum foris agitur, hoc quod intus est, longe mirabilius esse sentiatur. Unde nunc quoque cum fidelium numerositas intra sanctam excrevit Ecclesiam, multi sunt qui vitam virtutum tenent, sed signa virtutum non habent: quia miraculum frustra foris ostenditur, si deest quod intus operetur. 1. Cor. 14. 22. Nam juxta magistri Gentium vocem: *Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus*. Unde idem prædicator egregius Melitam veniens, & Act. 28. plenam infidelibus insulam sciens, patrem Publii dysenteria febribusque vexatum, orando sanavit, & sanctæ prædicationis adjutorem Timotheum ex infirmitate stomachi lassescentem non verbo curat, sed medicinali arte mederi parat, dicens: *Modico vino utere propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates*. 1. Tim. 5. 23. Qui ergo infirmum infidelem una prece salvat, cur ægrotum socium prece non liberat? Quia nimirum ille foris per miraculum sanandus erat, qui vivus interius non erat; ut per hoc quod exterior potestas ostenderet, hunc ad vitam interior virtus anima-

ret: ægrotanti autem fideli socio signa foris non fuerant exhibenda, qui salubriter intus vivebat.

CAPUT XXIX.

Luc. 9. 58.

Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos.

De calliditate superborum divi. In exposit. B. Job, lib. 19. num. 2.

QUIDAM diviti superba sapienti dicitur a Domino: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Vulpes valde fraudulenta sunt animalia, quæ in fossis vel specubus se abscondunt. Cumque apparuerint, numquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus currunt: volucres vero, ut novimus, alto volatu se in aera sublevant. Nomine vero volucrum hæc eadem superba designantur dæmonia; ac si dicat: Fraudulenta, & elata dæmonia in corde vestro, id est in cogitatione superbiæ inveniunt habitationem suam: Filius autem hominis ubi caput suum reclinet, non habet, id est humilitas mea requiem in superba mente vestra non invenit. Quasi in quodam volatu volucris illa prima se extulit, quæ per elatam cogitationem dixit: *In cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum: ascendam super altitudinem nubium, et similis ero Altissimo.* (Isa. 14. 13.) Ecce quam alta superbe volando petiit: quem etiam volatum & primis hominibus persuasit. Ipsi quippe volando, quasi super se ire conati sunt, quando eis dictum est ut gustarent, & essent sicut dii. Cumque similitudinem divinitatis appetierunt, immortalitatis munera perdiderunt. Qui in terram moriendo non issent, si super terram humiliter stare voluissent.

CAPUT XXX.

Luc. 9. 60.

Sine ut mortui sepeliant mortuos suos.

De quatuor modis peccandi. In exposit. B. Job, lib. 4. sparsim, an. 49. ad num. 53.

QUATUOR modis peccatum consummatur in opere. Prius namque latens culpa agitur: postmodum vero etiam ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur: dehinc & in consuetudinem ducitur; ad extremum quoque, vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis enutritur. Cum autem culpa in usum venerit, ei jam animus, etiamsi appetat, debilius resistit: quia quot vicibus pravæ frequentationis adstringitur, quasi tot vinculis ad mentem ligatur. Unde fit ut cum enervis animus solvi non valet, ad quædam se solatia falsæ consolationis inclinet: quatenus venturum judicem tantæ sibi misericordiæ spondeat, ut eos etiam quos arguendos invenerit, penitus non occidat: cui rei hoc deterius accidit, quod ei multorum similium lingua consentit: cum etiam male gesta laudibus exaggerant, sicut per Psalmistam dicitur: *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ: & cum iniqua egerit iniquus, benedicitur.* (Psal. 9. 24.) Unde fit ut incessanter crescat culpa favoribus nutrita. Curari vero vulnus negligitur, quod dignum præmio laudis videtur. Unde & per Salomonem dicitur: *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.* (Prov. 1. 10) Peccatores etenim lactant, cum vel perpetranda mala blandimentis inferunt, vel perpetrata favoribus extollunt. Sciendum quoque est quod illi tres modi peccantium, juxta sui descensus ordinem facilius corriguntur: quartus vero iste difficilius emendatur. Unde & Redemtor noster puellam in domo, juvenem extra portam, in sepulcro vero Lazarum suscitavit. Adhuc quippe mortuus in domo jacet, qui in peccato latet. Jam quasi extra portam educitur, cujus iniquitas usque ad inverecundiam publicæ perpetrationis aperitur. Sepulturæ vero aggere premitur, qui in perpetratione nequitiæ, etiam usu consuetudinis pressus gravatur. Sed hos ad vitam miseratus revocat: quia plerumque divina gratia non solum in occultis, sed etiam in apertis iniquitatibus mortuos, & mole pravæ consuetudinis pressos lumine sui respectus illustrat. Quartum vero mortuum, nuntiante discipulo Redemtor noster agnoscit, nec tamen suscitat: quia valde difficile est, ut is quem post usum malæ consuetudinis etiam adulantium linguæ excipiunt, a mentis suæ morte revocetur, de quo bene dicitur: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos.* Mortui enim sepeliunt mortuos, cum peccatores peccatorum favoribus premunt. Quid enim est aliud peccare, quam occumbere; & sepelire, quam abscondere? sed qui peccantem laudibus prosequuntur, extinctum sub verborum suorum aggere abscondunt. Erat autem & Lazarus mortuus, sed tamen non a mortuis sepultus. Fideles quippe illum mulieres obruerant, quæ & ejus mortem vivificatori nuntiabant. Unde & protinus ad lucem rediit: quia cum in peccato animus moritur, citius ad vitam reducitur, si super hunc sollicitæ cogitationes vivunt. Aliquando sicut superius dictum est, nequaquam falsa spes divinæ misericordiæ mentem peccatoris intercipit, sed hanc pro peccatis, quæ facit, factorem suum inordinate formidantem deterior desperatio confligit: & omnem spem veniæ, ne redeat, ad correctionem funditus interimit.

CAPUT XXXI.

Luc. 9. 60.

Tu autem vade, & annuntia regnum Dei.

De discretione in bono opere. In expos. B. Job, lib. 19. num. 24.

SCIENDUM est, quia aliquando in actionibus nostris minora bona prætermittenda sunt pro utilitate majorum. Nam quis ignoret boni operis esse, mortuum sepelire? Et tamen cuidam, qui ad sepeliendum patrem dimitti se poposcerat, a Domino dictum est: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Postponendum namque erat obsequium hujus ministerii officio prædicationis: quia illo carne mortuos in terram conderet, isto autem anima mortuos ad vitam resuscitaret.

CAPUT XXXII.

Luc. 9. 62.

Nemo mittens manum ad aratrum &c.

De his qui mundo renuntiant. Hom. 3. in Ezech. n. 16 & 17. Num. 14. 3 & 4.

ELECTI Dei sic a terrenis actibus ad spiritualia pertranseunt, ut ad ea quæ reliquerunt, ulterius nullatenus reflectantur. Quo contra de reprobis dicitur: *Quia corde reversi sunt in Ægyptum.* Et per semetipsam Veritas dicit: *Nemo mittens manum ad aratrum & aspiciens retro, aptus est regno Dei.* Manum quippe in aratrum mittere, est quasi per quemdam compunctionis vomerem, ad proferendos fructus terram sui cordis aperire: sed retro post aratrum aspicit, qui post exordia boni operis ad mala revertitur, quæ reliquit. Quod electis Dei minime contigit: quia ad ea quæ reliquerunt nullo jam appetitu respiciunt: & in æternis, quæ appetunt, suæ mentis contemplatione sem-

semper intendunt. Unde & magnus ille prædicator dicebat, qui usque ad cæli tertii secreta penetraverat: *Unum vero quæ quidem retro sunt oblitus, in ea quæ sunt ante, extendens me, sequor ad palmam supernæ vocationis*. Ante nos enim æterna sunt, post nos temporalia; quia & illa pergentes invenimus, & ista recedentes, quasi post dorsum relinquimus. Paulus igitur in anteriora extentus, eorum quæ retro sunt oblitus fuerat: quia temporalia despiciens, sola, quæ sunt æterna, requirebat.

Philip. 3.13. 14.

CAPUT XXXIII.

Et misit illos binos ante faciem suam. Luc. 10.1.

De amicitia prædicatorum. In exposit. B. Job, lib. 33. num. 41.

CUM prædicatores ad annuntiandum Dominus mitteret, binos misisse testatur Evangelium, cum dicit: *Designavit Dominus Jesus septuaginta duos discipulos: & misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem, & locum, quo erat ipse venturus*. Ideo autem bini missi esse describuntur, ut quia vel duo sunt præcepta caritatis, vel quia societas haberi minus quam inter duos non potest, sancti prædicatores ex ipsa qualitate suæ missionis cognoscerent, quantum concordiam societatis amarent.

CAPUT XXXIV.

Videbam Satanam velut fulgur de cælo cadentem. Luc. 10.18.

De quadripartita arrogantium specie. In exposit. B. Job, lib. 23. num. 13.

QUATUOR sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur: cum bonum aut a semetipsis habere se æstimant, aut sibi desuper datum credunt, & pro suis hoc se meritis accepisse putant: aut certe cum se jactant habere, quod non habent: aut despectis ceteris, videri singulariter appetunt habere, quod habent. A semetipso enim bonum se habere jactabat, cui per Apostolum dicitur: *Quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Rursum ne dari nobis bonum gratiæ pro nostris præcedentibus meritis crederemus, idem Apostolus admonet, dicens: *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur*. Qui etiam de semetipso ait: *Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum*. Quibus verbis aperte declarat quod gratia non pro meritis tribuatur, dum ex seipso docuit, & quid de malitia meruit, & quid de benevolentia accepit. Rursum nonnulli jactant se habere quod non habent, sicut Angelo Ecclesiæ Laodiceæ dicitur: *Quia dicis quod dives sum & locupletatus & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*. Rursum nonnulli despectis ceteris, videri appetunt singulariter bonum habere quod habent. Unde & Pharisæus idcirco de templo absque justificatione descendit; quia bonorum operum merita sibi quasi singulariter tribuens, oranti Publicano se prætulit. Sancti quoque Apostoli ab hoc elationis vitio revocantur, qui de prædicatione redeuntes, cum elati dicerent: *Domine, in nomine tuo etiam dæmonia nobis subjecta sunt*: ne de hac miraculorum singularitate gauderent, illico eis respondit Dominus, dicens: *Videbam Satanam velut fulgur de cælo cadentem*. Ipse quippe singulariter elatus dixerat: *Super astra cæli exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, similis ero Altissimo*. Et mire Dominus ut in discipulorum cordibus elationem premeret, mox judicium ruinæ retulit, quod ipse magister elationis accepit: ut in auctore superbiæ discerent, quid de elationis initio formidarent.

1.Cor.4.7. Ephes.2.8. 1.Tim. 1.13. Apoc.3.17. Luc. 10.17. Isa.14.13.

CAPUT XXXV.

Gaudete & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Luc. 10.20.

A Privato gaudio Veritas ad commune discipulos revocat, cum eos de prædicatione redeuntes, & de subjectione dæmonum lætantes admonet, dicens: *Nolite gaudere super hoc sed potius gaudete & exultate quia nomina vestra sunt scripta in cælo*. Non enim omnes electi dæmonia ejiciunt, sed tamen electorum omnium nomina cælo tenentur adscripta. Admonentur ergo discipuli privatam lætitiam deponere, de communi autem & perpetua felicitate gaudere. In hac itaque arrogantiæ quarta specie crebro humanus animus labitur: ut id quod habet, habere se singulariter glorietur. In qua tamen diabolicæ similitudini vicinius appropinquat, quia quisquis bonum se habere singulariter gaudet, quisquis videri sublimior ceteris quærit, illum videlicet imitatur qui despecto bono societatis Angelorum, sedem suam ad Aquilonem ponens, & Altissimi similitudinem superbe appetens, per iniquum desiderium, quasi ad quoddam culmen conatus est singularitatis erumpere.

Luc. 2. in Ezech. ho. 7. num. 17. In exposit. B. Job, lib. 23. num. 13.

CAPUT XXXVI.

Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens vinum & oleum. Luc. 10.34.

DISCIPLINA vel misericordia multum in Pastoribus destituitur, si una sine altera teneatur. Sed circa subditos suos inesse Rectoribus debet, & juste consulens misericordia, & pie corrigens disciplina. Hinc est quod semivivi illius vulneribus, qui a Samaritano in stabulum ductus est, & vinum adhibetur & oleum: ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur: quatenus unusquisque, qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: ut per vinum mundentur putrida, per oleum foveantur sananda. Miscenda est ergo lenitas cum severitate, faciendum quoddam temperamentum ex utroque, ut neque multa asperitate subditi exulcerentur, neque nimia benignitate solvantur.

De disciplina & misericordia. In exposit. B. Job, lib. 20. num. 14.

CAPUT XXXVII.

Intravit Jesus in quoddam castellum, & mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam: & huic erat soror nomine Maria. Luc. 10.38.

DUÆ sunt Sanctorum vitæ, activa scilicet, & contemplativa. Activa vita est, panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem proximum revocare, infirman-

De activa vita, & contemplativa. Mixtim ex lib. 6. in exposit. B. Job, n. 57. & 61.

hom. 9. in Ezech n.9. ac præsertim lib. 2. in Ezech. ho. 2. num. 6.

mantis curam gerere, quæ singulis quibusque expe- A diant dispensare, & commissa nobis qualiter subsistere valeant, providere. Contemplativa vero vita est, caritatem quidem Dei & proximi tota mente retinere, sed ab exteriori actione quiescere, soli desiderio Conditoris inhærere, ut nil jam agere libeat, sed calcatis curis omnibus, ad videndam sui Creatoris faciem animus inardescat: itaut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisque desideriis appetere illis hymnidicis Angelorum choris interesse, civibus admisceri cælestibus, de æterna in conspectu Dei incorruptione gaudere; sed activa prior est tempore, quam contemplativa: quia ex opere bono tenditur ad contemplationem. Contemplativa autem major est merito, quam activa: quia hæc in usu præsentis B operis laborat, illa vero sapore intimo venturem jam requiem degustat. Quod enim contemplativa minor quidem tempore, sed merito major sit quam activa, sacris Evangelii verbis ostenditur, in quo duæ mulieres, Martha scilicet & Maria, diversa egisse referuntur. *Martha quippe circa frequens ministerium satagebat: Maria vero sedens ad pedes Domini, ejus verba audiebat.* Quid enim per Martham exterioribus obsequiis occupatam nisi activa vita signatur? & quid per Mariam, quæ verba Domini residens audiebat, nisi contemplativa exprimitur? Una quippe earum erat intenta operi, altera contemplationi: una serviebat activæ vitæ per exterius ministerium, altera contemplativæ per suspensionem cordis in verbum. Et quamvis activa C sit bona, melior tamen est contemplativa: quia ista cum mortali vita deficit, illa vero in immortali vita plenius excrescit. Unde cum contra Mariæ suæ sororis otium Martha quereretur, quod se negligeret adjuvare, audivit a Domino respondente: *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima: porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Ecce pars & cura Marthæ non reprehenditur, sed Mariæ pars etiam laudatur: neque bonam partem elegisse Mariam dicit, sed optimam: ut etiam pars Marthę judicaretur bona: quia magna sunt activæ vitæ merita, sed contemplativæ potiora. Quare pars Mariæ sit optima, subinfertur, cum dicitur: *quæ non auferetur ab ea.* Activæ enim vitæ opera cum D corpore transeunt: Contemplativæ autem gaudia melius ex fine convalescunt. Quis enim in æterna patria panem porrigat esurienti, ubi nemo esurit? Quis potum tribuat sitienti, ubi nemo sitit? Quis mortuum sepeliat, ubi nemo moritur? Activa igitur vita cum corpore deficit, & cum præsenti seculo aufertur: contemplativa vero nec deficit, nec aufertur. Hic enim incipit, sed subtracta præsentis seculi luce, in cælesti patria perficitur. Amoris quippe ignis, qui hic ardere inchoat, cum ipsum quem amat viderit, in amore ipsius amplius ignescit. Sciendum est enim quod activa vita perfecte teneri potest, & illam opere perficimus, sed in hac vita positi contemplationis intimæ sola initia degustamus: de ea etiam, cum contendimus, vix E parum aliquid attingere valemus. Quantolibet enim amore animus ardeat, quantalibet virtute cogitationis in Deum tendat, non jam quod amat, perfecte videt: sed adhuc inchoat videre quod amet: quia sicut fortissimus prædicator dicitur: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: & nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.*

1.Cor 13 12

CAPUT XXXVIII.

Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa quærens requiem, & non inveniens, &c. *Luc.11.24.*

Quod mentes carnalium diabolus inhabitat. In exposit. B. Job, lib. 33. num. 8.

MENTES secularium temporali gloriæ deditæ, dum ad appetitum exterioris gloriæ defluunt, dum excedere ceteros honorum altitudine ambiunt, locum antiquo hosti, ubi apud se requiescere debeat, tribuunt. Unde & in Evangelio Veritas dicit quod spiritus exiens, in locis aridis & inaquosis requiem non invenit; quia domum, quam reliquerat vacuam, scopisque mundatam reperit, hanc multiplicior intravit. Quia enim fluxa fit terra quæ infunditur, loca arentia & inaquosa sunt corda justorum, quæ per disciplinæ fortitudinem ab omni carnalis concupiscentiæ humore siccantur. Loca autem humentia sunt terrenorum hominum mentes, quas humore carnalis concupiscentiæ quia replet, fluidas facit: loca quoque humentia sunt opera voluptuosa. Pes quippe in arida terra non labitur, fixus vero in lubrica vix tenetur. In locis igitur humentibus iter vitæ præsentis faciunt, qui in hac ad justitiam recti stare non possunt. In his itaque locis humentibus, id est in reproborum hominum operatione lubrica, requiem invenit hostis antiquus.

CAPUT XXXIX.

Tunc assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. *Luc.11.26.*

De domo neglectæ conscientiæ. In exposit. B. Job, lib. 7. num. 20.

PLERUMQUE vitiorum contritionem in nobis agere per flagella Dominus inchoat: sed cum mens ex ipso profectus exordio extollitur, cumque se quasi jam de virtutibus erigit, sævienti contra se adversario aditum pandit, qui cordis intima penetrans, omne quod in ea de studio bonæ inchoationis invenerit, confringit; tantoque se vehementius in ejus destructione exhibet, quanto & gravius, quia vel ad modicum fuerat projectus, dolet. Unde & teste Evangelio, voce Veritatis, ad neglectam domum conscientiæ spiritus immundus, qui solus exit, cum spiritibus septem redit.

CAPUT XL.

Nemo lucernam ponit sub modio, sed super candelabrum. *Luc.11.33.*

De prædicatione. In exposit. B. Job, lib. 30. num. 77.

OMNES electi Dei gratiam prædicationis habent pro magno, corporum autem utilitatem pro minimo. Hinc Dominus ait in Evangelio: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum.* In modio namque commodum temporale, in lucerna vero lux prædicationis accipitur. Lucernam ergo ponere sub modio, est propter temporale commodum gratiam prædicationis abscondere, quod nemo utique electorum facit. Et bene illic subditur: *Sed super candelabrum.* In candelabro enim status corporis designatur, cui lucerna superponitur, dum eidem corpori cura prædicationis antefertur.

CA-

A

CAPUT XLI.

Luc. 11. 34. *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit, &c.*

De simplici intentione. In exposit. B. Job, lib. 28. num. 30.

CURANDUM sollicite est, cum a nobis quidlibet agitur, ne fiat pravum quod in opere sequitur, si non ex recta cogitationis intentione generatur. Unde bene in Evangelio dicit Dominus: *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si oculus autem tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Quid enim per oculum exprimitur, nisi opus suum præveniens cordis intentio? Quæ priusquam in actione se exerceat, hoc jam quod appetit, contemplatur. Et quid appellatione corporis designatur, nisi unaquæque actio, quæ intentionem suam quasi oculum intuentem sequitur? Lucerna itaque corporis est oculus; quia per bonæ intentionis radium merita illustrantur actionis. *Et si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*: quia si recte intendimus per simplicitatem cogitationis, bonum opus efficitur, etiam si minus bonum esse videatur: & cum intentione bona quid agitur, ejus intentionis actio apud Deum minime fuscatur. *Et si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit*: quia cum perversa intentione quid vel rectum agitur, etsi splendere coram hominibus cernitur, apud examen interni judicis obscuratur. Unde & recte subjungitur:

Matt. 6. 23. *Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. Si lumen quod in te, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Quia si hoc quod bene nos agere credimus, ex mala intentione fuscamus, quanta ipsa mala sunt, quæ mala esse, etiam cum agimus, non ignoramus? Et si ibi nil cernimus, ubi quasi discretionis lumen tenemus: qua cæcitate in illa offendimus, quæ sine discretione perpetramus? Vigilanti itaque cura per cuncta opera intentio nostra nobis est pensanda.

CAPUT XLII.

Luc. 11. 42. *Decimatis mentham, & anethum, & cyminum: & relinquitis quæ graviora sunt legis.*

De simulata sanctitate. Regul. Past. par. 3. c. 33.

ILLI qui se a parvis peccatis custodiunt, & aliquando in gravibus demerguntur, debent considerare quod cum majora mala perpetrant coram Deo, apertæ iniquitatis sint: & cum parva bona custodiunt coram hominibus, simulatæ sanctitatis sint. In illis iniqua faciunt, & per ista se hominibus, quia sunt iniqui, tegunt. Hinc est quod Pharisæis dicitur:

Matt. 23. 24. *Liquantes culicem, camelum autem glutientes.* Ac si aperte diceretur: Minima mala discernitis, majora devoratis. Hinc est quod rursum ore Veritatis increpantur, cum audiunt, *Decimatis mentham, & anethum, & cyminum: & relinquitis quæ graviora sunt legis, judicium & misericordiam & fidem.* Neque enim negligenter audiendum est quod cum decimari minima diceret, extrema quidem de oleribus maluit, sed tamen bene olentia memorari: ut profecto ostenderet quia simulatores cum parva custodiunt, odorem de se extendere sanctæ opinionis quærunt: & quamvis implere maxima prætermittunt, ea tamen minima observant, quæ humano judicio longe lateque redoleant.

CAPUT XLIII.

Luc. 12. 17. *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? &c.*

De avaro divite. In exposit. B. Job, lib. 15. num. 26.

OMNIS avarus prius anhelat per avaritiam concupita congregare: & postquam quasi in quodam ventre avaritiæ multa congesserit, satiatus arctatur; quia dum anxiatur qualiter acquisita custodiat, ipsa eum sua satietas angustat. Divitis enim cujusdam uberes fructus ager attulerat; sed quia ubi eos tantos reponeret non habebat, dixit: *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?* Et dixit: *Hoc faciam: destruam horrea mea, & majora ædificabo.* Qui igitur ex abundantia coangustatus dicebat: *Quid faciam?* quasi multo cibo pressus æstuabat. Pensemus quot votis appetiit, ut uberes fructus ager illius afferret. Ecce autem vota completa sunt, quia fructus uberes ager attulit: sed quoniam ad recondendum loca non sufficiunt, multiplicatus dives, quid faciat, ignorat. O angustia ex satietate nata! de ubertate agri angustatur animus avari. Dicens namque: *quid faciam?* profecto indicat, quia votorum suorum affectibus pressus, sub quodam rerum fasce laborabat. Mentem igitur avari divitis, quæ prius ex abundantia requiem quæsierat, post ad custodiam sollicitudo gravius fatigat.

C

CAPUT XLIV.

Luc. 12. 19. *Anima, habes bona multa.*

De elatione divitum. In exposit. B. Job, lib. 14. num. 19.

SÆPE videmus quosdam divites, qui & opes & gloriam habere sine culpa potuissent, si hæc habere cum humilitate voluissent: sed extolluntur rebus, inflantur honoribus, dedignantur ceteros, omnemque vitæ suæ fiduciam in ipsa abundantia rerum ponunt. Unde & quidam dives dicebat: *Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* Ecce hic in rebus dubiis spem fixerat, & in rebus labentibus spei suæ fiduciam posuerat, & solidaverat. De Creatore autem desperasse fuerat, spem in creatura posuisse. Stante enim Deo in

Ibid. lib. 22. num. 4.

perpetuum, omnia transeunt. Quid ergo nisi ab stante fugere est, transeuntibus rebus inhærere? Quisquis igitur defluere devitat, superest ut quod defluit, fugiat; ne per hoc quod amat, in hoc cogatur venire quod vitat. Qui enim rebus labentibus inhæret, illo videlicet trahitur, quo tendit quod tenet. Prius itaque curandum est ne quisque temporalia diligat; ac deinde ne in eisdem temporalibus, quæ non ad delectationem sibi sed ad usum retinet, fiduciam ponat: quoniam conjunctus decurrentibus statum suum mox animus perdit: nam vitæ præsentis fructus trahit, quem levat.

E

CAPUT XLV.

Luc. 12. 20. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te.*

De morte repentina. In exposit. B. Job, lib. 25. num. 3.

QUAMLIBET sero de hac vita tollantur iniqui, subito & repente tolluntur: quia finem suum cogitando prævidere nesciunt. Subitum enim est quod ante cogitari non potuit. Subito dives ille stultus raptus est, qui horrea quæ præparabat, deseruit; & inferni locum, quem

quem non prævidebat, invenit. Eadem enim no- A cte sublatus est, qui in rerum sibi abundantia multa tempora fuerat præstolatus, ut scilicet, qui in longum sibi subsidia colligendo prospiceret, subsequentem diem vel unum minime videret. Ad aliud exercebat animam per cogitationem, sed ad aliud emisit per sententiam: aliud dum viveret contemplatus est, aliud dum moreretur expertus: reliquit enim diu tractata temporalia, & inopinata invenit æterna. Unde ei propter hanc ignorantiam cæcitatis suæ, bene per divinam sententiam increpando dicitur: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te*. In nocte quippe ablata est, quæ in obscuritate cordis est amissa. In nocte ablata est, quæ considerationis lucem habere noluit, ut quod poterat pati, prævideret, B Unde bene discipulis futura cogitantibus Paulus

1. Thess. 5. 4. Apostolus dicit: *Vos autem, fratres, non estis in tenebris: ut vos dies illa tamquam fur comprehendat*. Dies enim exitus tamquam fur in nocte comprehendit, quando stultorum animas futura non prævidentes ejicit.

CAPUT XLVI.

Luc. 12, 35. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.*

Quid prædicatores debeant esse mundi. In exposit. B. Job, lib. 28. num. 12.

SANCTIS prædicatoribus a Domino dicitur: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*. Lumbos præcingere, C est in opere luxuriam refrenare: delectatio namque carnis est in lumbis. Per lumbos itaque luxuria, per lucernas autem, bonorum operum claritas designatur. Jubentur ergo sancti prædicatores lumbos accingere, & lucernas tenere. Ac si aperte audiant: Prius in vobismetipsis luxuriam restringite, & tunc de vobis aliis bonorum operum exempla monstrate.

CAPUT XLVII.

Luc. 12. 45. *Quod si dixerit servus ille in corde suo: Moram facit Dominus meus, &c.*

Ut Prælati humiles sint. Regul. Past. par. 2. c. 6.

DEBENT studere sine intermissione qui præ- D sunt, ut eorum potentia quanto magna exterius cernitur, tanto apud eos interius deprimatur, ne eorum animus ad elationem potestatis suæ delectatione rapiatur. Hinc Petrus ait: *Non dominantes in cleris, sed forma facti gregis*.

1. Petr. 5. 3. Hinc per semetipsam Veritas ad altiora nos virtutum merita provocans, dicit: *Quicumque vo-*

Matt. 20. 26. *luerit inter vos major fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*. Hinc est quod servum ex suscepto regimine elatum, quæ post supplicia maneant, indicat, dicens: Quod si dixerit malus ille servus in corde suo: *Moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conservos suos, manducet autem* E *& bibat cum ebriis: veniet Dominus servi illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis*. Inter hypocritas enim jure deputatur, qui ex simulatione disciplinæ ministerium regiminis vertit in usum dominationis.

CAPUT XLVIII.

Servus qui cognovit voluntatem domini sui, & non fecit secundum eam, vapulabit, &c. Luc. 12. 47.

De ignorantia & contemtu. In exposit. B. Job, lib. 25. num. 11.

SUNT nonnulli qui ex eo quod Veritas dicit: *Servus qui non cognovit voluntatem domini sui, & fecit digna plagis, vapulabit paucis: & servus sciens voluntatem domini sui, & non faciens juxta eam, vapulabit multis*, nolunt scire quod faciant: & quasi minus se vapulaturos existimant, si quod operari debuerunt, nesciant. Sed aliud est nescisse, aliud scire noluisse. Nescit namque qui apprehendere vult, & non valet. Qui autem ut nesciat, aurem a voce Veritatis avertit, iste non nesciens, sed contemtor dicitur.

CAPUT XLIX.

Cui multum datum est, multum quæretur ab eo. Luc. 12. 48.

De personarum acceptione. In exposit. B. Job, lib. 25. num. 2.

QUONIAM ab internis atque invisibilibus oculos clausimus, & visibilibus pascimur, plerumque hominem non ex eo quod ipse est, sed ex his, quæ circa ipsum sunt, veneramur. Cumque non intuemur quid ipse sit, sed quid possit, in acceptione personarum non ex personis sed ex rebus adjacentibus ducimur. Sicque fit ut is C quoque apud nos intus in despectionem veniat, qui foris honoratur: quia dum pro his, quæ circa illum sunt, honorabilis habetur, rebus suis in examine nostro postponitur. Sed omnipotens Deus vitam hominum ex sola qualitate interrogat meritorum: & sæpe inde plus punit, unde hic majora ad ministerium contulit, Veritate attestante, quæ ait: *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo*.

CAPUT L.

Ignem veni mittere in terram. Luc. 12. 49.

Quid ignis in sancta Scriptura significet. Hom. 2. in Ezech. n. 14.

D IGNIS nomine, cum per significationem dicitur, aliquando Spiritus sanctus, aliquando vero mentis malitia designatur. Per ignem Spiritus sanctus solet figurari, de quo in Evangelio Dominus dicit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Ignis quippe in terram mittitur, cum per ardorem sancti Spiritus afflata terrena mens, a carnalibus suis desideriis concrematur. Cum enim carnalis mens sanctum Spiritum accipit, amore spirituali succensa, malum plangit quod fecit. Et terra ardet, quando accusante se conscientia, cor peccatoris atteritur, & in dolore pœnitentiæ crematur. De malo autem igne dicitur: *Et nunc ignis adversarios consumit*; quia cor pessimum ex sua malitia tabescit. Hebr. 10. 27.

CAPUT LI.

Cum vadis cum adversario tuo ad Principem in via, da operam, &c. Luc. 12. 58.

Quod adversarius noster sit sermo Dei. Homil. 35. in Evang. n. 3.

QUONIAM pravi quilibet & perversi homines in hac vita Dei præcepta contemnunt, illis in extremo vitæ inimicis tradentur, cum quibus in æterno judicio damnationis perpetuæ societate colligabuntur, sicut scriptum est: *Cum vadis cum adversario tuo ad Principem in via, da operam liberari*

berari ab illo, ne forte tradat te ad judicem: & judex tradat te exactori: & exactor mittat te in carcerem. Adversarius quippe noster in via, est sermo Dei contrarius nostris carnalibus desideriis in præsenti vita: a quo ipse liberatur, qui præceptis ejus humiliter subditur; alioquin adversarius judici, & judex tradet te exactori: quoniam ex sermone Domini contemto, reus peccator tenebitur in examine judicis. Quem judex exactori tradet, quoniam hunc maligno spiritui ad ultionem tradi permittet: ut compulsam animam ipse de corpore exigat ad pœnam, quæ ei sponte consensit ad culpam. (In expositione B. Job, lib. 4. num. 69.) Exactor quippe intelligitur importunus ille persuasor, qui humano generi semel nummum deceptionis contulit, & adhuc quotidie mortis expetere debitum non desistit: qui in paradiso pecuniam homini peccanti commodavit, sed iniquitate crescente hanc quotidie cum usuris exigit. Exactor diabolus est, qui male suadendo spem contulit immortalitatis: decipiendo, tributum exigit mortis: qui suadendo, intulit culpam; sæviendo, exigit pœnam. Exactor ergo peccatorem mittet in carcerem, quia per malignum spiritum in inferno detruditur quousque dies judicii veniat, ex quo jam in ignibus inferni simul & ipse crucietur.

CAPUT LII.

(Luc. 13. 24.) *Contendite intrare per angustam portam.*

(De distinctione bonæ vitæ. In expositione B. Job, lib. 11. num. 68.)

MENS humana cum ad meliora nititur, quasi contra fluminis ictum conatur. Cum vero ab intentione ascendendi resolvitur, sine labore ad ima ducitur. Quia enim in ascensu labor est, in descensu otium: intraturos per angustam portam Dominus admonet, dicens: *Contendite intrare per angustam portam.* Quæ est autem angusta porta, nisi in hoc mundo vivere, sed de hujus mundi concupiscentia nil habere, aliena non appetere, propria non tenere, laudes mundi despicere, & pro Deo opprobria amare, gloriam mundi fugere, despectum sequi, adulantes despicere, despicientes honorare, mala nocentium ex corde dimittere, & erga eos dilectionis gratiam immobilem in corde retinere? Dicturus itaque Dominus hujus angustæ portæ introitum, præmisit: *Contendite*; quia nisi mentis contentio fuerit, unda mundi non vincitur, per quam anima semper ad ima revocatur. Mens enim mutabilitatis suæ pondere ad aliud semper impellitur quam est: & nisi in statu suo arcta custodiæ disciplina teneatur, semper in deteriora delabitur: quia etiam semper stantem deseruit, statum quem habere poterat, amisit.

CAPUT LIII.

(Luc. 14. 26.) *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, &c.*

(De inordinato propinquorum amore. In expositione B. Job, lib. 6. num. 40. & 43.)

SÆPE videmus quosdam præsentis vitæ desideria non habere, mundum & opere & professione spernere: sed tamen pro inordinatis affectibus propinquorum, prætoria irrumpere, terrenarum rerum jurgiis vacare, libertatem intimæ quietis relinquere, & mundi in se studia jamdudum destructa reparare. Hos a præsenti seculo inchoata jam vitæ perfectio solverat, sed inordinatus amor terrenæ cognationis ligat. Qui vero districto studio sponsionis æternæ sequuntur propinquos, sicut semetipsos pro divino amore despiciunt, sic cuncta, quibus se sentiunt præpediri, postponunt: & cum pro Deo necesse est ut quibus valent, cunctis inserviant, pro Deo privata obsequia etiam propinquis negant. Hinc est enim quod quidam cum diceret: *Permitte mihi prius ire, & sepelire patrem meum*; (Matth. 8. 21.) Veritatis ore protinus audivit: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, annuntia regnum Dei.* Qua in re notandum est quia electus discipulus dum a parentis sepultura compescitur, hoc devotum quemque exhibere patri mortuo ex affectu carnali propter Dominum non licet, quod propter Dominum etiam exteris debet. Hinc rursum Veritas dicit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Quo in loco videlicet, dum propinquorum odio, animæ quoque nostræ odium subinfertur, patenter ostenditur quia sic propinquos sicut nosmetipsos odio habere præcipimur: ut hos ad æterna rapientes, eorumque carnalem gratiam, cum præpedit, postponentes, discamus temperata eos discretionis arte, & convenienter diligere, & salubriter odio habere: quatenus sic sciat per amorem odium surgere, ut valeamus eos verius per odium amare.

CAPUT LIV.

Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. (Luc. 14. 33.)

QUIA Dominus ac Redemtor noster, novus homo venit in mundum, nova præcepta edidit mundo. (De renuntiatione seculi. Homil. 32. in Evang. n. 2.) Vitæ enim nostræ veteri in vitiis enutritæ, contrarietatem opposuit novitatis suæ. Quid enim vetus, quid carnalis homo noverat, nisi aliquid in hoc mundo possidere, se contra pericula immensi laboris accingere, temporalia quæque laboriosa observatione etiam cum jurgiis defendere? Quid noverat, nisi sua retinere, aliena rapere si posset, concupiscere si non posset? Sed cælestis & novus homo, cum se sequentibus nova mandata proponeret, dixit: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Ac si aperte dicat: Qui per veterem vitam aliena concupiscitis, per novæ conversationis studium, & vestra largimini. Perfectus igitur Christianus, (In expositione B. Job, lib. 31. num. 22.) quomodo debet res terrenas jurgando defendere, quas nunc præcipitur non possidere? Itaque cum res proprias amittimus, si perfecte Deum sequimur, in hujus vitæ itinere a magno onere levigati sumus. Cum vero curam rerum ejusdem nobis itineris necessitas imponit, quidam dum eas rapiunt, solummodo tolerandi sunt: quidam vero servata caritate prohibendi, non tamen sola cura ne nostra subtrahant, sed ne rapientes non sua, semetipsos perdant. Plus quippe ipsis raptoribus debemus metuere, quam rebus irrationabilibus defendendis inhiare. Ista namque etiam non rapta morientes amittimus, cum illis vero & nunc conditionis ordine, etsi corrigi studeant, post perceptionem muneris, unum sumus. Quis autem nesciat, quia minus ea quibus utimur, & plus debemus amare quod sumus? Si igitur & pro sua utilitate raptoribus loquimur, non jam solum nobis quæ temporalia, sed ipsis etiam quæ sunt æterna, vendicamus. Qua in re illud est solerter intuendum, ne per necessitatis metum cupiditas surrepat rerum, & zelo succensa prohibitio, impetu immoderatio-

re distensa, usque ad odiosæ turpitudinem con- A
tentionis erumpat. Dumque pro terrena re pax a corde cum proximo scinditur, liquido apparet, quia plus res quam proximus amatur. Si enim caritatis viscera etiam circa raptorem proximum non habemus, nosmetipsos pejus ipso raptore persequimur, graviusque nos quam alter poterat, devastamus: quia dilectionis bonorum sponte deserentes, a nobisipsis intus est quod amittimus, qui ab illo sola exteriora perdebamus.

CAPUT LV.

Luc. 15. 17. *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus.*

B

Dialog lib. 3. cap. 3. 4.

QUOTIES per cogitationis motum extra nos nimium ducimur, & nos sumus, & nobiscum non sumus; quia nosmetipsos minime videntes, per alia vagamur. An illum secum fuisse dicimus, qui in longinquam regionem abiit: portionem, quam acceperat, consumsit; uni in ea civium adhæsit: porcos pavit: quos cum manducare siliquas videret, & has esuriret? Tamen cum postmodum cœpit cogitare bona quæ perdidit, scriptum de illo est: *In se reversus dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus.* Si igitur secum fuit, unde ad se rediit? De Petro quoque Apostolo scriptum est, dum de carcere ab Angelo ductus fuisset, quia ad se reversus dixit: *Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum.* (Act. 12. 11.) Duobus ergo modis extra nos ducimur, quia aut per cogitationis lapsum sub nosmetipsos recidimus: aut per contemplationis gratiam super nosmetipsos levamur. Ille itaque qui porcos pavit, vagatione mentis & immunditia, sub semetipsum cecidit: iste vero quem Angelus solvit, ejusque mentem in ecstasim rapuit, extra se quidem, sed super semetipsum fuit. Uterque igitur rediit, quando & ille ab errore operis ad cor se collegit: & iste a contemplationis culmine ad hoc rediit, quod in intellectu communi prius fuit.

CAPUT LVI.

Luc. 15. 22. *Cito proferte stolam primam, & induite illum.*

De electione Dei. Hom. 36 in Evang. n. 7.

ILLOS elegit Deus, quos despicit mundus: quia plerumque ipsa despectio revocat hominem ad semetipsum. Is enim qui patrem reliquit, & partem substantiæ, quam perceperat, prodige expendit, postquam esurire cœpit, in se reversus dixit: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus; ego autem hic fame pereo; Surgam, & ibo ad patrem meum.* Longe quippe a se discesserat, quando peccabat: & si non esurisset, in semetipsum minime redisset: quia postquam terrenis indiguit, tunc cogitare cœpit quid de spiritualibus amisit. Et quia concessa prius in paradiso veste justitiæ nudatus fuerat & innocentiæ, nuditatem peccatoris filii dignatus est pater operire, qui eo redeunte dixit: *Cito proferte stolam primam, & induite illum.* Prima quippe stola est innocentiæ vestis, quam homo bene conditus accepit, male autem a serpente persuasus perdidit. (Lib. 22. in Job, num 9.)

CAPUT LVII.

Et date annulum in manu ejus. Luc. 15. 22.

Per quid fides significetur. In exposit. B. Job, lib. 29. num. 12.

SOLET Scriptura sacra pro fide annulum appellare, vel signaculum. Nam filius junior, qui consumta substantia ad patrem rediit, in munere annulum accepit. Gentilis enim populus, qui immortalitate perdita, ad Deum pœnitendo revertitur, per fidei signaculum munitur.

CAPUT LVIII.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Luc. 16. 9.

De misericordia pauperibus exhibenda. In exposit. B. Job, lib. 21. num. 29.

OMNIBUS qui dant eleemosynas pauperibus, duæ virtutes, humilitas scilicet atque pietas ita sibimet connexæ debent inesse, ut vicario semper fulciantur opere: quatenus nec humilitas cum veneratur proximum, largitatis gratiam deserat, nec pietas cum largitur erga indigentiam intumescat. Itaque proximi humilitatem pietas fulciat, humilitas pietatem: ut cum indigentem rebus necessariis naturæ tuæ consortem vides, nec per pietatem desinas regere, nec per superbiam negligas venerari quem regis. Nam sunt nonnulli qui mox ut ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati, postea dona largituri prius in eis contumeliosa
C verba jaculantur. Qui etsi rebus ministerium pietatis perficiunt, verbis tamen gratiam humilitatis perdunt, itaut plerumque videantur, quia illatæ jam injuriæ satisfactionem solvunt, cum post contumelias dona largiuntur. Nec magni est operis quod postulata tribuant: quia ipso dationis suæ munere vix eumdem excessum sermonis tegunt. Beneficium ergo debet exhiberi per pietatem, & bonum verbum tribui per humilitatem. At contra alii egenos fratres non student rebus fulcire, cum possint, sed blandis tantum sermonibus fovere. Sed dilectio nostra semper exhibenda est cum veneratione sermonis, & ministerio largitatis. Præterea sunt nonnulli qui pietatis suæ viscera tendere usque ad incognitos nesciunt, sed solis quos
D per assiduitatem notitiæ didicerint, miserentur: apud quos nimirum plus familiaritas, quam natura valet; dum quibusdam necessaria, non quia homines, sed quia noti sunt, largiuntur. Apud piam igitur mentem plus debet natura valere, quam notitia; quamquam & unusquisque qui indiget, eo ipso quo homo est, etiam incognitus non est. Multum autem ad edomandam dantis superbiam valet, si eum terrena tribuit, verba sollicite magistri cælestis penset, qui ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* (Num. 30.) Si enim eorum amicitiis æterna tabernacula acquirimus, dantes proculdubio pensare debemus quia patronis munera potius offerimus, quam egenis dona largimur. Hinc per
E Paulum dicitur: *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum:* (2. Cor. 8. 14.) ut videlicet sollicite perpendamus, quia & eos quos nunc inopes cernimus, abundantes quandoque videbimus: & qui abundantes aspicimur, si largiri negligimus, quandoque inopes erimus. Qui itaque nunc temporale subsidium pauperi tribuit, ab eo postmodum perpetua recepturus, ut ita dicam, quasi ad frugem terram excolit, quæ quod acceperit, uberius reddit. Restat ergo ut numquam elatio surgat ex munere, quando

vide-

videlicet dives ex eo quod pauperi tribuit, agit in perpetuum ut pauper non sit. Quisquis autem super eum cui aliquid donavit, fastu se se elationis extollit, majorem intrinsecus superbiendo peragit, quam extrinsecus largirndo mercedem. Fit ipse bonis interioribus nudus, cum nudum despicit vestiens; eo quod agit, ut seipso deterior fiat, quo se indigenti proximo meliorem putat, Minus quippe inops est qui non habet vestem, quam qui humilitatem. Unde necesse est ut cum naturæ nostræ consortes exteriora non habere conspicimus, quam multa nobis desint interiora bona pensemus: quatenus sese super inopes cogitatio nostra non elevet, cum solerter videt quia nos tanto verius, quanto & interius indigentes sumus.

CAPUT LIX.

Luc. 14. 2.

Cum intrasset Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, ecce quidam hydropicus erat ante illum. Quem apprehendens, sanavit ac dimisit.

De avaritia. In expos. B. Job lib. 14. num. 14. Luc. 16. 14.

REDEMPTOR noster ante Pharisæi domum hydropicum curat, ut contra avaritiam disputaret. Scriptum est: *Audiebant omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, & deridebant illum.* Quid est ergo quod ante Pharisæi domum hydropicus curatur, nisi quod per alterius ægritudinem corporis, in altero exprimitur ægritudo cordis? Hydropicus quippe quo amplius bibit, amplius sitit: sic & omnis avarus ex potu sitim multiplicat; quia cum ea quæ appetit, adeptus fuerit, ad appetenda alia amplius anhelat. Qui enim adipiscendo plus appetit, huic sitis ex potu crescit.

CAPUT LX.

Luc. 16. 15.

Quod hominibus altum est, abominabile est apud Deum.

De superbis cogitationibus nostris. Hom. 28. in Evang. n. 4.

QUIA in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores veneramur & divitias: si quilibet pauper ut ad eum ire deberemus, nos rogaret, protinus superbia nostra nobis in tacita cogitatione responderet: Non eas, quia temetipsum degeneras, honor tuus despicitur, locus vilescit. Ecce de cælo venit, qui servo in terra occurrere non despicit: & tamen humiliari in terra contemnimus, qui de terra sumus! Quid autem apud Deum vilius, quid esse potest despectius quam apud homines honorem servare, & interni testis oculos non timere? Unde in sacro Evangelio ad Pharisæos ait: *Vos estis qui justificatis vos coram hominibus. Deus autem novit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominabile est apud Deum.* Notate, fratres, notate quod dicitur. Si enim quod hominibus altum est, abominabile est apud Deum, cogitatio cordis nostri tanto apud Deum in imo est, quanto hominibus in alto: humilitas cordis nostri tanto apud Deum in alto est,

Num. 5.

quanto hominibus in imo. Despiciamus ergo si quid boni gerimus, nulla nos nostra inflet operatio, non rerum abundantia, non extollat gloria. Si quibuslibet ex bonis affluentibus intus intumescimus, Deo despecti sumus. Hæc ergo, fratres, cogitate: hæc intentione tota pensate, nolite in proximis vestris hujus mundi bona venerari, hoc propter Deum honorate in hominibus quibus tamen non estis commissi, quod ad imaginem Dei sunt facti. Quod tunc in proximis vere servatis, si apud vosmetipsos prius in corde non intumescitis. Nam qui se adhuc pro rebus transitoriis extollit, nescit in proximo quod maneat venerari. Nolite ergo in vobismetipsis pensare quod habetis, sed quid estis: & in æternitatis amore cor figite; ut dum adipisci terrena culmina contemnitis, perveniatis ad gloriam quam per fidem tenetis.

CAPUT LXI.

Luc. 18. 2.

Deum non timebat, & hominem non reverebatur.

De iniquo judice. In exposit. B. Job, lib. 14. num. 31.

SUNT quidam qui postquam Deum in mente contempserint, multo magis humana judicia spernunt: & omne malum quod appetunt, audacter peragere non erubescunt. Quos ad perpetrandum malum iniquitas occulta invitat, & nulla aperta verecundia retardat. Sicut de quodam iniquo judice dicitur: *Deum non timebat, & hominem non reverebatur:* quoniam a perpetrandis malis nec Dei timore, nec hominum pudore refrenabatur.

CAPUT LXII.

Luc. 7. 36. & 37.

Rogavit Dominum Jesum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Et discumbente in domo Pharisæi ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, attulit alabastrum unguenti.

Homil. 33. in Evang. n. 1.

HANC quam Lucas peccatricem mulierem, Johannes vero Mariam nominat, illam esse Mariam credimus, de qua Marcus septem dæmonia ejecta fuisse commemorat: & quid per septem dæmonia, nisi universa designantur vitia? Quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, recte septenario numero universitas figuratur. Septem ergo dæmonia Maria habuit, quæ vitiis universis plena fuit. Sed ecce quia turpitudinis suæ maculas aspexit, lavando ad fontem misericordiæ cucurrit, convivantes non erubuit. Nam quia semetipsam graviter erubescebat intus, nihil esse credidit, quod verecundaretur foris.

CAPUT LXIII.

Luc. 7.

Et stans retro secus pedes Jesu, lacrymis cœpit rigare pedes ejus.

De gratia Redemtoris. Homil. 8. in Ezech. n. 2.

OMNIPOTENS Deus & ipse implet mentes Sanctorum desiderio cælesti, & ipse impletas exaudit: ipse enim creat in Sanctorum cordibus amorem, & ipse ex amantibus cordibus suscipit precem. Negationem suam Petrus flevit amare, sed tamen illud præmittitur: quia *Jesus respexit Petrum.* Venit Maria Magdalene post multas maculas culpæ ad pedes nostri Redemtoris cum lacrymis. Sed quis illam infundit, nisi qui benigne foris suscepit? Quis illam ad lacrymas per compunctionis spiritum urgebat, nisi qui hanc exterius coram simul recumbentibus ad veniam recipiebat? Redemtor igitur noster peccatricis mulieris mentem extrahebat, cum de culpa compungeret; suscipiebat, ut a culpa liberaret. Quidquid enim in Sanctorum virtutibus agitur, ejus est gratiæ, qui merita largitur.

Luc. 22. 61.

CAPUT LXIV.

Luc. 7. 42.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

De misericordia Dei, Homil 33. in Evang. n. 9. & 8 ordine univerfo.

UBIQUE vobis, fratres catiffimi, superna medicina occurrit; quoniam dedit homini præceptum ne peccet, & tamen peccanti dedit remedia per pœnitentiam, ne desperet. Hinc est quod Maria Magdalene, quæ fuerat in civitate peccatrix, ad vitam post culpas pœnitentiam agens rediit: & eam de faucibus antiqui serpentis manus Redemtoris eripuit. Unde bene ad beatum Job voce dominica dicitur: *Numquid capies Leviathan hamo; aut armilla perforabis maxillam ejus?* Per Leviathan quippe, quod additamentum eorum dicitur, antiquus ille serpens devorator humani generis designatur; qui dum se divinitatem homini addere spopondit, immortalitatem sustulit: qui prævaricationis culpam quoque, quam primo homini propinavit, dum se sequentibus pessima persuasione multiplicat, pœnas eis sine cessatione coacervat. Armilla ubi ponitur, ambiendo constringit. Quid igitur per armillam, nisi circumplectens nos divina misericordia designatur? Quæ Leviathan istius maxillam perforat, dum nobis post perpetrata quæ prohibuit, adhuc pœnitentiæ remedium ostendit. Armilla Dominus maxillam Leviathan perforat: quoniam ineffabili misericordiæ suæ potentia sic malitiæ antiqui hostis obviat, ut eos aliquando, etiam quos jam cepit, amittat. Et quasi ab ore illius cadunt, qui post perpetratas culpas ad innocentiam redeunt. Quis enim ore illius semel raptus maxillam ejus evaderet, si perforata non esset? Annon in ore Petrum tenuit cum negavit? Annon in ore David tenuit, cum in tantam se luxuriæ voraginem mersit? Sed dum ad vitam uterque per pœnitentiam redit, Leviathan iste eos aliquomodo quasi per maxillæ suæ foramen amisit. Quis autem hominum Leviathan istius os evadat, ut illicita nulla committat? Sed hinc cognoscimus, quantum Redemtori generis humani debitores sumus, qui non solum nos in ore Leviathan ire prohibuit, sed ab ore ejus redire concessit. Qui spem peccatori non abstulit: qui maxillam ejus, ut evadendi viam tribueret, perforavit; ut saltem post morsum fugiat, qui incautus, ne morderetur, prius cavere noluit. Cavendum enim summopere est ne quis delectatione peccati, Leviathan istius ore rapiat; & tamen si raptus fuerit, non desperet: quia si peccarum perfecte lugeat, adhuc foramen in maxilla ejus invenit, per quod evadat. Adest testis divinæ misericordiæ Maria Magdalena, quam in ore Leviathan iste tenuit: quoniam universorum vitiorum dominio succubuit. Sed per foramen maxillæ ab ejus ore subtracta, quia post perpetrationem tantarum nequitiarum pœnitendo est reversa. Veritatem enim amando, lavit lacrymis maculas criminis. Et vox Veritatis impletur qua dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Quæ enim prius frigida peccando remanserat, postmodum amando fortiter ardebat; & eam Conditor noster velut in signo, nobis ad exemplum pœnitentiæ posuit, quam per pœnitentiam vivere post lapsum fecit.

Job. 40. 20. — Matth. 26. — 2. Reg. 2 — Num. 10. — Num. 1.

CAPUT LXV.

Fides tua te salvam fecit, vade in pace.

Luc. 7. 50.

Homil 33. in Evang. n. 10.

QUOTIDIE peccatores ad vitam revertuntur, & post perpetratas culpas ad innocentiam per pœnitentiæ remedium convertuntur. Adest testis divinæ misericordiæ Maria Magdalena, de qua Pharisæus, dum pietatis fontem vellet obstruere, dicebat: *Hic si esset Propheta, sciret utique, quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est*. Sed lavit lacrymis maculas cordis & corporis, & Redemtoris sui vestigia tetigit, quæ itinera sua prava dereliquit. Sedebat ad pedes Jesu, verbumque de ore illius audiebat: viventi adhæserat; cum sepultus esset, mortuum quærebat: viventem reperit, quem mortuum quæsivit; tantumque apud eum gratiæ locum invenit, ut hunc ipsis quoque Apostolis, ejus videlicet nuntiis, ipsa nuntiaret. Quid itaque, fratres, quid in hac redehemus aspicere, nisi immensam Conditoris nostri misericordiam? Qui nobis velut in signo eam ad exemplum pœnitentiæ posuit, quam per pœnitentiam vivere post lapsum fecit. Si aliquis libidinis igne succensus carniis munditiam perdidit, aspiciat Mariam, quæ in se carnis amorem igne divini amoris excoxit. Ad vos igitur, fratres carissimi, mentis oculos reducite, & pœnitentem peccatricem mulierem vobis in exemplum imitationis anteferte. Redemtoris nostri vestigia, quia peccando contemsistis, amate: quæque vos in adolescentia, quæque in juventute deliquisse meministis, deflete: morum operumque maculas lacrymis tergite: nam revertentes nos Dominus clementer amplectitur; quoniam vita peccatorum etiam indigna non potest esse, quæ fletibus lavatur.

Ibid. v 39. — Hom. 33. in Evangelis.

CAPUT LXVI.

Luc. 16. 19. & seq.

Homo quidam erat dives, & induebatur purpura & bysso: & epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.

De Lazaro & divite. In expositio. B Job, lib. 2 a cum. 31.

PER epulantem splendide divitem Judaicus populus designatur, copiam scilicet legis non ad necessitatem salutis, sed ad pompam elationis assumens, & in præceptorum verbis non semetipsum ordinate reficiens, sed jactanter ostendens. Per vulneratum vero Lazarum, qui interpretatur adjutus, forma populi Gentilis exprimitur, quem divinum adjutorium tanto magis erigit, quanto minus de virium suarum facultate confidit. Qui pauper & ulceribus plenus esse describitur; quia Gentilitas corde humilis peccatorum suorum confessiones aperuit. Nam sicut in vulnere trahitur ab intimis virus in cute: ita in confessione peccati, dum secreta panduntur in publicum, quasi mali humores a visceribus intimis foras prorumpunt. Et bene per divitem splendide viventem, superbia Judæorum; per ulcerosum vero Lazarum, qui adjutus interpretatur, humilitas designatur: quia dum Judæi in gloria vitæ præsentis superbientes,

humi-

humilitatis dominicæ celsitudinem, & abjecta facta, quæ in se ille ostendit, intelligere despexerunt, Gentiles peccata sua confitentes ad Deum credendo gratia ipsius adjuti pervenerunt, & illis cadentibus, in locum eorum pauperes, id est spiritu humiles subrogati sunt. Lumen enim intelligentiæ humilitas aperit, superbia abscondit. Nam secretum quoddam est pietatis; & tanto minus ad illud animus pervenit, quanto magis intumescit: quoniam eo ipso foras repellitur, quanto insanius inflatur. Immensa vero profundaque Dei judicia debemus perhorrescere, nec ea ratione discutere, sed venerari nos convenit admiratione. Nemo Gentilitatem discutiat assumtam, & Judæam perditam. Nemo discutiat cur Judaico stante populo, dudum in infidelitate Gentilitas jacuit, & cur ad fidem Gentilitate surgente Judaicum populum infidelitatis culpa prostravit. Nemo discutiat cur alius trahatur ex dono, & alius repellatur ex merito. Consilium summæ & occultæ virtutis satisfactio sit apertæ rationis: & in cunctis, quæ disponuntur exterius, aperta causa sit rationis occultæ, justitia voluntatis.

Num. 32.

CAPUT LXVII.

Luc. 16. 22. *Factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno.*

De incendio animarum, Regul. Past. part. 3. c. 21

NEQUAQUAM dives iste aliena rapuisse, sed infructuose perhibetur propriis usus fuisse: eumque post hanc vitam ultrix gehenna suscepit, non quia aliquid illicitum gessit, sed quia immoderato usu totum se licitis tradidit. In his autem dictis Evangelicis colligere possumus, quia incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patiatur. Veritatis enim voce, dives mortuus, dicitur in inferno sepultus. Cujus anima quod in igne teneatur, insinuat vox divitis, qui Abraham deprecabatur, dicens: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Dum ergo peccatorem divitem damnatum Veritas in ignem perhibet, quisnam sapiens reproborum animas teneri ignibus neget? Si autem quæritur quomodo res incorporea teneri & affligi possit a re corporea, certe audiamus quid reprobis Veritas in fine est dictura: *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & Angelis ejus.* Si ergo diabolus ejusque Angeli, cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, non mirum si animæ, antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta. Teneri etiam per ignem potest anima, ut in tormento ignis sit videndo & sentiendo. Ignem namque eo ipso patitur, quod videt: & quia concremari se aspicit, crematur. Sicque fit ut corporea res incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor, & dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam in flamma corporea crucietur.

Vers. 24.

Matt. 25. 41.

CAPUT LXVIII.

Luc. 16. 23. *Elevans autem oculos cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, & Lazarum in sinu ejus.*

De divite, & de animab. defunctorum qualiter se habeant. In expos. B. Job, lib. 10. num. 49.

DIVES iste idcirco punitus, & inferni dam-
A natione percussus, non quia vi quempiam oppresserit, vel quia aliena diripiens abstulerit: sed quia propria non dederit; & acceptis rebus, semetipsum male derelinquens, se extollenter elevaverit. Sunt enim nonnulli quos census per tumorem non elevat, sed per opera misericordiæ exaltat: & sunt nonnulli qui se terrenis opibus abundare conspiciunt, veras Dei divitias non requirunt, atque patriam æternam non amant: quoniam hoc sibi sufficere, quod rebus fulciuntur temporalibus, putant. Non est ergo census in crimine, sed affectus: cuncta enim sunt bona, quæ condidit Deus. Sed qui bonis male utitur, profecto agit ut quasi per edacitatis ingluviem, eo quo vivere debuit, pane moriatur.
B Pauper ad requiem Lazarus venerat, superbum vero divitem tormenta cruciabant: sed tamen dives Abraham fuerat, qui Lazarum in sinu tenebat, qui tamen auctori suo colloquens, dicit: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis.* Quid itaque iste divitias suas æstimare noverat; qui semetipsum pulverem cineremque pensabat? Aut quomodo res hunc extollerent possessæ, qui de se quoque earum videlicet possessore tam abjecta sentiret? Superbi itaque divites, & elati, venturi Judicis respectum non habent, dum superbis apud se cogitationibus tument. Hoc ergo fuit quod hunc superbum divitem inferno tradidit, quia in sua felicitate timidus non fuit: quia percepta dona ad usum arrogantiæ inflexit:
C quia viscera pietatis ignoravit: quia peccata sua redimere, etiam cum sibi abundaret pretium, noluit. Sero autem dives iste oculos elevans aperuit, quando Lazarum requiescentem vidit, quem jacentem ante januam videre contemsit. Intellexit ibi quod hic facere noluit; in damnatione sua compulsus est cognoscere quid fuit, quod perdidit, quando proximum indigentem non agnovit. Propter hoc autem quod de hoc divite in tormentis posito dicitur, quod viderit Abraham & Lazarum in sinu ejus; credendum est, quod ante retributionem extremi judicii, injusti quosdam in requie justos conspiciunt, ut eos videntes in gaudio non solum de suo supplicio, sed etiam de illorum crucientur bono. Justi vero in tor-
D mentis semper intuentur injustos, ut hinc eorum gaudium crescat: quia malum conspiciunt, quod misericorditer evaserunt: tantoque majores Redemtori suo gratias referunt, quanto vident in aliis, quod ipsi perpeti, si essent derelicti, potuerunt. Nec illam tantæ beatitudinis claritatem apud justorum animum fuscat aspecta pœna reproborum, quia ubi compassio miseriæ jam non erit, minui proculdubio beatorum lætitia non valebit. Justorum enim animæ quamvis in suæ naturæ bonitate misericordiam habeant, etiamsi misereri vellent, jam tunc omnino non possunt: quia justitiæ auctoris sui conjunctæ tanta rectitudine constringuntur, ut nulla ad reprobos compassione moveantur; & erecti jam per justitiam judicii, eis nullomodo misereantur. Ipsi quippe
E judici concordant, cui inhærent: & eis quos eripere non possunt, nec ex misericordia condescendunt: quia tantum illos tunc a se videbunt esse extraneos, quanto ab eo quem diligunt, auctore suo conspiciunt esse repulsos. Quid autem mirum, si dum justi injustorum tormenta conspiciunt, hoc eis eveniat in obsequio gaudiorum: quando & in pictura niger color substernitur, ut albus vel rubeus clarior videatur. Sed, sicut dictum est, tanto bonis sua gaudia excrescunt, quanto eorum

Gen. 18. 27.

Hom. 40. in Evang. n. 3.

Ibid. n. 7.

ocu-

oculis damnatorum mala subterjacent. Quamvis eis sua gaudia plene sufficiant ad perfruendum, mala tamen reproborum absque dubio semper aspiciunt: quia cum Creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur quod videre non possunt. Præterea de ipsis animabus sciendum est, quoniam sicut ii qui adhuc viventes sunt, mortuorum animas quo loco habeantur, ignorant: ita mortui vitam in carne viventium post eos qualiter disponatur, nesciunt: quia & vita spiritus longe est a vita carnis: & sicut corporea & incorporea diversa sunt genere, ita etiam distincta cognitione. Quod tamen de animabus sanctis dicendum non est: quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullomodo credendum est, quia sit foris aliquid, quod ignorent. Et sciendum quod electi & perfecti postquam de corporibus transeunt, nequaquam per morarum spatia, sicut antiqui Patres, a cælestis patriæ perceptione differuntur. Mox quippe ut a carnis colligatione exeunt, in cælesti sede requiescunt, attestante Paulo, qui ait: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis*. Prius autem quam Redemtor noster morte sua humani generis pœnam solveret, eos etiam qui cælestis patriæ vias secuti sunt, post egressum carnis inferni claustra tenuerunt, non ut pœna quasi peccatores plecteret, sed ut eos in locis remotioribus quiescentes, quia necdum intercessio Mediatoris advenerat, ab ingressu regni reatus primæ culpæ prohiberet. Unde juxta ejusdem Redemtoris nostri testimonium, dives qui apud inferos torquetur, in sinu Abrahæ Lazarum requiescere contemplatur. Qui profecto si adhuc in imis non essent, hos ille in tormentis positus non videret. Unde & idem Redemtor noster pro nostræ culpæ debito occumbens, inferna penetrat, ut suos qui ei inhæserant, ad cælos reducat. Sed quo nunc homo redemtus ascendit, illuc profecto si peccare noluisset, etiam sine redemtione pertingeret.

In expofit. B. Job, lib. 4. num. 30. — *2. Cor. 5. 1.*

CAPUT LXIX.

Pater Abraham, miserere mei.

Luc. 16. 24. — *De loquacitate. In expofit. B. Job, lib. 1. num. 11. Regul. Past. part. 3. c. 19*

PENE semper epulas sequitur loquacitas, cum que venter reficitur, lingua distrenatur. Nisi enim gulæ deditos immoderata loquacitas raperet, dives ille qui epulatus quotidie splendide dicitur, in lingua gravius non arderet, nec aquam peteret, dicens: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma*. Quibus profecto verbis ostenditur, quia epulando quotidie crebrius in lingua peccaverat, qui totus ardens refrigerari se præcipue in lingua requirebat. Prius quippe epulatus quotidie splendide dicitur: & post aquam petere in lingua memoratur: quia enim, ut diximus, inter epulas valde defluere loquacitas solet, ex pœna indicat culpam, cum eum quem epulatum splendide Veritas dixerat, in lingua plus ardere perhibebat. Hi, qui chordarum harmoniam temperant, tanta hanc arte dispensant, ut plerumque cum una tangitur, longe alia ex multi interjacentibus posita chorda quatiatur. Cumque ista sonitum reddit, illa quæ in eodem cantu temperata est, aliis impercussis tremit. Sic ergo Scriptura sacra plerumque de virtutibus, sic de vitiis agit: ut dum loquendo aliud insinuat, tacendo aliud innotescat. Nihil enim contra divitem de loquacitate memoratur, sed dum pœna in lingua dicitur, quæ in convivio inter alias gravior fuerit, culpa monstratur. Videamus autem nunc inopiam divitis ardentis cujus tanta fuit abundantia epulantis. Ait enim: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma*. Quibus verbis nobis non hoc innotescitur, quia illic in tanto ardore, una tunc ad sufficientiam refrigerii aquæ stilla requiratur: sed quod is qui de abundantia peccaverat, illic æstuanti nimis ememetur inopia. Videmus enim in verbis divitis, ex subtilissimo Dei judicio, quam magna tali culpæ pœna responderit. Agente namque inopia, illic usque ad minima petenda compulsus est, qui hic agente tenacia usque ad neganda minima pervenit. Quid tribui subtilius, quid districtius potest? Guttam aquæ petiit, qui micas panis negavit.

In expofit. B. Job, lib. 1. num. 30

CAPUT LXX.

Memento, fili, quia bona recepisti in vita tua, & Lazarus similiter mala. *Luc. 16. 25.*

De occultis judiciis. In expofit. B. Job, lib. 1. num. 6.

CUM valde occulta sint divina judicia, cur in hac vita nonnumquam bonis male sit, & malis bene: tunc occultiora sunt, cum & bonis hic bene est, & malis male. Nam cum bonis hic male est, & malis bene, hoc fortasse deprehenditur, quia & boni si qua deliquerunt, hic recipiunt, ut ab æterna plenius damnatione liberentur: & mali bona quæ pro hac vita faciunt, hinc inveniunt, ut ad sola in posterum tormenta pertrahantur. Unde & ardenti in inferno diviti dicitur: *Memento fili, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala*. At cum bonis hic bene est, & malis male, incertum valde est utrum boni idcirco bona accipiant, ut provocati ad aliquid melius crescant: an justo, latentique judicio hic suorum operum remunerationem percipiant, ut a præmiis vitæ sequentis inanescant, & utrum malos idcirco adversa feriant, ut ab æternis suppliciis corrigendo defendant. An hic eorum pœna incipiat, ut quandoque complenda eos ad ultima gehennæ tormenta perducat. Sancti igitur viri, cum sibi suppetere prospera hujus mundi conspiciunt, pavida suspicione turbantur: timent enim ne hic laborum suorum fructus recipiant: timent ne quod divina justitia latens in eis vulnus aspiciat, & exterioribus eos muneribus cumulans ab intimis repellat.

CAPUT LXXI.

Rogo te, Pater Abraham, ut mittas eum in domum patris mei. *Luc. 16. 27.*

De spe veniæ post mortem. In expofit. B. Job, lib. 8. n. 29 & lib. 9. num. 102.

POSTQUAM tempus vitæ præsentis abscinditur, nequaquam reprobi, & peccatores ad operationem promerendæ veniæ ulterius revertentur, nec ad adhibenda recta opera revocabuntur. Hinc est quod dives, quem inferni flamma cruciabat, quia semetipsum reparare operando non posset, agnoverat: nam nequaquam sibi, sed relictis fratribus prodesse satagebat, dicens: *Rogo te, Pater Abraham, ut mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant*

veniant in locum hunc tormentorum. Solet namque mœstum animum spes vel falsa fovere: sed ut pœnam suam reprobi gravius sentiant, etiam de venia spem amittunt. Unde flammis ultricibus traditus, non sibi, ut diximus, sed opitulari fratribus concupivit. quia se numquam igneo carere tormento, adjuncto desperationis supplicio agnovit. Sic quoque debemus indubitanter credere quod iniqui postquam æternis damnati suppliciis fuerint, de parentibus & cognatis & proximis suis, quos reliquerunt, cogitabunt: cum per semetipsam Veritas dicat, qua dives qui in inferno sepultus fuerat, de quinque fratribus quos reliquerat, etiam in supplicio positus curam gerebat. Præterea sciendum est quod ignis in inferno, & ad consolationem non lucet, & tamen ut magis torqueat, ad aliquid lucet. Nam sequaces quosque suos secum in tormento reprobi, flamma illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt: quatenus eorum qui vitam carnaliter contra præcepta Conditoris amaverunt, ipsorum quoque interitus eos in augmento suæ damnationis affligat. Quod profecto hoc eodem Evangelio teste colligimus, in quo Veritate nuntiante dives ille, quem contigit ad æterni incendii tormenta descendere, quinque fratrum describitur meminisse. Qui Abraham petiit ut ad eorum eruditionem Lazarum mitteret, ne illuc eos quandoque venientes par pœna cruciaret. Qui igitur ad doloris sui cumulum, propinquorum absentium meminit, constat proculdubio quia eos ad augmentum supplicii paulo post potuit etiam præsens videre. Quid autem mirum si secum quoque reprobos aspiciat cremari, qui ad doloris sui cumulum eum quem despexerat in sinu Abrahæ Lazarum vidit? Si ergo ei ut pœna cresceret & vir electus apparuit, cur non credendum sit quod in supplicio videre eos etiam quos contra Deum dilexerat, possit? Qua ex re colligitur quod eos quos inordinate nunc reprobi diligunt, miro judicii ordine secum tunc in tormentis videbunt, ut pœnam propriæ punitionis exaggeret illa auctori præposita carnalis cognatio pati ante oculos ultione damnata.

CAPUT LXXII.

Item unde supra.

De Lazaro & divite: & de scientia animarum post mortem. Dial. lib. 4. cap. 33.

QUOD boni bonos in regno, & mali malos in supplicio cognoscant, in verbis domini luce clarius est demonstratum. In quibus cum dictum esset quod mortuus Lazarus portatus est ab Angelis in sinu Abrahæ, & mortuus dives sepultus est in inferno, subjunctum est: *Qui elevans oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, & Lazarum in sinu ejus, & ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.* Cui Abraham dixit: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Dives autem de seipso jam spem salutis non habens, ad promerendam suorum salutem convertitur, dicens: *Rogo te, Pater ut mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in locum hunc tormentorum.* Quibus verbis aperte declaratur, quia & boni bonos, & mali cognoscunt malos. Si igitur Abraham Lazarum minime recognovisset, nequaquam ad divitem in tormentis positum, de transacta ejus contritione loqueretur, dicens quod mala receperit in vita sua. Et si mali malos non recognoscerent, nequaquam dives in tormentis positus, fratrum suorum etiam absentiam meminisset. Quomodo enim præsentes non posset agnoscere, qui etiam pro absentium memoria curavit exorare? Qua in re illud quoque ostenditur, quod & boni malos, & mali cognoscunt bonos. Nam & dives ab Abraham cognoscitur, cui dictum est: *Recepisti bona in vita tua*: & electus Lazarus a reprobo est divite cognitus, quem mitti precatur ex nomine dicens: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam.* In qua videlicet cognitione utrorumque partis cumulus retributionis excrescit, & ut boni amplius gaudeant qui secum eos lætari conspiciunt, quos amaverunt: & mali, dum cum eis torquentur quos in hoc mundo despecto Deo dilexerunt, eos non solum sua, sed etiam eorum pœna consumat. Fit autem quiddam mirabilius in electis: quia non solum eos agnoscunt quos in hoc mundo noverant, sed velut visos atque cognitos recognoscunt bonos, quos numquam viderunt. Qui enim illic omnes communi claritate Deum conspiciunt, non est quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt.

CAPUT LXXIII.

Si habueritis fidem tamquam granum sinapis. Luc. 17. 6.

De tribulatione electorum. In exposit. B. Job, lib. 6. num. 9.

SICUT unguenta redolere latius nesciunt, nisi commota, & sicut fragrantiam suam nonnisi cum incenduntur, expandunt; ita sancti viri, omne quod virtutibus redolent, in tribulationibus innotescunt. Unde & recte in Evangelio dicitur: *si habueritis fidem tamquam granum sinapis.* Granum quippe sinapis nisi conteratur, nequaquam vis virtutis ejus agnoscitur: non contritum, lene est, si vero conteritur, inardescit: & quid in se acerrimum lateat, ostendit. Sic unusquisque vir sanctus cum non pulsatur, despicabilis & lenis aspicitur: si qua vero illum tritura persecutionis opprimat, mox omne quod calidum sapit, ostentat, & in fervorem virtutis vertitur quidquid in illo ante despicabile infirmumque videbatur: quodque in se per tranquillitatis tempora libens operuit, exagitatus tribulationibus coactus innotescit.

CAPUT LXXIV.

Occurrerunt ei decem leprosi, &c. Luc. 17. 12.

De decem leprosis hæreticos designantibus. In exposit. B. Job, lib. 12. num. 26.

HÆRETICI hoc habent proprium, ut bonis mala permisceant, quatenus facile sensui audientis illudant. Si enim prava semper dicerent, citius in sua pravitate cogniti, quod vellent, minime persuaderent. Rursum si semper recta sentirent, profecto hæretici non fuissent. Itaque permiscent recta perversis, ut ostendendo bona, auditores ad se attrahant: & exhibendo mala, latenti eos peste corrumpant: ex rectis sensibus trahant, & ex perversis feriant. Hi in præceptis Dei, sana insanaque locutione variantur. Unde in Evangelio decem leprosorum sunt specie designati. Quorum colori sano dum vitiosus candor aspergitur, immoderato hoc candore fœdantur. Unde admonemur: *Non plus sapere, quam oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem.* Rom. 12. 3. Quoniam igitur in lepra & pars cutis in fulgorem ducitur, & pars in colore sano reti-

retinetur, recte leprosi hæreticos exprimunt: quia dum rectis prava permiscent, & sanis insana, colorem sanum maculis aspergunt. Qui etiam, quia nec Deum diligunt, de quo male sentiunt, nec proximum, a quo dividuntur, Decalogi præceptis adversi sunt, & ideo ad deprecandum Dominum Christum veniunt. Et quoniam in ejus præceptis offenderant, ad illum, unde offenderant, vocant, ut salventur clamant, dicentes: *Jesu præceptor, miserere nostri*: quia enim in verbis illius se errasse significant, hunc salvandi humiliter præceptorem vocant. Cumque ad cognitionem præceptoris redeunt, mox ad formam salutis recurrunt, & curari meruerunt.

CAPUT LXXV.

Luc. 17. 37.

Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

De mansionibus animarum sanctarum post mortem. In expos. B. Job, lib. 18. num. 109. Lib. 4. Dial. cap. 25.

ANTE restitutionem corporum quorumdam animæ justorum a cælesti regno quibusdam adhuc mansionibus differuntur, quia de perfecta justitia aliquid minus habuerunt. Perfectorum vero justorum animæ mox ut hujus carnis claustra exeunt, in cælestis regni sedibus recipiuntur. Quod & ipsa per se Veritas attestatur, dicens: *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*. Ac si aperte dicat: Qui cælesti sedi incarnatus vester Redemtor præsideo, electorum quoque animas cum carne solvero, ad cælestia sublevabo. Ubi igitur ipse Redemtor noster est corpore, illuc proculdubio colliguntur justorum animæ: & Paulus dissolvi desiderat, & cum Christo esse. (Philip. 1. 23) Qui ergo Christum esse in cælo non dubitat, nec animam Pauli in cælo esse negat.

CAPUT LXXVI.

Luc. 18. 12.

Jejunno bis in Sabbato.

De custodia bonorum operum. In expos. B. Job, lib. 19. num. 33. & homil. 7. in Evang. n. 4.

SI qua civitas contra insidiantes inimicos magno valletur aggere, fortibus cingatur muris, ex omni parte insomni muniatur custodia, unum vero foramen in ea tantammodo immunitum per negligentiam relinquatur, inde proculdubio hostis ingreditur, qui undique exclusus esse videbatur. Pharisæus qui in templum oraturus ascendit, civitatem mentis suæ quanta munitione vallaverit, audiamus: *Jejuno bis in Sabbato, decimas da omnium quæ possideo*; qui præmisit, *Deus, gratias ago tibi*. Recte quippe Deo gratias agebat, a quo acceperat bona quæ fecerat. Magna certe munimina adhibuit, sed videamus ubi insidianti hosti foramen immunitum reliquit. *Quia non sum sicut ceteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus*. Ecce civitatem sui cordis insidiantibus hostibus per elationem aperuit, quam frustra per jejunium & eleemosynas clausit. Incassum cetera sunt munita, cum locus unus, de quo hosti pateret aditus, non est munitus. Gratias recte egit, sed se perverse super Publicanum extulit. Civitatem sui cordis extollendo prodidit, quam abstinendo, & largiendo servavit: victa est per abstinentiam gula, ventrisque ingluvies destructa: superata est largitate tenacia & avaritia depressa. Quibus hoc laboribus actum credimus? Sed o quot labores uno vitio percussi ceciderunt! quanta bona unius culpæ gladio peremta sunt! Unde magnopere oportet bona semper agere, & ab ipsis nos bonis operibus in cogitatione caute custodire; ne si mentem elevant, bona non sint, quæ non auctori militant, sed elationi. De qua re non inordinate agimus, si ex libris licet uon Canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ editis testimonium proferamus. (Lib. 19. Mor. num. 34. 1. Mach. 6.) Eleazar namque in prælio elephantem feriens stravit, sed sub ipso quem extinxit, occubuit. Quos ergo iste significat, quem sua victoria oppressit, nisi eos qui vitia superant, sed sub ipsa quæ subigunt, superbiendo succumbunt? Quasi enim sub hoste, quem prosternit, moritur, qui de culpa quam superat, elevatur. Sancti igitur in omui opere suo sollicite invigilent ne aut prava agant, aut postquam recta quæ præcepta sunt, egerint, bonis actibus expletis in suis cogitationibus intumescant: & tanto gravius offendant, quanto in his quæ juste videntur agere, foris occultius peccant. Perit enim omne quod agitur, si non humilitate sollicite custodiatur.

CAPUT LXXVII.

Egressus Jesus perambulabat Jericho, & ecce Zachæus quærebat videre eum, quis esset. Luc. 19. 4.

De laudabili fatuitate. In expos. B. Job, lib. 27. num. 79. 1. Cor. 3. 18.

SI veraciter esse sapientes, & ipsam Dei sapientiam contemplari appetimus, stultos nos humiliter cognoscamus. Relinquamus noxiam sapientiam, discamus laudabilem fatuitatem. Hinc quippe scriptum est: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens*. Hinc Evangelicæ historiæ verba testantur, quia Zachæus cum videre præ turba nil posset, sycomorum arborem ascendit, ut transeuntem Dominum cerneret. Sycomorus quippe ficus fatua dicitur. Pusillus itaque Zachæus sycomorum subiit, & Dominum vidit: quia qui mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi Dei sapientiam subtiliter coutemplantur. Pusillitatem namque nostram ad videndum Dominum turba præpedit, quia infirmitatem humanæ mentis ne lucem veritatis intendat, curarum secularium tumultus premit. Sed prudenter sycomorum ascendimus, si provide eam, quæ divinitus præcipitur, stultitiam mente teneamus. Quid enim in hoc mundo stultius, quam amissa non quærere, possessa rapientibus relaxare, nullam pro acceptis injuriam reddere, immo adjunctis aliis patientiam præbere? Quasi enim sycomorum nos ascendere Dominus præcepit, cum dicit: *Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas*. Et rursum: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram*. (Luc. 6. 30. Matt. 5. 39.) Per sycomorum transiens Dominus cernitur, quia per hanc sapientem stultitiam, etsi necdum ut est solide, jam tamen per contemplationis lumen quasi in transitu Dei sapientia videtur. Quam videre nequeunt qui sibi sapientes videntur, quia ad conspiciendum Dominum in elata cogitationum suarum turba deprehensi, adhuc sycomori arborem non invenerunt.

CAPUT LXXVIII.

Dixit Zachæus ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Luc. 19. 8.

De emtione regni cælestis.

ÆStimationem pretii non habet, sed tamen regnum Dei tantum valet, quantum habes;

Va-

Homil. 5. in Evang. n. 2. & in hom. 25 num. 10.

valuit Petro & Andreæ, dimissis retibus & navi: valuit viduæ duobus minutis: valuit alteri calice aquæ frigidæ: valuit etiam Zachæo dimidio substantiæ: quia dimidium aliud ad hoc quod injuste abstulit restituendum in quadrupulum reservavit. Exteriora enim nostra Domino quamlibet parva sufficiunt: cor namque & non substantiam pensat; nec perpendit quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur. Regnum itaque Dei, ut diximus, tantum valet, quantum habes. Pensate igitur, fratres, quid vilius cum emitur, quid carius cum possidetur? Præterea si quis avaritiæ æstibus anhelans aliena diripuit, aspiciat hunc Zachæum, qui si quid alicui abstulit, quadruplum reddidit.

CAPUT LXXIX.

Luc. 19. 13.

Negotiamini dum venio.

De Rectoribus sanctæ Ecclesiæ. Hom. 17. in Evang. n. 16

DEBENT sollicite Sacerdotes pensare quod lucrum Deo faciunt, qui accepto talento ab eo ad negotium missi sunt. Etenim ipse Dominus dicit: *Negotiamini dum venio*. Ecce jam venit, ecce de nostro negotio lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de nostra negotiatione monstrabimus? Quot ejus conspectui manipulos animarum de prædicationis nostræ segete illaturi sumus? Ponamus ante oculos nostros illum tantæ districtionis diem, quo judex

Num. 17.

veniet, & rationem cum servis, quibus talenta credidit, ponet. Ecce in majestate terribili, inter Angelorum & Archangelorum choros videbitur, in illo tanto examine electorum omnium & reproborum multitudo deducetur, & unusquisque quid sit operatus, ostendetur. Ibi omnes dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cum igitur tot Pastores cum gregibus suis ante æterni Pastoris oculos venerint, quid nos miseri dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus, qui Pastoris nomen habuimus, & oves quas ex nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus? Hic Pastores vocati sumus, & ibi gregem non ducimus. Et

Num. 18.

per nos quidem fideles ad sanctum baptisma veniunt, nostris precibus benedicuntur, & per impositionem manuum nostrarum a Domino Spiritum sanctum accipiunt, atque ipsi ad regnum cælorum pertingunt, & ecce nos deorsum per negligentiam nostram tendimus. Ingrediuntur electi, Sacerdotum manibus expiati, cælestem patriam: & Sacerdotes ipsi per vitam reprobam ad inferni supplicia festinant. Cui ergo rei, cui similes dixerim Sacerdotes malos, nisi aquæ baptismati quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad cæleste regnum mittit, & ipsa postea descendit ad cloacas? Timeamus hæc, fratres; conveniat actioni nostræ ipsum ministerium nostrum. De peccatorum nostrorum quotidie relaxatione cogitemus, ne nostra vita peccato obligata remaneat, per quam omnipotens Deus alios quotidie solvit. Consideremus sine cessatione negotium nostrum; pensemus pondus, quod suscepimus: faciamus quotidie nobiscum rationes, quas cum judice nostro habebimus; & de negotio quod accepimus, omnipotenti Domino fructum nos reddere præparemus.

CAPUT LXXX.

Ecce mna quam habui repositam in sudario. *Luc. 19. 20.*

De regimine animarum. Regul. Past. pars 1. cap. 9.

ILLE qui virtutibus pollet, coactus ad regimen debet venire, virtutibus vacuus nec coactus præsumat accedere. Ille si omnino renititur, caveat ne acceptam pecuniam in sudario ligans, de ejus occultatione judicetur. Pecuniam quippe in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere. At contra, iste cum regimen appetit, attendat ne per exemplum pravi operis Pharisæorum more ad ingressus regni tendentibus obstaculum fiat: quia juxta summi magistri vocem, nec ipsi intrant, nec alios intrare permittunt.

CAPUT LXXXI.

Tollite ab eo talentum, & inutilem servum ejicite in tenebras exteriores. *Luc. 19. 24.*

De prædicatoribus. Homil. 6. in Evang. n. 6.

UNUSQUISQUE vestrum inquantum sufficit, inquantum aspirationis supernæ gratiam accepit, a pravitate proximorum animos revocare, & ad bene operandum exhortari, æternum quoque regnum vel supplicium, erranti debet denuntiare. Et nemo dicat: Admonere non sufficio, exhortari idoneus non sum. Quantum potes, exhibe; ne talentum male servatum quod acceperas, in tormentis pendere exigaris. Neque enim plus quam unum talentum acceperat, qui hoc abscondere magis studuit, quam erogare. Et scimus quod in Dei tabernaculo non solum phialæ, sed præcipiente Domino, etiam cyathi facti sunt. Per phialas quippe exuberans doctrina, per cyathos vero parva & angusta designatur scientia. Alius doctrina veritatis plenus, audientium mentes inebriat: per hoc ergo quod dicit, profecto phialam porrigit. Alius quod sentit explere non valet; sed quia hoc utcumque denuntiat, profecto per cyathum gustum præbet. In Dei tabernaculo, id est in sancta Ecclesia positi, si per doctrinam sapientiæ ministrare phialas minime potestis, inquantum pro divina largitate sufficitis, boni verbi cyathos date proximis vestris. Inquantum vos profecisse pensatis, etiam alios trahite, in via Dei habere socios desiderate. Si ad Deum tenditis, curate ne ad eum soli veniatis. Hinc enim scriptum est: *Qui audit, dicat: veni*. Ut *Apoc. 22. 17* qui jam in corde vocem superni amoris acceperit, etiam foris proximis vocem reddat exhortationis. Et fortasse panem, ut indigenti porrigat eleemosynam, non habet: sed majus est, quod tribuere valet, qui linguam habet. Plus est enim verbis paulo victuram in perpetuum mentem reficere, quam ventrem morituræ carnis pane terreno satiare. Nolite ergo, fratres, proximis vestris eleemosynam verbi subtrahere.

CAPUT LXXXII.

In patientia vestra possidebitis animas vestras. *Luc. 21. 19.*

De patientia. Regul. Past. pars 3. cap. 9

SIC enim conditi mirabiliter sumus, ut ratio animam, & anima possideat corpus. Jus vero animæ a corporis possessione repellitur, si non prius anima a ratione possidetur. Custodem igitur conditionis nostræ patientiam Dominus esse monstravit:

vit: quia in ipsa nos possidere nosmetipsos docuit. Quanta ergo sit impatientiæ culpa cognoscimus, per quam & hoc ipsum amittimus possidere, quod sumus. Quia vero perfectio de patientia nascitur, statim subinfertur: Ille enim vere perfectus est, qui erga imperfectionem proximi impatiens non est. Qui patientiam servare contemnit, socialem vitam citius per impatientiam deserit: neque enim servari umquam concordia, nisi per solam patientiam valet. Crebro namque in humana actione nascitur, unde mentes hominum vicissim a sua unitate & dilectione separentur. Et nisi ad adversa toleranda in animo se præparent, cum adversitatis aliquid acciderit quod animus ferre non valet, fraternam concordiam relinquunt. Sed qui alienam imperfectionem ferre non valens deserit, ipse sibi testis est, quod perfecte necdum proficit. Hinc est quod in Evangelio, ut supra commemoravimus, Veritas dicit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. Quid est enim animas possidere, nisi perfecte in omnibus vivere, cunctis mentis motibus ex virtutis arce dominari? Qui igitur patientiam tenet, animam possidet: quia inde contra adversa omnia fortis efficitur, unde sibi & seipsum vincendo dominatur. Et quod laudabiliter frangit, infractum se fortiter exerit, quia cum in suis se voluptatibus superat, sese ad contraria invictum parat.

In exposit. B. Job, lib. 5. num. 33.

CAPUT LXXXIII.

Accepto pane, gratias egit. — *Luc. 22. 20.*

DOMINUS noster Jesus Christus in se credentes edocet, ut in flagellis positi benedicere Domino sciant, & gratias agere. Cum enim, teste Evangelio, propinquare passioni dicitur, accepto pane, gratias egisse perhibetur. Gratias itaque agit, qui flagella alienæ iniquitatis suscipit; & qui nil dignum percussione exhibuit, humiliter in percussione benedicit: ut hinc videlicet ostendat quid unusquisque in flagello culpæ propriæ facere debeat, si ipse æquanimiter flagella culpæ portat alienæ: ut hinc ostendat quid in correptione faciat subditus, si in flagello positus Patri gratias agit æqualis.

De passione Domini. In exposit. B. Job. lib. 2. num. 61.

CAPUT LXXXIV.

Jesus factus in agonia, prolixius orabat. — *Luc 22. 44.*

ELECTI Dei semper directa Dei judicia super se metuunt; tunc tamen hæc vehementer pertimescunt, cum ad solvendum humanæ conditionis debitum venientes, districto judici propinquare se cernunt, & fit tanto timor acrior, quanto & retributio æterna vicinior. Crescit pavor vicina retributione justitiæ, & urgente solutione carnis, quanto magis districtum judicium jamjamque cernitur, tanto vehementius formidatur. Et si ea quæ sciunt, numquam se prætermisisse meminerunt, formidant tamen illa quæ nesciunt; quia videlicet semetipsos dijudicare, & comprehendere omnino non possunt, & urgente exitu, subtiliori terrentur metu. Unde Redemtor noster solutioni carnis appropinquans, & membrorum suorum speciem servans, factus in agonia, cœpit prolixius orare. Quid enim pro se ille cum agonia peteret, qui in terris positus cælestia cum potestate tribuebat? Sed appropinquante morte, nostræ mentis in se certamen expressit, qui vim quamdam terroris & formidinis patimur, cum per solutionem carnis æterno judicio propinquamus. Neque enim tunc cujuslibet anima immerito terretur, quando post pusillum hoc invenit, quod in æternum mutare non possit.

De timore mortis. In exposit. B. Job, lib. 24. num. 32.

CAPUT LXXXV.

Amice, ad quid venisti? — *Matth. 26. 55*

ILLOS qui nobis adversantur, amicos nominare debemus, sicut a Domino ipsi quoque traditori dicitur: *Amice, ad quid venisti?* Et dives qui inferni igne exuritur, Abraham filius vocatur: quia etsi per nos mali corrigi negligunt, dignum tamen est ut a nobis non ex sua nequitia, sed ex nostra benignitate nominentur.

De gratia benignitatis. In exposit. B. Job. lib. 3. num. 46.

CAPUT LXXXVI.

Cum autem vidisset ancilla quadam ostiaria sedentem Petrum ad lumen, & cum fuisset intuita, dixit: Numquid & tu ex discipulis es hominis istius? Negavit ille, & dixit: non sum. — *Luc. 22. 16.*

QUALES doctores sanctæ Ecclesiæ ante adventum sancti Spiritus fuerint, scimus: & post adventum illius, cujus fortitudinis sint facti, conspicimus. Certe ipse Pastor Ecclesiæ & primus Apostolorum, ad cujus sacratissimum corpus sedemus, quantæ debilitatis quantæque formidinis fuerit ancilla ostiaria requisita dicat. Una enim mulieris voce perculsus, dum mori timuit, vitam negavit. Qui non pœnis, non afflictionibus, non terribili cujusquam potestate, sed unius mancipii sola est prostratus interrogatione. Et quidem mancipium, ne sexus firmior terribilis demonstraretur, ancilla est inquirente tentatus. Rursusque ut talis sexus infirmitas etiam officii sui dejectione vilesceret, non ab ancilla tantummodo, sed ab ostiaria ancilla requisitus est. Ecce quam vilis est ad tentandum persona requisita: ut aperte proderetur, quantum eum timoris infirmitas possideret, qui nec ante vocem ostiariæ ancillæ subsisteret. Et pensandum, quia comprehensum Petrus negavit in terra, quem suspensum latro confessus est in cruce. Sed vir iste tantæ formidinis, qualis post adventum sancti Spiritus exstat audiamus. Fit conventus magistratus & seniorum, cæsis denuntiatur Apostolis ne in nomine Jesu loqui debeant. Petrus auctoritate magna respondit: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*. Et rursum: *Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate. Non enim possumus, quæ vidimus & audivimus, non loqui. Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii: quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*. Ecce gaudet Petrus in verberibus, qui quandoque in verbis timebat: & qui prius ancillæ vocem requisitus timuit, post adventum sancti Spiritus, vires Principum cæsus premit. Considerandum vero nobis est cur omnipotens Deus eum quem cunctæ præferre disposuerat Ecclesiæ, ancillæ vocem pertimescere, & seipsum permisit negare? Quod nimirum actum esse pietatis magnæ cognoscimus dispensatione, ut is qui futurus erat Pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret qualiter aliis misereri debuisset. Prius itaque eum sibi ostendit,

&

De negatione Petri Apostoli. Homil 30. in Evang. n. 7. & 8.

Act. 5. 29.

& tunc ceteris præposuit, ut ex infirmitate sua A cognosceret, quam misericorditer aliena infirma toleraret.

CAPUT LXXXVII.

Luc. 22. 61. *Et conversus Dominus, respexit Petrum.*

De diversitate peccantium. In exposit. B. Job, lib. 8. num. 30.

DUOBUS modis a Domino peccator unusquisque respicitur, cum aut a peccato convertitur, aut pro peccato punitur. De respectu conversionis dicitur, *quia respexit Dominus Petrum, & recordatus est Petrus verbi quod dixerat Jesus, & egressus foras flevit amare.* Misericordia quippe Redemtoris insensibilitatis nostræ duritiam cum respicit, ad pœnitentiam emollit. B Nequaquam enim post mortem liberat, quem ante mortem ad veniam gratia non reformat. Hinc Psalmista ait: *Quoniam in seculum misericordia ejus.* Quia nimirum quem nequaquam modo misericordia eripit, sola post præsens seculum justitia addicit. De respectu rursus ultionis dicitur: *Vultus Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Sciendum est autem quod omne peccatum tribus modis admittitur: nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur. Et gravius quidem infirmitate, quam ignorantia; sed multo gravius studio, quam infirmitate peccatur. Ignorantia Paulus peccaverat, cum dicebat: *Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam consecutus* C *sum: quia ignorans feci in incredulitate.* Petrus vero infirmitate peccavit, quando omne in eo robur fidei, quod Domino perhibuit, una vox puellæ concussit, & Deum quem corde tenuit, voce denegavit. Sed quia infirmitatis culpa vel ignorantia eo facilius tergitur, quo non studio perpetratur, Paulus qui ignoravit, sciendo correxit: & Petrus motam, & quasi arescentem jam radicem fidei lacrymis rigando solidavit. Si ergo fortasse aliquis labitur in fide, Petrum aspiciat, qui amare flevit quod per infirmitatem timoris negaverat. Ex industria vero peccaverant ii, de quibus ipse per se Magister dicebat: *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de pecca-* D *to suo.* Et paulo post: *Et viderunt, & oderunt & me & Patrem meum.* Aliud est enim bona non facere, aliud bonorum odisse doctorem: sicut aliud est præcipitatione, aliud deliberatione peccare. Sæpe enim peccatum præcipitatione committitur, quod tamen consilio & deliberatione damnatur. Ex infirmitate enim plerumque solet accidere, amare bonum sed implere non posse: ex studio non peccare, est bonum nec facere nec amare. Sicut ergo nonnumquam gravius est peccatum diligere, quam perpetrare; ita nequius est odisse justitiam, quam non fecisse. Sunt ergo nonnulli in Ecclesia, qui non solum bona non faciunt, sed etiam persequuntur; & quæ ipsi facere negligunt, etiam in aliis detestantur. Horum E peccatum scilicet non ex infirmitate vel ignorantia, sed ex solo studio perpetratur: quia videlicet si vellent implere bona, nec tamen possent, ea quæ in se negligunt, saltem in aliis amarent. Si enim ea ipsi vel solo voto appeterent, facta ab aliis non odissent; sed quia bona eadem audiendo cognoscunt, vivendo despiciunt, animadvertendo persequuntur. Sunt item quidam in Ecclesia, qui bona quæ facere despiciunt, etiam scire contemnunt. Quia enim scriptum est:

Psal. 27. 1. Lib. 32. in Job, num. 10.

Psal. 33. 17. In exposit. B. Job, lib. 25 nu. 28. & 29.

1. Tim. 1. 13

Johan. 15. 22

A *Servus nesciens voluntatem Domini sui, & faciens digna plagis, vapulabit paucis. Et servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens juxta eam, plagis vapulabit multis;* impunitatem peccandi existimant remedium nesciendi. Qui nimirum sola superbiæ caligine tenebrescunt: & ideo non discernunt, quia aliud est nescisse, aliud scire noluisse. Nescire enim, est ignorantia: scire noluisse, superbia. Et tanto magis excusationem non possunt habere, quia nesciant: quanto magis eis etiam nolentibus humilitatis dominicæ facta, & bene vivendi exempla opponuntur, ab eo monstrata, quæ cognoscant. Luc. 12. 47.

CAPUT LXXXVIII.

Interrogabat Jesum Herodes multis sermonibus: at ipse nihil ei respondebat. Luc. 23. 9.

SANCTI viri, cum audientibus prodesse nequeunt, etiam despici tacentes volunt, ne de suæ sapientiæ glorientur ostentatione. Cumque prudenter aliquid dicunt, non suam gloriam, sed auditorum vitam quærunt. Cum vero conspiciunt quia vitam auditorum loquendo lucrari non possunt, tacendo scientiam suam abscondunt. Ad imitandum quippe vitam Domini quasi ad quoddam nobis propositum signum currimus: qui pro redemtione nostra moriens in cruce, tenebrosis nostris mentibus lucem per lignum, sicut lampas sudit. Hac nos lampade Johannes illuminari conspexerat, cum dicebat: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Hujus lampadis flammas Herodes explorare voluit, cum ejus miracula videre concupivit, sicut scriptum est: *Herodes, viso Jesu, gavisus est: erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eo quod audisset multa de illo, & sperabat signum aliquod ab eo videre fieri;* ubi & subditur: *Interrogabat autem eum multis sermonibus: at ipse nihil ei respondebat.* Lampas quippe ante ejus oculos nullo radio lucis emicuit: quia ei qui se non pie, sed curiose quæsierat, nil de se mirabile ostendit. Inquisitus itaque Dominus tacuit, expectatus miracula exhibere contemsit: quia Herodem non profectum quærere, sed scientiam vel signa mirari velle perspexit. Sese igitur in occultis retinens, apud se eos quos exteriora quærere comperit, ingratos foris reliquit: magis eligens aperte a superbientibus despici, quam a non credentibus vacua voce laudari. Quia enim constanter tacuit, ab Herode derisus & despectus exivit, sicut scriptum est: *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba.* Quod videlicet factum oportet nos audientes discere, ut quoties auditores nostri nostra nolunt quasi laudanda cognoscere, non autem sua perversa mutare, omnino taceamus, ne si ostentationis studio verbum Dei loquimur, & illorum culpa quæ erat, esse non desinat, & nostra quæ non erat, fiat.

De discretione tacendi. In exposit. B. Job, lib. 22. nu. 53. & lib. 22. num. 38.

Johan. 1. 9.

CAPUT LXXXIX.

Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Luc. 23. 31.

IN Scriptura sacra, ligni nomine, aliquando crux, aliquando vir justus, aut injustus, aliquando vero incarnata Dei sapientia figuratur. Crux enim per lignum signatur, cum dicitur: *Mittamus lignum in panem ejus.* Lignum quippe

De significatione ligni. In exposit. B. Job, lib. 12. num. 5. Jerem. 11. 19.

 mit-

mittere in panem, est dominico corpori crucem adhibere. Rursum ligni nomine vir justus, aut injustus exprimitur, sicut per Prophetam Dominus dicit: *Ego Dominus humiliavi lignum sublime, & exaltavi lignum humile*; quia juxta ejusdem Veritatis vocem: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur*. Rursum per lignum incarnata Dei Sapientia figuratur, sicut de ea scriptum est: *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam*. Et sicut ipsa ait: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Se enim lignum viride, & nos aridum lignum dixit: quoniam ipse vim divinitatis in se habuit, nos vero qui puri homines sumus, lignum aridum sumus.

Ez. ch. 17.24
Luc. 14. 11.
Prov. 3.18.
Luc. 23. 31.

CAPUT XC.

Luc. 23. 33.

Postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ubi crucifixerunt Dominum Jesum, & latrones: unum a dextris, & alterum a sinistris.

De Christi morte, quæ diabolum vicit. Homil. 25. in Evang. n. 7. & 8.

ECCE, fratres carissimi, ad pœnam crucis Conditor noster sine culpa pro peccatoribus advenit; & pro humano genere, qui morti nihil debebat, per crucis supplicium occubuit; & inde antiquum hostem in æternum perculit, unde sævire contra se manus persequentium temporaliter permisit; quod aperte Dominus beato Job indicat, dicens: *Numquid capies Leviathan hamo?* In hamo esca ostenditur: aculeus occultatur. Leviathan igitur, id est antiquum serpentem diabolum Pater omnipotens hamo cepit; quoniam ad mortem illius unigenitum filium incarnatum misit, in quo & caro passibilis videri posset, & divinitas impassibilis videri non posset. Cumque in eo serpens iste per manus persequentium escam corporis momordit, divinitatis illum aculeus perforavit. Prius autem eum in miraculis Deum cognoverat, sed de cognitione sua ad dubitationem cecidit, quando hunc passibilem vidit. Quasi hamus ergo fauces glutientis tenuit, dum in illo carnis esca patuit, quem devorator appeteret, & divinitas tempore passionis latuit, quæ necaret. In hamo ejus incarnationis captus est; quia dum in illo appetiit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis. Ibi quippe inerat humanitas, quæ devoratorem ad se duceret, ibi divinitas quæ perforaret, ibi aperta infirmitas quæ provocaret, ibi occulta virtus quæ raptoris faucem transfigeret. In hamo igitur captus est, quoniam inde interiit, unde momordit. Quos ergo jure tenebat mortales, perdidit: quoniam eum, in quo jus non habuit, morte crucis appetere immortalem præsumsit. Ecce antiquus hostis, ea quæ de humano genere ceperat, spolia amisit; & supplantationis suæ victoriam, cum Redemtor noster in cruce moreretur, perdidit.

Job 40. 19.

CAPUT XCI.

Luc. 23. 34.

Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.

De caritate & opera ionis Redemtoris. Hom. 27 in Evang. n. 2

UNA & summa est probatio caritatis, si & ipse diligitur, qui adversatur. Hinc est quod ipsa Veritas & crucis patibulum sustinet, & tamen ipsis suis persecutoribus affectum dilectionis impendit, dum in cruce Patrem exorat pro eis. Quid ergo mirum, si inimicos diligant discipuli, dum vivunt: quando & tunc inimicos diligit Magister, cum occiditur? Sciendum est autem quod absque iniquitate manus suæ Dominus ab inimicis cum occideretur, pertulit, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus: & tamen crucis dolorem pro nostra redemtione toleravit. Qui solus præ omnibus ad Deum preces mundas habuit, qui in ipso dolore passionis pro persecutoribus exoravit, dicens: *Pater, dimitte illis: quia nesciunt quid faciunt*. Quid enim dici, & quid in prece mundius potest cogitari, quam cum & illis misericordia intercessionis impenditur, a quibus dolor toleratur? Unde factum est, ut Redemtoris nostri sanguinem, quem persecutores sævientes fuderant, postmodum credentes lamberent, eumque Dei filium esse prædicarent.

Isa. 53.

CAPUT XCII.

Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Luc. 23. 42.

De latronis fidei. Lib. 18. in Job, n. 63. 64. & 65.

AD indignam mentem veniens Deus dignam sibi exhibet veniendo, & facit in ea meritum, quod remuneret: qui hoc solum invenerat, quod puniret. Libet inter hæc, mentis oculos ad illum latronem reducere, qui de fauce ascendit crucem, de cruce paradisum. Intueamur qualis ad patibulum venit, & a patibulo qualis abscessit. Venit reus fraterno sanguine, venit cruentus, sed interna gratia est in cruce mutatus. Et ille qui mortem fratri intulit, morientis Domini vitam prædicavit, dicens: *Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum*. In cruce clavi manus ejus pedesque ligaverant: nihilque in eo a pœnis liberum, nisi cor & lingua remanserant: inspirante Deo, totum illi obtulit, quod in se liberum invenit, ut juxta hoc quod scriptum est, corde crederet ad justitiam, ore confiteretur ad salutem. In corde vero fidelium tres summopere manere virtutes testatur Apostolus dicens: *Nunc autem manent fides, spes, caritas*: quas cunctas subita repletus gratia, & accepit latro, & servavit in cruce. Fidem namque habuit, qui regnaturum Dominum credidit: quem secum pariter morientem vidit. Spem habuit qui regni ejus aditum postulavit, dicens: *Memento mei cum veneris in regnum tuum*. Caritatem quoque in morte sua vivaciter tenuit, qui fratrem & collatronem pro simili scelere morientem de iniquitate sua arguit, & ei vitam, quam non cognoverat, prædicavit, dicens: *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit*. Ille qui talis ad crucem venit ex culpa, ecce qualis a cruce recedit ex gratia. Confitebatur Dominum, quem videbat secum humana infirmitate morientem, quando negabant Apostoli eum, quem miracula viderant divina virtute facientem. Sed hi qui salvari hominem propriis viribus astruunt, eamdem confessionem hominis ab ipsius esse virtute suspicantur. Quod si ita esset, in Dei laude Psalmista non diceret: *Confessio & magnificentia opus ejus*. Ab eo itaque accipimus recta confiteri, a quo nobis & magna datur operari.

Rom. 10.
1. Cor. 13. 13
Luc. 23. 40.
Psal. 110. 3.

CAPUT XCIII.

Hodie mecum eris in paradiso. Luc. 23. 43.

De largitate divinæ bonitatis.

PRÆSTAT, fratres carissimi, magnam veniæ fiduciam latro ille venerabilis, qui non inde ve

Hom. 20. in Evang. n. 15 & hom. 33 num. 10.

venerabilis, unde latro. Nam latro ex crudelitate, venerabilis ex confessione. Cogitate ergo, cogitate, quam sint incomprehensibilia in omnipotente Deo misericordiæ viscera: latro iste cruentis manibus abstractus a fauce itineris, suspensus est in patibulo crucis. Ibi confessus, ibi sanatus est, ibi audire meruit, *Hodie mecum eris in paradiso*. Quid est hoc? quis tantam bonitatem Dei dicere, quis æstimare sufficiat? De ipsa pœna criminis pervenit ad præmia virtutis. Si quis igitur contra proximum suum, in malitia crudelitatis exarsit, aspiciat hunc latronem, qui in ipso mortis articulo ad vitæ præmia pœnitendo pervenit. Ab spei ergo certitudine nulla nos malorum nostrorum qualitas, nulla quantitas frangat: quoniam omnipotens Deus, si ad Deum toto corde consurgimus, spem veniæ reddet, & nobis per lamenta pœnitentiæ viam misericordiæ, & pietatis aperiet.

CAPUT XCIV.

Luc. 24. 1. & seq.

Una Sabbati quibusdam mulieribus valde diluculo ad monumentum venientibus; ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti, qui dixerunt eis: Quid quæritis viventem cum mortuis? non est hic, sed surrexit.

De morte & resurrectione Domini. In exposit. B. Job, lib. 30. num. 69.

DEI filius idcirco inter nos homo factus est, ut non solum nos sanguine fuso redimeret, sed etiam ostenso exemplo commutaret. In conversione igitur nostra, & veniendo alia invenit, & vivendo alia docuit. Studebant enim omnes superba Adam stirpe progeniti, prospera vitæ præsentis appetere, adversa devitare, opprobria fugere, gloriam sequi. Venit inter eos incarnatus Dominus adversa appetens, prospera spernens, opprobria amplectens, gloriam fugiens. Nam cum Judæi illum regem sibi constituere voluissent, fieri rex refugit: cum vero eum interficere molirentur, sponte ad crucis patibulum venit. Fugit ergo quod omnes appetunt: appetiit quod omnes fugiunt: sed cum fugit quod omnes appetunt, appetiit quod omnes fugiunt, fecit quod omnes mirarentur, ut & mortuus ipse resurgeret, & morte sua alios de morte resuscitaret. Duæ quippe vitæ sunt hominis in corpore consistentis, una ante mortem, alia post resurrectionem: quarum unam omnes agendo noverant, aliam nesciebant; & humanum genus soli huic quam noverat, intendebat. Venit per carnem Dominus, & dum suscepit unam, alteram demonstravit: quia dum hanc nobis cognitam suscepit, illam quæ nobis est incognita, ostendit. Moriendo quippe vitam exercuit, quam tenemus: resurgendo aperuit, quam quæramus; exemplo suo nos docens quod hæc vita, quam ante mortem ducimus, non propter se sit amanda, sed propter alteram toleranda. Redemtor ergo noster suscepit mortem, ne mori timeremus: ostendit resurrectionem, ut non surgere posse confidamus. Unde & eamdem mortem non plusquam triduanam esse voluit, ne si in illo resurrectio differretur, in nobis omnimodo desperaretur. Mortem igitur transitorie, id est ad triduum contigit, atque in eam mortem quam contigit, nequaquam sicut nos usque ad finem seculi remansit. Dum ergo die tertio resurrexit, quid in ejus corpore, id est in Ecclesia sequatur ostendit. Exemplo quippe monstravit, quod promisit in præmio: ut sicut ipsum resurrexisse fideles agnoscerent, ita in se ipsis in fine mundi resurrectionis præmia sperarent.

CAPUT XCV.

Duo ex discipulis ibant ipsa die in castellum, nomine Emmaus. *Luc. 24. 13*

De dubitatione Apostolorum in resurrectione Domini. In exposit. B. Job, lib. 14. num. 58. Act. 10. 13.

SANCTI Apostoli in hoc Ecclesiæ corpore quasi dentes idcirco sunt positi, ut vitam carnalium correptione mordeant, eamque a suæ pertinaciæ duritia confringant. Unde & primo Apostolorum quasi denti in ejus corpore posito dicitur: *Macta & manduca*. Sed dominicæ passionis tempore isti dentes præ timore mortis amiserunt morsum correptionis, amiserunt fiduciam roboris, amiserunt efficaciam omnimodæ operationis: itaut duo ex illis ambulantes post ejus mortem, & resurrectionem in via loquerentur ac dicerent: *Nos sperabamus, quia ipse esset redemturus Israel*. *Luc. 24. 21.* Confabulabantur adhuc de Domino, sed jam in illo minime credebant: virtutem bonæ operationis amiserant, & sola de illo confabulationis verba retinebant. Perdiderunt morsum correptionis, & habebant motum locutionis: confabulari noverant, sed prædicare jam eum, aut mordere infidelium vitia formidabant. Sciendum est autem *Lib. 1. in Job, num. 3.* moris esse sacræ Scripturæ, ut ipsi qui scribunt, sic de se in illa, quasi de aliis loquantur. Hinc Johannes dicit: *Discipulus ille quem diligebat Jesus*. *Johan. 19. 26.* Hinc Lucas ait quod ambularent duo ex discipulis in via, Cleophas & alius: quem profecto alium dum tam studiose tacuit, ut quidam dicunt, seipsum monstravit.

CAPUT XCVI.

Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via? *Luc. 24. 32.*

De infusione sancti Spiritus. Homil. 7. in Ezech. n. 3.

OMNES quos Spiritus sanctus repleverit, ardentes pariter, & loquentes facit. Ideo sancti doctores, cum Deum amando prædicant, corda audientium inflammant. Nam & otiosus est sermo doctoris, si præbere non valeat incendium amoris. Hoc doctrinæ incendium ab ipso Veritatis ore conceperant, qui dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Exaudito quippe sermone animus inardescit, torporis frigus recedit. Fit in superno desiderio mens anxia, a concupiscentiis terrenis aliena: amor verus qui hanc repleverit, fletibus cruciat: & quæ torpebat prius per desideria, postmodum ardet per verba; & quot mandatis instruitur, quasi tot facibus inflammatur.

CAPUT XCVII.

Stetit Jesus in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis. *Luc. 24. 36.*

De apparitionibus Domini, & ne imperfecti prædicare audeant. In exposit. B. Job, lib. 14. num. 2. Regul. Past. par. 3. cap. 24. Act. 4. 10.

DOMINUS & Redemtor noster quamvis occidi per passionem potuit, per resurrectionis tamen gloriam rursus ad vitæ viriditatem venit: & per virtutem Dei extincta caro illius ad vitam rediit; juxta quod scriptum est: *Quem Deus suscitavit a mortuis*. Quia enim Deus Trinitas est, extinctam carnem unigeniti filii sancta Trinitas, id est Pater, & Filius, & Spiritus san-

sanctus resuscitavit. Resurrectionis vero suæ solemnitate celebrata, quibusdam provectionum accessibus innotuit incorruptio corporis quod resumsit. Luca quippe attestante didicimus quod quibusdam in monumento se quærentibus prius Angelos misit, & rursum de se in via loquentibus, ipse quidem, sed non cognoscendus apparuit, qui post exhortationis moras se cognoscendum in fractione panis monstravit: ad extremum vero repente ingrediens, non solum se cognoscibilem, sed etiam palpabilem præbuit. Præterea eadem ipsa Veritas, quæ repente quos vellet roborare, potuisset; ut exemplum sequentibus daret, ne imperfecti prædicare præsumerent, ipso die quo cælos ascendit, postquam plene discipulos de virtute prædicationis instruxit, illico adjunxit: *Vos autem sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto*. (Luc. 24. 49.) In civitate quippe consedemus, si intra mentium nostrarum nos claustra constringimus, ne loquendo exterius evagemur; ut cum virtute divina perfecte induimur, tunc quasi a nobismetipsis foras etiam alios instruentes exeamus. Quia igitur infirma gestabant adhuc corda discipuli in cognitione tanti mysterii, fuerant ista dispensatione nutriendi, ut paulisper aliquid quærentes invenirent, invenientes crescerent, & crescentes cognita robustius tenerent. Illa igitur Apostolorum debilitas, quæ in morte Domini expavit, & negavit, & negando aruit, per resurrectionis ejus gloriam rursum ad fidem irruit: & prædicatione ejus ab Apostolis per Gentes diffusa (quia Judæorum perfidia despecta fuit) quoniam occidi carne potuit, ex resurrectione illius multiplicati longe lateque fideles creverunt.

CAPUT XCVIII.

(Luc. 24. 44.) *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum.*

(Quid significet absentia Redemtoris. Homil. 24. in Evan. n. 1)

HOC Dominus post resurrectionem suam suis dicit discipulis, & cum ipsis præsitus fatetur se non esse cum ipsis. Neque enim cum ipsis non erat, quibus præsens corporaliter apparebat, sed tamen jam se cum ipsis esse denegabat, a quorum mortali corpore carnis immortalitate distabat.

CAPUT XCIX.

(Luc. 24. 39) *Palpate & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet.*

(Qualis debeat esse nostra resurrectio. In exposit. B. Job, lib. 14 num. 68.)

REDEMTOR noster resurrectionem, quam in se ostendit, nobis promisit: & eam in nobis quandoque est facturus, quia sui capitis gloriam membra sequuntur. Sed ecce resurrectionem audio, effectum tamen ejusdem resurrectionis exquiro. Credo namque quia resurrecturus sim, sed volo ut audiam qualis. Sciendum quippe mihi est utrum in quodam alio subtili fortasse, vel aereo, an in eo quo morior, corpore resurgam. Sed si in aereo corpore surrexero, jam ego non ero, qui resurgo. Nam quomodo est vera resurrectio, si vera esse non poterit caro? Aperta ergo ratio suggerit, quia si vera caro non fuerit, proculdubio resurrectio vera non erit. Hæc enim recte resurrectio dici non potest, ubi non resurgit quod cecidit. Credendum est igitur, quia nequaquam sicut Eutycius Constantinopolitanæ urbis Episcopus scripsit, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit impalpabile, ventis aereque subtilius. In illa enim resurrectionis gloria, erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritualis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ. Unde etiam Redemtor noster dubitantibus de sua resurrectione discipulis ostendit manus & latus, palpanda ossa, carnemque præbuit, dicens: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Qui cum eidem Eutycio in Constantinopolitana urbe positus, hoc Evangelicæ veritatis testimonium protulissem, ait: Idcirco hoc Dominus fecit, ut dubitationem resurrectionis suæ de discipulorum cordibus amoveret. Cui inquam: Mira est res valde, quam adstruis, ut inde nobis dubietas surgat, unde discipulorum corda a dubietate sanata sunt. Quid enim deterius dici potest, quam ut hoc nobis de ejus carne vera dubium fiat, per quod discipuli ejus ad fidem ab omni sunt dubietate separati? Si enim hoc non habuisse adstruitur quod ostendit, unde fides discipulis ejus confirmata est, inde nostra destruitur. Qui adjungebat etiam dicens: Corpus palpabile habuit, quod ostendit: sed post confirmata corda palpantium, omne illud in Domino, quod palpari potuit, in subtilitatem est aliquam redactum. Ad hæc ipse respondi, dicens: Scriptum est: *Christus resurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*. (Rom. 6. 9.) Si quid igitur in ejus corpore post resurrectionem potuit immutari, contra veridicam Pauli sententiam post resurrectionem Dominus rediit in mortem. Quod quis dicere vel stultus præsumat, nisi qui veram carnis resurrectionem denegat? Tunc mihi objecit dicens, cum scriptum sit: *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*; (1 Cor. 15. 50.) qua ratione credendum est resurgere veraciter carnem? Cui inquam: In sacro eloquio aliter caro dicitur juxta naturam, & aliter juxta culpam, vel corruptionem. Caro quippe juxta naturam, sicut scriptum est: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*. (Genes. 2. 23.) Et: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. (Johan. 1. 14.) De carne vero juxta culpam, scriptum est: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, eo quod caro sunt*. (Genes. 6. 3.) Et sicut Psalmista ait: *Memoratus est, quia caro sunt, spiritus vadens & non rediens*. (Psal. 77. 39.) Unde & discipulis Paulus dicebat: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu*. Neque enim in carne non erant, quibus epistolas transmittebat: sed quia passiones carnalium desideriorum vicerant, jam liberi per virtutem spiritus, in carne non erant. Quod ergo Paulus Apostolus dicit: *Quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*: (1 Cor. 15. 50.) carnem vult secundum culpam intelligi, non secundum naturam. Unde & mox, quia carnem secundum culpam diceret, ostendit subdens: *Neque corruptio incorruptelam possidebit*. In illa ergo cælestis regni gloria caro secundum naturam erit, sed secundum passionis desideria non erit: quia, devicto mortis aculeo, in æterna incorruptione regnabit. Quibus dictis, idem Eutycius consentire se protinus respondit, sed tamen adhuc corpus palpabile resurgere posse denegabat. Qui etiam in libello, quem de resurrectione scripserat, Pauli quoque Apostoli testimonium indiderat dicentis: *Quod tu seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur: & quod seminas, non corpus quod futurum est, seminas, sed nudum granum*. (1 Cor. 15. 36.) Hoc nimirum ostendere festinans: quia caro vel impalpabilis, vel ipsa non erit, dum sanctus Apostolus de resurrectionis agens gloria, non corpus, quod futurum est seminari dixerit:

sed

sed ad hæc citius respondetur: Paulus Apostolus dicens, *non corpus quod futurum est, seminas, sed nudum granum*, hoc insinuat quod videmus: quia granum cum culmo & foliis nascitur, quod sine culmo & foliis seminatur. Ille itaque in augmento gloriæ resurrectionis non dixit grano seminis deesse quod erat, sed adesse quod non erat; iste autem dum verum corpus resurgere denegat, nequaquam dicit adesse quod deerat; sed deesse

Num. 74. quod erat. Tunc itaque de hac re in longa contentione perducti, gravissima a nobis cœpimus simultatione resilire, cum piæ memoriæ Tiberius Constantinus Imperator secreto me & illum suscipiens, quid inter nos discordiæ versaretur agnovit, & utriusque partis allegationem pensans, eumdem librum quem de resurrectione scripserat, suis quoque allegationibus destruens, deliberavit ut flammis cremari debuisset. A quo ut egressi sumus, me ægritudo valida, eumdem vero Eutycium ægritudo & mors protinus est secuta. Quo mortuo, quia pene nullus erat qui ejus dicta sequeretur, dissimulavi cœpta persequi, ne in favillas viderer verba jaculari. Dum tamen adhuc viveret, & ego validissimis febribus ægrotarem, quicumque noti mei ad eum salutationis causa pergebant, ut ex eorum relatione cognovi, ante eorum oculos pellem manus suæ tenebat, dicens: *Confiteor, quia omnes in hac carne resurgemus*; quod, sicut ipsi fatebantur, omnino prius

Num. 75. negare consueverat. Sed nos ista postponentes, & Redemtoris nostri post resurrectionem corpus palpabile veraciter credentes, fatemur carnem nostram post resurrectionem futuram, & eamdem, & diversam: eamdem per naturam, diversam per gloriam: eamdem per veritatem, diversam per potentiam. Erit itaque spiritualis, quia & incorruptibilis: erit palpabilis, quia non amittet essentiam naturæ veracis. Sunt autem plerique qui post resurrectionem extremum esse judicium verbotenus sciunt, sed agendo perverse testantur quia nesciunt. Qui enim hoc non formidat ut debet, necdum cognovit cum quanto turbine terroris adveniet. Si enim pensare tremendi pondus examinis nosset, iræ diem utique timendo præcaveret, & animadversionis districtæ sententiam priusquam appareat, placaret. Vitari namque terror judicis, nonnisi ante judicium potest: modo non cernitur, sed precibus placatur. Cum vero in illo tremendo examine sederit, & videri potest, & placari jam non potest: quia facta pravorum, quæ diu sustinuit tacitus, simul omnia reddet iratus. Unde necesse est nunc timere judicem, cum necdum judicium exercet, cum diu mala sustinet, cum adhuc mala tolerat, quæ videt: ne cum semel manum in retributionem ultionis excusserit, tanto districtius in judicio feriat, quanto ante judicium diutius expectat Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit, & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

INCIPIUNT CAPITULA

DE EVANGELIO SECUNDUM JOHANNEM.

1 *IN principio erat Verbum.*
2 *Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi.*
3 *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem*
4 *Vidit Jesus Nathanaelem venientem ad se.*
5 *Implete hydrias aqua.*
6 *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest, &c.*
7 *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis, &c.*
8 *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo.*
9 *Pater omne judicium dedit filio.*
10 *Qui habet sponsam, Sponsus est.*
11 *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.*
12 *Jesus cum cognovisset quia venturi essent, ut raperent eum, &c.*
13 *Quæritis me, non quia vidistis signa.*
14 *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras.*
15 *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.*
16 *Qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat.*
17 *Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus?*
18 *Lutum fecit ex sputo.*
19 *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.*
20 *Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.*
21 *Vos ex patre diabolo estis.*
22 *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, fur est, &c.*
23 *Si quis per me introierit, salvabitur.*
24 *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam.*
25 *Facta sunt encænia Jerosolymis, & hyems erat.*
26 *Lazare, veni foras.*
27 *Et clarificavi, & iterum clarificabo.*
28 *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam.*
29 *Qui mihi ministrat, me sequatur.*
30 *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham, &c.*
31 *Dominus lavit pedes discipulorum.*
32 *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis.*
33 *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.*
34 *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum.*
35 *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.*
36 *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.*
37 *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.*
38 *Item unde supra.*
39 *Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam.*
40 *Sine me nihil potestis facere.*
41 *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis.*
42 *Cum venerit Paraclitus.*
43 *Si non abiero, Paraclitus non veniet.*
44 *Amen dico vobis, quia plorabitis.*
45 *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, &c.*
46 *Palam de Patre annuntiabo vobis.*
47 *Jesus processit, & dixit: Quem quæritis?*
48 *Adducitur Jesus ad Pilatum.*
49 *Jesus non respondit Pilato.*
50 *Non haberes in me potestatem, nisi, &c.*

LIBER QUARTUS.

EXPOSITIO
EVANGELII SECUNDUM JOHANNEM.

CAPUT PRIMUM.

Johan. 1.1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil.*

De divina & æterna generatione. In exposit. B. Job lib. 23. num. 31. Job 33. 14.

DEUS Pater omnipotens Unigenitum consubstantialem sibi filium genuit: sicut beato Job Heliu subtiliter loquens, dicit: *Semel loquitur Deus, & secundo idipsum non repetit*. Hoc intelligi subtilius potest, quod Pater unigenitum consubstantialem sibi filium genuit. Loqui enim Dei, est Verbum genuisse. Semel autem loqui, est Verbum aliud præter unigenitum non habere. Unde & apte subditur: *Et secundo idipsum non repetit*: quia videlicet hoc ipsum Verbum, id est filium, nonnisi unicum genuit. Hinc Johannes unum tantum verbum expressit. Quod autem non ait: *In principio fuit Verbum*, sed *erat*, non videlicet præteritum absolute ponens, liquet omnibus: quia Deo tempus nec præteritum congruit, nec futurum. Tanto igitur in eo, quodlibet tempus ponitur libere, quanto nullum licet vere. Neque enim quodlibet poterat dici libere, si saltem unum diceretur proprie. Inde itaque dici in Deo tempus audacter quodlibet licet, unde in eo dici proprie nullum licet. Verbum namque Pater sine tempore genuit. Et quis digne fari queat, illam ineffabilem nativitatem, quod de æterno natus est coæternus, quod existens ante secula genuit æqualem, quod gignente natus posterior non est? Quæ videlicet nos mirari possumus, sed intueri minime valemus; illius vero nativitatis vim jam mirari posse aliquatenus, videre est: sed quomodo videmus quod nequaquam comprehendimus? Est autem quod de carnis usu trahere ad sensum spiritus debemus. Nam si quis in tenebris clausis oculis jaceat, & ante eum subitum lucernæ lumen erumpat, clausi ejus oculi ipso adventu luminis feriuntur, ut patescant. Cur ergo turbati sunt, si nihil clausi viderunt, nec tamen perfectum aliquid fuit, quod videre clausi potuerunt? Nam si perfecte totum vidissent, cur aperti quærerent quod viderent? Sic itaque, sic sumus, cum de incomprehensibili nativitate intueri aliquid conamur. Eo ipso enim quod admirationis fulgore percutitur animus, & quasi videt quod videri non valet, velut in tenebris positus, vim lucis oculis clausis videt: divinæ quippe naturæ secreta admiratio, non facile occupatis per terrena desideria mentibus innotescit. Sed apertissime dixit: *Erat*, aliquid perfecti & præsentia involvens, quia unigenitus Filius, idem Verbum Patris, & perfectione natus dicitur, & pro æternitate semper nasci perhibetur. In eo enim quod perfectum Verbum genuit, & locutus est Pater: in eo quod semper gignit, utique loquitur: quamvis hoc quod perfectum diximus, proprie non dicamus: neque enim quod factum non est, proprie dicitur esse perfectum; sed ejus plenitudinem per quamdam angustiam nostræ locutionis exprimimus. Solerter autem intuendum est, quod quædam similitudines de insensatis rebus aliquando dicantur in Deo propter effectum operis, aliquando autem ad indicandam ejus substantiam majestatis. Nam cum in Deo oculus, scapulæ, pes nominantur: effectus quidam operationis ostenditur. Cum vero manus, brachium, dextera, vox, vel verbum in Deo dicitur, per hæc vocabula consubstantialis ei Filius demonstratur. Ipse quippe manus est & dextera, de cujus ascensione per Moysen Pater loquitur, dicens: *Tollam in cælum manum meam, & jurabo per dexteram meam*. Ipse brachium de quo Propheta ait: *Et brachium Domini cui revelatum est?* Ipse vox & verbum, quia eum Pater gignendo dixit, & de quo Johannes scripsit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Per quod Verbum fecisse Patrem omnia David asserit, dicens: *Dixit, & facta sunt*.

Num. 36. In exposit. B. Job, lib. 32. num. 7. Deut. 32. 40. Isa. 53. 1. Psal. 32. 9.

CAPUT II.

Ecce Agnus Dei. Johan. 1. 29.

De prophetia. Homil. 1. in Ezech. n. 5.

ALiquando prophetiæ spiritus ex præsenti animum tangit, & ex futuro non tangit: sicut Johannes venientem videns Dominum ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Sed cum jam moriturus esset, missis discipulis, requirebat, dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* In quibus verbis ostenditur, quia in terris quidem venisse Redemtorem noverat, sed an per semetipsum ad aperienda inferni claustra descenderet, dubitabat. Ex præsenti ergo prophetiæ spiritu tactus fuerat, qui humanitatem Mediatoris videns, & divinitatem ejus intelligens, confitebatur agnum, qui peccata mundi tolleret: sed tactus ex futuro non fuerat, quia adventum illius in inferno nesciebat.

Matt. 11. 3.

CAPUT III.

Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem. Johan. 1. 33.

De donis Spiritus sancti. In exposit. B. Job, lib. 2. num. 90.

DOna sancti Spiritus prophetiæ scilicet, genera linguarum, & virtutes curationum non semper

num. 90. per eodem modo sunt in mente eorum quibus dantur: quoniam ne se mens in præsumtione elevet, utiliter aliquando subtrahuntur. Unde bene in Evangelio scriptum est: *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat.* In cunctis fidelibus Spiritus venit, sed in solo Mediatore singulariter permanet: quia ejus humanitatem nunquam deseruit, ex cujus divinitate procedit. In illo igitur manet, qui solus & omnia & semper potest. Nam fideles qui hunc accipiunt, cum signorum dona habere semper, ut volunt, non possunt, hunc se accepisse quasi in transitus ostensione testantur. Sed cum rursum de eodem Spiritu Veritatis ore discipulis dicitur: *Apud vos manebit, & in vobis erit*, quid est quod divina voce Mediatoris signum hoc, eadem sancti spiritus mansio declaratur, cum dicitur: *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum?* Si igitur juxta magistri vocem & in discipulis manet, quomodo singulare jam signum erit, quod in Mediatore permanet? Quod tamen citius cognoscimus, si dona ejusdem Spiritus discernamus. Alia namque sunt dona illius, sine quibus ad vitam nequaquam pertingitur: alia quibus vitæ sanctitas pro aliorum utilitate declaratur. Mansuetudo namque, humilitas, patientia, fides, spes, caritas, dona ejus sunt: sed ea sine quibus ad vitam homines pervenire nequaquam possunt. Prophetiæ autem, virtus curationum, genera linguarum, interpretatio sermonum, dona ejus sunt: sed quæ virtutis ejus præsentiam pro correctione intuentium ostendunt. In his igitur donis, sine quibus ad vitam perveniri non potest, Spiritus sanctus sive in prædicatoribus suis, seu in electis omnibus semper manet: in illis autem quibus per ostensionem illius non nostra vita servatur, sed aliorum quæritur, nequaquam in prædicatoribus semper permanet; quia semper quidem eorum cordi ad bene vivendum præsidet, nec tamen per eos virtutum signa semper ostendit, sed aliquando se eis a signorum ostensionibus subtrahit, ut eo humilius virtutes ejus habeantur, quo habitæ teneri non possunt.

Num 92. Mediator autem Dei & hominum, homo Christus Jesus, in cunctis eum & semper & continue habet præsentem: quia & ex illo idem Spiritus per substantiam profertur. Recte ergo & cum in sanctis prædicatoribus manet, in Mediatore singulariter manere perhibetur: quia in istis per gratiam manet ad aliquid, in illo autem per substantiam manet ad cuncta. Sicut enim corpus nostrum sensum tantummodo tactus agnoscit, caput autem corporis usum simul omnium quinque sensuum possidet, ut videat, audiat, gustet, odoretur, tangat: ita membra superni capitis in quibusdam virtutibus emicant, ipsum vero caput in cunctis virtutibus flagrat. Dissimiliter ergo Spiritus in illo manet, a quo per naturam numquam recedit. Dona vero ejus, quibus ad vitam tenditur, sine periculo amitti non possunt: dona autem quibus vitæ sanctitas demonstratur, plerumque ut dictum est, sine dispendio subtrahuntur. Illa ergo pro nostra eruditione tenenda sunt, hæc pro alienis profectibus exquirenda. In illis nos terreat formido, ne pereant: in istis autem ad tempus aliquando sublatis consoletur humilitas; quia ad elationem mentem fortasse sublevant. Cum igitur concessa nobis virtutum signa subtrahuntur, tunc vere ostendimus, quoniam accepta recte tenuimus, cum profecto æquanimiter ad momentum sublata toleramus.

CAPUT IV.

Vidit Jesus Nathanaelem venientem ad se, & dicit de eo: Ecce verus Israelita, in quo dolus non est. Johan. 1. 47.

UNigenitus Dei filius ad redemtionem nostram veniens, & suos contra mundi superbiam prædicatores mittens, relictis sapientibus, insipientes: relictis fortibus, debiles: relictis divitibus, pauperes elegit; & prædicatores infirmos abjectosque, qui potentes quosque & fideles populos colligerent, habere studuit. Hinc est quod Nathanaelem laudat, nec tamen in sorte prædicantium numerat: quia ad prædicandum eum tales venire debuerant, qui de laude propria nil habebant; ut tanto solidius veritatis cognosceretur esse quod agerent, quanto & aperte cerneretur, quia ad hoc agendum per se idonei non fuissent. Ut ergo mira potentia per prædicatorum linguas claresceret, prius mirabilius actum est, ut eorumdem prædicantium meritum nullum esset. Quod autem Nathanaeli dicenti, *unde me nosti?* respondit Jesus: *Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te:* sciendum quod videre ibi ponitur pro eligere. *Sub ficu vidi te*, id est positum te sub umbra Legis elegi.

De electione prædicatorum. In exposit. B. Job, lib. 33. num. 32. Ibid. v. 48.

CAPUT V.

Implete hydrias aqua. Johan. 2. 7.

PRÆCEPTA sacræ Scripturæ, quæ perfectioribus spiritualiter dicuntur, infirmis juxta litteram congruunt: & ipsa quæ parvuli juxta litteram intelligunt, docti per spiritualem intelligentiam altius percipiunt. Quem non parvulorum ipsa Evangelica historia in miraculi operatione reficiat, quod hydrias vacuas Dominus aqua impleri præcepit, eamdemque aquam protinus in vinum vertit? Sed cum hæc ingenio vigilantiores audiunt, & sacram historiam credendo venerantur, & quid interius innuat requiritur. Qui enim mutare aquam in vinum potuit, etiam vacuas hydrias vino statim replere valuit. Sed impleri hydrias jubet aqua, quia per sacram lectionis historiam, corda nostra prius sunt replenda. Et aquam nobis in vinum vertit, quando ipsa historia per allegoriæ mysterium in spiritualem nobis intelligentiam commutatur. Sacra igitur Scriptura parvulis humili sermone concordat, & tamen magis spiritali infundens eos altius levat.

De Mysteriis Scripturarum. Hom. 6. lib. 1. in Ezech. n. 7.

CAPUT VI.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto. Johan 3. 5.

NOnnulli prius a præsenti luce subtrahuntur, quam ad promerenda bona, malave merita vitæ activæ perveniant. Quos quia a culpa originis sacramenta salutis non liberant, & hic ex propria nil egerunt, & ad tormenta æterna perveniunt. Quisquis enim regenerationis unda non solvitur, reatu primi vinculi ligatus tenetur: quod vero apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium circumcisionis. Nam quia unusquisque cum priori parentis culpa conci-

De baptismo recipiendo. In exposit. B. Job, lib. 4 in Præfat. prævia.

Pſal. 50. 7.

cipitur, Propheta teſtatur, dicens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum*. Et quia is quem ſalutis unda non diluit, originalis culpæ ſupplicia non amittit, aperte per ſemetipſam Veritas perhibet, dicens: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non habebit vitam æternam*. Perpetua igitur tormenta percipiunt, etiam qui nihil ex propria voluntate peccaverunt. *Non eſt enim mundus in conſpectu Dei, nec unius diei infans ſuper terram*; & qui nullum proprium adjungit, ex ſolo originali peccato damnatur. Sub divina quippe diſtrictione juſtum eſt, ut propago mortalis, velut fructuoſa arbor, etiam in ramis ſervet amaritudinem, quam traxit ex radice.

Lib. 9. n. 32. Job 15. 14.

CAPUT VII.

Johan. 3. 8.

Spiritus ubi vult ſpirat.

De incomprehenſibili ſancti Spiritus infuſione. In expoſit. B. Job, lib 27. num 41.

CUM peccatorem incuria, negligentiaque torpentem reſpectus divinæ gratiæ ſubito pavore percuſſerit, excitat ipſam vocem ſupervenientis Spiritus, quæ ſe in aurem cordis inſinuat, nec ipſa mens, quæ per hanc illuſtrata fuerit, inveſtigat. Penſare enim non valet inviſibilis virtus, quibus ſibi meatibus influat, quibus ad ſe modis veniat, quibus recedat; unde bene per Johannem dicitur: *Spiritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis; ſed non ſcis unde veniat, & quo vadat*. Vox Domini auditur, cum gratiæ ejus aſpiratio mente concipitur, cum inſenſibilitas occultæ ſurditatis rumpitur, & cor ad ſtudium ſummi amoris excitatum virtutis intimæ clamore penetratur. Vocem enim Spiritus audire, eſt vim compunctionis intimæ in amorem inviſibilis Conditoris aſſurgere: ſed nemo ſcit unde veniat: quia ignoratur per ora prædicantium, quibus ſe ad nos occaſionibus fundat. Et nemo ſcit quo vadat, quia cum unam prædicationem multi audiunt, intelligi proculdubio non poteſt quem deſerens abjiciat, & cujus ingrediens corde requieſcat. Una quippe res foris agitur, ſed non per hanc uno modo intuentium corda penetrantur: quia qui inviſibiliter viſibilia modificat, in humanis cordibus cauſarum ſeminia incomprehenſibiliter plantat. Hinc eſt quod reſuſcitato Lazaro, multi crediderunt, ſed tamen Judæorum plurimi ad perſecutionis zelum ex hac ipſa reſuſcitatione commoti ſunt. Unum igitur idemque miraculum, quod aliis lumen fidei præbuit, alios per invidiæ tenebras a lumine mentis excæcavit. Hinc eſt quod uterque latro, & eamdem, & ſuæ morti ſimilem mortem Redemtoris vidit, ſed eum ſuperbiendo alter contumeliis laceſſere non timuit, quem timendo alter honoravit; & in una re una utriuſque cogitatio non fuit: quia hanc internus arbiter inviſibiliter modificando diſtinxit. Modi igitur occultæ aſpirationis noſtra cogitatione nequeunt comprehendi; & aſpiratio divinæ gratiæ quibus modis ſe infundat, nequaquam ipſius acie mentis comprehenditur, cujus ad melius intentio commutatur.

morte, quæ diabolum vicit. Homil. 25. in Evang. n. 7. & 8.

Johan. 11.

CAPUT VIII.

Johan. 3. 13.

Nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit.

De glorificatione corporis Chriſti. In expoſit. B. Job, lib. 27 n. 29. & 30.

DOminus noſter Jeſus Chriſtus, qui propter nos minor Angelis extitit, æquales nos Angelis virtute ſuæ minorationis fecit. Unde & moriendo docuit mortem non metui, reſurgendo de vita con-

A fidi, aſcendendo de cæleſtis patriæ hereditate gloriari: ut quo caput præiſſe conſpiciunt, illuc ſe ſubſequi, & membra gratulentur. Unde bene ab eodem noſtro capite dicitur: *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*; unde Paulus dicit: *Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis*. Sed ſi nos quoque, qui editi ſumus in terra, cælum conſcendimus, ubi eſt quod rurſum Veritas dicit: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit filius hominis qui eſt in cælo*. Cui nimirum ſententiæ ſtatim obviat quod hæc eadem Veritas dicit: *Pater, volo ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum*. Quod ſibi in verbis ſuis non B diſcrepat, ſed ad inquirenda hæc quaſi diſcordantia ſtudium noſtræ mentis inflammat. Omnes enim nos, quia in ejus fide nati ſumus, ejus proculdubio corpus exiſtimus. Quia igitur mira diſpenſatione pietatis membrorum ſuorum caput Dominus factus eſt, repulſa reproborum multitudine, ſolus eſt etiam nobiſcum. Nemo ergo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis qui in cælo: quia dum nos unum cum illo jam facti ſumus, unde ſolus venit in ſe, illuc ſolus redit etiam in nobis. Et is qui in cælo ſemper eſt, ad cælum quotidie aſcendit: quia qui divinitate ſuper omnia permanet, humanitatis ſuæ compage ſe quotidie ad cælos trahit. Non ergo ſe deſperet humana fragilitas: Unigeniti ſanguiC nem conſideret, & in pretio ſuo conſpiciat, quam magna eſt quæ tanti valet. Perpendat ſollicite, quo caput præceſſit, & quo ad vivendum præceptis adſtringitur, ad ſperandum exemplo roboretur. Confidat cælos, ſperet ſupernam patriam; Angelorum ſe ſociam ſciat, & in ſuo capite ſe prælatam etiam Angelis gaudeat.

Matt. 24. 28.

2. Cor. 5. 24.

Johan. 17. 24

CAPUT IX.

Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit filio. Johan. 5. 22.

SIcut adhuc timenti populo lex eſt tranſmiſſa per ſervum, ſic diligentibus filiis Evangelii gratia D eſt collata per Dominum. Ipſe quippe ad redemtionem noſtram veniens, novum nobis Teſtamentum condidit, ſed de ejuſdem nos teſtamenti mandato diſcutiens, quandoque etiam judex venit. Erit ergo tunc auctor judicii, qui nunc eſt Conditor Evangelii, ut tunc diſtrictus exigat, quod modo manſuetus jubet & imperat. Sic namque quotidie conſpicimus quod magiſtri pueris elementa litterarum blandientes imponunt, ſed hæc ab eis ſævientes exigunt, & quæ dant cum manſuetudine, exquirunt cum verbere. Blanda namque nunc conſonant eloquii divina mandata, ſed erunt aſpera in actione ſentienda. Manſueta modo eſt admonitio vocantis, ſed tunc diſtricta ventura eſt juſtitia Judicis, eo quod cerE tum eſt quia nil vel minimi mandati in diſcuſſione prætereat, quo videlicet conſtat, quia ipſe dedit Evangelium qui judicat. Hinc eſt quod ipſa per ſe Veritas dicit: *Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit filio*.

De Chriſto judice noſtro. In expoſit B. Job lib. 22. num. 44.

CAPUT X.

Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Johan. 3. 29.

BEati Johannis Baptiſtæ eſſe ſponſam populi San-

De beato

Johanne Baptista. Homil. 20 in Evang. n. 4 & 5.

Sanctam Ecclesiam credebant, qui hunc, quia Christus esset, existimabant. Sed ipse ait: *Qui habet sponsam, Sponsus est: amicus autem Sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponsi: hoc autem gaudium meum impletum est.* Ac si diceret: Ego Sponsus non sum, sed amicus Sponsi sum. Nec propter vocem suam, sed in Sponsi voce gaudere se perhibebat: quia non ideo lætabatur in corde, quoniam humiliter a populis audiebatur loquens, sed quia ipse Veritatis vocem audiebat intus, ut loqueretur foris. Quod bene gaudium impletum dicit: quia quisquis de sua voce gaudet, plenum gaudium non habet, a quo & subditur: *Illum oportet crescere, me autem minui.* (Joh. 3. 31.) Qua in re quærendum est in quo Christus crevit, in quo minutus est Johannes: B nisi quod populus Johannis abstinentiam videns, remotum hunc ab hominibus esse conspiciens, eum esse Christum putabat: Christum vero cum Publicanis comedentem, inter peccatores ambulantem intuens, eum non Christum, sed Prophetam esse credebat. Sed dum per accessum temporis, & Christus qui Propheta esse putabatur, Christus agnitus est: & Johannes qui Christus esse credebatur, Propheta esse innotuit, impletum est quod de Christo suus Præcursor prædixit: *Illum oportet crescere, me autem minui.* In æstimatione quippe populi, & Christus crevit, quia agnitus est quod erat: & Johannes decrevit, quia cessavit dici quod non erat.

CAPUT XI.

Joh. 5. 30.

Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me Patris.

De frangenda voluntate propria. Regul. Past. par. 3. cap. 18

PERTINACES plus de se, quam sint, sentiunt; & idcirco alienis consiliis non acquiescunt. Nisi enim meliores se ceteris æstimarent, nequaquam cunctorum consilia suæ deliberationi postponerent. Pertinacia quippe generatur ex superbia: pertinaces igitur elationem suæ cognitionis agnoscant, & semetipsos vincere studeant: ne dum aliorum rectis suasionibus foras superari despiciunt, intus a superbia captivi teneantur. Solerter etiam aspiciant, quia filius hominis, cui una D semper cum Patre voluntas est ut exemplum nobis frangendi nostram voluntatem præberet, dicit: *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me Patris.* Qui ut hujus adhuc virtutis gratiam commendaret, servaturum se hoc in extremo judicio præmisit, dicens: *Non possum ego a meipso facere quidquam, sed sicut audio, judico.* Qua itaque conscientia dedignatur homo alienæ voluntati acquiescere, quando Dei atque hominis filius cum virtutis suæ gloriam venit ostendere, testatur se non a semetipso judicare?

CAPUT XII.

Joh. 6. 15.

Jesus cum cognovisset quia venturi essent, ut raperent eum, &c.

De fugiendo honoris culmine. Regul. Past. part. 1. cap. 3. Jac. 3. 1.

NE temerare sacra regimina quisquis impar est audeat, & per concupiscentiam culminis ducatum suscipiat perditionis, Jacobus pie prohibet, dicens: *Nolite plures magistri fieri, fratres mei.* Hinc ipse Dei hominumque Mediator regnum percipere vitavit in terris, qui supernorum spirituum quoque scientiam sensumque transcendens, ante secula regnat in cælis. Scriptum quippe est: *Jesus cum* A *cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit in montem ipse solus.* Quis enim hominibus principari tam sine culpa potuisset, quam is qui nimirum hos regeret, quos ipse creaverat? Sed quoniam idcirco in carne apparuit, ut non solum nos per passionem redimeret, verum etiam per conversationem doceret, exemplum se sequentibus præbens, rex fieri noluit. Ad crucis vero patibulum sponte pervenit, oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetiit, ut membra ejus videlicet discerent favores mundi fugere, terrores minime timere, pro veritate adversa diligere, prospera formidando declinare: quia & ista sæpe per tumorem cor inquinant, & illa per dolorem purgant: in istis se animus erigit, in illis autem, etiam quando se erexerit, sternit; in istis sese homo obliviscitur, in illis vero ad sui memoriam nolens etiam coactusque revocatur.

CAPUT XIII.

Quæritis me, quia manducastis de panibus.

Joh. 6. 26.

De his qui sacros ordines pro vitæ hujus subsidio quærunt. In exposit. B. Job, lib. 23 num. 43. Joh. 6. 35. Psal. 131. 15

IN Scriptura sacra panis aliquando ipse Dominus accipitur, sicut ipse in Evangelio dicit: *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi.* Aliquando per panem gratia doni spiritualis accipitur, sicut de sancta Ecclesia per David Do- C minus dicit: *Pauperes ejus saturabo panibus*: quia in illo positæ mentes humilium, spiritualium implentur refectione donorum. Aliquando per panem subsidium vitæ præsentis accipitur, sicut ipse in Evangelio Dominus turbis se sequentibus dicit: *Quæritis me, non quia vidistis signa: sed quia manducastis de panibus, & saturati estis.* De septem enim panibus fuerant satiati. Et per eorum personam Dominus illos intra sanctam Ecclesiam detestatur, qui per sacros ordines ad Dominum propinquantes, non in eisdem ordinibus merita, sed subsidia vitæ præsentis exquirunt: nec cogitant, quid vivendo imitari debeant, sed quæ compendia percipiendo, satientur. Satiatos quippe de panibus Dominum sequi, est de sancta Ecclesia temporalia alimenta sumsisse. Et non pro signis Dominum, sed pro panibus quærere, est ad religionis officium non pro virtutibus augendis, sed pro requirendis subsidiis inhiare.

CAPUT VIV.

Eum qui venit ad me, non ejiciam foras.

Joh. 6. 37.

De obedientia. In exposit. B. Job, lib. 35. num. 12.

OBEDIENTIA sola virtus est, quæ virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit. Unde & primus homo præceptum quod servaret, accepit: cui si se vellet obediens subdere, ad æternam beatitudinem sine labore perveniret. Hinc in Evangelio Veritas dicit: *Eum qui venit ad me, non* E *ejiciam foras: quia descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Quid enim si suam faceret, eos qui ad se veniunt, repulisset? Quis autem nesciat quod voluntas filii a patris voluntate non discrepet? Sed quoniam primus homo, quia suam voluntatem facere voluit, a paradisi gaudio exivit; secundus ad redemtionem hominum veniens, dum voluntatem se Patris, & non suam facere ostendit, permanere nos intus docuit. Cum igitur non suam, sed Patris voluntatem facit, eos qui ad se veniunt, foras non

ejicit: quia dum exemplo suo nos obedientiæ subjicit, viam nobis egressionis claudit. Hinc rursum ait: *Non possum ego a meipso facere quidquam, sed sicut audio, judicio*. Nobis quippe obedientia usque ad mortem servanda præcipitur. ipse autem si sicur audit, judicat, tunc quoque obedit cum judex venit. Ne igitur nobis usque ad præsentis vitæ terminum obedientia laboriosa appareat, Redemtor noster indicat, quia hanc etiam cum judex venerit, servat. Non ergo mirum si peccator homo obedientiæ in præsentis vitæ brevitate se subjicit, quando hanc Mediator Dei & hominum, & cum obedientes remunerat, non relinquit.

Johan. 5. 30

CAPUT XV.

Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.

Johan. 7. 38

BEATUS Job dicit de Domino, quod in petris rivos excidit, id est in duris Gentilium cordibus fluvios prædicationis aperuit, sicut per Prophetam quoque de irriganda dicitur ariditate Gentilium: *Posuit desertum in stagnum aquæ, & terram sine aqua in exitus aquarum*; atque in Evangelio promittit Dominus, dicens: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*: quod promissum tunc audivimus. Ecce enim in sanctis prædicatoribus, & non ex Judæa progenitis per cunctam Ecclesiam in toto orbe diffusam, fluenta mandatorum cælestium ubertim manant ore Gentilium, quia cum in petris rivos aperuit, ex duris quoque cordibus fluvius sanctæ prædicationis emanavit. Per aquam enim aliquando scientia prædicationis accipitur, juxta quod scriptum est: *Aqua profunda, verba ex ore viri: & torrens redundans, fons sapientiæ*. In verbis quoque sacri eloquii nonnumquam venter pro mente poni consuevit. Quia igitur de mente fidelium sanctæ prædicationes defluunt, quasi de ventre credentium aquæ vivæ flumina decurrunt. Per aquam quoque nonnumquam sancti Spiritus irrigatio, vel gratia, vel infusio solet designari, sicut scriptum est: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*. Item Dominus dicit: *Flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus*; ubi Evangelista secutus adjunxit: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*.

De prædicatione. In expofit. B. Job, lib. 18 num. 18.
Psal. 106. 35
In expofit. B. Job, lib. 11 num. 14.
Homil. 10 in Ezech. n. 6. In expofit. B. Job, lib. 11 num. 2.
Johan. 4. 13

CAPUT XVI.

Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.

Johan. 8. 7

CONTRA nosmetipsos corrigendos erigi debemus, ut mala propria recognoscentes, districta nosmetipsos ultione pœnitentiæ feriamus: & nullis erga cogitationum illecebras blandimentis inclinantes, nequaquam nobis in peccatis parcamus. Qui si districte nostra prius in nobis mala insequimur, justum quoque est ut etiam contra aliena mala utiliter erigamur: ut ea quæ in nobis punimus, etiam in aliis redargueudo superemus. Sed hanc corrigendi erectionem mali nesciunt: quia sese relinquunt, & bonos impetunt: sibique se intra conscientiam suam mollitie adulationis blandæ inclinantes, contra bonorum vitam districtione asperitatis eriguntur: semetipsos redarguendos relinquentes, alios districtis sententiis increpant. Qui vero semetipsum prius non judicat, quid in alio rectum judicet, ignorat. Et si novit fortasse per auditum, quod rectum judicare debeat, recte tamen aliena merita judicare non valet, cui conscientia innocentiæ propriæ nullam judicii regulam præbet. Hinc est enim quod quibusdam insidiantibus, & puniendam adulteram deducentibus dicitur: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*: ad aliena quippe punienda peccata ibant, & sua reliquerant; revocantur itaque intus ad conscientiam, ut prius propria corrigant, & tunc aliena reprehendant. Ordo quippe corrigendi iste est, ut primum contra nos, & postmodum contra malos corrigendos erigamur: nam qui contra bonos erigitur, per superbiam inflatur. Considerandum est autem quod incarnatus Dominus simplicitatem cum rectitudine tenuit: quia nec in mansuetudine districtionem justitiæ, nec rursum in districtione justitiæ virtutem mansuetudinis amisit. Unde cum quidam, ut prædictum est, adultera deducta hunc voluissent tentare, ut in culpam aut immansuetudinis aut injustitiæ laberetur, ad utraque respondit, dicens: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*. Dat simplicitatem mansuetudinis, *qui sine peccato est*: dat zelum justitiæ, *primus in illam lapidem mittat*. Plerumque autem nos cum justitiæ rectitudinem exequimur, mansuetudinem relinquimus; & cum mansuetudinem servare cupimus, justitiæ rectitudinem declinamus.

Ut nos, priusquam alios, judicemus. In expofit. B. Job, lib. 14 num. 33.
Num. 34.
Ibid. n. 35. In expofit. B. Job, lib. 1. num. 16.

CAPUT XVII.

Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?

Johan. 9. 2.

PERCUSSIONUM diversa sunt genera. Alia namque est percussio qua peccator percutitur, ut sine retractatione puniatur: alia qua peccator percutitur, ut corrigatur: alia qua nonnumquam quisque percutitur, non ut præterita corrigat, sed ne ventura committat: alia qua plerumque percutitur, per quam nec præterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur. Sed dum inopinata salus percussionem sequitur, salvantis virtus cognita ardentius amatur; cumque innoxius flagello atteritur, ei per patientiam meritorum summa cumulatur. Aliquando enim peccator percutitur, ut absque retractatione puniatur, sicut perituræ Judææ dicitur: *Plaga inimici percussi te castigatione crudeli*. Et rursum: *Quid clamas ad me super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus*. Aliquando peccator percutitur ut corrigatur, sicut cuidam in Evangelio dicitur: *Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne tibi deterius aliquid contingat*. Verba enim salvantis indicant, quia peccata præcedentia habiti vim doloris exigebant. Aliquando quisque non pro præterita culpa diluenda, sed pro futura vitanda percutitur; quod aperte Paulus de semetipso testator, dicens: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet*. Qui enim non ait, *quia extulit*, sed, *ne extollat*; aperte indicat quod ex illa percussione, ne eveniat, compescitur; non autem quæ evenerit, culpa purgatur. Nonnumquam vero quisque nec pro præterita, nec pro futura iniquitate percutitur, sed ut sola divinæ virtutis potentia ex amputata percussione monstretur. Unde cum Domino de cæco nato diceretur: *Hic peccavit, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Respondit, dicens: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus: sed ut*

De divisis percussionis. In expofit. B. Job, Præfat. n. 12.
Jerem. 30. 14. Ibid. 15.
Johan. 5. 14.
2. Cor. 12. 7.

ut manifestentur opera Dei. In qua manifestatione quid agitur, nisi ut ex flagello meritorum virtus augeatur? Cum enim nulla præterita iniquitas tergitur, magna de patientia fortitudo generatur.

CAPUT XVIII.

Johan. 9. 6.

Lutum fecit ex sputo Dominus, & linivit super oculos meos.

De illustratione supernæ gratiæ. In exposit. B. Job, lib. 8. num. 49. Homil. 10. in Ezech. n. 6. 1. Cor. 11. 3.

SALIVA in nos ex capite delabitur, ab ore vero ad ventrem ducitur cum glutitur. Quid itaque est caput nostrum nisi divinitas, per quam existendi principium sumimus, ut creatura simus? Paulo attestante, qui ait: *Caput viri, Christus; caput autem Christi, Deus*. Quid autem venter noster est, nisi mens? Quæ dum cibum suum supernum, videlicet intellectum suscipit, refecta proculdubio omnium membra actionum regit. Nisi enim sacra eloquia aliquando mentem nomine ventris exprimerent, Salomon utique non dixisset: *Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris*. Quia nimirum dum nos gratia superni respectus illuminat, cuncta etiam mentis nostræ nobis absconsa manifestat. Hinc etiam per Jeremiam dicitur: *Ventrem meum, ventrem meum doleo*. Quod quia de spirituali, & non corporeo ventre dixerat, subjungit: *Et sensus cordis mei conturbati sunt*. Neque enim ad salutem populi pertinebat, si Propheta ventrem corporeum se dolere prædicaret. Sed ventrem doluit, quia mentis afflictionem sensit. Sed cur exemplum Prophetæ proferimus, cum testimonium Domini apertius habeamus? Et necesse est ut cum per semetipsam Veritas loquitur, Propheta taceat: quia lucerna claritatem non habet in sole, ait enim: *Qui credit in me*, sicut dicit Scriptura: *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Quia enim de mente fidelium sanctæ prædicationes defluunt, quasi de ventre credentium aquæ vivæ flumina decurrunt. Quid autem salivæ nomine, nisi sapor intimæ contemplationis accipitur, quæ ad os a capite defluit: quia de claritate Conditoris adhuc in hac vita nos positos vix gustus revelationis tangit? Unde & Redemtor veniens salivam luto miscuit, & cæci nati oculos reparavit: quia superna gratia carnalem cognitionem nostram per admixtionem suæ contemplationis irradiat, & ab originali cæcitate hominem ad intellectum reformat. Nam quem a paradisi gaudiis expulsum in hoc jam exilio natura edidit, quasi a novitate homo sine oculis processit.

Prov. 20. 27.

Jerem. 4. 19.

Johan. 7. 38.

CAPUT XIX.

Johan. 8. 34.

Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.

De jugo peccati. In exposit. B. Job, lib. 4. num. 72.

QUISQUIS se pravo desiderio subjicit, iniquitatis dominio dudum liberæ mentis colla supponit. Sed huic dominio contradicimus, cum iniquitati, quæ nos ceperat, reluctamur: cum consuetudini violenter resistimus, & desideria perversa calcantes, contra hanc jus nobis libertatis ingenitæ vendicamus: cum culpam pœnitendo percutimus, & maculas sordium fletibus lavamus. Plerumque autem jam mens quidem quod se perverse meminit egisse, deplorans, jam prava acta non solum deserit, sed amarissimis etiam lamentis punit, & tamen adhuc se perfecte in securitatem non erigit. Nam quam prava commiserit meminit: sed an commissa digne defleverit, nescit: ac ne culpæ immanitas modum pœnitentiæ transeat, metuit. Et plerumque culpam veritas jam relaxat, sed afflicta mens inter spem, & formidinem adhuc de venia, dum valde sibi est sollicita, formidat; quia justus judex veniens, quid de perpetratis reputet, quid relaxet, ignorat. Servus ergo jam fugit in hac vita Dominum, sed liber non est: quia peccatum suum homo jam corrigendo, & pœnitendo deserit, sed tamen adhuc districtum judicem de ejus retributione pertimescit. In alia ergo vita servus a Domino liber erit, ubi jam de peccati venia dubietas non erit, ubi jam securam mentem culpæ suæ memoria non addicit, ubi non sub reatu animus trepidat, sed de ejus indulgentia liber exultat.

CAPUT XX.

Johan. 8. 36.

Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.

De redemtione humani generis. In exposit. B. Job, lib. 18. num. 72.

ÆTERNA Dei sapientia ad redimendum genus humanum, non sanctos Angelos, non justos homines misit, sed in manifestatione visionis per semetipsam venit. Nullus quippe Angelorum, nullus justorum hominum missus est, ut humanum genus a culpa redimeretur: quia per Creatorem necesse erat ut creatura Dei liberaretur, sicut ipsa Veritas dicit: *Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis*. Quoniam igitur æterna Dei sapientia, cum Patre manens per secula, in fine seculorum erat incarnanda: ad hoc homines justi, & sancti sunt missi, ut in cordibus hominum viam huic sapientiæ prædicando præparent, qui nisi se servos hujus sapientiæ cognoscerent, sancti nullatenus esse potuissent. Quia enim certum erat quod per accessum temporum deficientis seculi languores excreverant, actum est ut æterna Dei sapientia per semetipsam in fine seculorum veniret ad grandem hunc & nimiæ infirmitatis ægrotum, id est per totum mundum jacens languidum genus humanum: ut transmissis prius prædicatoribus quasi quibusdam visitatoribus, tanto postmodum major fieret potentia medici, quanto magis morbus crevisset ægroti.

CAPUT XXI.

Johan. 8. 44.

Vos ex patre diabolo estis.

Quod perversi sint Filii diaboli eum imitando. In exposit. B. Job, lib. 13. num. 38. inverso ordine.

ANTIQUUS hostis omnium princeps perversorum alios socios habet, atque alios filios. Qui namque sunt ejus socii, nisi illi apostatæ Angeli, qui cum eo de patriæ cælestis sede ceciderunt? Vel quos alios habet filios, nisi perversos homines, qui de ejus prava persuasione in malitiæ generentur operatione? Unde etiam voce Veritatis infidelibus dicitur: *Vos ex patre diabolo estis*. Ita vero unum corpus sunt diabolus, & omnes iniqui, ut plerumque nomine capitis censeatur corpus, & nomine corporis caput appelletur. Nam capitis nomine censetur corpus, cum de perverso homine dicitur: *Ex vobis unus diabolus est*. Et rursum nomine corporis, caput appellatur, cum de ipso apostata Angelo dicitur: *Inimicus homo hoc fecit*.

Johan. 6. 71.

Matt. 13. 28.

CA-

CAPUT XXII.

Johan. 10. 1. *Qui non intrat per ostium in ovile, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro; qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.*

Quod Redemtor cum sancta Ecclesia una substantia sit. Homil. 13. in Ezech n. 8. & maxime nu 13. n. 3

SI pastor bonus intrat per ostium, & ipse ostium, & ipse pastor, ipse proculdubio intrat per semetipsum. Quærendum est itaque nobis, qualiter & ipse intret, & per semetipsum. Dominus etenim ac Redemtor noster cum sancta Ecclesia, quam redemit, secundum carnem una substantia est, Paulo attestante, qui ait: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Hujus capitis corpus Ecclesia est, & hujus corporis caput, Christus. De quo suo capite exultat corpus, id est sancta Ecclesia cum Psalmista dicente; *Nunc autem exaltavit caput meum super inimicos meos.* Quia enim quandoque ipsa etiam exaltanda est, jam nunc caput suum per inimicos suos exaltatum gaudet in cælis. Cum igitur electi quique ad vitam perveniunt; quia membra ejus per eum intrant ad eum, ipse per se intrat ad se. Ipse enim in membris suis est, qui intrat: ipse caput, ad quod intrantia membra perveniunt.

Colos. 1. 24.

Psal. 26. 6.

CAPUT XXIII.

Johan. 10. 9. *Si quis per me introierit, salvabitur.*

De pascuis vitæ æternæ. Homil 1. lib. 1. in Ezech n. 34. & Homil. 14 l. 1. in Evang. n. 5.

SEMPER oculos cordis ad exitum nostrum ponere, & meditari debemus sine cessatione, quando a præsenti vita exeamus, & ad æterna gaudia pertingamus. Propter hoc quippe Patris Unigenitus est incarnatus, ut nos ad Ecclesiæ sanctæ fidem introducat, & ad speciem suæ visionis educat. Unde loquitur, dicens: *Si quis per me introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* Ingredietur videlicet ad fidem: egredietur vero a fide ad speciem, a credulitate ad contemplationem: pascua autem inveniet in æterna refectione, & satietate. Quisquis enim Dominum Jesum corde simplici sequitur, æternæ viriditatis pabulo nutritur. Quę autem sunt pascua nisi paradisi semper virentis ęterna gaudia? Pascua namque electorum sunt, vultus præsens Dei: qui dum sine defectu conspicitur, sine fine mens vitæ cibo satiatur. Propter hunc egressum nostrum, quem quotidie meditari mente debemus, de Redemtore nostro Paulus quoque loquitur, dicens: *Ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes: non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.*

Hebr. 13. 12.

CAPUT XXIV.

Johan 10 18 *Potestatem habeo ponendi animam meam.*

De gratia nostri Redemtoris. Item 9. 8 Job. lib 24 n. 2. 1 4 & 5 aliquando fauet, & adit.

OMNE genus humanum inimica illa persuasio in culpæ contagio ab ipsa radice polluerat, nullusque erat qui apud Deum pro peccatoribus intercedens, a peccato liber appareret: quoniam ex eadem massa editos, æque cunctos par reatus involverat. Proinde venit ad nos Unigenitus Patris: assumsit ex nobis naturam, non perpetrans culpam. Sine peccato quippe debuit esse, qui pro peccatoribus intervenire posset: quia nimirum alienæ pollutionis contagia non terget, si propria sustineret. Mediator itaque Dei & hominum, homo Christus Jesus intercedens pro peccatoribus, semetipsum justum hominem, qui pro aliis indulgentiam mereretur, ostendit. Veniens itaque ad nos desuper medicus noster, tantisque nos inveniens languoribus pressos, quiddam nobis simile, & quiddam contrarium apposuit. Ad homines quippe homo venit, sed ad peccatores justus. Concordavit nobis veritate naturæ, sed discrepavit a nobis veritate justitiæ. Vitiosus enim homo corrigi non poterat, nisi per Deum; videri autem debuit, qui corrigebat ut præbendo imitationis formam, anteactæ malitiæ mutaret vitam. Sed videri ab homine non poterat; Deus homo factus est, ut videri potuisset. Justus igitur & invisibilis Deus apparuit, similis nobis homo visibilis, ut dum videretur ex simili, curaret ex justo; & dum veritate generis concordat conditioni, virtute artis obviaret ægritudini. In carne ergo veniens Dominus, non culpam nostram ex vitio, non pœnam ex necessitate suscepit; nulla enim peccati labe pollutus, reatus nostri teneri conditione non potuit: & ideo mortem nostram omni necessitate calcata, cum voluit, sponte suscepit. Nequaquam enim ita, ut nos, fuit natus, nec ita mortuus, nec ita resuscitatus. Non enim cooperante coitu, sed Spiritu sancto superveniente conceptus est; natus autem materna viscera, & fecunda exhibuit, & incorrupta servavit. Rursum nos omnes cum nolumus, morimur; quia ad solvendæ pœnæ debitum culpæ nostræ conditione coarctamur. Ille autem quia nulli admixtum est culpæ, nulli ex necessitate succubuit pœnæ. Sed quia culpam nostram dominando subdidit, pœnam miserando suscepit, sicut ipsa ait: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Qui etiam præmisit: *Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso.* Rursum non, ut nos, suscitatus est, quia nostra resurrectio in finem seculi est dilata, illius vero die tertio celebrata. Et nos quidem per illum resurgimus: nam ipse per se; neque enim qui Deus erat, sicut nos, ut ab alio resuscitari potuisset, indigebat. In eo ergo ejus resurrectio distat a nostra, quod non per nosmetipsos resurgimus, sicut ille: pro eo enim quod simpliciter homines sumus, adjutorio superiori, ut resurgere valeamus, indigemus. Ille autem ejusdem resurrectionis vim cum Patre & sancto Spiritu Deus exhibuit, quam tamen solus in humanitate percepit. Dominus igitur natus, vere mortuus, vere resuscitatus, in omnibus distat a nobis magnitudine potentiæ, sed sola concordat nobis veritate naturæ: & cum in cunctis operibus suis immensa nos virtute transcendat, in uno tamen a nobis, id est in formæ veritate non discrepat. Quia ergo, ut prædictum est, nullus erat, cujus meritis nobis Dominus propitiari debuisset, Unigenitus Patris formam infirmitatis nostræ suscipiens, solus justus apparuit, pro peccatoribus intercedens: qui dum pœnam nostram moriendo toleravit, corruptionem nostram resurgendo mutavit. Ex ea etiam carne, quam sumsit, hanc ostendit liberam, quam redemit. Quæ redemta caro videlicet nos sumus, qui cognitione nostri reatus adstringimur, sed Mediatoris tanti æquitate liberamur, sicut ipse ait: *Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.* Johan. 8. 36.

CA-

CAPUT XXV.

a

Joh. 10. 22.

Facta sunt encania in Jerosolymis: & hyems erat.

Quod multis modis divina eloquia causas rerum designant. In exposit. B. Job, lib. 2. num. 2. Exod. 19. 24 & 34. & Num. 36.

SERVATA historiæ veritate, divina eloquia aliquando a positione loci, aliquando a positione corporis, aliquando a qualitate aeris, aliquando a qualitate temporis causas designanr quas aperto sermone non judicant. A positione quippe locorum, sicut Scriptura de Israele dicit, quia verba Dei in monte audire non potuit, sed præcepta in campestribus accepit. Subsequentem nimirum infirmitatem populi indicans, quia ascendere ad summa non valuit, sed semetipsum in infimis neglecte vivendo laxavit. Carnali itaque B Israelitico populo, descendente de monte Moyse, Lex in campestribus data est: sed sanctis Apostolis, Dominus in monte sedens, summa & spiritualia præcepta locutus est, ut ex locis videlicet monstraretur quia & illis tamquam carnalibus mandata minima dabantur in valle terrarum, & isti, tamquam spirituales & sancti, in monte cælestia mandata audirent; quatenus aperte monstraretur quod ascendentes corde ad cælestia, infirma relinquerent, & in mentis culmine starent. A positione corporis divina Scriptura futura denuntiat, sicut in Actibus Apostolotum Stephanus Jesum, qui a dextris virtutis sedet, stantem se vidisse manifestat. Stare quippe adjuvantis est. Et recte cernitur qui in bello certa C minis opitulatur. A qualitate acris res subsequens demonstratur, sicut Evangelista cum prædicante Domino nullos tunc ex Judæis credituros diceret, præmisit, dicens: *Hyems autem erat*. Scriptum namque est: *Abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum*. Idcirco ergo curavit hyemis tempus exprimere, ut inesse cordibus auditorum malitiæ frigus indicaret: inter illa enim mysteria, quæ Veritas loquebatur, quid causæ fuit ut nomen hyemis adderetur, nisi ut per qualitatem temporis & aeris, ostenderet frigus cordis? Quia & cum verba Veritatis acciperent, frigida Judæorum corda remanebant. Hinc est etiam quod de negaturo Petro præmittitur: *Quia frigus erat, & stans ad prunas, calefaciebat se*. Jam namque intus a D caritatis calore torpuerat, & ad amorem præsentis vitæ, quasi ad persecutorum prunas, infirmitate æstuante recalebat. A qualitate quoque temporis finis exprimitur actionis, sicur non rediturus ad veniam, ad traditionis perfidiam nocte Judas exisse perhibetur, cum ingrediente illo ab Evangelista dicitur: *Erat autem nox*. Hinc enim & iniquo diviti dicitur: *Hac nocte repetunt animam tuam a te*. Anima quippe quæ ad tenebras ducitur, non in die repeti, sed in nocte memoratur. Hinc est quod Salomon, qui sapientiam non perseveraturus accepit, in somnis hanc & nocte describitur accepisse. Hinc est quod Angeli ad Abraham meridie veniunt: punituri vero Sodomam, ad eam vespere venisse memorantur.

Matth. 5. — Act. 7. — Matt. 24. 12 — Joh. 18. 18 — Joh. 13. 30. — Luc. 12. 20. — 3. Reg. 3.

CAPUT XXVI.

Johan. 11. 43.

Lazare, veni foras.

De confessione peccatorum, & absolutione. In exposit. B. Job lib. 22. num. 31.

DUM peccator quisque de vitio suo reprehensus sub defensionum & excusationum verbis fugit, dum non vult cognosci quod fecit, non se Domino, sed sibi Dominum abscondit. Agit quippe ne omnia videntem videat, non autem ne ipse A videatur. Quo contra cuique peccatori jam exordium illuminationis est humilitas confessionis: quia sibimetipsi jam parcere renuit, qui malum non erubescit confiteri quod fecit: & qui defendendo accusari potuit, accusando se celerrime defendit. Unde & mortuo Lazaro, qui mole magna premebatur, nequaquam dicitur, *Revivisce*, sed, *veni foras*. Ex qua videlicet resurrectione, quæ gesta in illius est corpore, signatur qualiter nos resuscitemur in corde, eum videlicet mortuo dieitur: *Veni foras*; ut nimitum homo in peccato suo mortuus, & per molem malæ consuetudinis jam sepultus, quia intra conscientiam suam absconsus jacet per nequitiam, a seipso foras exeat per confessionem. Mortuo enim, B *Veni foras*, dicitur, ut ab excusatione, & occultatione peccati ad accusationem suam ore proprio exire provocetur. Unde David Propheta ab illa tanti mole facinoris reviviscens ad vocem Domini, quasi foras exiit, dum per Nathan correctus, quod fecerat accusavit. Post confessionem igitur ab his qui ligandi & solvendi auctoritatem susceperunt, causæ pensandæ sunt: & tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum quippe quæ culpa, aut quæ sit pœnitentia secutura post culpam; ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum arbitrium æterni sequitur judicis. Quod bene prædicta quatriduani C mortui resuscitatio illa significat, qui videlicet demonstrat, quia prius mortuum Dominus vocavit & vivificavit, dicens: *Lazare veni foras*: & postmodum is qui vivens egressus fuerat, a discipulis solutus est, sicut scriptum est: *Cumque egressus esset, qui fuerat ligatus institis, tunc dixit discipulis: Solvite eum, & sinite abire*. Ecce illum discipuli jam viventem solvunt, quem magister resuscitaverat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum solverent, fœtorem magis ostenderent, quam virtutem. Ex qua consideratione intuendum est quod illos debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare. Quæ nimirum vivificatio ante operatio- D nem rectitudinis in ipsa jam cognoscitur confessione peccati. Unde & huic ipsi mortuo Lazaro nequaquam dicitur: *Revivisce*, sed, *veni foras*. Omnis quippe peccator, dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsus latet, in suis penetralibus occultatur; sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur: *Veni foras*. Ac si aperte cuilibet mortuo diceretur: Cum reatum tuum intra conscientiam tuam abscondis, foras per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator: venientem vero foras solvant discipuli, ut Pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non E erubuit coofiteri quod fecit.

Homil. 26 in Evang. n. 6. — Joh. 11. 44.

CAPUT XXVII.

Et clarificavi, & iterum clarificabo.

Joh. 12. 28.

De modis divinæ locutionis. In exposit. B. Job, lib. 28. num. 3. 4. 5. 7. 8.

CUM per angelicam creaturam voluntatem suam Dominus indicat, aliquando eam verbis, aliquando imaginibus cordis oculis extensis, aliquando cælestibus substantiis demonstrat. Verbis namque per Angelum loquitur, cum nihil in imagine

ostenditur, sed supernæ verba locutinnis audiuntur, dicente Domino: *Pater, clarifica filium tuum, ut & filius tuus clarificet te:* protinus respondetur: *Et clarificavi, & iterum clarificabo* Neque enim Deus, qui sine tempore vi impulsionis intimæ clamat, in tempore per suam substantiam, illam vocem edidit, quam circumscriptam tempore per humana verba distinxit; sed nimirum de cælestibus loquens, verba sua, quæ audiri ab hominibus voluit, rationali creatura administrante formavit. Aliquando imaginibus, cordis oculis extensis, per Angelos loquitur Deus, sicut Jacob subnixam cælo scalmam dormiens vidit; sicut Petrus linteum reptilibus & quadrupedibus plenum in ecstasi raptus aspexit, qui nisi corporeis hæc oculis cerneret, in ecstasi non fuisset; sicut Paulo in visione noctis vir Macedo apparuit, qui transire eum in Macedoniam rogavit. Aliquando cælestibus substantiis loquitur Deus; sicut baptizato Domino scriptum est, (Matt. 3. 17) quia de nube vox sonuit, dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

CAPUT XXVIII.

(Johan. 12. 41.) *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus.*

(De visione gloriæ Dei, Lib 1. in Ezech. hom. 8. num. 30. & 31.) QUANTALIBET intentione se mens humana tendat, etiamsi phantasias quasque imaginum corporalium a cogitatione compescat, si jam omnes circumscriptos spiritus ab oculis cordis amoveat, adhuc tamen in carne mortali posita videre gloriam Dei non valet, sicut est: sed quidqid de illa est, quod in mente resplendet, similitudo, & non ipsa est. Unde Ezechiel (Ezech. 1. 28 & 2. 1.) Propheta dixit: *Hic erat aspectus splendoris per gyrum, & hæc visia similitudinis gloriæ Domini.* Inde etiam ille prædicator, qui raptus ad tertium cælum fuerat, dicebat; *Videmus nunc per speculum* (1. Cor 13. 12.) *in ænigmate.* Qua io re non despicienda nobis oritur quæstio, quomodo Johannes Evangelista, cum erga miracula Redemtoris nostri, Judæorum perfidiam etiam ex verbis propheticis descripsisset, adjungit, dicens: *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo.* Et si Ezechiel vidit, quid est quod iste similitudinem gloriæ, & ille gloriam ejus vidisse describitur? Sed cum Johannes Evangelista prius miracula Redemtoris oostri narravit, & infidelitatem Judæotum postmodum subdidit: hanc ejusdem Redemtoris nostri gloriam, quæ in mundo apparuit, Isaiam vidisse manifestat. Omne enim quod in terra mirum divinitus agitur, gloria omnipotentis Dei est, & ejus gloria in omnibus factis videtur. Isaias igitur ejus gloriam in terra vidit; Ezechiel vero ejus gloriam in cælo, sicut est, videre non potuit; quia aliter est ejus gloria in rebus factis, & aliter in semetipso. Hæc ergo gloria, quæ in rebus est, videri potest: illa vero quæ in ipso est, videri modo nisi per similitudinem noo potest.

CAPUT XXIX.

(Johan 12. 26.) *Qui mihi ministrat, me sequatur.*

(De imitatione Redemtoris. Homil. in Evang n. 9) DOMINUM Jesum Christum Redemtorem oostrum, ut eum sequamur hic admonentem, in quem, fratres carissimi, credimus, operibus bonis sequi studeamus: aspiciamus qua graditur, & (Matt. 8. 22.) ejus vestigia imitando teneamus. Jesum etenim sequitur, qui imitatur. Hinc namque dixit: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Sequere enim dicitur, imitare. Consideremus ergo qua graditur, ut sequi mereamur. Ecce cum sit Dominus & Creator Angelorum, suscepturus naturam nostram quam condidit, in uterum virginis venit: nasci tamen in hoc mundo per divites noluit, pauperes parentes elegit. Unde cum agnus, qui pro illo offerreretur, desuit, columbarum pullos & par turturum ad sacrificium mater invenit. Prosperari in hoc mundo noluit, irrisiones & opprobria toleravit, sputa, flagella, alapas, spineam coronam, crucemque sustinuit: & quia rerum corporalium delectatione, a gaudio interno cecidimus, cum qua amaritudinem illuc redeamus ostendit. Quid itaque pro se debet homo pati, si tanta Deus pro hominibus pertulit? Qui igitur in Christum jam credidit, sed adhuc avaritiæ lucra sectatur, in superbia honoris extollitur, invidiæ facibus inardescit, libidinis immunditia se polluit, prosperari ad ea quæ sunt in mundo, concupiscit, Jesum in quem credidit, sequi contemnit. Diverso quippe itinere ambulat & pergit, si gaudia delectationesque appetit, cui dux suus viam amaritudinis ostendit.

CAPUT XXX.

Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. (Johan. 12. 32)

PER resurrectionem nostri Redemtoris, omnes electi, qui quamvis in sinu tranquillitatis, tamen claustris tenebantur inferni, ad amœna paradisi sunt reducti. Quod ante passionem promisit, in resurrectione sua Dominus adimplevit: omnia enim traxit, qui de suis electis apud inferos nullum reliquit, omnia abstulit utique electa. Neque enim infideles quosque, & pro suis criminibus æternis suppliciis deditos, ad veniam Dominus resurgendo reparavit, sed illos ex inferni claustris rapuit, quos suos in fide & actibus recognovit (De victoria Redemtoris. Homil. 22. in Evang n. 6.)

CAPUT XXXI.

Dominus lavit pedes discipulorum. (Johan. 13. 4)

VIX aliqua prædicatio sine aliquo transitur admisso. Unde recte sanctis Apostolis post prædicationem Dominus pedes lavit; ut videlicet aperte monstraret quia plerumque & in bono opere peccati pulvis contrahitur, & inde inquinantur vestigia loquentium, unde audientium corda mundantur. Nam sæpe nonnulli, dum exhortationis verba faciunt, aut ad quantulamcumque gloriam, si ab audientibus venerantur, & quamlibet tenuiter se intrinsecus, quia per eos purgationis gratia derivatur, extollunt. Cumque verbo aliena opera diluunt, quasi ex bono itinere pulverem malæ cogitationis sumunt. Quid ergo fuit post prædicationem pedes discipulorum lavare, nisi post prædicationis gloriam cogitationum pulverem tergere, gressusque cordis ab interna elatione mundare? Pedes igitur Apostolorum loti sunt, ut a quamlibet parvo contagio in ipsa prædicatione contracto, quasi a quodam itinere collecto pulvere mundarentur. (De prædicatione. In expos. B. Job, lib. 19. num. 24.)

CA-

CAPUT XXXII.

Johan. 13. 35 *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.*

De operatione sancti Spiritus. In exposit. B. Job, lib. 20. num. 17.

OMnipotentis Dei nos esse discipulos sola custodia caritatis probat: virtutem quippe manuum sine caritate testatur prædicator egregius nihil valere, qui ait: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, itaut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil prodest.* De hæreticis quoque signa ac miracula facientibus, sed hic præmia afflictionis suæ, & abstinentiæ laudes, videlicet quas amant, recipientibus, Redemtoris voce dicitur: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia numquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem.* (Matt. 7. 22.) Qua nimirum sententia quid datur intelligi, nisi ut in hominibus caritas & humilitas, non autem debeant virtutum signa venerari? Probatio quippe sanctitatis non est signa facere, sed unumquemque ut se diligere: de Deo autem vera, de proximo vero meliora, quam de semetipso sentire. Nam quia vera virtus in amore est, non autem in ostensione miraculi, Veritas demonstrat, quæ ait: *In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Qui enim non ait, in hoc cognoscetur quia discipuli mei estis, si signa feceritis, sed ait: *Si dilectionem habueritis ad invicem*, aperte indicat quia veros Dei famulos non miracula, sed sola caritas probat. Testimonium ergo superni discipulatus, est donum supernæ dilectionis quæ nimirum dilectio si cor nostrum veraciter replet, duobus modis ostendi solet, scilicet si amicos in Deo, & inimicos diligimus propter Deum. Sed sciendum est quia inimici dilectio tunc veraciter custoditur, cum nec de profectu addicimur, nec de ruina illius lætamur. Nam sæpe in dilectionis imagine erga inimicum animus fallitur; seque hunc diligere æstimat, si ejus vitæ contrarius non existat: sed dilectionis vim occultæ veraciter, aut profectus inimici, aut casus interrogat: Hac etenim de re ad plenum semeptipsam mens hominis nescit, nisi eum quem sibi adversarium credit, in defectu vel profectu ejus, mutasse se modum sui status invenerit. Si enim de prosperitate addicitur, & de calamitate se odientis lætatur, constat quia non amat, quem non vult esse meliorem se, eumque etiam stantem voto persequitur, quem recidisse gratulatur. (Lib. 22. in Job, n. 15.) Sed inter hæc sciendum est, quia evenire plerumque solet, ut non amissa caritate, & inimici nos ruina lætificet; & rursum ejus gloria sine invidiæ culpa contristet: cum & ruente eo quosdam erigi bene credimus, & proficiente illo plerosque injuste opprimi formidamus. Qua in re mentem nostram, nec ejus jam defectus erigit, nec ejus profectus addicit, si recta nostra cogitatio, non quid in ipso, sed quid de ipso circa alios agatur, attendit. Sed ad hæc servanda valde est necessarium subtilissimæ discretionis examen, ne cum nostra odia exequimur, fallamur sub specie utilitatis alienæ. Si autem de inimici morte gaudendum omnino non esset, Psalmista non diceret: *Lætabitur justus, cum viderit vindictam impiorum:* (Psal. 57. 11.) sed aliud est impium, aliud vero inimicum perpeti. Nam sunt plerique inimici, qui non sunt impii: & sunt nonnulli impii qui nobis specialiter non videntur inimici. Humana autem mens omnem quem inimicum tolerat, etiam impium & iniquum putat: quia ejus culpas apud cognitionem livor accusator exaggerat, Quibuslibet vero flagitiis prematur, minus iniquus creditur, si adversarius minime sentitur. Qua in re discernendum est, aliud esse quod nobis, aliud vero quod sibi, & ceteris noster inimicus nocet. Nam si aliis bonus est, sine nostra forsitan culpa, non potest esse nobis malus: nec omnino jam de ejus ruina gaudendum est, cujus nos solos certum est adversa tolerasse. Cum vero noster ac multorum hostis punitur, de ereptione proximorum potius, quam de inimici interitu necesse est ut animus lætetur. Oportet namque ut pereunte adversario, subtiliter pensare debeamus, & quid debemus ruinæ peccatoris, & quid justitiæ ferientis. Nam cum perversum quemque omnipotens percutit, & condolendum est miseriæ pereuntis, & congaudendum justitiæ judicis, ut nobis & in luctu sit pœna morientis proximis, & rursus in gaudium veniat exhibita æquitas judicantis Dei: quatenus nec pereunti homini existamus adversarii, nec judicanti Deo inveniamur ingrati.

CAPUT XXXIII.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Johan. 14. 2.

De discretione cælestium dignitatum. In exposit. B. Job, lib. 4. num. 70.

QUoniam electis Dei in hac vita discretio operum, in alia quoque vita erit proculdubio discretio dignitatum: ut hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione præcellat. Et licet dignitas eadem omnibus non sit, una tamen erit omnibus vita beatitudinis; unde in Evangelio ipsa Veritas dicit: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Si enim dispar retributio in illa beatitudine æterna non esset, una potius mansio quam multæ essent. Multæ ergo mansiones sunt, in quibus distincti bonorum ordines, & propter meritorum consortium communiter lætentur. Illi quippe qui diversis horis in vineam ducti venerunt, licet non æque laborassent, eumdem tamen æque cuncti denarium perceperunt. Quia itaque ratione conveniunt mansiones multæ cum uno denario, nisi quia diversæ quidem beatorum civium dignitates erunt, sed tamen una requies æternæ retributionis? Nam si dispar erit retributionis qualitas, quam opera diversa consequentur: una tamen est beatitudo, (Lib. 2 in Ezech. hom. 4 num. 6.) quam illic percipient, qui in multis mansionibus distinguuntur; & si dispar erit meritum singulorum, non erit diversitas gaudiorum: quia etsi alter minus, & alius amplius exultat, omnes tamen unum gaudium de Conditoris sui visione lætificat; & una cunctis est beatitudo lætitiæ, quamvis non una sit omnibus sublimitas vitæ. In domo igitur Patris sui mansiones multas esse Veritas dicit: quia in illa beatitudinis vita non dispari, unusquisque juxta dispar meritum locum disparem percepit, sed ejusdem disparilitatis damna non sentit: quia tantum sibi quantum perceperit, sufficit. In eisdem namque multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionum diversitas concors: quia tanta vis amoris in illa pace non sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet: quas bene Paulus mansiones juxta merita distributas insinuat, cum ait: *Alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim a stella differt in claritate.* (1. Cor. 15. 41.)

CAPUT XXXIV.

Johan. 14. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.*

De operatione sancti Spiritus. In exposit. B. Job, lib. 5. num. 50.

ASPIRATIO sancti Spiritus humanam mentem tangendo sublevat; & temporales cogitationes deprimens, æternis hanc desideriis inflammat, ut nihil ei jam nisi quæ superna sunt, libeat; & cuncta quæ inferius de humana perstrepunt corruptione contemnat. Unde & Veritatis voce dicitur: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere.* Sicut enim iisdem Paraclitus, id est post Mediatoris ascensum, alius humani generis consolator, in semetipso invisibilis est: ita omnem, quem repleverit, ad desideranda invisibilia accendit: & quoniam mundana corda sola visibilia diligunt, hunc mundus non accipit, quia ad diligenda invisibilia non assurgit. Seculares enim mentes quanto se foras per desideria dilatant, tanto ad receptionem illius sinum cordis angustant. Valde quippe pauci in humano genere inveniuntur, qui a desideriorum carnalium sorde purgati, ad perceptionem sancti Spiritus ipsa hac purgatione dilatentur.

CAPUT XXXV.

Johan. 14. 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.*

De videndo Deo. In exposit. B. Job, lib. 18. num. 90.

FUERE nonnulli qui Deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis, in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri: quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit. Neque enim illi simplici, & incommutabili essentiæ, aliud est claritas, aliud natura: sed ipsa natura sua claritas, ipsa claritas natura est. Quod enim suis dilectoribus hæc Dei sapientia se quandoque ostenderet, ipse pollicetur, dicens: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Ac si patenter dicat: Qui in vestra me cernitis, restat ut in mea natura me videatis. Hinc rursus ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matt. 5. 8.

CAPUT XXXVI.

Johan. 14. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

De divina in nobis mansione. Homil. 7. in Evang. n. 2.

VIAM Domino ad cor nostrum venienti facimus, cum ad præceptum vitam præparamus. Mansionem in corde nostro, venienti Domino præparamus, cum Veritatis sermonem humiliter audimus, & cum dilectione servamus. Quisquis autem in superbia mentem elevat, quisquis avaritiæ æstibus anhelat, quisquis se inquinationibus luxuriæ polluit, cordis ostium contra Veritatem claudit; & ne Dominus ad se veniat, & mansionem faciat, animi claustra seris vitiorum damnat.

CAPUT XXXVII.

Johan. 14. 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.*

De pace. In exposit. B. Job. lib. 6. num. 35.

IN Scriptura sacra aliter pax plena dicitur, & aliter inchoata. Inchoatam quippe Veritas disci-

A pulis dederat, cum dicebat: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Et plenam Simeon desideraverat, cum exoraret, dicens: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.* Luc. 2. 29. Pax enim nostra ex desiderio Conditoris inchoatur. Ex manifesta autem visione perficitur. Plena quippe tunc erit, cum mens nostra nec ignorantia cæcatur, nec suæ carnis impugnatione percutitur.

CAPUT XXXVIII.

Item unde supra.

SOLLICITE pacati debent curare ne dum plus quam necesse est, pacem quam possident, a- Regul. Pastor. part. 3. cap. 22.
B mant, ad perpetuam pervenire non appetant. Plerumque enim gravius intentionem mentium rerum tranquillitas tentat, ut quo non sunt molesta, quæ obtinent, eo minus amabilia fiant, quæ vacant; & quo delectant præsentia, eo non inquirant æterna. Unde & per semetipsam Veritas loquens, cum terrenam pacem a superna distingueret, & ad venturam discipulos ex præsenti provocaret, ait: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis:* relinquo scilicet transitoriam, do mansuram. Si ergo cor in eam, quæ relicta est, figitur, numquam ad illam, quæ danda est, pervenitur. Pax igitur præsens ita tenenda est, ut & diligi debeat & contemni; ne si immoderate diligitur, diligentis animus in culpa capiatur.

C

CAPUT XXXIX.

Venit enim Princeps hujus mundi. Johan. 14. 30.

MALIGNI spiritus non solum ingredientibus perversorum animabus opera sua requirunt, ut eas ad tormenta trahant, verum ad electos quoque veniunt, & suum in illis aliquid requirunt, si prævaleant. Unus autem in hominibus extitit, qui ante passionem suam libera voce dixit: *Jam non multa loquar vobiscum; venit enim Princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam.* Quia enim hunc mortalem hominem vidit, suum in illo mundi Princeps aliquid

De prænotatione mortis nostræ. Homil. 39 in Evang. n. 8. 9. 10.

D invenire se posse credidit. Sed sine ullo peccato a mundi corruptione exiit, qui sine peccato in mundum venit, hoc de se contra mundi Principem nullus dicere potuit. Nam cum Propheta dicat: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea:* nemo sine culpa Psal. 50. 7. in mundo potuit esse, qui in mundum venit cum culpa. Constat enim, quia omnes qui de carnis delectatione concepti sunt, in eorum proculdubio vel actione, vel locutione, vel cogitatione, aliquid suum Princeps mundi hujus habuit. Sed idcirco illos vel post capere, vel prius tenere non potuit, quoniam eos ille a debitis suis eripuit, qui pro nobis sine debito mortis debitum solvit; ut nos ideo sub jure hostis nostri debita nostra
E non teneant: quia pro nobis Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus gratuito reddidit, quod non debebat. Qui enim pro nobis mortem carnis indebitam reddidit, nos a debita animæ morte liberavit. Ait ergo: *Venit enim Princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam.* Unde curandum nobis est, & cum magnis quotidie fletibus cogitandum, quam rapidus quam terribilis sua in nobis opera requirens, in die nostri exitus Princeps hujus mundi veniat; si etiam ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid quæsivit, in

quo

A quo nihil invenire potuit, qui itaque nos miseri dicturi, quid acturi sumus, qui innumera mala commisimus? Quid requirenti adversario, & multa sua in nobis invenienti dicemus, nisi solum quod nobis est certum refugium & solida spes: quia cum illo unum facti sumus, in quo Princeps hujus mundi & suum aliquid requisivit, & invenire minime potuit; quoniam solus est inter mortuos liber: & a peccati jam servitio veraci libertate solvimur, quoniam ei qui vera libertas est, unimur? Constat enim, nec negare possumus, sed veraciter fatemur, quia Princeps hujus mundi habet in nobis multa, sed tamen in mortis nostræ tempore jam nos rapere non valet: quia ejus membra sumus effecti, in quo non habet quidquam. Sed quid prodest quod eidem Redemtori nostro per fi- B dem jungimur, si ab eo moribus disjungamur? Ipse enim dicit: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Recta enim opera rectæ fidei sunt jungenda: mala quæ fecimus per quotidiana lamenta sunt diluenda, & ea quæ possumus, bona fratribus impendenda. Neque enim aliter Redemtoris nostri membra efficimur, nisi inhærendo Deo, & compatiendo proximo. Multum enim valet compassio fraterna, & nos omnipotenti Deo conjungunt misericordiæ viscera. Inde enim ei qui est super omnia, propinquamus, unde nos per compassionem proximi, etiam sub nosmetipsos deponimus. In rebus corporalibus nemo alta tangit, nisi qui tenditur. In rebus quoque spiritualibus certum est, quia quanto plus per C compassionem attrahimur, tanto altis verius appropinquamus.

Matt. 7. 2.

CAPUT XL.

Sine me nihil potestis facere.

Johan. 15. 5.

De gratia Dei, & libero arbitrio. Lib. 1 in Ezech. ho. 9. num. 2. Philip. 2. 12.

EX omnipotentis Dei gratia ad bona opera conari quidem possumus, sed hæc implere, si ipse non adjuvat qui jubet, non valemus. Sic Paulus cum discipulos admoneret, dicens: *Cum metu & tremore vestram ipsorum salutem operamini*: illico quis in eis hæc ipsa bona operaretur, adjunxit, dicens: *Deus est enim qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* Hinc D est quod ipsa Veritas discipulis dicit: *Sine me nihil potestis facere.* Sed in his considerandum est quia si bona nostra sic omnipotentis Dei dona sunt, ut in eis aliquid nostrum non sit, cur nos quasi pro meritis æternam retributionem quærimus? Si autem ita nostra sunt, ut dona Dei omnipotentis non sint, cur ex eis omnipotenti Deo gratias agimus? Sed sciendum est, quia mala nostra solummodo nostra sunt, bona vero nostra & omnipotentis Dei sunt, & nostra: quia ipse aspirando nos prævenit ut velimus, qui adjuvando subsequitur ne inaniter velimus, sed possimus adimplere quæ volumus. Præveniente autem gratia, & bona voluntate subsequente, hoc quod omnipotentis Dei donum est, fit meritum nostrum. Quod bene Paulus E brevi sententia explicat, dicens: *Plus illis omnibus laboravi.* Qui ne videretur suæ virtuti tribuisse quod fecerat, adjunxit: *Non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Ac si diceret: In bono opere laboravi, non ego, sed & ego. In eo enim quod solo Domini dono præventus sum, non ego: in eo autem quod donum voluntate subsecutus, & ego. Hæc breviter contra Pelagium dicta sunt, & Cælestium.

1. Cor. 15. 10.

CAPUT XLI.

Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis.

Johan. 15. 15

De veritate dilectionis. In expositione B. Job. lib. 27. num. 28.

AMICUS Veritatis est rectæ amator actionis. Unde & ipsa Veritas discipulis dicit: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Amicus quippe animi custos dicitur. Unde & non immerito, qui custodire voluntatem Dei in præceptis illius nititur, ejus amicus vocatur. Hinc est quod rursum eisdem discipulis Veritas dicit: *Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.*

Ibid v. 15.

CAPUT XLII.

Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre.

Johan. 15. 26

Quid significet missio Spiritus sancti. Homil. 26 in Evang. n. 2. Isa. 20. 21.

PARACLITUM sanctum Filius a se discipulis promittit mittendum, qui se quoque a Patre missum eisdem alibi asserit, dicens: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* In quibus verbis, quamvis missio intelligatur ejus incarnatio (Pater quippe Filium misit, qui hunc pro redemtione generis humani incarnari constituit) tamen etiam juxta naturam divinitatis potest intelligi. Eo enim ipso a Patre Filius mitti dicitur, quo a Patre generatur; sic quoque sanctum Spiritum, qui cum sit Patri coæqualis & Filio, non tamen incarnatus est, eisdem se Filius mittere perhibet: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre.* Si enim mitti, solummodo incarnari deberet intelligi, sanctus proculdubio Spiritus nullomodo mitti diceretur, qui nequaquam est incarnatus, sed ejus missio ipsa est processio, qua de Patre procedit, & Filio. Sicut itaque Filius non incongrue mitti dicitur, quia generatur: ita & Spiritus sanctus dicitur mitti, quia procedit.

CAPUT XLIII.

Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.

Johan. 16. 7.

De amore spirituali. Dialog. lib. 2 cap. 38 & In expositione B. Job, lib. 8. num. 41.

DOMINUS noster ut fidem discipulis augeret, dixit: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Cum enim constet, quia Paraclitus spiritus ex Patre procedat semper & a Filio, cur se Filius recessurum dicit, ut ille veniat, qui a Filio numquam recedit? Sed quia discipuli in carne Dominum cernentes, corporeis hunc oculis semper videre sitiebant, recte eis dicitur: *Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet.* Ac si aperte diceret: Si ab intentionis vestræ oculis corpus non subtraho, ad intellectum vos invisibilem per consolatorem Spiritum non perduco. Si corpus non subtraho, qui sit amor spiritus non ostendo: & nisi me desieritis corporaliter cernere, numquam discetis spiritualiter amare.

CAPUT XLIV.

Amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

Johan. 16. 20

De consolatione pauperum.

OMNES qui Redemtoris nostri desideriis accensi prospera fugiunt, adversa patiuntur,

In exposit. B. Job, lib. 6. num. 25.

cruciatus persequentium tolerant, seque ipsos per lamenta castigans: tanto sublimiorem in futuro lætitiam recipiunt, quanto nunc cunctis mundi gaudiis devote moriuntur. Hinc est quod eadem Veritas dicit: *Vos igitur nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Omnes enim qui nunc pro Dei amore despiciuntur, & pro eo temporaliter affligunsur, vera lætitia æternaliter in cælesti gloria consolabuntur.

Ibid. v. 22.

CAPUT XLV.

Johan. 16. 23.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo.

De oratione & exauditione. Homil. 27. in Evan. n. 4. 7. 2. Cor. 12. 9.

SI omne quod petimus in nomine Filii, dat nobis Pater, quid est quod Paulus ter Dominum rogavit, & exaudiri non meruit, sed dictum est illi: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur?* Numquid ille tam egregius prædicator in Filii nomine non petiit? Quare autem non accepit quod petiit? Quomodo ergo verum est, quia quidquid petierimus in nomine Filii, dat nobis Pater, si auferri a se Angelum satanæ petiit Apostolus in nomine Filii, & tamen quod petiit non accepit? Sed quia nomen Filii Jesus est, Jesus autem Salvator, vel etiam Salutaris dicitur, ille ergo in nomine Salvatoris petit, qui illud petit quod ad veram salutem pertinet. Nam si id quod non expedit, petitur, non in nomine Jesu petitur Pater. Unde & eisdem Apostolis adhuc infirmantibus Dominus dicit: *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo.* Ac si aperte diceretur: Non petistis in nomine Salvatoris, qui salutem æternam quærere nescitis. Hinc est quod & Paulus non exauditur: quia non ei proderat ad salutem, si a tentatione liberaretur. Cum ergo, fratres carissimi, convenitis ad Ecclesiam, pensate, quæso, petitiones vestras: videte si in nomine Jesu petitis, id est si gaudia salutis æternæ postulatis. In domo enim Jesu, Jesum non quæritis, si in æternitatis templo importune pro temporalibus oratis. Et quidem cum hæc desunt, ab omnipotente Deo petenda sunt: sed meminisse continuo debemus, quod ex mandato ejusdem nostri Redemtoris accepimus: *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Et hæc itaque ab Jesu petere, non est errare, si tamen non nimie petantur.

Matt. 6. 33.

CAPUT XLVI.

Johan. 16. 25.

Palam de Patre annuntiabo vobis.

De cognitione divina. In exposit. B. Job, lib. 30. num. 17.

INFIRMITATI nostræ Dominus non aperta specie majestatis suæ, sed prædicatorum suorum loquitur voce, & corda adhuc carnalia carnis lingua pulsat: ut tanto facilius insuesa percipiant, quanto ea per sonitum consuetæ vocis audiunt. At postquam per mortem in pulverem caro resolvetur, & per resurrectionem pulvis animabitur, tunc de Deo audire verba non quæremus: quia unum ipsum quod implet omnia, jam per speciem Dei verbum videbimus, & ultra a doctoribus vitæ prædicationem accipere non requiremus; tunc quippe implebitur, quod per Jeremiam Dominus dicit: *Non docebit ultra vir proximum suum, & vir patrem suum, dicens: Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, dicit Dominus.* Cum ergo nobis post resurrectionem Dominus ostendetur per speciem, tunc semetipsum quomodo omnibus creaturis præsit, nobis insinuabit; ac tunc detersa nostræ mentis caligine, clara se visione manifestabit; & tunc implebitur quod in Evangelio dicit ipsa Veritas: *Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis.* Filius enim de Patre palam annuntiat, quia per hoc quod verbum est, ex natura nos divinitatis illustrat. Palam itaque de Patre annuntiare se asserit, quia per patefactam tunc majestatis suæ speciem, & quomodo ipse Genitori non impar oriatur, & quomodo utrorumque Spiritus utrique coæternus procedat, ostendit. Aperte namque tunc videbimus quomodo is, qui oriundus est, ei de quo oritur, subsequens non est, quomodo is qui per processionem producitur, a proferentibus non præitur. Aperte tunc videbimus, quomodo & unum divisibiliter tria sint, & indivisibiliter tria unum.

Jerem. 31. 34.

CAPUT XLVII.

Jesus sciens quæ ventura erant super eum, processit, & dixit: Quem quæritis.

Johan. 18. 4.

De passione Domini atque potentia. In exposit. B. Job, lib. 18. num. 17.

QUAM incomprehensibilis sit, & inconsiderabilis illa magnitudo, qua in secunda Dominus ostensione venturus est, bene utrumque perpendimus, si primi adventus pondera sollicita consideratione pensamus. Certe ut nos a morte redimeret, mori Dominus venit, & defectum carnis nostræ in suo corpore, pœnasque toleravit, qui priusquam ad crucis patibulum perveniret, teneri, conspui, illudi, alapis cædi se pertulit. Ecce ad quanta venire propter nos probra consensit, & tamen priusquam se teneri permitteret, persecutores suos requisivit, dicens: *Quem quæritis?* Cui illico responderunt: *Jesum Nazarenum.* Quibus cum repente diceret: *Ego sum*, vocem solummodo mitissimæ responsionis edidit, & armatos persecutores suos protinus in terram stravit. Quid ergo facturus est, cum judicaturus venerit, qui in una voce hostes suos perculit, etiam cum judicandus venit? quod est illud judicium, quod immortalis exerit, qui in una voce ferri moriturus non potuit? Quis ejus iram tolerat, cujus & ipsa non potuit mansuetudo tolerari? Nemo quippe celsitudinis ejus terrorem ferre poterit, cum adventus secundi potentia per ignem judicium exercens, in suæ potestatis majestate canduerit.

CAPUT XLVIII.

Adducunt ergo Jesum a Caipha in prætorium ad Pilatum.

Johan. 18. 28.

De invidia Judæorum. In exposit. B. Job, lib. 27. num. 49. Isa. 35. 9.

CONTRA antiquum hostem Prophetæ vocibus de sancta Ecclesia in antiquo statu restauranda promittitur: *Et mala bestia non ascendet per eam.* Antiquus quippe hostis nomine bestiæ accipitur, qui deceptionem primi hominis sævus impetiit, & integritatem vitæ illius male suadendo laniavit. Hæc bestia omnium reproborum corda possidet, ea per occultam malitiam quasi proprium antrum tenet, & ad omne quod nocere bonis appetiit, in eorum se obscuris mentibus abscondit. An Judæorum persequentium corda

da antrum hujus bestiæ non ferunt, in quorum diu consiliis latuit, sed repente vocibus eripuit clamantium : *Crucifige, crucifige* ? (Johan. 19.6.) Et quia ad lacerationem mentis pertingere tentando non potuit, in Redemtore nostro ad mortem anhelavit. Hæc nimirum bestia, & electorum corda tenuit, sed hanc ab illis moriens agnus excussit. Unde & in Evangelio dicit : *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*. (Johan 12.31 Ibid. n. 50.) Intrare quippe in mentes bonorum potest, sed in eis morari non potest : quia cor justi hujus bestiæ antrum non est. (Ibid. post multa.) Huic nimirum bestiæ impulsu subitæ formidinis victus, januam cordis negando Petrus aperuit : sed citius cognoscendo restitit, flendo clausit. Judæorum autem persequentium corda non solum intrando hæc bestia tenuit, sed etiam tenendo, & immorando possedit : quia & prius in eis cogitationes usque ad iniqua desideria, & post iniqua desideria usque ad nequissima opera perduxit. Quantum namque in eorum mentibus demorata sit, discimus, cum illorum consilia attestatione narrationis Evangelicæ audimus. In illa namque describitur, cum Redemtorem nostrum vivificare mortuos cernerent, in ejus morte crudelitatis anxietate insanirent : quot explere contra illum prava desideria ardenter vellent, sed populum timerent : quot occasiones occidendi quærerent, & invenire non possent : quot ad votum suæ nequitiæ manibus alienigenarum usi sunt : quoniam eum, legaliter interimere ipsi non poterant, feriendum Gentibus tradiderunt : ut ex sola potestate Præses Romanus ageret, quod ipsi ex sola malitia anhelarent ut agi debuisset. Invidiæ quippe malitia pleni fuerant, qui visis miraculis invidentes, dicebant : *Ecce mundus totus post eum vadit*. (Johan. 12.19 Ibid. n. 52.) Conspiciebant signa, cernebant per ministros ejus miracula, totum jam mundum fidei prævidebant secuturum prædicamenta : a Judæis igitur invidentibus surrexit malitia persequens, & a Gentilibus potestas premens. (Ibid. n. 51.) Neque enim miracula fieri legis præcepta vetuerant, & tamen Judæi pro eisdem miraculis interimere generis humani Redemtorem quærebant. Unde hoc quod cœperant, explere non valentes, ad Pilati prætorium concurrerant, ut ipse hunc perimeret, quem injuste perimere lex nulla cohiberet. Quod autem ex invidia Judæa petiit, hoc Gentilis judex ex auctoritate Romana perpetravit.

CAPUT XLIX.

Ingressus prætorium Pilatus, dicit ad Jesum : Unde es tu ? Jesus autem responsum non dedit ei, &c. (Johan. 18.33)

(De constantia Redemtoris. In exposit. B. Job, lib. 22. num. 40. & 41)

IN hac vita qui nulla prospera appetit, nulla adversa proculdubio pertimescit ; & nequaquam terret illum exterius numerus hominum, quem non devastat interius turba vitiorum. Unde Redemtor noster ad multitudinem nimiam non expavit, qui persecutores suos cum gladiis & fustibus venientes, una tantum responsione perculit, dicens : *Ego sum*. (Johan. 18.6.) Ipsum etiam contemtus, & despectio propinquorum non terruit, qui nos ab æternis suppliciis liberans, in facie palmas æquanimiter accepit. Ipse tacuit, & qui esset non ostendit, qui sub ipsa jam hora passionis cum humanitatis infirma pateretur, divinitatis potentiam exercere noluit. Mediator quippe Dei & hominum, qui esset, apparuisset, si cum teneretur ut homo, majestatis suæ potentiam voluisset ostendere, & per divinitatis magnitudinem susceptæ carnis infirma transire ; ut enim apertius homo mori posset, Deus mansit occultus : *Quia si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent*. (1. Cor. 2. 8.) Requisitus corpus passioni obtulit, quod pro electis assumserat, & resistentibus noluit demonstrare quod erat. Infirmitatem persecutoribus suis prodidit, potentiam vero suæ majestatis, & divinitatis occultavit.

CAPUT L.

Non haberes in me potestatem, nisi tibi data esset desuper. (Johan. 19.11)

(De utilitate & æqualitate dominicæ passionis. In exposit. B. Job, lib. 3. nu. 28. & 29.)

SATANÆ membra sunt omnes qui ei, perverse vivendo, junguntur. Membrum quippe ejus Pilatus extitit, qui usque ad mortis extrema venientem in redemtionem nostram Dominum non cognovit. Corpus ejus Sacerdotum Principes extiterunt, qui Redemtorem mundi a mundo repellere, usque ad crucem persequendo conati sunt. Membra illius extiterunt qui juxta prophetiæ vocem dicunt : *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium*. (Jerem. 11.19) Lignum quippe in panem ejus mittere, est configendo ejus corpori stipitem crucis adhibere ; & vitam illius de terra viventium eradicare se posse æstimant ; quem dum mortalem conspiciunt, finiri morte suspicantur. Cum ergo se pro nostra redemtione Dominus membrorum satanæ manibus tradidit, quid aliud quam ejusdem satanæ manum in se sævire permisit, ut unde ipse exterius occumberet, inde nos exterius interiusque liberaret ? Potestatem itaque corporis satanæ usque ad sputa, colaphos, flagella, crucem, lanceamque tolevit. Unde & Pilato ejus videlicet corpori, ad passionem veniens, dicit : *Non haberes in me potestatem, nisi tibi data esset desuper*. (Johan. 19.11) Sed tamen hanc potestatem, quam contra se ei extrinsecus dederat, suis servire lucris intrinsecus compellebat. Pilatus enim vel satan, qui ejusdem Pilati caput extiterat, sub potestate illius, super quem potestatem acceperat, tenebatur : & superior ipse disposuerat hoc quod inferius accedens a persecutore tolerabat ; ut cum ex mala mente infidelium surgeret, utilitati tamen electorum omnium ipsa quoque crudelitas deserviret. Pie igitur disponebat intus, quod semetipsum pati nequiter pertimebat foris. Hinc est enim quod de illo in cœna dicitur : *Sciens Jesus, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia a Deo exivit, & ad Deum vadit, surgit a cœna, & ponit vestimenta sua*. (Johan. 13.3.) Ecce in manus persequentium iturus, sciebat quod in manu sua ipsos etiam persecutores acceperat. Qui enim omnia accepisse se noverat, constat quia ipsos, a quibus tenebatur, tenebat, ut in se ipse ad usum pietatis intorqueret, quidquid eorum circa se malitia permissa sæviret.

CAPUT LI.

Susceperunt autem Jesum a Pilato sibi traditum, & educentes in eum, qui dicitur Calvariæ locum, ubi eum crucifixerunt. (Johan. 19.17)

(De perfidia Judæorum. In exposit. B. Job, lib. 1. num. 30.)

ANTIQUUS ille Judæorum populus, qui fidelis esse Deo videbatur, reprobatus corde, repulsus est ; ut sua perfidia deceptus, contra ipsum post insurgeret, quem ante prædicavit. Summi quippe Sacerdotes & Seniores populi,

suo

suo consilio ei conabantur obsistere, quem prius prædicabant venturum esse. Cumque nomen ejus persequendo molirentur extinguere, decepti sua malitia per invium frustra conabantur incedere: quia eorum crudelitati via non poterat patere contra auctorem omnium. Terrebantur quidem, cum auctoris omnium tot miracula cernerent, virtutes viderent; sed credere renuentes, adhue
Johan. 6. 30. signa requirebant, cum dicerent: *Quod ergo tu facis signum, videamus; ut & credamus tibi quid operaris?* Aliquando etiam ostendebantur credere,
Johan. 9. 33. cum dicerent: *Nisi hic esset a Deo, non poterat facere quidquam.* Aliquando vero hunc a Deo
Matt. 13. 55. esse denegabant, cum despicientes dicerent: *Nonne hic est fabri filius: nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas: & sorores ejus nonne omnes apud nos sunt?* Videbant quippe suscitare eum mortuos, & tamen esse mortalem. Quis non crederet Deum, quem conspiciebant suscitare mortuum? Sed rursum cum hunc mortalem conspicerent, despiciebant credere hunc esse Deum immortalem. Per hoc ergo quod omnipotens Deus talem se eorum oculis exhibuit qui posset & divina ostendere & humana pati, errare eos quasi ebrios fecit. Omnis quippe qui errat, nunc huc nunc illuc ducitur, ut eorum superbia, quæ incarnationis ejus mysterium despicere maluit quam sequi, & se extolleret contra ejus humanitatem, & divinitatis ejus
In exposit. B. Job. lib. 9. num. 44. potentiam miraretur intus lucentem. Tandem igitur ministri, manusque diaboli facti sunt, quia in Redemtoris nostri morte grassati sunt. Antiquus quippe hostis Redemtoris mentem corrumpere per se tentando non valuit, sed ejus carnem per suos satellites ad triduum permissus extinxit: & dispensationi supernæ pietatis, nesciens ex hac ipsa permissione servivit. Tribus etenim Redemtorem nostrum tentationibus pulsans, cor Dei temerare non valuit: sed cum Judæ mentem ad carnis ejus mortem excitavit, cumque ei cohortem, atque a Pontificibus & Pharisæis ministros tradidit, nimirum ipse diabolus ad carnem ejus manus extendit. Satellites enim ejus & ministri, Sacerdotes & Principes, Pilatus atque milites illusores fuerunt, quorum vultum & corda operuit, & excæcavit: & ne suum auctorem cognoscerent, malitiæ nubilo velavit. Vultus quippe ministrorum ejus opertus extitit: quia mens persequentium eum, quem carne tenere potuit, Deum nec per
2. Cor. 3. 15. miracula agnovit. Unde per Paulum dicitur: *Usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen*
1. Cor. 2. 8. *est positum super cor eorum.* Qui rursus ait: *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

CAPUT LII.

Johan. 19. 30. *Et inclinato capite Jesus emisit spiritum.*

De vera morte & umbra mortis.

In exposit. B. Job, lib. 4. num. 31.

SICUT vera mors est, qua anima separatur a Deo, ita umbra mortis est, qua caro separatur ab anima. Mediator autem Dei & hominum solam pro nobis mortem carnis suscepit, & veram mortem delinquentium per umbram suæ mortis delevit. Ad nos quippe venit, qui in morte spiritus carnisque tenebamur: unam ad nos suam mortem detulit, & duas nostras quas reperit, solvit. Si enim ipse utramque susciperet, nos a nulla liberaret: sed unam misericorditer accepit, & utramque juste damnavit. Simplam suam duplæ nostræ contulit, & duplam nostram moriens subegit. Unde & non immerito uno die in sepulcro, & duabus noctibus jacuit: quia videlicet lucem suæ simplæ mortis tenebris duplæ nostræ mortis adjunxit. Qui ergo solam pro nobis mortem carnis accepit, umbram mortis pertulit, & a Dei oculis culpam quam fecimus, abscondit. Ut igitur nos a morte carnis & spiritus debitores eriperet, mortem carnis Dominus non debens solvit.

CAPUT LIII.

Oportebat Christum resurgere a mortuis. Johan. 20. 9.

UNIVERSUM hoc tempus septem diebus evolvitur, æterna vero dies octava est, quæ expleta septem dierum vicissitudine sequitur. Per octonarium quippe numerum resurrectio & gaudium futuræ beatitudinis significatur. Hujus octonarii numeri causa est quod post Sabbatum voluit Dominus a morte resurgere. Dies quippe Dominicus, qui tertius est a morte Dominica, a conditione dierum numeratur octavus, quia septimum sequitur. Unde & ipsa vera Redemtoris nostri passio, & vera resurrectio, figuravit aliquid de suo corpore in diebus passionis suæ. Sexta enim feria passus est, Sabbato quievit in sepulcro, Dominico autem die resurrexit a morte. Præsens enim vita nobis adhuc sexta est feria, quia in doloribus ducitur, & in angustiis cruciatur; sed Sabbato quasi in sepulcro quiescimus; quia requiem animæ post corpus invenimus. Dominico vero die, videlicet a passione tertio, a conditione, ut diximus, octavo, jam corpore a morte resurgemus, & in gloria animæ etiam cum carne gaudebimus. Quod ergo mire Salvator noster in se fecit, hoc veraciter in nobis signavit: ut & nos & dolor in sexta, & requies in septima, & gloria excipiat in octava.

De resurrectione Domini.

Lib. 2. in Ezech. ho. 4. num. 2.

CAPUT LIV.

Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Johan. 20. 2.

ALIQUANDO Scriptura sacra totum pro parte consuevit ponere, sicut hic ad monumentum Maria conqueritur, dicens: *Tulerunt Dominum meum.* Solum quippe Dominicum corpus in monumento jacuerat, & illud solum Maria quæsitura venerat. Dum ergo quasi totum simul Dominum sepultum deplorabat, & non corpus Domini, sed Dominum sublatum quærebat, videlicet ex toto partem significabat.

Quod Scriptura sacra totum pro parte ponat.

In exposit. B. Job, lib. 3. num. 22.

CAPUT LV.

Cum esset sero die illo una Sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, & stetit in medio eorum. Johan. 20. 19.

POST Domini passionem Apostoli pro mentis teneritudine, & formidinis infirmitate, clausis foribus residebant. Cum enim nequaquam contra membra diaboli in voce liberæ prædicationis exurgerent, & necdum post passionem Domini, sancti Spiritus infusione solidati, Redemtorem suum auctoritate firma prædicarent, adhuc contra adversarios suos, quasi in antris insidiabantur. Clausis quippe foribus, quasi in quibusdam ab-

De Apostolis.

In exposit. B. Job, lib. 30. num. 24.

abditis specubus suis catuli rapturi mundum cubabant, ut animarum prædam postmodum præsumentes diriperent. De quibus tunc certum est quod mundi impetum etiam sibimetipsis latendo formidarent. Illis foribus clausis, isti catuli mortem nostræ mortis insidiati quæsierunt, ut culpam interficerent, omnemque in nobis peccati vitam necarent. Horum primo illi esurienti catulo, sed jam valenti, ostensa per linteum Gentilitate, quasi monstrata præda dicitur: *Macta & manduca*: his catulis velut adhuc infirmis, ut in antris cubare debeant, jubetur, cum eis voce dominica dicitur: *Sedete hic in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto*. Apostoli enim recte catuli sanctæ Ecclesiæ vocari possunt, qui in Ecclesia editi adversantem mundum ore & prædicatione sua rapuerunt.

Act. 10. 13. *Luc. 24. 49.*

CAPUT LVI.

Johan. 20. 23.

Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.

De gratia Spiritus sancti. In expos. B. Job, lib. 27. num. 34.

QUOS sancti Spiritus replet gratia, prius eos de terrena actione terrificat, & postmodum spe cælestium consolatur: ut tanto post confitendo de præmiis gaudeant, quanto prius sola supplicia conspiciendo metuebant. Cum igitur sancti Apostoli nequaquam contra membra diaboli in vocem liberæ prædicationis assurgere, & necdum per passionem Domini sancti Spiritus infusione solidati, Redemtorem suum auderent auctoritate firma prædicare; & pro mentis teneretudine & formidinis una Sabbatorum clausis foribus propter metum Judæorum, residentes metuerent exire; veniens Dominus & stans in medio eorum insufflavit, & dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*. Ecce conversorum terror vertitur in potestatem: quia cum mala sua pœnitendo puniunt, usque ad exercendum judicium ascendunt: ut hoc in Deo posse accipiant, quod prius ipsi de Deo metuebant. Judices quippe fiunt, qui supernum judicium perfecte timuerunt: & aliena peccata dimittere jam incipiunt, qui prius ne sua retinerentur, formidaverunt. Libet autem intueri, fratres carissimi, discipuli Domini ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ sint perducti. Ecce non solum de semetipsis securi fiunt, sed etiam obligationis alienæ potestatem relaxationis accipiunt: principatum superni judicis sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. Sic sic eos a Deo decebat erigi, qui tantum pro Deo consenserant humiliari. Ecce qui districtum Dei judicium metuunt, animarum judices fiunt; ut alios damnent vel liberent, qui semetipsos damnari metuebant.

Hom. 26. in Evang. n. 4

CAPUT LVII.

Johan. 21. 12.

Venite, & prandete.

De æterna refectione cælestis patriæ. Hom. 24. in Evang. n. 6

RESURGENS Dominus, apparens ultimo jam convivio cum septem discipulis comedisse describitur, quia hi, qui in illo nunc perfecti sunt, æterna per illum refectione satiantur. Petrus quippe & Thomas, Nathanael, filii Zebedæi, & alii ex discipulis ejus duo, cum eo fuisse memorantur. Cur autem cum septem discipulis ultimum convivium celebrat, nisi quod eos tantummodo qui septiformi gratia sancti Spiritus pleni sunt, futuros secum in æterna refectione denuntiat? Septem quoque diebus omne hoc tempus evolvitur, & sæpe septenario numero perfectio designatur. Illi ergo ultimo convivio de præsentia veritatis epulantur, qui nunc perfectionis studio terrena transcendunt, quos amor hujus mundi non ligat; quibus etsi utcumque per tentamenta obstrepit, cœpta tamen eorum desideria non retundit. De hoc extremo convivio alibi per Johannem dicitur: *Beati qui ad ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt*. Idcirco enim non ad prandium, sed ad cœnam vocatos narrat, quia nimirum in fine diei convivium cœna est. Qui ergo finito præsentis vitæ tempore ad refectionem supernæ contemplationis veniunt, non ad agni prandium, sed ad cœnam vocantur. Quæ videlicet cœna hoc ultimo convivio exprimitur, cui septem discipuli adesse memorantur: quia illos, ut diximus, tunc interna refectio reparat, qui pleni nunc septiformi gratia in amore spiritus anhelant. Hanc refectionem bonus Pastor ovibus suis vocem suam audientibus, & se sequentibus promittit, dicens: *Per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet*. Ingredietur quippe ad fidem, egredietur vero a fide ad speciem, a credulitate ad contemplationem: pascua autem inveniet in æterna refectione. Oves ergo ejus pascua invenient: quia quisquis illum corde simplici sequitur, æternæ viriditatis pabulo nutritur. Quæ sunt autem istarum ovium pascua, nisi interna sempiternæ vitæ paradisi gaudia? Pascua namque electorum sunt vultus præsens Dei, qui dum sine defectu conspicitur, sine fine mens cibo satiatur. In istis pascuis de æternitatis satietate læti sunt, quique jam laqueos voluptuosæ temporalitatis evaserunt. Ibi hymnidici Angelorum chori: ibi societas supernorum civium: ibi dulcis solemnitas a peregrinationis hujus tristi labore redeuntium: ibi providi Prophetarum chori: ibi judex Apostolorum numerus: ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus, tanto illic lætior, quanto hic durius afflictus: ibi Confessorum constantia præmii sui perceptione consolata: ibi fideles viri, quos a virilitatis suæ robore voluptas seculi non potuit emollire: ibi sanctæ mulieres, quæ cum seculo & sexum vicerunt: ibi pueri, qui hic annos suos moribus transcenderunt: ibi senes, quos hic & ætas debiles reddidit, & virtus operis non reliquit. Quæramus ergo, fratres, hæc pascua, in quibus cum tantorum civium solemnitate gaudeamus, ipsa nos lætantium festivitas invitet. Ecce in cælestibus electorum civium lætitia agitur, de se vicissim omnes in suo conventu gratulantur, & tamen nos ab amore æternitatis tepidi, nullo desiderio ardemus, interesse tantæ solemnitati non quærimus, privamur gaudiis, & læti sumus. Accendamus igitur animum, fratres; recalescat fides in id quod credidit; inardescant ad superna desideria nostra; & sic amare, jam ire est. Ab internæ solemnitatis gaudio nulla nos adversitas revocet, nulla nos prosperitas blandiens seducat. Toto ergo desiderio ad supernam patriam animus anhelet: nihil in hoc mundo appetat, quod constat quia citius relinquat; ut si cælestis Pastoris veraciter oves sumus, quoniam in vitæ delectatione non figimur, æternis pascuis in perventione satiemur. Hæc ergo, fratres, nobiscum agamus, septiformis sancti Spiritus gratia repleri desideremus: quid nos in futurum

Apoc. 19. 9. *Johan. 10. 9. Hom. 14. in Evang. n. 5.* *Num. 6.* *Hom. 94. in Evang. n. 6.*

tum sequi possit, ex præsenti perpendamus. Pensemus si sancto Spiritu pleni sumus, & sic noscimus si ad æternæ pascua refectionis, si ad illud ultimum convivium pervenire valeamus. Quisquis enim ille est, quem nunc Spiritus iste non reparat, profecto ab illa æterni convivii refectione jejunat. Meminisse debemus quid de eodem
Rom. 8. 9. Spiritu dicat Paulus Apostolus: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Quasi quidam titulus divinæ possessionis est iste Spiritus amoris. Numquidnam Spiritum Christi habet is, cujus mentem odia dissipant, elatio inflat, ira usque ad divisionem mentis exasperat, avaritia cruciat, luxuria enervat? Pensare debemus quis sit Christi Spiritus: profecto ille qui facit amicos & inimicos diligi, terrena despici, pro cælestibus æstuari, carnem propter vitia conteri, mentem a concupiscentiis frenari. Si ergo volumus cognoscere possessiones Dei, personam perpendamus possessoris nostri. Ecce enim quod diximus,
Ibidem. voce veridica Paulus clamat: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Ac si aperte dicat: Qui nunc Deo inhabitante non regitur, de divinæ claritatis specie postmodum non lætatur. Sed nos tamen qui ad hæc, quæ dicta sunt, infirmamur, necdum culmen perfectionis attingimus, in via Dei quotidie sancti desiderii gressus ponamus. Consolatur nos Veritas, quæ per
Psal. 138:16. psalmistam dicit: *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Non omnino erit nobis noxia imperfectio nostra, si in Dei itinere constituti, & ad transacta non respicimus, & ad ea quæ restant, transire festinamus. Nam quem imperfectorum desideria indignanter inflammant, hunc quandoque ad perfectionem Dominus noster Jesus Christus roborat: qui pro peccatoribus carnem sine peccato assumens, de cælis ad terras descendit: & pro humano genere, quod pro culpa primi parentis morti perpetuæ fuerat obnoxium, qui morti nihil
Homil. 25. in Evang. n. 9. debebat, occubuit. Hinc est quod nos quotidie ad vitam post culpas revertimur, quoniam ad pœnam nostram Conditor sine culpa descendit. Ecce jam antiquus hostis ea quæ de humano genere spolia ceperat, amisit: & quos jure tenebat, mortales perdidit: quoniam eum, in quo jus non habuit, morte appetere immortalem præsumsit. Quotidie peccatores ad vitam revertuntur, & post perpetratas culpas ad innocentiam per pœnitentiæ remedium convertuntur. Adest testis divinæ misericordiæ Maria Magdale-
Ibid. n. 10. ne, de qua Pharisæus dum pietatis fontem vellet obstruere, dicebat: *Hic si esset Propheta, sciret utique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum,*
Luc. 7. 39. *quia peccatrix est.* Sed lavit lacrymis maculas cordis & corporis, & Redemtoris sui vestigia tersit, quæ itinera sua prava dereliquit. Sedebat ad pedes Jesu, verbumque de ore illius audiebat, viventi adhæserat, mortuum quærebat, viventem reperit quem mortuum quæsivit. Tantumque apud eum locum gratiæ invenit, ut illum viventem ipsis quoque Apostolis, ejus videlicet nuntiis, ipsa nuntiaret. Quid itaque, fratres, quid in hac re debemus aspicere, nisi immensam misericordiam Conditoris nostri? Qui nobis, velut in signo, exemplum pœnitentiæ posuit eos, quos per pœnitentiam vivere post lapsum fecit. Perpendendo etenim Petrum, considero latronem, aspicio Zachæum, intueor Mariam, & nihil in his aliud video, nisi ante oculos nostros posita spei & pœnitentiæ exempla. Fortasse enim in fide
Matt. 26. lapsus est aliquis; aspiciat Petrum qui amare fle-

A vit, quod timide negaverat. Alius contra proximum suum in malitia crudelitatis exarsit; aspi- Luc. 23.
ciat latronem, qui ipso mortis articulo ad vitæ præmia pœnitendo pervenit. Alius avaritiæ æsti- Luc. 19.
bus anhelans aliena diripuit; aspiciat Zachæum, qui si quid alicui abstulit, quadruplum reddidit. Alius libidinis igne succensus, carnis munditiam Luc. 7
perdidit; aspiciat Mariam quæ in se amorem carnis igne divini amoris excoxit. Ecce omnipotens Deus ubique nostris oculis, quos imitari debeamus objicit, ubique exempla suæ misericordiæ opponit. Mala ergo jam displiceant vel experta. Libenter obliviscitur Deus, quod nocentes fuimus: paratus est nostram pœnitentiam deputare nobis ad innocentiam. Inquinati igitur post aquas
B salutis, renascamur ex lacrymis. Itaque juxta primi Pastoris vocem: *Sicut geniti infantes, lac concupiscite*, redite parvuli filii ac sinum nostræ 1. Petr. 2. 2.
matris æternæ sapientiæ, sugite larga ubera pietatis Dei: & si transacta plangitis, imminentia vitetis. Redemtor enim noster momentaneos fletus nostros æterno consolabitur gaudio.

CAPUT LVIII.

Simon Johannis, amas me? Johan. 21. 15

SUNT nonnulli qui eximia virtutum dona percipiunt, & pro exercitatione ceterorum magnis muneribus exaltantur, qui studio castitatis De culmine regiminis. Regul. Past. part. 1. c. 5.
C mundi, abstinentiæ robore validi, doctrinæ dapibus referti, patientiæ longanimitate humiles, auctoritate fortitudinis erecti, pietatis gratia benigni, justitiæ severitate districti sunt. Qui nimirum culmen regiminis si vocati suscipere renuunt, ipsa sibi plerumque dona adimunt, quæ non pro se tantummodo, sed etiam pro aliis acceperunt. Cum sua & non aliorum lucra cogitant, ipsi se quæ parata appetunt habere, bonis privant. Hinc namque veritas ad discipulos dicit: *Non potest civitas abscondi super montem posita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Hinc Matt. 5. 14.
Petro ait: *Simon Johannis, amas me?* Qui cum se eum amare protinus respondisset, audivit: *Si di-*
D *ligis me, pasce oves meas.* Si ergo dilectionis est testimonium cura passionis, quisquis virtutibus pollens, gregem Dei renuit pascere, Pastorem summum convincitur non amare. Beato ergo Petro primo Pastori, Dominus noster bonus Pastor, ante passionem suam dans claves regni cælestis, ait: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris* Matt. 16.19
super terram, erit solutum & in cælis. Post resurrectionem vero suam, eamdem ligandi & solvendi potestatem communiter discipulis cum beato Petro commisit, dicens: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Johan. 20. 23
Horum profecto nunc in Ecclesia Episcopi, & ceteri Pastores locum tenent: solvendi & li-
E gandi suscipiunt auctoritatem, qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor, sed grave pondus istius est honoris. Durum quippe est, ut Homil. 26. in Evang. n. 5
qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, judex vitæ fiat alienæ. Et plerumque contingit, ut hic judicii locum teneat, cui ad locum vita minime concordat: ac sæpe agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat: sæpe erga quoslibet odio vel gratia movetur, & in illis solvendis ac ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur; unde

fit

fit ut ipsa ligandi & solvendi potestate se privet, qui hanc pro sua voluntate, & non pro subjectorum moribus axercet. Sub magno igi-
Num. 6.
tur moderamine Pastores Ecclesiæ vel solvere studeant, vel ligare: sed utrum juste an injuste obliget Pastor, Pastoris tamen sententia gregi timenda est; ne is qui subest, & cum injuste forsitan ligatur, ipsam obligarionis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo, vel absolvere indiscrete timeat, vel ligare. Is autem qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel injuste, nec Pastoris sui judicium temere reprehendat: ne etsi injuste ligatus est, ex ipsa temerariæ reprehensionis superbia, culpa quæ non erat, fiat.

CAPUT LIX.

Johan. 21. 18.
Cum senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget.

De metu mortis, & gaudio resurrectionis. In expos. B. Job, lib. 31. num. 69.
FORTIS quisque prædicator cum certamen passionis sibi propinquare considerat, de exercitio virtutis exultat; nec terretur pugnæ periculo, quia victoriæ lætatur triumpho. Sed si prædicator fortis gloriam passionis appetit, si discrimen mortis subire pro Domino lætus quærit, quid est quod ipsi fortissimo prædicatori, qui ex robusto corde virtutem traxit in nomine, Petro veritas dicit: *Cum senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo non vis?* C Quomodo de passione gaudet, qui cinctus ab alio ire quo ducitur, non volet? Sed si pensamus qualiter animus appropinquante passione & mortis metu quatitur, & tamen de venturo regni præmio lætatur, intelligimus quomodo gloriosi certaminis subire periculum volens nolit: quia & in morte considerat, quod tolerans paveat: & in fructu mortis aspicit, quod appetens quærat. Neque enim si plenissime Petrus nollet,
Homil. 3. in Evang. n. 5.
pro Christo pati potuisset; sed martyrium, quod per infirmitatem carnis noluit, per virtutem spiritus amavit. Qui dum per carnem ad pœnas trepidat, per spiritum ad gloriam exultat: actumque est ut cruciatum martyrii noleodo voluisset, sicut nos quoque cum gaudium quærimus salutis, D amarum poculum sumimus purgationis. Amaritudo quidem in poculo displicet, sed restituenda per amaritudinem salus placet. Videamus Pau-
In expos. B. Job, lib. 31. num. 70. Philip. 1. 23.
lum quomodo amet quod refugit, quomodo refugiat quod amat, ait enim: *Desiderum habens dissolvi, & cum Christo esse: & mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* Et tamen dicit:
2 Cor. 5. 4.
Qui sumus in hoc habitaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita. Ecce & mori desiderat, & tamen exspoliari carne formidat. Cur hoc? Quia etsi victoria in perpetuum lætificat, ipsa nihilominus ad præsens pœna turbat. Et quamvis vincat amor subsequentis muneris, tangit tamen non sine mœrore animum pulsus doloris. Sicut E enim vir fortis cum vicino jam belli certamine armis accingitur, palpitat, & festinat, & tremit, & sævit, quasi pavere per pallorem cernitur, sed per iram vehementer urgetur: ita vir sanctus cum propinquare passioni se conspicit, & naturæ suæ infirmitate concutitur, & spei suæ soliditate roboratur: & de vicina morte trepidat, & tamen quod moriendo verius vivat, exultat. Ad regnum quippe non potest, nisi interposita morte transire, & idcirco confitendo quasi ambigit; & quasi A ambigendo confidit, & gaudens metuit, & metuens gaudet: quia scit quod ad bravium quietis non perveniat, nisi hoc quod interjacet, cum labore transcendat. Sic nos cum morbos a corpore repellere cupimus, tristes quidem, ut supra diximus, amarum purgationis poculum sumimus, certi vero de subsequenti salute gaudemus. Quia enim pervenire corpus aliter ad salutem non valet, in potu libet etiam quod tædet. Cumque amaritudini inesse vitam animus conspicit, mœrore turbatus hilarescit. Bene ergo Dominus beato Petro prædicatori suo fortissimo post resurrectionem suam de futura ejus passione prædixit: *Cum senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo non vis:* quoniam etsi ut ho-
B mo ad vim persecutionis & mortis trepidavit, per spei tamen certitudinem ad præmium remunerationis exultat: quoniam erat vis interior amoris, quæ dolorem vinceret carnis. Nos igitur, fratres carissimi, Redemtorem nostrum pro nobis passum, & mortuum vere resurrexisse scientes, & nos quoque in futuro resurrecturos, & ei de nostris actibus rationem reddituros certissime credentes, beatum Petrum imitantes, inquantum possumus, adversitates & hujus mundi persecutiones pro vitæ perennis gloria patienter & gaudenter sustineamus. Despiciamus cuncta præ-
Homil. 5 in Evang. n. 4.
sentia, nulla etenim sunt in hoc mundo, quæ transire possunt. Turpe sit diligere quod constat citius perire. Non nos terrenarum rerum amor C superet, non superbia inflet, non ira dilaniet, non luxuria polluat, non invidia consumat. Amore nostro, fratres carissimi, Redemtor noster occubuit, & nos amore ejus discamus vincere nosmetipsos. Quod si perfecte agimus, non solum imminentes pœnas evadimus, verumetiam cum beato Petro & ceteris martyribus communi gloria remuneramur. Nam quamvis occasio desit persecutionis, habet tamen pax nostra martyrium suum: quia etsi carnis colla ferro non subdimus, spiritali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidamus. Vitam igitur vestram, fratres, mo-
Homil. 26. in Evang. n. 10. verbis sæpe inversis.
resque componite: is qui mitis resurrexit ex morte, quam districtus in judicio veniet, prævidete. Certe in die tremendi examinis sui cum An- D gelis, cum Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cum Principatibus & Potestatibus apparebit, cælis ac terris ardentibus, cunctis videlicet elementis in sui obsequii terrore commotis. Hunc ergo tanti pavoris judicem ante oculos ponite, hunc venturum timete, ut hunc cum venerit, non timidi, sed securi videaris. Timendus est enim ne timeatur; terror ejus nos ad usum bonæ operationis exerceat, metus illius vitam nostram a pravitate compescat. Mihi, fratres, credite: quia tanto tunc erimus securi de ejus sententia, quanto nunc esse satagimus suspecti de culpa. Si autem tanta cura pertimescitur judicium cujuslibet potentis qui futurus est post hominem vermis, post vermem abjectissimus pulvis, qua intentione cogi- E tandum est, qua formidine providendum tantæ judicium majestatis? Hoc ergo, fratres carissimi, tota intentione pertimescite, hoc apud vos sollicita mente cogitate. Ecce solemnia dominicæ resurrectionis annue agimus, sed ita vivendum est nobis, ut ad æterna pervenire festa mereamur. Transeunt enim cuncta, quæ temporaliter celebrantur festiva. Curate, qui his solemnitatibus interestis, ne ab æterna solemnitate separemini. Quid prodest interesse festis hominum, si contingat deesse festis Angelorum? Umbra futuræ solemnitatis, est so-

lemnitas præsens & temporalis. Idcirco hanc annue agimus, ut ad illam quæ non est annua, sed continua, perducamur. Cum hæc statuto tempore geritur, ad illius desiderium memoria nostra refricatur. Frequentatione ergo gaudii temporalis ad æterna gaudia mens incalescat & ferveat; ut ex veritate lætitiæ perfruatur in patria, A quod de umbra gaudii meditatur in via, præstante Domino & Redemtore nostro Jesu Christo: Qui resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto in Trinitate perfecta vivit, & regnat Deus per infinita seculorum secula. Amen.

INCIPIUNT CAPITULA
DE ACTIBUS APOSTOLORUM.

1 *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, &c. Videntibus illis elevatus est, &c.* B
2 *Cumque intuerentur in cælum.*
3 *Judas possedit agrum de, &c.*
4 *Matthias loco Judæ statu tur.*
5 *Factus est repente de cælo sonus.*
6 *Replevit totam domum ubi erant.*
7 *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ.*
8 *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cæperunt loqui variis linguis.*
9 *Musto pleni sunt isti.*
10 *Petrus Judæos increpat.*
11 *Pœnitentiam agite.*
12 *De claudo quem Petrus curavit.*
13 *Obedire oportet Deo, &c.*
14 *De sancto Stephano.*
15 *Et testes deposuerunt.*
16 *De Simone Mago.*
17 *Pecunia tua tecum sit in perditione.*
18 *Saulus adhuc spirans.*
19 *Surge, & ingredere civitatem.*
20 *Erat quidam discipulus Damasci.*
21 *Vade quoniam vas electionis mihi est.*
22 *Ceciderunt ab oculis ejus tamquam squamæ.*
23 *Paulus multo magis convalescebat.*
24 *Paulus in sporta per murum dimittitur.*
25 *Erat Paulus cum discipulis.*
26 *Ænea, sanet te Dominus.*
27 *De Tabitha a sancto Petro resuscitata.*
28 *Cornelius vidit Angelum in visu.*
29 *Mitte viros in Joppen.*
C 30 *Quod animalia in linteo videntur a sancto Petro.*
31 *Petre, occide & manduca.*
32 *Ecce viri tres quærunt te.*
33 *Surge, ne feceris: & ego homo sum.*
34 *Non est personarum acceptor Deus.*
35 *De Paulo in Lystris lapidato.*
36 *Paulus Timotheum circumcidit.*
37 *Apostoli vetantur in Asia prædicare.*
38 *Mundus sum a sanguine omnium.*
D 39 *Agabus Paulo prophetat.*
40 *De spe & resurrectione mortuorum judicor.*

LIBER QUINTUS.

EXPOSITIO
SUPER ACTA APOSTOLORUM.

CAPUT PRIMUM.

Act 1. 1

Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere & docere usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum quos elegit, assumtus est; quibus & præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei, &c. E

Homil. 26. in Evang. maxime n. 7. & homil. 23 in princ.

RESURRECTIO Domini nostri Jesu Christi, dubitantibus discipulis, per multa argumenta monstrata est, quæ dum nos legentes agnoscimus, quid aliud quam de illorum dubitatione solidamur? Quod enim resurrectionem Dominicam tarde crediderunt, non tam illorum infirmitas, quam nostra, ut ita dicam, futura firmitas fuit. Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, mens nostra, omni dubitatione postposita, in fide solidatur. Discipulum quippe Dominus post resurrectionem suam dubitare permisit, nec tamen in dubitatione deseruit, ut dum in Magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis: & dum dubitando vulnerum cicatrices tangeret, de nostro pectore dubietatis vulnus amputaret. Ad insinuandam quoque veritatem Dominicæ resurrectionis notandum nobis est, quid Lucas subjungat dicens: *Et convescens præcepit eis, ab Jerosolymis ne discederent.* Et post pauca: *Videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Notare verba, signate mysteria. Convescens elevatus est, comedit & ascendit: ut videlicet per affectum comestionis veritas patesceret carnis. In veteri autem Testamento cognovimus quod Elias in cælum aereum, quod terræ est proximum, sit raptus & sublevatus, ut in secretam quamdam terræ regionem repente duceretur, ubi in magna jam carnis & spiritus quiete viveret, quousque ad finem mundi redeat, & mortis debitum solvat: ille enim mortem distulit, non evasit. Redemtor autem noster, quia

Homil. 29 in princ.

4 Reg. 2.

non

non distulit, superavit, eamque resurgendo consumsit, & resurrectionis suæ gloriam ascendendo declaravit. Notandum quoque est, quod Elias in curru legitur ascendisse, ut videlicet aperte demonstraretur, quia homo purus adjutorio indigebat alieno. Per Angelos quippe illa facta & ostensa sunt adjumenta: quia neque ad cælum quidem aereum per se ascendere poterat, quem naturæ suæ infirmitas gravabat. Redemtor autem noster non curru, non Angelis sublevatus legitur: quoniam is qui fecerat omnia, nimirum super omnia sua virtute ferebatur. Illo etenim revertebatur, ubi erat; & inde redibat ubi remanebat: quia cum per humanitatem ascenderat in cælum, per divinitatem suam, & terram pariter continebat & cælum. Sicut autem Joseph a fratribus venditus, venditionem Redemtoris nostri figuravit, sic Enoch translatus, & ad cælum aereum Elias sublevatus, ascensionem dominicam uterque designavit. Ascensionis ergo suæ Dominus prænuntios & testes habuit, unum ante Legem, alium sub Lege: ut quandoque veniret ipse, qui veraciter posset penetrare; unde & ordo ipse n eorum quocælos que utrorumque sublevatione per quædam incrementa distinguitur. Nam Enoch & per coitum genitus, & per coitum generans translatus: Elias vero per coitum genitus, sed non per coitum generans, ad cælum subvectus esse memoratur: ut veniret postmodum, qui neque per coitum generans, neque per coitum generatus, nec translatus, nec subvectus, cælum æthereum sua virtute penetraret. Qui nobis in se credentibus, quia carnis suæ quoque munditiam largiretur, & sub eo per incrementa temporum, virtus castitatis excresceret. *

Ibid. n. 5 & 6. — *Genes. 37.* — *Genes. 5.* — * *Mutilus est hic locus. Quæ desunt, Supple ex homiliis assignata.*

CAPUT II.

Act. 1. 10. *Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri adstiterunt juxta illos in vestibus albis.*

De solemnitate Angelorum & hominum in Dominica ascensione. *Homil. 29 in Evang. n. 9. & 10.*

QUÆRENDUM nobis est, quidnam sit quod nato Domino apparuerunt Angeli, & tamen non leguntur in albis vestibus apparuisse: ascendente autem Domino, missi Angeli in albis leguntur vestibus apparuisse. In albis quippe vestibus gaudium & solemnitas mentis ostenditur. Quid est ergo quod nato Domino, non in albis vestibus, ascendente autem Domino in albis vestibus Angeli apparent, nisi quod magna tunc solemnitas Angelis facta est, cum cælum Deus homo penetravit? Quia nascente Domino videbatur divinitas humiliata, ascendente vero Domino est humanitas exaltata. Albæ etenim vestes exaltationi magis congruunt, quam humiliationi. In assumtione ergo ejus, Angeli in albis vestibus videri debuerunt: quia qui in nativitate sua apparuit Deus humilis, in ascensione sua ostensus est homo sublimis. Sed hoc nobis magnopere, fratres, in ascensione Domini pensandum est: quia deletum est chirographum damnationis nostræ, mutata est sententia corruptionis nostræ. Illa enim natura cui dictum est: *Terra es, & in terram ibis*, cum Domino ascendente in cælum ivit; pro hac ipsa namque carnis nostræ sublevatione, per figuram beatus Job Dominum avem vocat. Quia enim ascensionis ejus mysterium Judæam non intelligere conspexit, de infidelitate ejus sententiam protulit, dicens: *Semitam ignoravit avis*: Avis enim recte appellatus est Dominus: quia corpus carneum ad æthera libravit. Cujus avis semitam ignoravit, quisquis eum ad cælum ascendisse non credidit. Dominum ergo nostrum, fratres carissimi, ad cælos ascendisse, & credimus, & quid intuentibus in cælum euntem illum duo Angeli assistentes juxta illos in vestibus albis dixerint, audivimus. *Viri*, inquiunt, *Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Jesus qui assumtus est a vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum*. Unde oportet ut illuc sequamur corde, ubi eum ascendisse credimus corpore. Desideria terrena fugiamus, nihil nos jam delectet in infimis, qui Patrem habemus in cælis. Et hoc nobis est magnopere perpendendum, quia is qui placidus ascendit, terribilis redibit: & quidquid nobis cum mansuetudine præcipit, hoc a nobis cum districtione exiget. Nemo igitur indulta pœnitentiæ tempora parvipendat, nemo curam sui, cum valet agere negligat: quia Redemtor noster tanto tunc in judicio districtior veniet, quanto nobis ante judicium magnam prærogavit patientiam. Hæc itaque vobiscum, fratres, agite, hæc in mente, sedula cogitatione versate, quod Dominum credimus ad cælum ascendisse. Et si adhuc hic tenemur infirmitate corporis, sequamur tamen eum passibus amoris.

Genes. 3. 19. — *Job. 28. 7.* — *Num. 11.*

CAPUT III.

Possedit agrum de mercede iniquitatis. *Act. 1. 18.*

De Juda traditore. *In exposit. B. Job, lib. 9. num. 58.*

DE Juda traditore per beatum Petrum Apostolum dicitur: *Hic possedit agrum de mercede iniquitatis*. Nequaquam enim pretio sanguinis agrum figuli possidere Judas potuit, qui relatis triginta argenteis, traditionis crimen criminosiore in se protinus morte mulctavit. Sed possedit, dictum est, possidere fecit.

CAPUT IV.

Et cecidit sors super Matthiam, & adnumeratus est cum undecim Apostolis. *Act. 1. 26.*

De significatione undenarii numeri. *In exposit. B. Job, lib. 32. num. 27.* *Psal. 11. 1.*

OMNE peccatum undenarium est: quia dum perversa agit, Decalogum transit. Et quia in cilicio peccatum plangitur, hinc est quod in tabernaculo vela cilicina undecim fiunt. Hinc per undecimum Psalmum dicitur: *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus*. Hinc Petrus in undenario numero remanere Apostolos metuens, Matthiam duodecimum, sorte missa, requisivit. Nisi enim signari culpam per undenarium cerneret, implere numerum Apostolorum tam festine duodenario non curaret.

CAPUT V.

Factus est repente de cælo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis. *Act. 2. 2.*

De adventu sancti Spiritus. *In exposit. B. Job, lib. 5. num. 62.*

SPIRITUS sanctus a Patre procedens, & de eo quod est Filii accipiens, nostræ tenuiter notitiæ infirmitatis infunditur. Qui tamen super Apostolos veniens, per exteriorem sonum tamquam per vehementem spiritum demonstratur, cum dicitur: *Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco, & factus est repente de*

 cælo

cælo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis. Sanctus enim Spiritus cum se notitiæ humanæ infirmitatis insinuat, & sonitu vehementis spiritus, & voce lenis auræ exprimitur, sicut in libro beati Job legitur: *Et vocem quasi lenis auræ audivi.* (Job. 4. 16.) Quid enim per vocem auræ, nisi cognitio sancti Spiritus designatur? Sanctus itaque Spiritus veniens, lenis est, & vehemens: lenis, quia notitiam suam, quatenus cognosci utcumque valeat, nostris sensibus temperat: vehemens, quia quantumlibet hanc temperet, adventu tamen suo infirmitatis nostræ cæcitatem illuminando perturbat. Illustratione enim sua nos leniter tangit, sed inopiam nostram immaniter concutit.

CAPUT VI.

Et replevit totam domum, ubi erant sedentes. (Act. 2. 2.)

(De significatione septenarii numeri, seu octonarii, In exposit. B. Job, lib. 35 num. 17.)

IN Scriptura sacra per septenarium numerum, aliquando universitas præsentis hujus temporis, quod septem diebus agitur, per octonarium vero numerum vita perpetua designatur: quam sua nobis Dominus resurrectione patefecit, cum Dominico scilicet die surrexit. Propter hunc ergo septenarium numerum temporalia, octonarium vero æterna signantem, super centum viginti fideles in cœnaculo residentes Spiritus sanctus effusus est. Per septem quippe & octo, quindecim componuntur, & si ab uno usque ad quindecim numerando paulatim per incrementa consurgimus, usque ad centesimum & vicesimum numerum pervenimus. Qua scilicet effusione sancti Spiritus didicerunt, ut & temporalia tolerando transirent, & æterna inhianter appeterent.

CAPUT VII.

Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tamquam ignis: seditque supra singulos eorum. (Act. 2. 3.)

(De modo divinæ locutionis. In exposit. B. Job, lib. 28. num. 2.)

SCIENDUM est quoniam aut per semetipsum Dominus loquitur, aut per creaturam angelicam ejus ad nos verba formantur: sed cum per semetipsum loquitur, sola nobis vis internæ aspirationis aperitur. Cum per semetipsum loquitur, de verbo ejus sine verbis ac syllabis cor docetur: quia virtus ejus in intima quadam sublevatione cognoscitur, ad quem mens plena suspenditur, vacua gravatur; pondus enim quoddam est, quod omnem animam, quam replet, levet. Lumen incorporeum est, quod interiora repleat, & repleta exterius circumscribat; sine strepitu sermo est, qui & auditum aperit, & habere sonitum nescit. Quod enim de adventu sancti Spiritus scriptum est: *Factus est repente de cælo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes: & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum:* per ignem quidem Dominus apparuit, sed per semetipsum locutionem interius fecit. Et neque ignis Deus, neque ille sonitus fuit, sed per hoc quod exterius exhibuit, expressit hoc quod interius gessit. Quia enim discipulos & zelo succensos, & verbo eruditos intus reddidit, foris linguas igneas ostendit. In significatione igitur admota sunt elementa, ut ignem, & sonitum sentirent corpora: igne vero invisibili, & voce sine sonitu docerentur corda. Foris ergo fuit ignis qui apparuit, sed intus qui scientiam dedit. Et cum reginæ Candacis eunuchus curruі præsidens iter carperet, & Isaiam in manibus, non intelligens, haberet, in corde nimirum Philippo Spiritus dixerat: *Adjunge te ad currum.* (Act. 8. 29.) Et cum ad evocandum Petrum, timentes Dominum milites Cornelius dimisisset, in mente proculdubio a Spiritus Petrus audivit: *Ecce viri tres quærunt te. Surge itaque, & descende, & vade cum eis.* (Act. 10. 19.) Spiritum enim Dei quasi quædam nobis verba dicere, est occulta vi ea, quæ agenda sunt, intimare, & cor hominis ignarum non adhibito strepitu, & tarditate sermonis, peritum repente de absconditis reddere.

CAPUT VIII.

Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. (Act. 2. 4.)

(De effusione gratiæ sancti Spiritus. Homil. 30. in Ezech. n. 4.)

AUDISTIS, fratres, quia Spiritus sanctus super discipulos in igneis linguis apparuit, omniumque linguarum scientiam dedit, quid scilicet hoc miraculo designans, nisi quod sancta Ecclesia eodem Spiritu repleta, omnium Gentium erat voce locutura. Qui vero contra Deum turrim ædificare conati sunt, communionem unius linguæ perdiderunt. In his autem, qui Deum humiliter metuebant, linguæ omnes unitæ sunt. Hic ergo humilitas meruit virtutem, illic superbia confusionem. Sed quærendum nobis est (Num. 5.) cur Spiritus sanctus Patri & Filio coæternus, in igne apparuit, cur in igne simul & linguis, cur aliquando in columba, aliquando vero in igne monstratur, cur super unigenitum Filium apparuit in columbæ specie, & super discipulos in igne; itaut neque super Dominum veniret in igne, neque super discipulos monstraretur in columba? Per quatuor itaque hæc, quæ proposuimus, solvendo redeamus. Patri namque & Filio coæternus Spiritus in igne monstratur: quia incorporeus & ineffabilis atque invisibilis ignis est Deus, quoniam attestante Paulo: *Deus noster ignis consumens est.* (Hebr. 12. 29.) Deus quippe ignis dicitur: quia per hunc peccatorum rubigo consumitur. De hoc igne Veritas dicit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat?* (Luc. 12. 49.) Terra enim vocata sunt corda terrena, quæ dum semper infimas in se cogitationes congerunt, a malignis spiritibus conculcantur. Sed ignem Dominus in terram mittit, cum afflatu Sancti Spiritus corda carnalium inflammat. Terra itaque accenditur, cum cor carnale in suis pravis voluptatibus frigidum, relinquit concupiscentias præsentis seculi, & ardet per amorem Dei. Bene ergo in igne apparuit Spiritus, qui ab omni corde, quod replet, torporem frigoris excutit, & hoc in desiderio suæ æternitatis accendit. In igneis autem linguis monstratus est: quia idem Spiritus coæternus est Filio, & habet cognationem maximam lingua cum verbo. Verbum quippe Patris est Filius: & quia una est Spiritus & Verbi substantia, idem Spiritus monstrari debuit in lingua. Vel certe, quia per linguam procedit verbum, in linguis apparuit Spiritus; quia quisquis sancto Spiritu tangitur, Dei Verbum, id est unigenitum Dei Filium confitetur. Et negare Dei Verbum non valet, quia jam sancti Spiritus linguam habet. Vel certe in linguis igneis Spiritus apparuit, quia omnes quos replevit, ardentes pariter, & loquentes facit. Linguas igneas doctores habent, quia dum

Deum

Deum amando prædicant, corda audientium inflammant. Nam & otiosus est sermo doctoris, si præbere non valet incendium amoris. Hoc doctrinæ incendium ab ipso Veritatis ore conceperant, qui dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Exaudito quippe sermone animus inardescit, torporis frigus recedit, fit mens in superno desiderio anxia, a concupiscentiis terrenis aliena: amor verus qui hanc repleverit, in fletibus cruciat. Sed cum tali ardore cruciatur, ipsis suis cruciatibus pascitur: audire ei libet præcepta cælestia, & quot mandatis instruitur, quasi tot facibus inflammatur. Et quæ torpebat prius per desideria, postmodum ardet per verba. Unde bene per Moysen dicitur: *In dextera ejus ignea lex.* Sinistra quippe reprobi, qui ad sinistram ponendi sunt: dextera vero Dei appellantur electi. In dextera igitur Dei lex est ignea: quia electi mandata cælestia nequaquam frigido corde audiunt, sed ad hæc amoris intimi facibus inardescunt: sermo ad aurem ducitur, & mens eorum sibimet irata, ex internæ dulcedinis flamma concrematur. In columba vero Spiritus, & in igne mostratus est: quia omnes quos repleverit, simplices & ardentes facit: simplices puritate, ardentes æmulatione. Neque etenim placeret Deo aut simplicitas sine zelo, aut zelus, sine simplicitate. Hinc ipsa Veritas dicit: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Qua in re notandum est, quod discipulos suos, nec de columba sine serpente, nec de serpente sine columba, voluit Dominus admonere; quatenus & columbæ simplicitatem astutia serpentis accenderet, & serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret. Hinc Paulus ait: *Nolite pueri effici sensibus.* Ecce prudentiam serpentis audivimus, nunc de simplicitate columbæ moneamur: *sed malitia parvuli estote.* Hinc de beato Job dicitur: *Erat vir simplex & rectus.* Quæ autem rectitudo sine simplicitate, aut quæ simplicitas sine rectitudine? Quia ergo & rectitudinem docet iste Spiritus & simplicitatem, & in igne monstrari debuit, & in columba: quatenus omne cor quod ejus gratia tangitur, & mansuetudinis lenitate tranquillum, & zelo justitiæ fiat accensum. Ad extremum vero quærendum est cur in ipso Redemtore nostro Mediatore Dei & hominum, per columbam apparuit, in discipulis vero per ignem? Certe unigenitus Filius judex est generis humani: sed quis ejus justitiam ferret, si priusquam nos per mansuetudinem colligeret, culpas nostras per zelum rectitudinis examinare voluisset? Homo ergo pro hominibus factus, mitem se hominibus præbuit. Noluit peccatores ferire, sed corrigere: prius voluit mansuete corrigere, ut haberet quos postmodum in judicio solveret. In columba ergo super eum apparere Spiritus debuit, qui non veniebat ut peccata jam per zelum percuteret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret. At contra super discipulos in igne debuit Spiritus sanctus demonstrari, ut hi qui erant simpliciter homines, & ideo peccatores, eos contra semetipsos spiritualis fervor accenderet; & peccata quæ Deus per mansuetudinem parceret, ipsi in se per pœnitentiam punirent. Nec ipsi quippe poterant esse sine peccato, qui cælesti adhærebant magisterio, Johanne attestante, qui ait: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* In igne ergo venit in homines, in columba vero apparuit in Domino: quia peccata nostra, quæ pie Dominus per mansuetudinem tolerat, nos per zelum rectitudinis debemus caute conspicere, & ardore semper pœnitentiæ cremare. Igitur per columbam Spritus in Redemtore monstratus est; per ignem vero in hominibus: quia quanto nobis nostris judicibus facta est severitas temperata, tanto erga se debet fieri nostra infirmitas accensa. Quatuor itaque propositionum expleta ratione pensemus, fratres carissimi, prædicatores nostros, quales Spiritus Sanctus reperit, quales fecit. Certe qui in uno conclavi pro Judæorum metu, residebant, nativitatis suæ singuli linguam noverant, & tamen nec ea ipsa lingua, quam noverant, aperte Christum loqui præsumebant. Venit Spiritus, & in ore eos per diversitatem linguarum docuit, in mente vero ex auctoritate roboravit. Cœperunt & in aliena Christum eloqui, qui de illo prius, & in sua lingua loqui metuebant. Præterea consideremus post incarnationem unigeniti Filii qualis sit solemnitas de adventu Spiritus sancti. Sicut enim illa, ita quoque & hæc est honorabilis. In illa quippe Deus in se permanens, semetipsum creavit hominem. In ista vero homines venientem desuper susceperunt Deum: in illa Deus naturaliter factus est homo, in ista vero homines facti sunt, per adoptionem dii. Si ergo remanere carnales in morte nolumus, hunc, fratres carissimi, vivificantem Spiritum amemus: sed quia caro spiritum nescit, dicat fortasse carnali cogitatione apud se aliquis: Quomodo diligere valeo, quem ignoro? Sed cum videre Deum non possumus, habemus aliquid quod agamus, unde iter fiat, quo ad eum nostræ intelligentiæ oculus veniat: Certe quem in se videre nullo modo valemus, habet in servis suis quo eum videre jam possumus: dum enim eos mira conspicimus agere, certum nobis est in eorum mentibus Dominum habitare. Deum igitur ac proximum integra mente diligamus, nec Deus enim vere sine proximo, nec proximus vere diligitur sine Deo. Hinc est quod idem Spiritus sanctus secundo legitur discipulis datus, prius a Domino in terra degente, postmodum a Domino cælo præsidente. In terra datus quippe, ut diligatur proximus: de cælo vero ut diligatur Deus. Sed cur prius in terra, postmodum e cælo, nisi quod patenter datur intelligi, quia juxta Johannis vocem: *Qui fratrem non diligit quem videt, Deum quem non vidit, quomodo potest diligere?* Diligamus ergo proximum, fratres: amemus eum, qui juxta nos est, ut pervenire valeamus ad amorem illius, qui super nos est.

[Margin notes, left column: Luc. 24. 32. — Deut. 33. 2. — Matt. 10. 16. — 1. Cor. 14. 20. — Ibidem. — Job 1. 1. — Num. 6. — 1. Johan. 1. 8. Right column: Homil. 26. in Evang. n. 3. — 1. Johan. 4. 20]

CAPUT IX.

Musto pleni sunt isti. Acta 2. 13.

CUM discipuli Domini loquerentur variis linguis, quidam de Judæis irridentes dicebant: *Quia musto pleni sunt isti.* In musto sancti Spiritus fervor accipitur, de quo in Evangelio Dominus dicit: *Vinum novum mittunt in utres novos.* Ex quo dum repente replerentur Apostoli, dum linguis omnibus loquerentur, a Judæis nescientibus, sed tamen vere attestantibus, dictum est: *Hi musto pleni sunt.*

[Margin: Quod per vinum fervor Spiritus sancti accipitur. — Matt. 9. 17.]

CA-

CAPUT X.

Petrus Judaos increpat.

Act. 2. 24.

De bonæ operationis ædificio. *Regul. Pastor. part. 3. cap. 34.*

QUI bona necdum inchoant, non sunt eis prius ædificanda, quæ salubriter diligunt, sed destruenda ea, in quibus semetipsos neqniter versant. Hinc est quod Pettus prius evertit, ot postmodum construat: cum nequaquam Judæos monebat qoid jam facerent, sed de his quæ fecerant, increpabat, dicens: *Jesum* *Ibid. 22, &c.* *Nazarenum virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis qua fecit per illum Deus in medio vestri sicut vos scitis: hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes intermistis, quem Deus suscitavit,* B *solutis doloribus inferni*: ut videlicet erudelitatis suæ cogitatione destructi, ædificationem sanctæ prædicationis quanto anxie quærerent tanto utiliter audirent. Unde & illico responderunt: *Quid* *Ibid. 37. & 38.* *ergo faciemus, viri fratres?* Quibus mox dicitur: *Agite pœnitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum.* Quæ ædificationis verba profecto contemnerent, nisi prius salubriter ruinam suæ destructionis invenissent. Hinc est quod Saulus cum super eum cælitus lux emissa resplenduit, non jam quid recte deberet facere, sed quid prave fecisset audivit. Nam cum prostratus requireret, *Act. 9. 24.* dicens: *Quis es, Domine?* protinus respondetur: Et cum repente subjungeret: *Domine, quid me jubes facere?* Illico adjungitur: *Surge, & ingredere* C *civitatem, & ibi tibi dicetur quid te oportet facere.* Ecce de cælo Dominus loquens persecutoris sui facta corripuit, nec tamen illico quæ essent facienda monstravit. Ecce elationis ejus fabrica jam tota corruerat, & post ruinam suam humilis ædificari quærebat. Et cum superbia destruitur, ædificationis tamen verba retinentur; ut videlicet persecutor immanis diu destructus jaceret, & tanto post in bonis solidior surgeret, quanto prius funditus eversus a pristino errore cecidisset. Qui ergo nulla adhuc agere bona cœpetunt, a rigiditate suæ pravitatis antea manu correctionis evertendi sunt, ut ad statum operationis rectæ postmodum erigantur.

CAPUT XI.

Pœnitentiam agite.

Act. 2. 38.

De satisfactione pœnitentium. *Regul. Pastor. part. 3. cap. 30.*

PEccatores qui admissa deserunt, nec tamen plangunt, non jam sibi relaxatas æstimare debent culpas, quas etsi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant. Neque enim qui contumelias irrogat, si solummodo tacuerit, satisfecit: cum profecto necesse sit ut verba præmissæ superbiæ verbis subjunctæ humilitatis impugnet. Ita & cum Deo delinquimus, nequaquam satisfacimus, si ab iniquitate cessamus: nisi voluptates quoque, quas dileximus, e contrario lamentis appositis insequamur. Hinc Paulus ait: E *1. Cor. 6. 11.* *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Nimirum enim illos emendatior vita sanctificat, quos per pœnitentiam abluens afflictio fletuum mundat. Hinc Petrus cum quosdam territos malorum suorum consideratione susciperet, admonuit, dicens: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Dicturus enim baptisma, præmisit pœnitentiæ lamenta, ut prius aqua se suæ afflictionis infunderent, & postmodum sacramento baptismatis lavarent. Qua igitur A mente, qui transactas culpas flere negligunt, securi vivunt de venia, quando ipse summus Pastor Ecclesiæ huic etiam sacramento pœnitentiam addendam credit, quod peccata principaliter extinguit? Non autem Deus nostris cruciatibus pascitur, sed delictorum morbis medicamentis contrariis medetur: ut qui voluptatibus delectati ab eo discessimus, fletibus amaricati redeamus; & qui per illicita defluendo cecidimus, etiam a licitis nosmetipsos restringendo, surgamus. Duobus autem modis homines a Deo *Homil. 9. in Ezech. n. 6.* recedunt, & duobus modis a Deo apostatæ fiunt. Nam unusquisque a Conditore suo, aut fide recedit, aut opere. Sicut ergo qui a fide recedit, apostata est: ita qui ad perversum opus, quod B deseruerat, redit, ab omnipotente Deo apostata absque ulla dubitatione deputabitur, etiamsi fidem tenere videatur. Fides enim nihil valet sine *Jac. 2. 20.* operibus.

CAPUT XII.

Petrus claudum curavit. *Act. 3.*

De ostentatione miraculorum bonorumque operum. *Homil. 5. in Ezech. n. 13.*

SANCTI viri coram infidelibus, ut eos ad fidem trahant, miracula faciunt; sed sibimetipsis, quæ fecerint non adscribentes, hæc omnipotentis Dei virtuti tribuunt, & auctori suo gloriam & laudem reddunt, per quem se posse talia sciunt: sicut Petrus cum sanato homine, C qui claudus ex utero matris fuerat, signum fecit. Quod cum omnes, qui cognoscerent, valde mirarentur, dixit: *Quid miramini in hoc, aut nos* *Act. 3. 12.* *quid intuemini, quasi nostra virtute, aut pietate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum.* Et paulo post: *In fide nominis ejus hunc quem vidistis & nostis, confirmavit nomen ejus.* Signum quippe faciens, intuentium oculos miraculi lumine perstrinxit: sed humilitatem custodiens, laudem auctori reddidit. De omni vero bono quod faciunt, idcirco viri sancti semper laudem Creatori reddunt, ut vera stabilitate persistant in ea virtute, quam accipiunt.

D

CAPUT XIII.

Obedire oportet Deo magis quam hominibus. *Act. 5. 29.*

De auctoritate Apostolorum. *In expos. B. Job, lib. 17. num. 48.*

DE sancto Spiritu qui super discipulos venit, acceperunt ipsi ornamenta virtutis, quos immensa possederat ante fœditas timoris. Scimus enim quod ille Apostolorum primus ante acceptam hujus Spiritus gratiam, quoties dum mori timuit, vitam negavit: qui non pœnis, non afflictionibus non terribili potestate cujusquam, sed unius mancipii sola est interrogatione prostratus. Et quidem mancipium, ne sexus firmior terribile demonstraret, ancilla est inquirente tentatus. Rursusque E ut talis sexs infirmitas etiam officii sui dejectione vilesceret, non ab ancilla tantummodo, sed ab ostiaria ancilla est requisitus. Ecce quam vilis est ad tentandum persona requisita, ut aperte proderetur, quanta eum timoris infirmitas possideret, qui nec ante vocem ostiariæ ancillæ subsisteret. Sed jam hic paulo ante timidus, qualis post adventum Spiritus extiterit videamus. Certe, Luca *Num. 49.* teste, didicimus, contra Sacerdotes & Principes quanta Dominom auctoritate prædicavit. Nam cum facto miraculo, quæstio fuisset exorta, & Sacer-

eerdotum Principes, Seniores, ac Scribæ in A-
postolorum persecutionem concurrerent, eos in
medio statuentes, in qua virtute miraculum fe-
cerint, percunctari curaverunt. Quibus repletus
Act. 4. 8. Spiritu sancto dixit: *Principes populi, & Seniores,
si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi,
in quo iste salvus factus est, notum sit omnibus vo-
bis, & omni plebi Israel, quia in nomine Jesu Chri-
sti Nazareni quem crucifixistis, quem Deus suscita-
vit a mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sal-
vus.* Cumque erga hæc persequentium furor ex-
eresceret, eosque Sacerdotes ac Principes Jesum
prædicare prohiberent, contra iram principum,
qua auctoritate Petrus excreverit, indicatur,
cum illic protinus subditur: *Petrus vero & Apo-
stoli dixerunt: Obedire oportet Deo magis quam ho-
minibus.* Sed cum auctoritatem prædicantium,
resistentium præcepta non premerent, ad flagella
Act. 5. 40. pervenitur. Nam subditur: *Tunc Principes Sacer-
dotum cæsis denuntiaverunt ne loqueretur in nomine
Jesu, & dimiserunt eos.* Sed quia virtutem Apo-
stolorum premere nec flagella valuerunt, paten-
Act. 41. ter ostenditur, cum subinfertur: *Et illi quidem
ibant gaudentes a conspectu concilii: quoniam digni
habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Mox
etiam post flagellorum gaudia, quid agerent in-
dicatur: *Omni autem die in templo, & circa domos
non cessabant docentes, & evangelizantes Jesum Chri-
stum* Ecce ille paulo ante timidus, jam in lin-
guis loquitur, coruscat miraculis, infidelitatem
Sacerdotum & Principum libera voce increpat, ad
prædicandum Jesum exemplum auctoritatis ceteris
præstat. Ne in nomine ejus loqui debeat, verbe-
ribus prohibetur, nec tamen compescitur. Con-
temnit flagella cædentium, qui paulo ante requi-
rentium verba timuerat; & qui vires ancillæ re-
quisitus expavit, vires Principum cæsus premit.
Sancti enim jam Spiritus virtute solidatus, hujus
mundi altitudines libertatis calce deprimebat, ut
in imo esse cerneret, quidquid contra Creatoris
num. 50. gratiam altum tumeret. Hæc sunt ornamenta
cælorum, hæc sunt dona Spiritus, quæ diversis
manifestari virtutibus solent, quas occultæ dis-
pensationis munere divisas Paulus enumerat, di-
1 Cor. 12. 8. 9. cens: *Alii quidem per spiritum datur sermo sapien-
tiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem spiritum,
alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum
in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophe-
tia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum,
alii interpretatio sermonum.* Quæ mox generali
Ibidem. definitione concludens, ait: *Hæc autem omnia
operatur unus atque idem spiritus, dividens singu-
lis prout vult.* Prædicatores ergo sancti nisi pro-
missa Paracliti dona percepissent, nullo fortitudi-
nis decore claruissent; sed quia sancti sunt Apo-
stoli virtutum gratia decorati, vitæ prædicatio
In expos. B. Job, lib. 9. num. 33. contra infidelium corda convaluit. Unde nullis
contra veritatem potestatibus parcunt, sed quos
attolli per elationem conspiciunt, per sancti
Spiritus auctoritatem premunt. Hinc est quod
Petrus, cum eum Sacerdotes & Principes etiam
per flagella sævientes, in nomine Jesu loqui pro-
hiberent, cum magna protinus auctoritate res-
Act. 4. 19. pondit, dicens: *Si justum est in conspectu Dei,
vos potius audire quam Deum, judicate. Non enim
possumus, quæ vidimus & audivimus non loqui.* Hinc
est quod Paulus eum resistentem contra verita-
tem Sacerdotum Principem cerneret, eumque mi-
nister illius alapa percussisset, non maledictum
perturbatus intulit, sed repletus Spiritu sancto, li-
Act. 23. 3. bera voce prophetavit, dicens: *Percutiet te Deus,*

A *paries dealbate, & tu sedens judicas me secundum
legem, & contra legem jubes me percuti?* Hinc est
quod Stephanus contra vim persequentium au-
ctoritatem vocis exercere, nec moriturus expavit,
dicens: *Dura cervice, & incircumcisi cordibus &* Act. 7. 51.
*auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis: sicut
patres vestri, ita & vos.* Sed quia sancti viri ad num. 34.
verba tantæ altitudinis zelo veritatis, non au-
tem vitio elationis exiliunt, ipsi patenter indi-
cant, qui factis dictisque aliis, & quanta humi-
litate polleant, & erga eos quos redarguunt quan-
ta caritate ferveant, manifestant: superbia quip-
pe odium generat, humilitas amorem. Verba
itaque quæ amor exasperat, profecto ex fonte
humilitatis emanant. Quomodo ergo Stephanus
B increpationem proferre potuit per elationem,
qui pro eisdem quos increpaverat ad deteriora
erescentibus, seque lapidantibus flexis genibus
oravit, dicens: *Domine, ne statuas illis hoc pecca-
tum.* Quomodo Paulus contra gentis suæ Sacer-
dotem & Principem, asperitatis verba superbiens
intulit, qui humilitate se etiam discipulorum ser-
vitio substernit, dicens: *Non enim nosmetipsos* 2. Cor. 4. 5.
*prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum,
nos autem servos vestros per Christum.* Quomodo
Petrus per elevationem principibus restitit: quo-
rum errori compatiens, reatum velut excusat,
dicens: *Scio quia per ignorantiam fecistis, sicut &* Act. 3. 17.
*principes vestri. Deus autem qui prænuntiavit per
os omnium Prophetarum pati Christum suum, imple-
C vit sic?* quos ad vitam misericorditer trahit, di-
cens: *Pœnitemini igitur, & convertimini ut delean-* Vers. 19.
tur peccata vestra. Petrus ergo flagellatus a prin-
cipibus populi, cum idcirco se relaxari conspi-
ceret, ut a prædicatione cessaret; cum prohibe-
retur loqui in posterum, nequaquam saltem in
præsens cessit: nam respondit protinus, dicens:
Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Et rur-
sus: *Non enim possumus, quæ vidimus & audivi-
mus non loqui.* Postquam autem libertate vocis
auctoritatem principum pressit, postea per hu-
militatem cordis de non circumcidendis Gentibus
Pauli consilium audivit. Sic enim semetipsum
contra adversarios ex auctoritate curabat erigere,
ut tamen sibimetipsi non crederet, in his quæ
D non recte sentiret; ut ex libertate formidinis tu-
mentes potestates excederet, ex humilitate man-
suetudinis obedientiam in recto consilio etiam
minoribus fratribus exhiberet; & modo per se-
metipsum aliis, modo & sibimetipsi cum aliis
obviaret. In factis igitur Petri quoddam ante no-
stros oculos auctoritatis & humilitatis exemplum
ponitur, ut nihil adversitatis metuentes, resisten-
tes Deo potestates seculi etiam cum corporis la-
ceratione condemnemus: & in his etiam, quæ
inter fideles positi senserimus, nequaquam nos
ceteris præponamus, nec nostra consilia magis
eligentes, nobis potius quam aliis credamus.

CAPUT XIV.

E

Vos semper Spiritui sancto restitistis. Act. 7. 51.

BEATUS martyr Stephanus pro Creatoris fuit De sancto Stephano. Homil. 10. in Ezech. n. 24.
nomine tentus, & in medio persecutorum de-
ductus, imperterritus stetit, fiducialiter docuit, &
ex zelo veritatis persecutores suos fortiter increpa-
vit, dicens: *Vos semper Spiritui sancto restitistis.* Cum-
que illi ad lapides currerent, & eum lapidibus neca-
rent, flexo genu pro eisdem persecutoribus ora-
vit, dicens: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Act. 7. 59.

Quæ itaque ista virtus est sic zelo fervere, ut eis a quibus terrebatur, perfidiæ suæ improperia fiducialiter diceret: & sic diligere, ut in morte quoque pro eis a quibus moriebatur, oraret? Sic quippe ex zelo inserbuit, ac si mansuetudinis nihil haberet: & sic mansuetus in eorum dilectione perstitit, ac si contra eos fervoris nihil habuisset. Pensemus inter hæc ubi nostræ conscientiæ reatus jacet. Quis enim nostrum, si saltem verbi contumeliam a proximo acceperit, non statim contumeliam reddit, non funditus commovetur, non ad odium erumpit, non præceptum dilectionis obliviscitur? Sed hoc beatus Stephanus ex omnipotentis Dei gratia potuit. *Qui cum esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Jesum stantem a dextris, & ait: Ecce video cælos apertos, & Jesum stantem a dextris Dei*. Considerandum nobis est, quid est quod Marcus ait: *Sedit a dextris Dei*. Et Stephanus dicit: *Video cælos apertos, & filium hominis stantem a dextris Dei?* Quid est quod hunc Marcus sedentem, Stephanus vero stantem se videre testatur? Sed scitis, fratres, quia sedere judicantis est, stare vero pugnantis, vel adjuvantis. Quia igitur Redemtor noster assumtus in cælum, & nunc omnia judicat, & ad extremum judex omnium veniet, hunc post assumtionem Marcus sedere describit, qui post ascensionis suæ gloriam judex in fine mundi videbitur. Stephanus vero in laboris certamine positus stantem vidit, quem adjutorem habuit: quoniam ut iste in terra persecutorum infidelitatem vinceret, pro illo de cælo illius gratia pugnavit.

Act. 7. 55. Homil. 29. in Evang. n. 7. Mar. 16. 19.

CAPUT XV.

Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus, & lapidabant Stephanum. Act. 7. 57.

Quod nec præsumere de nobis, nec alios judicare debeamus. Homil. 19. in Evang. n. 6.

NEMO se, fratres, de opere, nemo de tempore extollat, nemo se alicui de operibus suis præferat: quia de his quos intuetur adhuc per culpam frigidos, quantos operatores justitiæ & defensores rectæ fidei Dominus sit facturus, ignorat. Multos quidem frigidos intra sanctam Ecclesiam, fratres carissimi, cernimus; sed eos nec imitari, nec despicere debemus. Quid enim sit hodie aspicimus, sed quid cras futurus sit unusquisque, nescimus. Plerumque & qui post nos venire cernitur, per agilitatem operis boni nos antecedit: & vix eum sequimur, quem hodie præire videbamur. Certe cum Stephanus pro fide moreretur, Saulus vestimenta lapidantium servabat. Omnium ergo lapidantium manibus ipse lapidavit, qui ad lapidandum omnes exertos reddidit, & tamen eumdem ipsum in sancta Ecclesia laboribus antecessit, quem persequendo martyrem fecit. O qualem hunc militem ad diem belli pugnæque præparatum, velut thesaurum absconditum omnipotens Deus habuit, quem in vita frigida in pravorum vitam repositum, jam tunc electum suum latenter diu intra suæ præscientiæ sinum texit! O ad quanta adversariorum pectora ferienda hunc propugnatorem suum cum voluit ad medium produxit, per cujus verba ac redargutiones tot sibi resistentia corda prostravit! Nemo itaque de suis operibus extollatur, nemo desperet eos quos adhuc frigidos videt; quia qui sunt futuri servi Dei, inter pravos videre & discernere non valet. Quis enim crederet, quod per Apostolatus gratiam lapidatum Stephanum ille præcederet, qui in mortem ejus omnium lapidantium vestimenta servavit? Si ergo ad ista dona, vel occulta judicis recurrimus, nullos desperantes omnino, nec illis nos in corde nostro præferimus quibus pro tempore prælati sumus: quia & si jam videmus quantum præcessimus, nescimus quantum cum currere cœperint præcedamur. Duo itaque sunt, quæ solicite pensare debemus. Primum est, ut de se quisque minime præsumat: quia etsi jam ad fidem vocatus est, utrum in perenni regno sit dignus, nescit: secundum vero est, ut unusquisque proximum, quem fortasse jacere in vitiis conspicit, desperare non audeat: quia divinæ misericordiæ divitias ignorat.

In exposit. B. Job, lib. 29 n. 38. & 39

CAPUT XVI.

Date mihi hanc potestatem, &c. Act. 8. 19.

De Simone Mago. Hom. 4. in Evang. n. 4. Matt. 10. 8.

CONCESSA potestate prædicationis, concessis miraculis virtutum, Redemtor noster discipulis suis ait: *Gratis accepistis, gratis date*. Præsciebat namque nonnullos hoc ipsum donum accepti spiritus in usum negotiationis inflectere, & miraculorum signa ad obsequium avaritiæ declinare. Hinc est quod cum vidisset Simon Magus, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: *Date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum*. Per impositionem quippe manus edita miracula concupiscens, percipere donum Spiritus voluit, scilicet ut deterius venderet, quod male comparasset. Cum justum virum describeret Propheta, ait: *Qui excutit manus suas ab omni munere*. Non dicit, *qui excutit manus suas a munere*, sed adjunxit, *ab omni*: quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio, est subjectio indebite impensa: munus a manu, pecunia est: munus a lingua, favor. Ille igitur ab omni munere manus excutit, qui in divinis rebus non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit: qui sacros ordines pro humana gratia non largitur, neque de eadem largitate laudis ullam retributionem quærit: qui de nullo impenso sanctitatis officio minimum favoris exquirit: qui impositionem manus, qua Spiritus sanctus accipitur, ad vitæ meritum, non ad præmium tribuit.

Isa. 33. 15.

CAPUT XVII.

Pecunia tua tecum sit in perditionem. Act. 8. 20.

De maledictione proferenda. In exposit. B. Job, lib. 4. num. 3.

CUM sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, sed ex justitia examinis erumpunt. Intus enim subtile Dei judicium aspiciunt, & mala foris exurgentia, quia maledicto debeant ferire, cognoscunt: & eo in maledicto non peccant, quo ab interno judicio non discordant. Hinc est quod Petrus in offerentem sibi pecuniam Simonem, sententiam maledictionis intorsit, dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*. Qui enim non ait, est, sed sit: non indicativo, sed optativo modo se hæc dixisse signavit. Hinc Elias duobus quinquagenariis ad se venientibus, dixit: *Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cælo, & consumat te, & quinquaginta tuos*. Quorum utrorumque sententia quanta severitatis ratione 4 Reg. 1. 10.

ne convaluit, terminus causæ monstravit. Nam A & Simon æterna perditione interiit, & duos quinquagenarios desuper veniens flamma consumsit. Virtus ergo subsequens testificatur, qua mente maledictionis sententia promitur. Cum enim & maledicentis innocentia permanet, & tamen eum, qui maledicitur, usque ad interitum maledictio absorbet, ex utriusque partis fine colligitur, quia ab uno & intimo judice in reum sententia sumta jaculatur.

CAPUT XVIII.

Act. 9. 1.

Salus adhuc spirans, &c.

De conversione sancti Pauli Apostoli. In exposit. B. Job, lib. 31. n. 29. & 30. Job. 39. 9.

BEATO Job a Domino dicitur: *Numquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? Numquid alligabis rhinocerotem ad arandum loro tuo?* Rhinoceros iste, qui etiam *Monoceros* in Græcis exemplaribus nominatur, indomitæ omnino naturæ est: itaut si quando captus fuerit, teneri nullatenus possit; impatiens quippe, ut fertur, illico moritur. Tantæ quoque fortitudinis esse dicitur, ut nulla venantium virtute capiatur: sed sicut hi asserunt, qui describendis naturis animalium investigatione laboriosa sudaverunt, virgo ei puella proponitur, quæ venienti sinum aperit, in quo ille, omni ferocitate postposita, caput deponit: & sic ab eis a quibus capi quæritur, repente velut inermis invenitur. Buxei quoque coloris esse describitur, qui etiam cum elephantis, quando certamen aggreditur, eo cornu, quod in nare singulariter gestat, ventrem adversantium ferire perhibetur; ut cum ea quę molliora sunt, vulnerat, impugnantes se facile sternat. Ejus vero nomen Latina lingua interpretatum sonat, in nare cornu. Et quid aliud in nare, nisi fatuitas? Quid in cornu, nisi elatio designatur? Et quamvis per hunc rhinocerotem, vel certe monocerotem, scilicet unicornem, communiter ille Judęorum populus possit intelligi, de quibus passionem suam Dominus Propheta canente prænuntians, ait: *Libera me de ore leonis: & a cornibus unicornium humilitatem meam.* (Tot
Psal. 21. 22.
quippe in illa gente unicornes, vel certe rhinocerotes extiterunt, quot contra prædicamenta veritatis de Legis operibus singulari & fatua elatione confisi sunt) ille tamen specialiter ex hoc populo, & prius in superbia, & postmodum præcipuus testis in humilitate nobis ad medium Paulus ducatur, qui dum contra Deum se quasi de custodia Legis nesciens extulit, cornu in nare gestavit. Unde & hoc ipse naris cornu per humilitatem postmodum inclinans, ait: *Qui prius fui blas-*
1 Tim. 1. 13.
phemus, & persecutor, & contumeliosus; sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. In nare cornu gestabat, qui placiturum se Deo de crudelitate confidebat, sicut ipse postmodum semetipsum redarguens dicit: *Et proficiebam in Judais-*
Galat. 1. 14.
mo supra multos coætaneos meos in genere meo; abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. Hujus autem rhinocerotis fortitudinem omnis venator extimuit: quia Sauli sævitiam unusquisque prædicator expavit. Scriptum namque est:
Act. 9. v. 1. & 2.
Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, accessit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas: ut si quos invenirent hujus vitæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. Cum flatus nare reddendus trahitur, inspiratio vocatur. Et illud sæpe per odorem nare deprehendimus, quod oculis non videmus. Rhinoceros ergo iste nare gestabat cornu, quo percuteret: quia minarum & cędis in Domini discipulos spirans, postquam præsentes interfecerat, absentes quærebat. Sed ecce omnis ante illum venator absconditur, omnis homo, id est rationale sapiens, opinione timoris ejus effugatur. Beato igitur Job sanctæ Ecclesiæ typum tenenti dicitur: *Num volet rhinoceros servire*
Job. 39. 9.
tibi? Ac si aperte de beato Paulo dicatur: Numquid Saulum, quem superbire in nece fidelium stulta sua elatione consideras, sub jura tuæ prędicationis inclinas? Subaudis, ut ego, qui & contra me illum singulari cornu extolli conspicio; & tamen mihi, cum voluero, protinus subdo. Ut ergo hunc rhinocerotem capiat, si- B num suum virgo, id est secretum suum, ipsa per se inviolata in carne Dei Sapientia expandat. Scriptum namque est: *Quod cum Damascum pergeret, subito circumfusit illum die media lux de cælo, & vox facta est dicens: Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Qui prostratus in terra respondit: *Quis es, Do-*
Act. 9. v. 6. & 7.
mine? Cui ille: *Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris. Et tremens ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere civitatem: & ibi dicetur quid te oporteat facere.* Virgo nimirum rhinoceroti sinum suum aperuit, cum Saulo incorrupta Dei Sapientia incarnationis suæ mysterium de cælo loquendo patefecit. Et fortitudinem suam rhinoceros perdi- C dit: quia prostratus humi, omne quod superbum tumebat, amisit. Intueri libet ubi est sævus ille persecutor, ubi lupus rapax. Ecce in ovem jam versus est, qui percunctatur pastoris semitam quam sequatur. Et notandum quod cum diceret: *Quis es, Domine?* non ei a Domino respondetur: Ego Principium, ego Verbum ante secula, ego sum unigenitus Patris. Quia enim Saulus incarnatum Deum credere contemsit, & ejus humanitatis infirma despexit, de cælo hoc quod contemserat, audivit: *Ego sum Jesus Nazarenus quem tu persequeris.* Ac si diceret: Hoc a me audi de superioribus, quod in me despicis de inferioribus. Auctorem cæli venisse in terram despicis, ex terra ergo hominem cognosce de D cælo, ut tanto in me amplius sacramenta infirmitatis metuas, quanto & hæc perducta in cælestia ad excellentiam potestatis probas. Prosternens igitur te, nequaquam tibi hoc adstruo, quod ante secula Deus sum, sed illud a me audis, quod de me credere dedignaris. Postquam enim dixit, *Jesus*, adhuc in expressione terrenæ inhabitationis subdidit, *Nazarenus*, velut apertius diceret; Humilitatis meæ infirma suscipe, & tuę superbiæ duritiam amitte.

CAPUT XIX.

Surge, & ingredere civitatem.

Act. 9. 4.

De instructione pœnitentium. Regul. Pastor. part. 3. cap. 34.

E NOTANDUM autem quod in hac Pauli prostratione, quoniam qui nulla adhuc agere bona cœperunt, a rigiditate prius suæ pravitatis manu correctionis evertendi sunt, ut ad statum operationis rectæ postmodum erigantur; quia & idcirco altum sylvæ lignum succidimus, ut hoc in ædificii tegmine sublevemus, sed tamen in fabrica non repente ponitur, ut nimirum prius vitiosa viriditas ejus exsiccetur: cujus quo plus in infimis humor excoquitur, eo solidius ad summa levatur. Hinc est quod Saulus cum super eum cælitus lux missa

missa resplenduit, non jam quod recte deberet A facere, sed quid prave fecisset, audivit. Nam cum prostratus requireret, dicens: *Quis es, Do-* Act. 9. 6. *mine?* Protinus respondetur: *Ego sum Jesus Nazarenus quem tu persequeris.* Et cum repente subjun- Ibid. v. 7. geret: *Domine, quid me jubes facere?* illico adjungitur: *Surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* Ecce de cælo Dominus loquens, persecutoris sui facta corripuit, nec tamen illico quæ essent facienda monstravit. Ecce elationis ejus fabrica jam tota corruerat, & post ruinam suam humilis ædificari quærebat. Et cum superbia destruitur, ædificationis tamen verba retinentur, ut videlicet persecutor immanis diu destructus jaceret, & tanto post in bonis solidius surget, quanto prius funditus eversus ab B Homil. 5. in errore pristino cecidisset. Paulus igitur dum Da- Ezech. n. 4. & 5. mascum pergeret superbe, Redemtoris voce jacuit prostratus: & qui prædicator futurus erat, non tamen mox ut prædicaret, quod viderat, Act. 9. 7. audivit, sed ei jacenti dicitur: *Surge, & ingredere civitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere.* Jacens igitur hoc solum audire potuit, ut surgens diceret quod audierat. Surgens vero hoc dicitur, ut quæ ignoraverat, prædicaret. Jacenti dicitur ut surgat: stanti præcipitur, ut ad prædicationem proficisci debeat. Sic quoque nobis in infirmitatis confusione jacentibus præberi non debet auctoritas prædicationis: sed cum jam in bono opere surgimus, cum jam recti stare cœpimus, dignum est ut ad lucrandos alios in prædicatione C mitti debeamus. Quærendum præterea nobis est, cum Paulus & Ezechiel in faciem cadunt, & de persecutoribus Domini scriptum est: *Abierunt* Joh. 18. 6. *retrorsum, & ceciderunt in terram:* Quid est hoc quod electi in faciem, & reprobi retrorsum cadunt, nisi quod omnis qui post se cadit, ibi procuidubio cadit, ubi non videt: qui vero ante se ceciderit, ibi cecidit, ubi videt? Iniqui ergo, quia in invisibilibus cadunt, post se cadere dicuntur: quoniam ibi corruunt, ubi quid eos tunc sequetur, modo videre non possunt. Justi vero, quia in istis visibilibus se sponte dejiciunt, ut in invisibilibus erigantur, quasi in faciem cadunt: quia timore compuncti videntes humiliantur.

CAPUT XX.

Act. 9. 10. & 11. *Erat autem discipulus Damasci nomine Ananias, & dixit ad illum in visu Dominus, Anania. At ille ait: Ecce ego, Domine. Et Dominus ad illum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur Rectus: & quære in domo Judæ Saulum nomine Tharsensem. Ecce enim orat.*

De crudelitate Sauli. In exposit. B. Job, lib. 1. num. 34. CONSIDEREMUS, fratres, Saulum, quis fuerit, cum ab ipsa adolescentia lapidantium adjutor existeret, cum alia Ecclesiæ loca vastaret, & acceptis epistolis vastanda alia peteret, cum mors ei fidelium nulla sufficeret, sed semper aliorum interitum aliis extinctis anhelaret: & profecto cognoscimus quia nullus tunc fidelium crederet, quod ad jugum Deus suæ formidinis, vim tantæ elationis inclinaret. Unde & Ananias voce Dominica hunc, & postquam conversum audivit, extimuit, dicens: *Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala Sanctis tuis fecerit in Jerusalem.*

CAPUT XXI.

Vade, quoniam vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram Gentibus & Regibus, & filiis Israel. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Act. 9. 15.

CUM beatus Job ad Dominum dicat: *Verebar omnia opera* [a] *mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Si enim delinquenti non parcitur, quis ab æterna morte eripitur, cum a delicto mundus nemo reperiatur? An pœnitenti Deus parcit, & delinquenti non parcit? Quia cum delicta plangimus, nequaquam jam delin- B quentes sumus. Sed quid est quod Petrus cum negat, respicitur, & Redemtoris negati respectu ad lacrymas vocatur? Quid quod Paulus cum Redemtoris nomen in terra conaretur extinguere, ejus verba de cælo meruit audire? sed tamen in utroque culpa punita est, quoniam de Petro, teste Evangelio, scriptum est: *Recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat: & egressus foras, flevit amare.* De Paulo quoque hæc eadem, quæ hunc vocavit Veritas, dicit: *Ego ostendam ei quanta eum oporteat pro nomine meo pati.* Delinquenti ergo Dominus nequaquam parcit: quia delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur.

Quod Deus peccata impunita non deserit. In exposit. B. Job, lib. 9. num. 54. Job. 9. 28. Luc. 22. 62. Act. 9. 16.

CAPUT XXII.

Abiit autem Ananias, & introivit in domum, & imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tamquam squamæ, & visum recepit: & surgens baptizatus est. Act. 9. 17.

QUISQUIS dum corripitur peccatum suum magis excusare defendendo appetit, quam D deflere, quasi squamis tegitur, dum a sanctis prædicatoribus gladio verbi jaculatur: squamas habet, & idcirco ad ejus præcordia transeundi viam verbi sagitta non habet. Duritia enim carnali repellitur, ne spiritualis ei gladius infigatur. Carnali sapientia contra Deum Saulus obduraverat, quando cor ejus nulla prædicationis Evangelicæ sagitta penetrabat. Sed postquam forti cælitus increpatione jaculatus, & superno respectu cæcatus est, (lumen quippe ut acciperet, amisit) ad Ananiam veniens illuminatur. In qua illuminatione, quia defensionum suarum duritia caruit, bene de eo scriptum est: *Ceciderunt quasi squamæ ab oculis ejus.* Carnalis videlicet tegumenti illum duritia presserat, & idcirco radios veri E luminis non videbat. Sed postquam superbæ repugnationes ejus victæ sunt, defensionum squamæ ceciderunt. Quæ quidem sub Ananiæ manibus ab oculis ceciderunt corporis, sed ante jam sub Dominica increpatione ceciderant ab oculis cordis. Cum enim altæ invectionis jaculo confossus jaceret, humili jam & penetrato corde requirebat, dicens: *Domine, quid me vis facere?* Ibidem. Repulsis videlicet squamis, jam ad cordis viscera veritatis sagitta pervenerat: quando deposita elatione

De defensione peccatorum. In exposit. B. Job, lib. 33. n. 51. & 52. Ibidem.

a Forte legendum ut loco Moralium assignato: *Valde scrupulosum cordi subjungit; Sciens quod, &c.*

tione superbiæ, eum quem impugnaverat, Dominum confitens, & quid ageret nesciens, requirebat.

CAPUT XXIII.

Act. 9. 22. *Paulus autem multo magis convalescebat, & confundebat Judæos qui habitabant Damasci: affirmans, & docens, quoniam hic est Christus.*

Item de conversione Pauli. In exposit. B. Job, lib. 31. nu. 30 & 31.

PAULUS igitur, dum sublato oculorum lumine, manu ad Ananiam ducitur, patet jam rhinoceros iste quibus loris Dei adstringitur: quia videlicet uno in tempore, cæcitate, baptismate, prædicatione ligatur. Qui etiam ad Dei præsepe moratus est, quia ruminare verba Evangelii dedignatus non est, ait enim: *Ascendi Jerosolymam cum Barnaba, assumto & Tito. Ascendi autem secundum revelationem, & contuli cum illis Evangelium.* (Galat. 2. 1. 2.) Et qui prius jejunus audierat: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare:* (Act. 9. 5.) mira postmodum virtute præsidentis pressus verbi pabulo vires obtinuit: & superbiæ calcem amisit, lorisque Dei non tantum a feritate restringitur, sed quod magis sit mirabile, ad arandum ligatur; ut non solum homines crudelitatis cornu non impetat, sed etiam eorum refectioni serviens aratrum prædicationis trahat. Ipse quippe de evangelizantibus, de arantibus dicit: *Debet enim in spe, qui arat, arare; qui triturat, in spe fructus percipiendi.* (1. Cor. 9. 10.) Qui igitur premenda prius fidelibus irrogaverat, & pro fide postmodum flagella libenter portat: qui scriptis etiam epistolis humilis & despectus prædicat, quod dudum terribilis impugnabat: profecto bene ligatus sub aratro desudat ad segetem, qui fuerat in campo male liber a timore. Repente quippe commutatus ab hoste prædicator efficitur, & in cunctis mundi partibus Redemtoris sui nomen insinuat. Supplicia pro veritate tolerat, pati se quæ irrogaverat, exultat, alios blandimentis vocat, alios ad fidem terroribus revocat: istis regnum pollicetur cælestis patriæ, illis minatur ignes gehennæ. Hos per auctoritatem corrigit, illos ad viam rectitudinis per humilitatem trahit; atque in omni latere de manu se sui Rectoris inclinat, & tanta arte Dei aream congregat, quanta ad illam prius elatione ventilabat. (Num. 34.) Sed neque hoc abhorret a Paulo, quod rhinoceros buxei coloris dicitur: & elephantorum ventres cornu ferire perhibetur. (Num. 35.) Quid enim per colorem buxeum, nisi abstinentiæ pallor exprimitur? cui ipse se tenaciter adhærere testatur, dicens: *Castigo corpus meum, & servituti subjicio.* (1. Cor. 9. 27.) Qui divinæ legis eruditione præditus, dum aliorum ingluviem redarguit, cornu elephantes in ventrem ferit. In ventrem quippe elephantes percusserat, cum dicebat: *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis; nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi: quorum finis interitus, quorum venter Deus est, & gloria in confusione ipsorum.* (Philip. 3. 18.) Et rursum: *Hujusmodi Christo Domino non serviunt, sed suo ventri.* (Rom. 16. 18.) Cornu suo igitur rhinoceros iste non jam homines, sed bestias percutit: quando Paulus illa doctrinæ suæ fortitudine nequaquam perimendos humiles impetit, sed superbos ventris cultores occidit.

CAPUT XXIV.

Dimissus est per murum. Act. 9. 25.

Qua de causa electi sua loca mutant. Dial. lib. 2. cap. 3.

CUM implerentur autem dies multi, consilium fecerunt Judæi, ut eum interficerent. Notæ autem factæ sunt insidiæ eorum Paulo. Custodiebant autem portas die ac nocte, ut eum interficerent. Accipientes vero discipuli ejus nocte, per murum dimiserunt eum, summittentes in sporta. Sæpe agitur in animo perfectorum (quod silentio prætereundum non est) quia cum laborem suum sine fructu esse considerant, in locum alium ad laborem cum fructu migrant. Unde iste quoque egregius prædicator, qui *dissolvi cupit, et cum Christo esse: Cui vivere Christus est, et mori lucrum,* (Philip. 1. 23.) qui certamina passionum non solum ipse appetiit, sed ad toleranda hæc & alios adhortatur, Damasci persecutionem passus, ut potuisset evadere, murum, funem, sportamque quæsivit, seque latenter deponi voluit. Numquidnam Paulum mortem dicimus timuisse, quam seipse pro Jesu amore testatur appetere? Sed cum in eodem loco minorem sibi fructum adesse conspiceret, & gravi labore ad laborem se alibi eum fructu servavit. Fortis etenim prædicator Dei teneri intra claustra noluit, certaminis campum quæsivit.

CAPUT XXV.

Erat autem Paulus cum discipulis intrans, et exiens in Jerusalem, et fiducialiter agens in nomine Domini: loquebatur quoque Gentibus, et disputabat cum Græcis: illi autem quærebant eum occidere. Act. 9. 28.

Qualiter Spiritus sanctus immutet quos repleverit. In exposit. B. Job, lib. 11. num. 15.

SI cor peccatoris qui in malitia sua manet immobilis, sancti Spiritus gratia superno munere infusa tetigerit, mox peccatricis mentis duritia a suæ immobilitatis obstinatione permutatur, & rore divini muneris infusus, post libenter injurias tolerat, quas prius vehementer irrogabat: post etiam sua tribuit, qui prius aliena rapiebat: post carnem abstinendo cruciat, qui prius satietate carnis per mortifera turpitudinum oblectamenta defluebat: post etiam persecutores diligit, qui prius diligere etiam se amantes nolebat. (Num. 36.) Libet in hujus rei exemplum unum e multis ad medium, Paulum vocare: qui cum acceptis contra Christum epistolis Damascum pergeret, sancti Spiritus gratia in itinere infusus, ab illa sua protinus crudelitate mutatus est, & postmodum plagas pro Christo accepit, quas veniebat inferre Christianis. Et qui prius carnaliter vivens in mortem conabatur Sanctos Domini tradere, gaudet postmodum pro vita Sanctorum vitam suæ carnis immolare: & qui prius fuit blasphemus & persecutor, humilis post factus est, piusque prædicator: & qui lucrum maximum putavit se in discipulis Christum occidere, jam vitam suam Christum æstimat, & mori lucrum. Mens igitur Pauli, mox ut Spiritus sancti gratiam accepit, statum suæ immobilitatis, & crudelitatis immutavit. (Dialog. lib. 3. cap. 17.) In ejus conversione possumus perpendere quia majus est miraculum, prædicationis verbo & orationis solatio peccatorem convertere, quam carne mortuum resuscitare. In isto enim resuscitatur caro iterum moritura: in illo vero anima in æternum victura. Lazarum quip-

quippe quem jam fœtentem fuisse credimus, carne Dominus suscitavit: Saulum vero resuscitavit mente. Et quidem post resurrectionem carnis de Lazari virtutibus tacetur: nam post resurrectionem animæ capere nostra infirmitas non valet quanta in sacro eloquio de Pauli virtutibus dicuntur. Quod illius prædicatione crudelissimæ nationes ad pietatis mollia conversæ sunt viscera. Quod mori cupit pro fratribus, in quorum prius morte gaudebat. Quod plenus omnis Scripturæ scientia, nihil se scire judicat, nisi Christum Jesum, & hunc crucifixum. Quod pro Christo virgis libenter cæditur, quem gladiis insequebatur. Quod Apostolatus honore sublimis est, sed tamen sponte fit parvulus in medio discipulorum. Quod ad cæli tertii secreta ducitur, & tamen mentis oculum per compassionem reflectit ad disponendum cubile conjugatorum, dicens: *Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro*. Quod admiscetur in contemplatione cætibus Angelorum, & tamen non aspernatur cogitare & disponere facta carnalium. Quod gaudet in infirmitatibus, sibique in contumeliis placet. Quod ei vivere Christus est, & mori lucrum. Quod totum jam extra carnem est hoc ipsum, quod vivit in carne. Ecce qualiter vivit, qui ab inferno mente ad vitam pietatis rediit. Minus est ergo quempiam in carne suscitari, nisi forte cum per vivificationem carnis ad vitam reducatur mentis, ut hoc ei agatur per miraculum exterius, quatenus conversus interius vivificetur.

1. Cor. 2.

1. Cor. 7. 3.

CAPUT XXVI.

Ænea, sanet te Dominus Jesus.

Act. 9. 4.

De requie bonæ operationis. In expositi. B. Job, lib. 23. num. 46.

IN Scriptura sacra aliquando per stratum repausatio in bonis operibus designatur. Unde Petrus dicit Apostolus: *Ænea, sanet te Dominus Jesus Christus: surge, & sterne tibi*. Quid est dicere, *surge*, nisi mala, quæ perpetrasti, derelinque? Et quid est dicere, *sterne tibi*, nisi mercedis causas, in quibus requiescere debeas, operare? ut & deserat surgendo quod fecit, & inveniat sternendo quod fecerit. Quod utrumque breviter Propheta comprehendit, dicens: *Declina a malo, & fac bonum*. Declinare quippe a malo, est ab eo quo jacuit, surgere: bonum vero facere, est mercedis opera, in quibus requiescere debeat, præparare. Qui enim declinat a malo, sed bona adhuc non facit, surrexit quidem ab eo quo jacuit, sed ubi requiescere debeat, necdum stravit.

Psal. 36. 27. & 33.

CAPUT XXVII.

Tabitham Petrus suscitavit.

Act. 9.

De Tabitha per Apostolum resuscitata, & de miraculis faciendis. Dialog. lib. 1. cap. 12. Johan. 1. 12.

QUI devota mente Deo adhærent, cum rerum necessitas exposcit, exhibere signa duobus modis solent, ut mira quæque aliquando ex prece faciant, aliquando ex potestate. Cum enim Johannes dicat: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Qui filii Dei ex potestate sunt, quid mirum si signa facere ex potestate valeant? Quia enim utroque modo miracula exhibeant, testatur Petrus, qui Tabitham mortuam orando suscitavit: Ananiam vero & Saphiram mentientes, morti increpando tradidit. Neque enim orasse in eorum extinctione legitur, sed solummodo culpam quam perpetraverant, increpasse. Constat ergo, quia aliquando hæc ex potestate, aliquando vero exhibent ex postulatione: dum & istis vitam increpando abstulit, & illi reddidit orando.

CAPUT XXVIII.

Orationes tuæ, & eleemosynæ ascenderunt in conspectu Dei.

Act. 10. 4.

De Cornelio Centurione, & profectu fidei. Homil. 19. in Ezech. n. 9.

VIr quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, religiosus, & timens Deum. Nequaquam ex virtutibus venitur ad fidem, sed per fidem pertingitur ad virtutes. Cornelius enim Centurio, cujus eleemosynæ ante baptismum, Angelo teste, laudatæ sunt, non ex operibus venit ad fidem, sed ex fide venit ad opera; nam & ei per Angelum dicitur: *Orationes tuæ, & eleemosynæ ascenderunt in conspectu Dei*. Si enim Deum vere, & ante baptismum non crediderat, quid orabat? vel quomodo omnipotens Deus hunc exaudierat, si non ab ipso se in bonis perfici petebat? Sciebat igitur Creatorem omnium Deum, sed quod ejus omnipotens Deus filius incarnatus esset, ignorabat. Neque enim poterat bona agere, nisi ante credidisset: scriptum quippe est: *Sine fide impossibile est placere Deo*. Fidem ergo habet, cujus orationes & eleemosynæ placere possunt. Bona autem actione promeruit, ut Deum perfecte cognosceret, & incarnationis ejus mysterium crederet, quatenus ad sacramenta baptismatis perveniret. Per fidem ergo venit ad operationem, sed per opera est solidatus in fide.

Hebr. 11. 6.

CAPUT XXIX.

Et nunc mitte viros in Joppen, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus: hic dicet tibi, quid te oporteat facere.

Act. 10. 5. & seq.

Homil. 9. in Ezech. n. 6.

NEC fides sine operibus, nec opera sine fide adjuvant, nisi fortasse pro fide percipienda fiant: sicut Cornelius ante pro bonis operibus meruit audire, quam fidelis existeret. Qua ex re colligitur, quia bona opera pro fide percipienda faciebat. Nam cui ab Angelo dicitur: *Orationes tuæ, & eleemosynæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*: & mox pro eadem ascensione præcipitur, ut ad Simonem mittat, qui ei veniens prædicare debeat; constat quia hoc petiit, unde meruit exaudiri.

Ibid. 4.

CAPUT XXX.

Ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam: & cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus: & vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis summitti de cælo in terram: in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli, &c.

Act. 10. 9. & seq.

De Apostolorum prædicatione. In expositi. B. Job, lib. 30. num. 26.

APOSTOLI recte catuli sanctæ Ecclesiæ vocari possunt, qui in Ecclesia editi, adversantem mundum ore rapuerunt. Isti catuli necdum post passionem Domini, sancti-Spiritus infusione solidati, clausis foribus quasi in quibusdam abditis specubus suis rapturi mundum cubabant: ut animarum prædam postmodum præsumen-

mentes diriperent, ut culpam nostram interficerent, omnemque in nobis peccati vitam necarent. *In exposit. B Job. lib. 31. num. 53.* Horum primo illi esurienti catulo, sed jam valenti, ostensa per linteum Gentilitate quasi monstrata præda dicitur: *Macta & manduca*. Sub typo fortis mulieris Salomon de sancta Ecclesia dicit: *Sindonem fecit & vendidit*. *Prov. 31.24.* Quid signatur linteo sindonis, nisi subtilis intextio sanctæ prædicationis? in qua molliter quiescitur: quia mens in illa fidelium spe superna refovetur. Unde & Petro animalia in linteo demonstrantur: quia peccatorum animæ misericorditer aggregatæ, in blanda fidei quiete continentur. Hanc ergo sindonem Ecclesia fecit, & vendidit: quia fidem quam credendo meruerat, loquendo dedit, & ab infidelibus vitam rectæ conversationis accepit.

CAPUT XXXI.

Act. 10. 13. *Et facta est vox ad Petrum: Surge, Petre, occide & manduca.*

In exposit. B Job, lib. 31. num. 45. SANCTA Ecclesia male viventes in vitiis interficit ore sanctæ prædicationis. Sancti quippe Apostoli, & Pastores alii in Ecclesiæ corpore, quasi dentes idcirco sunt positi, ut vitam carnalium correptione mordeant, eamque a suæ duritia pertinaciæ confringant. Unde & Apostolorum & Pastorum primo quasi denti in Ecclesiæ corpore posito, ostensis in figura Gentibus, dicitur: *Macta & manduca*. Quod enim mactatur, a vita occiditur: id vero quod comeditur, in comedentis corpore commutatur. Macta ergo & manduca dicitur, id est vetustatem earum contere, & a peccato eas, in quo vivunt, interfice: & in corpus Ecclesiæ, videlicet in tua membra illas converte.

CAPUT XXXII.

Act. 10. 17. *Ecce viri a Cornelio missi inquirentes domum Simonis, steterunt ad januam.*

De prophetia. Homil. 1. in Ezech. n. 12. ALIQUANDO prophetiæ spiritus in præsenti mentem ex parte tangit, & ex parte non tangit. Quod Petri Apostoli testatur historia, cum a Cornelio milites missi, ei sunt per Spiritum nuntiati. *Vers. 19.* Scriptum quippe est: *Dixit Spiritus ei: Ecce viri tres quærunt te*. Ad quos ille descendit, & requirens, dixit: *Quæ causa est propter quam venistis?* cujus verbis ostenditur, quia eamdem causam per Spiritum non audierat, quam a militibus requirebat. In præsenti ergo mentem Petri Spiritus & ex parte tetigerat, & ex parte non tetigerat: quia & adesse milites dixit, & pro qua causa venerant, tacuit.

CAPUT XXXIII.

Act. 10. 25. *Factum est cum introisset Petrus, & obvius ei venit Cornelius: & procidens ad pedes ejus adoravit.*

De conversatione Prælatorum. In exposit. B Job, lib. 21. num. 22. BONA est ordine suo potentia, sed cauta regentis indiget vita. Bene igitur hanc exercet, qui per illam scit super culpas erigi, & scit cum illa ceteris æqualitate componi. Sancti itaque viri, qui præsunt, cum deest vitium quod corrigatur, non de excellentia potestatis, sed de conditionis æqualitate gaudent; & non solum a

A subjectis metui, sed etiam plusquam necesse est, refugiunt honorari. Neque enim leve se perpeti damnum humilitatis credunt, si ab eis pro merito fortasse ordinis plutis æstimentur. *Lib. 26. n. 45.* Cum ergo potentiæ temporalis ministerium suscipitur, summa cura vigilandum est ut sciat quisque & æqualem se cum illa ceteris cernere, & tamen se peccantibus zelo ultionis præferre. Quam discretionem plenius cognoscimus, si primi Pastoris exempla cernamus. Petrus enim, auctore Deo, Ecclesiæ principatum tenens, a bene agente Cornelio, & sese humiliter ei prosternente, immoderatius venerari refugiens, honorem super se sibi oblatum recusavit, & ad æqualitatem conditionis suæ citius recurrens, se illius similem recognoB vit, dicens: *Surge, ne feceris, et ego ipse homo sum*. *Act. 10. 26.* Quis enim nesciat quod homo Conditori suo debeat, & non homini prosterni? Quoniam igitur humiliati sibi plusquam debuit, proximum vidit, ne ultra humanitatis metas mens intumesceret, se hominem esse recognovit: quatenus illati sibi honoris elationem frangeret, ex considerata æqualitate conditionis. Sed cum Ananiæ & Saphiræ culpam reperit, mox quanta potentia super ceteros excrevisset, ostendit: verbo enim vitam perculit, quam spiritu perscrutante deprehendit: & summum se intra Ecclesiam contra *Act. 5.* peccata recoluit, quod honore sibi vehementer impenso, coram bene agentibus fratribus non agnovit. Illic communionem æqualitatis meruit C sanctitas actionis, hic zelus ultionis jus aperuit potestatis. Paulus bene agentibus fratribus prælatum se esse nesciebat, cum diceret: *Non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri*. *2. Cor. 1. 23.* Atque illico subjunxit: *Fide enim statis*, ac si diceret: Ideo non dominamur fidei vestræ, quia fide statis. Æquales enim vobis sumus, ubi vos stare cognoscimus. Quasi prælatum se fratribus esse nesciebat, cum diceret: *Facti sumus parvuli in medio vestrum*. *1. Thess 2. 7.* Et rursus: *Nos autem servos vestros per Jesum Christum*: *2. Cor 4. 5.* sed cum culpam, quæ corrigi debuisset, invenit, illico magistrum se esse recoluit, dicens: *Quid vultis? in virga veniam ad vos?* *1. Cor. 4. 3.* Summus itaque locus bene regitur, cum is qui præest, D vitiis potius, quam fratribus dominatur: vitiis enim se debent Rectores erigere, quorum & causa præferuntur: & per disciplinam culpas jure potestatis ferire, sed per humilitatis custodiam æquales se ipsis fratribus qui corriguntur, agnoscere, & eosdem tacita sibi cogitatione præferre. Illorum namque per eos vitia rigore disciplinæ feriuntur, in his vero quæ ipsi committunt, ne verbi quidem ab alio invectione lacerantur. Tanto ergo apud Dominum sunt obligatiores, quanto inulte peccant apud homines. Disciplina vero Prælatorum, subditos tanto divino judicio liberiores reddit, quanto hic eorum culpas sine vindicta non deserit. Servanda est itaque & in corde humilitas, & in opere disciplina. E Inter hæc autem solerter intuendum ne dum immoderatius custoditur virtus humilitatis, solvantur jura regiminis: & dum Prælatus plus se, quam decet, dejicit, subditorum vitam stringere sub disciplinæ vinculo non possit. Teneamus ergo exterius, quod pro aliorum utilitate suscipimus: teneamus interius, quod de nostra æstimatione sentimus. Sed tamen decenter quibusdam erumpentibus signis tales nos apud nos esse ipsi etiam, qui nobis commissi sunt, non ignorent, ut de auctoritate nostra, quod formident, videant: & de humi-

militate quod imitentur, agnoscant. Servata autem auctoritate regiminis, ad cor nostrum sine cessatione redeamus, & consideremus assidue, quod sumus æqualiter cum ceteris conditi, non quod temporaliter ceteris Prælati.

CAPUT XXXIV.

Act. 10. 34.

Non est personarum acceptor Deus.

De potestate Apostolorum. In exposit. B. Job, lib. 28. num. 38. Johan. 20. 23.

CUNCTI Apostoli Ecclesiæ ostia existunt, cum voce sui Redemtoris audiunt: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt;* ac si illis aperte diceretur: Per vos ingredientur ad me hi, quibus vosmetipsos panditis, & repellentur hi quibus obseratis. Nec immerito ostia vocantur, quia & ingressum fidelibus aperiunt, & rursum sese perfidis, ut ingrediantur, opponunt. Pensemus quale ostium Ecclesiæ Petrus extitit, qui investigantem fidem Cornelium recepit: pretio quærentem miracula Simonem repulit. Illi dicens: *In veritate comperi, quoniam non est personarum acceptor Deus*, secreta regni benigne aperuit. Huic inquiens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem:* per districtæ damnationis sententiam aulæ cælestis aditum claudit.

Act. 8. 20.

CAPUT XXXV.

Act. 10.

Paulus lapidatur.

De Paulo in Lystris lapidato. In exposit. B. Job, lib. 31. num. 68.

VIR sanctus & fortis prædicator Domini quo majore persecutione premitur, eo ad prædicandam veritatem acrius instigatur: & cum patienter persecutores tolerat, ardenter ad se auditores trahere festinat. Videamus Paulum zelo sancti Spiritus inflammatum, quomodo persecutorum minas minime formidat. Quomodo inter supplicia positus, peccatores ad se trahere festinat; sicut scriptum est: *Supervenerunt autem quidam ab Antiochia, et Iconio Judæi, et persuasis turbis, lapidantes Paulum traxerunt extra civitatem, æstimantes eum mortuum esse. Circumdantibus autem eum discipulis, surgens intravit civitatem, et postera die profectus est cum Barnaba in Derben. Cumque evangelizassent civitati illi, et docuissent multos, reversi sunt Lystram et Iconium, et Antiochiam, confirmantes animas discipulorum.* Perpendamus ergo quæ hunc prædicantem possent minæ compescere, quando eum ab intentione sua non valet mors ipsa prohibere. Ecce lapidibus obruitur, nec tamen a veritatis sermone removetur. Occidi potest, superari non potest: velut extinctus extra urbem projicitur, sed intra urbem die alio illæsus prædicator invenitur. O quam fortis huic viro inest infirmitas! O quam victrix pœna! O quam dominatrix patientia! Ad arguendum repulsione provocatur, ad prædicandam salutem plagis erigitur, ad propellendam laboris lassitudinem pœna resovetur. Nulla ergo hunc adversitas superare potest, quem pœna fovet.

Act. 14. 18.

CAPUT XXXVI.

Act. 16.

Paulus Timotheum circumcidit.

Quod Paulus Timotheum circumcidit. In exposit. B. Job, lib. 28. nu. 28. & 29.

IN una eademque virtute discretionis lineam deserimus, si hanc & aliquando agere & aliquando postponere nesciamus. Non enim res eadem semper est virtus, quia per momenta temporum sæpe merita mutantur actionum. Unde fit cum quid bene agimus, plerumque melius ab ejus actione cessemus, & laudabilius ad tempus deserat, quod in suo tempore laudabiliter mens tenebat. Nam si pro nostris bonis minimis, quibus actis proficimus, nec tamen intermissis interimus, majora laborum mala proximis imminent, necessario nos virtutum augmenta seponimus; ne infirmioribus proximis fidei detrimenta generemus, ne tanto jam quod agimus virtus non sit, quanto per occasionem sui in alienis cordibus fundamenta virtutum destruit. Quam * vim discretionis bene nobis Paulus ostendit, qui & Gentiles ad libertatem fidei venientes circumcidi prohibuit: & tamen Lystris atque Iconio transiens, ipse Timotheum qui Gentili patre fuerat editus, circumcidit. Videns enim quod nisi se mandata litteræ servare ostenderet, Judæorum rabiem etiam in his qui sibi comites aderant, excitaret: assertionis suæ vim postposuit, & sine damno fidei, se suosque comites a persecutionis immanitate custodivit. Fecit quod fieri fidei amore prohibuit, sed ad fidei retorsit ministerium, quod quasi non fideliter fecit. Plerumque enim virtus cum indiscrete tenetur, amittitur: cum discrete intermittitur, plus tenetur. Sed alta consideratione opus est, ne fortasse nequaquam communis boni consilio, sed timore proprio, vel cujuslibet ambitionis studio, a virtutis exercitatione cessetur. Quod nimirum cum agitur, jam non dispensationi, sed culpæ servitur.

* Gregor. lineam.

Act. 16.

CAPUT XXXVII.

Prohibuit eos Spiritus Jesu.

Act. 16. 6.

Quod Apostoli vetantur in Asia prædicare. Homil. 12. in Ezech. n. 16. Homil. 4 in Evang. n. 1. Act. 21. 18.

PROPTER malos auditores bonis sermo doctoribus tollitur, sicut Paulo dicitur: *Festina, & exi velociter de Jerusalem: quoniam non recipient testimonium tuum de me*. Et sicut volentibus Apostolis prædicare in Asia scriptum est, quia prohibuit eos Spiritus sanctus. (Cum enim Apostoli prædicare Gentibus in Asia voluissent, per Spiritum prohibiti esse memorantur,) & tamen ipse qui prius prædicationem prohibuit, hanc Asianorum cordibus postmodum infudit: nam diu est quod Asia cuncta jam credidit. Idcirco ergo prius prohibuit, quod postmodum fecit: quia tunc in illa erant, qui salvandi non erant: tunc in illa erant, qui necdum reparari merebantur ad vitam. Sed tamen utiliter eis prædicationis officium subtrahitur, ne gravius de contemta prædicatione judicari mererentur. Subtili ergo occultoque judicio a quorumdam auribus prædicatio sancta subtrahitur, quia suscitari per gratiam non merentur.

CAPUT XXXVIII.

Mundus sum a sanguine omnium.

Act. 20. 26.

De Prælatis & subditis. Homil. 11. in Ezech. n. 9.

MUltum sibi connexa sunt peccata subditorum, & præpositorum: quoniam ubi subjectus ex sua culpa moritur, ibi is qui præest, quoniam tacuit, reus mortis tenetur. Pensate ergo, fratres carissimi, pensate, quia & quod nos digni Pastores non sumus, etiam ex vestra culpa est, quibus tales Prælati sumus. Et si quando vos ad iniquitatem defluitis, etiam ex nostro reatu est, quod obsistentes, & reclamantes in pravis desideriis non habetis. Vobis ergo & nobis parcitis, si a pravo ope-

opere cessatis: vobis & nobis parcimus, quando hoc quod displicet, non tacemus. O quam libera commissorum sibi sanguine fuerat prædicator egregius, qui dicebat: *Mundus sum a sanguine omnium: non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis*. Si enim non annuntiasset, mundus a sanguine non fuisset: sed quibus omne consilium Dei annuntiare studuit, ab eorum sanguine mundus fuit. In qua voce & nos convenimur, nos constringimur, nos rei esse ostendimur, qui Sacerdotes vocamur, qui super ea mala quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus: quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi, & tacentes videmus; ut rei de subjectorum morte animarum constringimur, quæ semper vivere potuissent, si verba correptionis audissent.

CAPUT XXXIX.

Act. 21. 11. *Virum cujus hæc zona est, sic alligabunt in Jerusalem.*

De vera obedientia. In exposit. B. Job, lib. 35. num. 30.

QUIA nonnumquam nobis hujus mundi jubentur adversa, sciendum summopere est quod si tunc de suo aliquid non habeat, minima est obedientia. Nam cum hujus mundi despectus præcipitur, cum probra adipisci, & contumeliæ jubentur, nisi hæc ex semetipso animus appetat, obedientiæ sibi meritum minuit: quia ad ea quæ in hac vita despecta sunt, invitus nolensque descendit: ad detrimentum quippe obedientia ducitur, cum mentem ad suscipienda hujus seculi probra, nequaquam ex aliqua parte etiam sua vota comitantur. Debet igitur obedientia in adversis ex suo aliquid habere, quatenus tanto sit gloriosior, quanto divino ordini jungitur, etiam ex desiderio. Sed hoc pondus virtutis melius ostendimus, si factum beati Pauli memoremus. (Num. 32.) Paulus divinitus fuerat, ut Jerosolymam ascendere debuisset, admonitus, sicut ipse Galatis dicit: (Galat. 2. 1.) *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Jerosolymam, assumto Barnaba & Tito; ascendi autem secundum revelationem*. Isque cum in itinere Prophetam Agabum reperisset, quanta se adversitas in Jerosolymis maneret, audivit. Scriptum quippe est quod idem Agabus zonam Pauli suis pedibus inserens, dixit: *Virum cujus hæc zona est, sic alligabunt in Jerusalem*; a Paulo autem protinus respondetur: *Ego non solum alligari, sed & mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Jesu: neque enim pretiosiorem facio animam meam, quam me*. Præceptione igitur revelationis Jerosolymam pergens, adversa cognoscit, & tamen hæc libenter appetit: audit quæ timeat, sed ad hæc ardentior anhelat. Paulus itaque, Deo aspera & dura disponente, se studuit ad graviora præparare, & ad adversa etiam ex suo voto ducitur, quia malorum imminentium cognitionem percipit, sed devotione spiritus etiam ad acriora fervescit. Præeunte ergo beati Pauli infracta virtute instituimur, ut si palmam obedientiæ veraciter apprehendere nitimur, adversis hujus seculi etiam ex devotione militemus.

CAPUT XL.

Act 23. 6. *De spe & resurrectione mortuorum ego judicor.*

De dissensione malorum & de resurrectione. In exposit. B

SICUT perniciosum est si unitas desit bonis; ita perniciosius, si non desit malis. Reproborum quippe unitas bonorum vitam tanto durius præpedit, quanto se ei per collationem durior opponit. Unde prædicator egregius gravi Pharisæorum Sadducæorumque persecutione deprehensus, (Job, lib. 34. num. 6. & 9. & Reg. Past. par. 3. cap. 23) eorum unitatem perniciosam sibi Paulus fore conspiciens, inter semetipsos dividere studuit, quos contra se unitos graviter vidit, & clamavit, dicens: *Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum. De spe & resurrectione mortuorum ego judicor*. Qua nimirum voce percussa protinus contra (Regul. Past. par. 3. c. 24. & libr. Mor. loco supra laudato.) se vicissim audientium dissiluit turba. Dumque Sadducæi spem resurrectionemque mortuorum esse negarent, quam Pharisæi juxta sacri eloquii præcepta crederent, facta est in persecutorum unanimitate dissensio. Cumque in duas partes tumultuantium multitudo dividitur, Paulo via ereptionis aperitur. Quem enim turba persequentium unita constrinxerat, divisa laxabat: & divisa turba Paulus illæsus exiit, quæ hunc unita prius immaniter pressit. Eripiuntur etenim justi, dum dividuntur injusti: & ad perfectum vota perveniunt electorum, dum per discordiam confunduntur agmina reproborum. Sed quia sunt nonnulli qui de resurrectione carnis incerti sunt, & hanc tunc rectius docemus, si etiam cordium nostrorum quæstionibus occultis occurrimus; (Hom. 26. in Evang. n. 12.) pauca nobis de ipsa resurrectionis fide loquenda sunt. Multi etenim, sicut nos aliquando fuimus, dum carnem in putredinem ossaque in pulverem redigi per sepulcra conspiciunt, reparari ex pulvere carnem & ossa diffidunt, sicque apud se quasi ratiocinantes dicunt: *Quando ex pulvere homo reducitur? Quando agitur, ut cinis animetur?* Quibus breviter respondemus: quia longe minus est Deo reparare quod fuit, quam creasse quod non fuit. Aut quid mirum, si hominem ex pulvere reficit, qui simul omnia ex nihilo creavit? Mirabilius namque est cælum & terram ex nullis existentibus condidisse, quam ipsum ex terra reparare: sed cinis attenditur, & in carnem redire posse desperatur, & divinæ virtus operationis comprehendi quasi ex ratione quæritur. Qui scilicet hæc idcirco in suis cogitationibus dicunt, quia eis quotidiana Dei miracula ex assiduitate viluerunt. Eam ecce in uno grano parvissimi seminis latet tota, quæ nascitura est, arboris moles. Constituamus enim ante oculos cujuslibet arboris miram magnitudinem, cogitemus unde oriendo cœpit, quæ ad tantam molem crescendo pervenit: invenimus proculdubio ejus originem parvissimum semen. Consideremus nunc ubi in illo parvo grano seminis latet fortitudo ligni, asperitas corticis, saporis, odorisque magnitudo, ubertas fructuum, viriditas foliorum. Contrectatum namque seminis granum non est validum: unde ergo processit ligni duritia? Non est asperum: unde asperitas corticis erupit? Non est saporosum: unde sapor in fructibus? Olfactum nihil redolet: unde odor in fructibus fragrat? Nihil in se viride ostendit: unde viriditas foliorum exivit? Cuncta ergo in semine simul latent, quæ tamen non simul ex semine prodeunt: ex semine quippe producitur radix, ex radice producitur virgultum, ex virgulto fructus oritur, ex fructu etiam producitur semen. Addamus ergo, quia & semen latet in semine. Quid igitur mirum si ossa, nervos, carnem, capillosque reducat ex pulvere, qui lignum, fructus, folia in magna mole arboris ex parvo quotidie semine restaurat? Cum ergo dubitans animus de resurrectionis potentia rationem quærit, earum rerum quæstiones ei inferendæ sunt, quæ & incessanter fiunt, & tamen ratione comprehendi nequaquam possunt: ut dum non valet ex visione rei penetrare quod conspicit, de promissione divinæ poten-

tiæ credat quod audit: auxiliante Mediatore Dei & hominum Domino nostro Jesu Christo, qui & resurrectionis gloriam in suo jam corpore factam ostendit, & in suis membris futuram promisit. Qui vivit & regnat cum Deo Patre, in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

LIBER SEXTUS.

INCIPIUNT EXCEPTIONES SUPER EPISTOLAS B. PAULI APOSTOLI. *

Præfatiuncula in Epistolas beati Pauli Apostoli.

In exposit. B. Job, lib. 35. num. 42. & 47. inverso ordine. Matth. 20.

PAULUS Apostolus quamvis Epistolas quindecim scripserit, sancta tamen Ecclesia non amplius, quam quatuordecim recipit: qui profecto numerus ex perfectis duobus numeris, denario videlicet & quaternario consistit. Denarius quippe numerus in eo perfectus est; quia Lex in decem præceptis concluditur: omnisque culpa non amplius, quam per decem verba cohibetur: & enarrante veritate, operatores vineæ denario remunerantur. Quaternarius vero numerus in eo maxime perfectus esse dignoscitur, quoniam omnis bona & perfecta operatio per quatuor sancti Evangelii libros agnoscitur. Recte ergo sancta Ecclesia Testamentum utrumque custodiens, & tam secundum Legis Decalogum, quam secundum quatuor Evangelii libros vivendo, ad perfectionis se culmen extendens, de Epistolis beati Pauli Apostoli non amplius, quam quatuordecim tenet: ut etiam ex ipso Epistolarum numero ostenderet, quod doctor egregius, Legis & Evangelii secreta rimasset.

CAPITULA

DE EPISTOLA AD ROMANOS.

1 *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.*
2 *Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum.*
3 *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*
4 *Qui reddet unicuique secundum opera ejus.*
5 *Ut sit ipse justus, & justificans.*
6 *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur.*
7 *Quod autem mortuus est peccato, mortuus est semel.*
8 *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.*
9 *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ.*
10 *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.*
11 *Video aliam legem in membris meis.*
12 *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu.*
13 *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.*
14 *Non accepistis spiritum servitutis.*
15 *Non sunt condignæ passiones hujus temporis.*
16 *Vanitati creatura subjecta est.*
17 *Ipsa creatura liberabitur.*
18 *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus.*
19 *Quos præscivit & prædestinavit.*
20 *Qui etiam interpellat pro nobis.*
21 *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos separare.*
22 *Christus qui est super omnia, Deus benedictus.*
23 *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?*
24 *Finis Legis Christus ad justitiam omni credenti.*
25 *Cæcitas ex parte contigit in Israel.*
26 *Concludit Deus omnia in incredulitate.*
27 *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.*
28 *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam.*
29 *Non plus sapere, quam oportet sapere.*
30 *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.*
31 *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus pacem habentes.*
32 *Vis non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa.*
33 *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.*
34 *Carnis curam ne feceritis in desideriis.*
35 *Item unde supra.*
36 *Alius judicat diem inter diem, &c.*
37 *Gentes super misericordia honorare Deum.*
38 *Volo vos sapientes esse in bono.*

EXPOSITIO

SUPER EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD ROMANOS.

CAPUT PRIMUM.

Rom. 1. 21. *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis.*

De superbia & luxuria, & de causa & pœna peccati. In exposit. B. Job, lib. 26. num. 28.

SI vigilanter intenditur ut & mentis humilitas, & carnis castimonia teneatur, cito agnoscimus quia alterum custoditur ex altero. Nam multis sæpe superbia luxuriæ seminarium fuit: quia dum eos spiritus quasi in altum erexit, quasi caro in infimis mersit. Hi enim prius secreto elevantur, sed postmodum publice corruunt: quia dum occultis intumescunt motibus cordis, apertis cadunt lapsibus corporis. Sic sic elati justa fuerant retributione feriendi: ut quia superbiendo se præferunt hominibus, luxuriando usque ad jumentorum similitudinem devolvantur. (Psal. 48. 13.) *Homo quippe cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Jumenta sunt qui usu vitæ carnalis ima petunt. Qui enim carne labitur, jumentorum appetitu prosternitur: quasi scientiæ igitur illos in altum superbia sublevaverat, de quibus Paulus dicebat: *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis.* Quomodo vero in jumentorum, aut plusquam in jumentorum voluptatem ceciderint, subdidit, dicens: (Vers. 24.) *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Ecce ultra appetitum lapsi sunt jumentorum, & caro mersit, quos superba scientia sublevavit: atque inde sub se prostrati sunt, unde super se ire videbantur. Curandum itaque est, & omni custodia mens a superbiæ tumore servanda. Intus enim videt Deus quod mentem elevat, & idcirco foris permittit invalescere quod deponat: intus prius extollitur, quod foris postmodum luxuriæ corruptione feriatur. Occultam videlicet culpam aperta percussio sequitur, ut malis exterioribus interiora puniantur: & cor publice corruat, quod latenter tumebat. Proinde per custodiam humilitatis, servanda est munditia castitatis: si enim pie spiritus sub Deo premitur, caro illicite super spiritum non levatur. (Lib. 1. in Ezech. ho. 11 num. 24. & In exposit. B. Job, lib. 25. num. 22.) In prædictis autem verbis Apostoli, considerandum nobis est quia peccatum, quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est causa peccati, aut peccatum est pœna peccati, aut peccatum simul & causa, & pœna peccati. Omne enim quod prius committitur, peccatum est: sed si citius pœnitendo non tergitur, justo judicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem, etiam in culpam alteram permittit cadere: ut quæ flendo & corrigendo noluit mundare quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare. Peccatum ergo quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum simul est & causa peccati: quoniam ex illo oritur, unde adhuc peccatoris animus altius obligetur. Peccatum vero quod ex peccato sequitur, peccatum simul est & pœna peccati: quia excrescente cæcitate, ex retributione prioris culpæ generatur: ut quasi jam quædam sint in peccatore supplicia, ipsa incrementa vitiorum. Fit vero nonnumquam ut unum idemque peccatum, & peccatum sit, & pœna peccati simul & causa peccati. Ponamus enim ante oculos quempiam rem proximi concupiscere; quam quia aperte non valuit, furto diripuit: sed in furti accusatione positus, se hanc diripuisse jurejurando denegavit. Huic ergo concupiscentia peccatum fuit, & causa peccati, quia per eam venit ad rapinam: ipsum vero furtum, quo rem concupitam diripuit, & peccatum ei factum est, & pœna peccati: quia ex retributione jam non repulsæ concupiscentiæ factum est ut veniret ad furtum, & culpa cordis excresceret in opere & ultione cæcitatis. Sed quia furtum perjurio tegere curavit, ex peccato rursum peccatum genuit: furtum ergo quod ex concupiscentia processit, & perjurium pertulit, peccatum & pœna peccati factum est culpæ præcedenti: peccatum & causa peccati culpæ subsequenti, quia de illa natum, hanc genuit. Quod bene Paulus Apostolus de quibusdam Deum intelligentibus, sed non honorantibus insinuat, dicens: *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis.* Ecce est peccatum & causa peccati, ex qua quid sequatur, adjungit: (Vers. 22. 23.) *Et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt: & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Ecce est peccatum & pœna peccati: sed peccatum solummodo, & pœna peccati esset, si non adhuc ex peccato & aliud sequeretur; nam post infidelitatem eorum subditur: (Vers. 24.) *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Quia igitur cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, ex eo peccato & causa peccati ad hoc quoque perducti sunt ut ad cultum serpentium & volucrum laberentur. Sed quia per hanc etiam cæcitatem usque ad immunditiam, & carnis contumelias ceciderunt, ipsa infidelitatis eorum cæcitas præcedenti intellectui, & peccatum est, & pœna peccati, subsequenti vero immunditiæ peccatum factum est, & causa peccati. Hoc autem nobis cum tremore considerandum est, quomodo justus & omnipotens Deus, cum præcedentibus peccatis irascitur, permittit ut cæcata mens etiam in aliis labatur: (In exposit. B. Job, lib. 16. num. 71.) ut qui prius sciendo rebelles sunt, postmodum ut nesciant excæcentur: sicut de eisdem infidelibus & lubricis, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, paulo post additur: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt.* Quia enim glorificare noluerunt quem cognoverunt, reprobo sensui traditi, ad hoc relicti sunt,

In expofit B. Job, lib. 25. num. 22.

Num. 23.

2. Thess. 2. 16.

Apoc. 22. 11.

Psal. 68. 28.

Deut. 32. 32.

sunt, ut nescirent etiam pensare mala quæ faciebant. Et qui cognoscentes Deum, peccatum superbiæ intelligendo commiserunt, cæcantur etiam ne intelligant quod admittunt. Prioris ergo peccati merito, peccatorum subsequentium fovea tegitur: ut qui malum sciens perpetrat, deinceps juste in aliis etiam nesciens cadat. Hoc quippe agitur, ut culpæ culpis feriantur: quatenus supplicia fiant peccantium ipsa incrementa vitiorum. Nimirum justo judicio augeri culpa permittitur, ut ad feriendum altius quandoque cumuletur. Hinc rursus de quibusdam Paulus dicit: *Ut impleant peccata sua semper*. Hinc voce angelica Johanni dicitur: *Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc*. Hinc David ait: *Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum, & non intrent in justitiam tuam*. Hinc per Moysen Dominus dicit: *Ex vinea Sodomorum, vinea eorum, & propago eorum ex Gomorrha: uva eorum, uva fellis, & botrus amaritudinis in ipsis: furor draconum vinum eorum, & furor aspidum insanabilis. Nonne hæc congregata sunt apud me, & signata in thesauris meis? In die ultionis reddam eis*. Quam multa mala eorum narravit, & tamen illico adjunxit: *In tempore quo lapsus fuerit pes eorum*. Ecce atrocissima illorum facinora describuntur, & tamen ad diem ultionis adhuc subsequens lapsus aspicitur, quo eorum culpæ cumulentur. Habent jam unde feriri mereantur; sed sustinetur tamen adhuc peccatum crescere, ut peccantes possit atrocior pœna cruciare. Jam meretur supplicium peccatum, & causa peccati, sed expectatur adhuc ut augmentum supplicii subroget peccatum & pœna peccati.

CAPUT II.

Rom. 1. 26.

Femina eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam.

De quadripartita dicendi qualitate.

In expofit. B. Job, lib. 2. num. 5.

Job 2. 9.

Matt. 3. 2.

OMNE quod dicitur, quadripartita potest qualitate distingui: si aut mala male, aut bona bene, aut mala bene, aut bona male dicantur. Male enim malum dicitur, cum res perversa suadetur, sicut scriptum est: *Benedic Deo, & morere*. Bonum bene dicitur, cum recte recta prædicantur, sicut Johannes ait: *Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cælorum*. Malum bene dicitur, quando per os dicentis idcirco vitium exprimitur, ut reprobetur, sicut Paulus ait: *Feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum, qui est contra naturam*. Quo loco execranda quoque virorum facinora subdidit, sed honeste inhonesta narravit, ut multos ad honestatis formam, inhonesta narrando revocaret. Male autem bonum dicitur, cum rectum aliquid recto studio non profertur; sicut illuminato cæco

Johan. 9. 28.

Johan. 11. 50.

Pharisæi dixisse perhibentur: *Tu sis discipulus ejus*. Quod maledictionis utique dixerunt studio, non orationis voto, vel sicut Caiphas ait: *Expedit unum mori pro populo, ut non tota gens pereat*. Bonum quippe, sed non bene locutus est; quia dum crudelitatem necis appetiit, redemtionis gratiam prophetavit.

CAPUT III.

Rom. 2. 4.

Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?

De obduratione reproborum, vel damnatione. Lib. 2. in Ezech. ho. 11. num. 25.

SÆPE advenit ut dum superna peccatores expectat clementia, in majorem cordis prosiliant cæcitatem. Quos tanto districtior sequitur sententia, quanto peccantibus eis magna est prærogata patientia; quia divina severitas eo iniquum acrius punit, quo diutius pertulit. Misericors quippe Deus ad pœnitentiam tempus nobis relaxat peccantibus; sed cum ejus gratiæ patientiam nos ad augmentum vertimus culpæ, hoc ipsum tempus, quod ad parcendum pie disposuit, districtius ad feriendum vertit: ut cum reverti quis etiam spatio temporis accepto noluerit, per hoc mala sua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, si converti voluisset. Unde scriptum est: *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam, & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei*. De benignitate ergo omnipotentis Dei iram sibi in die iræ reprobus thesaurizat: quia dum ad pœnitendum tempus accipitur, & ad peccandum exhibetur, ipsum remedium gratiæ vertit in augmentum culpæ. Unde & omnipotens Deus, quia collata remedia conspicit ad augmentum culpæ trahi, ipsam benignitatem, quam contulit, in judicii districtionem vertit: ut inde post amplius feriat, unde modo amplius expectat. Et quia homo deserere malum non vult, ut vivat, augeat unde moriatur.

CAPUT IV.

Rom. 2. 6.

Qui reddet unicuique secundum opera ejus.

De intentione in opere bono. In expofit B. Job, lib. 28. num. 31. 1 Cor. 3. 11.

SICUT aliqua fabrica columnis, columnæ vero basibus innituntur: ita vita nostra in virtutibus, virtutes autem in intima intentione subsistunt. Bases quippe uniuscujusque animæ, sunt intentiones suæ. Et quia scriptum est: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*: tunc bases in fundamento sunt, cum intentiones nostræ in Christo roborantur. Nimirum enim quamlibet summa opera inaniter facimus, si intentiones cordium nostrorum præmia veræ vitæ, quæ in Christo est, non requirunt. Unde cum districtum judicem Paulus describeret, & actionum bona narraret, dicens: *Qui reddet unicuique secundum opera ejus, his quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & incorruptionem*: quia nominata boni operis patientia, quasi totam electæ actionis fabricam dixerat, subtiliter illico ubi bases ejusdem fabricæ consisterent exquisivit, dicens: *Gloriam & honorem, et incorruptionem quærentibus vitam æternam*. Ac si aperte diceret: Et si quidam patientiam boni operis ostendunt, gloriam & incorruptionem non recipiunt, si intentiones cordis, id est bases fabricæ in fundamento non figunt: quia videlicet Deus vel honestæ vitæ ædificium non inhabitat, quod extra se positum non ipse sustentat.

CAPUT V.

Rom. 3. 26.

Ut sit ipse justus, et justificans.

De distantia divinæ & humanæ virtutis. In expofit B. Job, lib. 15. num. 83. Johan. 1. 9. Matt. 5. 14.

OMnes supernæ patriæ electi participatione veræ lucis, quæ Deus est, lumen vocari solent: sed ille lumen illuminans, isti lumen illuminatum; sicut scriptum est: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Istis autem tantummodo dicitur: *Vos estis lux mundi*. Participatione justitiæ, quæ Deus est, illi justitia nuncupantur: sed ille justitia justificans, isti ju-

2. Cor. 5. 21. justitia justificata. De deo quippe dicitur: *Ut sit ipse justus, & justificans;* isti vero dicunt: *Ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*. Aliter ergo venerandum est lumen illuminans, aliter lumen illuminatum: aliter justitia justificans, aliter justitia justificata.

CAPUT VI.

Rom. 6. 9. *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur.*

De hostia salutari. Dialog. l. 4. cap. 57.

CREDENDUM est sacram oblationem salutaris hostiæ non solum viventes adjuvare, verum etiam mortuis, si insolubiles culpæ non fuerint, ad absolutionem multum prodesse: ita ut hoc nonnumquam ipsæ defunctorum animæ videantur expetere. Sed sciendum est, quia illis sacræ victimæ mortuis prosunt, qui hic vivendo obtinuerunt ut eos etiam post mortem bona adjuvent, quæ hic pro ipsis ab aliis fiunt. Inter hæc autem pensandum est, quod tutior via sit, ut bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat dum vivit ipse per se. Beatius quippe est liberum exire, quam post vincula libertatem quærere. Debemus itaque præsens seculum, quia jam conspicimus defluxisse, tota mente contemnere, quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianas carnis ejus & sanguinis hostias immolare. Hæc namque victima singulariter ab æterno interitu animam salvat, quæ nobis illam mortem Unigeniti per mysterium reparat. *Qui licet surgens a mortuis, jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur*, tamen in seipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem Unigeniti filii semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus jungi, unum quiddam ex visibilibus fieri? Sed tamen dum hæc agimus, necesse est ut nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus; quia qui passionis Dominicæ mysterium celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc enim vere pro nobis Deo hostia accepta erit, cum nosmetipsos hostiam fecerimus.

CAPUT VII.

Rom. 6. 10. *Quod mortuus est peccato, mortuus est semel.*

Quod Redemtor noster simpla morte sua duplam nostram destruxit. In expos. B. Job, lib. 6. num. 41.

NOS quoniam & a Deo mente recessimus, & carne ad pulverem redimus, pœna duplæ mortis adstringimur, & flagello vindictæ pro culpa quotidie atterimur. Sed venit ad nos qui pro nobis semel sine culpa, sola carne moreretur, qui simplam suam duplæ nostræ conjungeret, & nos ab utraque morte liberaret, de qua per Paulum dicitur: *Quod autem mortuus est peccata, mortuus est semel.*

CAPUT VIII.

Rom. 6. 12. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.*

De pugna tentationum.

NON potest in hac vita posito homini tentatio deesse peccati. Sed aliud est peccato tentanti resistere, aliud est dominanti servire. Hujus quippe peccati dominium & regnum a discipulorum cordibus repellebat Apostolus, cum dicebat: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*. Non enim ait, non sit: sed non regnet: quia non esse non potest, non autem regnare in cordibus bonorum potest.

In expos. B. Job, lib. 24. num. 11.

CAPUT IX.

Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ. Rom. 6. 19.

De terrenis, seu spiritualibus studiis. In expos. B. Job, lib. 19. num. 49.

JUSTI nequaquam sunt in terrenis studiis fortes, & in cælestibus debiles, sed longius atque distantius studiosos se Deo exhibent, quam seculo fuisse meminerunt. Nam cum quibusdam per prædicatorem nostrum beatum Paulum dicitur: *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ: sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem;* eorum proculdubio infirmitati condescenditur, ac si eis apertius diceretur: Si nequaquam amplius potestis, saltem tales estote in fructu bonorum operum, quales fuistis dudum in actione vitiorum, ne debiliores vos habeat sancta libertas heredes, quos in carne validos habuit usus terrenæ voluptatis.

CAPUT X.

Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Rom. 7. 18.

De gratia divinæ dispensationis. In expos. B. Job, lib. 19. n. 62 & 63.

JACTATUM semen in terra post pluviam gelu premitur: quo foras citius apparere repellitur, eo intus fecundius radicatur, & quo vetatur progredi, cogitur multiplicari: quia cum ab immaturo ortu restringitur, in conceptionis suæ tarditate laxatum ad fructum uberius impletur. Sic Dominus miro modo pectoris nostri ad suscipienda verbi semina prius per occultæ gratiæ pluviam infundit, & postmodum ne in conceptis virtutibus immoderatius profluat, disciplina intimæ dispensationis, quasi glacie premit: ut quam acceptæ gratiæ pluvia irrigat, etiam disciplinæ rigor adstringat; ne si, aut antequam debeat, aut plusquam necesse est conceptas virtutes proferat, fruges in herbam vertat. Si enim viri justi antequam debent aut plusquam debent, proficiant, per profectus sui magnitudinem in elationis defectum cadunt. Videamus, Paulus infusa terra, quanta disciplinæ glacie prematur, dum ait: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*. Qui enim velle habere se asserit, jam per infusionem gratiæ, quæ in se lateant, semina ostendit. Sed dum perficere bonum non invenit, profecto indicat quanta illum dispensationis supernæ glacies premat. An ista glacies eorum corda non presserat quibus dicebat, *ut non quæcumque vultis illa faciatis?* Galat. 5. 17. Ac si aperte diceret: Occulta cordis vestri semina jam prodire in frugem quærunt, sed superni moderaminis gelu premuntur, ut tanto post fecundius exeant, quanto divini judicii prementia pondera patientius portant.

CAPUT XI.

Rom. 7. 23.

Video aliam legem in membris meis.

De utilitate tentationum. In exposit. B. Job. lib. 19. num. 24.

TUNC bene interius custodimur, cum per dispensationem Dei tolerabiliter tentamur exterius, aliquando vitiis, aliquando pressuris. Nam eis quoque quos viros novimus fuisse virtutum, tentationes & certamina non defuere vitiorum. Hinc est enim quod ad consolationem nostram beatus Paulus prædicator egregius de se quædam talia prodere dignatur, dicens: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.* Ad ima quippe trahit caro, ne extollatur spiritus: & ad summa trahit spiritus, ne prosternatur caro: spiritus levat, ne jaceamus in infimis, caro aggravat, ne extollamur ex summis: si non sublevante spiritu nos caro tentaret, perfectione proculdubio tentationis suæ in ima dejiceret. Rursus vero si non tentante carne ad summa nos spiritus sublevaret, in superbiæ casu ipsa nos pejus sublevatione prosterneret. Sed fit certo moderamine, ut dum unusquisque Sanctorum jam quidem interius ad summa rapitur, sed adhuc tentatur exterius, nec desperationis lapsum, nec elationis incurrat: quoniam nec exterior tentatio culpam perficit, quia interior intentio sursum trahit: nec rursum interior intentio in superbiam elevat, quoniam tentatio exterior humiliat, dum gravat. Sicque magno ordine cognoscimus in interiore profectu quid accipimus, in exteriori defectu quid sumus. Et miro modo agitur, ut nec de virtute quisquam extolli debeat, nec de tentatione desperet: quia dum spiritus trahit, & caro retrahit, subtilissimo judicii interni moderamine infra summa, & supra infima, in quodam medio anima libratur.

CAPUT XII.

Rom. 8. 9.

Vos autem non estis in carne, sed in spiritu.

De spirituali conversatione. In exposit. B. Job. lib. 15. num 72.

JUSTI gaudium suum in cælis ponunt, eorumque conversatio in cælis est; & cum in carne sunt, adhuc quasi in carne jam non sunt: quia nulla carnis delectatione pascuntur. Unde quibusdam dicitur: *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu.* Neque enim in carne non erant, qui magistri epistolas, & exhortationis eloquia suscipiebant: sed quasi jam non in carne esse, est de amore carnalium nihil habere.

CAPUT XIII.

Rom. 8. 9.

Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus.

De arrha æternæ hereditatis. Homil. 24. in Evang. n. 6

MEMINISSE debemus, quid de sancto Spiritu dicat beatus Paulus: *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Quasi quidam titulus est divinæ possessionis iste spiritus amoris. Numquid spiritum Christi habet is, cujus mentem odia dissipant, elatio inflat, ira usque ad divisionem mentis exasperat, avaritia cruciat, luxuria enervat? Pensate qui sit spiritus Christi. Profecto ille qui facit amicos & inimicos diligi, terrena despici, pro cælestibus æstuari, carnem proter vitia conteri, mentem a concupiscentiis A frenari. Si ergo vultis jus cognoscere possessionis Dei, personam perpendite possessoris nostri. Ecce enim quod diximus, voce veridica Paulus clamat: *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Ac si aperte dicat: Qui nunc Deo inhabitante non regitur, de divinæ claritatis specie postmodum non lætatur.

CAPUT XIV.

Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore. Rom. 8. 15.

JUDAICUS populus servus fuit, qui non amore filii obsequebatur Domino, sed timore servili. Lex namque sub ultionis persecutione B populum tenuit, ut quisquis sub illa peccaret, protinus morte puniretur; nec Israelitica plebs ex amore, sed Domino serviebat ex timore. Numquam autem impleri justitia potest per timorem, quia juxta Johannis vocem: *Perfecta caritas foras mittit timorem.* Paulus ergo filios adoptionis consolatur, dicens: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater.* Justus enim esse non valet in conspectu Dei, qui ei non per dilectionem, sed per formidinem servit.

De libertate bene operandi. In exposit. B. Job, lib. 11. num. 15.

1. Johan. 4. 18.

CAPUT XV.

C

Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Rom. 8. 18.

ELECTI quidem cum hujusmodi adversa patiuntur, cum inhonestates, contumelias, rerum damna, cruciatus corporis tolerant, esse gravia, quibus exercentur, pensant: sed cum mentis oculum ad æternæ patriæ considerationem tendunt, ex comparatione præmii, quam sit leve quod patiuntur, inveniunt. Quod enim valde esse importabile ex dolore ostenditur, consideratione provida ex remuneratione levigatur. Hinc est quod Paulus semper seipso robustior contra adversa erigitur: quia nimirum finem sui operis præstolatur. Grave namque quod D sustinet æstimat, sed hoc leve per præmii considerationem pensat. Ipse quippe quam sit grave quod patitur, indicat: *Qui in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter se fuisse testatur: quia a Judæis quinquies quadragenas una minus accepit: qui ter virgis cæsus, semel lapidatus est, ter naufragium passus, nocte & die in profundo maris fuit: qui pericula fluminum, latronum, ex genere, ex Gentibus, in civitate, in solitudine, in mari, in falsis fratribus pertulit: qui in labore, & ærumna, in jejuniis multis, in fame & siti, in frigore & nuditate laboravit: qui foris pugnas, intus timores sustinuit:* qui ultra vires gravatum se esse asserit, dicens: *Supra modum* E *gravati sumus, supra virtutem, itaut tæderet nos etiam vivere.* Sed quomodo remunerationis linteo sudorem tanti laboris tergat, ipse denuntiat, dicens: *Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Finem itaque operis præstolatur, & dum profectum remunerationis considerat, vile æstimat quod pene deficiens laborat.

De consolatione pœnitentium. In exposit. B. Job, lib. 8. num. 14.

2. Cor. 11. 23 &c.

2. Cor. 1. 8.

CA-

A

CAPUT XVI.

Rom. 8. 20. *Vanitati creatura subjecta est, non volens.*

De vinculis nostræ mortalitatis. In exposit. B. Job, lib. 5. num. 69.

PRÆTER illas molestias, quas electi Dei patiuntur in mente interius, gravibus necessitatibus, corruptionis vinculis adstringuntur exterius. Esurire quippe, sitire, lassescere vincula corruptionis sunt, quæ scilicet solvi nequeunt, nisi cum in illam immortalitatis gloriam mortalitas nostra permutatur. Replemus enim refectionibus corpus, ne extenuatum deficiat: extenuamus abstinentia, ne nos repletum premat: vegetamus hoc motibus, ne situ immobilitatis intereat: sed citius hoc collocando sisti- B mus, ne ipsa sua vegetatione succumbat: adjumentis hoc vestium tegimus, ne frigus interimat: & quæsita adjumenta projicimus, ne calor exurat. Tot igitur diversitatibus occurrentes, quid agimus, nisi corruptibilitati servimus, ut saltem multiplicitas impensi obsequii corpus sustineat, quod anxietas infirmæ mutabilitatis gravat? Unde bene per Paulum dicitur: *Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter ipsum, qui eam subjicit in spe; quia & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Vanitati quippe creatura non volens subditur, quia homo qui ingenitæ constantiæ statum volens deseruit, pressus justæ mortalitatis pondere, nolens mutabilitatis suæ corruptioni C servit. Sed creatura hæc tunc a servitute corruptionis exuta eripitur, cum ad filiorum Dei gloriam incorrupta resurgendo sublevatur; dignitate libertatis accepta, in filiorum Dei gloriam vertitur: quia unita Deo per spiritum, quasi hoc ipsum, quod creatura est, transisse ac subegisse declaratur. Electos enim nunc pœna corruptionis aggravat, sed tunc incorruptionis gloria exaltat: & quantum ad præsentis necessitatis pondera, nunc in Dei filiis de libertate nihil ostenditur: tantum vero ad subsequentis libertatis gloriam, tunc in Dei famulis de servitute nihil apparebit.

In exposit. B. Job, lib. 8. num. 23.

CAPUT XVII.

Rom. 8. 21. *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

De glorificatione electorum. Lib. 1. in Ezech. hom. 3 num. 13.

DUM præsenti seculo adhuc in nobismetipsis repugnat corruptio, nequaquam ad Deum laudandum, sive contemplandum perfecte libertatem mentis obtinere possumus: sed post præsens ad veram libertatem perveniemus. Tunc enim in nobis vera libertas erit, cum ad gloriam filiorum Dei adoptio nostra pervenerit. Omnes enim electi quandoque in cælestem patriam congregabuntur, & in Deo quem videbunt immutabuntur: tunc perfecte corpus Redemtoris omnis multitudo Sanctorum efficietur, & videndo incorruptionem, nulla incorruptione tenebitur, juxta Pauli vocem dicentis: *Quia* E *creatura ipsa liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei*: eique tunc inhærebunt, ut eis de corruptione, quæ per resurrectionem vincitur, nihil jam in suo sancto amore contradicat, sed unita gloriæ sui Redemtoris fiat. Tunc itaque omnes electi in cælestia sublevati, & omnipotenti Domino capiti suo uniti, laudes omnium liberatori libere reddent & resonabunt, cum viderint sine fine quem laudabunt.

Lib. 1. in Ezech. hom. 8. num. 3.

CAPUT XVIII.

Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Rom. 8. 26.

SPIRITUS sanctus Græca locutione Paraclitus dicitur, quod Latina consolator, vel advocatus interpretatur. Qui idcirco advocatus dicitur, quia pro errore delinquentium apud justitiam Patris intervenit. Consolator autem ideo vocatur, quia de peccati perpetratione mœrentibus, dum spem veniæ præparat, ab afflictione tristitiæ mentem levat. Qui unius substantiæ cum Patre & Filio exorare pro delinquentibus perhibetur: quoniam eos, quos repleverit, exorantes facit. Unde & Paulus dicit: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Minor vero est qui postulat, quam qui postulatur. Quomodo ergo Spiritus postulare dicitur, qui minor non est? Nequaquam igitur postulat qui æqualis est: sed postulare dicitur, quoniam ad postulandum eos, quos repleverit, inflammat.

Quid est quod Spiritus sanctus postulare memoratur. In exposit. B. Job, lib. 2. num. 58. Hom. 30. in Evang. n. 3.

CAPUT XIX.

Rom. 8. 29.

Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.

IN Scriptura sacra quædam de Deo indigna dicuntur, quæ ab humanis in illum qualitatibus trahuntur, dum ad infirmitatis nostræ verba descenditur. Dicitur enim præscius, sicut de illo ait Apostolus: *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui*: cum præscientia non possit esse in Deo. Præscire enim dicitur, qui unamquamque rem antequam veniat, videt; & id quod futurum est, priusquam præsens fiat, prævidet. Deus ergo quomodo præscius, dum nulla nisi quæ sunt futura præsciantur? Et scimus quia Deo futurum nihil est, ante cujus oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt: quippe quia omne quod nobis fuit & erit, in ejus prospectu præsto est; & omne quod præsens est, sciri potest D potius quam præsciri. Et tamen quia ea quæ futura nobis sunt, videt, quæ tamen ipsi semper præsto sunt, humano modo præscire dicitur: quamvis nequaquam futurum prævideat, quod præsens videt. Nam & quæ sunt, ab æternitate ejus non ideo videntur quia sunt, sed ideo sunt quia videntur. In Deo ergo nec præterita, nec futura reperiri queunt, sed cuncta mutabilia immutabiliter durant, & quæ in seipsis simul existere non possunt, illi simul omnia assistunt, nihilque in illo præterit quod transit: quia in æternite ejus modo quodam incomprehensibili cuncta volumina seculorum transeuntia manent, currentia stant.

De præscientia Dei. In exposit. B. Job, lib. 20. num. 63.

CAPUT XX.

Qui etiam interpellat pro nobis. Rom. 8. 34

UNIGENITUS Dei filius homo factus pro nobis, in se humanam naturam suscepit: ut quia puro homini via redeundi non patebat ad Deum, via redeundi fieret per hominem Deum. Longe quippe distabamus a justo & immortali, nos mortales & injusti: sed inter immortalem justum, & nos mortales & injustos, apparuit Mediator Dei & hominum, mortalis & justus: qui & mortem habe-

De gratia nostri Redemtori. In exposit B. Job, lib. 22. num. 42.

beret cum hominibus, & justitiam cum Deo: ut quia per ima nostra longe distabamus a summis, in seipso uno jungeret ima cum summis: atque ex eo nobis via redeundi fieret ad Deum, quo summis suis ima nostra copularet. De quo per Johannem 1. Joh. 21. 1. Apostolum dicitur: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: & ipse est propitiatio pro peccatis; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* De quo Paulus Apostolus dicit: *Christus Jesus qui mortuus est pro nobis, immo qui & resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Unigenito enim filio pro homine interpellare, est apud coæternum Patrem seipsum hominem demonstrare. Ei quippe pro humana natura rogasse, est eamdem naturam in divinitatis suæ celsitudine suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus non voce, sed miseratione: quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo liberavit.

CAPUT XXI.

Rom. 8. 38. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei.*

De caritate. In exposit. B. Job, lib. 10. num. 19. QUISQUIS in solo æternitatis desiderio figitur, nec prosperitate attollitur, nec adversitate quassatur. Dum nil habet in mundo, quod appetat, nihil quod est de mundo pertimescat. Hinc Prov. 12. 21 enim Salomon ait: *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.* Hinc iterum dicit: *Justus quasi leo con-* Prov. 28. 1. *fidens, absque terrore erit.* Tanto enim quisque plenius a se pavorem, qui ex mundo est abjicit, quanto in semetipso verius mundi concupiscentiam vincit. Absque terrore Paulus in corde requiescebat, qui dicebat: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Caritas quippe Dei mentem, quam semel ceperit, a dilectione mundi funditus occidit: & hanc tanto valentius in auctoritatem erigit, quanto & insensibilem contra terrores reddit.

CAPUT XXII.

Rom. 9. 5. *Christus qui est super omnia Deus benedictus in secula.*

De appellatione Dei. Lib. 1. in Ezech. h. 8. num. 3. IN Scriptura sacra aliquando Deus nuncupative, aliquando vero essentialiter dicitur. Exod. 7. 4. Nuncupative sicut ad Moysen ait: *Ecce constitui te deum Pharaonis.* Essentialiter autem Deus Exod. 4. dicitur, sicut ad eumdem ait: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.* Unde beatus Paulus Apostolus de hoc nuncupativo & essentiali vocabulo Dei discretionem facit, cum de Antichristo ait: *Qui adversatur* 2. Thess. 2. 4. *& extollitur super omne quod dicitur deus, aut quod colitur.* Deus enim aliquando dici & homo potest, deus vero coli purus homo non potest. Rursum alibi idem Apostolus volens nuncupativum dei nomen ab essentiali discernere, de Redemtore nostro locutus est, dicens: *Quorum* Rom. 8. 5. *patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Qui enim nuncupative dicitur, Deus inter omnia: qui vero essentialiter, Deus super omnia est. Ut ergo ostendat Christum naturaliter Deum, non habet Deum tantummodo, sed Deum super omnia esse memoravit: quia & electus quisque vel in exemplo justitiæ propagandæ positus, dici Deus potest, sed inter omnia, quoniam nuncupative Deus: Christus autem Deus est super omnia, quia naturaliter Deus.

CAPUT XXIII.

O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Rom. 9. 20.

CUM omnipotens Deus duris nos percussionibus & adversitatibus pulsat, homo seipsum considerans tacet, & divina judicia discutere metuit, quia se pulverem esse cognoscit. Unde per Paulum dicitur: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Respondere Deo non posse convincitur, qui homo nominatur: quia per hoc quod de humo sumtus est, judicia superna discutere dignus non est. Unde hic quoque apte subjungitur: *Vel quis dicere ei potest, cur ita facis?* Auctoris facta semper indiscussa veneranda sunt, quoniam injusta nequaquam esse possunt. Rationem quippe de occulto ejus consilio quærere, nihil aliud est quam contra ejus consilium superbire. Cum ergo factorum causa non deprenditur, restat ut sub factis illius cum humilitate taceatur: quia nequaquam sufficit sensus carnis, ut secreta penetret majestatis. Qui ergo in factis Dei rationem non videt, infirmitatem suam considerans, cur non videat, rationem videt. Unde subsequenter adjungitur: *Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quare me fecisti sic?* Quo enim fecernit figmentum divini operis, eo semetipsum redarguit, ne contra manum resultet operantis: quia qui benigne, quod non erat, fecit; quod est, injuste non deserit. Ad semetipsum ergo in percussione mens redeat, & quod apprehendere non valet, non requirat: ne si divinæ iræ causa discutitur, amplius discussa provocetur: & quam placare humilitas poterat, inextinguibiliter superbia accendat.

De non murmurando in adversitate. In exposit. B. Job, lib. 9. num. 21.

num. 22. Job. 9. 12.

Rom. 9. 20

CAPUT XXIV.

Finis Legis Christus ad justitiam omni credenti. Rom. 10. 4.

TESTAMENTUM vetus unum nobis Mediatorem Dei & hominum nuntiavit: & Testamentum novum eumdem nobis nuntiat in æterna claritate venturum, quem jam pro nobis cognovimus incarnatum. Finis autem utrorumque Christus est: quoniam ipse, quem Lex prædixit, in carne apparuit: & idem ipse, quem nunc Testamentum novum loquitur, in gloria majestatis apparebit: & tunc utrorumque finis erit, cum visus in divinitatis suæ potentia, omnia quæ sunt prædicta, compleverit. Scriptum namque est: *Finis Legis Christus ad justitiam omni credenti.* Finis videlicet non qui consumit, sed qui perficit. Tunc etenim perficit, cum sicut Lex prædixerat, incarnatus apparuit: sed adhuc de ejus judicio multa Testamentum novum loquitur, adhuc multa de ejus regno narrat, quæ necdum videmus impleta. Ecce Evangelium quotidie legitur, ventura vita prædicatur. Tunc igitur erit & novi Testamenti finis, cum ea quæ de se promisit, impleverit: finietur vero Testamentum novum, quia perficietur. Nam cum ipse, de quo loquitur, visus fuerit, ejusdem Testamenti verba cessabunt. Quemadmodum enim Domi-

De duorum Testamentorum fine. Lib. 2. in Ezech. h. 4. num. 14.

num. 15.

minus noster Jesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto præsidet in cælo, legem implevit per mysterium incarnationis & perfectæ humanitats suæ; ita Testamenti novi promissa impleturus est per ostensam gloriam claritatis suæ.

CAPUT XXV.

Rom. 11. 26. *Cæcitas ex parte contigit in Israel.*

De repulsione Judæorum & vocatione Gentium. In exposit. B. Job, lib. 9. num. 9.

PRÆDICATORES sancti, dum recta peccatoribus prædicant quasi stellæ tenebras nostræ noctis illustrant. Dum ergo plebe Judaica in perfidiæ suæ nocte remanente, prædicatores suos Dominus per silentium intra semetipsos retinuit, cæcis iniquorum sensibus cæleste lumen abscondit. Sed sacro attestante eloquio, didicimus quod Judæa quæ nunc deseritur, ad fidei sinum in fine colligetur. Hinc namque per Isa- Isa. 10. 22. jam dicitur: *Si fuerit numerus Israel quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient.* Hinc Paulus ait: *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gen-* Rom. 11. 25 *tium intraret: & sic omnis Israel salvus fieret.* Qui igitur prædicatores suos nunc oculis Judææ subtrahit, sed postmodum ostendit, quasi stellas suas abscondit: ut absconsis prius & post coruscantibus astrorum spiritualium radiis, suæ perfidiæ noctem & nunc repulsa non videat, & tunc illuminata deprehendat. Plebs autem Israelitica, quæ ubertim in fine colligetur, in ipsis sanctæ Ecclesiæ exordiis crudeliter obduratur: nam prædicatores veritatis renuit, verba adjutorii sprevit. Quod tamen auctoris dispensatione agitur, ut nimirum gloria prædicantium, quæ recepta in uno populo latere poterat, in cunctis Gentibus repulsa dilatetur. Cum enim Judæa ad vim persecutionis infremuit, Apostolorum vitam Dominus in cunctarum cognitionem Gentium dilatavit: & illa per judicium in mundum captiva dispergitur, ista ubique per gratiam in honore tenditur. Quis enim gentium Petrum nosset, si in solius Israelitici populi prædicatione remansisset? Quis Pauli virtutes agnosceret, nisi hunc Judæa ad nostram notitiam persequendo transmisisset? Ecce jam qui plagis & contumeliis ab Israelitica plebe repulsi sunt, per mundi fines honorantur. Secreti quippe mira dispensatione consilii prædicatores suos Dominus unde permisit in una gente opprimi, fecit in mundi cardines inde dilatari.

CAPUT XXVI.

Rom. 11. 30. *Conclusit Deus omnia in credulitate.*

Ibid. v. 33. De occultis Dei judiciis. In exposit. B. Job, lib. 29. num. 56. & Dial. lib. 2. cap. 16.

QUAM *incomprehensibilia sunt judicia Dei, & investigabiles viæ ejus!* Incomprehensibilitas divini judicii humanæ mentis oculo non valet penetrari. Quare primum Judæa credidit, Gentilitate omni in perfidiæ suæ obstinatione remanente; postmodum vero ad finem Gentilium corda mollita sunt, & Judæorum infidelitas obdurata. Cum enim misericors Deus Gentes traxit, iratus Judæam repulit; & illa mollia & penetrabilia fidei corda Judæorum, in insensibilitatem versa sunt Gentium; actumque est, ut sicut dudum ad percipiendam fidem Gentilitas fuerat obdurata, ita postmodum ad fidem Gentilitate suscepta, Judææ populus perfidiæ robore duresceret. Unde Paulus Apostolus eisdem Gentibus dicit: *Sicut aliquando vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem; ita & isti non crediderunt in vestra misericordia, ut & ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.* Quam sententiam suam primum quidem de vocatione Judæorum, & repulsione Gentium, postmodum vero de vocatione Gentium, & repulsione Judæorum subtiliter pensans, seque occulta Dei judicia comprehendere non posse considerans, exclamando subjunxit: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus,* Rom. 11. *& investigabiles viæ ejus!* Nemo ergo perscrutari appetat cur cum alius repellitur, alius eligatur: vel cur cum alius eligitur, alius repellatur: quoniam attestante Paulo, inscrutabilia sunt judicia ejus. In his autem verbis Apostoli oritur quæstio. Nam David Propheta Domino loquitur, dicens: *In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris* Psal. 118. 13 *tui.* Et cum minus sit nosse quam pronuntiare, quid est quod Paulus incomprehensibilia esse Dei judicia asserit, David autem hæc se omnia, non solum nosse, sed & in labiis pronuntiasse testatur? Sed sciendum est quod sancti viri inquantum cum Domino unum sunt, sensum Domini non ignorant. Omnes enim qui devote Dominum sequuntur, etiam cum Domino devotione sunt: & adhuc carnis corruptibilis pondere gravati, cum Domino non sunt. Occulta itaque Dei judicia, inquantum conjuncti sunt, sciunt: inquantum disjuncti sunt, nesciunt. Qui enim secreta ejus adhuc perfecte non penetrant, incomprehensibilia ejus judicia esse testantur: qui vero ei mente inhærent, & inhærendo vel sacræ Scripturæ eloquiis vel occultis revelationibus, inquantum accipiunt, agnoscunt, hoc & norunt & pronuntiant. Judicia igitur quæ Deus tacet, nesciunt: quæ Deus loquitur, sciunt. Unde & David Propheta cum dixisset: *In labiis meis pronuntiavi omnia judicia,* protinus addidit, *oris tui.* Ac si aperte dicat: Illa ergo judicia & nosse & pronuntiare potui, quæ te dixisse cognovi. Nam ea quæ ipse non loqueris, nostris proculdubio cognitionibus abscondis. Concordat ergo prophetica apostolicaque sententia: quia & incomprehensibilia sunt Dei judicia, & tamen quæ de ore ejus prolata fuerint, humanis labiis pronuntiantur: quoniam sciri ab hominibus, & prolata prodi possunt, & occultari non possunt. Rursus alia suboritur quæstio si unus fit cum Domino spiritus, qui Domino adhæret, sicut scriptum est: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est;* quid sit quod 1 Cor. 6. 17. idem prædicator egregius Paulus subjungit, dicens: *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Valde enim inconveniens videtur esse, ejus sensum, cum quo unus factus fuerit, ignorare. Sed sciendum est, quia sicut supra breviter dictum est, sancti viri inquantum cum Domino unum sunt, sensum Domini non ignorant. Nam idem quoque Apostolus dicit: *Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita & quæ* 1. Cor. 2. 11 *Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Qui ut ostenderet se nosse quæ Dei sunt, adjunxit: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus,* Vers 12. *sed ipsum qui ex Deo est.* Hinc iterum dicit: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligen-* 1. Cor. 2. 9. *tibus se, nobis autem revelavit per Spiritum sanctum.*

A

CAPUT XXVII.

Rom. 11. 36. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

De concordia duarum Testamentorum in sanctæ Trinitatis confessione. In exposit. B. Job, lib. 29. n. 69. & 70. Isa. 53. 7. Johan. 1. 29.

DIVERSIS temporibus Abel, Isaias, & Johannes apparuerunt: divisi quidem fuerunt tempore, sed non prædicatione. Nam Abel Redemtoris nostri passionem significans, agnum in sacrificio obtulit; de cujus passione Isaias ait: *Sicut agnus coram tondente se obmutescet, non aperiens os suum*. De quo Johannes quoque ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Ecce quidem diversis temporibus missi, & tamen concorditer de nostri Redemtoris innocentia sentientes, eumdem agnum Johannes ostendendo, Isaias prævidendo, Abel offerendo locutus est. Et quem Johannes in ostensione, quem Isaias in locutione, hunc Abel significando in manibus tenuit. Diversis quoque temporibus huic mundo David, Isaias, & Paulus apparuerunt; sed tamen nullus eorum alteri diversum sensit: quia etsi semetipsos non noverant facie, unum tamen didicerunt ex divina cognitione. David quippe ut auctorem omnium Deum in Trinitate ostenderet, dixit: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus*: ac ne tertio Deum nominans, tres deos dixisse putaretur, illico unitatem ejusdem Trinitatis insinuans, addidit: *Et metuant eum omnes fines terræ*. Qui enim non eos, sed eum subdidit, unum tria quæ dixerat, intimavit. Isaias quoque cum laudem de unitate Trinitatis aperiret, Seraphim voces exprimens, ait: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ac ne tertio Sanctum nominans, unitatem divinæ substantiæ scindere videretur, adjunxit: *Dominus Deus Sabaoth*. Qui ergo non Domini dii, sed Dominus Deus addidit, unum existere quod tertio Sanctum vocaverat indicavit. Paulus quoque ut operationem sanctæ Trinitatis ostenderet, ait: *Ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia*. Atque ut unitatem ejusdem Trinitatis intimaret, addidit: *Ipsi gloria in secula seculorum. Amen*. Qui igitur non ipsis, sed ipsi, subdidit, unum naturaliter, tria secundum personas innotuit; quod superius tertio idipsum dixit.

Psal. 66. 8.

Isa. 6. 3.

B

C

CAPUT XXVIII.

Rom. 12. 1. *Obsecro vos, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem.*

De mortificatione carnis. Lib. 2. in Ezech. T. 10. n. 19.

MULTI sunt in Ecclesia sancta positi; qui peccatorum suorum memores, lacrymis se lavant, carnem per abstinentiam macerant, nullis se hujus mundi actionibus miscent; quæ habent, indigentibus tribuunt, & habere quæ non habent non concupiscunt: qui memores æterni judicii semetipsos quotidie Deo sacrificium per lamentum compunctionis mactant. Qui idcirco corpora castigant, quatenus hoc quod per Magistrum Gentium dicitur, impleant: *Ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*. Hostia quippe occiditur, ut offeratur. Sed hostia vivens est corpus pro Domino afflictum; quod hostia dicitur, & vivens: quia vivit in virtutibus, id est a vitiis occisum. Hostia videlicet, quia jam huic mundo est a pravis actibus mortuum; vivens autem, quia cuncta quæ prævalet, bona operatur.

CAPUT XXIX.

Non plus sapere, quam oportet sapere. Rom. 12. 3.

De elata hæreticorum scientia. In exposit. B. Job, lib. 20. num. 18.

HÆRETICI plerumque audacter de natura divinitatis tractant, cum semetipsos miseri nesciant: nec ea quærunt, ex quibus semetipsos ad humilitatem erudiant, mores in tranquillitate disponant, patientiam servent, longanimitatem exhibeant: sed quæ ultra se sunt, perscrutare desiderant. Dumque ad hoc tendunt, quod comprehendere nequeunt, ea cognoscere negligunt, ex quibus erudiri poterant. Quam bene eorum audaciam prædicator egregius refrenat, dicens: *Non plus sapere, quam oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem*. Hinc Salomon ait: *Prudentiæ tuæ pone modum*. Prov. 23. 4.

CAPUT XXX.

Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Rom. 12. 16.

Qualiter veram sapientiam habere possumus. In exposit. B. Job, lib. 13. num. 45. Isa. 5. 21. 1. Cor. 3. 18.

AD veram sapientiam non possunt venire, qui fiducia decipiuntur falsæ suæ sapientiæ; de quibus scriptum est: *Væ, qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes*. Unde & prædicator egregius, hos quos carnaliter sapientes invenerat, ut sapientiam veram perciperent, prius fieri stultos quærebat, dicens: *Si quis inter vos videtur esse sapiens in hoc seculo, stultus fiat ut sit sapiens*. Ac si eis aperte dicat: Stulti esse apud vosmetipsos discite, ut in Deo vere sapientes esse valeatis. Hinc rursum ait: *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos*. Ac si dicat: qui apud semetipsos sapientes sunt, ad veram sapientiam pervenire non possunt. Et per semetipsam Veritas dicit: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ: quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Matt. 11. 25.

CAPUT XXXI.

Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Rom. 12. 18.

D

De pacis societate. Regul. Past. part. 3. c. 22.

SI pacem diligentes ad increpationis verba prosiliant, non debent formidare temporalem pacem sibi turbare: & tamen eamdem pacem integra dilectione debent intrinsecus tenere, quam per invectionem vocis videntur extrinsecus sibi turbare. Hinc Paulus ait: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes*. Hortaturus enim discipulos, ut pacem cum omnibus haberent, præmisit, dicens: *Si fieri potest*; atque subjunxit: *Quod ex vobis est*. Difficile quippe erat, ut si male acta corriperent, habere pacem cum omnibus possent: sed cum temporalis pax in pravorum cordibus ex increpatione nostra confunditur, inviolata necesse est ut in nostro corde servetur. Recte itaque ait: *Quod ex vobis est*: ac si nimirum dicat: Quia pax ex duarum partium consensu subsistit, si ab eis qui corripiuntur, expellitur, integra tamen in vestra qui corripitis mente teneatur. Unde eosdem discipulos rursum admonet, dicens: *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & non commisceamini cum illo, ut confundatur*. Atque illico adjunxit: *Et nolite ut inimicum existimare illum, sed corripite ut fratrem*. Ac si diceret: Pacem cum eo exteriorem solvite, sed interiorem circa illum medullitus custodite: ut peccan-

E

2. Thess. 3. 14.

Vers. 15.

tia

tis mente sic vestra discordia feriat, quatenus pax a cordibus vestris nec abnegata discedat.

CAPUT XXXII.

Rom. 13. 3. *Vis non timere Potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa.*

De discretione in vitiis expugnandis. Regul. Past. part. 3. c. 38

DE duobus vitiis quorum unum nullatenus extinguitur, nisi aliud nutriatur, illud insequendum est ardentius, quod premit periculosius. Sæpe enim quis a ciborum se ingluvia minime temperans, jamjamque pene superantis luxuriæ stimulis premitur, qui hujus pugnæ metu territus, dum se per abstinentiam restringere nititur, inanit gloriæ tentationa fatigatur. Tolerandum itaque ast, ut per virtutem abstinentiæ interim arrogantia contra viventem crescat, ne eum per ingluviem a vita luxuria funditus extinguat. Hinc est quod Paulus cum infirmum auditorem suum perpenderet aut prava adhuc valle ngere, aut de actione recta humanæ laudis retributiona gaudere; ait: *Vis non timere Potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa.* Neque enim ideo bona agenda sunt ut Potestas hujus mundi nulla timeatur, aut per hæa gloria transitoriæ laudis sumatur: sed cum infirmam mentem ad tantum robur ascendere non possa pensaret; ut & pravitatem simul vitaret & laudem, Prædicator egregius & admonendo aliquid obtulit, & aliquid tulit. Concedendo enim levia, subtraxit acriora: ut quia ad deserenda cuncta simul non assurgeret, dum in quodam suo vitio animus familiariter relinquitur, a quodam suo sine dolore tolleretur.

CAPUT XXXIII.

Rom. 13. 12. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.*

De imperfectione electorum in hac vita. In expos. B. Job. lib. 29. num. 3.

NOS omnes qui veritatem in hac vita sequimur, quasi aurora vel diluculum vocari possumus. Aurora namque vel diluculum noctem quidem interiisse nuntiant, nec tamen claritatem dici integram ostentant: sed dum illam pellunt, hanc suscipiunt, lucem permixtam tenebris tenent. Nos similiter quædam jam quæ lucis sunt agimus: & tamen quibusdam adhuc tenebrarum reliquiis non caremus. Per Prophetam quippe Deo dicitur: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Rursumque scriptum est: *In multis enim offendimus omnes.* Paulus quoque ait: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.* Ubi ergo lex peccati cum lege mentis contendit, profecto adhuc aurora est: quia lux quæ jam emicuit, necdum prætereuntes tenebras funditus pressit: adhuc aurora est, quia dum lex carnis legem mentis, & lex mentis legem carnis percutit, inter se vicissim lux & umbra confligit. Unde rursum Paulus cum diceret: *Nox præcessit*; nequaquam subdidit: Dies venit, sed, *dies autem appropinquavit.* Qui enim post discessum noctis non jam venisse, sed appropinquasse diem insinuat, esse se proculdubio ante solem post tenebras adhuc in aurora demonstrat. Tunc vero plene sancta electorum Ecclesia dies erit, cum ei admixta peccati umbra jam non erit; tunc plene dies erit, quando luminis interni perfecto fervore claruerit: tunc plene dies erit, quando nullam malorum suorum tentatu-

Psal. 142. 2. — Jac. 3. 2. — Rom. 7. 23. — num. 4.

A tam memoria tolerans, omnes a se tenebrarum etiam reliquias abscondet.

CAPUT XXXIV.

Carnis curam ne feceritis in desideriis. Rom. 13. 14.

De restringendo gulæ vitio. In expos. B. Job. lib. 30. num. 62.

DISCRETUS vir ac continens, usque ad temperandam necessitatem ventrem reficit, & a voluptate restringit. Sciendum vero est, quia sic voluptas sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat. Nam dum solvi debitum necessitas petit, voluptas explere desiderium suppetit: & tanto gulam securius in præceps rapit, quanto sub honesto nomine necessi-
B tatis explendæ se contegit. Sæpe autem in ipsa edendi via furtiva adjuncta subsequitur, nonnumquam vero impudenter libera etiam præire conatur. Facile est autem deprehendere, cum voluptas ejus necessitatem prævenit: sed valde est difficile discernere eum in ipso esu necessario se occulta subjungit. Nam quia præeuntem naturæ appetitum sequitur, quasi a tergo veniens tardius videtur. Eo enim tempore quo necessitati debitum solvitur: quia per esum voluptas necessitati miscetur, quid necessitas petat, & quid, sicut dictum est, voluptas suppetat, ignoratur. Sæpe vero & discernimus, & quia utramque per experientiam sibi conjunctam novimus, in hoc quod extra metas rapimur, libet ut sciendo fallamur.
C Et dum sibi mens ex necessitate blanditur, ex voluptate decipitur, sicut scriptum est: *Carnis curam ne feceritis in desideriis.* Quæ igitur in desiderio fieri prohibetur, in necessitate conceditur. Sed sæpe dum incauta necessitati condescendimus, desideriis deservimus: nonnumquam vero, dum desideriis immoderatius obviare nitimur, necessitatis miserias augemus. Sic enim necesse est ut artem quisque continentiæ teneat: quatenus non carnem, sed vitia carnis occidat. Nam plerumque dum plus justo caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur: ut ad orationem quoque vel prædicationem non sufficiat, dum incentiva vitiorum in se funditus suffocare festinat. Adjutorem quippe
D habemus intentionis internæ hunc hominem quem exterius gestamus, & ipsi insunt motus lasciviæ, ipsi effectus suppetunt operationis bonæ. Sæpe vero dum in illo hostem insequimur, etiam civem quem diligimus, trucidamus: & sæpe dum quasi concivi parcimus, ad prælium hostem nutrimus. Eisdem namque alimentis vitia superbiunt, quibus nutritæ virtutes vivunt. Et cum virtus alitur, plerumque vires quoque vitiis augentur: cum vero immensa continentia vitiorum vires extenuat, etiam virtus deficiens anhelat. Unde necesse est ut interior homo noster, æquus quidem arbiter præsideat inter se, & eum quem exterius gestat; quatenus ei suus homo exterior, & semper ad debitum ministerium servire sufficiat, &
E numquam superbe libera cervice contradicat. Nec moveat si quid suggerendo submurmurat, dummodo eum semper superposita calce dominationis premat.

num. 63.

CAPUT XXXV.

Item unde supra.

De carne. In expos. B.

PLERUMQUE se ad viam rectitudinis animus accendit, torporem discutit, tantoque in cælesti-

Eee ij bus

Job lib. 9. num. 105. bus desiderio rapitur, ut pene nil ex eo inferius remansisse videatur. Et tamen cum ad carnis curam reducitur; sine qua præsentis vitæ via nullomodo expletur, ita hunc inferius depressum tenet, ac si adhuc de summis nulla contigisset. Auditis verbis cælestis oraculi in amorem patriæ cælestis erigitur, sed resurgente præsentis vitæ studio, sub terrenæ curæ aggere sepelitur: atque in terra cordis nequaquam supernæ spei semen proficit, quia cogitationis infimæ spina densescit. Quam videlicet spinam semetipsam Veritas manu sanctæ exhortationis eradicat, dicens:
Matth. 6. 34. *Nolite solliciti esse in crastinum*. Contra hanc quoque per Paulum dicitur: *Carnis curam ne feceritis*
Rom. 13. 14. *in concupiscentiis*. Sed in his nimirum ducis & militis verbis agnoscimus: quia tunc ab ea mortifero vulnere animus pungitur, cum in ea mensura æquitatis non tenetur. Neque mortali adhuc in carne viventibus funditus cura carnis abscinditur, sed, ut discrete animo serviat, temperatur. Nam quia sollicitos nos esse in crastinum prohibere utcumque curam in præsentibus non negat, quam tendi ad tempus, quod sequitur, vetat. Et nimirum Paulus cum curam carnis fieri in concupiscentia non sinit, procul-
num. 106.
Ibid. multis interjectis. dubio in necessitate concedit. Curandum itaque est, ne aut necessitatis metas cura carnis transeat, aut in eo quod moderate exequitur, de se præsumat. Sæpe vero animus fallitur, ut quod voluptuose appetit, necessarium suspicetur: quatenus omne quod libet, vitæ debitam utilitatem putet. Et sæpe quia effectus providentiam sequitur, in sui fiducia mens levatur. Cumque sibi adesse quod deesse ceteris viderit, cogitatione tacita de magnitudine suæ promissionis hilarescit; tantoque jam a vera provisione longe fit, quanto ipsam quoque elationem, quam patitur, nescit. Unde solerti semper custodiæ intentione pensandum est, vel quid opere agimus, vel quid corde versamus; ne aut mentem præpediens, foris se terrena cura multiplicet, aut saltem de ejus moderamine intus se cogitatio exaltet: ut cum divina judicia temporali circumspectione metimus, sempiterni supplicia horroris evadamus.

CAPUT XXXVI.

Rom. 14. 5. *Alius judicat diem inter diem, &c.*

Quod intellectus, dies appellatur. In exposit. B. Job, lib. 1. num. 28. SICUT ignorantiæ obscuritas sine dubitatione nox cordis est, sic intellectus non immerito dies appellatur. Unde & per Paulum dicitur: *Alius judicat diem inter diem, alius judicat omnem diem*. Ac si aperte dicat: Alius quædam nonnullis intermissis intelligit, alius vero omnia ad intellectum posibilia, ita ut sunt videnda, cognoscit.

CAPUT XXXVII.

Rom. 15. 9. *Gentes super misericordia honorare Deum*.

De secretis divinæ sapientiæ judiciis. In exposit. B. Job, lib. 27. num. 58. 1. Petr. 2. 10. SECRETA sapientiæ Dei sunt judicia, quod Gentilitas, cum nulla apud Deum merita habuerit, reconciliationis tamen gratiam ex sola misericordia accepit. Unde bene per Paulum dicitur: *Gentes autem super misericordia honorare Deum*. Unde rursum scriptum est: *Et quæ non consecuta misericordiam, nunc autem misericordiam consecuta*. Locus igitur misericordiæ Dei est ipsa Gentilitas: cujus culpas districtus judex si juste animadverteret, ad reconciliationem gratiæ numquam veniret. Secreta itaque sapientiæ ejus pauci valent inquirere, sed nullus invenire: quia quod super nos de nobis ab immortali sapientia non injuste disponitur, justum profecto est ut a nobis adhuc mortalibus ignoretur. Sed hæc ipsa sapientiæ illius secreta conspicere, utcumque jam incomprehensibilitatis ejus est potentiam videre: quia etsi in ipsa consiliorum inquisitione deficimus, deficiendo tamen verius discimus, quem timeamus. Ad hæc se Paulus sapientiæ illius secreta tetenderat, & cum secreta Dei judicia de repulsione Judæorum & vocatione Gentilium discuteret, & ad ea pervenire non posset, dicebat: Lib. 10. in Job, num. 7.
O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, vel quis consiliarius ejus fuit? Qui superius etiam ex ipsa inquisitione lassescens, sed tamen ad cognitionem infirmitatis propriæ lassescendo proficiens, præmittit, dicens: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicet figmentum ei, qui se finxit, quare me fecisti sic?* Quia igitur Dei judicia pertingere non valens, ad infirmitatis suæ cognitionem rediit; & ad eruditionem se propriam deficiendo revocavit, ut ita dicam, secreta sapientiæ non inveniens, invenit: quia cum ad superna consilia requirenda lassesceret, didicit ut humilius timeret: quem sua infirmitas a cognitione intima repulit, hunc ei verius humilitas junxit. Rom. 11. 33. Rom. 9. 20.

CAPUT XXXVIII.

Volo vos sapientes esse in bono, simplices autem in malo. Rom. 16. 19.

De prudentia & simplicitate. In exposit. B. Job, lib. 1. num. 2. Regul. Pastor. part. 3. cap. 12. DE beato Job legitur, quod fuerit simplex, & rectus. Nonnulli namque ita simplices sunt, ut rectum quid sit ignorent. Sed eo veræ simplicitatis innocentiam deserunt, quo ad virtutem rectitudinis non assurgunt; quia dum esse cauti per rectitudinem nesciunt, nequaquam innocentes persistere per simplicitatem possunt. Admonendi sunt ergo simplices, ut bono simplicitatis prudentiam semper adjungant, quatenus sic securitatem de simplicitate possideant, ut circumspectionem prudentiæ non amittant. Hinc est quod doctor Gentium Paulus discipulos admonet, dicens: *Volo vos sapientes esse in bono, simplices autem in malo*. Hinc rursum dicit: *Nolite pueri sensibus effici, sed malitia estote parvuli*. Hinc per semetipsam Veritas discipulis præcipit, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*. Utraque enim necessario conjunxit in admonitione, ut simplicitatem columbæ astutia serpentis instrueret, & rursum serpentis astutiam simplicitas columbæ temperaret. Hinc est quod sanctus Spiritus præsentiam suam hominibus non in columba solummodo, sed etiam in igne patefecit. Per columbam quippe simplicitas, per ignem vero zelus indicatur. In columba igitur, & in igne sanctus Spiritus ostenditur: quoniam quicumque illo pleni sunt, sic mansuetudini simplicitatis inserviunt, ut contra culpas delinquentium etiam zelo rectitudinis accendantur. 1. Cor. 14. 20. Matth. 10. 16.

IN-

INCIPIUNT CAPITULA

DE PRIMA EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS.

EXPOSITIO

SUPER PRIMAM EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS.

CAPUT PRIMUM.

1. Cor. 1. 4. *In omnibus divites facti estis.*

De modo reprehendendi probos in culpas prolapsos. In expos. B. Job, lib. 24 n. 41. & maxime lib. 1. in Ezech. ho. 11. n. 17. & 18.

VERECUNDÆ mentes, si quas fortasse culpas admiserint, leniter arguendæ sunt: quia si asperius increpentur, franguntur potius, quam erudiant. Prædicatores itaque justi cum aliquos corrigunt, si in eis ex parte alia fortasse aliquid bonæ operationis potuerint invenire, ad eadem objurgationis verba cum magna dispensatione debent descendere. Quod bene in egregio prædicatore beato Paulo discimus; qui cum Corinthios cognosceret pro amore personarum in schismate divisos, eorum verecundiæ consulens, locutionem suam eis a gratiarum actione, & laudibus cœpit, dicens: *Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu: quia in omnibus divites facti estis in illo.* Multum profecto laudabat, quos in Christo divites in omnibus dicebat. Ecce adhuc blandimenta multiplicat, dicens: *In omni* (Vers. 5.) D *verbo, & in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis.* Testimonium Christi confirmatum est in vobis, dixit, ac si opere peregisset, quod doctrina didicerant. Et mox in laudis consummatione subjunxit: *Itaut nihil vobis desit in ulla gratia, expectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi.* (Vers. 7.) Quæso te, Paule, si jam nihil deest, cur eis scribendo fatigaris? cur in longinquo positus loqueris? Pensemus ergo, fratres carissimi, quantum laudat. Ecce eis gratiam Dei datam asserit, factos divites in omnibus dicit: in omni verbo, & in omni scientia Christi testimonium, id est quod de semetipso moriendo & E resurgendo testatus est, in eorum vita confirmatum esse perhibet, & nihil eis deesse in ulla gratia testatur. Quis rogo, credat, quia paulo post eos corripiat, quos ita laudat? Nam post cetera subjungit: *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* (1. Cor. 1. 10.) Quod enim potuit tam perfectis, tamque laudabilibus schisma subrepere? *Significatum est enim mihi de vobis, fra-* (Vers. 11.)

 tres

tres mei, *ab iis qui sunt Chloes, quia contentiones sunt* A *inter vos*. De quibus contentionibus paulo post
1.Cor. 3.3. subdidit, dicens: *Cum enim inter vos sit zelus, & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem*
1.Cor.1.12. *ambulatis?* Sequitur: *Hoc autem dico quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi*. Ecce quos in omni verbo, & in omni scientia laudaverat, quibus nil deesse in ulla gratia dixerat, paulisper loquens, ad increpandum leniter veniens, divisos erga seipsos reprehendit: & quorum prius salutem narraverat, postmodum vulnera patefecit. Peritus enim medicus vulnus secandum videns, sed ægrum timidum esse conspiciens, diu palpavit, & subito percussit. Prius blanda manu laudes posuit, & postmodum ferrum increpationis fixit. Nisi enim verecundæ B mentes fuerint palpando reprehensæ, itaut ex aliis rebus audiant, quod in consolatione sumant, per increpationem protinus ad desperationem cadunt. Sed numquid mentitus est Paulus, ut prius nil deesse in omni gratia diceret, quibus postmodum dicturus erat unitatem deesse? Absit hoc, ut quis de illo talia, vel desipiens credat: sed quia erant inter Corinthios quidam omni gratia repleti, & erant quidam in personarum favoribus excisi, cœpit a laudibus perfectorum, ut modesta invectione ad reprehensionem pertingeret infirmorum; & in hoc quoque ad medicinam cordis, a medicina corporis usum trahens. Nam cum feriendum vulnus medicus aspicit, prius ea membra quæ circa vulnus sana sunt, palpat; ut post ad ea quæ vulnerata sunt, leniter palpando perveniat. Cum ergo Paulus perfectos in Corinthiis laudavit, sana membra juxta vulnus tetigit: cum vero infirmos de divisione reprehendit, vulnus in corpore percussit.

Num. 15.

CAPUT II.

2.Cor. 2. 13. *Quæ a Deo donata sunt nobis loquimur: non in doctis humanæ sapientiæ verbis.*

De distantia verborum Dei, & eloquentia sæculari. In exposit. B. Job, lib. 18. num. 74.

VERBA mandatorum Dei ab hujus mundi sapientibus differunt, qui dum intendunt eloquentiæ, eorum dicta pulchre apparent: & cum rerum virtute careant, aliud esse quam sunt, verborum compositione quasi superducto colore mentiuntur. At contra doctrina Dei, & prædicatione pulchra est, & puritate conspicua: nec aliud se per fallaciam prætendit exterius, & aliud reservat interius: neque in dictis suis pulchra videri appetit nitore sermonis, sed integritate veritatis. Eloquentiæ ornamenta bene Paulus despexerat, cum dicebat: *Quæ a Deo donata sunt nobis loquimur: non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus*. Malebat quippe sapientiam Dei sola puritate veritatis ostendere, non autem compositione eloquii fucare.

CAPUT III.

1.Cor. 2.11. *Quis scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis* E *qui in ipso est?*

Quod cogitationes hominum nonnisi per exteriores motus patent. In exposit. B Job, lib 15. num. 66. Matt. 7.16 & cap. 17. 19

TUNC spiritus hominis ab altero ignoratur, cum verbis, vel operibus non demonstratur. Nam cum scriptum sit: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, per hoc quod foris agitur, quid intus latet aperitur. Unde recte quoque per Salomonem dicitur: *Quomodo in aquis resplendent prospicientium vultus, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.*

CAPUT IV.

1.Cor. 1. 23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus vero stultitiam.*

De scandalo infidelium in Dei passione. Homil. 6. in Evang. n. 1.

IN Domino nostro Jesu Christo mens infidelium grave scandalum pertulit, cum eum post tot miracula quæ fecerat, morientem vidit. Stultum quippe visum est hominibus, ut pro hominibus auctor vitæ moreretur: & inde contra eum homo scandalum sumsit, unde ei amplius debitor fieri ut honoraretur, debuit. Nam tanto Deus ab hominibus dignius honorandus extitit, quanto pro hominibus & indigna suscepit.

CAPUT V.

1.Cor.2.2. *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos nisi Christum Jesum, & hunc crucifixum.*

De fide Christi, quod in ea salvantur qui cælestia capere nequeunt. Lib. 1. in Ezech. hom. 9. n. 31.

SAcra Scriptura, ea quæ de natura divinitatis, vel de æternis gaudiis narrat, nobis adhuc nescientibus, solis Angelis in secreto sunt cognita: & in sacro eloquio dictis occultioribus atque sublimioribus fortes satiantur; & præceptis apertioribus nos parvuli nutrimur, qui intelligere alta non possumus, in Christi fide salvamur. Unde Corinthiis a beato Paulo dicitur: C *Nihil me judicavi scire inter vos, nisi Christum Jesum, & hunc crucifixum*: ac si diceret: Quia vos capere divinitatis ejus mysteria non posse pensavi, sola vobis humanitatis ejus infirma locutus sum.

CAPUT VI.

1.Cor.1.21. *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.*

De sapientia Dei, quæ Christus est. In exposit. B. Job, lib. 19. num 1.

DOMINUS noster Jesus Christus, qui est Dei virtus & sapientia, de Patre natus ante tempora, in illa nativitate ab humano genere cognosci non poterat. Proinde in humanitate venit, ut videretur: D videri voluit, ut imitaretur. Quæ carnis nativitas despecta visa est sapientibus mundi. Contemserunt enim infirma humanitatis ejus, Deo hæc indigna judicantes, cui tanto magis homo debitor fuit, quanto pro illo Deus etiam indigna suscepit: & pro eo salvando stultitiam prædicationis assumsit; scriptum quippe est: *Quia enim non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes in se*. Verbum quippe Dei, sapientia est. Sed stultitia ejus sapientiæ, dicta est caro Verbi: ut quia carnales quique per carnis suæ prudentiam pertingere non valebant ad sapientiam Dei, per stultitiam prædicationis, id est per incarnationem Verbi, sanarentur, ac si diceret: Cum Deum qui est sapientia, nequaquam per sapientiam suam mundus inveniret, placuit ut Deum hominem factum per humilitatis stultitiam cognosceret: quatenus ejus sapientia ad nostra stulta descenderet, & lumen supernæ prudentiæ luto suæ carnis illuminata nostra cæcitas videret. Natus igitur ex patre sine tempore, ex matre nasci dignatus est in tempore.

CA-

CAPUT VII.

1.Cor. 1. 26. *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.*

De sapienti stultitia Dei. In exposit. B. Job, lib. 20. num. 41.

INTRA sanctam Ecclesiam stulti vocantur, sed tamen nobiles sunt, qui prudentiam carnis, & stultam mundi sapientiam despiciunt, & sapientem sibi profuturam Dei stultitiam appetentes concupiscunt. Scriptum quippe est: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*. Hanc nos stultitiam Paulus comprehendere admonet, dicens: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens*. Hanc stultitiam qui perfecte secuti sunt, voce Sapientiæ audire meruerunt: *Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel*. Ecce relinquentes temporalia, gloriam potestatis æternæ mercati sunt. Quid itaque stultius in hoc mundo, quam sua deserere? & quid in æternitate nobilius, quam cum Deo judicem venire? Horum scilicet judicum nobilitas, Salomone attestante, memoratur, cum hoc quod jam præfatus sum, dicitur: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ*. Valde quippe nobiles considerat, quos Senatores vocat. Hanc in se nobilitatem Paulus aspexerat, cum cognitioni Conditoris per Spiritum junctus, dicebat: *Genus igitur cum simus Dei, non debemus æstimare auro, vel argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cognitionis hominis divinum esse simile*. Genus videlicet Dei dicimur, non ex ejus natura editi, sed per spiritum illius, & voluntarie conditi, & adoptive recreati. Tanto ergo ad hanc nobilitatem quisque erigitur, quanto per acceptam imaginem ad similitudinem illius ex imitatione renovatur. At contra sunt stulti & ignobiles, qui supernam sapientiam semetipsos sequentes fugiunt, in sua ignorantia, quasi in abjectæ prolis vilitate sopiuntur: qui quo id, ad quod conditi sunt, non intelligunt, eo etiam cognationem acceptæ per imaginem generositatis perdunt. Stulti sunt, & ignobiles, quos ab æternæ consortio hereditatis repellit servitus mentis. Scriptum quippe est: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati*; nimirum quisquis se pravo desiderio subjicit, iniquitatis dominio dudum libera mentis colla supponit. Sed huic dominio contradicimus, cum iniquitati, quæ nos ceperat, reluctamus, cum violentæ consuetudini resistimus, & desideria perversa calcantes, contra hanc jus nobis libertatis ingenitæ vendicamus; cum culpam pœnitendo percutimus, & maculas sordium fletibus lavamus. Præterea de stultis & ignobilibus voce prædicatoris egregii dicitur: *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum*. Qui ergo dum terrena sapiunt, ab intima generositate repulsi sunt, stulti simul & ignobiles sunt apud Deum.

Ibid. c. 3. 18. — Matt. 19. 28. — Prov. 31. 23. — Act. 17. 29. — Johan. 8. 34. In exposit. B. Job, lib. 4. num. 71. — 1. Cor. 3. 19.

CAPUT VIII.

1. Cor. 1. 27. *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus.*

Quod per humilitatem Christi, superbia diaboli confusa est. In exposit. B. Job, lib. 31. num. 1.

IN paradiso sano homini diabolus invidens superbiæ vulnus inflixit: ut qui mortem non acceperat conditus, mereretur elatus. Contra hoc inflictum vulnus superbientis, apparuit medicina inter homines humilitas Dei: ut auctoris exemplo humilitate surgerent, qui imitatione hostis elati ceciderunt. Contra superbientem ergo diabolum, apparuit inter homines homo factus humilis Deus, qui ad redemtionem nostram veniens, & suos contra mundi superbiam prædicatores mittens, relictis sapientibus insipientes, relictis fortibus debiles, relictis divitibus pauperes elegit. Ad cognitionem quippe fidei prius stulta mundi collecta sunt, ut post ejus etiam astuta vocarentur, attestante Paulo, qui ait: *Non sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes*. Ipsa namque sanctæ Ecclesiæ principia litterarum perhibentur ignara: ut videlicet cunctis prædicatoribus suis Redemtor ostenderet, quod ad vitam credentes populos non sermo, sed causa suaderet. Præterea, *infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*; actumque est cum pauperibus, quod post etiam divites elati mirarentur. Nam dum novas in illis virtutes aspiciunt, eorum quorum prius contemsere vitam, postmodum obstupuere miracula. Unde mox pavidi ad sua corda redeuntes, extimuerunt sanctitatem in miraculis, quam despexerant in præceptis. Per infirma ergo confusa sunt fortia, quia dum in venerationem vita surgeret humilium, elatio cecidit superborum.

1. Cor. 1. — In exposit. B. Job, lib. 1. num. 25 — 1. Cor. 1. 25. In exposit. B. Job, lib. 31. num. 1.

CAPUT IX.

1. Cor 3. 3. *Cum enim sit inter vos zelus, & contentio: nonne carnales estis?*

De arte magisterii. In exposit. B. Job, lib. 23. num. 42.

SÆpe prædicatores justi quodam decenti moderamine suas culpas coram discipulis indicant, ut illi audientes discant, quomodo semetipsos de suis actionibus subtiliter reprehendant. Tanta vero dispensatione se temperant, ut neque cum se erigunt, intrinsecus rigidi sint: neque rursum cum se humiliant, extrinsecus remissi: quia & in disciplina humilitatem custodiunt, & in humilitate disciplinam. Paulus disciplinam tenuit, cum Corinthiis diceret: *Cum enim sit inter vos zelus & contentio: nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Sed hanc humilitatem in disciplina non perdidit, quia deprecando præmisit, dicens: *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*. Rursum humilitatem tenuit cum eisdem Corinthiis loquens, paulo latius fortasse, quam voluerat, semetipsum reprehendit, dicens: *Factus sum insipiens*. Sed disciplinam in hac humilitate non perdidit, quoniam illico adjunxit: *Vos me coegistis*. Exemplum magnæ humilitatis exhibuit, cum discipulis dixit: *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Dominum nostrum Jesum Christum: nos autem servos vestros per Christum*. Sed in hac humilitate disciplinæ justitiam non amisit, quoniam eisdem delinquentibus dicit: *Quid vultis, in virga veniam ad vos, &c.* Sciunt ergo prædicatores sancti utroque moderamine artem magisterii temperare; & cum delinquentium reatus inveniunt, sciunt modo severe corripere, modo humiliter deprecari. Sed tamen cum stimulante justitia eos severe corrigunt, internæ dulcedinis caritatis erga eos gratiam non amittunt: & eorum amore ardent, in quos aspera correptione sæviunt: seque etiam eis intrinsecus in secreto cordis humiliant, quos duris foris animadversionum stimulis, quasi despiciendo castigant. Plerumque etiam & non despiciendo despiciunt, & non desperando desperant: ut tanto celerius eos a culpa reviviscere ac re-

1. Cor 1. 10. — 2. Cor. 12. 11. — 2. Cor. 4. 5. — 1. Cor. 4. 21.

resilire faciunt, quanto quasi jam vicinius mortis foveam ostentant.

CAPUT X.

1. Cor 3. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit.*

De prædicatione. In exposit. B. Job, lib 27. num. 43. DOMINUS prædicatores suos, & doctores voce sua foris insonat: sed audientium corda per seipsum interius illustrat, Paulo attestante, qui ait: *Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit.* Nequaquam ergo sibi doctores tribuant, quod per exhortationem suam auditores ad summa proficere vident: quia nisi sanctus Spiritus eorum corda repleat, ad aures corporum vox docentium incassum sonat. Formare enim vocem magistri exterius possunt, sed hanc exprimere interius non possunt. Sed inter hæc sciendum est, quod plerumque etiam Deum, qui imbecillis non est, humiliter agentes adjuvamus. Unde per Paulum dicitur: *Dei enim sumus adjutores.* Nam cum ei, quem ipse per internam gratiam infundit, nos exhortationis voce concurrimus; hoc quod ille per Spiritum sanctum agit intrinsecus, nos exterius ministerio vocis adjuvamus. Et tunc solum nostra exhortatio ad perfectionem ducitur, cum in corde fuerit Deus qui adjuvet. Unde & per Paulum dicitur: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Plantare quippe & rigare, adjuvare est: quod utrumque vacuum erit ministerium, si Deus in corde non dat incrementum. Sed qui de sensu suo alta sapiunt, esse humiliter Dei adjutores nolunt: quia dum se Deo utiles esse æstimant, a fructu se utilitatis alienant. Unde & voce Veritatis discipulis dicitur: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.*

In exposit. B. Job, lib 17. num. 27. Ibid. v. 9. Ibid. v. 7. Luc. 17. 10.

CAPUT XI.

1. Cor. 3. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere.*

De appellatione fundamenti. In exposit. B. Job, lib. 28. num. 14. Psal. 86. 1. IN Scriptura sacra per fundamenta prædicatores intelliguntur. Unde David Propheta cum sanctam Ecclesiam in sublimibus Apostolorum mentibus poni, ædificarique conspiceret, dixit: *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Cum vero in sacro eloquio non fundamenta, sed singulari numero fundamentum dicitur, nullus alius nisi ipse Dominus designatur, per cujus divinitatis potentiam nutantia infirmitatis nostræ corda solidantur; de quo & Paulus ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Ipse quippe fundamentum fundamentorum est: quia & origo est inchoantium, & constantia robustorum.

CAPUT XII.

1. Cor 3. 12. *Si quis superædificaverit super hoc fundamentum, aurum & argentum, &c.*

De igne purgatorio. Dialog. lib. 4 cap. 39 DE quibusdam levibus culpis ante judicium purgatorius ignis esse credendus est, pro eo quod Veritas dicit: *Quia si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, non remittetur ei in hoc seculo, neque in futuro.* In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc seculo, quasdam vero in futuro posse laxari. Quod de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Sed tamen, ut prædixi, hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est; sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant sciunt, aut non in gravibus rebus error ignorantiæ. Quæ cuncta etiam post mortem gravant, si adhuc in hac vita positis minime fuerint relaxata. Nam & cum Paulus dicat Christum esse fundamentum, atque subjungat: *Si quis superædificaverit super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam; uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit: si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet: si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quamvis hoc de igne tribulationis in hac vita nobis adhibito possit intelligi: tamen si quis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum est sollicite, quia illum dixit per ignem posse salvari, non qui super hoc fundamentum, ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id est peccata majora, & idcirco duriora, atque tunc jam insolubilia: sed ligna, fenum, stipulam, id est peccata minima atque levissima, quæ ignis facile consumat. Hoc tamen sciendum est, quia illic saltem de minimis nihil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hæc actibus in hac adhuc vita positus, ut illic obtineat, promereatur.

CAPUT XIII.

Comprehendam sapientes in astutia eorum. 1. Cor. 3. 19.

QUÆRENDUM video, cur Paulus sententiis amicorum beati Job tanta auctoritate utitur: si hæ eorum sententiæ Dominica reprehensione cassantur, cum dicitur: *Non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job.* Elyphas quippe verba sunt, quæ Corinthiis Paulus intulit, dicens, sicut scriptum est: *Comprehendam sapientes in astutia eorum.* Quomodo igitur quasi prava respuemus, quæ Paulus ex auctoritate adstruit? aut quomodo attestatione Pauli recta putabimus, quæ per semetipsum Dominus non recta definivit? Sed hæc utraque citius, quam non sint diversa cognoscimus, si ejusdem Dominicæ sententiæ subtilius verba pensamus. Quia nimirum cum diceret: *Non estis locuti coram me rectum,* illico adjunxit: *sicut servus meus Job.* Liquet ergo, quia quædam eorum in dictis recta sunt, sed melioris comparatione superantur. Nam inter alia, quæ irrationabiliter dicunt, multas ad beatum Job fortes sententias proferunt. Sed comparatæ dictis fortioribus, vim fortitudinis amittunt. Mira vero sunt multa, quæ dicunt, nisi in sancti viri adversitatem dicerentur: in semetipsis ergo magna sunt, sed quia virum justum transfigere appetunt, ejusdem magnitudinis pondus perdunt: quia & quamlibet forte frustra jaculum mittitur, ut dura saxa feriantur; eo enim obtusum longius resilit, quo intortum fortiter venit. Igitur amicorum beati Job dicta, licet in quibusdam valde sint fortia, cum tamen sancti viri vitam fortem feriunt, cunctum sui acuminis mucronem retundunt. Quia ergo & in semetipsis magna sunt, sed contra beatum Job nullo modo assumi debuerunt, & Paulus hæc ex virtute pensans in auctoritate proferat; & judex, quoniam incaute prolata sunt, ex quantitate personæ reprehendat. Amicos igitur beati Job, hæreticorum speciem tenentes, in dictis suis

De verbis amicorum beati Job. In exposit. B. Job, lib. 5. num. 27. Job 42. 7. In exposit. B. Job, lib. 6. num. 2.

suis nequaquam per omnia reprobamus: quia A dum superna sententia contra eos dicitur: *Non estis locuti coram me rectum*, & protinus additur: *Sicut servus meus Job*, profecto liquet, quia non omnino despicitur, quod ex melioris comparatione reprobatur. In reprehensione quippe ejus incaute dilabuntur. Sed tamen quia tanti viri amici sunt, ex illius familiaritate mystica multa dicidicerunt. Unde, sicut diximus, eorum verbis etiam Paulus utitur, & hæc in assertionis suæ adjutorium assumens, ex Veritate prolata esse testatur; quæ tamen Veritas recte reprehendit: quia quamlibet fortis sententia, contra sanctum virum proferri non debuit.

Job 42.7.

CAPUT XIV.

1. Cor 4. 3.

Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die.

De examine puræ conscientiæ. In exposit. B. Job, lib. 2 num. 21. & 56. & lib. 1. in Ezech. ho. 9 num. 14.

JUSTI nequaquam humana judicia, sed æterni Judicis examen metuentes aspiciunt; & non solum mala quæ reprobi & perversi sibi ingerunt, sed & eorum verba, quibus suis actibus derogant, contemnunt. Hinc etenim derogantibus sibi Corinthiis Paulus dicebat: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die*. Qui nec in corde suo, unde se reprehendere potuisset, inveniens, adjungit: *Sed neque meipsum judico: nihil enim mihi conscius sum.* Videns autem quia ei ad perfectionem sanctitatis nec suum judicium C sufficeret, subdidit: *Sed non in hoc justificatus sum*. Cur vero non sit justificatus, nec sibimetipsi de seipso crediderit, causam reddidit, cum subjunxit, *Qui autem judicat me, Dominus est*: ac si aperte diceret: Recta quidem egisse me recolo, & tamen de meritis meis non præsumo. Idcirco enim in eo quod mihi nihil sum conscius, justificatum me abnego, nec meo de me judicio credendum existimo: quoniam ad ejus examen ducor, cujus ego judicium non comprehendo: & ab eo qui me judicabit, examinari me subtilius scio. Sæpe enim nostra justitia, ad examen divinæ justitiæ deducta injustitia est: & sordet in districtione Judicis, quod in æstimatione fulget operantis. Districtionem igitur divinæ justitiæ contemplantes, etiam de ipsis operibus pertimescere debemus, quæ nos fortia & sancta esse putamus: quoniam ducta ad æternam regulam nostra rectitudo, si districtum judicium invenit, multis tortitudinum suarum finibus in intimam rectitudinem impingit. Beatus quoque Job, cum per amicorum derogantium linguas, inter dolores vulnerum pateretur jacula verborum, cogitatione protinus ad conscientiam recurrit, atque ubi mentem solidam haberet, aspexit, dicens: *Ecce enim in cælo testis meus, & conscius meus in excelsis*. Qui etiam subdidit: *Verbosi amici mei, ad Deum stillat oculus meus*. Beatus quippe Job inter linguas derogantium inflexa mente persistens, quia in terra se impugnari falsis sermonibus vidit, in cælo testem quæsivit. In omni ergo quod de nobis dicitur, semper taciti debemus ad mentem recurrere, testem interiorem, & judicem quærere. Nihil enim prodest si omnes laudent, cum accuset conscientia: & nihil potest obesse, si nobis omnes derogent, & sola conscientia defendat.

Job 16. 20. Ibid. v. 21.

CAPUT XV.

Auditur inter vos fornicatio. 1. Cor. 5. 1.

De correptione protervorum. Regul. Past. par. 3. c. 8

NONNUMQUAM protervi dum corriguntur, & se vitium minime perpetrare cognoscunt, compendiosius ad correptionem veniunt, si alterius culpæ manifestioris & ex latere requisitæ improperio confundantur: ut ex eo quod defendere nequeunt, cognoscant se tenere improbe quod defendunt. Unde cum proterve Paulus Corinthios adversum se invicem videret inflatos, alius Apollo, alius Pauli, alius Cephæ, alius Christi se esse diceret, incesti cul-B pam in medium deduxit, quæ apud eos, & perpetrata fuerat, & incorrecta remanebat, dicens: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter Gentes: itaut uxorem patris qui habeat; & vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tolleretur de medio vestrum qui hoc opus fecit?* Ac si aperte dicat: Quid vos per proterviam hujus, vel illius esse dicitis, qui per dissolutionem negligentiæ, nullius esse monstratis? Tunc etiam protervos melius corrigimus, cum ea quæ bene egisse credunt, male acta monstramus: ut unde adepta gloria creditur, inde utilis confusio subsequatur.

CAPUT XVI.

Secularia judicia si habueritis. 1. Cor. 6. 4

De dispensationibus Ecclesiasticis. In exposit. B. Job. lib. 19. num. 14. Regul. Past. par. 2 c. 7

A Subjectis inferiora gerenda sunt, a Rectoribus vero summa cogitanda: ut scilicet oculum, qui providendis gressibus præeminet, cura pulveris non obscuret. Caput namque subjectorum sunt cuncti qui præsunt; & ut recta pedes valeant itinera capere, hæc proculdubio caput debet ex alto providere, ne a profectus sui itinere pedes torpeant, cum curvata rectitudine corporis, sese caput ad terram declinat. Hinc Moyses qui cum Deo loquitur, Jetro alienigenæ reprehensione judicatur, quod terrenis populorum negotiis stulto labore deserviat. Cui & consilium mox præbetur, D ut pro se alios ad jurgia dirimenda constituat, & ipse liberius ad erudiendos populos spiritualium arcana cognoscat. Hinc Paulus religiosorum mentes a mundi consortio contestando, ac potius conveniendo suspendit, dicens: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat cui se probavit*. Hinc Ecclesiæ Rectoribus & vacandi studia præcipit, & consulendi remedia ostendit, dicens: *Secularia igitur judicia si habueritis, contemtibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum*: ut ipsi videlicet dispensationibus terrenis inserviant, quos dona spiritualia non exornant. Ac si apertius dicat: Qui minoris meriti sunt in Ecclesia, & nullis magnorum donorum virtutibus pollent, ipsi de terrenis negotiis judicent: quatenus per quos E magna nequeunt, bona minora suppleantur: quia penetrare nequeunt intima, saltem foris operentur necessaria. Quos & contemtibiles nominat, & tamen sapientes vocat, cum dicit: *Sic non est sapiens quisquam inter vos, qui possit judicare fratrem suum*. Qua ex re quid colligitur, nisi ut hi terrenas causas examinent, qui exteriorum rerum sapientiam perceperunt? Qui vero spiritualibus donis ditati sunt, profecto non debent terrenis negotiis implicari, ut dum non coguntur inferiora bona disponere, exercitati valeant bonis superioribus

Exod. 18

2. Tim. 2. 4

1. Cor. 6. 5

bus deservire. Sciendum est enim, quia aliquando in nostris actionibus minora bona prætermittenda sunt pro utilitate majorum. Nam quis ignoret esse boni operis meritum, mortuum sepelire? Et tamen cuidam qui ad sepeliendum patrem se admitti popoſcerat, dictum est: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei*. Postponendum namque erat obsequium hujus ministerii officio prædicationis: quia illos carne mortuos in terram conderet, istos autem anima mortuos ad vitam resuscitaret. Sed inter hæc sciendum est, quia cum proximorum causis exterioribus, qui apte deserviant, desunt; debent hi quoque qui bonis spiritualibus pleni sunt, eorum infirmitati condescendere, terrenisque illorum necessitatibus, inquantum decenter valent, caritatis condescensione servire. Nec tædere debet animum, si sensus ejus contemplationi spiritualium semper intentus, aliquando dispensandis rebus minimis, quasi minoratus inflectitur, quando illud Verbum, per quod constat omnia creata, ut prodesset hominibus, assumta humanitate, voluit paulo minus ab Angelis minorari. Quid ergo mirum, si homo se propter hominem attrahit, dum Creator hominum & Angelorum formam hominis propter hominem suscepit? Nec tamen minoratur sensus, cum sic attrahitur: quia quanto subtilius superiora penetrat, tanto humilius pro Conditoris amore, nec inferiora contemnit.

Luc. 9. 62.
Hebr. 2.

CAPUT XVII.

Quare non magis injuriam accipitis?

1. Cor. 6. 7.

De imperfectis hypocritis. In exposit. B. Job, lib. 31 num. 21.

PAULUS Apostolus discipulos suos cupiens exteriora despicere, ut valeant interna servare, admonet, dicens: *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis, quare non magis patimini?* Et tamen hypocrita assumto sanctæ conversationis habitu, filiorum custodiam deserit, & temporalia quæque defendere etiam jurgiis quærit; & plus terrena, quam cælestia diligens, contra eum qui temporalia diripit, sese in intimis immani odio inflammat. Sciendum vero est, quia sunt nonnulli, quos caritatis gremio nutriens mater Ecclesia tolerat, quousque ad spiritualis ætatis incrementa perducat; qui nonnumquam & sanctitatis habitum tenent, & perfectionis meritum exequi non valent. Ad dona namque spiritualia minime assurgunt: & idcirco his, qui sibi conjuncti sunt, ad ea tuenda, quæ terrena sunt, serviunt, & nonnumquam in defensionis ejusdem iracundia excedunt. Hos nequaquam credendum est in hypocritarum numerum currere, quia aliud est infirmitate, aliud malitia peccare. Hoc itaque inter hos & hypocritas distat, quod isti juxta modum suæ intelligentiæ etiam in rebus seculi militant causis Dei: illi vero pro causis Dei intentioni deserviunt seculi: quia inter ipsa quoque, quæ se agere sancta opera ostendunt, non conversionem quærunt hominum, sed auras favorum: isti non metuunt pravis hominibus etiam de bona actione displicere, dum supernis tantummodo judiciis placeant: illi vero numquam quid agant, sed quomodo de qualibet actione possint hominibus placere considerant. Igitur cum quosdam non despectæ conversationis viros iracunde, vel nimie defendere terrena conspicimus, debemus hoc in illis per caritatem reprehendere, nec tamen nos reprehendendo desperare: quia plerumque uni eidemque homini & insunt quædam judicabilia quæ apparent, & magna quæ latent: in nobis vero sæpe magna in facie prodeunt, & nonnumquam occultantur, quæ reprehendenda sunt. Hinc ergo humilianda est nostræ mentis elatio: quia & illorum infirma sunt publica, & nostra secreta: & rursum fortia illorum secreta sunt, & in publico nostra vulgantur. Quos ergo de aperta infirmitate reprehendimus, superest ut de occultæ fortitudinis æstimatione veneremus: & si se de aperta infirmitate nostra mens elevat, occulta sua infirma considerans, sese in humilitate premat.

Num. 24.

CAPUT XVIII.

Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.

1. Cor. 6. 12.

De frangendo propriæ voluntatis desiderio. In exposit. B. Job, lib. 5. num. 19.

SÆPE hi qui in potestate sunt, dum sese & a licitis retinere nesciunt, ad illicita opera & inquieta dilabuntur. Solus enim in illicitis non cadit, qui se aliquando & a licitis caute restringit. Qua videlicet constrictione religatum bene se Paulum insinuat, dicens: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*. Atque ut ex ipsa religatione ostenderet, in quanta se mentis libertate dilataret, illico adjunxit: *Omnia mihi licent: sed ego sub nullius redigar potestate*. Cum enim mens concepta desideria sequitur, servire rebus convincitur, quarum amore superatur: sed Paulus cui cuncta licent, sub nullius potestate se redegit: quia semetipsum etiam a licitis restringendo, ea quæ delectata premerent, despecta transcendit.

CAPUT XIX.

Bonum est homini mulierem non tangere.

1. Cor. 7. 1.

De causa conjugii. In exposit. B. Job, lib 32. n. 39. & seq. et Reg. Past. Par. 3. c. 27.

CUM mens inter minora & maxima peccata constringitur, si nullus omnino sine peccato evadendi patet aditus, minora semper eligantur: quia & qui murorum undique ambitu clauditur, ne fugiat, ubi brevior murus invenitur, ibi se in fugam præcipitat. Hinc est quod Paulus, cum quosdam in Ecclesia incontinentes aspiceret, concessit minima, ut declinarent majora: & peritus medicinæ cælestis, non tam sanos instituit, quam infirmis medicamina monstravit, dicens: *De quibus scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere; propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat*. Qui enim fornicationis metum præmisit, profecto non stantibus præceptum contulit, sed ne fortasse in terram ruerent, lectum cadentibus ostendit. Unde adhuc infirmantibus subdit: *Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro*. Et quia tunc solum conjuges in admixtione sine culpa sunt, cum non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur, ut hoc etiam quod concesserat sine culpa, quamvis minima non esse monstraret, postquam in magna honestate conjugii aliquid de voluptate largitus est, illico adjunxit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*. Non enim est sine vitio quod ignoscitur, & non præcipitur. Peccatum profecto vidit, quod posse indulgeri prævidit. Culpa quippe esse innuitur, quod indulgeri perhibetur: sed quæ tanto citius relaxetur, quanto non per hanc illicitum quid agitur: sed hoc quod est licitum, sub moderatione non tenetur. Conjuges enim scire debent, suscipiendæ pro-

1. Cor. 7. 1. 2.
Ibid. v. 6.

prolis causa se esse conjunctos; & cum immoderatæ servientes admixtioni, propagationis articulum in usum transferunt voluptatis, perpendant quod licet extra non exeant, in ipso tamen conjugio, conjugii jura transcendunt. Unde necesse est ut crebris orationibus defleant, quod pulchram copulæ speciem, admixtis voluptatibus fœdant. Sed cum in dubiis constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus: ita plerumque antiqui hostis versutia solvitur, cum ad virtutes maximas per commissa minora transitur.

CAPUT XX.

1. Cor. 7. 9. *Melius est nubere, quam uri.*

De conjugio legitimo. Cura past. par. 3 c. 27. 1. Cor. 6. 9.

QUI conjugiis non sunt obligati, nequaquam sine judicio damnationis misceri se putent vacantibus feminis. Cum enim Paulus fornicationis vitium tot criminibus execrandis inseruit, cujus sit reatus indicavit, dicens: *Neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* Si igitur tentationum procellas cum difficultate salutis tolerant, conjugii portum petant. Scriptum quippe est: *Melius est nubere, quam uri:* sine culpa scilicet ad conjugium veniunt, si tamen necdum meliora voverunt. Nam quisquis bonum majus subire proposuit, bonum minus quod licuit, illicitum fecit. Scriptum quippe est: *Nemo* Luc 9. 62. *mittens manum suam super aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Qui igitur fortiori studio intenderat, retro respicere convincitur, si relictis bonis amplioribus ad minima retorquetur. *Tribulationem* 1. Cor. 7. 28. *tamen carnis habebunt hujusmodi:* tribulationem carnis hic pati possunt, etiam qui spiritualiter vivunt. In exposit. B. Job, lib. 12. num. 27. Cur ergo inesse conjugibus carnis tribulatio, quasi spiritualiter dicitur, quæ etiam a vita spiritualium longe non esse cognoscitur? Ideo scilicet, quod hi frequenter majores tribulationes ex carne suscipiunt, qui carnis voluptatibus delectantur, & eis insistunt. Considerare autem debent Pastores & Rectores, quod Paulus, qui in Paradisum ducitur, cælique Cura past. par. 2. cap. 5. tertii secreta rimatur, & tamen illa invisibilium contemplatione suspensus, ad cubile carnalium mentis aciem revocat, & in occultis suis qualiter de- 2. Cor. 12. 3. 4 beant conversari, dispensat, dicens: *Uxori vir debitum* 1. Cor. 7. 3. *reddat, similiter & uxor viro:* Et paulo post: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Et iterum: *Revertimini in idipsum.* Ecce jam cælestibus secretis inseritur, & tamen per condescensionis viscera carnalium cubile perscrutatur. Et quem sublevatus ad invisibilia erigit, hunc miseratus ad infirmantium secreta oculum cordis flectit. Cælum contemplatione transcendit, nec tamen statum carnalium sollicitudine deserit. Similiter Rectores & Doctores alta contemplatione petentes, non debent proximorum infirma despicere, aut infirmis proximorum congruentes, non debent alta derelinquere.

CAPUT XXI.

1. Cor. 7. 25. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo.*

Quod virginitas ultra debitum sit. In exposit. B. Job, lib. 15. num. 22.

EXERCITATI in bonis operibus electi nonnumquam plus student agere, quam eis Dominus dignatus est jubere: carnis enim virginitas nequaquam est jussa, sed tantummodo laudata. Nam si illa deberetur, nimirum jam conjugium culpa crederetur. Et tamen multi virtute pollent virginitatis, ut videlicet plus impendant obsequio, quam acceperunt præcepto. Et sciendum quod sunt nonnulli hæretici, qui ita virginitati carnis student, ut nuptias damnent: sicut etiam sunt nonnulli, qui ita abstinentiam laudant, ut fomentes alimenta necessaria detestentur, de quibus scriptum per Paulum dicitur: *Prohibentium nubere, & abstinere a cibis: quos creavit Deus ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus.* In exposit. B. Job, lib. 16. num. 10. 1. Tim. 4. 3.

CAPUT XXII.

Qui habent uxores, tamquam non habentes sint. 1. Cor. 7. 29.

PAUCIS datum est omnia relinquere, curas mundi postponere, solis desideriis æternis inhiare. Non ergo, fratres, audemus vobis dicere, ut omnia relinquatis: sed tamen, si vultis, omnia etiam retinendo relinquitis, si sic temporalia geritis, ut tamen tota mente ad æterna tendatis. Hinc Paulus Apostolus dicit: *Tempus breve est: Reliquum est, ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint: & qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi.* Uxorem namque habet, sed quasi non habens, qui transitoria esse cuncta conspiciens, curam carnis ex necessitate tolerat, sed æterna gaudia spiritus ex desiderio expectat: qui scit debita carnis sic exsolvere, ut tamen per eam mundo tota mente non cogatur inhærere. Nam, cum idem rursum egregius Prædicator dicat: *Qui habet uxorem, cogitat quæ sunt hujus mundi, quomodo placeat uxori.* Ille uxorem habet, quasi non habens, qui sic studet placere conjugi, ut tamen non displiceat Conditori: qui sic per illam carnali consolatione utitur, ut tamen numquam ad prava opera a melioris intentionis rectitudine, ejus amore flectatur. Flet quoque, sed tamquam non fleat, qui sic temporalibus damnis affligitur, ut tamen de æternis lucris semper animum consoletur. Flendo enim non flere est, sic exteriora adversa plangere, ut tamen noverit æternæ spei consolatione gaudere. Gaudet vero, sed tamquam non gaudeat, qui sic de temporalibus bonis hilarescit, ut tamen semper perpetua tormenta consideret: & in hoc, quod mentem gaudio sublevat, hanc continuo pondere providi timoris premat. Emit autem, sed quasi non possidens, qui & ad usum terrena præparat, & tamen cauta cogitatione prævidet, quod hæc citius relinquat. Mundo corde utitur, sed quasi non utatur: qui & necessaria cuncta exterius ad vitæ suæ ministerium redigit, & tamen hæc eadem non sinit suæ menti dominari, ut subjecta foris serviant, & numquam intentionem animi ad alta tendentis frangant, ubi aperte quoque subdidit: *Præterit enim figura hujus mundi*, ac si aperte diceret: Nolite constanter mundum diligere, quando & ipse non potest, quem diligitis, stare. Incassum cor quasi manentes figitis, dum fugit ipse, quem amatis. Quos igitur in hoc mundo necessitas ligat, ut ex omni parte exui a mundo non possunt, sic debent ea, quæ mundi sunt, tenere, ut tamen eis nesciant ex mentis fractione succumbere: & cum relinquere cuncta, quæ mundi sunt, non possunt, tunc bene exterius agent, si ardenter interius ad æterna festinant.

Qualiter se habere debeant conjuges. Cura past. par. 3. c. 27. 1. Cor. 7. 33. Ibid. v. 31.

CAPUT XXIII.

1 Cor. 7. 33. *Qui autem cum uxore est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori.*

De conjugio. In exposit. B. Job, lib. 26. num. 44.

IN usu vitæ mortalis quædam ex semetipsis sunt noxia, quædam vero ex his quæ versantur circa ipsa. Ex semetipsis quædam sunt noxia, sicut peccata sunt atque flagitia; quædam vero nonnumquam nobis ex his nocent, quæ circa ipsa sunt, sicut temporalis potentia, vel conjugalis copula: bonum namque est conjugium, sed mala sunt quæ circa illud ex hujus mundi cura succrescunt. Unde etiam Paulus quibusdam meliora persuadens, eos a conjugio revocat, dicens: *Hoc autem dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Domino serviendi.* Dum ergo tenetur quod non nocet, ex rebus juxta positis committitur plerumque quod nocet: sicut sæpe rectum mundi iter pergimus, & tamen ortis juxta viam vepribus, per vestimenta retinemur. In via quidem munda non offendimus, sed a latere nascitur quo pungamur. Magna est etiam temporalis potentia, quæ habet apud Deum meritum suum de bona ministratione regiminis, nonnumquam tamen præter alia mala, eo ipso quo præeminet ceteris, elatione cogitationis intumescit. Ibid. v. 35.

CAPUT XXIV.

1 Cor. 7. 35. *Hoc ad utilitatem vestram dico.*

Cura past. par. 3. c. 27.

PAulus cum quosdam ad cælibatus gratiam instrueret, non conjugium sprevit, sed curas mundi nascentes ex conjugio repulit, dicens: *Hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam; sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* Ex conjugiis quippe terrenæ sollicitudines prodeunt, & idcirco Magister Gentium auditores suos ad meliora persuasit, ne terrena sollicitudine ligarentur. Quem ergo cælibem curarum secularium impedimentum præpedit, & conjugio nequaquam se subdidit, tamen onera conjugii non evasit.

CAPUT XXV.

1 Cor. 8. 1. *Scientia inflat, caritas ædificat.*

De scientia hypocritarum. In exposit. B. Job, lib. 8. num. 72.

MENS hypocritarum concupiscentiis exterioribus occupata, igne divini amoris non calet; & idcirco ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt, quia verba de frigido corde proferunt. Neque enim res, quæ in semetipsa non arserit, alios accendit. Unde fit plerumque, ut hypocritarum dicta, & audientes non erudiant, & eosdem ipsos, qui ea proferunt, elatos laudibus, deteriores reddant. Attestante enim Paulo: *Scientia inflat, caritas ædificat.* Cum ergo caritas ædificando non erigit, scientia inflando pervertit.

CAPUT XXVI.

1 Cor. 8. 2. *Qui se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire.*

De perfecta scientia. In exposit. B. Job, lib. 27. num. 62.

PERFECTA scientia est, in hoc quidem mundo vivere, sed de hujus mundi concupiscentia nihil habere, aliena non appetere, propria non tenere, laudes mundi despicere, & pro Deo opprobria amare, gloriam mundi fugere, despectum sequi, adulantes despicere, despicientes honorare, mala nocentium ex corde dimittere, & erga eos dilectionis gratiam immobilem in corde retinere. Perfecta quidem scientia est, hæc cuncta sollicite agere, & se de suis meritis scire nihil esse. Unde & ipsi discipuli Domini de hac scientia perfecta docentur, cum eis voce Veritatis dicitur: *Cum feceritis hæc omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus.* Perfecta Luc. 17. 10. scientia est scire omnia, & tamen juxta quemdam modum scientem se esse nescire, de qua bene per Paulum dicitur: *Qui se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire.* In B hoc itaque mundo dum vivimus, tunc perfecte quæ scienda sunt, scimus, cum proficientes per intelligentiam nil nos perfecte scire cognoscimus. Quia enim prima stultitia Angeli, elatio cordis fuit, vera sapientia efficitur hominis, humilitas In exposit. B. Job, lib. 18. c. 3. suæ æstimationis. Quam quisquis vel magna sapiendo deserit, eo ipso vehementer desipit, quo semetipsum nescit.

CAPUT XXVII.

Videte ne licentia vestra offendiculum fiat infirmis. 1. Cor. 8. 9.

De scandalo vitando. Curae past. par. 3. c. 35.

CUM prava æstimatio inquantum sine pecca- C to valet, ab intuentium mente non tergitur, cunctis mala credentibus per exemplum culpa propinatur. Unde plerumque contingit, ut qui negligenter de se mala opinari permittunt, per semetipsos quidem nulla iniqua faciant: sed tamen per eos, qui se fuerint imitati, multiplicius delinquant. Hinc est quod Paulus non munda quædam sine pollutione comedentibus, sed imperfectis, tentationis scandalum sua hac comestatione moventibus dicit: *Videte ne forte hæc licentia vestra, offendiculum fiat infirmis.* Et rursum: *Et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est.* Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.

D

CAPUT XXVIII.

Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus. 1. Cor. 9. 11.

De dispendiis prædicatorum. Homil. 17. in Evang. n. 7. Luc. 10. 7.

DIgnum est ut Prædicatores ab eis terrena consequantur stipendia, quibus patriæ cælestis offerunt præmia; quia sicut dicit ipsa Dei sapientia: *Dignus est operarius mercede sua.* Quia jam de mercede operis sunt ipsa alimenta sustentationis, ut hic merces de labore prædicationis inchoetur, quæ illic de veritatis visione perficitur. Qua in re considerandum est quod uni nostro operi duæ debentur mercedes: una in via, altera in patria: una, quæ nos in E labore sustentat, alia, quæ nos in resurrectione remunerat. Merces itaque, quæ in præsenti recipitur, hoc in nobis debet agere, ut ad sequentem mercedem robustius tendatur. Verus itaque Prædicator quisque non ideo debet prædicare, ut in hoc tempore mercedem recipiat, sed ideo mercedem recipere, ut prædicare subsistat. Quisquis namque ideo prædicat, ut hic vel laudis, vel muneris mercedem recipiat, æterna proculdubio mercede se privat. Quisquis vero vel ea quæ dicit, ideo placere hominibus appetit, ut dum placet, quod dicitur, per ea-

eadem dicta, non ipsa, sed Dominus ametur: vel idcirco terrena stipendia in prædicatione consequitur, ne a prædicationis voce per indigentiam lasset, huic proculdubio ad recipiendam mercedem nihil obstat in patria, quod sumtus sumsit in via. Hos itaque sumtus a Corinthiis, quibus prædicebat Paulus, pro minimo suscipiens, dicit: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus.*

CAPUT XXIX.

1. Cor. 9. 20. *Factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem.*

De benigna discretione Rectorum. Curs past. p. 2. c. 5.

RECTOR debet esse præ cunctis contemplatione suspensus, & singulis compassione proximus; ut per speculationis altitudinem semetipsum quoque invisibilia appetendo transcendat & per pietatis viscera in se infirmitatem ceterorum transferat. Hinc est quod beatus Paulus compage caritatis summis & infimis junctus, & in semetipso virtute spiritus ad alta volante rapitur, & in aliis pietate æquanimiter infirmatur, dicens: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* (2. Cor. 11. 29) Hinc rursus ait: *Factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer: & his, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, (cum ipse non essem sub lege) ut eos qui sub lege erant, lucrifacerem: & iis, qui sine lege sunt, quasi sine lege essem, (cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi) ut lucrifacerem eos, qui sine lege sunt.* (In exposit. B. Job, lib. 6. num. 34.) Et paulo post: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Quod videlicet exhibebat non amittendo fidem, sed extendendo pietatem, in personam se infidelium transfigurans, ex semetipso disceret, qualiter aliis misereri debuisset: quatenus hoc illis impenderet, quod sibi ipse, si ita esset, impendi recte voluisset. Neque enim egregius Prædicator, ut quasi Judæus fieret, ad perfidiam erupit: neque ut quasi sub lege esset, ad carnale sacrificium rediit: neque ut omnibus omnia fieret, simplicitatem mentis in erroris varietatem commutavit, sed condescendendo appropinquavit infidelibus, non cadendo; ut videlicet singulos in se suscipiens, & in singulos transfigurans, compatiendo colligeret, si ita ipse, ut illi, esset, quod impendi ab aliis sibi recte voluisset: & tanto verius unicuique erranti concurreret, quanto salutis ejus modum ex propria consideratione didicisset. Hinc iterum dicit: *Sive mente excedimus Deo, sive sobrii sumus vobis*: (2. Cor. 5. 13.) quia & semetipsum noverat contemplando transcendere, & eumdem se auditoribus condescendendo temperare.

CAPUT XXX.

1. Cor. 9. 26. *Sic curro, non quasi in incertum.*

De damno gastrimargiæ & fructu abstinentiæ. In exposit. B. Job, lib. 30. num. 59.

NONNULLI omne quod fortiter faciunt, dominante gulæ vitio, perdunt: & dum venter non restringitur, per carnis concupiscentiam simul cunctæ virtutes obruuntur. Hinc est quod Paulus contra Jerusalem mœnia decertanti coquorum principi, id est ventri, cui a coquentibus servitur, virtutes animæ ad pacis visionem tendentis destruere volenti, vires subtrahebat, cum diceret: *Castigo corpus meum, & servituti subjicio: ne forte aliis prædicans ipse reprobus efficiar.* (1. Cor. 9. ibid. v. 27.) Hinc etiam præmisit, dicens: *Sic curro, non quasi in incertum: Sic pugno, non quasi aerem verberans.* Cum enim carnem restringimus, ipsis continentiæ nostræ ictibus non aerem, sed immundos spiritus verberamus. Et cum hoc, quod est intra nos, subjicimus, extra positis adversariis pugnos damus.

CAPUT XXXI.

Castigo corpus meum, & servituti subjicio. 1. Cor. 9. 27.

De occultis Dei judiciis. In exposit. B. Job, lib. 20. num. 32. & 31.

MULTOS videmus quotidie qui resplendent luce justitiæ, & tamen ad finem suum obscuritate tenebrantur nequitiæ; & multos cernimus peccatorum tenebris obvolutos, & tamen juxta vitæ suæ terminum repente reddi luce justitiæ liberos. Unde quibusdam conversis a peccatorum nequitia dicitur: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* (Ephes. 5. 8.) Lucis enim nomine justitia accipitur: per tenebras iniquitas designatur. Multos etiam novimus semel inventam viam justitiæ illibatæ usque ad obitum tenuisse: & plerosque conspeximus usque ad exitum cœpta semel crimina sine cessatione cumulasse. Quis autem inter ista occultorum judiciorum nubila mentis suæ radium mittat, ut aliqua consideratione discernat: vel quis perduret in malo, vel quis perseveret in bono, vel quis ab infimis convertatur ad summa, vel quis a summis revertatur ad infima? Latent hæc sensus hominum, nec quidquam de cujuslibet fine cognoscitur: quia divinorum judiciorum abyssus, humanæ mentis oculo nullatenus penetratur. Videmus namque quod illa Deo adversa Gentilitas justitiæ est luce perfusa, & Judæa dudum dilecta perfidiæ est nocte cæcata. Scimus etiam quod latro de patibulo transivit ad regnum: Judas de Apostolatus gloria lapsus est in tartarum. Rursumque, quia aliquando fortes, quæ cœperunt, non mutant, & latronem alium pervenisse novimus ad supplicium, & Apostolos scimus percepisse propositum quod desideraverant regnum. Video præterea Paulum ex illa persecutionis sævitia ad gratiam Apostolatus vocatum, (Act. 9. 15.) & tamen sic inter occulta judicia formidat, ut reprobari se etiam postquam vocatus est, timeat. Ait enim: *Castigo corpus meum, & servituti subjicio: ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar.* Et certe jam de illo Dominica dictum fuerat voce: *Vas electionis mihi est*, & tamen adhuc castigans corpus suum, metuit ne reprobaretur. Væ miseris nobis qui de electione nostra nullam adhuc Dei vocem cognovimus, & jam in otio quasi de securitate torpemus. Debet profecto, debet in spe esse securitas, sic & in conversatione timor: ut & illa certantes foveat, & iste torpentes pugnet. De spe incassum præsumit, qui timere Deum in suis operibus renuit.

CAPUT XXXII.

Bibent de spirituali consequente eos petra, Petra autem erat Christus. 1. Cor. 10. 4.

De sanctificatione petræ. In exposit. B. Job, lib. 31. num. 97. 1. Petr. 2. 5.

IN sacro eloquio cum singulari numero petra ponitur, & nominatur, quis alius, quam Christus accipitur? Paulo attestante, qui ait: *Petra autem erat Christus.* Cum vero petræ pluraliter appellantur, membra ejus, videlicet sancti viri, qui robore illius solidati sunt, exprimuntur. Quos nimirum Petrus Apostolus lapides vocat, dicens: *Vos tamquam lapides vivi coædificamini domus spirituales.* (1. Petr. 2. 5.)

CAPUT XXXIII.

1. Cor. 10. 7.

Neque idololatræ efficiamini.

De vana otiositate. In exposit. B. Job, lib. 10. num. 21.

VANA agimus, quoties transitoria cogitamus. Ex vanitate autem ad iniquitatem ducimur, cum prius per levia delicta defluimus, & usu cuncta lævigante nequaquam post committere etiam graviora timeamus. Nam dum moderari lingua otiosa verba negligit, more insolitæ remissionis capta, audax ad noxia prorumpit: dum gulæ incumbitur, ad levitatis protinus insaniam proditur. Cumque mens subigere delectationem carnis renuit, plerumque & ad perfidiæ voraginem ruit. Unde bene Paulus plebis Israeliticæ damna conspiciens, ut imminentia ab auditoribus mala compesceret, curavit ex ordine transacta narrare, dicens: *Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Esus quippe potusque ad luxum impulit, lusus ad idololatriam traxit, quia si vanitatis culpa nequaquam caute compescitur, ab iniquitate protinus mens incauta devoratur, attestante Salomone, qui ait: *Qui modica spernit, paulatim decidet.* Si enim curare parva negligimus, insensibiliter seducti, audacter etiam majora perpetramus.

Exod. 32. 6.

Eccli. 19. 1.

CAPUT XXXIV.

1. Cor. 10. 12.

Qui se existimat stare, videat ne cadat.

De custodia, In exposit. B. Job, lib. 25. n. 15. & 11. Matt. 15. 18

SUMMA cura satagendum est vobis, omni custodia servare cor vestrum: quoniam ex ipso vita procedit, & sicut scriptum est: *Ex corde exeunt cogitationes malæ.* Formidemus igitur in his bonis, quæ accepimus: nec eos, qui illa needum assecuti sunt, desperemus. Quid enim sumus hodie novimus, quid autem post paululum possimus esse, nescimus. Hi vero, quos fortasse despicimus, & tarde possunt incipere, & tamen vitam nostram ferventioribus studiis anteire. Timendum itaque est ne etiam nobis cadentibus surgat, qui a nobis stantibus irridetur, quamvis stare jam non novit, qui non stantem novit irridere. Hunc autem supernorum judiciorum metum Paulus Apostolus discipulorum cordibus incutiens ait: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Superbi enim possunt amittere bona, de quibus superbiunt, & humiles ea percipere quæ quia non habeant, contemnuntur. Intus ergo vigilandum est, intus servemus omne, quod foris agimus, ne si mens se extollat, cadamus.

CAPUT XXXV.

1. Cor. 10. 13.

Tentatio vos non apprehendat, nisi humana.

De suggestione & consensu tentationum carnalium. In exposit. B. Job, lib. 21. num. 7. Cuj. pars 1. c. 11. paulo ante fin.

SCIENDUM est aliud esse, quod animus de tentatione carnis patitur, aliud vero cum per consensum delectationibus obligatur. Plerumque enim cogitatione prava pulsatur, sed renititur: plerumque vero cum perversum quid concipit, hoc inter semetipsum etiam per desiderium volvit. Et nimirum mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat, cum pulsat, sed cum hanc sibi per delectationem subjugat. Hinc etenim Prædicator egregius dicit: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana.* Humanum quidem est in corde tentationem perpeti, dæmoniacum vero est tentationis certamine, & in operatione superari. Humana quippe tentatio est, qua plerumque in cogitatione tangimur etiam nolentes: quia ut nonnumquam illicita ad animum veniant, hoc utique in nobismetipsis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus. Jam vero dæmoniacum est, & non humana tentatio, cum ad hoc, quod corruptibiliter suggerit, per consensum se animus adstringit. Hinc iterum dicit: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Peccatum quippe in mortali corpore nequaquam non esse, sed regnare prohibuit: quia in carne corruptibili non regnare potest, sed non esse non potest. Hoc ipsum namque ei de peccato tentari peccatum est, quo quia quamdiu vivimus, peccato omnino non caremus; sancta prædicatio, quoniam hoc expellere plene non potuit, ei de nostri cordis habitaculo regnum tulit, ut appetitus illicitus, etsi plerumque bonis nostris cogitationibus occulte se quasi fur inserit, saltem si ingreditur, non dominetur.

Rom. 6. 12.

CAPUT XXXVI.

Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra quam potestis.

1. Cor. 10. 13.

De tentationibus diaboli. In exposit. B. Job. lib. 6. num. 71. & lib. 30. n. 35

CUM maligni spiritus ad vitam redire nequeunt, crudeliter socios ad mortem quærunt. Indesinenter itaque contra bonos consilium ineunt, ut ii quos servire Deo innocue in tranquillitate considerant, vexatos adversitatibus ad voraginem culpæ rapiant. Sed eorum consilii acumen destruitur, quia prius Conditor cum viribus flagella moderatur, ne virtutem pœna transeat, & per astutiam fortium humana infirmitas excedat. Unde bene per Paulum dicitur: *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra quam potestis: sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere.* Novit autem Conditor noster, quando exurgere persecutionis procellam sinat, quando exurgentem reprimat. Novit pro custodia nostra restringere, quod contra nos egredi pro nostra exercitatione permittit, ut sæviens nos diluat procella, non mergat. Novit tentationes adversarii dispensando modificare, ut simul multæ non veniant, aut ipsæ tantummodo, quæ ferri possunt, illustratam jam Deo animam tangant: ut cum tactus sui ardore nos cruciant, perfectionis incendio non exurant. Nisi enim misericors Deus cum verberibus tentamenta modificet, nullus profecto est, qui malignorum spirituum insidias non corruens portet: quia si mensuram judex tentationibus non præbet, eo ipso protinus stante dejicit, quo ultra vires onera imponit.

CAPUT XXXVII.

Si quis videtur contentiosus esse.

1. Cor. 11. 16

De contentione hæreticorum. In Exposit. B. Job. lib. 8. num. 4.

HÆRETICI nequaquam inquisitionibus suis veritatem conantur assequi, sed victores videri. Cum foris sapientes appetunt ostendi, intus per stultitiam elationis suæ ligantur vinculis. Unde fit ut certamina contentionum exquirant, & de Deo, qui pax est nostra, loqui pacifice nesciant, atque ex pacis negotio rixæ inventores fiant; quibus bene per Paulum dicitur: *Si quis videtur contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei.*

CA-

CAPUT XXXVIII.

1 Cor. 11. 31.

Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.

De misericordia Dei in remissione peccatorum. In expos. 8 Job, lib 12. num. 20 Cura past. par. 3. c. 29.

DIvinę largitatem misericordiæ quis valeat pensare? omnipotens Deus singula quæque mala, quæ fecimus & peccata, subtiliter, & tamen per benignitatis suæ gratiam ea pœnitentibus misericorditer relaxat. Qui & duritiam in peccantibus conspicit, sed tamen hanc gratia præveniente ad pœnitentiam emollit, & nosmetipsos ad singulas culpas, quas fecimus, deflendas convertit. Quas misericorditer relaxat: quia dum nos eas punimus, ipse nequaquam in extremo examine judicat. Peccatores igitur, qui operum peccata deplorant, debent præsumere de misericordia, quam postulant, ne vi immoderatæ afflicti nis intereant. Neque enim pie Dominus ante delinquentium oculos flenda peccata opponeret, si per semetipsum ea districto ferire voluisset Constat enim quod a suo judicio abscondere voluit, quos miserando præveniens, sibimetipsis judices fecit. Hinc enim scriptum est: *Præoccupemus faciem ejus in confessione.* Hinc per Paulum dicitur: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

Psal. 94. 2.

CAPUT XXXIX.

1. Cor. 12. 6

Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus.

De multiformi sancti Spiritus gratia. In exposit. B. Job, lib. 12. num. 8.

PEne nullum latet quod quinque sunt sensus corporis nostri: videlicet visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus. Hi sensus in omne, quod sentiunt atque discernunt, virtutem discretionis & sensus a cerebro trahunt: & cum unus sit judex cerebri sensus, qui intrinsecus præsidet, per meatus tamen proprios, sensus quinque discernit, Deo mira operante: ut neque oculus audiat, neque auris videat, neque os olfaciat, neque naris gustet, neque manus odoretur. Et cum per unum sensum cerebri omnia disponantur, quilibet tamen horum sensus aliud facere non potest, præter id quod ex dispositione Conditoris accepit. Ex istis ergo corporalibus & exterioribus, interiora & spiritualia colligenda sunt: ut per id quod in nobis publicum est, transire debeamus ad secretum quod in nobis est, & in nobismetipsis latet. Intuendum quippe est, quia cum una sit sapientia, alium minus, alium magis inhabitat: alii hoc, alii illud præstat. Et quasi cerebri more nobismetipsis velut quibusdam sensibus utitur, ut quamvis sibimet numquam sit dissimilis, per nos tamen diversa & dissimilia semper operetur: quatenus iste sapientiæ, ille scientiæ donum percipiat; iste genera linguarum, ille gratiam curationum habeat. Omnipotens quippe Conditor noster Deus interni judicii secreto moderamine juxta beati Pauli vocem, *Alii sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ, alii plenam fidem, alii gratiam sanitatum, alii operationem virtutum, alii prophetiam, alii discretionem spirituum, alii genera linguarum, alii interpretationem sermonum tribuit.* Sunt enim quidam qui per donum gratiæ, & ipsa intelligunt, quæ exponi a Doctoribus non audierunt: hi videlicet sermonem sapientiæ perceperunt. Et sunt quidam, qui per semetipsos intelligere audita nequeunt, sed ea, quę in expositoribus legerint, retinent, & scienter proferunt quæ lecta didicerunt, atque isti sermone scientiæ pleni sunt. In uno itaque eodemque spi- A ritu, iste verbo sapientiæ pollet, nec tamen sermone scientiæ, id est doctrinæ, fulcitur: quia sentire & invenire sufficit etiam quod per discendi studium non apprehendit. Ille sermone scientiæ fulget, nec tamen in verbo sapientiæ convalescit: quia & sufficit explere quantum didicit, & tamen ad sentiendum ex semetipso subtile aliquid non assurgit. Iste per fidem & elementis imperat, nec tamen per sanitatum gratiam infirmitates corporum curat. Ille orationis ope morbos subtrahit, nec tamen arenti terræ verbo pluvias reddit. Iste operatione virtutum ad præsentem vitam etiam mortuos revocat, & tamen prophetię gratiam non habens, quæ sibi ventura sunt, ignorat. Ille ventura quæque velut præsentia attendit, B & tamen in nulla signorum operationa se exerit. Iste per discretionem spirituum in factis subtiliter mentes conspicit, sed tamen diversi generis linguas nescit. Ille diversi generis linguas examinat, sed tamen in rebus similibus dissimilia corda non pensat. Alius in una lingua, quam novit, sermonum pondera interpretando prudenter discutit, & tamen reliquis bonis, quæ non habet, patienter caret. Sic itaque Creator noster ac Dispositor cuncta moderatur, ut qui extolli poterat ex bono quod habet, humilietur ex virtute quam non habet. Sic cuncta moderatur, ut cum per impensam gratiam unumquemque sublevat, etiam per disparem altari alterumque subdat: & meliorem quisque dono alio eum, qui sibi subjicitur, attendat; ac licet se præire C & aliis sentiat, eidem tamen, quem superat, se in aliis postponat. Sic cuncta moderatur, ut dum singula quæque sunt omnium, interposita quadam caritatis necessitudine, fiant omnia singulorum: & unusquisque sic quod non accepit, in altero possideat, ut ipse alteri possidendum quod accepit, humiliter impendat. Hinc per Paulum dicitur: *Per caritatem servite invicem.* Tunc enim nos caritas a jugo culpæ liberos reddit, cum vicissim nostro per amorem servitio subjicit: cum & aliena bona nostra credimus, & nostra aliis quasi sua offerentes exhibemus. Hinc rursum per eumdem Paulum dicitur: *Nam & corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpo-* D *re? Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus?* Et paulo post: *Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum vero corpus.* Quid enim facta Ecclesia, nisi superni sui capitis est corpus? In qua alius alta videndo oculus, alius recta operando manus, alius ad injuncta currendo pes, alius præceptorum vocem intelligendo auris, alius malorum fœtorem, bonorumque fragrantiam discernendo naris est. Qui corporalium more membrorum, dum vicissim sibi accepta officia impendunt, unum de semetipsis omnibus corpus reddunt. Et dum diversa in caritate peragunt, diversum esse perhibent ubi continentur. E Si autem unum quid cuncti agerent, corpus utique, quod ex multis continetur, non essent: quia videlicet multipliciter compactum non existeret, si hoc concors membrorum diversitas non teneret. Sanctis itaque membris Ecclesiæ virtutum dona Dominus distribuit, & divinas singulis prout vult, quasi mensuras in terminos eis imponit. Cum igitur miro consilio Auctor & Dispositor noster huic illa largitur quæ alii denegat, alii illa denegat quæ isti largitur: mensuras sibi positas egredi nititur, quisquis posse plusquam acceperit, conatur: ut for-

Marginal notes: In exposit B. Job, lib. 28. num. 21. — L. 2. in Ezec. hom. 4. 4. 2. — In exposit. B. Job, lib. 28. num. 22. — num. 22. — Gal. 5. 13. — 1. Cor. 12. v. 14 & seq. — num. 23. — num. 24.

fortasse is, cui tantummodo datum est præceptorum occulta disserere, tentet etiam miraculis coruscare; aut is, quem supernæ virtutis donum ad sola miracula roborat, etiam divinæ legis occulta pandere contendat. Plerumque enim amittit quod portat, qui audacter ea, ad quæ pertingere non valet, arripere festinat. Nam & membrorum nostrorum tunc bene ministeriis utimur, cum sua his officia distincte servamus. Lucem quippe oculis cernimus, vocem vero auribus audimus. Si quis autem ordine mutato, voci oculos, luci aures accommodat, huic utraque incassum patent. Si quis odores velit ore discernere, sapores aure gustare, utriusque sensus ministerium quia pervertit, interimit. Dum enim propriis hæc usibus non aptantur, & sua officia deserunt, & ad extranea non assurgunt. Bene itaque Paulus intra acceptas ex divina largitate mensuras, in ipsa prædicationis suæ se latitudine coarctabat, cum diceret:
num. 23.
Rom. 15. 18. *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus.* Mensuram igitur omnipotens Deus nostris profectibus imponit, ut habeamus quædam virtutum bona, quæ numquam quæsivimus, & quæramus quædam, nec tamen habere valeamus; quatenus nostra dum hæc non potest habere, quæ appetit, illa se intelligat de semetipsa non habere, quæ habet; per ea, quæ sunt, considerentur illa quæ desunt: & per ea quæ utiliter desunt, serventur humiliter bona quæ sunt.

CAPUT XL.

1. Cor. 12. 23. *Quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent.*

De arte correptionis. In expos. B. Job, lib. 13. n. 6.

POtens & protervus cum pravum aliquid perpetrasse cognoscitur, tempus a prædicatore quæritur, ut de malo quod fecit, increpetur. Nisi enim prædicator sustineat, quando proferre congrue correptionem valeat, auget in eo malum, quod insequitur: quia sæpe contingit ut fit talis, qui nulla verba suscipiat increpationis.
num. 7. Magna enim agendum est arte prædicationis, ut qui ex aperta correptione fiunt deteriores, ad salutem redeant quodam temperamento correptionis. Unde etiam Paulus dicit: *Quæ putamus igitur ignobiliora esse membra corporis, his honorem abundantiorem circumdamus: & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent: honesta autem nostra nullius egent.* Sicut enim inhonesta membra in corpore, ita sunt quidam intra sanctam Ecclesiam potentes & protervi: qui dum aperta feriri nequeunt invectione, quasi honoris velantur tegmine. Sed hæc de occultis potentium loquimur delictis. Nam quando & aliis agnoscentibus peccant, aliis etiam cognoscentibus increpandi sunt: ne si Prædicator taceat, culpam approbasse videatur, atque hæc crescens in exemplum veniat, quam Pastoris lingua non secat.

CAPUT XLI.

1. Cor. 12. 27 *Vos estis corpus Christi, & membra de membro.*

Quod membra membrorum sunt subditi Rectorum. In expos. B. Job, lib. 14 n. 8.

MEmbra sunt reproborum omnes qui eisdem perverse agentibus conjunguntur: sicut e contra per Paulum de Dominico corpore dicitur: *Vos estis corpus Christi, & membra de membro.* Aliud quippe est membrum corporis, aliud membrum membri. Membrum quippe corporis, pars ad totum; membrum vero membri est particula ad partem; membrum namque membri est digitus ad manum, manus ad brachium: membrum vero corporis, est totum hoc simul ad corpus universum. Sicut ergo in spiritali Dominico corpore membra de membro dicimus eos, qui in ejus Ecclesia ab aliis reguntur: ita in illa antiqui hostis reproba congregatione, membra sunt de membris, qui iniquo opere quibusdam se nequioribus conjunguntur.

CAPUT XLII.

Si linguis hominum loquar, & Angelorum. 1. Cor. 13. 1.

De falsis prædicatoribus. In expos. B. Job. lib. 34. n. 29. & 30.

MInistri Antichristi nonnumquam decipiendis auditoribus exhibent linguæ dulcedines: quoniam & spinæ proferunt flores, & apparet quidem in eis quod oleat, sed latet quod pungat. Amaris dulcia, noxiis blanda permiscent: & fallendi arte per remissa colloquia, per humilem sermonem de se insinuant quod per exhibitionem negat. Hi nimirum more metalli insensibilis sonum bene loquendi habent, sed sensum bene vivendi non habent: namque quasi humiliter loquendo asserunt, quod elate vivendo contemnunt. Unde bene per Paulum dicitur: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Bona quidem loquens, sed per amorem eadem bona non sequens velut æs aut cymbalum sonitum reddit: quia ipse non sentit verba, quæ ipse facit.

CAPUT XLIII.

Caritas patiens est, benigna est. 1. Cor. 13. 4.

De multiplici virtute caritatis. In expos. B. Job. lib. 8. num. 2.

MEns Sanctorum in hoc tentationum prælio, & munita patientiæ clypeo, & gladio amoris accincta, ad perferenda mala sumit fortitudinem, & ad rependenda bona exerit benignitatem: quatenus & odiorum tela potenter excipiat, & amoris jacula valenter reddat. Miles Dei adversitatis bello deprehensus, & scutum patientiæ debet anteferre, ne pereat; & ad prædicandum promtus amoris inferre jacula, ut vincat. Cujus armaturæ summa breviter Paulus insinuat, dicens: *Caritas patiens est, benigna est.* Cum vero unum ex utroque defuerit, caritas non est: si videlicet malos, aut absque benignitate tolerans non amat, aut rursum sese sine patientia exibens, negligit tolerare quos amat. Ut ergo a nobis caritas vera teneatur, necesse est quatenus & benignitati patientia, & rursum patientiæ benignitas suffragetur; ut magnum quoddam in corde nostro ædificium construens, & benignitatis artem patientia solidet, & patientiæ fundata ædificia benignitas exornet. Sed cum una eademque sit caritas, multiplex tamen dicitur: quia nimirum si mentem plene ceperit, hanc ad innumere opera multiformiter accendit.
In expos. B. Job. lib. 10. num. 10.
Hujus caritatis diversitatem & multiplicitatem bene Paulus enumerat, dicens: *Caritas patiens est, benigna est: non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Patiens quippe est caritas: quia illata mala æquanimiter tolerat. Benigna vero est: quia pro malis bona largiter ministrat. Non æmulatur: quia per hoc quod in præsenti mundo nil appetit, invidere terrenis successibus nescit. Non inflatur: quia cum præmium internæ retributionis anxia desiderat, de bonis se exterioribus non exaltat. Non agit perperam: quia quo se in solum Dei ac proximi amorem dilatat, quidquid a rectitudine discrepat,

pat, ignorat. Non est ambitiosa: quia quo ardenter intus ad sua satagit, foris nullatenus aliena concupiscit. Non quærit quæ sua sunt: quæ hic transitorie possidet, velut aliena negligit, cum sibi nihil esse proprium, nisi quod secum permaneat, agnoscit. Non irritatur: quia & injuriis lacessita, ad nullos se ultionis suæ motus excitat, dum pro magnis laboribus majora post præmia expectat. Non cogitat malum: quia in amore munditiæ mentem solidans, dum omne odium radicitus eruit, versare in animo quod inquinat, nescit. Non gaudet super iniquitate: quia sola dilectione erga omnes inhiat, nec de perditione adversantium exultat. Congaudat autem veritati: quia ut se ceteros diligens, per hoc quod rectum in aliis conspicit, quasi de augmento proprii profectus hilarescit. Multiplex ergo caritas contra uniuscujusque culpæ jaculum quod perimendam mentem impetit, instructionis suæ munimine occurrit: ut quia antiquus hostis variata circumfusione nos obsidet, ipsa hunc de nobis multipliciter expugnet. Caritas in Petro, & minis terrentium principum fortiter restitit, & in circumcisione submovenda, minorum verba humiliter audivit: caritas in Paulo, & manus persequentium humiliter pertulit, & tamen in circumcisionis negotio longe se imparis prioris sensum audenter increpavit.

CAPUT XLIV.

1.Cor.13.12. *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate.*

De modo prædicationis. In exposit. B. Job, lib. 17 num. 38.

DIGNUM est ut qui prædicat, audientis modum consideret, quatenus ipsa prædicatio eum sui auditoris incrementis crescat. Sic quippe agere prædicator unusquisque debet, sicut cum illo divinitus agitur; ut nequaquam cuncta, quæ sentit, infirmis insinuet: quoniam & quousque ipse carne mortali tantum infirmus est, ea, quæ superna sunt, cuncta non sentit. Prædicare ergo rudibus non debet, quanta cognoscit: quoniam & ipse de supernis mysteriis cognoscere non valet quanta sint. Hinc est enim quod Paulus Apostolus, postquam mysteriis cælestibus interfuit, dicit: *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

CAPUT XLV.

1.Cor.13.12. *Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum.*

De cognitione Dei. In exposit. B. Job, lib. 13. num. 50.

MAGNA est interpositio oculis cordis nostri ad contemplandam subtilitatem Dei, ipsa videlicet infirmitas nostra. Sed tunc ad purum intuebimur eum, a quo nunc subtiliter intuemur: cum hac infirmitate deposita, ad contemplationis internæ gratiam venerimus, de qua Paulus dicit: *Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum.*

CAPUT XLVI.

1.Cor.14.22. *Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus.*

De miraculis. In exposit B. Job, lib. 17. num. 36.

SUNT nonnulli, qui cum mira Apostolorum opera audiunt, quod accepto Spiritu sancto, mortuos verbo suscitarent, ab obsessis dæmonia pellerent, umbra infirmitates amoverent, ventura quæque prophetando prædicarent, & unigenitum Verbum Dei, omnium gentium loquentes lingua, prædicarent; quia virtutes has nunc in Ecclesia non vident, subtractam jam ab Ecclesia supernam gratiam suspicantur, nescientes pensare quod scriptum est: *Adjutor in opportunitatibus in tribulatione*. Tunc quippe sancta Ecclesia miraculorum adjutorio indiguit, cum eam retributio persecutionis pressit. Nam postquam superbiam infidelitatis edomuit, non jam virtutum signa, sed sola operum merita requirit: quamvis & illa per multos ostendat, cum oportunitas exigit. Scriptum quippe est: *Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus*. Ubi igitur omnes fideles sunt, quæ causa exigit ut signa monstrentur? Unde citius satisfacimus, si quid de ipsa apostolica dispensatione memoremus. Paulus namque prædicator egregius Melitem veniens, & plenam infidelibus insulam sciens, patrem Publii dysenteria febribusque vexatum orando salvavit, & tamen ægrotanti Timotheo præcepit, dicens: *Modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*. Quid est, Paule, quod ægrum infidelem orando ad salutem revocas, & tantum adjutorem Evangelii more medici per alimenta curas, nisi quod idcirco fiunt exteriora miracula, ut mentes hominum ad interiora perducantur; quatenus per hoc, quod mirum visibiliter ostenditur, ea, quæ admirabiliora sunt, invisibilia credantur? Signo quippe virtutis pater Publii sanandus fuerat, ut mente revivisceret, dum ad salutem miraculo rediret. Timotheo autem adhibendum foris miraculum non erat, qui jam totus intus vivebat. Non est igitur mirum, si propagata fide, crebro miracula non fiunt, quando hæc ipsi quoque Apostoli in quibusdam jam fidelibus non fecerunt.

Psal. 9. 10.

num. 37.

1. Tim. 5. 23

CAPUT XLVII.

Si autem omnes prophetent, &c. 1. Cor. 14. 24

De prophetia. 1. in Ezech. hom. 1. n. 1.

SCIENDUM est quod aliquando prophetia est de præsenti, sicut Paulus Apostolus dicit: *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, occulta cordis ejus manifesta fiunt: & ita cadens in faciem, adorabit Deum pronuntians quod vere Deus in vobis sit*. Cum igitur dicitur: *Occulta cordis ejus manifesta fiunt*, profecto monstratur quia per hunc modum prophetiæ spiritus non prædicit quod futurum est, sed ostendit quod est. Quo autem pacto prophetiæ dicatur spiritus, qui nihil futurum indicat, sed præsens narrat? Qua in re animadvertendum est quod prophetia dicitur, non quia prædicit ventura, sed quia prodit occulta. Rem quippe quamlibet, sicut ab oculis nostris in futuro subtrahunt tempora: ita ab oculis nostris in præsenti subtrahit causa. Ventura enim res occultatur in futuro tempore, præsens autem cogitatio absconditur in latenti corde. Est etiam prophetia præsens, cum res qualibet non per animum, sed per absentem locum tegitur, quæ tamen per spiritum denudatur. Et ibi fit præsens prophetantis animus, ubi per præsentiam non est corpus. Nam & Giezi longe a Propheta recesserat, cum Naaman Syri munera percipiebat, cui tamen idem Propheta dicit: *Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tibi?* 4. Reg. 5. 26

CAPUT XLVIII.

1. Cor. 15. 9.

Ego sum minimus Apostolorum.

Quod proficientes, virum meliorem debent inspicere. In expositione B. Job, lib 24. num. 19 & 20. & item 10 in Ezech. n. 31.

QUICUMQUE perduci ad summa desiderant, semper necesse est ut meliorum provectibus intendant; quatenus tanto districtius in se culpas judicent, quanto in illis altius quod admirentur, vident. Mira enim nobiscum dispensatione agitur, ut per hoc, quod alter habet & iste non habet, unus alteri melior ostendatur: quatenus tanto ardentius ad humilitatem quisque proficiat, quanto ex bonis, quæ non habet, inferiorem se habentibus pensat. Sicque fit ut dum ille in isto, atque hic in illo respicit quod admiretur, distincta bona & ab altitudine elationis reprimant, & ad studium provectus accendant. Unde Paulus cum ceterorum Sanctorum sollicitudinem in prædicatione robustius laborando transcenderet, ut ab elatione se premeret, & vires suas in humilitatis gremio nutriret, crudelitatis suæ antiquæ non immemor, Apostolorum omnium innocentiam contemplatus, ait: *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus: quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei*, & tamen eorumdem omnium Apostolorum primus, quasi accepti principatus oblitus, ac si minus ipse aliquid saperet, in Paulo sapientiam miratur, dicens: *Sicut & carissimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis: sicut & in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu*. (2 Petr. 3. 15.) Ecce Paulus in Apostolis miratur innocentiam, ecce Princeps Apostolorum miratur in Paulo sapientiam. Quid est hoc, nisi quod sancti viri virtutum consideratione sibi vicissim alios præferunt; ut eo ad cælestia sublevando se altius excitet, quo humilius alter in altero quod admiretur videt? Hinc itaque colligendum est, quanta debemus sollicitudine meliorum vitam conspicere, nos qui in infimis jacemus; si & hi, qui jam tanta sanctitate sublimescunt, ut per humilitatis gressum ad majora proficiant, adhuc quærunt in aliis quod imitantes admirentur.

CAPUT XLIX.

1 Cor. 15. 10.

Gratia Dei sum id quod sum.

De gratia & libero arbitrio. In exposit. B. Job, lib. 16 num. 30. & lib 24. n. 24. Prov. 24. 29.

CUM de Deo scriptum sit: *Quia reddet unicuique secundum opera ejus*. Illum in extremo examine justitia æterni Judicis salvat, quem hic ejus pietas ab immundis operibus liberat. Quisquis igitur ad hoc salvari munditia manuum suarum hic creditur, ut viribus innocens fiat, proculdubio errat: quia si superna gratia nocentem non prævenit, profecto numquam invenit, quem remuneret innocentem. Unde veridica Moysis voce dicitur: *Nullus apud te per se innocens est* (Exod. 34. 7.). Superna ergo pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequenter quoque nostro libero arbitrio, bonum, quod jam appetimus, agat nobiscum: quod tamen gratia in extremo judicio ita remunerat in nobis, ac si solis processisset ex nobis. Quia enim divina nos bonitas, ut innocentes faciat, prævenit, Paulus ait: *Gratia Dei sum, id quod sum* (1. Cor 15. 10). Et quia eamdem gratiam nostrum liberum arbitrium sequitur, adjungit: *Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus illis laboravi* (Ibidem). Qui dum de se nihil esse conspiceret, ne labores suos sibi tribuisse videretur, illico adjunxit, *Non autem ego*. Et tamen quia se esse aliquid cum gratia invenit: prævenientem enim Dei gratiam, etiam ipse per liberum arbitrium fuerat subsecutus, apte subjunxit: *Sed gratia Dei mecum*; ut & divino muneri non esset ingratus, & tamen a merito liberi arbitrii non remaneret extraneus. Non enim diceret, *Mecum*, si eum præveniente gratia subsequens liberum arbitrium non haberet. Ut ergo se sine gratia nihil esse ostenderet, ait: *Non autem ego*. Ut vero se eum gratia operatum esse per liberum arbitrium demonstraret, adjungit, *Sed gratia Dei mecum*. Certissime itaque tenendum est quod in omni operatione bona, præveniente divina gratia, nostrum liberum arbitrium subsequatur: & quicumque hic dono prævenitur, ut innocens fiat, cum ad judicium venerit, ex merito remuneratur. Ex omnipotentis gratia Dei ad bona quidem opera conari possumus, sed si hæc & ipse non adjuvat qui jubet, implere non possumus. Sic Paulus cum discipulos admoneret dicens: *Cum metu & tremore vestram ipsorum salutem operamini*; illico quis in eis hæc ipsa bona operaretur, adjunxit dicens: *Deus est enim qui operatur in vobis, & velle & perficere pro bona voluntate*. (Lib 2 in Ezech. h. 9. num 2. Phil. 2. 12.) Omnipotens quippe Deus aspirando nos prævenit, ut bona velimus: qui etiam adjuvando subsequitur, ne inaniter velimus: sed possimus implere, quæ volumus. Gratia vero præveniente, & bona voluntate subsequente, hoc, quod omnipotentis Dei est donum, fit meritum nostrum. Quod bene brevi sententia Paulus explicat, dicens: *Plus illis omnibus laboravi*. Qui ne videretur suæ servituti tribuisse quod fecerat, adjunxit, *non autem ego, sed gratia Domini mecum*. Ac si diceret: In bono opere laboravi: non ego, sed & ego. In hoc enim quod solo Domini dono præventus sum, non ego. In eo autem quod donum voluntate subsecutus sum, & ego.

CAPUT L.

Corrumpunt bonos mores colloquia mala.

1. Cor. 15. 33.

De consortio malorum vitando. Lib. 2. in Ezech. h. 9. num. 23.

UNUM est pro quo vitari debet societas malorum: ne si fortasse corrigi non valent, ad imitationem sui & alios trahant: & cum ipsi a sua malitia non mutantur, eos, qui sibi conjuncti fuerint, pervertant. Unde Paulus ait: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala*. Sic enim verba proximorum audiendo quotidie sumimus in mente, sicut flando atque respirando aerem trahimus corpore. Et sicut malus aer assiduo flatu tractus inficit corpus: ita perversa locutio assidue audita, infirmantium inficit animum, ut tabescat de eclatione pravi operis, assidui iniquitate sermonis. Sicut ergo perfecti viri perversos proximos non debent fugere, quoniam & eos sæpe trahunt ad rectitudinem, & ipsi numquam trahuntur ad perversitatem: ita infirmi quique declinare societatem malorum debent, ne mala, quæ frequenter audiunt & vident, & corrigere non valent, delectentur imitari.

CAPUT LI.

Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis.

1. Cor. 15. 49.

De reparatione imaginis Dei in nobis.

OMNES Sancti, ut ad sanctitatis surgere virtutem valeant; ad Mediatoris Dei & hominum Jesu Christi similitudinem & imaginem tendunt: Sancti enim non essent, si hujus novi & secundi homi-

Lib. 1. in Ezech. h. 2. n. 19.

minis similitudinem non haberent. Quidquid in eis de visceribus pietatis, quidquid de mansuetudine spiritus, quidquid de zelo rectitudinis, quidquid de custodie humilitatis; quidquid de fervore caritatis est, hoc ab ipso fonte misericordiæ, ab ipsa radice mansuetudinis, ab ipsa virtute justitiæ, id est a Mediatore Dei & hominum, Domino Deo traxerunt. Hujus se similitudinem hominis habere Prædicator egregius ostendit; dicens: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. Ad ejus imaginem, & similitudinem admonet surgere cum dicit: *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cælo, cælestis; sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem ejus, qui de cælo descendit*. Sanctus etenim quisque in tantum ad similitudinem hujus hominis ducitur, in quantum vitam sui Redemtoris imitatur. Nam ab ejus mandatis & operibus discordare, quid est aliud quam a similitudine longe recedere? Ad hujus similitudinem hominis surgere festinabat Propheta, cum diceret: *In mandatis tuis me exercebo, & considerabo vias tuas*. Qui enim vias Domini tacitus in mente considerat, & exercere sese in mandatis illius festinat, in semetipso imaginem cælestis & novi hominis reformat.

1. Cor. 4. 16. — 1. Cor. 15. 47. — Psal. 118. 15.

CAPUT LII.

1. Cor. 15. 50.

Hæc autem dico, fratres: quoniam caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.

De appellatione, aut nomine carnis. In expos. B. Job, lib. 14. num. 72.

IN sacro eloquio aliter caro dicitur juxta naturam, atque aliter juxta culpam vel corruptionem. Caro quippe juxta naturam, sicut scriptum est: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro* A *de carne mea*. Et, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Caro vero juxta culpam, sicut scriptum est: *Non permanebit spiritus meus, in hominibus istis, eo quod caro sunt*. Et sicut Psalmista ait: *Memoratus est, quia caro sunt, spiritus vadens, & non rediens*. Unde & discipulis Paulus dicebat: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu*. Numquid in carne non erant quibus epistolas transmittebat? sed quia passiones carnalium desideriorum vicerant, jam liberi per virtutem spiritus in carne non erant. Quod ergo idem Paulus dicit: *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*; carnem vult secundum culpam intelligi, non carnem secundum naturam. Unde & mox, quia carnem secundum culpam diceret, B ostendit, subdens: *Neque corruptio incorruptelam possidebit*. In illa ergo cælestis regni gloria caro secundum naturam erit, sed secundum passionis desideria non erit: quia devicto mortis aculeo, in æterna incorruptione gaudebit. Ibi quippe suis fidelibus a Domino pro bone operatione palma victoriæ retribuetur, ubi jam sine certamine & sine fine gaudium erit: ibi victoriæ palma erit, ubi mortis contentio non erit. Nam Prædicator egregius tunc aspexit palmam vincentibus dari, cum resurrectionem prævidit mortuorum fieri, sicut dicit: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scri*- C *ptus est: Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus?* Tunc igitur erit perfecta victoria, cum mors plene fuerit absorpta.

Gen. 2. 23. — Johan. 1. 14. — Gen. 6. 3. — Psal. 77. 39. — Rom. 8. 9. — Lib. 2. in Ezech. hom. 5. n. 22. — 1. Cor. 15. 53.

INCIPIUNT CAPITULA

DE SECUNDA EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI

AD CORINTHIOS.

1 *NON quia dominamur fidei vestræ.*
2 *Gloria nostra hæc est: testimonium conscientiæ nostræ.*
3 *Numquid levitate usus sum?*
4 *Cui aliquid donastis, & ego.*
5 *Christi bonus odor sumus Deo.*
6 *Non sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei.*
7 *Non sumus sufficientes aliquid cogitare a nobis.*
8 *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.*
9 *Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur.*
10 *Nolumus exspoliari, sed supervestiri.*
11 *Ut absorbeatur quod mortale est a vita.*
12 *Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus.*
13 *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino.*
14 *Vetera transierunt, & facta sunt nova.*
15 *Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.*
16 *Per gloriam & ignobilitatem.*
D 17 *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii.*
18 *Non angustiamini in nobis.*
19 *Cum venissemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra.*
20 *Foris pugnæ, intus timores.*
21 *Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio.*
22 *Epistolæ graves sunt, præsentia vero corporis infirma.*
23 *Cum essem apud vos, nulli onerosus fui.*
24 *Satanas transfigurat se in Angelum lucis.*
25 *In quo quia audet, audeo & ego.*
26 *Damasci Præpositus gentis Aretæ regis custodiebat, &c.*
E 27 *Parco autem, ne quis existimet me super id quod, &c.*
28 *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus satanæ.*
29 *Factus sum insipiens: vos me coegistis.*

EXPOSITIO
SUPER II. EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI
AD CORINTHIOS.

CAPUT PRIMUM.

2. Cor. 1. 23. *Non quia dominamur fidei vestræ.*

Quod ob culpæ meritum, non natuæ vitio, hominea hominibus præferuntur. In exposit B Job, lib. 26. num. 45.

CUNTOS homines natura æquales genuit: ut autem alii ad regendum aliis committantur, non eos natura, sed culpa postponit. Bene igitur potestatem regiminis exercet, qui scit per illam super culpas erigi, & scit cum illa ceteris æqualitate componi. Humana enim mens plerumque extollitur etiam cum nulla potestate fulcitur, quanto magis se in altum erigit, cum se etiam ei potestas adjungit, & tamen corrigendis aliorum vitiis apta executione præparatur. Unde & per Paulum dicitur, *Minister enim Dei est, vindex in iram*. Paulus bene agentibus fratribus prælatum se esse nesciebat, cum diceret: *Non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri*; atque illico adjunxit: *Fide enim statis*. Ac si diceret; Ideo non dominamur fidei vestræ, quia fide statis. Æquales enim vobis sumus, ubi vos stare cognoscimus. Quasi prælatum se fratribus esse nesciebat cum diceret: *Facti sumus parvuli in medio vestrum*. Et rursus: *Nos autem servos vestros per Jesum*. Sed cum culpam, quæ corrigi debuisset, invenit, illico se magistrum esse recoluit, dicens: *Quid vultis? In virga veniam ad vos?* Summus itaque locus bene regitur, cum is, qui præest, vitiis potius quam fratribus dominatur: quia vitiis se debent Rectores erigere, quorum & causa præferuntur.

Rom. 13. 4

1. Thess. 2. 7. 2. Cor. 4. 5.

Ibid. 4. 21.

CAPUT II.

2. Cor. 1. 12. *Gloria nostra hæc est: testimonium conscientiæ nostræ.*

De reprimenda cordis elatione. In exposit B Job, lib. 26. num. 43.

ANTE subtile veritatis examen omnino securi non sumus, etiamsi humano judicio quod in nostris actibus reprehendi debeat, non habemus. Nam plerumque negligentius cogitantes, elatione pulsamur, quam tamen tacentes premimus. Sed nisi retractatione concita tumor occultus in ipso cubili cordis in quo oritur suffocetur, coram districto Judice omne meritum nostræ actionis extinguitur. Hinc ergo pensandum est, illa cordis elatio quanta animadversione damnabitur, quæ usque ad vocis audaciam nutritur: sine qua hæc est excusabilis, quæ in corde latenter oboritur. Considerandum quoque qualis intrinsecus regnat, quæ eo usque servata est, ut etiam foras erumpere non erubescat. Intus ergo, fratres carissimi, servanda sunt bona, quæ agimus: si ab interno arbitro vicem recipere operis nostri expectamus. Hinc est quod de electorum Ecclesia per Psalmistam dicitur: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus*. Et sapientes virgines in vasis oleum ferre referuntur. Unde & Sanctorum voce per Paulum dicitur: *Gloria nostra hæc est: testimonium conscientiæ nostræ*. Arrogantes quia coram Deo conscientiæ suæ testimonium non habent, quærunt coram hominibus testimonium vocis alienæ. Quia enim foris est quod appetunt, quid sit intus desiderabile sentire non possunt: gloriam vero suam Paulus testimonium conscientiæ memorat, quia favores oris alieni non appetens, vitæ suæ gaudia extra semetipsum ponere ignorat.

Lib. 26. n. 43. Psal. 44. 14. Matt. 25.

In exposit. B. Job, lib. 8. num. 82.

CAPUT III.

1. Cor. 1. 17. *Numquid levitate usus sum; aut quæ cogito, secundum carnem cogito?*

De motu levitatis. Cura past. part. 3 c. 16.

INCONSTANTES mentem suam gravitate habent roborare. Tunc enim genimina in se mutabilitatis arefiunt, cum a corde prius radicem levitatis abscindunt: quia tunc fabrica robusta construitur, cum prius locus solidus, in quo poni fundamentum debeat, providetur. Nisi ergo ante mentis levitas caveatur, cogitationum inconstantia minime vincitur: a quibus alienum Paulus se fuisse perhibuit, cum dicit: *Numquid levitate usus sum, aut quæ cogito, ut sit apud me, est, & non?* Ac si aperte dicat: Idcirco mutabilitatis aura non moveor, quia levitatis vitio non succumbo.

CAPUT IV.

2. Cor. 2. 10. *Cui aliquid donastis, & ego.*

Quam subtiliter inimicus bona nostra pervertere conetur. In exposit B. Job, lib. 33. num. 15.

SÆPE bonorum vias antiquus hostis cauta arte circumvolat, ut per ea quæ ab eis bene gesta cognoverit, ad malitiam aditum quærat. Nam cum alium largiri quid censpicit, inde alium in discordiæ flamma succendat. Et cum hunc respicit misereri, illi persuadet irasci: ut dum bonum quasi non communiter factum insinuat, concordes animos a bono gratiæ communis abscindat. Quia enim justorum mentes ad mala suadendo non valet frangere, bonis eorum actionibus inter eas mala seminare. Sed sancti viri has ejus insidias tanto celerius vincunt, quanto & subtilius deprehendunt. Quod melius ostendimus, si unum e multis assertoribus veritatis in testimonium Paulum vocemus. Sub quo quidam Corinthius, dum incesti facinus perpetrasset, eum Doctor egregius in carnis interitum, ad satisfactionem pœnitentiæ Satanæ tradidit: & in diem Domini salvum ejus spiritum reservavit. Magna quippe arte magisterii ipsi traditus est, coactus in pœnam, cui sponte substratus est in culpa: ut qui auctor fuerat ad vitium nequitiæ, ipsi flagellum fieret disciplinæ. Qua tamen bene gesta pœnitentia dum cognovisset Corinthios super eum jam misericorditer moveri, ait: *Cui aliquid donastis, & ego. Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos, in persona Christi.* Communionis itaque gratiam cogitans ait: *Cui aliquid donastis, & ego.* Ac si diceret: A bono vestro non dissentio. Meum sit, quidquid ipsi fecistis. Atque mox subdidit: *Et ego si quid donavi, propter vos.* Ac si diceret: Vestris actibus bonum addidi, quidquid propter vos misericorditer feci. Vestra igitur est uti-

utilitas, bonitas mea : mea est utilitas, bonitas vestra. Qui mox ipsam compagem cordium, in qua sic tenetur, adjungens, subdidit : *In persona Christi*. Cui velut si dicere præsumamus, quare te ita caute discipulis copulas ? Quare vel te illorum, vel illos tuis actionibus, tam sollicita mente conformas ? Illico subjunxit : *Ut non circumveniamur a Satana*. Qui videlicet solet de bonis mala generare ; & hoc quod per caritatem agitur, ad discordiam contrahere. Cujus etiam sagaces insidias quam acuto sensu transfigat, insinuat, subdens : *Non enim ignoramus cogitationes ejus*. Ac si verbis aliis dicat : Acutos, auctore Domino, sensus habemus, & antiqui hostis callidas insidias subtiliter circumspiciendo penetramus ; ne hoc quod bene mens inchoat, ipse in malitiæ finem vertat : quia videlicet inde in alterius corde, rixæ malum solet immittere, unde conspicit alterum pietatis negotium fecisse : Cum igitur lapso, & ab Ecclesia abjecto, sed jam pœnitenti de facinore perpetrato parcendum esset, humilitate magna voluntati discipulorum se magister egregius sociat, ut neque ipse a discipulis, neque ab eo discipuli in compassionis causa viderentur divisi. Sollicito enim providentiæ oculo attendit quod plerumque dum alter donat, alter irascitur ; & quale est jam misericordiæ sacrificium, quod cum discordia proximi offertur ? Imperfectum quippe bonum est, quod sic agitur, ut ne quid ei ex alio latere male subrepat, non attendatur.

Lib. 1. in Ezech. hom. 7. n. 9.

CAPUT V.

2 Cor. 2. 15.

Aliis sumus odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam.

Quod verbum Dei invidis nocet, benevolis prodest. In exposit. B. Job, lib. 19. num. 76.

Unus atque idem sermo Dei est in ore prædicantis : quem dum isti gaudendo, illi vero invidendo audiunt, isti vocem sanctæ prædicationis humiliter accipiunt, illi vero bene dicenti invidentes, non salutis causam, sed elationis gloriam quærunt. Exhortatione ergo sancta, qua boni ad vitam redeunt, pravi deterius in culpa moriuntur. Unde bene per Paulum dicitur : *Christi bonus odor sumus Deo in his, qui salvi fiunt, & in his qui pereunt : aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam*. Verbum itaque suum auditoribus odorem vitæ simul & mortis esse vidit, per quod & alios ab iniquitate suscitari, & e contra sopiri alios in iniquitate conspexit ; Quod quia occultis Dei judiciis agitur, quæ in hac vita comprehendi non possunt ab hominibus, recte illic subdidit : *Et ad hæc quis tam idoneus ?* Ac si diceret : Idonei quidem sumus ad hæc consideranda quæ fiunt, sed idonei non sumus ad hæc investiganda cum fiant.

CAPUT VI.

2. Cor. 2. 17.

Non sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei.

Quam discrete debeant prædicatores vel tacere, vel loqui verbum Dei. In exposit. B. Job, lib. 22. num. 38. & 39

QUOTIES auditores nostri volunt nostra quasi laudanda cognoscere, non autem sua perversa mutare, debemus omnino tacere : ne si ostentationis studio verbum Dei loquimur, & illorum culpa, quæ erat, non esse desinat : & nostra, quæ non erat, fiat. Dicat fortasse aliquis, unde novimus quo corde quis audiat ? Sed multa sunt, quæ audientis animum produnt : maxime si auditores nostri & semper laudant quod audiunt, & numquam quod laudant, sequuntur. Hanc inanem loquendi gloriam Prædicator egregius fugerat, cum dicebat : *Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur*.

Item l. 11. n. 74.

Adulterari namque verbum Dei, est aut aliter sentire de illo quam est, aut ex eo non spiritales fructus, sed adulterinos fœtus quærere laudis humanæ. Adulter quippe in carnali coitu non prolem, sed voluptatem quærit. Et perversus quisque ac vanæ gloriæ serviens recte adulterari verbum Dei dicitur, quia per sacrum eloquium non Deo filios gignere, sed suam scientiam desiderat ostendere. Quem enim libido gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magis quam generationi operam impendit. Ex sinceritate vero loqui, est nil in eloquio extra quam oportet quærere. Sicut ex Deo autem loquitur, qui scit non se a se habere, sed ex Deo accepisse quod dicit. Coram Deo vero loquitur, qui in omne, quod dicit, non humanos favores appetit, sed omnipotentis Dei præsentiæ intendit : non suam, sed Auctoris gloriam requirit. Qui autem scit quidem ex Deo se accepisse quod dicit, & tamen dicendo propriam gloriam quærit, sicut ex Deo loquitur, sed non coram Deo : quia eum, quem cordi suo non proponit, dum prædicat, quasi absentem putat. Sed sancti viri & ex Deo loquuntur, & coram Deo : quia ab eo se sciunt habere quod dicunt, & ipsum suis sermonibus adesse judicem, adjutoremque considerant. Ex Deo & coram Deo loquuntur, qui prædicationis verbum, & quia a Deo acceperunt intelligunt, & placere per illud Deo non hominibus quærunt. Unde fit ut cum se a proximis despici cognoscunt, suaque dicta vitæ audientium non prodesse, abscondant quantæ virtutis sint : ne si secretum cordis inutiliter sermo prolatus aperiat, ad inanem gloriam prorumpat.

In exposit. B. Job, lib. 22. num. 32.

CAPUT VII.

2. Cor. 3. 5.

Fiduciam talem habemus ad Deum ; non quod sufficientes simus aliquid cogitare a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.

Quod gratia Dei omnia merita nostra prævenit. In exposit. B. Job, lib. 18. num. 78

NEquaquam, ut divina nos gratia subsequatur, aliquid Deo contulimus. Nam si nos Deum bene operando prævenimus, ubi est quod Propheta ait : *Misericordia ejus præveniet me* ? Si quid nos bonæ operationis dedimus, ut ejus gratiam mereremur, ubi est quod Paulus dicit : *Gratia salvi facti estis per fidem ; & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus* ? Si nostra dilectio Deum prævenit, ubi est quod Johannes Apostolus dicit : *Non quia nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos* ? ubi est quod Dominus per Osee dicit : *Diligam eos spontanee* ? Si sine ejus munere nostra virtute Deum sequimur, ubi est quod per Evangelium Veritas protestatur : *Sine me nihil potestis facere* ? ubi est quod ait : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum* ? ubi est quod iterum dicit : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* ? si saltem dona bonorum operum virtute nostra bene cogitando prævenimus, ubi est quod rursum per Paulum tam salubriter dicitur, ut omnis de se humanæ mentis fiducia, ab ipsa cordis radice succidatur, cum ait : *Non quia sufficientes sumus cogitare*

Ps. 58. 11
Ephes. 2. 8
1. Johan. 4. 10
Osee 14. 5
Johan. 15. 5
Ibid. v. 16

tare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est? Nequaquam igitur Deum meritis nostris prævenimus, sed omne bonum, quod aspirante ejus gratia agimus, & Dei est, & nostrum; Dei per prævenientem gratiam: nostrum per obsequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non est, unde ei in æternum gratias agimus? Rursum si nostrum non est, ubi nobis retribui præmia speramus? Quia ergo non immerito gratias agimus, scimus quod ejus munere prævenimur: & rursum, quia non immerito retributionem quærimus, scimus quod subsequente libero arbitrio bona eligimus, quæ ageremus.

CAPUT VIII.

2.Cor.3.17 *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.*

De libertate bene operandi *Cura Past. par 3 c.13*

QUI flagella metuunt, & propterea innocenter vivunt, si malis veraciter carere desiderant, æterna supplicia perhorrescant: neque in suppliciorum timore remaneant; sed ad amoris gratiam nutrimento caritatis, excrescant. Scriptum quippe est: *Perfecta caritas foras mittit timorem.* Et rursum scriptum est: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Unde idem Doctor iterum dicit: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Si ergo adhuc a prava actione formidata pœna prohibet, profecto formidantis animum nulla spiritus libertas tenet. Nam si pœnam non metueret, culpam proculdubio perpetraret. Ignorat utique mens gratiam libertatis, quam ligat servitus timoris. Bona enim pro semetipsis amanda sunt, & non pœnis compellentibus exequenda. Nam qui propterea bona facit, quia tormentorum mala metuit, vult non esse quod metuat, ut audenter illicita committat. Unde luce clarius constat quod coram Deo innocentia amittitur, ante cujus oculos desiderio peccatur.

1.Joan.4.18 Rom.8.15

2.Cor.3.17

CAPUT IX.

2.Cor.4.16 *Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur; tamen is qui intus est, renovatur de die in diem.*

Qualiter in adversitate nos habeamus. *Incerpsis B. Iob. lib. 6. num 14.15*

CURANDUM magnopere est ut cum in rebus exterioribus pondere doloris afficimur, spe ad superna tendamus: quatenus eo mens ad alta perveniat, quo nos exterior pœna castigat. Valde enim impossibile est ut hæc peregrinationis nostræ tempora sine gemitu evadamus. Unde bene Paulus eum tribulationes suas discipulis enumeraret, adjunxit: *Ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus.* Sed in eo quod caro flagellis afficitur, mens ad appetenda altiora sublevatur; Paulo rursus attestante, qui ait: *Et licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem.* Inde enim mens evolans ad summa, renovatur, unde caro diutius in infimis laborat, & atteritur. Considerandum est autem quod ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores. Unde & Paulus egregius Prædicator dicit: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Nulla vero lingua dicere, nullusque intellectus sufficit capere, quæ pro se laborantibus Deus promisit præmia; supernæ scilicet civitatis gaudia, choris Angelorum interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris

1.Thes.3.3

Hom. 37. in Evang. n. 1. 2.Tim.2.5

A assistere, præsentem vultum Dei cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo metu mortis affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari. Quicumque igitur illic cupit assistere, ubi se sperat sine fine gaudere, si mentem illius tantorum delectat magnitudo præmiorum, non deterreat in hoc mundo certamen laborum. Sciendum est autem quod alta dispensatio judiciorum Dei, idcirco sæpe bene merentes famulos, vel minis impellit, vel flagellis premit, vel quibusdam superimpositis oneribus gravat, vel laboriosis occupationibus implicat, quia mira potentia prævidet quod si quieti ac liberi in tranquillitate persisterent, tentationes adversarii ferre non valentes, mentis prostrati vulneribus jacerent. Dum ergo foris eos tolerandis flagellis vel oneribus occupat, a suscipiendis intus
B tentationum jaculis occultat. Moris quippe medicinalis est ut sæpe fervorem vulnerum in pruriginem cutis trahat, & plerumque inde interius curat, unde exterius sauciat. Ita nonnumquam divinæ dispensationis medicamine agitur, ut exterioribus doloribus internum vulnus adimatur, & sectionibus repellatur flagellorum, ea quæ mentem occupare poterat interior putredo vitiorum. Et tamen sæpe dum patentis culpæ sibi conscii homines non sunt, & aut doloribus cruciantur, aut laboribus deprimuntur, contra justum & omnipotentem Judicem in querelam prosiliunt, scilicet minus intuentes contra quam fortem adversarium bellum gerunt. Cujus si vires intolerabiles sollicite atten-
C derent, nequaquam de his, quæ exterius tolerant, murmurarent. Sed ideo videntur nobis hæc gravia, quia bella occulti adversarii nolumus pensare graviora; a quibus plerumque bellis, ut diximus, dum flagellamur, defendimur: dum affligimur, occultamur. Caro enim nostra priusquam resurrectionis incorruptione solidetur, si nullo mœrore afficitur, in tentationibus effrenatur. Quis autem nesciat quod multo fit melius ardere flamma febrium, quam flamma vitiorum? & tamen cum febre corripimur, quia vitiorum æstum, qui nos occupare poterat, considerare negligimus, de percussione murmuramus. Quis nesciat quod multo fit melius duris in servitio hominibus subjici, quam blandientibus dæmoniacis spiritibus subdi? Et ta-
D men cum alto Dei judicio conditionis humanæ atterimur jugo, in querelam prosilimus: nimirum quia minus attendimus, quod si nos nulla conditio servitutis opprimeret, fortasse mens nostra multis iniquitatibus pejus libera deserviret. Ideo igitur hæc, quæ toleramus, gravia credimus, quoniam hostis callidi bella quam sint contra nos dura & intolerabilia, non videmus. Mentis enim nostræ pondus omne vilesceret, si ea quæ se poterant opprimere, occulti adversarii bella pensaret. Quid enim si omnipotens Deus onera, quæ patimur, sublevet, sed tamen sua nobis adjutoria subtrahat, & inter hostis antiqui tentamenta nos derelinquat? Sæviente tanto hoste, quo ibimus, si nullis Auctoris nostri defensionibus protegamur? Cum er-
E go, Deo corripiente, dura flagella vel labores toleramus, ut æquanimiter ea ferentes, nequaquam in vitio murmurationis excedamus, hostem nostrum ad memoriam revocare debemus; & durum non æstimemus omne quod patimur, dum, externis cruciatibus ab interna passione liberamur.

CA-

A

CAPUT X.

2 Cor. 5. 4.

Ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri.

De timore passionis & desiderio. In exposit. B. Job, lib. 31. num. 70.

CUM foris quisque prædicator certamen sibi passionis propinquare considerat, gloriosi certaminis subire periculum vult, & tamen trepidat: quoniam in morte considerat quod tolerans paveat, & in fructu mortis aspicit quod appetens quærat. Videamus Paulum quomodo amet quod refugit, quomodo refugiat quod amet. Ait enim: *Desiderium habens dissolvi, & cum Christo esse*. Et: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum*. Et tamen dicit: *Quamdiu sumus in hoc habitaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri: ut absorbeatur quod mortale est, a vita*. Ecce & mori desiderat, & tamen exspoliari carne formidat. Cur hoc? Quia si victoria in perpetuum lætificat, ipsum nihilominus præsens pœna perturbat: & quamvis amor subsequentis vincat muneris, tangit tamen animum non sine mœrore pulsus doloris. Sicut enim vir fortis cum vicino jam belli certamine armis accingitur, palpitat, & festinat, tremit, & sævit, quasi pavere per pallorem cernitur, sed per iram vehementer urgetur: ita vir sanctus cum propinquare passioni se conspicit, & naturæ suæ infirmitate concutitur, & suæ spei soliditate roboratur, & de vicina morte trepidat, & tamen quod moriendo verius vivat, exultat. Ad regnum quippe non potest nisi morte interposita transire: & idcirco gaudens metuit, & metuens gaudet: quia scit quod ad bravium quietis non perveniat, nisi hoc, quod interjacet, cum labore transcendat.

Philip. 1. 23

B

C

CAPUT XI.

2. Cor. 5. 4.

Ut absorbeatur quod mortale est, a vita.

Qualiter electi in hac vita Deum videre possunt. In exposit. B. Job, lib. 4. num. 45

ELecti Dei quantalibet coruscatione operis fulgeant, quantolibet se igne compunctionis accendant: nimirum constat, quia dum corruptibili adhuc carne gravati sunt, æternum lumen, sicut est, videre nequaquam possunt: sæpe autem ita mens eorum accenditur, ut quamvis in carne sit posita, in Deum tamen omni subjugata carnali cogitatione rapiatur. Nec tamen Deum, sicut est, conspicit: quia nimirum hanc, sicut dictum est, in carne corruptibili pondus primæ damnationis premit. Sæpe ita, ut est, se absorberi desiderat, ut æternam vitam, si possit fieri, sine interventu corporeæ mortis attingat. Unde Paulus, cum ardenter internam lucem quæreret, sed tamen utcumque mortis exterioris damna formidaret, ait: *Quamdiu sumus in hoc habitaculo, ingemiscimus gravati: eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri: ut absorbeatur quod mortale est, a vita*. Sancti igitur viri videre verum lumen appetunt; & si concedatur, etiam cum corpore illud attingere lucis intimæ secretum volunt. Sed quantolibet ardore intentionis exiliant, adhuc antiqua nox, videlicet consensus primi parentis, ad culpam gravat: & corruptibilis hujus carnis oculos, quos hostis callidus ad concupiscentiam aperuit, Judex justus a contuitu interni sui fulgoris premit.

D

E

CAPUT XII.

2. Cor. 5. 5.

Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus: qui dedit nobis pignus Spiritus.

De arrha æternæ promissionis. In exposit. B. Job, lib. 16. num. 6.

IN Scriptura sacra aliquando donum sancti Spiritus, pignus appellatur: quia per hoc ad interioris spei certitudinem anima nostra roboratur. Bene ergo per Paulum dicitur: *Qui dedit nobis pignus Spiritus*. Ad hoc enim pignus accepimus, ut de promissione quæ nobis fit, certitudinem teneamus.

CAPUT XIII.

2. Cor. 5. 6.

Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino.

De exsilio cœlestis patriæ. In exposit. B. Job, lib. 18. num. 48. Hebr. 11. 13.

PEREGRINUS populus est omnium numerus electorum, qui hanc vitam quoddam sibi exilium deputantes, ad supernam patriam tota cordis intentione suspirant, de quibus Paulus dicit: *Confitentur, quia peregrini & hospites sunt super terram*. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Hinc peregrinationem iisdem quoque Apostolus tolerabat, cum diceret: *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, & non per speciem*. Hujus peregrinationis ærumnas satagebat evadere, cum dicebat: *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*. Et rursum: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum*.

Philip. 1. 23. ibidem.

CAPUT XIV.

2. Cor. 5. 17.

Vetera transierunt, & facta sunt nova.

De novitate bonæ conversationis. Lib. 1. in Ezech. hom. 10. num. 8.

SÆPE vidimus quosdam ad vocem prædicationis quasi ex conversatione compunctos habitum non animum mutasse: itaut religiosam vestem sumerent, sed anteacta vitia non calcarent: lucra mundi præsentis inhianter quærere, & de solo exteriori habitu, quem sumserunt, sanctitatis fiduciam habere. Quibus quid aliud dicendum est, nisi hoc quod Magister egregius quibusdam legis exteriora servantibus loquitur, dicens: *Quia in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura?* Non enim magni est meriti, si quid foris erga nos agatur in corpore; sed magnopere pensandum est, quid agatur in mente. Nam præsentem mundum despicere, transitoria non amare, mentem medullitus in humilitate Deo & proximis sternere, contra illatas contumelias patientiam servare, & custodita patientia malitiæ dolorem a corde repellere: egenis propria tribuere, aliena minime ambire, amicum in Deo diligere propter Deum, & eos, qui sunt inimici, amare, de afflictione proximi lugere, de morte ejus, qui inimicus est, non exultare: hæc est nova creatura, quam idem Magister Gentium apud alios discipulos vigilanti oculo requirit, dicens: *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova*. Ad veterem quippe hominem pertinet mundum diligere, transitoria ex concupiscentia amare, mentem in superbiam erigere, patientiam non habere, ex livore malitiæ de proximi læsione cogitare, sua indigentibus non dare, atque ad multiplicandum aliena quærere, nullum

Gal. 5. 6.

Num. 5.

lum pure propter Deum diligere, inimicitias inimicis reddere, de afflictione proximi gaudere. Cuncta hæc vetusti sunt hominis, quæ videlicet de radice trahimus corruptionis. Sed qui jam ista exsuperat, & ad præcepta Domini mentem in benignitatem commutat, de hoc recte dicitur: *Quia vetera transierunt, & ecce facta sunt nova.* Tunc ergo in nostris mentibus nova fiunt, cum a nobis vetusti hominis vitia transeunt.

Nom. 10.

CAPUT XV.

2. Cor. 5. 20.

Obsecramus pro Christo : reconciliamini Deo.

De humilitate satisfacientis. Homil. 34 in Evang. n. 7.

SI contingat ut fortasse cum proximo jurgium habeamus, satisfacere priores erubescimus. Cor quippe carnale, dum hujus vitæ gloriam quærit, humilitatem respuit : & plerumque ipse homo, qui irascitur, discordanti sibi reconciliari appetit : sed ad satisfactionem ire prior erubescit. Pensemus facta Veritatis, ut videamus quo jaceant actiones nostræ pravitatis. Si enim membra summi capitis sumus, eum imitari, cui connectimur, debemus. Quid namque exemplum eruditionis nostræ Paulus egregius prædicator dicit : *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos : Obsecramus pro Christo : reconciliamini Deo.* Ecce inter nos & Deum discordiam peccando fecimus, & tamen ad nos Deus suos legatos prior misit : ut nos ipsi qui peccavimus, ad pacem Dei rogati veniamus. Erubescat ergo humana superbia, confundatur quisque si non satisfaciat prior proximo, quando post culpam nostram, ut ei reconciliari debeamus, & ipse, qui offensus est, legatis intervenientibus obsecrat Deus.

2. Cor 5. 20.

CAPUT XVI.

2. Cor 6. 8.

Per gloriam & ignobilitatem, &c.

De laude & detractione. In exposit. B. Job, lib. 22. num. 17.

SCIENDUM est, quia ne immoderatis laudibus erigamur, plerumque miro Rectoris nostri moderamine, etiam detractionibus lacerari permittimur: ut cum nos vox laudantis elevat, lingua detrahentis humiliet : quoniam & arbor sæpe, quæ unius venti impulsu ita impellitur, ut pene jam erui posse videatur; alterius e diverso venientis flatu erigitur : & quæ inflexionem hac ex parte pertulit, ab alia ad statum redit. Unde & arbor illa alte radicata, quasi inter ventos adversantes fixa steterat, quæ dicebat : *Per gloriam, & ignobilitatem : per infamiam, & bonam famam.*

CAPUT XII.

2. Cor. 6. 11.

Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, &c.

Qua de causa justi laudem suæ prædicationis exaltant. In exposit. B. Job, lib. 26 num. 42.

CUM ab infirmis auditoribus se intelligi non posse conspiciunt, solent plerumque etiam justi laudare bona, quæ dicunt : non quo ipsi suis laudibus inhient, sed quo suos auditores ad audiendi sollicitudinem accendant, ut dum eorum voce proferuntur, ab illorum cordibus ardentiori affectu rapiantur. Unde Paulus cum mira Corinthiis & multa dixisset, adjunxit : *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii : cor nostrum dilatatum est.* Cum igitur sancti Doctores laudem prædicationis exaltant, quasi manu vocis ab imis cogitationibus corda audientium levant, ut excussa velociter dictis sequentibus velut in itinere occurrant, & tanto ea intelligentiæ amplexu constringant, quanto illa & quasi priusquam cernerent, in voce laudantis amaverant.

CAPUT XVIII.

Non angustiamini in nobis.

2. Cor. 6. 12.

Quod cum magna caritate suscipi debeat prædicationis verbum. 2. Cor. 7. 2.

DEBENT audientes verba prædicationis in amplo suscipere gremio caritatis : Doctori namque spatiosus ad manendum locus debet esse in corda auditoris, latitudo bonitatis. Unde quibusdam a Paulo dicitur : *Capite nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus. Non angustiamini in nobis : angustiamini autem in visceribus vestris.* Ac si eis aperte diceretur : Ad suscipiendam doctrinam, spatiosum mentis locum facite : sed ad cogitanda carnalia, angusti remanete.

CAPUT XIX.

Cum venissemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra.

2. Cor. 7. 5.

Quod justi plus adversa quam prospera appetunt. In exposit. B. Job, lib. 5. num. 35.

VIR Deo bene subditus sic adversis non frangitur, sicut nec prosperis elevatur : quoniam adversa non dejiciunt, quem prospera nulla corrumpunt. Plerumque vero quia exerceri se utilius contritionis suæ laboribus novit, in adversis hilarescit : quæ dum constanter pro veritate patitur, augeri sibi virtutis merita lætatur. Hinc est quod tunc Apostolos legimus exultasse, cum illos pro Christo contigit flagella tolerasse, sicut scriptum est : *Ibant gaudentes a conspectu concilii : quoniam digni sunt habiti pro nomine Jesu contumeliam pati.* Hinc Paulus cum duris in Macedonia fuisset persecutionibus pressus, in eo quod se afflictum insinuat, etiam jucundatum demonstrat, dicens : *Nam cum venissemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra.* Ac si aperte diceret : Quia spiritus requiem habuit, dum per profectum animæ, persecutionum supplicia caro toleravit.

Act. 5. 41.

CAPUT XX.

Foris pugnæ, intus timores.

2. Cor. 7. 5.

Qualiter justi contra diversa tribulationum genera se præparant. In exposit. B. Job, lib. 5. n. 39. & 40.

SAncti viri tribulationum bello deprehensi, cum uno eodemque tempore alios ferientes, atque alios suadentes ferunt, illis opponunt scutum patientiæ, istis intorquent jacula doctrinæ : perversa suadentes intus sapienter edocent, & foris fortiter adversa inferentes contemnunt : hos docentes corrigunt, illos tolerantes premunt : insurgentes hostes patiendo despiciunt, infirmantes vero cives compatiendo ad salutem reducunt. Videamus castrorum Dei militem contra utraque præliantem, ait enim : *Foris pugnæ, intus timores.* Enumerat bella, quæ extrinsecus tolerat, dicens : *Periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus.* In hoc autem bello, quæ contra adversarium spicula intorqueat, adjungit : *In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti : in jejuniis multis, in frigore & nuditate.* Sed inter tot certamina deprehensus dicat, quanto vigiliarum munimine etiam castra custodiat : nam protinus

2. Cor. 11. 26.

tinus adjungit : *Præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum*. Ecce in se bella fortiter suscipit, & tuendis se proximis misericorditer impendit : narrat mala quæ patitur, subjungit bona quæ impertitur. Pensemus ergo cujus laboris sit, uno eodem tempore, foris adversa tolerare, intus infirma sustinere ; foris pugnas patitur, quia verberibus scinditur, catenis ligatur : intus metum tolerat, quia passionem suam non sibi, sed discipulis obesse formidat. Unde & eisdem scribit, dicens : *Nemo moveatur in tribulationibus istis, ipsi enim scitis, quod in hoc positus sum*. Aliorum quippe casus in propria passione metuebat, dum ipsum discipuli afflictum pro fide verberibus agnoscerent, fideles se profiteri recusarent. O immensæ caritatis viscera ! Despicit quod ipse patitur, & curat ne quid pravæ persuasionis in corde discipuli patiantur : in se contemnit vulnera corporis, & in aliis medetur vulnera cordis. Habent quippe hoc justi proprium, ut in dolore positi tribulationis suæ, curam non deserant utilitatis alienæ. Et cum de se adversa patientes dolent, alii necessaria docentes prævident. Valde autem minoris est laboris, aut docere cum nihil toleras, aut tolerare cum nihil doces. Unde sancti viri ad utraque se solerter extendunt, & tamen in tribulationibus fortasse feriuntur : sic exteriora bella suscipiunt, ut sollicite cogitent ne proximorum interiora lacerentur.

1. Thess. 3. 3.

CAPUT XXI.

Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio.

1. Cor. 8. 13.

De virtute compassionis in beneficio dato. In expos. B. Job. lib. 20. num. 68.

SCIRE necesse est quia ille perfecte tribuit, qui cum eo quod afflicto porrigit, afflicti quoque in se animum sumit : ut prius in se dolentis passionem transferat, & tunc contra dolorem illius per ministerium concurrat. Nam sæpe largitorem muneris rerum facit abundantia, & non virtus compassionis. Qui enim afflicto perfecte compatitur, plerumque & hoc indigenti tribuit, in quo ipse qui dederit, angustatur. Et tunc est plena cordis nostri compassio, cum malum inopiæ pro maximo suscipere non metuimus, ut illum a passione liberemus. Quam videlicet pietatis formam Mediator Dei & hominum nobis dedit, qui cum posset nobis etiam non moriendo succurrere, subvenire tamen hominibus moriendo voluit : quia nos videlicet minus amasset, nisi & vulnera nostra suscepisset : nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet, nisi hoc quod a nobis tolerat, ad tempus ipse sustineret. Passibiles quippe mortalesque nos reperit, & qui nos existere fecit ex nihilo, revocare videlicet etiam sine sua morte potuit a passione. Sed ut quanta esset virtus compassionis ostenderet, fieri pro nobis dignatus est quod esse nos voluit : ut in semetipso temporaliter mortem susciperet, quam a nobis in perpetuum fugaret. Annon in divinitatis suæ divitiis nobis invisibilis permanens, miris nos potuit virtutibus ditare? Sed ut ad internas divitias rediret homo, foris apparere dignatus est pauper Deus. Unde & prædicator egregius, ut ad largitatis gratiam viscera nostræ compassionis accenderet, dixit : *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives*. Qui sic etiam dicit : *Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio : sed ex æqualitate*

num. 69.

2. Cor. 8. 9.

A *in præsenti tempore nostra abundantia, illorum inopiam suppleat : ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum*. Hæc proculdubio condescendendo infirmis intulit, ne plurima præbentes, & ipsi postmodum inopiam minime tolerantes, ad impatientiam erumpant. Cum enim dantis mens ferre inopiam nescit, si multa sibi subtrahit, occasionem contra se impatientiæ exquirit. Prius quippe præparandus est patientiæ animus, & tunc aut multa sunt, aut cuncta largienda : ne dum munus æquanimiter inopia irruens fertur, & præmissæ largitatis merces pereat, & adhuc mentem deterius murmuratio subsequens perdat. Quibusdam enim inopiam ferre non valentibus tolerabilius est minus tribuere, quam post largitatem suam ex inopiæ angustia murmurare. Nam ut ad magna B largienda audientium mentes accenderet, paulo post intulit, dicens : *Hæc autem dico : Qui parce seminat, parce & metet*. Plus autem nonnumquam esse dicimus compati ex corde, quam dare : quia quisquis indigenti perfecte compatitur, minus æstimat omne quod dat. Nisi enim dantis manum bona voluntas vinceret, & eisdem prædicat egregius discipulis non dixisset : *Qui non solum facere, sed & velle cœpistis ab anno priore*. Facile quippe est in bono opere obedire, etiam volentem : sed hæc magna in discipulis virtus exciterat, eos bonum quod illis præceptum est, & ante voluisse. Idcirco autem plus compassionem quam datum dicimus : quia rem quamlibet plerumque dat etiam qui non compatitur ; nunquam autem qui vere compatitur, quod necessarium proximo conspicit, negat.

2. Cor. 9. 6.

2. Cor. 8. 10.

C

CAPUT XXII.

Epistolæ graves sunt, præsentia vero corporis infirma.

2. Cor. 10. 10.

De contemtu honoris. In expos. B. Job. lib. 20. num. 51.

SCIENDUM est quod justus quisque aut temporalem gloriam non habens, aut hanc sibi semetipso frangit, si habet : ut honori suo liber emineat, ne ei victus delectatione succumbat. Hinc est enim quod ille prædicator egregius ante humanos oculos ap[o]stolatus sui gloriam humiliaverat, qui dicebat : *Non usi sumus hac potestate, cum possimus oneri esse ut Christi Apostoli, sed facti sumus parvuli in medio vestrum*. In die nimirum apud auditores suos contemtus habebatur, cum diceb[a]t : *Epistolæ graves sunt, & fortes : præsentia vero corporis infirma, & sermo contemtibilis*. Quem enim talia dicere posse cognoverant, secum communiter vivere non posse judicabant ; Dumque eum & humilem vivendo cernerent, & altum sermone pensarent, sua eos elatio compulit, ut quem per scripta timuerant, per præsentiæ verba despicerent. Paulus igitur unde magisterium humilitatis exhibuit, inde a rudibus discipulis superbiæ contumelias recepit. Horrendo enim modo languor superbientium unde detumescere E debuit, excrevit : dum mens elata carnalium, hoc quasi dedignabile repulit, quod magister imitabile ostendit.

D 1. Thess. 2. 7

CAPUT XXIII.

Cum essem apud vos, & egerem, nulli onerosus fui.

2. Cor. 11.

BEATI Pauli mansuetudinem consideremus, & De laude

mansuetudinis in Paulo. Lib. 2. in Ezech. ho. 6. num. 12. 2. Cor. 11.

& pensemus, si possumus, ille qui tanti ardoris est in zelo prædicationis, ut Apostolorum quoque primo non parceret, quantæ mansuetudinis erat in studio longanimitatis. Taceamus autem quod ter virgis cæsus est, quia semel lapidatus est, quia ter naufragium fecit, quia nocte ac die in profundo maris fuit, quia a Judæis quinquies quadragenas una minus accepit. Minus enim animum ad iracundiam commovent ea mala, quæ nobis ab apertis adversariis irrogantur: hoc plus solet dolere, quod a propriis patimur. Unde & ipsa Veritas per Psalmistam contra traditorem suum loquitur, dicens: *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: tu vero homo unanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.* (Psal. 54. 13.) Pensemus ergo, si possumus, Paulus Apostolus qui tantum patiens inter persecutores erat, quantum mansuetus inter discipulos fuerat. Certe Corinthum veniens, ab idolorum servitio Corinthios retraxit, quis esset Deus verus innotuit, æternæ eis vitæ gaudia prædicavit. Et cum magnam multitudinem populi in fide collegisset, tantam illic inopiam pertulit, ut victus sui gravi necessitate laboraret, & terræ panem a discipulis non accepit, quibus panem cæli prædicavit. Insistebat verbo pro vita audientium, pro vita sui corporis insistebat labori manuum. De terris quoque aliis stipendia mittebantur a discipulis, ut prædicare sufficeret Corinthiis: ipse quippe ad eosdem Corinthios post per epistolas loquitur, dicens: *Cum essem apud vos, & egerem, nulli onerosus fui: nam quod mihi deerat, suppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia.* Quibus ad magnum quoque improperium præmisit, dicens: *Alias Ecclesias exspoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum.* Pensemus ergo, si possumus, cujus hoc mansuetudinis fuerat, panem spiritualem prædicare, & panem carnis non accipere: corda audientium de divitiis æternis instruere, & inter eosdem discipulos fideles & abundantes fame laborare: inter satiatos pati inopiam, nec tamen quod patiebatur dicere, nec tamen dolere: videre dura erga se corda auditorum tenacium, nec a prædicatione desistere. Nam sicut Apostolorum Acta testantur, anno & sex mensibus in eadem civitate continue prædicavit. (Act. 18.) Cumque ab eisdem Corinthiis recessisset, ad eosdem postmodum scribit quod apud eos positus pertulit. Quare autem hoc eis, cum inter eos viveret, numquam dixit? ne quod erga eum factum ex bona voluntate non fuerat, fieret ex jussione: & cum innotesceret eorum miseria, remaneret voluntas ignota. Quare autem hoc ad hos postmodum longe positus scribit? ne omnimodo discipuli incorrecti remanerent, & quales in tenaci magistro fuerant, aliis quoque fratribus tales essent. Vere & in hoc Paulus, vere Magister Gentium, sua negligens, aliena curans, implevit quod prædicaverat: *Nemo quod suum est, quærat; sed quod alterius*; (1. Cor. 10. 24.) & non quæ sua sunt singuli cogitantes, sed ea quæ aliorum. Quanta itaque ista mansuetudinis est virtus! quanta tranquillitas spiritus! Quis autem nostrum, si unum hujus mundi divitem ad omnipotentis Dei servitium convertisset, seque egere conspiceret, & illum sibi vitæ subsidia non præbere, non protinus de ejus vita desperasset? Quis non incassum laborasse se diceret? quis non ab ejus exhortatione obmutesceret, quem in semetipsum primum ferre fructum boni operis non videret? Sed Paulus per mansuetudinem in virtutum vertice solidatus perstitit, prædicavit, dilexit: & bonum quod cœperat, explevit; (Num. 13.) atque portando & persistendo, discipulorum corda ad misericordiam perduxit: nam eorum profectum postmodum scire se indicans, in eadem epistola scribit: *De ministerio quod fit in Sanctos, ex abundantia est mihi scribere vobis: Scio enim promtum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedonas: quoniam Achaja parata est ab anno priore, & vestra æmulatio provocavit plurimos.* (2. Cor. 9. 3.) De quibus rursus ait: *Qui non solum facere, sed velle cœpistis ab anno priore.* In quibus non tam opera, quam pia vota requirebat; in eis proculdubio plus laudat pia vota quam opera. Notandum tamen est quia habet improperium hæc ipsa consolatio, cum dicitur, *ab anno priore*: Bonum quidem, sed tarde fecerant, atque ideo hoc Magister non sine reprehensione laudabat. Medicus quippe est qui vulneri medicamentum apponit quod & ea quæ purgata sunt refovet, & ea quæ putrida inveniuntur mordet: sed hæc tolerando atque prædicando, explevit quod cœpit, & miræ longanimitatis virtus ad viscera misericordiæ discipulorum duritiam emollivit.

CAPUT XXIV.

Ipse enim satanas transfigurat se in Angelum lucis. (2. Cor. 11. 14.)

De callida versutia inimici. In exposit. B. Job, lib. 33. num. 44.

ALITER antiquus hostis religiosas hominum mentes, aliter vero huic mundo deditas tentat. Nam pravis mala quæ desiderant, aperte objicit: bonis autem latenter insidians, sub specie sanctitatis illudit: illis velut familiaribus suis iniquum se manifestus insinuat, istis vero velut extraneis, cujusdam quasi honestatis prætextu se palliat: ut mala quæ eis publice non valet, tecta bonæ actionis velamine, subintromittat. Unde & membra ejus sæpe cum aperta nequitia nocere non possunt, bonæ actionis habitum sumunt, & prava quidem exhibent opere, sed sancta mentiuntur specie. Iniqui enim si aperte mali essent, a bonis recipi minime possent: sed sumunt aliquid de visione bonorum: ut dum boni viri recipiunt in eis speciem quam amant, permixtum sumant etiam virus, quod vitant. Unde quosdam Paulus Apostolus intuens, sub prædicationis velamine ventris studio servientes, ait: *Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Quid ergo mirum si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ? Hanc transfigurationem Josue timuit, quando videns Angelum, cujus esset partis inquisivit, dicens: *Noster es, an adversariorum?* (Josue 5. 13.) ut videlicet si adversæ virtutis esset, eo ipso quo se suspectum cognosceret, ab illusione resiliret.

CAPUT XXV.

Ministri Christi sunt, & ego. (2. Cor. 11. 23)

Qua intentione sancti viri opera sua commendent. Lib. 1. in Ezech. hom. 9. num. 19. 2. Cor. 11. 2.

JUsti atque perfecti gloriam laudis fugientes, & animarum lucra quærentes, aliquando virtutes suas prædicant; bona quæ divinitus acceperunt, narrant: non ut ipsi apud homines ostensione sua proficiant, sed ut eos quibus prædicant, exemplo suo ad vitam trahant. Unde Paulus Apostolus quoties fustibus cæsus, quoties lapidatus, quoties naufragium pertulit, quanta pro veritate su-

sustinuit, quod ad tertium cælum raptus, quod A in paradisum ductus sit, Corinthiis narrat, ut eorum sensum a falsis prædicatoribus avertat: & dum se innotesceret qualis esset, illi eis vilescerent, quos ab eis cognoverat inique venerari. Eisdem igitur Corinthiis, honorem fugiens, dicit: *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum: nos autem servos vestros per Jesum Christum*. Quos tamen videns falsorum Apostolorum persuasionibus a veræ fidei tramite deviare, eis se summopere, quantum esset venerandus ostendit, dicens: *In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego. Hebræi sunt, & ego. Israelitæ sunt, & ego. Semen Abrahæ sunt, & ego. Ministri Christi sunt, & ego: (ut minus sapiens dico) plus ego*. Quibus etiam subjungit quod ei quoque tertii cæli secreta patuerunt, quod raptus etiam arcana paradisi penetravit. Ecce honorem fugiens, servum se discipulorum prædicat: ecce honorem pro utilitate audientium quærens, falsis Apostolis vitæ suæ merita superponit. Egit quippe doctor egregius, ut dum ipse qualis esset agnoscitur, & vita & lingua male prædicantium ejus comparatione vilesceret: illos videlicet commendaret, si se absconderet: cumque se non ostenderet, errori locum dedisset. Miro igitur modo, & humilitatis quærit incrementa, ut & servum se discipulis prædicet; & adversariis potiorem demonstret. Ostendit discipulis quid humilitatis acceperat, ostendit adversariis quid sublimitatis. Innotescit contra adversarios quid haberet ex munere, innotescit discipulis qualis apud se maneat in cogitatione. Sancti ergo viri cum coguntur bona narrare, quæ faciunt, non elationi, sed utilitati serviunt.

In Exposit. B. Job. lib. 19. num. 37.
2. Cor. 4. 5.
2. Cor. 11. 21.

CAPUT XXVI.

1. Cor. 11. 32.

Damasci Præpositus gentis Aretæ Regis.

Quanta discretione debeamus adversariis aliquando obviare, eosdemque aliquando declinare.
In exposit. B. Job. lib. 31. nu. 56. & 57

Si ad æternæ vitæ desiderium noster animus excitatus est, si jam verum lumen intrinsecus respicit, si in se flammam sancti fervoris accendit; inquantum locus admittit, inquantum causa exigit, debemus pro defensione justitiæ nosmetipsos objicere, & perversis ad injusta erumpentibus, etiam cum ab eis non quærimur, obviare. Nam cum justitiam quam nos amamus, in aliis feriunt: nos nihilominus sua percussione confodiunt, etiamsi venerari videantur. Intueri libet quantus Pauli fervor accenderat, quando cum Ephesi ad irrumpendas theatri turbas zeli flamma rapiebat. Scriptum quippe est: *Repleti sunt ira, & exclamaverunt, dicentes: Magna Diana Ephesiorum. Et impleta est civitas confusione, & impetum fecerunt uno animo in theatro, rapto Cajo & Aristarcho comitibus Pauli*. Atque mox subditur: *Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli; quidam autem & de Asiæ principibus qui erant amici ejus, miserunt ad eum rogantes, ne se daret in theatrum*. In quibus profecto verbis agnoscimus quo impetu contra cuneos adversantes irrueret, nisi eum per amicos & discipulos, caritatis frena tenuissent. Sed si obviare hostibus, si ultro pugnam petere; si nosmetipsos semper relinquere in cursum nostri fervoris debemus, quid est quod idem prædicator egregius de semetipso fatetur, dicens: *Damasci Præpositus gentis Aretæ Regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet; & per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus ejus*? Quid est quod modo sponte cuneos armatorum impetit, & modo se ab armatis hostibus quasi trepidus abscondit, nisi hoc quod necesse est ut in ejus artificiosa virtute discamus adversariorum pugnam & constanter aliquando appetere, & prudenter aliquando declinare? Necesse quippe est ut per omne quod agimus, in mentis trutina positum hinc pondus, illinc fructum nostri laboris æstimemus. Et cum pondus fructum superat, laborem quisque innoxie declinat dum modo se in aliis exerceat, in quibus lucro fructuum pondus laboris vincat. Cum vero subsequenti quantitate fructuum mensura laboris aut æquatur aut vincitur, labor sine gravi culpa declinatur. Unde prædicator sanctus cum Damasci valde obstinatas mentes persequentium cerneret, eorum B noluit adversitati confligere; quia & semetipsum, quem profuturum multis noverat, vidit posse deficere, & aut nullis se illic, aut paucis prodesse. Secessum igitur a certamine petiit, & pugnaturum felicius ad alia se bella servavit. Non enim loco virtus, sed locus virtuti defuit: & idcirco fortissimus miles ab obsidionis angustia certaminis campum quæsivit. Ubi vero subjuganda regi proprio multa adversariorum colla conspexit, subire bellum, vel cum morte non timuit: sicut ipse cum Jerosolymam pergeret, cumque discipuli passione illius per prophetiam præscita prohiberent, sibimetipsi attestaretur, dicens: *Ego non solum alligari, sed & mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Domini Jesu: neque enim facio animam meam pretiosiorem quam me*. Qui igitur hic hostiles cuneos C etiam præscita passione sua imperterritus petiit, illic de dispensatione fuisse edocuit, non de timore quod fugit. Qua in re pensandum est quia ille labores quosdam per dispensationis judicium laudabiliter declinat, qui pro Deo majores alios fortiter tolerat. Nam sæpe ab hominibus timor debilis, cauta dispensatio vocatur, & quasi prudenter impetum declinasse se asserunt, cum fugientes turpiter in terga feriuntur. Unde necesse est ut in causa Dei cum res dispensationis agitur, metus cordis subtilissima libratione pensetur: ne per infirmitatem timor subrepat, & sese per dispensationis imaginem rationem confingat, ne culpa se prudentiam nominet: jamque nec ad pœnitentiam animus redeat, quando hoc quod inique D perpetrat, virtutem vocat. Restat igitur in dubiis quisque deprehensus, cum sibi quælibet adversitas imminet, prius intra semetipsum contra formidinem & præcipitationem pugnet: quatenus nec formidolose se subtrahat, nec præcipitanter opponat. Valde enim præceps est, qui semper se adversis objicit: & valde pavidus, qui semper abscondit. Sed hæc melius in bellis spiritualibus discimus, si formam exercitii a corporalibus bellis trahamus. Neque enim ille dux sapiens est, qui contra cuneos hostiles exercitum præceps admovet, neque ille dux fortis, qui semper hunc ab hostis facie cavendo subducit. Scire namque dux debet, modo ab hostili impetu exercitum caute E subtrahere, modo hostem circumfusis cornibus coarctare. Quod nimirum sollicite perfecti prædicatores exhibent, cum modo persecutionis rabiem declinantes, noverunt sapienter sed non enerviter cedere: modo vero persecutionis impetum contemnentes, noverunt ei fortiter, sed non præcipitanter obviare.

Act. 19. 28.
Num. 58.
Act. 21. 13.
Num. 59.
Num. 60.

CAPUT XXVII.

2. Cor. 12. 6.

Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me.

De fugienda gloria. In exposit. B. Job, lib. 18. num. 13.

QUI veraciter sancti sunt, non solum gloriam super modum suum omnino non appetunt, sed etiam hoc ipsum videri refugiunt quod esse meruerunt. Unde ille Prædicator egregius veritatis, contra pseudoapostolos loquens, dum virtutes eximias operationis suæ pro discipulorum eruditione narraret, dum tot se pericula tolerasse concervata persecutione describeret, & post hæc usque ad tertium cælum, rursumque in paradisum se raptum esse memoraret, ubi tanta cognoscere potuisset, quanta loqui omnino non posset: erat de se fortasse adhuc mirabiliora locuturus, sed ab humana laude alta consideratione se temperans subdidit: *Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* Habebat ergo de se dicendum aliquid adhuc, qui parcit dicere: sed egit utrumque doctor egregius, ut & loquendo quæ egerat, discipulos instrueret, & tacendo se intra humilitatis limitem custodiret. Nimis namque esset ingratus, si de se discipulis tota reticeret; & fortasse nimis incautus, si de se tota vel discipulis proderet. Sed mirabiliter, ut dictum est, egit utrumque; ut loquendo vitam audientium erudiret, tacendo vero suam custodiret.

CAPUT XXVIII.

2. Cor. 12. 7.

Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus satanæ; &c.

Quod ob humilitatis custodiam tentationibus fatigantur electi. In exposit. B. Job, lib. 19. num. 10.

ELECTI Dei quamdiu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur, ut ne tantum proficere valeant, quantum volunt: sed ne extollantur superbia, non fit in eis ipsarum quædam mensura virtutum. Sic Paulum video fluminum & latronum, civitatis & solitudinis, maris ac falsorum fratrum pericula sustinentem, frenantem jejuniis ac vigiliis corpus, sustinentem frigoris & nuditatis ærumnam, ad Ecclesiarum custodiam vigilanter se & pastoraliter exercentem, ad tertium cælum raptum, rursumque cum in paradisum raptum, & audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui: & cum satanæ Angelo ad tentandum conceditur orat ut eximi debeat, & non exauditur, sicut ipse dicit: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus satanæ, ut me colaphizet: propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me.* Hujus cum initia conversationis aspicio, perpendo quod ei superna pietas cælos aperit, seseque illi Jesus de sublimi ostendit. Qui lumen corporis ad tempus perdidit, lumen cordis in perpetuum accepit: ad Ananiam mittitur, vas electionis vocatur, & tamen de civitate eadem, quam post visionem Jesu ingressus fuerat, fugiens recedit; sicut ipse testatur, dicens: *Damasci Præpositus gentis Aretæ Regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet; & per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus ejus.* Cui licenter dicam: O Paule, in cælo jam Jesum conspicis, & hominem in terra fugis: in paradisum duceris, secreta Dei verba cognoscis, & adhuc a satanæ Angelo tentaris? Unde sic fortis, ut ad cælestia rapiaris? Unde sic infirmus, ut hominem in terra fugias, & adhuc a satanæ Angelo adversa toleres? quia ecce qui te sublevat, rursus te subtilissima mensura moderatur: ut & in miraculis tuis prædices nobis virtutem Dei, & rursum in timore tuo reminisci nos facias infirmitatis nostræ. Quæ tamen infirmitas, ne in desperationem nos pertrahat, cum pulsat, dum in infirmitate tua Dominum rogares, quia auditus non es, nobis quoque locutus es quod audisti: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Aperta ergo Dei voce ostenditur, quia custos est virtutis infirmitas. Tunc quippe bene interius custodimur, cum per dispensationem Dei tolerabiliter tentamur exterius aliquando vitiis, aliquando pressuris, & persecutionum adversitatibus. Qui vero mentem certamini vult ante tentationis certamen parare, adversa neque longe adhuc posita debet cogitando prænoscere, ne fortasse valeant improvisa superare. Unde Paulus discipulos admonebat, cum diceret: *Vosmetipsos tentate: si estis in fide, ipsi vos probate.* Ac si aperte præciperet, dicens: Certamina persecutionum ad mentem reducite, & vestri cordis intima atque occulta pensantes, quales inter supplicia existere valeatis, invenite. Paulus ergo prædicator egregius, qui raptus ad tertium cælum fuerat, arcana paradisi penetraverat, esse post revelationem tranquillus & intentatus volebat. Sed quia omnipotens Deus terminos constituit homini, qui non poterunt præteriri: & elevavit hunc ad cognoscenda sublimia, & reduxit iterum ad infirma toleranda, ut modi sui mensuras aspiciens, dum securitatem comprehendere conaretur & non posset, ne per elationem extra se iret, per humilitatem cogeretur intra suos semper terminos redire. Nonnumquam itaque electi Dei in virtutibus proficere conantur, & quædam dona percipiunt. A quibusdam vero repulsi in imis jacent. Nemo est enim qui tantum virtutis apprehendat, quantum desiderat: quia omnipotens Deus interiora discernens, ipsis spiritualibus profectibus modum ponit: ut ex hoc homo quod apprehendere conatur, & non valet, in illis se non elevet quæ valet.

2. Cor. 12. 9.

In exposit. B. Job, lib. 31. num. 70.

2. Cor. 13. 5.

CAPUT XXIX.

2. Cor. 12. 11.

Factus sum insipiens.

Qua de causa viri justi & sancti bona sua detegant. Lib. 2. in Ezech. ho. 9. n. 19 & 20.

JUSTI & perfecti numquam bona sua detegunt, nisi eos aut proximorum utilitas, aut certe nimia necessitas cogat. Unde Paulus quoque Apostolus multa de se fortia pro discipulorum suorum ædificatione narravit, sed hæc narrando minime deliquit: quoniam a veritatis tramite, & attestatione carta & corde humili non recessit. Qui vero necessitate cogente vera de se bona loquitur, tanto magis humilitati jungitur, quanto & veritati sociatur. An idem Paulus non fuit, quando veritatis æmulatione contra falsos Apostolos tot de se discipulis fortia gesta narravit? Cui nimirum veritati inimicus existeret, si abscondendo virtutes proprias, prædicatores errorum prævalere permisisset. Unde etiam cum virtutes suas Corinthiis enumerasset, adjunxit: *Factus sum insipiens: vos me coegistis.* Fit autem aliquando, ut necessitate compulsi, in bonis quæ de se referunt, non aliorum utilitatem, sed suam requirant; sicut beatus Job facta sua enumerat, dicens: *Oculus fui cæco,*

&

& pes claudo. Pater eram pauperum, & causam quam nesciebam, diligentissime investigabam: & multaj alia quæ sæpe egisse se commemorat. Sed quia in vulnere doloris positus ab amicis increpantibus impia egisse, & violentus proximis atqua oppressor pauperum fuisse dicebatur: vir sanctus intar flagella Dei, & humanæ increpationis verba deprehensus, mentem suam graviter concuti, atqua ad desperationis foveam conspexit impelli: qui jamjamque cadere **A** poterat, nisi ad memoriam sua bene acta revocasset; ut ad spem animi reduceretur, ne oppressus verbis & vulneribus in desperatione periret. Quod ergo sua bona enumerat, non innotescere aliis quasi ex laude desiderat; sed ad spem animum reformat. Justi itaque cum virtutes suas, quas habent, infirmis loquuntur, reprehensibiles non sunt: quia per vitam suam quam referunt, aliorum animas ad **B** vitam quærunt.

INCIPIUNT CAPITULA

DE PRIMA EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD GALATAS.

1 *SI adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* **C**
2. *Notum vobis facio Evangelium, quod evangelizatum est a me.*
3. *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit?*
4. *Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus.*
5 *Filioli mei, quos iterum parturio.*
6 *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt.*
7 *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto.*
8 *Invicem onera vestra portate.*
9 *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

EXPOSITIO

SUPER EPISTOLAM B. PAULAPOSTOLI AD GALATAS.

CAPUT PRIMUM.

Galat. 1, 10 *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem,*

Quomodo Rectores bonis studere non debeant, ut hominibus placeant. Regul. Pastor. p. 2. c. 8. SCIENDUM est quod non oportet ut Rectores bonis placere hominibus appetant, sed ut æstimationis suæ dulcedine proximos in affectum veritatis trahant: non ut se amari desiderent, sed ut dilectionem suam, quasi quamdam viam faciant, per quam corda audientium ad amorem Conditoris introducant: Difficile quippe ast ut quantumlibet recta denuntians prædicator, qui non diligitur, libenter audiatur. Debet ergo qui præest, studere se diligi, quatenus possit audiri; & tamen eorum amoram pro semetipso non quærere, ne inveniatur ei, cui servire per officium cernitur, occulta cogitationis tyrannide resultare. Quod bene Paulus insinat, aum sui nobis studii occulta manifestat, dicens: *Sicut & ego per omnia omnibus placeo*. (II Cor. 10. 33.) Qui tamen rursus dicit: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*. Placet ergo Paulus, & non placet; quoniam in eo quod placere appetit, non se, sed per se hominibus placere veritatem quærit.

CAPUT II.

Galat. 1. 11. *Notum vobis facio Evangelium, &c.*

De prophetia. Lib. 1. in Ezech. homil. 1. n. 9. ALIQUANDO prophetiæ spiritus ex præterito tangi animum, nec tangit ex futuro, sicut aperte ostenditur in Paulo Apostolo, qui discipulis **D** dicit: *Notum vobis facio Evangelium quod evangelizatum est a me: quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi*. Unde aliis quoque discipulis dicit: *Secundum revelationem notum factum mihi sacramentum*. (Ephes. 3. 3.) Qui tamen hoc ipsum Evangelium, quod per revalationem cognoverat, cum Jerosolymam prædicaturus ascenderet, ait: *Ecce ego alligatus spiritu, vado in Jerusalem: quæ in ea ventura sint mihi ignorans*. (Act. 20. 24.) Hoc quippe Evangelii sacramentum est: quia Unigenitus Patris incarnatus est, atque perfectus homo factus est; qui crucifixus, mortuus, & sepultus, die tertia resurrexit: die quoque quadragesima ascendit in cælum, atque in dextera Patris sedet. Qui ergo per revelationem **E** Evangelium agnovit, prophetiæ spiritu de præterito tactus est: sed quia quid pro eodem Evangelio passurus erat, ignoravit, de futuro procul dubio tactus non est. Nam sic dicit: *Nisi quod Spiritus sanctus per omnes civitates protestatur, dicens: Quoniam vincula & tribulationes Jerosolymis me manent*. (Vers. 23.) Hinc aperta ostenditur, quia ea quæ ipsi ventura essent, aliis de ipso revelatum est, non autem ipsi de se, sicut de illo per Agabum dicitur: *Virum cujus hæc zona est, ita alligari oportet in Jerusalem*. (Act 21. 11.)

CAPUT III.

O insensati Galatæ. (Galat. 3. 1.)

Qualiter admonendi sint MENTES asperæ & impudentes, si leniter fuerint increpatæ, ad majores culpas ipsa leni-

tate

Impudens. *Lib. 1. in Ezech. h. 11. n. 20.*

tate provocantur. Unde Paulus prædicator egregius multum aspere contra Galatas, qui a fide discesserant, erigitur. Nulla enim modestiæ patientia præmissa, nulla locutionis dulcedine prærogata, eos quos a fide discessisse cognovit, ab ipso epistolæ suæ exordio invehendo redarguit; nam præmissa salutatione sic cœpit: *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi.* Quibus etiam in aperta increpatione post cetera subjungit: *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit?* Mentes enim duræ nisi aperta essent increpatione percussæ, nullomodo cognoscerent malum quod egissent. Nam sæpe hi, qui impudentes sunt, tantum se peccasse non sentiunt, quantum de peccatis quæ fecerint, non increpantur: ut minores culpas suas æstiment, quas minor invectio castigat, & quas vehementer objurgari viderint, majores esse deprehendant. Unde necesse est ut sermo semper prædicantis cum auditorum debeat qualitate formari, ne aut verecundis aspera, aut impudentibus loquatur lenia.

Galat. 1. 6.

CAPUT IV.

Galat. 2. 20.

Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus.

De abnegatione malæ vitæ. *Homil. 23. in Evang. n. 3. Luc. 9. 23.*

DOMINUS dicit in Evangelio: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* Ille semetipsum relinquit & abnegat, qui quod fuit per vetustatem, deserit & vitat: & ad hoc nititur, quo per novitatem vocatur; semetipsum abnegat, non quia omnino non est in essentia, sed scilicet non est in impietatis culpa. Ipse quidem est per naturam, sed non est ipse per malitiam. Pensemus quomodo se Paulus abnegaverat, qui dicebat: *Vivo ego, jam non ego.* Extinctus quippe sævus fuerat ille persecutor, & vivere cœperat pius prædicator. Si enim ipse esset, pius profecto non esset: sed qui se vivere denegat, dicat unde est quod sancta verba per doctrinam Veritatis clamat. Protinus subdit: *Vivit vero in me Christus.* Ac si aperte dicat: Ego quidem a meipso sum extinctus, quia carnaliter non vivo; sed tamen essentialiter non sum mortuus, quoniam in Christo spiritualiter vivo.

CAPUT V.

Galat. 4. 19.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.

De condescensione prædicatorum ad auditores. *In exposit. B. Job, lib. 30 num. 47.*

SICUT cervæ quæ incurvantur ad fetum, & pariunt, & rugitus emittunt: sic prædicatores sancti rugiunt, dum per incurvationem suam in conversatione lucis auditorum animas gignunt, quia eos ab æternis suppliciis removere, nisi flendo non possunt. Nunc enim in lacrymis seminant, ut segetem postmodum gaudiorum metant: nunc quasi cervæ in partus sunt dolore, ut spirituali prole postmodum sint fecundi. Ut enim de multis unum loquar, video Paulum quasi quamdam cervam in partu suo magni doloris rugitus emittentem, ait enim: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis: vellem apud vos esse modo, & mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis.* Ecce mutare vult vocem in partu suo, ut sermo prædicationis in rugitum vertatur doloris. Mutare vult vocem: quia quos jam prædicando pepererat, reformando gemens iterum parturiebat. Qualem rugitum hæc cerva pariens emittebat, quando eisdem post se redeuntibus exclamare cogebatur, dicens: *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit?* Et: *Cur sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini?* Vel certe: *Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire?* Qualis in hujus cervæ partu rugitus fuit, quæ diu conceptos filios cum tot difficultatibus peperit, & quandoque partus ad uterum malitiæ rediisse cognovit? Consideremus quid doloris habuerit, quid laboris, quæ & postquam concepta potuit edere, rursum est compulsa, extincta suscitare. Notandum vero summopere est quod cervæ incurvantur, ut pariant: quia nimirum si erectæ starent, parere non valerent. Similiter prædicatores sancti, nisi ab illa immensitate contemplationis internæ, quam capiunt, ad infirmitatem nostram humillima prædicatione, quasi quadam incurvatione, descenderent, numquam utique filios in fide procrearent. Nobis quippe prodesse non possent, si in suæ altitudinis erectione persisterent; sed videamus cervam sese ut pariat incurvantem: *Ego igitur non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* Atque mox eisdem incurvationis causas exequitur, dicens: *Nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis.* Sed hanc cervam, quæ propter nos incurvata est, quæso videamus erectam. Ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Et rursum: *Sive mente excedimus, Deo.* Cum vero mente excedit Deo, excessum ejus omnino non accepimus. Ut ergo nos lucretur, incurvatur ad nos, unde illic apte subjungit: *Sive sobrii sumus, vobis.*

Galat. 3. 1. — num. 42. — 1. Cor. 3. v. 1. & 2. — Ibidem. — 1. Cor. 2. 6. — 2. Cor. 5. 13.

CAPUT VI.

Galat. 5. 24.

Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt.

De simulatione hypocritarum. *In exposit. B. Job. lib. 8. num. 72. & 73.*

OMNIS hypocrita corpus per abstinentiam afficit, sed tamen per amorem gloriæ mundo vivit. Quo contra bene per Paulum de electis dicitur: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Cum vitiis quippe, & concupiscentiis carnem crucifigimus, si sic gulam restringimus, ut jam de mundi gloria nihil quæramus. Nam qui corpus macerat, sed honoribus anhelat, crucem carni intulit, sed mundo per concupiscentiam vivit: quoniam & sæpe per sanctitatis imaginem locum regiminis indignus assequitur, qui nisi aliquid in se virtutis ostenderet, honorem nullum percipere mereretur. Sed transit quod delectabiliter obtinet: & pœnaliter quod sequitur, manet.

CAPUT VII.

Galat. 6. 1.

Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto.

De misericordia in judicio. *Regul. Past. p. 3. c. ...*

CUM non malitia, sed ignorantia sola, vel infirmitate delinquitur, profecto necesse est ut magno moderamine, ipsius delicti correctio temperetur. Cuncti quippe quousque hac mortali carne subsistimus, nostræ corruptionis infirmitatibus subjacemus. Ex se ergo debet quisque colligere, qualiter alienæ hunc oporteat imbecillitati misereri, ne contra infirmitatem proximi, si ad increpationis vocem ferventis rapiatur, oblitus sui esse

esse videatur. Unde Paulus bene admonet, dicens: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis: considerans teipsum, ne & tu tenteris*. Ac si aperte dicat: Cum displicet jam ex aliena infirmitate, quod conspicis, pensa quid es: ut increpationis zelo se spiritus temperet, dum sibi quoque quod increpat, timet.

CAPUT VIII.

Galat. 6. 2.

Invicem onera vestra portate.

De ædificio caritatis per compassionem construendo. Lib. 2. in Ezech. hom. 1. n. 5. Reg. past. part. 3. c. 27.

SICUT in ædificio lapis lapidem portat: quia lapis super lapidem ponitur, & qui portat alterum, portatur ab altero: sic in sancta Ecclesia unusquisque portat alterum, & portatur ab altero. Nam vicissim se proximi tolerant, ut per eos ædificium caritatis surgat. Hinc etenim Paulus admonet, dicens: *Invicem onera vestra portate: & sic adimplebitis legem Christi*. Quid lex hoc loco accipi, nisi caritas debet, per quam semper in mente legitur, præcepta vitæ qualiter in actione teneantur? Lex quippe Christi caritas est: quia ille nobis & largiter sua bona contulit, & æquanimiter mala nostra portavit. Tunc ergo legem Christi imitando complemus, quando & nostra benigne conferimus, & nostrorum mala pie sustinemus, fraterna onera ex amore tolerantes. Hujus legis virtutem Paulus iterum denuntians, ait: *Plenitudo legis caritas*. Si enim ego vos portare negligo in moribus vestris, & vos tolerare me contemnitis in moribus meis; caritatis inter vos unde ædificium surgit, quos vicaria dilectio per patientiam non conjungit? Nunc itaque alii portantur a vobis, nos vero portati sumus ab aliis. Illi vero qui in fine Ecclesiæ, id est in extremitate mundi, nascituri sunt, tolerantur quidem a majoribus, ut eorum mores ad bona merita componantur: sed eum non eos sequuntur, qui per illos proficiant, nullos super se fideles fabricæ jam lapides portant. Omne autem pondus fabricæ fundamentum portat: quia mores simul omnium solus Redemtor noster tolerat, de quo Paulus ait, *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est: quod est Christus Jesus*. Redemtor itaque omnia nostra tolerat, sed in ipso malum non fuit quod debuisset tolerari: & culpas vestras solus ille sustinet, qui totam sanctæ Ecclesiæ suæ fabricam portat: qui per Prophetæ vocem de perverse adhuc viventibus dicit: *Laboravi, sustinens*.

Rom. 13. 10.

1. Cor. 3. 11.

Jerem. 9. 12.

CAPUT IX.

Galat. 6. 14.

Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

De perfecta mortificatione Sanctorum. In exposit. B. Job, lib. 5. num. 4.

ELECTI Dei mori mundo funditus concupiscunt, ut sicut in seculo ipsi nihil appetunt, ita jam a seculo nulla obligatione teneantur. Et plerumque contingit ut jam homo mundum mente non teneat, sed tamen mundus hominem occupationibus adstringat: & ipse quidem mundo jam mortuus est, sed ipsi mundus adhuc mortuus non est. Quasi enim vivus adhuc mundus eum concupiscit, dum alio intentum in suis actibus rapere contendit. Unde bene Paulus eum & ipse seculum perfecte despiceret, & talem se factum videret quod jam hoc seculum omnino concupiscere non posset, ruptis hujus vitæ vinculis liber dicit: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Mundus quippe ei crucifixus fuerat: quia hunc cordi suo jam mortuum non amabat. Sed & seipsum crucifixerat; quia talem se ei exhibere studuit, ut ab eo quasi mortuus concupisci non posset. Paulus ergo, qui se totum huic mundo mortuum esse perhibebat, non sufficit ut diceret: *Mundo crucifixus sum*: nisi etiam præmitteret: *Mihi mundus crucifixus est*, ut non tantummodo mortuum, sed etiam mundum sibi mortuum esse testaretur: quatenus nec ipse mundum, nec ipsum jam mundus appeteret. Si enim duo fortasse in uno sint, quorum unus vivus, alter vero sit mortuus, etsi mortuus vivum non videt, vivus tamen mortuum videt: si vero utrique sint mortui, alter alterum nequaquam videt. Ita qui jam mundum non amat, sed tamen ab illo, vel volens amatur, etsi ipse velut mortuus mundum non videt, hunc tamen mundus adhue non mortuus videt. Si vero nec ipse mundum in amore retinet, nec rursum a mundi amore retinetur, sibi vicissim utrique sunt extincti: quia dum alter non appetit quasi mortuus, mortuum non attendit. Quoniam igitur Paulus nec mundi gloriam quærebat, nec a mundi gloria ipse quærebatur; & se mundo, & mundum sibi crucifixum esse gloriatur. Ut enim ostenderet, quia per abjectionem, qua se humiliando dejecerat, talis jam factus esset, ut nec ipso mundum, nec mundus ipsum concupisceret, non solum ait se mundo crucifixum, ut mundi gloriam, quam appeteret ipse, tamquam mortuus non videret, sed etiam sibi mundum asseruit crucifixum: in quo se tanta humilitate dejecerat, ut & ipse mundus tamquam mortuus, Paulum humilem atque despectum jam videre nequaquam posset.

INCIPIUNT CAPITULA DE EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD EPHESIOS.

EX-

EXPOSITIO

SUPER EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD EPHESIOS.

CAPUT PRIMUM.

Ephes. 1. 9.

Proposuit instaurare omnia in Christo.

De restauratione Angelorum qui de cælo deciderunt.
In exposit. B. Job, lib. 31. num. 99.

FORTISSIMI Angelorum chori, qui quamvis non integri, sed tamen in proprio statu fixi, cadente cum suis Angelis diabolo, remanserunt, prærupti & imminuti possunt dici: quia pars eorum cecidit, pars remansit. Qui integri quidem stant per qualitatem meriti, sed per numeri quantitatem prærupti, & imminuti. Hanc præruptionem restituere Mediator venit, ut redemto humano genere, illa angelica damna sarciret, & mensuram cælestis patriæ B locupletius fortasse cumularet. Propter hanc præruptionem de Patre dicitur: *Proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, in ipso.* In ipso quippe restaurantur ea quæ in terra sunt, dum peccatores ad justitiam convertuntur. In ipso restaurantur ea quæ in cælis sunt, dum illuc homines humiliati redeunt, ubi apostatæ Angeli superbiendo ceciderunt.

CAPUT II.

Ephes. 1. 21.

C *Pater suscitavit Christum a mortuis, constituens ad dexteram suam in cælestibus supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem.*

Pulcherrima descriptio totius angelicæ dignitatis.
Homil. 34. in Evang. n. 7 & 8. &c.

ANGELORUM, & hominum naturam ad cognoscendum se Dominus condidit: quam dum ad æternitatem consistere voluit, eam proculdubio ad suam similitudinem creavit. Novem vero sunt ordines Angelorum, sed ut compleretur electorum numerus, homo decimus est creatus. Ipse quidem homo conditus ad imaginem Dei fuit, sed a similitudine sui Conditoris peccando recessit: qui tamen nec post culpam D periit, quoniam æterna Dei Sapientia in humanitate apparuit, & per carnem miraculis coruscans illum reparavit. Novem vero ordines Angelorum esse inveniuntur. Unde & ipsi Angelo, qui primus est conditus, per Prophetam dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti.* Ubi notandum quod non ad similitudinem Dei factus, sed signaculum similitudinis dicitur: ut quo in eo subtilior est natura, eo in illo imago Dei subtilius insinuetur expressa. Quo in loco mox subditur: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius, & jaspis, chrysolitus, onyx, & beryllus, sapphirus, carbunculus, & smaragdus.* Ecce novem dixit nomina lapidum: quia profecto novem sunt ordines Angelorum. Quibus nimirum ordinibus ille primus Angelus ideo ornatus & opertus extitit; quia dum cunctis agminibus Angelorum prælatus est, ex eorum comparatione clarior fuit. Sacro igitur attestante eloquio, scimus Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, A Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, & Seraphim. Esse namque Angelos & Archangelos pene omnes eloquii sacri paginæ testantur. Cherubim vero atque Seraphim sæpe, ut notum est, libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus Apostolus in hac Epistola ad Ephesios enumerat, dicens: *Supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem.* De Thronis autem scribit ad Colossenses: *Sive Throni, sive Potestates, sive Principatus, sive Dominationes.* Sciendum est autem quod Angelorum vocabulum nomen est officii, non naturæ. Nam sancti illi cælestis patriæ spiritus semper quidem sunt B spiritus, sed semper vocari Angeli nequaquam possunt: quia tunc solum sunt Angeli, cum per eos aliqua nuntiantur. Græca enim lingua *Angeli*, nuntii, *Archangeli* vero summi nuntii vocantur. Hi enim qui minima nuntiant, Angeli: qui vero summa annuntiant, Archangeli vocantur: *Virtutes* etenim vocantur illi nimirum spiritus, per quos signa & miracula frequentius fiunt. *Potestates* etiam vocantur ii, qui hoc potentius ceteris in suo ordine perceperunt: ut eorum ditioni virtutes adversæ subjectæ sint, quorum potestate refrenantur, ne corda hominum tantum tentare prævaleant, quantum C volunt. *Principatus* etiam vocantur, qui ipsis quoque bonis Angelorum spiritibus præsunt, qui subjectis aliis, dum ea quæ sunt agenda disponunt, eis ad explenda divina ministeria principantur. *Dominationes* autem vocantur, qui etiam Potestates Principatuum alta dissimilitudine transcendunt. Nam principari, est inter reliquos priorem existere: dominari vero, est etiam subjectos quosque possidere. Ea igitur Angelorum agmina, quæ mira potentia præeminent, pro eo quod eis cetera ad obediendum subjecta sunt, Dominationes vocantur. Sic autem in illa summa civitate specialia quædam singulorum sunt, ut tamen sint communia omnium: & quod in se quisque ex D parte habet, hoc in alio ordine totum possidet. Sed idcirco uno eodemque vocabulo communiter non censentur, ut ille ordo vocari privato uniuscujusque rei nomine debeat, qui hanc in munere plenius accepit. Seraphim namque incendium diximus: & tamen amore Conditoris simul omnes ardent. Cherubim vero plenitudo scientiæ, & tamen quis ibi aliquid nesciat, ubi ipsum omnes simul fontem scientiæ Deum vident? *Throni* illa agmina, quibus ad exercenda judicia Conditor præsidet, vocantur: sed beatus esse quis potest, nisi Creator suus ejus menti præsideat? Quæ ergo ex E parte ab omnibus, eis in privato nomine data sunt, qui hæc in munere plenius acceperunt. Nam etsi qua illic sic alii habent, ut haberi ab aliis nequaquam possint, sicut speciali nomine Dominationes & Principatus vocantur, cuncta ibi sunt singulorum: quia per caritatem spiritus ab alio in aliis habentur. Sed quoniam illa superna civitas ex Angelis & hominibus constat, ad quam tantam credimus ascensuram multitudinem hominum,

Ezech. 28. 12.
Ibidem.
Ephes. 1. 21.
Coloss. 1. 16.

num, quanta electorum multitudo remansit Angelorum: superest ut ipsi quoque homines, qui ad cælestem patriam redeunt, ex eis agminibus aliquid illuc revertentes imitentur, ut in eorum sortem per conversationis similitudinem deputentur. Nam sunt plerique qui parva capiunt, sed tamen hæc eadem parva pie fratribus annuntiare non desistunt. Isti itaque in Angelorum numerum currunt. Et sunt nonnulli qui divinæ largitatis munere referti, secretorum cælestium summa & capere prævalent, & nuntiare. Ubi ergo isti nisi inter Archangelorum numerum deputantur? Et sunt nonnulli qui mira faciunt, signa valenter operantur. Quo ergo isti, nisi ad supernarum virtutum sortem & numerum congruunt? Et sunt nonnulli qui etiam ab obsessis corporibus malignos spiritus fugant, eosque virtute orationis, & vi acceptæ potestatis ejiciunt. Quo itaque isti meritum suum, nisi inter potestatum cælestium numerum sortiuntur? Et sunt nonnulli qui acceptis virtutibus, etiam electorum hominum merita transcendunt. Cumque & bonis meliores sunt, electis quoque fratribus principantur. Ubi ergo isti sortem suam, nisi inter Principatuum numeros acceperunt? Et sunt nonnulli qui sic in semetipsis cunctis vitiis omnibusque desideriis dominantur, ut ipsi jure mundities dii inter homines vocentur. Unde & ad Moysen dicitur: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Quo ergo isti, nisi inter numeros Dominationum currunt? Sed hæc, fratres carissimi, me loquente, vos introrsus ad vosmetipsos reducite, secretorum vestrorum merita cogitationesque discutite. Videte si quid jam boni vobiscum intus agitis, videte si in numero horum agminum, quæ breviter tangendo perstrinximus, sortem vestræ vocationis invenitis. Væ autem animæ quæ in se de his bonis, quæ enumeravimus, minime aliquid recognoscit. Eique adhuc væ deterius imminet, si & privatam se donis intelligit, & nequaquam gemit. Quisquis ergo talis est, fratres mei gemendus est valde: quia non gemit. Pensemus igitur accepta electorum munera, & virtute qua possumus, ad amorem tantæ sortis anhelemus. Qui in se donorum gratiam minime recognoscit, gemat: qui vero in se minora cognoscit, majora aliis non invideat: quoniam & supernæ illæ distinctiones bonorum spirituum ita sunt conditæ, ut aliæ aliis sint prælatæ.

Exod. 7. 1.

CAPUT III.

Ephes. 2. 6.

Consedere nos fecit in cælestibus.

De sublimi conversatione Sanctorum. In exposit. B. Job, lib. 6. num. 24.

ELECTI cum in hac vita ex humilitate se substernunt, alta mentis judicio cuncta temporalia transeunt: cumque se indignos in omnibus æstimant, rectæ cogitationis examine, gloriam hujus mundi transcendentes calcant. Videant humilem Paulum discipulis dicentem: *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum: nos autem servos vestros per Christum.* Videamus humilem in sublimi jam positum, & dicentem: *An nescitis quia Angelos judicabimus?* Et iterum: *Nostra conversatio in cælis est.* Et rursum: *Conresuscitavit, & consedere nos fecit in cælestibus.* Non vult Paulus mentem in ima dejicere, non vult per abjectionem humanæ conversationis, in infimis habitare. Tunc Paulus in carcere fortasse tenebatur, cum se concedere Christo in cælestibus testatur, sed ibi erat, ubi ardentem jam mentem fixerat: non illic, ubi illum necessario pigra adhuc caro retinebat. Fortasse tunc eum exterius catena religabat, mente tamen positus in sublimibus fuerat: quia per spei suæ certitudinem jam in cælestibus sedebat. Sancti itaque viri foris despecti sunt, & velut indigni omnia tolerant, sed dignos se supernis sedibus confidentes, æternitatis gloriam cum certitudine expectant. Cum laborant foris adversitate persecutionis, admoniti recurrunt ad arcem mentis: & inde cuncta sub se ire despiciunt, inter quæ transire corporaliter etiam semetipsos cernunt: minas non metuunt, quoniam & tormenta patiendo contemnunt. Hinc enim per Salomonem dicitur: *Justus quasi leo confidens, absque terrore erit.* Hinc ab eo iterum scriptum est: *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.* Quia enim recti quique in alto suæ intentionis vertice siti sunt, dum mortem moriendo non sentiunt, miro modo eos reproborum jacula & feriunt, & non contingunt; quoniam unde se in omnibus despiciunt, inde contra omnia securiores sunt. Dominus noster multa adhuc per corpus quod nos sumus, patitur, & jam corpus ejus, id est Ecclesia de suo capite, videlicet Domino, in cælo gloriatur. Si enim caput nostrum tormenta nostra non tangeret, nequaquam pro afflictis membris persecutori suo etiam de cælo clamaret: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Si cruciatus nostri ejus pœnæ non essent, conversus afflictusque Paulus minime diceret: *Suppleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Et tamen resurrectione jam sui capitis exaltatus, dicit: *Qui nos conresuscitavit, & consedere fecit in cælestibus.* Nempe hunc in terra persecutionum tormenta constrinxerant, sed pœnarum suarum ponderibus pressus, ecce jam per gloriam capitis in cælo residebat. Compage igitur caritatis in omnibus unitum caput & corpus novimus, & credimus.

2. Cor. 4. 5.

1. Cor. 6. 3.

Prov. 28. 1.

Prov. 12. 21

In exposit. B. Job, lib. 3. num. 25.

Act. 9. 4.

Coloss. 1. 24.

CAPUT IV.

Gratia estis salvati per fidem: & hoc non ex vobis.

Ephes. 2. 8.

De gratia Dei, & jactantia arrogantium. In exposit. B. Job. lib. 23. num. 13.

CUM arrogantes aliquid boni faciunt, aut a semetipsis habere se æstimant, aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant: a semetipso enim bonum se habere jactabat, cui per Apostolum dicitur: *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Rursus ne dari nobis bonum gratiæ pro nostris præcedentibus meritis crederemus, idem Apostolus admonet, dicens: *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Qui etiam de semetipso ait: *Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum.* Quibus verbis aperte declarat quod gratia non pro meritis tribuatur, dum ex seipso docuit & quæ de malitia meruit, & quæ de benevolentia accepit.

1. Cor. 4. 7.

1. Tim. 1. 13

CAPUT V.

Peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis.

Ephes. 3. 13.

De pietate Magistrorum.

HABENT veraces Magistri super discipulos suos viscera timoris ex virtute caritatis: hypo-

rum ergo discipulos. In ex posit. B. Job, lib. 31. n. 17. Philip. 1. 8.

hypocritæ vero tanto minus commissis sibi metuunt, quantu nec sibi quod timere debeant, deprehendunt. O quam mollia viscera Paulus gestabat, quando circa suos filios tanto æstu amoris inhiabat, dicens: *Nos vivimus, si vos statis in Domino*. Et: *Testis mihi est Dominus quomodo cupiam vos omnes in visceribus Jesu*. Thessalonicensibus quoque suum amorem indicans, dicit: *Nos autem, fratres, desolati a vobis ad tempus horæ, aspectu, non corde, abundantius festinamus faciem vestram videre cum multo desiderio*. Qui duris persecutionibus pressus, & tamen de filiorum salute sollicitus, adjunxit: *Misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei in Evangelio Christi, ad confortandos vos, & exhortandos pro fide vestra, ut nemo moveatur in tribulationibus istis: vos enim scitis quod in hoc positi sumus*. Ephesiis quoque ait: *Peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra*. Ecce in tribulatione positus, alios exhortatur; & in quod sustinent, alios roborat. Non enim filiorum suorum fuerat oblitus, sed metuebat nimio ne ejus discipuli in prædicatore suo tot persecutionum probra cernentes, fidem in eo despicerent, contra quam innumeræ passionum contumeliæ prævalerent. Et ideo minus in tormentis dolebat, sed magis filiis de tormentorum suorum tentatione metuebat. Parvipendebat in se plagas corporis, dum formidaret in filiis plagas cordis. Ipse patiendo suscipiebat vulnera tormentorum, sed filios consolando, curabat vulnera cordium. Pensemus ergo cujus caritatis fuerit inter dolores proprios aliis timuisse: pensemus cujus caritatis sit, filiorum salutem inter sua detrimenta requirere, & statum mentis in proximis etiam ex sua dejectione custodire.

1. Thes. 3. 8. — 1. Thes. 3. 2. — Ephes. 3. 13.

CAPUT VI.

Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, &c. Ephes. 3. 18.

De omnipotentia Dei. In expos. B. Job, lib. 10. n. 14.

OMNIPOTENTIS Dei potentiam egregius nobis Doctor bene insinuat, cum breviter narrat: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum*. Habet quippe Deus latitudinem: quia dilectionem suam usque ad collectionem persequentium tendit. Habet longitudinem: quia ad vitæ patriam nos longanimiter tolerando perducit. Habet sublimitatem: quia ipsorum quoque intelligentiam, qui recepti fuerint in supernam congregationem, transcendit. Habet profundum: qui damnatis inferius, districtionis suæ judicium incomprehensibiliter exercet. Quæ scilicet quatuor nobis in hac vita positis singulis exercet: quia & latitudinem amando, & longitudinem tolerando & celsitudinem; non solum nostram intelligentiam, sed etiam vota superando, & profunditatem suam exhibet, occultos & illicitos cogitationum motus districte judicando. Sed ejus celsitudo, & profunditas quam sit investigabilis, nullus agnoscit, nisi qui vel contemplatione ad summa provehi, vel occultis motibus resistens, tentationum cœperit importunitate turbari.

CAPUT VII.

Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Ephes. 4. 3.

De pace servanda. Regul. Pastor. p. 3. c. 22. Gal. 5. 22.

DISCORDES quantislibet virtutibus polleant, spiritales fieri nullatenus possunt, si per concordiam uniri proximis negligant. Scriptum quippe est: *Fructus spiritus est caritas, gaudium, pax*. Qui ergo servare pacem non curat, ferre fructus spiritus recusat. Hinc Paulus ait: *Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis?* Hinc iterum dicit: *Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*. Hinc rursus admonet, dicens: *Solliciti servare unitatem spiritus, in vinculo pacis, unum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ*. Ad unam igitur vocationis spem nequaquam pertingitur, si non ad eam unita cum proximis mente curritur.

1. Cor. 3. 3. — Hebr. 12. 14.

CAPUT VIII.

Renovamini spiritu mentis vestræ. Ephes. 4. 23.

De quotidiana renovatione. In expos. B. Job, lib. 22. num. 7.

NESCIT mens per torporem veterascere, quæ quotidiana fervoris innovatione studet per desiderium semper inchoare. Hinc per Paulum dicitur: *Renovamini spiritu mentis vestræ*. Hinc Psalmista, qui jam ad perfectionis culmen pervenerat, quasi inchoans, dicebat: *Dixi, nunc cœpi*: quia videlicet si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necesse est ut inchoare nos quotidie credamus.

Psal. 76. 11.

CAPUT IX.

Omnis amaritudo, & ira tollatur a vobis. Ephes. 4. 31.

De patientia cum amore. Regul. Pastor. p. 3. c. 10. 1. Cor. 13. 4.

STUDERE debent patientes ut diligant quos sibi necesse est tolerare: ne si patientiam dilectio non sequatur, in deteriorem culpam odii virtus ostensa vertatur. Unde Paulus cum diceret: *Caritas patiens est*, illico adjunxit: *Benigna est*, videlicet ostendens, quia quos ex patientia tolerat, amare etiam ex benignitate non cessat. Unde idem doctor egregius, cum patientiam discipulis suaderet, dicens: *Omnis amaritudo & ira, & indignatio & clamor, & blasphemia tollatur a vobis*: quasi cunctis exterius jam bene compositis ad interiora convertitur, dum subjungit: *Cum omni malitia*: quia nimirum frustra indignatio, clamor, & blasphemia ab exterioribus tollitur, si in interioribus vitiorum mater malitia dominatur. Et incassum nequitia foris ex ramis inciditur, si surrectura multiplicius in radice servatur. Virtus est coram hominibus adversarios tolerare, sed virtus coram Deo diligere. Impatientes scire debent quod dum perturbationi suæ nequaquam obsistunt, etiam si qua a se tranquilla mente fuerant bene gesta, confundunt; & improviso impulsu destruunt quidquid forsitan diu labore provido construxerunt. Ipsa namque quæ mater est omnium, custosque virtutum, per impatientiæ vitium virtus caritatis amittitur. Scriptum quippe est: *Caritas patiens est*. Igitur cum minime patiens est, caritas non est; de qua idem Paulus ait: *Invicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi*. Lex unitatis quippe Christi est caritas, quam soli perficiunt qui nec, cum gravantur, excedunt.

1. Cor. 13. 4. — Gal. 6. 2.

CA-

CAPUT X.

Ephes. 4. 4. *Non circumferamur omni vento doctrinæ.*

De tenenda gravitate. In expesit. B. Job, lib. 20. n. 23. SICUT minutissimos lapides aqua fluvialis trahit: sic doctores perversorum dogmatum mentes hominum non fixas, sed mobiles, & nulla gravitatis stabilitate solidatas trahunt: quas velut, de loco semper ad locum flumina errorum ducunt. Unde prædicator egregius, cum auditores suos non temporaliter duci, sed forti cuperet gravitate solidari, admonuit, dicens: *Ut non jam simus parvuli fluctuantes; nec circumferamur omni vento doctrinæ.*

CAPUT XI.

Ephes. 5. 27. *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam.*

De veris & fallis Christianis. In expos. B. Job, lib. 20 n. 58. SANCTA Ecclesia vestimentum est Christi, Paulo attestante, qui dicitur: *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.* Neque enim per peccatum habet maculam, nec per duplicitatem rugam: quia & per justitiam est munda, & per simplicem intentionem tensa. Quæ ergo abluta est ne maculam habeat, & tensa est ne habeat rugam, utique vestis est. Quid vero per rugas, nisi duplicitas designatur? Rugæ itaque sunt sanctæ Ecclesiæ, omnes qui in ea dupliciter vivunt; qui fidem vocibus clamant, operibus denegant. Has autem rugas in electis suis Ecclesia sancta non habet, qua videlicet nesciunt aliud de se foris ostendere, & intus aliud habere. In expesit. B. Job. lib. 13. num. 10. 11. Unde sicut supra dictum est, recte prædicator egregius ait: *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam.* Maculam quippe, & rugam non habet, quæ & turpitudine operis, & duplicitate sermonis caret. Qui autem in ea duplicitate vivunt, hi nimirum pacis tempore, quia hujus mundi potestatibus fidem christianam honori esse conspiciunt, se fideles esse mentiuntur: sed cum sanctam Ecclesiam subita adversitatis procella turbaverit, & tempus persecutionis exarserit, illico ostendunt quid perfidæ mente moliuntur; & qui nunc metuentes derogant, ad contradicendum ante faciem veniunt: quia verbis veræ fidei vocibus apertis obsistunt. Sciendum vero est quia cum hæc a carnalibus patimur, non tam ipsi sunt, qui in nostra morte sæviunt, quam malignus spiritus, qui mentibus eorum principatur, sicut per Paulum dicitur: Ephes. 6. 12. *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & Potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum.* Ibid. n. 12. Quid enim aliud sunt omnes iniqui, quam membra diaboli? Ipsa itaque per eos agit, quidquid in eorum cordibus, ut agere debeant, immittit.

CAPUT XII.

Ephes. 5. 25. *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam.*

De dilectione parentum. Homil. 37 in Evang. n. 2. 3. Luc. 14. 25. AD se venientibus Veritas dicit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, non potest meus esse discipulus.* Ecce discipulus uxorem diligendam prædicat, cum Magister dicat: *Qui uxorem non odit, non potest meus esse discipulus.* Numquid aliud Judex nuntiat, & aliud præco clamat? An simul odisse possumus & diligere? Sed si vim præcepti perpendimus, utrum agere per discretionem valemus: ut uxorem, & eos qui nobis cognatione carnis conjuncti sunt, & quos proximos novimus, diligamus; & quos adversarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus. Quasi enim per odium diligitur, qui carnaliter sapiens dum prava nobis ingerit, non auditur. Nostram etenim similiter animam bene tunc odimus, cum ejus carnalibus desideriis non acquiescimus, cum ejus appetitum frangimus, ejus voluptatibus reluctamur. Quæ ergo contemta ad melius ducitur, quasi per odium amatur. Sic, sic nimirum exhibere uxori, & proximis nostris odii discretionem debemus, ut in eis & diligamus quod sunt, & habeamus odio quod in Dei nobis itinere obsistunt. Certe cum Paulus Jerosolymam pergeret, Propheta Agabus zonam illius apprehendit, suisque pedibus alligavit, dicens: *Virum cujus hæc zona est, sic alligabunt Judæi in Jerusalem.* Act. 21. 11. Sed is qui animam suam perfecte oderat, quid dicebat? *Ego non solum alligari, sed & mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Jesu: nec facio animam meam pretiosiorem quam me.* Ibid v. 13. Ecce quomodo animam suam amando oderat, immo odiens amabat, quam cupiebat pro Jesu morti tradere, ut hanc ad vitam suscitaret de peccati morte. Ab hac ergo discretione odii nostri, trahamus formam ad odium uxoris & proximi. Ametur quilibet in hoc mundo adversarius, sed in via Dei contrarius non ametur, aut conjux, vel quilibet proximus & propinquus.

CAPUT XIII.

Omne quod arguitur, a lumine manifestatur. Ephes. 5. 13.

Quantum prosit divina correptio. In expesit. B. Job, lib. 6. num. 40. PRIMA virtus est ne perpetrari debeant, sed peccata vitari. Secunda vero saltem perpetrata corrigere. Sed plerumque culpas non solum imminentes minime vitamus, verum etiam nec commissa agnoscimus; & peccatoris mens tanto altius tenebrescit, quanto nec damnum suæ cæcitatis intelligit. Unde fit plerumque divini muneris largitate, ut culpam pœna subsequatur, & flagella delinquentis oculos aperiant, quos inter vitia securitas cæcabat. Torpens quippe animus percussione tangitur, ut excitetur; ut qui statum suæ rectitudinis securus perdidit, afflictus consideret quo jacet. Hinc itaque ipsa asperitas correptionis origo fit luminis. Unde & per Paulum dicitur: *Omne quod arguitur, a lumine manifestatur.* Argumentum enim salutis, est vis doloris. Hinc est enim quod Salomon ait: *Curatio cessare faciet peccata maxima.* Eccles. 10. 4. Hinc iterum dicit: *Quem diligit Dominus castigat: flagellat omnem filium, quem recipit.* Hebr. 12. 6. Hin angelica voce ad Johannem Dominus loquitur, dicens: *Ego quos amo, arguo, & castigo.* Apoc. 3. 19. Hinc Paulus ait: *Omnis disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit justitiæ.* Hebr. 12. 11. Electus ergo quisque hic assiduis se gaudeat flagellis atteri, quatenus æterna supplicia evadens, in judicio valeat purgatus inveniri. Ipso namque infirmitatis nostræ pondere deorsum quotidie ducimur, nisi mira manu artificis per subvenientia flagella relevemur: sed per hoc quod peccator dolore flagellorum corripitur, & premitur; quandoque ad beatitudinem, quæ sine interventu doloris est, eruditur.

CAPUT XIV.

Ephes. 5. 17.

Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

De remedio pœnitentiæ. In expos. B. Job, lib. 5. num. 70.

OMNI tempore reprobi a vitæ suæ exordio usque ad terminum, in iniquitatis perpetratione & in augmento malitiæ perseverant, & perversam mentem nec in extremo tempore immutant. Quo contra bene Paulus admonet, dicens: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Tem- B

A pus redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus. Quo contra de reprobis per Psalmistam dicitur; *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Dies quippe dimidiare, est tempus vitæ male in voluptatibus ductum, ad pœnitentiæ lamenta dividere, & hoc ad usum bonum partiendo reparare. Sed iniqui dies suos non dimidiant, quia, ut dictum est, perversam mentem nec in extre- B mo tempore immutant. Psal. 54. 25.

INCIPIUNT CAPITULA

DE EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI

AD PHILIPPENSES.

1 *CUpio dissolvi, & esse cum Christo.*
2 *Superiores sibi invicem arbitrantes.*
3 *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est.*
4 *Semetipsum exinanivit.*
5 *Hebræus ex Hebræis secundum legem Pharisæus.*
C
6 *Ego me non arbitror apprehendisse.*
7 *Quæ retro oblitus, in ea quæ sunt ante, extendo me.*
8 *Scio humiliari, scio & abundare.*
9 *Nostra conversatio in cælis est.*
10 *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ.*
11 *Non quæro datum, sed requiro fructum.*

EXPOSITIO

SUPER EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI

AD PHILIPPENSES.

CAPUT PRIMUM.

Philip. 1. 23.

Cupio dissolvi, & esse cum Christo.

De vinculis nostræ mortalitatis. In expos. B. Job, lib. 4. num. 62.

ELECTI Dei duris molestiæ vinculis in hac vita ligantur: quoniam adhuc corruptionis suæ pœna deprimuntur. Esurire quippe, sitire, lassescere, vincula corruptionis sunt, sed cum corruptibili carne exuimur, quasi ab his quibus nunc adstringimur, molestiæ vinculis relaxamur. Præsentari namque jam Deo cupimus, sed adhuc mortalis corporis obligatione præpedimur. Jure ergo vincti dici debemus: quoniam adhuc incessum nostri desiderii ad Dominum liberum non habemus. Unde bene Paulus æterna desiderans, sed tamen adhuc corruptionis suæ sarcinam portans, vinctus E clamat: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Dissolvi enim non quæreret, nisi se proculdubio vinctum videret. Hæc vero vincula, quia certissime rumpenda in resurrectione conspexerat, jam quasi rupta, Propheta gaudebat, cum diceret: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Psal. 115. 7.

CAPUT II.

Philip. 2. 3.

Superiores sibi invicem arbitrantes.

Quod humilitatis judicium sit, & causa magnæ bonitatis. In expos. B. Job, l. n. 41. Prov. 9. 4.

HOC esse proprium specimen solet electorum, quod se semper sentiunt infra quam sunt. Hinc Salomon ad sapientiam parvulos vocat, dicens: *Si quis est parvulus, veniat ad eam.* Qui enim necdum semetipsum despicit, humilem Dei sa- D pientiam non apprehendit. Hinc Magister Gentium dicit: *Facti sumus parvuli in medio vestrum.* 1. Thess. 2. 7. Hinc discipulos admonens, ait: *Superiores sibi invicem arbitrantes.* Nam quia unusquisque iniquus inferiorem se omnem quem cogitat, putat; e diverso justus studet, ut superiorem quemlibet proximum attendat. Ac ne, dum se alii humiliat, iret alter in elationem, bene utramque partem admonet; dicens: *Superiores sibi invicem arbitrantes*, ut in cogitationibus cordis, & ego illum mihi præferam, & vicissim ille me sibi: ut cum ab utraque parte cor inferius premitur, nullus ex impenso honore sublevetur. Evenire autem electis solet, ut cum multarum gratia virtutum polleant, unum eos, vel tenuissimum vitium valde fatigans pulset: quatenus dum ex quadam parte infirmari se considerant, de virtutibus his, in quibus prævalent, se minime extollant: dumque de infirmitate trepidant, hoc quoque ubi fortes sunt, humilius servant. Homil. 10. in Ezech. n. 32. Præterea non omnes virtutes uni dantur, ne in superbiam elatus cadat: sed huic datur quod tibi non datur: & tibi datur quod illi denegatur: ut dum iste considerat bonum quod habes, & ipse non habet, te sibi in cogitatione præferat. Et rursum, dum tu habere illum conspicis quod ipse non habes, te illi in cogitatione tua postponas, & fiat quod prædictum est: *Superiores sibi invicem arbitrantes.* Ibid. n. 32. Mira quippe dispensatione omnipotens Deus, sic in electis suis sua dona disponit, ut & isti quod illi denegat, & alteri majus, quod alteri minus tribuat: quatenus dum vel iste conspicit illum habere

bere quod ipse non habet, vel ille hunc majus accepisse considerat, quod sibi minus adesse pensat, dona Dei alter in altero, id est vicissim omnes admirentur: & ex hac admiratione alter alteri humilietur: & quem videt habere quod non habet, eum divino sibi judicio prælatum putet.

CAPUT III.

Philip. 2. 6.

Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.

De divina & humana Christi nativitate. In exposit. B. Job, lib. 29. num. 1.

DOMINUS noster Jesus in eo quod virtus & Dei sapientia est, de Patre ante tempora natus est: vel potius quia nec cœpit, nec desiit nasci, dicamus verius, semper natus. Non autem possumus dicere, semper nascitur, ne imperfectus esse videatur. At vero ut æternus valeat designari, & perfectus, semper dicamus, & natus. Natus ad perfectionem pertinet, & semper ad æternitatem: ut quocumque modo illa essentia sine tempore, & temporali valeat designari sermone, quamvis hoc ipso quod perfectum dicimus, multum ab illius veritatis expressione deviemus: quia quod factum non est, perfectum dici non potest. Et tamen infirmitatis nostræ verbis condescendens Dominus ait: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Dominus noster Jesus Christus natus ex Patre sine tempore, ex matre nasci dignatus est in tempore. Quem firmiter & veraciter debemus credere Dei filium esse Patri coæternum & coæqualem æternitate substantiæ. Sed fortasse tacita quæstione pulsatur aliquis, quomodo Filius Patri possit esse æqualis. Qui in re humana natura quod admirando non valet comprehendere, restat ut hoc sibi esse credibile, ex alia sciat admiratione: habet enim quod ad hæc sibi respondeat sub brevitate. Constat namque quoniam ipse creavit matrem, in cujus utero virgineo crearetur ex humanitate. Quid ergo mirum, si æqualis est Patri, qui prior est matre? Paulo quoque attestante, didicimus Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Qui ergo Filium minorem putat, Patri specialiter derogat, cujus sapientiam esse ei inæqualem fatetur. Quis etenim homo potens ferret æquanimiter, si quis ei diceret: Magnus quidem es, sed tamen sapientia tua te minor est? Ipse quoque Dominus dicit: *Ego & Pater unum sumus.* Et rursum ait: *Pater major me est.* De quo etiam scriptum est: *Quia subditus erat parentibus suis.* Non ergo mirum, si ex humanitate sua minorem se Patre asserit in cælo, ex qua subjectus erat etiam parentibus in terra. In corde igitur Pauli Jesus Patri per fidem æqualis erat, cui idem dicebat: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.*

Matt. 5. 48. Homil. 25. in Evang. n. 6.

1. Cor. 1. 24.

Joan. 10. 30. Ibid. 14. 28.

Luc. 2. 51.

CAPUT IV.

Philip. 2. 6.

Sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.

Christi humanitas. In exposit. B. Job, lib. 2. num. 42.

VENIT inter homines Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, ad præbendum hominibus exemplum vitæ: cui similis in terra non est: quia omnis homo tantummodo est homo: ipse autem Deus & homo: & quamvis adoptivus quisque filius ad percipiendam divinitatem proficiat, nequaquam tamen ut Deus naturaliter esset, accepit. Deo itaque formam servi accipiente, nec majestati injuriam intulit humilitas assumta carnis: quia & ut servanda susciperet, nec tamen habita permutaret, nec divina humanitate minuit, nec humana divinitate consumsit, quia sicut per Paulum dicitur: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Ei semetipsum exinanivisse, est ab invisibilitatis suæ magnitudine se visibilem demonstrasse, ut servi forma tegeret hoc quod incircumscripte omnia ex divinitate penetraret.

CAPUT V.

Philip. 3. 5.

Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus.

Qualiter sancta anima suspendium elegerit. In exposit. B. Job, lib. 8. num. 44.

SANCTI viri certissime sciunt, quia requiem in hac vita nequaquam habere possunt, & idcirco sibi suspendium inferunt: quia nimirum desideria terrena deserentes, animum ad alta tollunt. Omne quippe quod suspenditur, procul dubio ab imis elevatur. Suspensi igitur electi Dei, mortem fortitudini suæ carnis inferunt, & amore supernæ patriæ in virtutum studiis accincti, hoc quod fortes prius in mundo fuerant vinculo humilitatis insequuntur. Intueri libet quomodo animam suam Paulus suspenderat, qui dicebat: *Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus.* Et rursum: *Desiderium habens dissolvi, & cum Christo esse.* Et: *Mihi vivere Christus est; & mori lucrum.* Qui gesta terrenæ fortitudinis ad memoriam revocans numerabat, dicens: *Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei.* Sed suspendium animi, qui has in se fortitudines interficit, protinus asserit qui subjungit: *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.* Quas adhuc fortitudines in semetipso insinuat vehementius extinctas, cum subdit: *Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora.* Mortuis vero fortitudinibus, quam exanimis pendeat, ostendit, qui illico subjungit, dicens: *Ut Christum lucrifaciam, & inveniar in illo non habens eam justitiam, quæ ex lege est; sed eam quæ ex fide est Jesu Christi.* Ecce collatis ejus testimoniis Paulum ad alta suspensum, mundo mortuum testati sumus: quia dum mentis intentionem ad alta sublevavit, omnem in se fortitudinem exterioris vitæ necavit.

Galat. 2. 20.

Philip. 1. 23.

Ibidem.

CAPUT VI.

Philip. 3. 13.

Ego me non arbitror apprehendisse.

De iis qui pro bonis, quæ faciunt, mala sua considerare negligunt. In exposit. B. Job, lib. 22. n. 13. & 14.

SUnt nonnulli qui cum aliqua bona faciunt, iniquitatum suarum protinus obliviscuntur, & cordis oculum in consideratione bonorum operum, quæ exhibent, figunt, atque eo se jam Sanctos existimant, quo inter bona quæ agunt, malorum suorum in quibus fortassis adhuc implicati sunt, memoriam declinant. Qui scilicet si districtionem Judicis vigilanter attenderent, plus de malis suis metuerent, quam de bonis imperfectis exultarent: plus inspicerent quod de illis, quæ adhuc eis agenda sunt, debitores tenentur, quam quod operantes quædam, jam debiti partem solvunt. Neque enim absolutus est debitor, qui multa reddit, sed qui omnia, nec ad bravium victoriæ pervenit, qui

in magna parte spectaculi velociter currit, si juxta metas veniens, in hoc quod reliquum est deficit. Amplius igitur debemus inspicere quæ bona necdum fecimus, quam ea quæ jam nos fecisse gaudemus: Plerumque enim hoc vitio tentantur etiam electi: plerumque eorum cordi suggeritur bona quæ fecerint, ad animum revocent, & jam lætitia securitatis exultent. Sed si veri electi sunt, ab eo in quo sibi placent, mentis oculos divertunt: omnem in se de peractis bonis lætitiam deprimunt, & de his quæ se minus egisse intelligunt, tristitiam requirunt. Indignos se æstimant, & pene soli bona sua non vident, quæ in se videnda omnibus ad exemplum præbent. Hinc est quod Paulus dum expleta in se bona postponeret, & sola adhuc reliqua, quæ essent explenda, cogitaret, dixit: *Fratres, ego me non arbitror apprehendisse.* Hinc est quod ut posset se de bonis quæ agebat, humiliare, studebat ad animum præterita mala reducere, dicens: *Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus.* Qui etsi aliquando dixit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi*: intuendum summopere est quoniam illud eo tempore intulit, quo jam ex corpore discessurum se esse cognovit. Ibi quippe præmisit, dicens: *Ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.* Tunc igitur ad memoriam perfectionem reduxit operis, cum jam prævidit ad largitatis spatium minime subesse tempus operationis. Sicut enim dum vivimus, debemus bona nostra a memoria repellere, ne extollant: ita appropinquante exitu, plerumque ea ad memoriam juste revocamus, ut videlicet fiduciam præbeant, & desperationem timorem premant. Qui etsi Corinthiis enumerando bona sua narravit, illos confirmare non se ostendere studuit. Nam quia eadem bona non in se, sed in Domino attenderet, patefacta tribulatione propriæ tentationis edocuit, qua expresse subjunxit: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis.* Ut ergo discipulos instrueret, de se summa referebat: ut vero se custodiret in humilitate, considerationis oculum non in virtutibus suis, sed in infirmitatibus fixerat. Habent itaque sancti viri proprium, ut bona quidem quæ agunt, videant: & tamen cum peregerint, ab eorum memoria oculos avertant.

1.Tim.1.13.

2.Tim.4.7.

Ibid. v. 6.

2 Cor. 12.10

CAPUT VII.

Philip. 3.13.

Quæ retro oblitus, in ea quæ sunt ante, extendo me.

De æternorum desiderio & contemptu temporalium. Lib. 2. in Ezech. hom. 3. num. 17.

ELECTI Dei ad ea quæ reliquerunt, nullo jam appetitu respiciunt, sed in æternis quæ appetunt suæ mentis contemplatione semper intendunt. Unde & magnus ille prædicator dicebat quod usque ad tertii cæli secreta volaverat. *Unum vero quæ retro oblitus, in ea quæ sunt ante, extendens me, sequor ad palmam supernæ vocationis.* Ante nos enim æterna sunt, post nos temporalia: quoniam & illa pergentes invenimus, & ista recedentes quasi post dorsum relinquimus. Paulus igitur in anteriora extensus, eorum quæ retro sunt, oblitus fuerat: quia temporalia despiciens, sola quæ sunt æterna, requirebat.

CAPUT VIII.

Scio humiliari, & scio abundare.

Philip. 4.12.

Qualiter inter adversa & prospera rectum discretionis iter teneamus. Lib. 2. in Ezech. ho. 7. num. 15. 2.Cor. 6.7.

OMNES qui ad cælestem patriam tendimus, ex dextro & sinistro latere fortitudinem habere debemus: a dextro quidem, ne prospera nos extollant, a sinistro vero, ne nos adversa dejiciant. In utraque parte fortis Paulus erat, cum diceret: *Per arma justitiæ a dextris & a sinistris: per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ut seductores & veraces.* Non hunc adversa frangebant, non in mentis tumore prospera sublevabant, fortis in adversitate, & humilis permanebat in prosperitate. Adesse igitur semper nostris mentibus debet & in adversis fiducia, & in prosperis timor: ne aut adversa in desperationem pertrahant, aut prospera animum in sui fiduciam extollant. Hinc est quod idem prædicator egregius dicebat: *Scio & humiliari; scio & abundare. Ubique & in omnibus institutus sum, & satiari, & esurire: & abundare, & penuriam pati: omnia possum in eo qui me confortat.* Numquidnam, fratres, ars est aliqua humiliari & abundare, & satiari & esurire, abundare & penuriam pati, ut pro magno se scire ista tantus prædicator insinuet? Cordis omnino & miræ disciplinæ scientia, quæ nobis toto cordis est adnisu discenda. Quem enim penuria sua non frangit, a gratiarum actione non retrahit, in rerum temporalium desiderium non accendit, scit humiliari. Hoc enim loco dicit Apostolus humiliari, penuriam pati, nam statim e contrario subjunxit: *Scio & abundare.* Qui enim rebus acceptis non extollitur, qui eas ad usum vanæ gloriæ non intorquet, qui solus non possidet quod accepit, sed hoc cum indigentibus misericorditer dividit, scit abundare. Qui acceptis alimentis non ad ingurgitationem ventris utitur, sed ad reparationem virtutis: nec plus carni tribuit, quam necessitas petit, scit satiari. Qui alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitatibus victus agit aliquid, unde anima peccati laqueum incurrat, scit esurire. Quem ergo nec in abundantia superbia elevat, nec in necessitate cupiditas irritat, novit abundare, novit penuriam pati. Qui cum statim subdiderit: *Omnia possum*, ne elationis esse verba crederemus, adjunxit: *in eo qui me confortat.* Ecce in altum ramus prodiit; sed quoniam in radice stetit, in viriditate permansit. In altum enim surgens aresceret, si se a radice divisisset: sibi enim nihil tribuit, qui omnia se posse, non in se, sed in eo qui se confortat, fatetur. Hinc & inde ergo prædicator egregius fortis existit: quem nec abundantia in superbiam, nec inopia ad avaritiam pertrahit. Discamus itaque, fratres, non solum in prosperis, sed in adversis quoque gratias agere. Pater enim nobis ex pietate sua factus est Conditor noster, nos quoque filios adoptivos ad hereditatem regni cælestis nutrit, & non solum donis reficit, sed etiam flagellis erudit. Discamus igitur abundare, ut cuncta quæ ab eo accipimus, cum indigentibus partiamur, ut mentem abundantia non elevet, ne fortasse gaudeat: quoniam hoc adest sibi, quod deest alteri; & non jam communi bono, sed proprio lætetur. Ideo enim aliquid omnes, & ultra quam necesse est, concupiscunt habere, ut habendo superbiant: quia hoc alius non habet, in cogitationibus se extollant. Quisquis itaque talis est, adhuc ad postan-

Num. 16.

De abundantia. Num. 17.

Num. 18.

tandam abundantiam doctus non est. Sæpe vero quod avaritia ex appetitu suggerit, necessitatem putat: & cum minora sufficiant, dolet majora deesse: atque incautus animus quamdam quasi necessitatem patitur, quam parit. Et cum nimia sunt quæ desiderat, suam aliquo modo sibi avaritiam excusat. Abundantia itaque superbiæ vicina est; quam si quando etiam cupiditas intercipit, hanc, ut ita dixerim, quasi peregrina captivitas invasit. Si igitur abundantiæ artem scire volumus, necesse est ut non solum ea quæ vicina sunt, sed etiam ea quæ de longinquo veniunt, vitia fugiamus. Discamus penuriam pati, ne ea quæ non habemus, habere etiam cum culpa requiramus: ne felices putemus, quos rebus onustos cernimus. Nimia valde sunt ea quæ sibi quasi in sumtus vitæ præsentis præparant: multa portant, sed in brevi via: magna nobis est in hoc itinere paupertas socia, quæ animam non angustat, cum deest terrena substantia, de qua cum æterno Judice rationes ponamus. Liberius ad patriam tendimus; quia quasi in via pondere caremus. Discamus satiari in sumendis alimentis corporis, ne gulæ magis quam necessitati serviamus; plus enim sæpe concupiscentia quam necessitas petit: & sæpe dum carnis inopiæ satisfacere curamus, voluptas subrepit, modum refectionis excedit. Unde fit ut culpa transeat ad culpam: quia plerumque & alia carnis tentatio nascitur, dum carni immoderatius in refectione servitur. Ex peccato enim primi hominis infirmante natura cum nostris in hoc mundo tentationibus nascimur. Et caro nobis aliquando adjutrix est in bono opere, aliquando vero seductrix est in malum. Si ei igitur plus, quam debemus tribuimus, hostem nutrimus: & si necessitati ejus, quæ debemus, non reddimus, civem necamus. Satianda itaque est caro, sed ad hoc usque ut in bono opere famulari sufficiat. Ars itaque magna est satiari, ne unusquisque per satietatem carnis, ad iniquitatem prorumpat turpitudinis. Discamus esurire, ut nobis propter abundantiam sequentem, nostra hic inopia placeat. Nec nos venti necessitas ad culpam trahat, ne menti peccatum ipsa indigentia suggerat: & dum caro fame afficitur, ad cupiditatem animus irritetur, & quærat cum culpa providere unde carni valeat in necessitate satisfacere: ne cor in indignationem prosiliat, & linguam in murmurationis amaritudinem accendat. Qui igitur in suæ carnis inopia se hinc inde circumspicit, & a peccati laqueo custodit, novit esurire. Nos itaque, fratres carissimi, iram atque avaritiam in adversitate fugiamus, elationem & immoderata gaudia in prosperitate declinemus, atque fortitudinem hinc & inde teneamus. Libet adhuc alterum civem cælestis patriæ ad mentem reducere, & qualiter utrobique fortis fuerit demonstrare. Beatus etenim Job, cum esset viris Orientalibus ditior, & ei prospera cuncta suppeterent, filiis polleret, familia cresceret, greges exuberarent, in tanto Dei omnipotentis timore perstitit, ut inter custodiam disciplinæ, inter acta justitiæ, inter multa humilitatis obsequia, misericordiæ operibus intentus, sacrificiis offerendis deditus, holocaustum Domino pro singulis filiis immolaret: ne quis eorum saltem in corde peccasset. Pensemus ergo quanta erat custodia boni operis, qui in filiis suis expiabat sacrificiis culpas cordis. Sed quam justus esset, in prosperitate innotuerat: valde autem ignotum erat si perseverare justus & inter flagella potuisset. Tangendus ergo erat verbere vir ille sanctus in prosperis, ut interrogaretur adversis: & qui notus erat Domino omnipotenti, notus per flagella fieret nobis & sibimetipsi. Disponente itaque Domino, consumti sunt greges, interfecti custodes, eversa domus, extincti filii, percussa caro a planta pedis usque ad verticem. Remansit uxor incolumis, quæ verborum jaculis vulnera augeret: sed hanc vir sanctus in tentatione, sanus in vulnere, prudenter docet, eique respondet, dicens: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus?* Amici quoque ad consolandum veniunt, ad contumelias prorumpunt, & in dolore vulnerum addunt adhuc vulnera verborum: immisericordem dicunt, raptorem nominant, violentum denuntiant, oppressorem pauperum fatentur. Quid igitur miles Dei faceret inter dolentia vulnera, & amara verba depressus? Ecce flagella Dei, & verba hominum simul afflicti animum ad desperationem premunt; sed plenus virtute spiritus, carnis vulneribus jacens, mentis robore stans, contra desperationis impulsum reduxit ad memoriam bona quæ egerat. Quia misericors fuerat, dicit: *Oculus fui cæco, & pes claudo.* Et rursum: *Pater eram pauperum.* Quia & disciplinæ custos, & benignus fuerit, dicit: *Cumque sederem quasi Rex, circumstante exercitu, eram tamen mærentium consolator.* Quia humilis fuerat, dicit: *Si contemsi subire judicium cum servo meo, & ancilla mea, cum disceptarent adversum me.* Quia hospitalis fuerat, fatetur: *Si despexi prætereuntem, eo quod non habuerit indumentum.* Quia largus in donis fuit, dicit: *Si non benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus est.* Quia violentus non fuerat, testatur, dicens: *Si levavi super pupillum manum meam, cum me viderem in porta superiorem.* Quia de inimici periculo numquam exultaverit, dicit: *Si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat.* Quia patiens fuerit, & etiam suorum malitiam æquanimiter pertulerit, dicit: *Si non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus, ut saturemur?* Quid est ergo quod vir sanctus tot suas virtutes inter flagella enumerat? quid est quod ore suo opera quæ fecerat, laudat? nisi quia inter vulnera & verba, quæ hunc ad desperationem trahere poterant, ad spem animum reformat. Et qui in prosperitate humilis fuit, revocatis bonis suis ad memoriam, infractus in adversitate permansit. Cujus enim animum inter tot flagella, illa verba ad desperationem non impellerent, nisi sibi ad memoriam bona quæ egerat, revocasset? Vidit igitur Sanctus mentem suam, auditis tot malis, ad desperationem concuti, & mirabiliter studuit in spe certa ex bonis suis actibus solidari. Sic impletur quod scriptum est: *In die bonorum ne immemor sis malorum: & in die malorum, ne immemor sis bonorum.* Si enim, cum in bonis sumus, malorum reminiscimur, quæ aut passi sumus, aut adhuc pati possumus, accepta bona mentem non elevant: quoniam eorum gaudia timor memoriæ malorum premit: & si cum mala habemus, bonorum reminiscimur, quæ aut jam accepimus, aut adhuc nos accipere posse speramus, malorum pondus animum in desperationem non deprimit; quia hunc ad spem memoria bonorum levat. Sic itaque, fratres carissimi, & per præcepta Domini, & per Sanctorum exempla gradiamur, ut nec nos prosperitas elevet, nec adversitas fran-

Marginalia (left column): De paupertate. — De satietate. num. 19. — De esurie. — num. 20. — De beati Job laudibus.

Marginalia (right column): Job 2. 10. — Job 29. 15. — Vers. 16. — Vers. 25. — Job 31. 13. — Vers. 19. — Vers. 20. — Vers. 21. — Vers. 29. — Vers. 31. — Eccle. 11. 27.

frangit, & nos in prosperis & in adversis fortitudinem habere monstremus. A

CAPUT IX.

Philip. 3.20. *Nostra conversatio in cælis est.*

Animus quasi in domo habitat in ea re quam amat. In expofit. B. Job, lib. 8. num. 74.

SIcut domus exterioris conversationis est ædificium, quod inhabitat corpus; ita domus cogitationis est res quælibet, quem per dilectionem inhabitat animus. Omne quippe quod diligimus, quasi in hoc quiescentes inhabitemus. Unde Paulus, quia in supernis cor fixerat, in terra quidem positus, sed tamen a terra extraneus, dicebat: *Nostra conversatio in cælis est.*

CAPUT X.

Philip. 3.30. *Unde etiam expectamus Salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.*

De reformatione electorum. Lib. 2. in Ezech. ho. 2. num. 22.

POst resurrectionem erit similitudo Domini nostri Jesu Christi in cordibus nostris, & similitudinem illius etiam corpora nostra percipient in configuratione. Erunt enim tunc electorum corpora claritati Dominici corporis configurata. Quæ etsi æqualitatem gloriæ ejus non habent per naturam, similitudinem tamen configurationis habebunt per gratiam.

CAPUT XI.

Non quæro datum, sed quæro fructum. Philip. 4.17.

De stipendiis prædicatorum. In expofit. B. Job, lib. 19. num. 22.

SAnctis prædicatoribus debita ab audientibus stipendia debent conferri: & quos fatigat injunctus labor prædicationis, exhibita a discipulis pinguedo boni fovet operis: non quod prædicent ut elantur, sed ideo elantur ut prædicent, id est ut prædicare subsistant. Non intentionem sumendi victus transeat actio prædicationis, sed ut ad utilitatem prædicationis deserviant ministeria sustentationis. Unde ergo e bonis prædicatoribus non causa victus prædicatio impenditur, sed causa prædicationis ab eis victus accipitur: & quoties prædicantibus necessaria conferuntur ab audientibus, non solent de rerum munere, sed de conferentium gaudere mercede. Unde per Paulum dicitur: *Non quæro datum, sed quæro fructum.* Datum quippe est res ipsa, quæ impenditur; fructus vero dati est, si benigne mente futuræ studio mercedis aliquid impendatur. Ergo datum accipimus in re, fructum in corde. Et quia discipulorum suorum Apostolus mercede potius quam munere pascebatur, nequaquam datum, sed fructum se quærere fatebatur. Unde & subdidit protinus, dicens: *Habeo autem omnia, & abundo.* Prædicatores igitur sancti ipsa prædicatione fatigatis, auditorum suorum bonis operibus debent foveri, sicut ille faciebat, qui audiebat: *Viscera Sanctorum requieverunt per te, frater*: hic opere bono fotus fuerat; qui in catena religatus dicebat: *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigeravit, & catenam meam non erubuit.* Philip. 4.18. Philem. 7. 2. Tim. 1.16.

INCIPIUNT CAPITULA

DE EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD COLOSSENSES.

1 *Sive Throni, sive Dominationes.*
2 *Ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones subministratur.*
3 *Nam etsi corpore absens sum.*
4 *Quæ sunt rationem habentia sapientiæ.*
5 *Super omnia autem hæc caritatem habete.*
6 *Mortui estis, & vita vestra absconditæ est.*

EXPOSITIO

SUPER EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD COLLOSSENSES.

CAPUT PRIMUM.

Coloss. 1.16. *Sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.*

De quibusdam Angelorum nominibus. Homil. 34. in Evang. n. 7.

DOminationes, Principatus, ac Potestates jam ad Ephesios loquens Paulus Apostolus descripserat: sed ad quoque Colossensibus dicturus præmisit Thronos. Illæ ergo Virtutes angelicæ, *Throni* vocatæ sunt, quæ ipsos quoque Angelos, dignitate loci superioris excedunt. Nam cum Angeli nuntii dicantur: & Angeli sæpe ad annuntianda quædam hominibus veniant, Throni missi ad ministerium nuntii nusquam leguntur: quoniam eis longe sublimius Creator omnium præsidet. Unde Paulus Apostolus ordines agminum, quos ad tertium cælum raptus viderat, describens, ait: *Sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates.* Thronos igitur ante eos Angelorum ordines dixit, quibus illos prælatos esse cognovit. Throni itaque illa agmina sunt vocata,

& seq. n. … in Ezech. … num. 10

cata, quibus ad exercendum judicium semper omnipotens Deus præsidet. A Quia enim Thronos eloquio Latino, sedes dicimus: Throni Dei dicti sunt ii, qui tanta divinitatis gratia replentur, ut in eis Dominus sedeat, & per eos sua judicia decernat. Unde & per Psalmistam dicitur: *Sedes super Thronum, qui judicas æquitatem.* Plerumque autem ipsi beatorum spirituum ordines, vicinorum sibi ordinum vocabula sortiuntur. Thronos enim, scilicet sedes Dei, specialem beatorum spirituum ordinem diximus, & tamen per Psalmistam dicitur: *Qui sedes super Cherubim, appare:* quia videlicet dum in ipsis distinctionibus agminum Cherubim Thronis superjunguntur, sedere etiam super Cherubim Dominus ex vicini agminis æqualitate perhibetur. Sciendum est autem quod sunt nonnul- B li homines, qui dum sibimetipsis vigilanti cura dominantur, dum intentione sollicita se discutiunt; divino timori semper inhærentes, hoc in munere virtutis accipiunt, ut judicare recte & alios possint. Quorum profecto mentibus, dum divina contemplatio præsto est, in his velut in Throno suo Dominus præsidens, aliorum facta examinat, & cuncta mirabiliter de sua sede dispensat. Quid igitur isti nisi Throni sui Conditoris sunt? vel quo nisi ad supernarum sedium numeros adscribuntur? Per quos dum sancta Ecclesia regitur, plerumque de quibusdam suis infirmis actibus etiam electi judicantur.

Psal. 9. 5.
Psal. 79. 2.

CAPUT II.

Coloss. 2. 19. *Ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones subministratur.*

De corpore Christi, quod est Ecclesia. Lib. 1. in Ezech. hom. 6. num. 8.

REdemtor humani generis in membris suis, quæ nos sumus, quotidie percussionibus proficit; quia dum nos tundimur & afficimur, ut ejus corpus esse mereamur, ipse proficit. De cujus corpore scriptum est: *Ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei.* Corpus quippe illius nos omnes sumus, per nexus autem & conjunctiones corpus ligatur: quia dum capiti pectus, dum pectori brachia, dum brachiis manus, digiti manibus sunt conjuncti, ac membra ceteris D membris inhærent, corpus omne perficitur. Sicut sancti Apostoli, quia Redemtori nostro propinqui steterunt, quasi capiti pectus inhæsit. Quos quia martyres secuti sunt, quasi conjuncta brachia pectori fuerunt. Quibus dum Pastores & Doctores subjuncti sunt, per opera bona manus brachiis inhæserunt. Hoc autem omne corpus Redemtoris nostri quotidie per nexus & conjunctiones subministratur in cælo; quia cum ad eum illuc electæ animæ ducuntur, ei sua membra colliguntur. De quo bene dicitur: *Subministratum & constructum crescit in augmentum Dei:* quia Deus omnipotens Redemtor noster, qui in se quo proficiat non habet, adhuc per membra sua quotidie augmentum habet. Unde rursum scriptum est: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

Ibidem.
Ephes. 4. 13.

CAPUT III.

Coloss. 2. 5. *Nam etsi corpore absens sum.*

De prædicatorum cura in lucrandis animabus.

PRædicatores sancti, dum in Ecclesiæ sinum recipere populos ambiunt, ardore magno succensi, nunc ad hos nunc ad illos colligendos

Tom. IV. pars II.

A desiderium mittunt: & pro adunandis animabus in modos, in numeros, ac partes diversas esurienti mente discurrunt. Est autem quædam vagatio, ipsa cogitationis æstuatio. Paulus ergo prædicator egregius, quam valida caritate flagrat, tam nimia ex locis ad loca se vagatione permutat. Transire ad alia ex aliis appetit, quoniam ipsa eum, quæ implet, caritas impellit: longe namque a Romanis positus scribit, dicens: *Memoriam vestri facio semper in orationibus meis, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos: desidero enim videre vos.* Retentus Ephesi, Corinthiis scribit: *Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos.* Rursum Ephesi commorans, Galatis loquitur, dicens: *Vellem modo esse apud* B *vos, & mutare vocem meam.* Romæ quoque custodia carceris clausus, quia ire per semetipsum ad Philippenses non permittitur, transmittere se discipulum pollicetur, dicens: *Spero in Domino Jesu, Timotheum cito me mittere ad vos, ut & ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt.* Constrictus etiam vinculis, atque Ephesi retentus, Colossensibus scribit: *Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum.* Ecce quomodo sancto desiderio quasi vagatur, hic corpore tenetur, illuc spiritu ducitur, & paterni amoris affectum istis exhibet præsentibus, & illis ostendit absentibus. Coram positis impendit opera, audientibus exprimit vota, efficaciter præsens eis, cum quibus erat; nec tamen illis absens, cum quibus non erat. Cujus C vagationem melius agnoscimus, si ejus adhuc ad Corinthios verba pensamus, ait enim: *Veniam ad vos, cum Macedoniam pertransiero. Nam Macedoniam pertransibo: apud vos autem forsitan manebo, aut etiam hyemabo.* Perpendamus, quæso, quæ sit ista vagatio. Ecce alio interim manet, alio se iterum perhibet, atque alio deflexurum promittit. Quid est quod tam anxie per tot loca patitur, nisi quod circa omnes una caritate constringitur? Caritas enim quæ divisa unire consuevit, unum cor Pauli dividi per multa compellit. Quod tamen tanto arctius in Deo colligit, quanto latius per sancta desideria spargit. Prædicando igitur Paulus vult simul omnia dicere, amando vult simul omnes videre: quoniam & in carne permanendo vult omnibus vivere, & de carne transeundo per sacrificium fidei vult omnibus prodesse.

In expos. B. Job, lib. 30. num. 31.
Rom. 1. v. 9. & 10.
2. Cor. 12. 14.
Galat. 4. 20.
Philip. 2. 19.
Coloss. 2. 5.
1. Cor. 16. 5.

CAPUT IV.

Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate, &c. *Coloss. 2. 23.*

De abstinentium elatione occulta. Regul. Past. par. 3. cap. 19. Rom. 14. 3.

NIsi cogitationes abstinentium nonnumquam superbiæ culpa transfigeret, Paulus minime dixisset: *Qui non manducat, manducantem non judicet.* Qui rursus ad alios loquens, dum de abstinentiæ virtute gloriantium præcepta perstringeret, adjunxit: *Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate, & non ad parcendum* E *corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.* Qua in re notandum est, quod in disputatione sua prædicator egregius superstitioni speciem humilitatis jungit: quia dum plusquam necesse est caro per abstinentiam atteritur, humilitas foris ostenditur; sed de hac ipsa humilitate graviter interius superbitur. Et nisi mens aliquando ex abstinentiæ virtute tumesceret, nequaquam hanc, velut inter magna merita Pharisæus arrogans studiose, numeraret, dicens: *Jejuno bis in Sabbato,*

Luc. 18. 12.

CAPUT V.

Coloss. 3. 14.

Super omnia caritatem habentes.

De copula caritatis. In exposit. B. Job, lib 28, num. 40.

FAcile omne virtutum bonum tentatione cordis irruente destruitur, nisi ab intimis fixa caritate solidetur. Unde & Paulus in suis prædicationibus, dum quasdam virtutes tentationibus opponeret, illico eisdem virtutibus quasi quoddam robur caritatem adjunxit, dicens: *Super omnia autem hæc, caritatem habentes, quod est vinculum perfectionis.* Perfectionis enim vinculum caritas dicitur, quia omne bonum quod agitur, nimirum per illam, ne pereat, ligatur. A tentatore namque citius quodlibet opus evellitur, si solutum a vinculo caritatis invenitur. Si vero mens Dei ac proximi dilectione constringitur, cum tentationum motus ei qualibet injusta suggesserint, obicem se illis ipsa dilectio opponit, & pravæ suasionis undas, virtutis ostiis, ac veste intimi amoris frangit, & per inspiratæ caritatis fortitudinem nascentium impetus vitiorum reprimendo compescit.

CAPUT VI.

Coloss. 3. 3.

Mortui estis, & vita vestra abscondita est.

Qualiter sancti viri huic mundo moriuntur. In exposit. B. Job, lib. 8. num. 45.

SUNT nonnulli justorum, qui ad comprehendendum culmen perfectionis accincti, dum altiora interius appetunt, exterius cuncta derelinquunt, qui se rebus habitis nudant, gloria honoris exspoliant; qui internorum desiderio se per assiduitatem amici mœroris afficiunt; habere de exterioribus consolationem nolunt: qui gaudiis internis dum mente appropiant, vitam in se funditus corporeæ delectationis necant: qui semetipsos a tumultu curarum inutilium sacri verbi gladio mortificare non desinunt: & se intus ante Dei faciem in sinu mentis abscondunt. Talibus namque per Paulum dicitur: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Perfecte namque mundo mori non possumus, nisi intra mentis nostræ invisibilia a visibilibus abscondamur. Sicut autem sepulcrum, locus est quo absconditur corpus, ita divina contemplatio quoddam sepulcrum est mentis, quo absconditur anima. Quasi enim huic adhuc mundo vivimus, cum mente foris in eum vagamur: sed mortui in sepulcro abscondimur, cum mortificati exterius, in secreto contemplationis internæ celamur. Hinc est ergo quod Paulus per contemplationem mortuos, & quasi in sepulcro absconditos discipulos viderat, quibus dicebat: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* (Ibid. lib. 5. num. 9.)

INCIPIUNT CAPITULA

DE EPISTOLA I. B. PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES.

EXPOSITIO

SUPER EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES.

CAPUT PRIMUM.

1. Thess. 2. 5.

Neque aliquando fuimus in adulatione sermonis.

Quod sancti viri nonnulli pro utilitate auditorum, & gloria Dei honorari volunt. In exposit. B. Job, lib 19. num. 36. Matt. 5. 15.

QUoniam scriptum est: *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Et: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Aliquando sancti viri coram hominibus compelluntur bona facere, aut eadem hominibus sua facta narrare; sed ad eum finem omnia referentes, ut non ipsi eisdem operibus, sed Pater eorum qui in cælis est, debeat glorificari. Dum enim sancta prædicant, & ipsa prædicatio eorum fortasse despicitur, quorum vita nescitur. Compelluntur ergo vitam suam discere, ut auditorum suorum valeant vitam mutare: & facta sua referunt, ut venerationi sint: venerari appetunt, ut reverenter audiantur. Scriptum quippe est: *Cum elevarentur animalia de terra, elevabantur pariter & rota:* quia videlicet cum auditorum mentes prædicantium vitam suscipiunt, necessario utique etiam vim prædicationis admirantur. Hinc est ergo quod prædicatores boni & honorem propter elationem fugiunt, & tamen honorari propter imitationem volunt. Sic nimirum Paulus Apostolus discipulis loquens, & honorem fugit, & tamen quantum esset honorandus, ostendit. Nam cum Thessalonicensibus diceret: *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione avaritiæ, Deus testis est:* secutus adjunxit: *Neque requirentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis, cum possemus oneri esse vobis, ut Christi Apostoli, sed facti sumus parvuli in medio vestrum.* (Ezech. 1. 19. Num. 37.)

CAPUT II.

1. Thess. 2. 7.

Facti sumus parvuli in medio vestrum.

De humili vita Doctorum. In exposit. B. Job, lib. 23. num. 24

VERI Doctores humilitatem, quæ magistra est omnium materque virtutum, & loquendo dicere, & vivendo conantur ostendare: ut ea apud discipulos Veritatis, plus moribus quam sermonibus eloquatur. Unde Paulus loquens Thessalonicensibus, cum potestatis suæ celsitudinem repressisset, dicens: *Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis, cum possemus oneri esse, ut Christi Apostoli*, quasi culminis proprii Apostolatus subjunxit: *Sed facti sumus parvuli in medio vestrum*. Parvulus in medio eorum factus fuerat: quia timebat ne si inter discipulos honorem suæ celsitudinis vendicaret, exemplum elationis ostenderet. Timebat nimirum ne dum sibi potestatem pastoralis potentiæ quæreret, grex subditus per abrupta sequeretur, & ad impietatem sequentes duceret, qui pietatis officium suscepisset. Petrus etiam Apostolus cum diceret: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de ea quæ in vobis est spe*; in ipsa doctrinæ scientia, docendi qualitatem asseruit esse servandam, dicens: *Sed cum modestia & timore conscientiam habentes bonam*. Hoc autem quod discipulo Tito Paulus ait: *Præcipe hæc, & doce cum omni imperio*; non dominationem potentiæ, sed auctoritatem suadet vitæ. Cum imperio quippe docetur, quod prius agitur quam dicatur. Nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. Non igitur ei potestatem elatæ locutionis, sed bonæ fiduciam insinuavit actionis. Necesse est ergo ut is, qui præest, quæ exempla subditis præbeat solerter attendat; & tantis se sciat vivere, quantis præest; ac vigilanter inspiciat ne in eo quod prælatus est intumescat; jura debitæ potestatis immoderatius exigat, ne jus disciplinæ mutetur in rigorem superbiæ: & unde a perversitate subditos restringere poterat, inde magis intuentium corda pervertat, ne dux impietatis per officium existat. Dux est enim impius, qui per tumorem a tramite veritatis exorbitat; & dum ipse in præceps ruit, ad abrupta sequentes invitat qui per exempla rumoris se sequentibus viam ostendit erroris.

1. Thess. 2. 6. In exposit. B. Job, lib. 24. num. 13.

In exposit. B. Job, lib. 23. num. 24.

1. Petr. 3. 15.

1 Tim. 4. 11. & Tit. 2. 15.

In exposit. B. Job, lib. 24. num. 54.

Ibid. n. 53.

CAPUT III.

1. Thess. 2. 18

Voluimus venire ad vos, sed impedivit nos satanas.

Quod ad nutum Dei prædicatio Doctorum dispensetur. In exposit. B. Job, lib. 27. num. 55. Act 18. 9.

SÆPE prædicatores sancti quosdam exhortari volunt, sed nequeunt: sæpe declinare quosdam appetunt, sed tamen internæ instigationis impulsu exhortari eos instantissime compelluntur. Certe cum vestimenta sua Paulus excutiens, a Corinthiis discedere vellet, audivit: *Noli timere, sed loquere & ne taceas, propter quod ego tecum sum, & nemo apponetur tibi, ut noceat te: quoniam multus est mihi populus in hac civitate*. Rursus cum ad Thessalonicenses ire voluisset, & retentus est, dicens: *Voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus, & semel & iterum, sed impedivit nos satanas*. Neque enim per semetipsum satan præpedire vias tanti Apostoli potuit, sed occultæ dispensationis usibus dum adversabatur, nesciens deserviebat: ut nimirum Paulus, dum ad alios vellet accedere, nec valeret; eis a quibus non poterat recedere, aptius prodesset. Sic ergo prædicatores sancti, gubernantis manu Dei, ad ea quæ non appetunt, ducuntur; atque ab impulsu suo iterum gubernantis manu retinentur, divinisque nutibus subditi nequeunt explere quod volunt: & nisi quo voluntas gubernantis eos duxerit, ire nequaquam possunt.

CAPUT VI.

Quæ est enim spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum? 1. Thess. 2. 19

Quod gloria Sacerdotum sit rectitudo subditorum. In exposit. B. Job, lib. 11. num. 66.

MAGNA est gloria Sacerdotum, rectitudo subditorum. Sicut bene egregius Prædicator discipulis dicit: *Quæ est enim spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum?* Sed cum Sacerdotes discipulorum vitam negligunt, & nullum de profectibus eorum fructum ante Dominum ferunt, quid aliud quam inglorii dici possunt? Qui ante districtum Judicem, nimirum gloriam tunc non inveniunt, quam modo in subditorum suorum moribus prædicationis studio non requirunt.

CAPUT V.

Nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus. 1. Thess. 3.

Quod ad hoc venimus in mundum, ut ærumnas ejus ferre debeamus. In exposit. B. Job, lib. 13. num. 18.

FIdeles sanctæ Ecclesiæ hostis antiquus semper suis ictibus impetit; eosque suis percussionibus affligit. Unde Paulus prædicator egregius, cum percussionum mala toleraret, & sub persecutionibus adversariorum gemeret: quia passionem suam non sibi, sed discipulis obesse formidabat, teneram eorum mentem de suis afflictionibus consolans, & eis scribens, dicebat: *Nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus*. Ac si eis aperte dicat: Nequaquam in hoc tempore vulnera nostra miremini: quoniam si æterna gaudia quærimus, huc ad hoc venimus ut feriamur. Si ad bona æterna tendimus, non mirum si temporalia sufferamus mala: hæc autem bona sollicite inspexerat, quando illata æquanimiter mala tolerabat, dicens: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Aliorum ergo casus in propria passione metuebat, ne dum ipsum discipuli pro fide verberibus afflictum agnoscerent, fideles se profiteri recusarent. O immensæ caritatis viscera! Despicit quod ipse patitur, & curat ne quid pravæ persuasionis discipuli in corde patiantur. In se contemnit vulnera corporis, & in aliis vulnera medetur cordis. Quasi percussus quidam magnus medicus ægrotat, ipse tolerat scissuras vulneris, & aliis profert medicamenta sanitatis. Habent quippe hoc justi proprium, ut in dolore positi tribulationis suæ, curam non deserant utilitatis alienæ. Sic sciunt foris adversa tolerare, ut intus etiam noverint adversa corrigere.

Rom 8. 18.

In exposit. B. Job, lib. 3. num. 40.

CAPUT VI.

Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus. 1. Thess. 4. 12

De significatione somni in Scriptura sacra.

IN Scriptura sacra per somnum aliquando negligentiæ torpor exprimitur, sicut a beato Paulo dicitur: *Hora est jam nos de somno surgere*. Et rursus:

In expos. 8. Job, lib. 5. num. 52. Rom. 13. 11. 1 Cor. 15. 34. In expos. B. Job, lib. 11. num. 12.

Evigilate justi, & nolite peccare. Aliquando nomine somni vel dormitionis, mors carnis designatur; sicut idem Paulus admonens, dicit: *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus: ut non contristemini, sicut & ceteri, qui spem non habent. Si enim credimus quod Jesus mortuus est, & resurrexit; ita & Deus eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.* De morte quippe carnis loquens, non hanc mortem sed somnum vocare maluit, & dormitionem: vehementer enim ab infirmis mentibus nomen mortis pertimescitur, somni vero vocabulum non timetur. Quid est autem quod Prædicator egregius mortem Domini, mortem vocat; mortem servorum Domini, non mortem sed somnum nominat? nisi quia infirma corda audientium respiciens, medicamentum prædicationis suæ mira arte componit; & illum quem jam resurrexisse noverat, eis mortuum insinuare non dubitat: eos vero qui necdum resurrexerant, ut spem resurrectionis insinuet, non mortuos, sed dormientes vocat. Non enim verebatur dicere mortuum, quem auditores jam resurrexisse cognoverant: & verebatur dicere mortuos, quos resurgere vix credebant. Quia vero carne mortuos ad vitam rursus evigilare non dubitat, eos dormientes potius quam mortuos appellat, spem proculdubio resurrectionis insinuans: quia sicut citius homo a somno evigilat, ita concite ad Conditoris nutum a morte corporis surgit.

CAPUT VII.

1. Thess. 5. 2.

Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.

De motu repentinæ mortis. In expos. B. Job, lib. 7. num. 43.

Reprobi dum diu se visibilibus immorari credunt, spem invisibilium derelinquunt: eumque mens in præsentibus figitur, vita terminatur. Et repente ad improvisa supplicia perveniunt, quæ decepti suis præsumtionibus, aut numquam se contingere, aut tarde crediderunt. Hinc Paulus ait: *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.* Quia enim ad rapiendam animam propinquans minime conspicitur, furi in nocte comparatur. Unde bene discipulis futura cogitantibus idem Paulus dicit: *Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa tamquam fur comprehendat.* Dies enim exitus tamquam fur in nocte comprehendit, quando stultorum animas futura non prævidentes ejicit. Tanto igitur debet ab omnibus quasi semper veniens metui, quanto non valet a nobis ventura præsciri. Vel etiam per diem Domini, dies judicii potest intelligi, qui sic subrepit, ut prævideri non valeat quando venit.

1. Thess. 5. 4.

INCIPIUNT CAPITULA

DE EPISTOLA SECUNDA B. PAULI APOSTOLI

AD THESSALONICENSES.

1 *Supercrescit fides vestra.*
2 *Quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei.*
3 *Itaut in templo Dei sedeat.*
4 *Ut reveletur in suo tempore.*
5 *Nolite ut inimicum illum existimare.*

EXPOSITIO

SUPER EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI

AD THESSALONICENSES.

CAPUT PRIMUM.

2. Thess. 1. 3.

Supercrescit fides vestra.

Quomodo debeant commonendi pusillanimes. Regul. Past. par. 3. c. 8.

Plerumque pusillanimes aptius ad iter bene agendi reducimus; si eorum bene gesta memoramus: & si qua ab eis inordinate gesta sunt, non jam tamquam perpetrata corripimus; sed quasi adhuc ne perpetrari debeant, prohibemus: ut illa quæ approbamus, illatus favor augeat; & contra ea quæ reprehendimus, magis apud pusillanimes exhortatio verecunda convalescat. Unde Paulus, cum Thessalonicenses in accepta prædicatione perdurantes, quasi de vicino mundi termino quadam cognosceret pusillanimitate turbatos, prius in eis quæ fortia prospicit laudat, & caute monendo postmodum, quæ sunt infirmata, roborat.

2. Thess. 1. 3.

Ait enim: *Gratias agere debemus Deo semper pro vobis, fratres, ita ut dignum est: quoniam supercrescit fides vestra, & abundat caritas uniuscujusque vestrum invicem: itaut & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra & fide.* Qui cum blanda hæc vitæ præconia præmisisset, paulo post subdidit, dicens: *Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, & nostræ congregationis in idipsum, ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini.* Egit enim verus doctor, ut prius audirent laudati, quod recognoscerent, & postmodum quod exhortati sequerentur; quatenus eorum mentem ne commotio subjuncta concuteret, laus præmissa solidaret: & qui commotos eos vicini finis suspicione cognoverat, non jam redarguebat motos, sed quasi transacta nesciens, adhuc commoveri prohibebat: ut dum de ipsa levitate motionis prædicatori suo se incognitos crederent, tanto reprehensibiliores fieri, quanto & cognosci ab illo formidarent.

Ibid. v. 1.

CA-

CAPUT II.

Sustinetis in exemplum justi judicii Dei.

2. Thess. 1. v. 4. & 5.

De judicio Dei. In expos. B. Job, lib. 5. num. 22. 1. Petr. 4. v. 17. & 18.

UNUSQUISQUE debet considerare quæ peccantes postmodum supplicia maneant, si etiam justos tam valida hic flagella castigant. Hinc est enim quod Petrus ait: *Tempus est ut judicium incipiat à domo Dei: & si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* Hinc Paulus, cum multa in Thessalonicensium laudem dixisset, protinus adjunxit: *Itaut & ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra & fide, in omnibus persecutionibus & tribulationibus vestris, quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei.* Ac si diceret: Dum tot dura toleratis, qui tam recta agitis, quid aliud quam justi judicii Dei exempla datis? Quia ex vestra pœna colligendum est quomodo feriat, quibus irascitur, si sic vos affligi patitur, in quibus lætatur. Multo magis quippe percussurus est, quibus justum judicium exhibet, si etiam vos sic cruciat, quos pie redarguens fovet.

CAPUT III.

2. Thess. 2. 4.

In templo Dei sedebit ostendens se, tanquam sit Deus.

De plena disputatione Antichristi. In expos. B. Job, lib. 34. num. 7.

TERRIBILI ordine dispositionis occultæ, priusquam hostis antiquus in illo damnato homine, videlicet Antichristo, quem assumet, appareat, virtutum signa a sancta subtrahentur Ecclesia. Nam prophetia abscondetur, curationum gratia auferetur, prolixioris abstinentiæ virtus imminuetur, doctrinæ conticescent verba, miraculorum tollentur prodigia. Quæ quidem nequaquam superna dispensatio funditus subtraheret, sed non hæc sicut prioribus temporibus aperte ac multipliciter ostendet. Quod tamen mira dispensatione agetur, ut ex una re divina simul pietas & justitia compleatur. Dum enim subtractis signorum virtutibus, Ecclesia sancta velut abjectior apparet, & bonorum præmium crescit, qui illam pro spe cælestium, non propter præsentia signa venerantur, & malorum mens contra illam citius ostenditur, qui sequi quæ promittit invisibilia negligunt, dum signis visibilibus non tenentur. Dum igitur humilitas fidelium multitudine & manifestatione signorum quasi destituitur, terribili occultæ dispositionis examine inde bonis misericordia largitur, unde malis ira justa cumulatur. Ante igitur ex magna parte signa virtutum & miraculorum a fidelibus in sancta Ecclesia subtrahuntur, & tunc contra eos antiquus hostis in illo damnato homine, scilicet Antichristo, per aperta prodigia conspicuus & manifestus ostendetur: ut quo ipse per signa extollitur, eo a fidelibus sine signis robustius laudabiliusque vincatur. Quamvis etiam fidelibus in ejus certamine signa non deerunt, sed tanta erunt illius, ut nostrorum pauca aut nulla videantur. Quorum nimirum virtus omnibus signis fit potior, cum omne quod ab illo fieri terribiliter conspicitur, per internæ constantiæ calcem premit. Sed malignus hostis tanto contra eos acriore immanitate se exhibebit, quanto se despici etiam clarescentibus miraculis dolebit. Totum igitur se in eorum interitum colliget, cunctosque reprobos in necem fidelium unanimiter & crudeliter accendet. Superba itaque Antichristi celsitudo super reprobas mentes hominum fastu gloriæ secularis erigetur: itaut homo peccator, & tamen homo despiciens æstimari, Deum se super homines mentiatur? Unde Paulus Apostolus dicit: *Itaut in templo dei sedeat, ostendens se, tamquam sit Deus.* Cujus ut timorem plenius ostenderet, præmisit: *Qui adversatur, & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Deus enim aliquando dici & homo potest, juxta quod & ad Moysen dicitur: *Ecce constitui te deum Pharaonis:* Deus vero coli purus homo non potest. Quia vero Antichristus & super sanctos quosque homines, & super ipsius potentiam divinitatis extollitur, per exactum sibi nomen gloriæ, & hoc quod Deus dicitur, & hoc quod Deus colitur, transire conatur. Notandum vero est in quantam superbiæ foveam cecidit, qui in mensuram ruinæ, qua lapsus est, non permansit. Diabolus quippe & homo ab statu propriæ conditionis elata mente corruerunt, ut vel ille diceret: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo;* vel iste audiens crederet: *Aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii.* Idcirco ergo uterque cecidit: quia Deo similis esse non per justitiam, sed per potentiam concupivit. Sed homo per gratiam liberatus, qui Dei similitudinem appetendo perverse ceciderat, in reatum sui criminis longe Deo se imparem esse cognoscens, eclamat: *Domine, quis similis tibi?* Diabolus vero in lapsus sui crimine juste dimissus, in mensuram ruinæ suæ minime permansit, sed quantum ab omnipotentis gratia diu defuit, & tanto magis reatum criminis cumulavit. Nam qui ideo cecidit, quia perverso ordine Deo similis esse voluit, cousque perductus est, ut in Antichristum veniens, videri Deo similis dedignetur, & eum quem habere non potuit superbus æqualem, damnatus putat inferiorem. Nam cum de illo hoc quod jam præmisimus, dicitur: *Extollens se super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur:* aperte monstratur, quoniam appetendo dudum Dei similitudinem, quasi juxta Deum erigere se voluit, sed in superbiæ culpa crescendo, jam se supra omne quod Deus dicitur & colitur, extollit. Sed hæc ejus superbia districti Judicis erit adventu ferienda, sicut scriptum est: *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui.* De hoc perdito homine per Danielem dicitur: *Contra principem principum consurget, & sine manu conteretur.* Quod ergo per Danielem dictum est: *Contra principem principum consurget?* hoc per Paulum dicitur: *Itaut in templo Dei sedeat, ostendens se, tamquam sit Deus.* Et quod per Danielem subjungitur: *Sine manu conteretur,* hoc per Paulum exprimitur: *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui.* Sine manu scilicet conteretur: quia non Angelorum bello, non Sanctorum certamine, sed per adventum Judicis solo oris spiritu, æterna morte ferietur.

Exod. 7. 1.

Isa. 14. 13. Gen. 3. 5.

Psal. 34. 10.

2 Thess. 2. 4.

2. Thess. 2. 8. In expos. B. Job, lib. 32. num. 21.

Dan. 8. 11.

CAPUT IV.

2. Thess. 2. v. 6. & 7.

Ut reveletur in suo tempore: nam mysterium jam operatur iniquitatis.

De ministris Antichristi, & membris diaboli. In exp. B. Job, lib 19. n. 15.

SUNT nonnulli qui æterna, quæ audiunt, veraciter credunt, sed tamen juxta prædicationem fidei vivere negligunt, & eidem fidei, quam specietenus venerantes tenent, male vivendo contra-

di-

dicunt. Qui dum plus terrena quam cælestia, plus quæ vident quam quæ audiunt, diligunt: pulsante persecutionis articulo, quod rectum credere videbantur amittunt. Quod illo maxime tempore multiplicius agitur, quando surgente ipso iniquorum capite, in sanctæ Ecclesiæ persecutione ultima, liberis suis viribus ejus fortitudo grassabitur. Ibi tunc uniuscujusque cor ostendetur, ibi quidquid in occultis latebat aperietur. Et qui nunc ore sunt puri, & corde sunt impii, publicata malitia corruerunt; & fidem, quam specietenus tenuerant, perdent. Hinc Paulus ait: *Ut reveletur in suo tempore, nam mysterium jam operatur iniquitatis*. Ac si diceret: Tunc Antichristus manifestus videbitur, nam in cordibus iniquorum, id est membrorum suorum, secreta sua jam nunc occultus operatur. Ut enim de apertioribus criminibus taceam, ecce alius fratri in corde suo tacitus invidet; & si occasionem reperiat, eum supplantare contendit. Cujus alterius membrum est, nisi ejus de quo scriptum est: *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum?* (Cap. 2. 24.) Alius magni meriti se esse æstimans, per tumorem cordis cunctis se præferens, omnes semetipso inferiores credit. Cujus alterius membrum est, nisi ejus de quo scriptum est: *Omne sublime videt; & ipse est rex super omnes filios superbiæ?* (Job. 41 25.) Alius potentiam hujus mundi quærit, non quo aliis prosit, sed quo non sit subditus alteri. Cujus alterius membrum est, nisi ejus de quo scriptum est, qui dixit: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo?* (Is. 14. v. 13. & 14.) Solus quippe Altissimus ita dominatur super omnia, ut alteri subesse non possit. Quem diabolus imitari perverse voluit, cum suum dominum quærens, ei subesse recusavit. Imitatur ergo diabolum quisquis idcirco potestatem suam appetit: quoniam ei qui sibi præpositus est ordinatione superna, subesse fastidit. (num. 15.) Sunt namque præterea plurima, quæ quosdam in ipsa pace Ecclesiæ constitutos infideles esse renuntient. Video namque nonnullos ita personam potentis accipere, ut videlicet ab eo requisiti, pro favore ejus non dubitent in causa proximi veritatem negare. Et quis est Veritas nisi ille, qui dixit: *Ego sum Via, Veritas, & Vita?* (Johan. 14. 6.) Neque enim Johannes Baptista de confessione Christi, sed de justitiæ veritate requisitus occubuit: sed quia Christus est Veritas, ad mortem usque idcirco pro Christo, quia pro veritate videlicet pervenit. Ponamus ante oculos quod aliquis percunctatus personam potentis accepit, & ne verbi saltem injuriam pateretur, veritatem negavit. Quid ergo iste faceret in dolore pœnarum, qui Christum erubuit inter flagella verborum? Ecce & post hæc ante oculos hominum adhuc Christianus est, & tamen si Dominus eum districte disposuit judicare, jam non est. Video autem & alios, quibus per locum magisterii, exhortandi sunt officia arguendique commissa: quia vident aliquid illicitum admitti, & tamen dum quorumdam potentum offendere gratiam metuunt, arguere non præsumunt. Quisquis iste est, quid aliud facit nisi videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit? (Joh. 10. 12.) Fugit, quia tacuit: quoniam despecta æterna gratia, temporalem gloriam plus amavit. Ecce ante potentis faciem intra sui se latebras silentii abscondit, & sicut publicæ persecutioni, sic occulto locum dedit timori. Qui igitur talis est, si hæc districte judicantur, & si persecutio publica defuit, tamen tacendo Christum negavit. Non ergo desunt vel in pace Ecclesiæ Antichristi tentamenta. Nemo itaque illa persecutionis extremæ tempora, quasi sola perhorrescat. Apud iniquos namque quotidie res Antichristi agitur: quoniam in eorum cordibus mysterium suum jam nunc occultus operatur. Et si nunc multi specietenus intra Ecclesiam constituti simulant se esse quod non sunt, in adventu tamen Judicis prodentur quod sunt. De quibus bene Salomon ait: *Vidi impios sepultos, etiam cum adhuc viverent; in loco sancto erant, & laudabantur in civitate quasi justorum operum.* (Eccle. 8. 10.)

CAPUT V.

Nolite ut inimicum illum existimare. (2. Thess. 3. 15)

CUM temporalis pax in pravorum cordibus ex increpatione nostra confunditur, inviolata necesse est ut in nostro corde servetur. (De habenda pace cum peccatoribus.) Unde discipulos admonet, dicens: *Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate: & non commisceamini cum illo, ut confundatur.* (Regul. Pastor. 3. [c. 22.]) Atque illico adjunxit: *Et nolite ut inimicum existimare illum, sed corripite ut fratrem.* Ac si diceret: Pacem cum eo exteriorem solvite, sed interiorem circa illum medullitus custodite: ut peccantis mentem si vestra discordia feriat, quatenus pax a vestris cordibus nec abnegata discedat.

INCIPIUNT CAPITULA

DE EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM.

EXPOSITIO

SUPER EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM.

CAPUT PRIMUM.

1. Tim. 1. 13. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.*

De gratia Dei, & libero arbitrio. In exposit. B. Job. lib. 18. num. 62. NULLUS potest dicere ad cognoscendum Deum actionis suæ se mercede pervenisse, vel aliquod digni operis meritum, quo Christum Dei virtutem & Dei sapientiam perciperet, quasi pretium dedisse. Ad hoc namque pretium damus, ut ejus vice rem quam appetimus, possidere debeamus. Quid autem nos dedimus, ut Sapientiam, quæ Christus est, percipere mereremur? Gratia quippe redemti sumus. Illa namque sola opera male vivendo dedimus, quibus si justa retributio servaretur, non Christus, sed supplicia redderentur. Sed aliud homo per justitiam meruit, aliud per gratiam accepit. Testatur Paulus priusquam mens illius semen gratuitæ veritatis acciperet, quibus sentibus premebatur erroris: *Qui prius*, inquit, *fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam consecutus sum: quia ignorans feci in incredulitate.* Testatur etiam pro qualibus Christus mori dignatus est: *Cum adhuc*, inquit, *peccatores essemus, secundum tempus Christus pro impiis mortuus est.* Qui ergo veniente Christo Dei virtute & Dei Sapientia impii inventi sumus, quid boni operis dedimus, quo eum accipere mereremur? Nullum suis meritis esse salvatum Paulus intellexerat, neminem dedisse aliquid boni operis, ut ad fidem veniret, cognoverat, qui dicebat: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Hinc iterum scriptum est: *Gratia salvi facti estis per fidem: & non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Hinc de semetipso loquitur iterum, dicens: *Gratia Dei sum id quod sum.* Ex cujus nimirum aspiratione gratiæ, quia virtutum opera protinus in corde generantur, ut ex libero quoque arbitrio subsequatur actio, cui post hanc vitam æterna respondeat retributio, illico adjecit: *Et gratia ejus in me vacua non fuit.*

(Marginal references: 1. Tim. 1. 13; Rom. 5. 8; num. 63; Rom. 11. 35; Ephes. 2. 8; 1. Cor 15. 10)

CAPUT II.

2. Tim. 2. 9. *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornent se, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa.*

Quod culpa sit pretiosis vestibus indui. Homil. 6. in Evang. n. 3. NEMO existimet in luxu, atque studio pretiosarum vestium peccatum deesse: quia si hæc culpa non esset, nullomodo Johannem Baptistam Dominus de vestimenti sui asperitate laudasset. Si hoc culpa non esset, nequaquam Paulus per epistolam feminas a pretiosarum vestium appetitu compesceret, dicens: *Non in veste pretiosa.* Beatus quoque Petrus Apostolus dicit: *Mulieres subditæ sint viris suis: quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.* Pensate ergo quæ culpa sit hoc viros appetere, a quo curavit Ecclesiæ Pastor, & egregius doctor etiam feminas prohibere.

(Marginal reference: 1. Petr. 3. 3.)

CAPUT III.

1. Tim. 2. 15. *Salvabitur autem mulier per filiorum generationem.*

Quod filiorum nomine opera designantur. In exposit. B. Job. lib. 22. num. 25. NOMINE filiorum in Scriptura sacra aliquando opera designantur, sicut de muliere Paulus dicit: *Quia salva erit per filiorum generationem.* Neque enim mulier, quæ continentiæ studens, nequaquam filios generat, salva non erit: sed per generationem filiorum salvari dicitur: quia per effectum bonorum operum, perpetuæ saluti sociatur.

CAPUT IV.

1. Tim. 3. *Oportet Episcopum esse irreprehensibilem, &c.*

De honore episcopatus. Reg. Past. Part. 1. c. 8. TIMOTHEUM instruens Paulus de officio Episcopatus, ait: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Qui tamen laudans desiderium, in pavorem vertit protinus quod laudavit, cum repente subjungit: *Oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse.* Cumque virtutum necessaria subsequenter enumerat, quæ sit irreprehensibilitas ipsa manifestat: & favet ergo ex desiderio, & terret ex præcepto. Ac si aperte dicat: Laudo quod quæritis, sed prius discite quid quæratis: ne dum vosmetipsos metiri negligitis, tanto fœdior vestra reprehensibilitas pateat; quanto & a cunctis conspici in honoris arce festinatis. Magnus enim regendi artifex favoribus impellit, terroribus retrahit, ut auditores suos & descripto irreprehensibilitatis culmine, restringat a superbia, & officium laudando quod quæritur, componat ad vitam. Ipsum quoque episcopatus officium boni operis expressione definitur, cum dicitur: *Si quis episcopatum desiderat.* Ipse ergo sibi testis est, qui episcopatum non appetit, quia non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quærit. De hoc eodem episcopatus officio edocet: *Oportet Episcopum esse sine crimine.* Hoc autem inter peccatum distat & crimen, quod omne crimen peccatum est, non tamen omne peccatum crimen. Et in hac vita multi sine crimine, nullus vero sine peccatis valet esse. Prædicator itaque sanctus cum virum dignum gratia sacerdotali describeret, nequaquam dixit, sine peccato: sed *si quis sine crimine est.* Sine peccato enim nemo valet esse, cum Johannes dicat: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.*

(Marginal references: In exposit. B. Job. lib. 21. num. 19; 1. Joh. 1. 8.)

CAPUT V.

1. Tim. 3. 16. *Magnum est pietatis sacramentum.*

Prædicatores Angeli vocantur. In expos. B. Job. lib. 34. num. 14. SCRIPTURA sacra prædicatores Ecclesiæ, pro eo quod gloriam patriæ cælestis annuntiant, Angelorum nomine solet designare. Hinc Malachias Propheta loquitur, dicens: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia* An-

(Marginal reference: Mal. 2. 7.)

Angelus Domini exercituum est. Hinc Paulus ait: A *Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumtum est in gloria*. Qui igitur dispensationis mysterium, post quam apparuisse Angelis dixit, prædicatum esse Gentibus subdidit: Angelorum profecto nomine prædicatores sanctos, id est veritatis nuntios designavit.

CAPUT VI.

1. Tim. 4.12 *Nemo adolescentiam tuam contemnat*.

Imperfectus non debet prædicare. Lib. 1. in Ezech. h. 2. num. 2. Regul. Past. part. 3. c. 25.

CUM prima sunt adolescentiæ, vel juventutis nostræ tempora, nobis adhuc cessandum est a prædicatione, nec debemus in B infima ætate prædicare: quia sermo doctrinæ non suppetit, nisi in perfecta ætate. Quousque enim infirmi sumus, continere nos intra nosmetipsos debemus, ne dum tenera bona citius ostendimus, amittamus: ad exemplum ergo non sunt ostendenda, nisi quæ sunt firma. Hinc etiam per quemdam Sapientem dicitur: *Adolescens, loquere in tua causa vix, & si bis interrogatus fueris, habeat initium responsio tua*. Cum vero per Paulum Timotheo discipulo dicitur: *Præcipe & doce, nemo adolescentiam tuam contemnat*: sciendum nobis est quoniam in sacro eloquio aliquando adolescentia, juventus vocatur. Quod citius ostendimus si Salomonis ad me- C dium verba proferantur, qui ait: *Lætare, juvenis, in adolescentia tua*. Si enim unum utraque esse non discerneret, quem monebat in adolescentia, juvenem non vocaret. Quos igitur a prædicationis officio vel imperfectio, vel ætas prohibet: & tamen impellit præcipitatio, cum arripiunt intempestive quod non valent, perdunt etiam quod implere quandoque tempestive potuissent: ante perfectionem alarum, unde ire cupiunt in alta, inde mergentur in ima.

Eccli. 32. 10.

Eccle. 11. 9.

CAPUT VII.

1. Tim. 5.22 *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*.

De quadam Scripturæ sacræ consuetudine. In expos. B. Job. lib. 5 num. 74.

SACRÆ Scripturæ consuetudo est, ut cum aliquid narrat, interposita alterius causæ sententia, ad superiora protinus redeat. Sed hunc esse nonnumquam morem sacri eloquii melius ostendimus, si ex eo aliquam hujus rei similitudinem proferamus. Paulus namque Apostolus cum dilectum discipulum de instituendis Ecclesiæ officiis admoneret, ne quos forte ad sacros ordines inordinate proveheret, dixit: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris alienis: teipsum castum custodi*. Qui ad infirmitatem ejus corporis protinus verba convertens, ait: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*: statimque subiungit, dicens: *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium, quorumdam autem & subsequuntur*. Quid ergo illud pertinet, quod ab infirmo bibi aquam prohibuit, hoc quod de peccatis absconditis quorumdam hominum, manifestisque subjunxit? Nisi quod interposita de ejus infirmitate sententia, ad hoc in extremo rediit, quod superius dixit: *Nemini cito manus imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*.

Vers. 23.

Vers. 24.

Ut enim hæc eadem peccata, quanta sollicitudine perquirenda essent, ostenderet, interposita contra infirmitatis molestiam discretionis admonitione protinus intulit, quod in aliis patescerent, in aliis laterent, dicens: *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium, quorumdam autem & subsequuntur*. In hac ergo sententia Paulus non eisdem verbis congruit, quibus eam, loquens de Timothei infirmitate, subjunxit: sed ad illud rediit, quod superius intermittendo narravit.

CAPUT VIII.

Dum venio, attende lectioni. 1. Tim. 4.13.

OMNIS Prælatus & Rector quotidie sacri eloquii studiose debet præcepta meditari, ut in eo vim sollicitudinis, & erga cælestem vitam providæ circumspectionis, quam humanæ conversationis usus indesinenter destruit, divinæ admonitionis verba restaurent: & qui ad vetustatem vitæ per societatem secularium ducitur, ad amorem semper spiritalis patriæ compunctionis aspiratione renovetur. Valde namque cor inter humana verba defluit, cum indubitanter constet quod externis occupationum tumultibus impulsum a semetipso corruat, incessabiliter studere debet ut per eruditionis studium resurgat. Hinc est quod prælatum gregi discipulum Paulus admonet, dicens: *Dum venio, attende lectioni*. Hinc David ait: *Quomodo dilexi legem tuam, Domine? Tota die meditatio mea est*.

De studio legendi. Regul. Past. part. 2. c. 11.

Psal. 118. 97

CAPUT IX.

Radix omnium malorum cupiditas. 1. Tim. 6. 10

CUM alicui avaritia, id est cupiditas, dominatur, subjectus proculdubio malis omnibus demonstratur: quia de avaritia mala omnia oriuntur, & peccatorum omnium spinæ producuntur, de qua per Paulum dicitur: *Radix omnium malorum cupiditas*. Ipsa quippe latenter oritur in mente, sed punctiones peccatorum omnium pa- D tenter producit in opere. Quas videlicet punctiones ab hac radice surgentes, statim Prædicator egregius insinuat, cum subdit: *Quam quidem appetentes, erraverunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis*. Qui enim multos dolores dixit, quasi nascentes ex hac radice punctiones innotuit.

De cupiditate. In expos. B. Job. lib. 20. num. 22.

CAPUT X.

Qui solus habet immortalitatem. 1. Tim. 6. 16.

OMNIS immutatio velut quædam mortis imitatio est. Id enim quod mutatur, quasi ab eo quod erat, interficitur, ut desinat esse quod fuit, & incipiat esse quod non fuit. Lumen autem verum, E Creator videlicet noster, nulla mutabilitatis vicissitudine tenebrescit, multis naturæ suæ defectibus obumbratur, sed ejus esse sine mutabilitate fulgere est, sicut scriptum est: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Et inde rursum Paulus Apostolus dicit: *Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem*. Sed cum cuncti noverimus quod & humana anima, & angelici spiritus sint immortales instituti, cur ab Apostolo solus Deus immortalitatem habere perhibetur? nisi quia solus Deus vere non moritur, qui solus numquam mutatur;

De humana & angelica natura. In expos. B. Job. lib. 25. num. 9.

Jacob 1. 17.

tur: humana quippe anima in lapsum numquam caderet, si mutabilis non fuisset. Quæ a paradisi quoque gaudiis expulsa, si mutabilis non esset, ad vitam minime rediret. In hoc ipso autem quod ad vitam redire nititur, defectus suos, alternante semper mutabilitate, tolerare cogitur. Quia ergo ex nihilo condita est, ex se nihilominus infra se tendit, nisi ad boni desiderii statum artificis sui manu teneatur: Ex eo itaque quod creatura est, deorsum ire habet: virtute namque propria in præceps posse se ire considerat, sed ad Conditorem suum amoris manu se retinet, ne cadat, quousque ad immutabilitatem transeat, & eo vere immortaliter, quo immutabiliter vivat. Ipsi quoque spiritus angelici mutabiles sunt ex natura conditi, quatenus aut sua sponte caderent, aut ex arbitrio starent. Sed quia humiliter elegerunt ei inhærere, a quo creati sunt, hanc ipsam in se mutabilitatem suam, standi jam immutabilitate vicerunt: ut hoc ipso merito transcenderent, quod naturæ suæ ordine mutabilitati subesse potuissent. Quia ergo Creator noster nullam patitur immutabilitatem, recte de eo per Paulum dicitur: *Qui solus habet immortalitatem*.

num. 10.

CAPUT XI.

Et lucem habitat inaccessibilem.

1. Tim. 6. 16.

De videndo Deo. In exposit. B. Job, lib. 18. num. 92.

CUM ad ipsum fontem vitæ, Creatorem nostrum, venerimus, erit nobis delectabiliter impressa sitis, simul & satietas, sed longe ab ista siti necessitas, & longe a satietate fastidium: quia sitientes satiabimur, & satiati sitiemus. Videbimus ergo Deum ipsum, qui erit præmium laboris nostri, ut post mortalitatis hujus tenebras, accessa ejus luce gaudeamus. Sed cum ejus lucem dicimus accessam, obsistit animo quod Paulus dicit: *Qui lucem habitat inaccessibilem, quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest*. Ecce rursum audio quod Psalmista ait: *Accedite ad eum, & illuminamini*. Quomodo igitur accedendo illuminamur, si ipsam lucem, qua illuminari possumus, non videmus? Si vero accedendo ad eum, ipsam qua illuminamur, lucem videmus, quomodo inaccessibilis esse perhibetur? Qua in re pensandum est quod inaccessibilem dixit, non omni homini, sed humanæ sapienti. Scriptura quippe sacra omnes carnalium sectatores humanitatis nomine notare solet. Unde idem Apostolus quibusdam discordantibus dicit: *Cum enim inter vos sit zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Et unde alibi testimonium protulit: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*. Et cum hoc Dominus dixisset absconditum, mox subdidit: *Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum*: ipsum se ab hominis vocatione discernens, qui raptus supra hominem, divina jam saperet. Ita etiam hoc loco, cum lucem Dei inaccessibilem perhibet, ut ostenderet quibus, subdidit: *Quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest*. More suo homines vocans omnes humana sapientes: quia qui divina sapiunt, videlicet supra homines sunt. Deum igitur per cælestem conversationem videbimus, si supra homines esse mereamur. Quæ nimirum visio nunc fide inchoatur, sed tunc in specie perficitur, quando coæternam Deo sapientiam, quam modo per ora prædicantium, quasi per decurrentia flumina sumimus, in ipso suo fonte bibemus.

Psal. 33. 6.

1. Cor. 3. 3.

1. Cor. 2. 9.

Ibidem.

CAPUT XII.

Divitibus præcipe non superbe sapere.

1. Tim. 6. 17.

De admonitione superborum divitum. Regul. Past. par. 3. c. 2.

SUperbis divitibus inferre metum contra elationem debemus, sicut Paulus dicit discipulo de divitibus: *Divitibus hujus seculi præcipe, non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum suarum*. Ubi notandum valde est quod humilitatis doctor memoriam divitum faciens, non ait: *Roga*, sed, *præcipe*: quia etsi impendenda est pietas infirmitati, honor tamen non debetur elationi. Talibus ergo rectum quod dicitur, tanto rectius jubetur, quanto & rebus transitoriis altitudine cogitationis intumescunt. De his in Evangelio dicit Dominus: *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram*. Quia enim quæ sunt æterna gaudia nesciunt, ex præsentis vitæ abundantia consolantur. Offerendus est ergo a prædicatoribus timor divitibus, quos consolatio gloriæ temporalis extollit: ut cognoscant quia divitias, quas conspiciunt, tenere nequaquam possunt.

Luc. 6. 24.

CAPUT XIII.

O Timothee, depositum custodi.

1. Tim. 6. 20.

De vitanda verborum novitate, In exposit. B. Job, lib. 18. num. 19.

QUicumque ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est ut causarum origines a sacris paginis sumat: ut omne quod loquitur in eo suæ locutionis ædificium firmet. Sæpe enim hæretici, dum sua perversa student adstruere, proferunt ea quæ profecto in sacrorum librorum paginis non tenentur. Unde & discipulum suum Prædicator admonet, dicens: *O Timothee, depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates*. Dum enim laudari hæretici tamquam de excellenti ingenio cupiunt, quasi nova quædam proferunt, quæ in Patrum antiquorum libris veteribus non tenentur. Sicque fit ut dum videri sapientes desiderant, miseris auditoribus suis stultitiæ semina spargant.

INCIPIUNT CAPITULA
DE EPISTOLA II. B. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM.

1. NEmo militans Deo implicat se negotiis secularibus.
2. Prædica verbum, insta opportune, importune.
3. Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.
4. De reliquo, reposita est mihi corona justitiæ.

EXPOSITIO

SUPER EPISTOLAM II. B. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM.

CAPUT PRIMUM.

2.Tim. 2.4.

Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus.

De contemplatione habenda. In exposit. B. Job, lib. 5. num. 45.

SANCTI viri ab hujus mundi inquieta concupiscentia se penitus subtrahunt; ac terrenarum actionum strepitum deserunt; & per quietis studium ab exterioribus operibus cessantes, interna penetrare satagunt. Neque enim ad interna contemplanda perducuntur, nisi ab his quæ exterius implicant, studiose subtrahantur. Hinc est enim quod per semetipsam Veritas dicat: *Nemo potest duobus dominis servire*. Hinc Paulus ait: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, qui se probavit*. Hinc per Prophetam Dominus admonet, dicens: *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus*. Nequaquam enim interna notitia conspicitur, nisi ab externa implicatione cessetur: & mens nostra nullomodo ad vim intimæ contemplationis rapitur, nisi studiose prius a terrenorum desideriorum tumultu sopiatur.

Matt. 6.24. Psal. 45. 11.

CAPUT II.

2.Tim 4.2.

Prædica verbum, insta opportune, importune.

Doctores quomodo prædicare debeant. Regul. Past. par. 3. c. 4.

PRovidendum est intentione sollicita Rectoribus, ut ab eis non solum prava nullo modo, sed nec recta quidem nimie & ordinate proferantur: quia sæpe dictorum virtus perditur, cum apud audientium corda incautæ loquacitatis importunitate levigatur. Unde Paulus, cum discipulum de instantia prædicationis admoneret, dicebat: *Testificor coram Deo & Christo Jesu, qui judicaturus est vivos & mortuos, per adventum ejus, & regnum ipsius: Prædica verbum, insta opportune, importune*. Dicturus, *importune*, præmisit, *opportune*: quia scilicet apud auditoris mentem, ipsa sua utilitate se destruit, si habere importunitas opportunitatem nescit.

CAPUT III.

2.Tim. 4.2.

Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.

De mansuetis, & iracundia. Regul. Past. par. 3. c. 16.

MANSUETI Prælati debent studere, ut etiam æmulationem justitiæ habeant: iracundi vero ut æmulationi, quam se habere æstimant, mansuetudinem subjungant. Idcirco namque Spiritus sanctus in columba nobis, & igne monstratus est: quia videlicet omnes quos implet, & columbæ simplicitate mansuetos, & igne zeli ardentes exhibet. Nequaquam ergo Spiritu sancto plenus est, qui aut in tranquillitate mansuetudinis fervorem æmulationis deserit, aut rursum in æmulationis ardore virtutem mansuetudinis amittit. Quod fortasse melius ostendimus, si in medium Pauli ministerium proferamus: qui duobus discipulis, & non diversa caritate præditis, diversa tamen adjutoria prædicationis impendit. Timotheum enim admonens, ait: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina*. Titum quoque admonet, dicens: *Hæc loquere, & exhortare: & argue cum omni imperio*. Quid est quod doctrinam suam arte tanta dispensat, ut in exhibenda hac, alteri imperium, & alteri patientiam proponat, nisi quod mansuetioris spiritus Titum, & ferventioris vidit esse Timotheum? Illum itaque per æmulationis studium inflammat, hunc per lenitatem patientiæ temperat. Illi quod deest, jungit: huic quod superest, subtrahit: illum stimulo implere nititur, hunc freno moderatur. Leni quippe per auctoritatem imperii injungenda erat severitas verbi: is autem qui per spiritum fervebat, per patientiam temperandus fuerat; ne si plus justo fervesceret, non ad sanandum vulnera subjectorum reduceret, sed sana vulneraret. Nam sæpe verba quæ hunc ad sanandum revocant, alium vulnerant.

Lib. 2. in Ezech ho xi num. 15. Tit. 2.15.

CAPUT IV.

2.Tim. 4. 8.

De reliquo reposita est mihi corona justitiæ.

De fiducia retributionis æternæ. In exposit. B. Job, lib. 20. num. 37.

SANCTI viri quia fideliter Domini præceptis inserviunt, adventum illius spe certa præstolantur: extremum venire judicium, ostendi cælestem patriam, persolvi præmia justis appetunt. Sciendum enim est quod beatorum mens, quo duriora pro veritate tolerat, eo æternitatis præmia certius sperat: & tanto spes in Deum solidior surgit, quanto pro illo quisque graviora pertulerit. Labores quippe suos Sancti considerantes, mercedem retributionis quærunt: & causæ suæ meritum scientes, præsentiam Judicis expetunt: eumque ut veniat in flamma ignis, dans vindictam impiis, & contemplationis suæ speciem in retributione deferens piis, ardore summo concupiscunt. Labores ergo suos intuens Prædicator egregius dicit: *Ego enim jam delibor, & tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. De reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex*. Quia enim contra mala transeuntia sine defectu certaverat, de mansuris nimirum gaudiis, sine dubietate præsumebat: ubi & aperte subjungit: *Non solum autem mihi, sed & his, qui diligunt adventum ejus*. Ac si dicat: Sed & in omnibus, qui sibi de bona operatione sunt conscii. Adventum enim Judicis non diligunt, nisi qui in causa sua habere se justitiæ meritum sciunt. Nequaquam quippe gaudium, vel corona retributionis de æternitate colligitur, quod non hic prius pia tribulatione, & labore seminatur. Hinc Paulus ait: *Si commorimur, & convivemus: si sustinemus, & conregnabimus*. Hinc Sanctorum gloriam Angelus Johanni indicans, ait: *Sunt qui venerunt de tribulatione magna*. Hinc discipulos Paulus admonet, dicens: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Hinc iterum ait: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*. Ad coronam enim, & ad magna præmia pervenire non potest, nisi per magnos labores. Quemcumque ergo cælestium delectat magnitudo premiorum, non deterreat certamen laborum.

num. 36. 2.Tim. 2.11. Apoc. 7.14. Act. 14. 21. 2.Tim 2.5. Homil. 37. in Evang. n. 1.

IN-

INCIPIUNT CAPITULA

DE EPISTOLA I. B. PAULI APOSTOLI

AD THESSALONICENSES.

EXPOSITIO

SUPER EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI

AD THESSALONICENSES.

CAPUT PRIMUM.

Hebr. 2. 16.

Nusquam Angelos apprehendit.

Quibus ex causis Deus hominem perditum potuit, quam Angelum apostatam reparare disposuit.
In exposit. B. Job, lib. 2 num. c. 10. 11. & 12.

OMNIPOTENS Deus, sicut ex nihilo bona facere potuit, ita, cum voluit, per incarnationis suæ mysterium, etiam perdita bona reparavit. Duas autem ad intelligendum se creaturas fecerat, angelicam videlicet & humanam. Utramque vero superbia perculit, & ab ingenitæ statu rectitudinis dejecit. Sed una tegmen carnis habuit, alia vero nihil infirmum de carne gestavit. Angelus namque spiritus est solummodo: homo vero spiritus est & caro. Misertus ergo Creator, ut re- C dimeret illam, ad se debuit reducere, quam in perpetratione culpæ ex infirmitate constat aliquid habuisse. Et eo altius debuit apostatam Angelum repellere, quo cum a persistendi fortitudine corruit, nihil infirmum ex carne gestavit. Hinc enim scriptum est: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*. Idcireo namque Redemtor noster non Angelus, sed homo factus est: quoniam hoc proculdubio fieri debuit, quod redemit: ut & perditum Angelum non apprehendendo desereret, & hominem in semetipso apprehendendo repararet. Est adhuc aliud quo & perditus homo reparari debuit, & superbiens spiritus reparari non possit: quia nimirum Angelus sua malitia cecidit, hominem vero aliena prostravit. Humanum ergo genus ad pœnitentiam Redemtoris adventu reducitur, apostata vero Angelus ad restaurationem nulla spe veniæ, nulla conversionis emendatione revocatur. Sic quippe illum perpetratæ superbiæ cæcitas gravat, ut nequaquam ulterius ad lucem pœnitentiæ per divini respectus memoriam resurgat: nec ad veniam cum electis, nec ultra ad illa claritatis intimæ agmina superna redeat.

CAPUT II.

Hebr. 7. 10. *Per Abraham Levi decimatus est, adhuc enim in lumbis patris erat;*

De significatione lumborum.

LUMBORUM nomine propago moralitatis ex- B primitur, quia seminaria coitus viris in lumbis, feminis autem in umbilico inesse perhibentur. Hinc est quod Veritas discipulis dicit: *Sint lumbi vestri præcincti*. Hinc Petrus cum luxuriam a corde restringeret, admonebat, dicens: *Succincti lumbos mentis vestræ*. Propter quod etiam & de Levi dicitur: *quia adhuc in lumbis patris erat, cum Melchisedech occurrit Abrahæ*. Cum enim Paulus per Abrahæ sacrificium Melchisedech tempore Levi sacerdotium diceret decimatum, ubi tunc in Abrahæ corpore Levi lateret, ostendens, ait: *Adhuc enim in lumbis patris erat*.

In exposit. B. Job, lib. 32. num. 20
Luc. 12 35.
1. Petr. 1. 13.

CAPUT III.

Vivus est sermo Dei, & efficax. Hebr. 4. 12.

Quam subtiliter cogitationes nostras Deus attendit.
Lib. 2 in Ezech. hom. 9. n. 16. & 17.

ANTE omnipotentis Dei oculos, vel quæ bene gesta, vel quæ scienter sunt dicta, depereunt. Cum jam non amore Domini, sed intentione laudis transitoriæ fiunt. Sic etenim sæpe cogitationi bonę cogitatio sinistra subjungitur, ut vix ipse, qui easdem cogitationes generat, animus agnoscat. Unde Prædicator egregius, cum loquens subtiliter diceret: *Vivus est sermo Dei, & efficax, &* D *penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus;* illico subjungit: *compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis*. Distinguit enim sermo Dei compages, & medullas: quia discernit cogitationes, & intentiones cordis. Per compages quippe ossa ossibus junguntur, & sæpe dum quid recta cogitatione agimus, sed in laudis amore subito declinamus; & hoc pro laude facimus, quod prius facere pro veritate cœperamus: quia cogitationes cogitationibus adjunguntur, quasi quædam compages fiunt. Sed habent ossa quæ in compage juncta sunt, etiam medullas. Quod Prædica- E tor sanctus apertius intulit, cum subjungit: *Discretor cogitationum et intentionum cordis*. Compages Ibidem. enim nostræ cogitationes sunt, medullæ autem intentiones. Etenim aliud cogitamus, & aliud est quod per cogitationem intendimus. Nam si quis proposito nummorum præmio, pupilli vel viduæ cau-

causam defendat, & fortasse ecclesiam ingrediens in suis precibus Deo dicat: Tu vides, quia causam pupilli & viduæ defendo: iste proculdubio quæ cogitat scit, sed quod intendat ejus cogitatio, ignorat. Aliud quippe cogitat, atque aliud intendit: non enim defensionem pupilli, vel viduæ, sed mercedem nummmorum quærit. Nam tollit temporale præmium, & pupillum ac viduam non defendit. Sermo namque Dei discretor est cogitationum, & intentionum cordis, quia non aspicit quid apud temetipsum cogitas; sed per medullam compagis, id est per intentionem cogitationis, quid accipere requiris.

CAPUT IV.

Hebr. 9. 23. *Necesse est cælestium exemplaria his mundari.*

Quod; oportuit pro homine redimendo hominem sine peccato offerri. In exposit. B. Job, lib. 17. num. 46.

QUAMVIS simplici naturæ divinitatis non sit aliud esse, & aliud sapere, & aliud fortem esse: quippe quia ipsa fortitudo, quæ sapientia, & ipsa sapientia quæ divinitatis essentia est; Dominus tamen diabolum quantum ad faciem spectat, non virtute sed ratione superavit. Ipse namque diabolus nulla nos parentis primi radice supplantans, sub captivitate sua hominem quasi juste tenuit, qui libero conditus arbitrio ei injusta suadenti consensit. Ad vitam namque conditus in libertate propriæ voluntatis, sponte sua factus est debitor mortis. Delenda ergo erat talis culpa, sed nisi per sacrificium deleri non poterat. Quærendum erat sacrificium, sed quale sacrificium poterat pro absolvendis hominibus inveniri? Neque enim justum fuit, ut pro rationali homine brutorum animalium victimæ cæderentur. Unde ait Apostolus: *Necesse est ergo exemplaria cælestium his mundari:* ipsa autem cælestia melioribus hostiis quam istis. Ergo si bruta animalia propter rationale animal, id est pro homine, dignæ victimæ non fuerunt; requirendus erat homo, qui pro hominibus offerri debuisset, ut pro rationali peccante, rationalis hostia mactaretur. Sed quid quod homo sine peccato inveniri non poterat, & oblata pro nobis hostia, quando nos a peccato mundare potuisset, si ipsa hostia peccati contagio non careret? Inquinata quippe inquinatos mundare non posset. Ergo ut rationalis esset hostia, homo fuerat offerendus: ut vero a peccatis mundaret hominem, homo & sine peccato: sed quis esset homo sine peccato, si ex peccati commixtione descenderet? Proinde venit propter nos in utero Virginis Filius Dei: ibi pro nobis factus est homo. Sumta est ab illo natura, non culpa. Fecit pro nobis sacrificium corpus suum, exhibuit pro peccatoribus victimam sine peccato: quæ & humilitate mori, & justitia mundare potuisset. Hunc ergo cum post baptisma vidit antiquus hostis, mox tentationibus impetiit, & per diversos aditus ad ejus interiora molitus irrepere, est victus, atque ipsa inexpugnabilis mentis ejus integritate

num. 47. prostratus. Sed quia ad interiora non valuit, ad ejus se exteriora convertit: ut quia mentis virtute victus est, eum quem decipere tentatione non valuit, carnis saltem videretur morte superare: atque, ut ante dictum est, permissus est in illud, quod ex nobis mortalibus Mediator acceperat. Sed ubi potuit aliquid facere, ibi devictus est ex omni parte: & unde accepit exterius potestatem Dominicæ carnis occidendæ, inde interius potestas ejus, qua nos tenebat, occisa est. Ipse namque victus interius, dum quasi vicit exterius. Et qui nos jure debitores mortis tenuit, jure in nobis jus mortis amisit: quia per satellites suos ejus carnem perimendam appetiit, in quo nil ex culpæ debito invenit. Dominus ergo noster pro nobis mortem solvit indebitam, ut nobis mors debita non noceret. Antiquus autem hostis per excessum præsumtionis suæ eum etiam perdidit, quem iniquæ persuasionis lege possedit: & dum audacter eum, in quo nil sibi competebat, appetiit, jure illum quem quasi juste tenebat, amisit. Prudentia itaque non virtute devictus est, qui dum ad tentandum Deum solvitur, ab homine possidendo religatur: ut inde eum qui sub ipso erat perderet, unde cum illo qui super ipsum est, congredi præsumsisset.

CAPUT V.

Non deserentes collectionem vestram. Hebr. 10. 25.

QUI plene mortificationem suam appetunt, quanto fiunt ad finem viciniores, tanto se exhibent in opere ardentiores: laborando non deficiunt, sed magis ad usum labores crescunt: quia quo jam præmia propinquiora considerant, eo in opere delectabilius exsudant. Unde bene Paulus Apostolus quibusdam æternam patriam quærentibus, dicit: *Non deserentes collectionem vestram, sicut est consuetudinis quibusdam, sed consolantes; & tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem.* Laborantem quippe consolari, est pariter in labore persistere: quia sublevatio laboris est visitatio collaborantis; sicut cum in itinere comes jungitur, via quidem non abstrahitur, sed tamen de societate comitis labor itineris levatur. Dum itaque Paulus consolantes se in labore quæreret, adjunxit, dicens: *Tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem.* Ac si diceret: Eo labor crescat, quo jam præmia laboris appropinquant.

De ferventi perseverantia. In exposit. B. Job, lib. 5. num. 7

CAPUT VI.

Patres carnis nostræ habuimus eruditores, et reverebamur eos, nonne multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus? Hebr. 12. 9. & 10.

OMNES quos Dominus in hoc flagellat tempore, eo se debent Dei filios sentire, quo illos castigant flagella disciplinæ. Nisi enim correctis hereditatem dare disponeret, eos erudire per molestias non curaret. Hinc namque Dominus ad Johannem per Angelum dicit: *Ego quos amo, arguo et castigo.* Hinc rursum scriptum est: *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, cum ab eo argueris: quem enim diligit Dominus corripit: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Hinc Psalmista ait: *Multæ tribulationes justorum.* Hinc beatus quoque Job in dolore exclamans, ait: *Si justus fuero, non levabo caput, saturatus afflictione & miseria.* Considerare etiam debemus pro percipiendis hereditatibus terrenis, quam dura carnales filios disciplinæ flagella castigent. Quæ ergo nobis divinæ correptionis pœna gravis est, per quam & numquam amittenda hereditas percipitur, & semper mansura supplicia vitantur? Hinc etenim Paulus ait: *Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, et reverebamur eos: nonne multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus;*

De flagellis Dei. Regul. Pastor. part. 3. cap. 12.

Apoc. 3. 19. Prov. 3. 10.

Psal. 33. 20.

Job 10. 15.

vemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum secundum voluntatem suam erudiebant nos, hic autem ad id quod utile est, in recipiendo sanctificationem ejus. Quos ergo Dominus flagellat, sollicite patientiæ virtutem studeant servare: incessanter enim quanta Redemtor noster ab his quos creaverat, pertulit mala, debent considerare, quod tot abjecta convitiorum probra sustinuit: quod de manu hostis antiqui captivorum animas quotidie rapiens, insultantium alapas accepit: quod aqua nos salutis diluens, a perfidorum sputis faciem non abscondit: quod vocatione sua nos ab æternis suppliciis liberans, tacitus flagella toleravit: quod inter Angelorum choros nobis perennes honores tribuens, colaphos pertulit: quod a peccatorum nos punctionibus salvans, spinis caput supponere non recusavit: quod æterna dulcedine nos inebrians, in siti sua fellis amaritudinem accepit: quod qui pro nobis Patrem, quamvis divinitate esset æqualis, adoravit, sub irrisione adoratus tacuit: quod vitam mortuis præparans, usque ad mortem ipse vita pervenit. Cur itaque asperum creditur, ut homo toleret a Deo flagella pro malis, si tanta Deus ab hominibus pertulit mala pro bonis? Aut quis sanæ intelligentiæ de percussione sua ingratus existat, si hinc ipse sine flagello non exiit, qui sine peccato vixit?

CAPUT VII.

Hebr. 12. 24. *Sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.*

De distantia passionis Christi, & Abel. In exposit. B. Job, lib. 13. num. 26. Genes. 4. 10.

De Abel sanguine dixit Dominus ad Cain: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Ipse quoque qui sumitur sanguis redemtionis, clamor est nostri Redemtoris. Unde etiam Paulus dicit: *Et sanguinem aspersionis melius loquentem quam Abel.* Sanguis quippe Jesu melius loquitur quam Abel: quia sanguis Abel mortem fratricidæ fratris petiit, sanguis autem Domini vitam persecutoribus impetravit. Unde factum est ut Redemtoris nostri sanguinem, quem persecutores sævientes fuderunt, postmodum credentes lamberent, eumque Dei filium esse prædicarent.

CAPUT VIII.

Hebr. 12. 26. *Ego movebo non solum terram, sed etiam cælum.*

De tempestate divini examinis. In exposit. B. Job, lib. 21. num. 35.

Tempestas in mari cum oritur, prius leves undæ, & postmodum volumina majora concitantur: ad extremum fluctus se in alta erigunt, & navigantes quosque ipsa altitudine subvertunt. Sic sic nimirum extrema illa properat, quæ universum mundum subruat, tempestas animarum. Nunc enim bellis, & cladibus quasi quibusdam undis sua nobis exordia ostendit, & quanto ad finem quotidie propinquiores efficimur, tanto graviora irruere tribulationum volumina videmus. Ad extremum vero commotis omnibus elementis, supernus Judex veniens, finem omnium apportat: quia videlicet tunc tempestas fluctus in cælum levat. Unde & dicitur: *Adhuc modicum, & ego movebo non solum terram, sed etiam cælum.* Hanc

Agg. 2. 7.

tempestatem sancti viri vigilanter aspiciunt, & ex his tribulationibus, quæ mundum feriunt, prævident quæ sequuntur, atque extremi judicii adventum in tanta mente considerantes pertimescunt, supernæque majestatis vim ad judicium venientis, & terrorem tanti examinis considerantes, expavescunt. Quomodo autem depressura sunt Dei judicia eos qui se elevant, si & illos ad tempus aliquando deprimunt, qui hæc semper in humilitate formidant? Unde summopere formidandum est nobis illud examen tantæ districtionis. Constat autem quia in hac vita cum percussionem correptio sequitur, disciplina patris est, non ira judicis; amor corrigentis est, non districtio punientis. Ex ipso ergo præsenti verbere, judicia æterna pensanda sunt. Hinc etenim perpendere debemus quomodo feratur illa quæ reprobat, si ferri modo vix valet ejus ira, quæ purgat.

CAPUT IX.

Jesus extra portam passus est. Hebr. 13. 12.

Cur Dominus Jesus extra portam passus est. In expos. in 7 Psal. Pœnit. in Ps. 50. n. 9. num. 19.

Vaccam rufam a filiis Israel adductam præcepit Dominus Moysi, tradi Eleazaro Sacerdoti, qui eductam extra castra immolaret in conspectu Domini. Quid per vaccam rufam, nisi assumta ad sacrificium infirmitas dominicæ incarnationis rubra per cruorem passionis figuratur? Quid est quod hæc vacca ad immolandum Sacerdoti traditur, nisi quod incarnatus Dominus, qui pro redemtione nostra sacrificium semetipsum fecit, in Judaici populi manibus datur? Qui etiam extra castra in conspectu Domini immolatus est: quia videlicet extra portam passus est. Unde per Paulum dicitur: *Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Idcirco enim extra portam passus est, ut a conversatione nos vitæ præsentis, quasi a civitate foras duceret, & a terrena inhabitatione cor nostrum avellere persuaderet. In conspectu vero Patris immolatur, quia quod ante oculos hominum pœna, hoc ante oculos Patris fuit sacrificium.

CAPUT X.

Invisibilem tamquam videns sustinuit. Hebr. 11. 27.

De fide & timore Dei. In exposit. B. Job, lib. 19. num. 21.

Fide Moyses reliquit Ægyptum, non veritus animositatem Regis: invisibilem enim tamquam videns sustinuit. Perversi quippe in actionibus suis verentur homines, quos corporaliter vident, Deum sibi præsentem non æstimant esse, quem non vident. Quo contra in laude Moysis dicitur, dum Ægypti Regem contemneret, & Dei mandatis obediret: quia invisibilem tamquam videns sustinuit. Perversum quippe terræ principem quasi non vidit, quem ab oculis sui cordis abjecit. Regem vero invisibilem, tamquam videns sustinuit, qui ab ejus timoris intuitu mentis oculum non deflexit.

CAPUT XI.

Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Hebr. 11. 1.

Definitio fidei. Homil. 26. in Evang. n. 8. & 32. in Ev. num. 7.

Cum hoc Paulus Apostolus dicit, profecto liquet quia fides illarum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt. Quæ etenim apparent, jam non habent fidem, sed agnitionem. Nam quod obtutibus humanis visibiliter præsentatur,

tur, & poteſt videri, melius dicitur ſciri quam A credi.

CAPUT XII.

Hebr. 13.22.

Perpaucis ſcripſi vobis.

De diverſa Paſtorum prædicatione & humilitate ſubditorum. *Lib. 1. in Regist. ho. 11 num. 16.*

CUrandum eſt Paſtoribus quantum loquantur, ne ſi eis qui multa ferre non valent, verbum vel exhortationis vel increpationis longius trahant, auditores ſuos ad faſtidium perducant. Unde prædicator egregius loquitur, dicens: *Obſecro vos, fratres, ut ſufferatis verbum ſolatii, etenim* B *perpaucis ſcripſi vobis*. Hoc tamen infirmis præcipue congruit, ut pauca quidem, & quæ capere prævaleut, audiant, ſed quæ mentem eorum in pœnitentiæ dolore compungant. Nam ſi eis uno in tempore, exhortationis ſermo fuerit multipliciter dictus: quia retinere non valent multa, ſimul amittunt omnia. Si quando tamen ſermo prolixior tranſeat modum ſuum, hoc auditoribus non eſt periculoſum. Notandum eſt autem quod Paulus, dum mire Hebræos admoneret, de magnis quæ dixerat, humiliter ſentit, & dicta ſua verba ſolatii C vocavit. Auditoribus quidem ſuis humiliter multa dixerat, ſed de ipſa exhortatione humili, placare eos adhuc humilius ſatagebat. Epheſiis quoque Mileti valedicens, afflictis ac gementibus humilitatem ſuam ad memoriam revocat, dicens: *Vigilate memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non ceſſavi cum lacrymis monens unumquemque veſtrum*. Hinc ergo colligat, ſi quando aliquid recte ſentit, quanta humilitate debeat magiſtro loqui diſcipulus: ſi ipſe Magiſter Gentium in his quæ cum auctoritate prædicat, tam ſubmiſſe diſcipulos rogat. Hinc unuſquiſque colligat eis, a quibus bene vivendi exempla percipit, hoc quod bene intelligit, quam humiliter dicat, ſi Paulus illis humili ſe voce ſubdidit, quos ad vitam ipſe ſuſcitavit. Cum itaque quædam facta meliorum deterioribus diſplicent, nequaquam hoc quod mentem movet, eſt reticendum, ſed cum humilitate magna proferendum: quatenus intentio pie ſentientis, eo vere ſervet formam rectitudinis, quo per iter graditur humilitatis. Et libere ergo dicenda ſunt, quæ ſentimus, & valde humiliter proferenda, quæ dicimus, ne quæ recte intendimus, hæc elate proferendo non recte faciamus.

In expoſit. B. Job, lib. 5. n. 25. — *Act. 20. 31.* — *num. 25.*

INCIPIUNT CAPITULA

DE EPISTOLA B. JACOBI APOSTOLI

1. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.*
2. *Quicumque totam legem ſervaverit, &c.*
3. *Si autem frater aut ſoror nudi ſunt.*
4. *Fides ſine operibus mortua eſt.*
5. *Quæ deſurſum eſt, ſapientia primum pudica eſt.*
6. *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis.*
7. *Vita veſtra vapor eſt ad modicum parens.*
8. *Quicumque voluerit amicus eſſe hujus ſeculi, &c.*
9. *Qui converti fecerit peccatorem, &c.*

D

EXPOSITIO

SUPER EPISTOLAM B. JACOBI APOSTOLI

CAPUT PRIMUM.

Jac. 1.17.

Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum: apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.

De divina natura, quæ ſibi inhærentes reddit immutabiles. *In expoſit. B. Job, lib. 12. num. 38.*

OMnes Sancti per naturam in ſemetipſis habent E mutabilitatem propriam, ſed dum immutabilitatis ſtudioſe ſemper inhærere deſiderant, inhærendo agunt ut immutabiles fiant. Cumque ad hanc affectu toto ſe tenent, quandoque accipiunt ut ſuper ſemetipſos ducti, vincant hoc quod in ſemetipſis mutabiles extiterunt. Quid enim mutabilitas, niſi mors quædam eſt? Quæ dum rem quamlibet in aliud immutat, quaſi occidit quod fuerat; ut incipiat eſſe quod non erat.

1. Tim. 6. 16

Et de Auctore omnium ſcriptum eſt: *Qui ſolus habet immutabilitatem*: quia videlicet in ſemetipſo ſolus eſt immutabilis, de quo per Jacobum dicitur: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum: apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*. Ipſa enim mutabilitas umbra eſt, quæ quaſi obſcuraret lucem, ſi hanc per aliquas viciſſitudines permutaret. Sed quia in Deo mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra viciſſitudinis intercidit.

CAPUT II.

Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. *Jac. 2.10.*

De circumſpectione in cavendis malis. *In expoſit. B. Job, lib. 19. num. 32.*

VEſtimento, cum veſtimur, ex omni parte circumdamur. Ille ergo ex omni juſtitia ſicut veſtimento ſe bene veſtit, qui ſe undique bono opere protegit, & nullam partem actionis ſuæ peccato nudam relinquit. Nam qui in aliis actionibus juſtus eſt, in aliis injuſtus, quaſi hoc latus cooperuit, illud nudavit: nec jam bona ſunt opera, quæ ſubortis aliis pravis operibus inquinantur. Hinc enim per Salomonem dicitur: *Qui in uno offenderit, multa bona perdet*. Hinc Jacobus dicit: *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*. Quam videlicet ſententiam ſuam ipſe diligenter expoſuit, cum ſubjunxit: *Qui enim dixit*: Non *mœchaberis, dixit*: Non *occides*.

Eccleſ. 9 18.

Quod

Quod si non mœchaberis, occidas autem, factus es transgressor legis. Cordis igitur oculis circumquaque porrectis undique nobis exhibenda custodia est, ne mercedem, quam per has actiones colligimus, per alias amittamus; quia bona prodesse nequeunt, si non caventur mala quæ subripiunt.

CAPUT III.

Jac. 2. 15.

Si autem frater, & soror nudi sunt.

Dilectio nostra exhibenda est plus opere, quam sermone. In exposit. B. Job, lib. 21. num. 9.

SUNT nonnulli qui cum ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati, non eos, cum possunt, student rebus fulcire, sed blandis tantum sermonibus fovere; quos vehementer Jacobi prædicatio sancta reprehendit, dicens: *Si autem frater, aut soror nudi sunt, & indigent victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, & calefiamini & saturemini; non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit vobis?* Quos Johannes quoque Apostolus admonet, dicens: *Filioli mei, non diligamus verbo, nec lingua, sed opere & veritate.* Dilectio itaque nostra semper exhibenda est, & veneratione sermonis, & ministerio largitatis. Sunt vero nonnulli qui pietatis suæ viscera tendere usque ad incognitos nesciunt; sed solis, quos per assiduitatem notitiæ didicerint, miserentur: apud quos nimirum plus familiaritas quam natura valet, dum quibusdam necessaria non quia homines, sed quia noti sunt, largiuntur: sed apud piam mentem plus natura valet quam notitia. Nam & unusquisque qui indiget, eo ipso quo homo est, etiam incognitus non est.

1. Johan. 3. 18. Ibid. n. 31.

CAPUT IV.

Jac. 2. 26.

Fides sine operibus mortua est.

De veris, & falsis fidelibus. Homil. 25. in Evang. n. 9. Tit. 1. 16. 1 Johan. 2. 4

ILLE credit qui exercet operando quod credit. Quo contra de his qui fidem nomine tenus retinent, Paulus dicit: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Hinc per Johannem dicitur: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est.* Hinc Jacobus ait: *Fides sine operibus mortua est.* Hinc ad beatum Job de antiquo hoste generis humani Dominus dicit: *Absorbebit fluvium & non mirabitur; & habet fiduciam quod influat Jordanis in eos ejus.* Quis est enim per fluvium designatus, nisi humani generis fluxus? Quod videlicet genus ab ortu ad finem defluit, & quasi aquæ more usque ad competentem terminum ex carnis liquore percurrit. Quid per Jordanem, nisi baptizatorum forma signatur? Quia enim Jordanis flumine ipse auctor redemtionis nostræ baptizari dignatus est, recte Jordanis nomine, eorum multitudo exprimitur, qui intra sacramentum baptismatis tenentur. Antiquus igitur hostis generis humani fluvium absorbuit, quoniam ab origine mundi usque ad Redemtoris adventum, vix paucis electis evadentibus, in ventrem suæ malitiæ genus humanum traxit. De quo recte dicitur: *Absorbebit fluvium, & non mirabitur:* quia pro magno non habet, cum infideles rapit. Sed grave est valde quod subditur: *Et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus:* quia postquam infideles quosque a mundi origine rapuit, adhuc se posse decipere & fideles præsumit. Nam ore pestiferæ persuasionis eos quotidie devorat, in quibus a confessione fidei reproba vita discordat. Qui ergo ea quæ recta sunt recondita per fidem intelligit, sed tamen opera fidei tenere contemnit, incredulitatis redarguitur: quoniam ab eo quod se ostendit credere, vivendo reprobat.

Job 40. 18. Ibidem.

CAPUT V.

Quæ desursum est sapientia, primum pudica est. Jac. 3. 17.

De sapientia. Regul. Past. par. 3 c. 22.

SÆpe dum quosdam scientia major erigit, a ceterorum societate disjungit, & quasi quo plus sapiunt, eo a concordiæ virtute desipiscunt. Quibus recte per Jacobum dicitur: *Quod si zelum amarum habetis, & contentiones sunt in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse adversum veritatem. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Quæ autem desursum est sapientia, primum pudica est, deinde pacifica.* Pudica videlicet, quia caste intelligit: pacifica vero, quia per elationem se minime a proximorum societate disjungit.

CAPUT VI.

Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis. Jac. 4. 3.

De veris pauperibus. In exposit. B. Job, lib. 21. num. 25. Matt. 5. 3.

IN Scriptura sacra dici pauperes humiles solent: quia illi sunt veraciter pauperes, qui non sunt inflati superbiæ spiritu: quos aperte Veritas exprimit, cum dicit: *Pauperes spiritu.* Et proculdubio oportet ut eis incunctanter detur, quidquid ab eis cum humilitate requiritur, id est quod non ex desiderio, sed ex necessitate postulatur. Nam valde superbire est extra metas inopiæ aliquid desiderare. Unde & superbe petentibus Jacobi voce dicitur: *Petitis, & non accipitis, eo quod male peccatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.*

CAPUT VII.

Vita nostra vapor est, ad modicum parens. Jac. 4. 15.

De brevitate hujus vitæ. In exposit. B. Job, lib. 7. n. 45. Psal. 36. 10. Psal. 102. 17. Isa. 40. 6.

SANCTI viri, quia brevitatem hujus vitæ indesinenter aspiciunt, quasi quotidie morientes vivunt: & tanto se solidius mansuris præparant, quanto & nulla esse transitoria semper ex fine pensant. Hinc quippe Psalmista, veloci cursu fugere vitam peccatoris aspiciens, ait: *Pusillum adhuc, & non erit peccator.* Hinc iterum dicit: *Homo sicut fœnum dies ejus.* Hinc Isaias ait: *Omnis caro fœnum, & gloria ejus sicut flos feni.* Hinc mentes præsumentium Jacobus corripit, dicens: *Quæ est vita nostra? Vapor est ad modicum parens.* Immensum quippe est quod sine termino sequitur, & parvum est quidquid finitur. Longum nobis videri non debet, quod cursu ad occasum sui temporis tendit ut non sit: quod dum per momenta ducitur, ipsa hoc momenta sua, quæ differunt, impellunt: & unde teneri cernitur, inde arguitur ne teneatur.

CAPUT VIII.

Quicumque voluerit amicus esse seculi hujus, inimicus Dei constituitur. Jac. 4. 4.

De contemtu mundi admonitio. Homil. 1. in Evang. nu. 3.

QUI Deum diligunt, ex mundi percussionibus & ex ejus fine gaudere debent, atque hilarescere: quia videlicet eum, quem amant, mox inveniunt, dum transit is quem non amaverunt. Absit enim ut fidelis quisque, qui Deum videre

dere desiderat, de mundi percussionibus lugeat; quem finiri eisdem suis percussionibus non ignorat. Qui ergo appropinquante mundi fine non gaudet, amicum se illius esse testatur, & per hoc inimicus Dei esse convincitur. Optandum est autem amicis Dei citius de hoc mundo pergere, & ad gaudia cælestis patriæ, quam diligunt, breviore via pervenire. Quibus enim malis non mundus urgetur? Quæ nos tristitia, quæ adversitas non angustat? Quid est vita mortalis, nisi via? Et quale sit, fratres mei, perpendite, in labore viæ lassescere, & tandem eamdem viam nolle finire? Calcari, fratres, mundus debet ac despici, qui in annis prioribus velut in juventute viguit, ad propagandam humani generis prolem robustus fuit, salute corporum viridis, opulentia rerum pinguis. At nunc ipsa sua senectute deprimitur, & quasi ad vicinam mortem molestiis crescentibus urgetur. Nolite ergo, fratres mei, diligere, quem videtis diu stare non posse; præcepta apostolica in animo ponite, quibus nos admonet, dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: quia si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo.* Relinquat igitur omnia qui potest; qui autem relinquere omnia non potest, lavet lacrymis maculas peccatorum, eleemosynis tergat, sacris hostiis expleat. Singulariter namque ad absolutionem no- C

num. 5.

1 Johan. 2. v. 15. & 16.

Homil. 37. in Evang. n. 10.

num. 7.

A stram oblata cum lacrymis, & benignitate mentis, sacri altaris hostia suffragatur: quoniam is qui in se surgens a mortuis, jam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties hostiam ei suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus. Nolite ergo, fratres mei, possidere per desiderium, quæ adhuc minime reliquistis per usum. Spem in solo Redemtore figite, ad æternam patriam mente transite. Si enim in hoc mundo nihil amando possidetis, etiam possidendo cuncta reliquistis.

B

CAPUT IX.

Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum. Jac. 5. 20.

BEATUS Job dicit: *Benedictio perituri super me veniebat.* Benedictio quippe perituri super eum venit, qui peccatoris interitum præveniens, eum sanctis exhortationibus a culpæ fovea reducit. Si enim magnæ mercedis est eripere carnem a morte quandoque morituram, multo majoris est meriti liberare animam a morte in cælesti patria sine fine victuram.

De admonendis peccatoribus. In expos. B. Job, lib. 19. num. 31. Job 29. 13.

INCIPIUNT CAPITULA

DE PRIMA EPISTOLA B. PETRI APOSTOLI.

1 *IN hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam.*
2 *In quem desiderant Angeli prospicere.*
3 *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ.*
4 *Nemo vestrum patiatur quasi homicida.*
5 *Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum.*
6 *Si quis loquitur, quasi sermones Dei.*
7 *Tempus est ut incipiat judicium a domo Dei.*
8 *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.*

D

EXPOSITIO

SUPER I. EPISTOLAM B. PETRI APOSTOLI.

CAPUT PRIMUM.

Regeneravit nos in spem vivam, &c. in hereditatem incorruptibilem. 1 Petr. 1. 3.

ARENT corda hominum, quæ in hujus seculi spe peritura plantata, fiduciam æternitatis non habent: virent autem quæ illi hereditati inhærent, de qua Petrus Apostolus dicit: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem, conservatam in cælis.* Tanto enim verius quique virentes sunt, quanto in hereditatis immarcessibilis sorte cogitationis radicem figunt. Quisquis itaque intrinsecus arere formidat, aliena extrinsecus hujus mundi desideria fugiat: & æternam patriam appetens, in interna cordis plantatione virescat.

Quod quorumdam viriditas mentis sit spes æternæ hereditatis. In expos. B. Job, lib. 30. num. 80.

CAPUT II.

In quem desiderant Angeli prospicere. 1 Petr. 1. 12.

QUoniam de Deo per primum Ecclesiæ prædicatorem dicitur: *In quem desiderant Angeli prospicere*; sunt nonnulli qui nequaquam E Deum videre vel Angelos suspicantur, & tamen dictum per Veritatis sententiam scimus: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Numquid ergo aliud Veritas, aliud Prædicator insinuat Veritatis? Sed si sententia utraque confertur, quia sibi nequaquam discordet, agnoscitur. Deum quippe Angeli & vident, & videre desiderant, & intueri sitiunt, & intuentur: si enim sic videre desiderant, ut effectu sui desiderii minime perfruantur, desiderium sine fructu anxietatem habet, & anxietas pœnam. Beati vero Angeli ab omni pœna anxietatis longe sunt: quia numquam simul pœna, & beatitudo conveniunt. Rursum cum eos dicimus Dei visione satiari, quoniam, & Psalmista ait:

Deum Angeli semper vident, & videre desiderant. In expos. B. Job, lib. 18. num. 91. Matth. 18. 10.

Psal. 16. 15. ait : *Satiabor, dum manifestabitur gloria tua.* Considerandum nobis est quia satietatem solet fastidium subsequi. Ut ergo recte sibi utraque conveniant, dicat Veritas : *Quia semper vident* ; dicas Prædicator egregius : *Quia semper videre desiderant.* Ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur ; ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur : & satiantur sine fastidio, quoniam ipsa satietas ex desiderio semper accenditur.

CAPUT III.

1. Petr. 1. 13. *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, &c.*

De luxuria refrenanda. In exposit. B. Job, lib. 21. num. 5.

MALUM luxuriæ, aut cogitatione perpetratur aut opere. Per Moysen vero, luxuria perpetrata ; per Auctorem vero munditiæ, luxuria damnatur cogitata. Hinc est enim quod discipulis primus Ecclesiæ Pastor dicit : *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam.* Lumbos enim carnis succingere, est luxuriam ab effectu refrenare. Lumbos vero mentis succingere, est hanc etiam a cogitatione restringere.

CAPUT IV.

1. Petr. 4. 15. *Nemo vestrum patiatur quasi homicida,*

De patientia in injuriis ferendis. In exposit. B. Job, lib. 3. num. 41.

SANCTI viri, cum persecutionem foris intusque patiuntur, non solum in Dei injuriis minime excedunt, sed neque contra ipsos adversarios contumeliosa verba jaculantur. Quod dux bonorum recte Petrus admonet, dicens : *Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus.* Maledicus enim patitur, qui passionis suæ tempore, in sui saltem injuriam persecutoris effrenatur.

CAPUT V.

1. Petr. 4. 10. *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, &c.*

Qualiter quisque gratiam quam habet, impartire debeat. In exposit. B. Job, lib. 28. n. 22.

UNUSQUISQUE virtutes quas accepit, debet aliis impartire : & bonum quod alter habes, alteri debet impendere ; ut qui terrenam substantiam accepit, indigentis proximi inopiam subleves : qui doctrinæ gratia plenus est, ignorantis proximi tenebras verbo suæ prædicationis illustret : qui temporali potestate subnixus est, oppressos a molestiis relevet : qui prophetiæ spiritu plenus est, a vita proximi mala imminentia, bona suadendo, declinet : qui gratiam curationis accepit, intercessione sua salutem infirmantium pie & humiliter impendat : qui a terrenis actibus liber soli Deo vacare meruit, pro delinquentibus proximis exoret. Fit autem sæpe ut qui terrena
E substantia nimis occupatur, orationi quantum debet non invigilet ; & fit plerumque ut is qui ad exorandum Dominum cunctis mundi oneribus exutus vacat, sustentationem vivendi non habeat. Dives igitur alimentum & vestimentum pauperi porrigat, & pauper orationem suam animæ divitis impendat. Alius mihi verbum prædicationis exhibet, & lumine veritatis ex corde meo ignorantiæ tenebras expellis : ego autem illi, quia fortasse a mundi hujus potente opprimitur, solatium
A meæ defensionis impartior ; & hunc de violentis manibus evello. Unde bene primus Pastor admonet, dicens : *Estote prudentes, & vigilate in orationibus, ante omnia mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes : quia caritas operit multitudinem peccatorum : hospitales invicem sine murmurationibus, unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes.* Sic enim Creator noster, ac dispositor cuncta moderatur, ut dum singula quæque sunt omnium, interposita quadam caritatis necessitudine, fiant omnia singulorum : & unusquisque sic, quod non accepis, in altero possideat, ut ipse alteri possidendum, quod accepit, humiliter impendat. Hinc per Paulum dicitur : *Per caritatem servite invicem.* *Galat. 5. 13.* Tunc enim nos caritas a jugo
B culpæ liberos reddit, cum vicissim nos nostro servitio per amorem subjicit, cum & aliena bona nostra credimus, & nostra quasi aliis sua offerentes exhibemus. Quia enim bona nostra non a nobis sunt, sed ab eo hæc accepimus, a quo factum est ut essemus : tanto nobis ea non debemus retinere privata, quanto nobis ea conspicimus ab Auctore nostro ad communem utilitatem data. Unde recte Petrus in exhortatione hujus rei subdidit, dicens : *Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Tunc namque bene multiformis gratia Dei dispensatur, quando acceptum donum, & ejus qui hoc non habet, creditur, quando propter eum cui impenditur, sibi datum putatur. Unde adhuc Petrus adjecit : *Si quis loquitur, quasi sermones Dei:* *Ibidem.*
C *si quis ministrat, tamquam ex virtute quam administrat Deus.* Ac si aperte dicat : Humiliter impendite bonum proximis : quia scitis vos, non a vobis esse quod habetis.

CAPUT VI.

Si quis loquitur, quasi sermones Dei. *1. Petr. 4. 11.*

De iis qui verbum Dei administrant. Regul. Past. par. 3. c. 24.

QUI verba Dei non loquuntur humiliter, considerare debent quod per primum Pastorem scriptum est : *Si quis loquitur, quasi sermones Dei.* Qui ergo verba quæ proferunt, ex propriis non habent, cur quasi de propriis tument ? Iterum scriptum est : *Sicut ex Deo coram* *2. Cor. 2. 17.*
D *Deo in Christo loquimur.* Ex Deo enim coram Deo loquitur, qui prædicationis verbum, quoniam a Deo accepit, intelligit, & placere per illud Deo non hominibus quærit. Rursus scriptum est : *Abominatio Domini est omnis arrogans* ; quia videlicet dum in verbo Dei gloriam propriam quærit, *Prov. 16. 5.* jus dantis invadit : eumque laudi suæ postponere nequaquam metuit, a quo hoc ipsum quod laudatur, accepit.

CAPUT VII.

Tempus est ut incipiat judicium a domo Dei. *1. Petr. 4. 17. In exposit. B.*

De iis qui nihil hic patiuntur pro Deo, quod durius judicandi sunt. Job, lib. 9. num. 15. Apoc. 3.

EX electorum vita nunc & labore cognoscere possumus, si emendari, dum tempus est, nolumus, quanta post animadversione feriamur. Electos quippe Dei cernimus, & pia agere, & crudelia multa tolerare. Electorum quippe est hic conteri, ut ad præmia debeant æternæ hereditatis erudiri. Electorum est hic flagella percipere, quibus servatur de æternitate gaudere. Hinc ad Johannem dicitur : *Ego quos amo, arguo & castigo.* Hinc Petrus ait : *Tempus est, ut incipiat judicium a domo Dei.* Ubi mox admirando subjunxit : *Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio?*

lio? Hinc ergo colligitur, districtus Judex quanta A feriat illic districtione quos reprobat, si hic sic cruciat quos amat.

CAPUT VIII.

1. Petr. 5. 1. 2. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.*

De Prælatis qui subditis corporalia procurare negligunt. Regul. Past. par. 2. c. 7.

NOnnulli curam gregis suscipiunt, qui cum curare corporalia funditus negligunt, subditorum necessitatibus minime concurrunt. Quorum nimirum prædicatio plerumque despicitur: quia dum delinquentium facta corripiunt, sed tamen eis necessaria præsentis vitæ non tribuunt, nequaquam libenter audiuntur. Regentis etenim cor doctrinæ sermo non penetrat, si hunc B apud ejus animum, manus misericordiæ non commendat. Unde primus Pastor sollicite admonet, dicens: *Seniores qui in vobis sunt, obsecro, consenior & testis Christi passionum, qui & ejus quæ in futuro revelanda est gloriæ communicator: Pascite qui in vobis est, gregem Dei.* Qui in hoc loco utrum pastionem cordis an corporis suaderet aperuit, cum subjunxit: *Providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie.* Ibidem. Quibus profecto verbis Pastoribus præcavetur, ne dum subjectorum inopiam satiant, se mucrone ambitionis occidant; ne cum per eos carnis subsidiis reficiuntur proximi, ipsi remaneant a cælesti pane jejuni. Hanc Pastorum sollicitudinem Paulus excitat, dicens: *Qui suorum, & maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* 1. Tim. 5. 8. Unde Rectori necesse est ut interiora possit infundere, innoxia cogitatione etiam exteriora providere. Sic itaque Pastores erga interiora subditorum suorum studia ferveant, quatenus in eis exterioris quoque vitæ providentiam non relinquant. Nam quasi jure, ut diximus, a percipienda prædicatione gregis animus frangitur, si exterioris cura subsidii a Pastore negligatur.

INCIPIUNT CAPITULA

DE EPISTOLA II. B. PETRI APOSTOLI.

1 *Ministrate in abstinentia patientiam.* C
2 *Habemus firmiorem propheticum sermonem.*
3 *Deus Angelis peccantibus non pepercit.*
4 *Loth aspectu, & auditu justus erat.*
5 *Balaam asina corripuit.*
6 *Paulus secundum datam sapientiam scripsit vobis.*

EXPOSITIO

SUPER EPISTOLAM II. B. PETRI APOSTOLI.

CAPUT PRIMUM.

2. Petr. 1. 5. *Ministrate in scientia abstinentiam: in abstinentia autem patientiam.*

De abstinentibus. Regul. Past. par. 3. c. 19.

ABSTINENTES sollicite semper debent considerare ne cum gulæ vitium fugiunt, acriora his vitia quasi ex virtute generentur; ne cum carnem macerant, ad impatientiam spiritus erumpat. Unde Petrus admonet, dicens: *Ministrate in fide vestra virtutem; in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam.* Mentes enim abstinentium plerumque impatientia a sinu tranquillitatis excutit. Et ideo cum dixisset: *In scientia autem abstinentiam,* protinus vigilanter adjunxit, dicens: *In abstinentia autem patientiam.* Deesse quippe abstinentibus patientiam prævidit, quæ eis ut adesset, admonuit: quia nulla virtus est quod caro vincitur, si spiritus ab ira superatur.

CAPUT II.

2. Petr. 1. 19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem.*

Quod Prophetæ, & vetus Testamentum sit nostræ fidei fundamentum.

IN constructione tabernaculi, ut argenteæ columnæ interius immobiles starent, æreí paxilli exterius fixi, funes quibus ligarentur, continebant: quia videlicet tamquam paxilli Patres Testamenti veteris & Prophetæ, ante tempus sanctæ Ecclesiæ, id est exterius fixi fuerunt: qui columnas interius in ea stantes, id est sanctos Apostolos, & prædicatores funibus verborum suorum in soliditate fidei stringerent, atque ligarent: quia dum cælestia mysteria ventura prædicant, hæc postquam ostensa sunt, omnibus credibilia fecerunt, & per eorum prædicationem Apostoli sancti Dominicæ incarnationis mysterium firmiter & perfecte crediderunt. Unde recte quoque ipse primus Apostolorum, magna scilicet veri tabernaculi columna loquitur, dicens: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Lib. 2. in Ezech. ho. 3. num. 17. In quibus verbis indicat, quanto ad altiora surrexit ex cacumine, ubi religata persistat in fide. Scriptura autem prophetici sermonis, in tenebris vitæ præsentis facta est nobis lucerna, & lumen itineris. Unde Psalmista dicit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lumen semitis meis.* Ps. 118. 105. Quæ tamen lucerna prophetici sermonis, jam quidem intelligentibus lucet, sed adhuc non intelligentibus, cooperta allegoriarum obscuritatibus permanet. Unde etiam per Psalmistam de eisdem dictis Prophetarum dicitur: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris:* Lib. 1. in Ezech. ho. 6. num. 1. Psal. 17. 12. quia videlicet occulta est scientia in Prophetis.

CA-

CAPUT III.

Deus peccantibus Angelis non pepercit. (2. Petr. 2. 4.)

(De appellatione inferni. In expos. B. Job, lib. 5. num. 39.)

QUANTUM ad sublimitatem cæli, hujus aeris spatium non immerito potest infernus dici. Unde cum apostatæ Angeli a cælestibus sedibus in hoc caliginoso aere sunt demersi, Petrus Apostolus dicit: *Deus peccantibus Angelis non pepercit, sed carceribus caliginosis inferni retrudens, tradidit in judicio cruciandos reservari.* Quantum igitur ad celsitudinem cæli, aer iste caliginosus infernus est; sic etiam, quantum ad ejusdem aeris altitudinem, terra quæ inferius est, intelligi & infernus profundus potest. Malignus itaque spiritus de superioribus in hæc inferiora dejectus, ne ad cælestia evolare prævaleat, pœnæ suæ pondere coarctatur; hic quasi in carcere adstringitur, quia tentare bonos quantum desiderat, prohibetur: ut & implere mala quæ appetit, nequeat, superna districtione angustatur.

CAPUT IV.

Loth aspectu & auditu justus erat. (2. Petr. 2. 7.)

(Ille perfecte bonus est, qui & inter malos bonus est. In expos. B. Job, lib. 1. num. 1.)

NON est valde laudabile bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim gravioris est culpæ inter bonos bonum non esse: ita immensi est præconii bonum etiam inter malos extitisse. Hinc Petrus magis Loth laudibus extulit, quia bonum inter reprobos invenit, dicens: *Et justum Loth oppressum a nefandorum injusta conversatione eripuit.* Aspectu enim & auditu justus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam justi iniquis operibus cruciabant. Qui nimirum cruciari non posset, nisi prava propinquorum opera & audiret & cerneret. Et tamen aspectu justus dicitur: quoniam iniquorum vita, non delectando justi aures atque oculos, sed feriendo tangebat. Hinc Paulus discipulis ait: *In medio nationis pravæ & perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* (Philip. 2. 15.) Hinc Angelo Pergami Ecclesiæ dicitur: *Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.* (Apoc. 2. 13.) Hinc sancta Ecclesia Sponsi voce laudatur, cum ei in amoris Cantico dicitur: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* (Cant. 2. 2.) Bene ergo justus Loth inter iniquos vixisse dicitur, ut juxta Sponsi præconium inter spinas lilium crevisse monstretur.

CAPUT V.

Balaam asina corripuit. (2. Petr. 2. 16.)

(Multum prodest ad illuminationem cordis, corporis infirmitas. Reg. Past. par. 3. c. 12.)

MAgna salus est cordis, molestia corporis, quæ ad cognitionem sui mentem revocat: & quæ plerumque salus abjicit, infirmitatis memoria reformat: ut animus qui extra se in elationem ducitur, cui sit conditioni subditus, ex percussa quam sustinet, carne memoretur. Quod recte per Balaam, si tamen vocem Dei subsequi obediendo voluisset, in ipsa ejus itineris retardatione signatur. Balaam namque pervenire ad propositum tendit, sed ejus votum animal, cui præsedit, præpedit. Prohibitione quippe immorata asina Angelum videt, quem humana mens non vidit: quia plerumque caro per molestias tarda, flagello suo menti Deum indicat, quem mens ipsa carni præsidens non videbat: ita ut anxietatem spiritus in hoc mundo proficere cupientis, velut iter tendentis impediat, donec ei invisibilem, quia sibi obviat, innotescat. Unde & bene per Petrum dicitur: *Correptionem habuit suæ vesaniæ subjugale mutum, quod in hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ insipientiam.* (2. Petr. 2. 16.) Insanus quippe homo a subjugali muto corripitur, quando elata mens humilitatis bonum quod tenere debeat, ab afflicta carne memoratur. Sed hujus correptionis donum idcirco Balaam non obtinuit, quia ad maledicendum pergens, vocem non mentem mutavit.

CAPUT VI.

Paulus secundum datam sapientiam scripsit vobis. (2. Petr. 15. 3.)

(De exemplo humilitatis in Petro, & auctoritatis in Paulo. Lib. 2. in Ezech. hom. 6. n. 9.)

QUI vult prava agere, & tamen ad hæc ceteros tacere, ipse sibimet testis est, quia plus veritate se appetit diligi, quam contra se non vult defendi. Nemo quippe est qui ita vivat, ut aliquatenus non delinquat. Ille ergo seipso amplius veritatem desiderat amari, qui sibi a nullo vult contra veritatem parci. Licet enim quædam justa & recta ut sunt, prospiciamus: aliud sicut est comprehendimus, & aliud ignoramus. Petrus tanto fidei, tanto miraculorum fulgore claruerat, & tamen conversis Gentibus, dum circumcisionis pondus imponeret, quid recte diceres curabat. Quia ergo sibi contra veritatem parci noluit, increpationem Pauli libenter accepit. Paulus quippe qui se Legi mortuum per Legem dicit, quia ut in Christo crederet, hoc ei Lex ipsa præjudicavit, magno fidei succensus ardore, præcepta Legis tenere carnaliter noluit, circumcisionem in Gentibus fieri vetuit. Et cum Petrus Apostolus servari adhuc in circumcisione Legis consuetudinem vellet; in faciem restitit, eumque hac in re fuisse reprehensibilem dicit: & in hoc ejus studium discipulis loquens, non solum culpam, sed, quod majus est, hypocrisim, id est simulationem nominat, dicens: *Cum venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* (Galat. 2. 11.) Et paulo post: *Et simulationi ejus consenserunt ceteri Judæi.* Idem vero Apostolorum primus cum multa discipulos admoneret, & a quibusdam detrahi Pauli scriptis cognosceret, dixit: *Sicut carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, loquens in eis de his in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Ecce Paulus in Epistolis suis scribit Petrum reprehensibilem. Ecce Petrus in Epistolis suis asserit Paulum in his quæ scripserat, admirandum. Certe enim nisi legisset Petrus Pauli Epistolas, non laudasset. Si autem legit; quia illic ipse reprehensibilis dicitur, invenit. Amicus ergo veritatis laudavit; etiam quod reprehensus est, atque ei & hoc ipsum placuit: quia in his non placuerat, quæ aliter quam debuerat sensit. Seque etiam minori fratri ad consensum dedit, atque in eadem re factus est sequtor minoris sui, ut etiam in hoc præiret: quatenus qui primus erat in Apostolatus culmine, esset primus & in humilitate. Pensate ergo, fratres carissimi, in quo mentis vertice stetit, qui illas Epistolas laudavit, in quibus se scriptum vituperabilem invenit. Quæ illa esse tanta mansuetudo potuit, quæ quies animi, quæ soliditas mentis & imperturbatio cogitationis? Ecce a minore suo reprehenditur & reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam revocat quod primus in apostolatum vo-

vocatus est, non quod claves regni cælestis accepit, non quod peccata quæcumque in terra solveret, essent soluta in cælo; non quod in mari pedibus ambulavit, non quod paralyticos in Jesu nomine jubendo erexerat, non quod ægros corporis sui umbra sanaverat, non quod mentientes verbo occiderat, non quod mortuos oratione suscitabat. Ne igitur increpationis verba dedignaretur audire, omnia dona quæ acceperat quasi a memoria repulit, ut unum fortiter humilitatis donum teneret. Quis ergo nostrum si vel extremum aliquod signum fecisset, a minore fratre increpatus, increpationis verba patienter audiret? Nil enim signi fecimus, & si quis nos fortasse de actione nostra reprehenderit, statim intumescimus, magnos quosdam nos taciti cogitamus, virtutes nobis ad animum deducimus, etiam quas non habemus. At contra Petrus cum virtutibus humilis in reprehensione permansit. (num. 10.) Sed sunt nonnulli qui non Petrum Apostolorum Principem, sed quemdam alium eo nomine, qui a Paulo est reprehensus, accipiunt: qui si Pauli Apostoli studiosius verba legissent, ista non dicerent. Dicturus etenim Paulus: *Cum venisset Petrus Antiochiam, in faciem ejus restiti*; (Galat. 2. 11) ut de quo Petro loqueretur, ostenderet, in ipso suæ narrationis initio præmisit, dicens: *Creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis. Qui enim operatus est Petro in apostolatu circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes.* (Ibid. v. 7. 8.) Patet ergo de quo Petro Paulus loquitur, quem & Apostolum nominat, & præfuisse Evangelio circumcisionis narrat. Et fuerunt quidam, (num. 11.) qui secundam Petri Epistolam, in qua Epistolæ Pauli sunt laudatæ, dicerent ejus non fuisse. Sed si ejusdem Epistolæ verba pensare voluissent, longe aliter sentire potuissent. In ea quippe scriptum est: *Voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* (Ibidem. 2. Petr. 1. 17.) Atque subjungitur: *Et hanc vocem nos audivimus, cum essemus cum ipso in monte sancto.* Legant itaque Evangelium, & protinus agnoscent, quia cum vox ista de cælo venit, Petrus Apostolus cum Deo in monte stetit. Ipse ergo hanc Epistolam scripsit, qui hanc vocem in monte de Domino audivit. Caritas autem in Petro, & minis terrentium Principum fortiter restitit, (In exposit. B. Job, lib. 10. num. 9.) & in circumcisione submovenda minorum verba humiliter audivit. Caritas etiam in Paulo, manus persequentium humiliter pertulit, & tamen in circumcisionis negotio longe se imparis prioris sensum audenter increpavit.

INCIPIUNT CAPITULA

DE EPISTOLA I. B. JOHANNIS APOSTOLI.

EXPOSITIO

SUPER EPISTOLAM I. B. JOHANNIS APOSTOLI.

CAPUT PRIMUM.

Si dixerimus, quia peccatum non habemus, &c. (1. Johan. 1. 8.)

(In hac vita nemo potest esse absque peccato. In exposit. B. Job, lib. 18. num. 71.)

HOMINES justi quamvis in hac vita ex magna justitiæ claritate resplendeant, nequaquam tamen ad purum sordibus peccatorum carent, Johanne Apostolo attestante, qui dicit: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Affirmat id quoque Jacobus qui adstruit, dicens: *In multis enim offendimus omnes.* (Jacob. 3. 2.) Propheta enim deprecatur, dicens: *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* (Psal. 142. 2.) Homines enim justi quamdiu in hac carne corruptibili mortaliter vivunt, justi quidem esse possunt, sed contagio culpæ omnino carere non possunt: *Quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam: & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* (Sap. 9. 15.)

CAPUT II.

Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, &c. (1. Johan. 2. 1.)

(Ut perfectorum lacrymas, & virtutes imitemur. Lib. 1. in Ezech. ho. 7. num. 24.)

NEcesse est ut nos qui parvuli adhuc sumus, perfectorum semper & virtutes, & lacrymas ante nostræ mentis oculos ponamus. Imitemur quæ in illis aspicimus, ut dum cœperimus per incrementa crescere, possimus ab illo districto examine mala quæ fecimus, velare. In assiduis enim fletibus, in quotidiana nostra pœnitentia habemus Sacerdotem in cælis, qui interpellat pro nobis, de quo etiam per Johannem dicitur: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* (1. Johan. 2.) Ecce exultat animus, cum advocati nostri potentiam audimus, sed exultationem nostram iterum remordet timor: quia ipse qui nobis advocatus est, dicitur justus. Nos enim justitiæ causas habemus, ju-

stus

stus vero advocatus injustas causas nullomodo suscipit, nec verba dare pro injustitia consentit. Quid igitur agimus, carissimi fratres mei? Sed ecce occurrit animo quid agamus: mala quæ fecimus, & defleamus, & accusemus. Scriptum est: *Justus in principio accusator est sui*. (Prov. 18. 17.) Quilibet etenim peccator conversus in fletibus, jam esse justus inchoat, cum cœperit accusare quod fecit. Cur enim justus non sit, qui contra suam injustitiam jam per lacrymas sævit? Justus igitur advocatus noster justos nos defendet in judicio, quia nosmetipsos, & cognoscimus, & accusamus injustos. Non ergo in fletibus, non in nostris actibus, sed in advocati nostri allegatione confidamus.

CAPUT III.

1. Johan. 2. 4. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est.*

Vera fides, non verbis, sed operibus comprobatur. Homil. 29. in Evang. nu. 3. Tit. 1. 16.

VERA fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est quod quibusdam falsis fidelibus Paulus ait: *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant*. Hinc Johannes ait: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est*. Quod cum ita sit, fidei nostræ veritatem in vitæ nostræ consideratione debemus agnoscere. Tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus complemus. In die quippe baptismatis, omnibus nos antiqui hostis operibus, & omnibus pompis abrenuntiare promisimus. Itaque unusquisque vestrum ad considerationem suam mentis oculos reducat, & si servat post baptismum quod ante baptismum spopondit, certus jam quia fidelis est, gaudeat. Sed ecce quod promisit, minime servavit; sed ad exercenda prava opera, ad concupiscendas mundi pompas dilapsus est: videamus si jam scit plangere quod erravit. Apud misericordem namque Judicem, nec ille fallax habebitur, qui ad veritatem revertitur, etiam postquam mentitur: quia omnipotens Deus dum libenter nostram pœnitentiam suscipit, ipse suo judicio hoc quod erravimus, abscondit.

CAPUT IV.

1. Johan. 2. 15. *Nolite diligere mundum.*

Simul se non capiunt in homine amor Dei, & cupiditas seculi. In exposit. B. Job, lib. 18. num. 16. Lib. 1. in Ezech. ho. 7. num. 17.

ESSE sine delectatione anima numquam potest: nam aut infimis delectatur, aut summis. Et quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto majori studio torpescit ad infima: quantoque acriori cura inardescit ad infima, tanto torpore damnabili frigescit a summis: utraque enim simul & æqualiter amari non possunt. Unde Johannes Apostolus sciens inter spinas amorum secularium, supernæ caritatis messem germinare non posse, priusquam æterni amoris semina proferat, de cordibus audientium, sancta verbi manu, secularium amorum spinas eradicat, dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*. Qui mox rationem subdidit, quare? *Quia si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo*. Ac si aperte dicat: Utrique se amores in uno corde non capiunt, nec in eo seges supernæ caritatis pullulat, in quo illam spinæ infimæ delectationis necant. Qui eamdem rationem protinus subdit, & ipsas ex hac infima delectatione nascentes enumerat punctiones, dicens: *Quia omne quod* (1. Johan. 2. 16) A *in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*. Ideo enim habere aliquid omnes, & ultra quam necesse est concupiscunt, ut habendo superbiant, & quia hoc alius non habet, se in cogitationibus extollant. Qui igitur terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur: *Nemo enim potest duobus dominis servire*: (Matt. 6. 24.) quia non valet simul transitoria & æterna diligere. Si enim æternitatem diligimus, cuncta temporalia in usu, non in effectu possidemus.

CAPUT V.

Nunc Antichristi multi facti sunt. 1. Johan. 2. 18

B De membris Antichristi. In exposit. B. Job, lib. 29. num. 15.

SURGENTE Antichristo, iniquorum capite, in sanctæ Ecclesiæ persecutione, multi qui nunc ore sunt pii, & corde sunt impii, publicata malitia, corruent; & fidem quam specietenus tenuerant, perdent. Nemo autem idcirco se a tali occasu extraneum credat, quia ad illius tentationis procellam se pervenire non existimat. O quanti tentationis illius tempora non viderunt, & tamen in ejus tentationis procella versantur! Cain tempus Antichristi non vidit, & tamen membrum Antichristi per meritum fuit. Judas sævitiam persecutionis illius ignoravit, & tamen viribus crudelitatis ejus, avaritia suadente, succubuit. Simon divisus longe ab Antichristi temporibus C extitit, & tamen ejus se superbiæ miraculorum potentiam perverse appetendo conjunxit. Sic iniquum corpus suo capiti, sic membris membra junguntur; & cum in cognitione se nesciunt, ei tamen prava actione copulantur. Unde fit ut in suis operatoribus ipse iniquorum auctor Antichristus jam appareat, qui necdum venit. Hinc Johannes ait: *Filioli, novissima hora est; & sicut audistis quia Antichristus venit: nunc Antichristi multi facti sunt, unde scimus, quia novissima hora est*. (1. Johan. 2. 18) Nunc quippe Antichristi multi facti sunt; quoniam omnes iniqui jam ejus membra sunt, quæ scilicet perverse edita, caput suum male vivendo prævenerunt. Inter hæc necesse est ut unusquisque nostrum ad cordis sui secretum redeat, & actionis D suæ damna pertimescat, ne meritis exigentibus per districtam justitiam judiciorum Dei in talium hominum numerum currat.

CAPUT VI.

Unctio ejus docet vos de omnibus. 1. Johan. 2. 27.

De ædificatis gratia Spiritus sancti. Homil. 30. in Evang. n. 3.

NISI Spiritus sanctus cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat quod ex ore docentis intelligit: quia nisi sit intus qui doceat, lingua doctoris exterius in vanum laborat. Ecce unam loquentis vocem omnes pariter auditis, nec tamen pariter sensum auditæ vocis percipitis. Cum ergo non sit E vox dispar, cur in cordibus vestris dispar est vocis intelligentia, nisi quia per hoc quod vox loquentis communiter admonet, est magister interior, qui de vocis intelligentia quosdam specialiter docet? De hac igitur unctione sancti Spiritus per Johannem dicitur: *Sicut unctio ejus docet vos de omnibus*. Per vocem ergo non instruitur, quando mens per Spiritum sanctum non ungitur. Libet oculos fidei in virtute opificis hujus attollere, sparsimque Patres (num. 8.) Testamenti novi ac veteris considerare. Ecce apertis eisdem oculis fidei David, Amos, Danielem, (1. Reg. 16.)

Amos 7. Dan. 13. Matth. 4. Act. 9. Luc. 5.

Petrum, Paulum, Matthæum intueor, & sanctus iste Spiritus qualis sit artifex considerare volo, sed in ipsa mea consideratione deficio. Implet namque cytharedum puerum, & Psalmistam facit. Implet Pastorem armentarium sycomoros vellicantem, & Prophetam facit. Implet abstinentem puerum, & Judicem senem facit. Implet piscatorem, & prædicatorem facit. Implet persecutorem, & Doctorem Gentium facit. Implet Publicanum, & Evangelistam facit. O qualis est artifex iste Spiritus! nulla ad discendum mora agitur in omne quod voluerit; mox ut tetigerit, mentem docet, solumque tetigisse, docuisse est. Nam humanum animum subito ut illustrat, immutat: abnegat hunc repente quod erat, exhibet repente quod non erat.

CAPUT VII.

Similes ei erimus. 1. Johan. 3. 2.

De immutatione electorum in speciem divinæ claritatis. Lib. 1. in Ezech. ho. 2. num. 20.

SANCTI omnes ut ad sanctitatis virtutem surgere valeant, ad similitudinem Mediatoris Dei & hominum Jesu Christi tendunt. Sancti etenim non essent, si hujus hominis similitudinem non haberent. Intantum vero quisque Sanctus ad similitudinem hujus hominis ducitur, inquantum vitam sui Redemtoris imitatur. Post hanc autem similitudinem, quæ nunc moribus tenetur, quandoque ad similitudinem gloriæ pervenietur. Hinc etenim Johannes dicit: *Carissimi nunc filii Dei sumus; & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus.* Qui mox unde hoc fieri valeat, adjungit, dicens: *Quoniam videbimus eum sicuti est.* Esse etenim Dei, est æternum hunc atque incommutabilem permanere. Nam omne quod mutatur, desinit esse quod fuit, & incipit esse quod non fuit. Dei vero esse, est dissimiliter numquam esse. Unde ad Moysen dicitur: *Ego sum qui sum; & dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* (Exod. 3. 14.) Jacobus quoque ait: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* (Jacob. 1. 17.) Itaque per Johannem dicitur: *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*: quia per hoc quod aspicimus ejus essentiam naturæ, a mutabilitate nostra liberati, figimur in æternitatem. Immutabimur quippe in ipso; quem videbimus: quia morte carebimus, videndo vitam: mutabilitatem nostram transcendemus, videndo immutabilitatem: corruptione nulla tenebimur, videndo incorruptionem. Erit autem tunc similitudo hominis etiam in corporibus nostris. (num. 21.) Hinc enim per Paulum dicitur: *Nostra conversatio in cælis est; unde etiam expectamus Salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum: qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* (Philip. 3. 20.) Erunt ergo tunc electorum corpora claritati Dominici corporis configurata. Quæ etsi æqualitatem gloriæ ejus non habent per naturam, similitudinem tamen configurationis ejus habent per gratiam: quia utique similitudo vitæ ejus nunc in moribus trahitur electorum, & in resurrectione sequetur similitudo æternitatis in mente: quoniam videbimus eum sicuti est. Ad hoc quippe Sancti omnes ad illa gaudia æterna pervenient, ut esse Deo similes possint; & tamen scriptum est: *Domine, quis similis tibi?* Et iterum: *Aut quis similis erit Deo inter filios Dei?* (Lib. 18. in Job, n. 79. Psal. 88. 9.) Unde ergo similes, & unde non similes? Nisi quia & similes erunt ad imaginem, & tamen non erunt similes ad æqualitatem. Aspiciendo quippe æternitatem Dei, fit eis ut æterni sint: & dum visionis ejus donum percipiunt, ex perceptione beatitudinis imitantur quod vident: Et similes ergo sunt, quia beati fiunt: & tamen Creatori similes non sunt, quia creatura sunt. Et habent itaque quamdam Dei similitudinem, quia non habent finem: & tamen incircumscripti æqualitatem non habent, quia circumscriptionem habent.

CAPUT VIII.

Si cor nostrum non reprehenderit nos. 1. Johan. 3. 21.

De differentia quam in oratione parit mala conscientia. In exposit. B. Job, lib. 10. num. 27. 28.

SCIENDUM est quod quisquis a præceptis Dominicis discordat opere, quoties ea audit, a corde suo reprehenditur atque confunditur: quia id quod non fecerit, memoratur. Nam in quo se errasse considerat, ipsa se latenter conscientia accusat. Mens etiam ad spei fiduciam protinus frangitur, si intenta precibus, necdum devictæ culpæ memoria mordetur. Diffidit namque accipere se posse quod appetit, quæ profecto reminiscitur nolle se adhuc facere, quod divinitus audivit. Hinc per Johannem dicitur: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus ab eo, accipiemus.* (1. Joh. 3. 21.) Hinc Salomon ait: *Qui avertit aurem suam, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* (Prov. 28. 9.) Cor quippe nos in petitione reprehendit, cum resistere se præceptis ejus quem postulat, meminit: & oratio fit execrabilis, cum a censura avertitur legis: quia dignum profecto est, ut ab ejus beneficiis sit quisque extraneus, cujus nimirum jussionibus non vult esse subjectus. Qua in re hoc est salubre remedium, ut cum se mens ex memoria culpæ reprehendit, hoc prius in oratione defleat quod erravit: quatenus erroris macula cum fletibus tergitur, in petitione sua cordis facies ab auctore munda videatur; & tunc, sicut Johannes dicit: *Fiduciam habentes ad Deum, quidquid petierimus ab eo, accipiemus.* Si enim id quod præcepit facimus, id quod petimus obtinebimus. Tunc quippe juxta Johannis vocem cor fiduciam in oratione accipit, cum sibi vitæ pravitas nulla contradicit. Valde namque apud Dominum utraque hæc sibi necessario congruunt, ut & oratione operatio, & operatione fulciatur oratio.

CAPUT IX.

Deum nemo vidit umquam. 1. Johan. 4. 12.

Qualiter in hac vita Deus videri ab hominibus possit, vel non videri. In exposit B. Job, lib. 18. num. 88. Gen. 32. 30. Exod. 33. 11.

CUm Testamenti veteris Patres intueor, multos horum, teste ipsa sacræ elocutionis historia, Deum vidisse cognosco. Vidit quippe Jacob Dominum, qui ait: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea.* Vidit Moyses Dominum, de quo scriptum est: *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum.* Ecce Testamenti veteris Patres Deum se vidisse testati sunt, & tamen Johannes ait: *Deum nemo vidit umquam.* Quid est hoc, nisi quod patenter datur intelligi, quia quamdiu hic mortaliter vivitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest, ut anima gratia Spiritus afflata per figuras quasdam Deum videat, sed ad ipsam vim ejus essentiæ non pertingat. Hinc est enim quod Jacob, qui Deum se vidisse testatur, hunc nonnisi in Angelo vidit.

Hinc

Hinc est quod Moyses, qui cum Deo facie ad faciem loquebatur, sicut homo loqui solet cum amico suo, ei inter ipsa verba suæ locutionis dicit: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifeste, ut videam te.* Certe enim, si Deus non erat cum quo loquebatur, Ostende mihi Deum diceret, & non, Ostende temetipsum. Si autem & Deus erat, cum quo facie ad faciem loquebatur, cur se petebat videre quem videbat? Sed ex hac ejus petitione colligitur, quia cum sitiebat per incircumscriptæ naturæ suæ claritatem cernere, quem jam cœperat per quasdam imagines videre: ut sic superna essentia mentis ejus oculis adesset, quatenus ad æternitatis visionem nulla imago creata corporaliter interesset. Et viderunt ergo Patres veteris Testamenti Dominum, & tamen juxta Johannis vocem Deum nemo vidit umquam: quia in hac mortali carne consistentibus, & videri potuit per quasdam circumscriptas imagines, & videri non potuit per incircumscriptum lumen æternitatis. Sin vero a quibusdam potest in hac adhuc corruptibili carne viventibus, sed tamen inæstimabili virtute crescentibus, quodam contemplationis acumine, æterna Dei claritas videri; hoc quoque a beati Johannis sententia non abhorret, qui ait: *Deum nemo vidit unquam*; quoniam quisquis sapientiam, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne jam ejus amore teneatur. Nullus quippe eum videt, qui adhuc carnaliter vivit, quia nemo potest amplecti Deum simul & seculum. Qui enim Deum videt, eo ipso moritur, quo vel intentione cordis, vel affectu operis, ab hujus vitæ delectationibus tota mente separatur. Unde ad eumdem quoque Moysen dicitur: *Non enim videbit me homo, & vivet.* Ac si aperte diceretur: Nullus umquam Deum videt spiritualiter, & mundo vivit carnaliter.

Ibidem.

Ibidem.

CAPUT X.

1. Johan. 4. 20.

Qui non diligit fratrem suum, quem videt, quomodo diliget Deum, &c.

De duobus præceptis caritatis. *In exposit. B. Job. lib. 7. num. 28.*

DEUM quem non videt, quomodo potest diligere? Duo sunt præcepta caritatis, Dei amor, & proximi: per amorem Dei, amor proximi gignitur; & per amorem proximi, amor Dei nutritur. Nam qui Deum amare negligit, profecto diligere proximum nescit. Et tunc plenius in Dei dilectione proficimus, si in ejusdem dilectionis gremio prius proximi caritate lactamur. Quia enim amor Dei amorem proximi generat, dicturus per legem Dominus: *Diliges proximum*, præmisit, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum*: ut scilicet in terra pectoris nostri, prius amoris sui radicem figeret, quatenus per ramos postmodum dilectio fraterna germinaret. Et rursum, quia amor Dei ex proximi amore calescit, testatur Johannes, qui increpat, dicens: *Qui non diligit fratrem suum quem videt: Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Quæ tamen divina dilectio per timorem nascitur, sed in affectum crescendo permutatur.

Deut. 6. 5.

CAPUT XI.

1. Johan. 4. 21.

Qui diligit Deum, diligit & fratrem suum.

De innumeris operibus caritatis.

CARITAS ad cuncta virtutum facta dilatatur, quæ a duobus quidem præceptis incipit, sed se ad innumera extendit. Hujus namque legis initium dilectio Dei est, ac dilectio proximi: de qua dilectione Johannes dicit: *Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Sed Dei dilectio per tria distinguitur; quia ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine diligi Conditor jubetur. Qua in re notandum est quod divinus sermo, cum Deum diligi præcipit, non solum narrat ex quo, sed etiam informat ex quanto, cum subjungit, *ex toto*: ut videlicet qui perfecte Deo placere desiderat, sibi de se nihil relinquat. Proximi autem dilectio ad duo præcepta derivatur, cum & per quemdam justum dicitur: *Quod ab alio tibi odis fieri, vide ne tu alteri facias.* Et per semetipsam Veritas dicit: *Quæ vultis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis*: quibus duobus, scilicet utriusque Testamenti mandatis, per unum malitia compescitur, per aliud benignitas prærogatur; ut malum quod pati non vult, quisque non faciens, cesset a nocendi opere. Et rursum bonum quod sibi fieri appetit, impendens, erga utilitatem proximi se exerceat ex benignitate. Sed hæc nimirum duo dum sollicita intentione cogitantur, cor ad innumera virtutum ministeria tenditur; ne vel ad inferenda, quæ non debet, desideriis inquieta mens ferveat; vel erga exhibenda quæ debet, otio resoluta torpescat. Nam cum cavet alteri facere quod nequaquam vult ab altero ipsa tolerare, sollicita se intentione circumspicit, ne superbia elevet, & usque ad despectum proximi, animum dejiciens exaltet; ne ambitio cogitationem laniet; cumque hanc ad aliena appetenda dilatat, angustet: ne cor luxuria polluat, & subjectum desideriis per illicita corrumpat; ne ira exasperet, & usque ad proferendam contumeliam inflammet: ne invidia mordeat, & alienis felicitatibus æmula, sua se face consumat: ne immoderate linguam loquacitas pertrahet, eamque usque ad lasciviam obtrectationis extendat: ne odium malitiæ excitet, & os usque ad jaculum maledictionis irritet. Et rursum, cum cogitat ut ea alteri faciat, quæ ipsa sibi fieri ex altero expectat, pensat nimirum ut malis bona, & bonis meliora respondeat: ut erga protervos mansuetudinem longanimitatis exhibeat: ut malitiæ peste languentibus gratiam benignitatis impendat: ut discordes pace uniat, & concordes ad concupiscentiam veræ pacis accingat: ut indigentibus necessaria tribuat: ut errantibus viam rectitudinis ostendat: ut afflictos verbo & compassione mulceat: ut accensos in hujus mundi desideriis increpatione restringat: ut minas potentium ratiocinatione mitiget: ut oppressorum angustias quanta prævaleat ope, levet: ut foris resistentibus opponat patientiam: ut intus superbientibus exhibeat cum patientia disciplinam; ut erga errata subditorum, sic mansuetudo zelum temperet, quatenus a justitiæ studio non enervet, sic ad ultionem zelus ferveat, ne tamen pietatis limitem fervendo transcendat: ut ingratos beneficiis ad amorem Dei provocet: ut gratos quosque ministeriis in amore servet: ut proximorum mala cum corrigere non valet, taceat; & cum corrigi loquendo possunt, silentium consensum esse pertimescat: ut sic ea quæ tacet, toleret, ne tamen in animo virus doloris occultet: ut sic malevolis munus benignitatis exhibeat, ne tamen per gratiam a jure rectitudinis excedat: ut cuncta proximis, quæ prævalet, impendat, sed hæc impendendo non ti-

In expos. B. Job. lib. 10. num. 8.

Tob. 4. 16. Matth. 7. 12.

neat

meat: ut sic in bonis quæ exhibet, tumoris præcipitium paveat, ne tamen a boni exercitio torpescat: ut sic quæ possidet, tribuat, quatenus quatenus sic largitatis remunerantis attendat: ne cum terrena largitur, suam plusquam necesse est inopiam cogitet, & in oblatione muneris, hilaritatis lumen tristitia obscuret. Caritas igitur si mentem plene ceperit, hanc ad innumera opera multiformiter accendit. Est itaque in dilectione Dei necessario tenenda fides, & vita; in dilectione verò proximi debet summopere patientia & benignitas custodiri. Est enim in dilectione Dei necessaria fides & vita, quia videlicet scriptum est: *Fides sine operibus mortua est*: probatio ergo dilectionis, exhibitio est operis. Hinc Johannes in epistola sua dicit: *Qui dicit, quia diligo Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est*. Vere enim diligimus, si ad mandata ejus nos a nostris voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita desideria defluit, profecto Deum non amat, quia ei in sua voluptate contradicit. Est autem in dilectione proximi no- A bis patientia & benignitas conservanda; quia de eadem dilectione scriptum est: *Caritas patiens est, benigna est*: patiens scilicet, ut illata a proximis mala æquanimiter portet: benigna autem, ut sua bona proximis desiderabiliter impendat.

Lib. 2. in Ezech. ho. 9. num. 4.
Jacob. 2. 26.
1. Johan 4. 20.
1 Cor. 13. 4.

CAPUT XII.

Est peccatum ad mortem.

1. Johan. 5. 16

De impœnitentia. In expositione B. Job, lib. 16. num. 82.

PECCATUM illud usque ad inferos ducit, quod ante finem vitæ præsentis per correptionem & pœnitentiam non emendatur; de quo videlicet peccato per Johannem dicitur: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis*. Peccatum namque ad mortem, est peccatum usque ad mortem: B quia scilicet peccatum quod hic non corrigitur, ejus venia frustra postulatur. Hoc autem inter peccatum & delictum distat, quod peccatum est mala facere, delictum vero bona derelinquere, quæ summopere sunt tenenda. Vel certe peccatum est in opere, delictum in cogitatione.

Lib. 1. in Ezech. hom. 9. num. 3.

INCIPIUNT CAPITULA

DE EPISTOLA III. B. JOHANNIS APOSTOLI.

1 Nos ergo debemus suscipere ejusmodi. C 2 Diotrephes non recipit nos.

EXPOSITIO

SUPER EPISTOLAM III. B. JOHANNIS APOSTOLI.

CAPUT PRIMUM.

3 Johan 1 7

Nos ergo suscipere debemus ejusmodi, ut cooperatores simus veritatis.

De sustentandis pauperibus. Homil. 20. in Evang. n. 12

SECULARES viri intra sanctam Ecclesiam quamvis spiritualium virtutum dona non habent, dum tamen sanctos viros donis spiritualibus plenos sua largitate sustentant, in spiritualibus D eorum donis cooperatores fiunt; hoc ante Dei oculos exhibentes, quod adjuvant. Hinc est enim quod de quibusdam peregrinantibus fratribus, Gaio per Johannem dicitur: *Pro nomine enim Christi profecti sunt, nihil accipientes a Gentilibus. Nos ergo debemus suscipere ejusmodi, ut cooperatores simus veritatis*. Qui enim spiritualia dona habentibus, temporalia subsidia tribuit, in ipsis donis spiritualibus cooperator existit. Nam cum pauci sint, qui spiritualia dona percipiunt, & multi qui rebus temporalibus abundant, per hoc se divites pauperum virtutibus inserunt, quo eisdem sanctis pauperibus de suis divitiis solatiantur.

CAPUT II.

Diotrephes non recipit nos.

3. Johan. 1. 9

Qualiter contra linguas detrahentium præparari debeamus. Lib. 1. in Ezech. homil. 9. num 17.

MAGNA indiget inquisitione, cum recti viam operis tenemus, utrum semper debeamus derogantium verba despicere, an certe aliquando compescere. De qua re sciendum est, quia linguas detrahentium, sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereant; ita per suam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat. Aliquando etiam compescere, ne dum de nobis mala disseminant, eorum qui audire nos ad bona poterant, innocentium corda corrumpant. Hinc est enim quod Johannes obtrectatoris sui linguam redarguit, dicens: *Is qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes non recipit nos. Propter hoc si venero, commonebo ejus opera quæ facit, verbis malignis garriens in nos*. Hinc Paulus detrahentibus Corinthiis loquitur, dicens: *Epistolæ, inquiunt, graves sunt, & fortes, præsentia autem corporis infirma, & sermo contemtibilis. Hoc cogitet, qui ejusmodi est, quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales sumus, præsentes in opere*. Hi enim quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne prædicationem eorum non audiant, qui audire poterant, & in pravis moribus remanentes, bene vivere contemnant. Sed hac in re subtili inquisitione necesse est ut semetipsum animus investiget, ne fortasse suæ laudis gloriam quærat, & animarum lucra se quærere nostra cogitatio simulet. Sæpe enim sui nominis laude E animus pascitur, & quasi sub obtentu lucrorum spiritualium, cum de se bona dici cognoverit, lætatur. Et sæpe gloriæ suæ defensione contra detrahentes irascitur, & fingit sibimet quod hoc ex eorum zelo faciat, quorum corda a bono fervore detrahentis sermo perturbat. Illi ergo debent magnopere curare, ne contra eorum opinionem detrahentium verba prævaleant, qui suam conscientiam subtiliter discutientes, se in ea inveniunt de amore privatæ gloriæ nihil habere.

2. Cor. 10. 10
num. 11.

In-

INCIPIUNT CAPITULA

DE LIBRO APOCALYPSIS

1 *Johannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia.*
2 *Johanni Angelus apparuit præcinctus zona aurea.*
3 *Johannes Angelis septem Ecclesiarum scribit.*
4 *Scio ubi habitas, ubi sedes est satanæ.*
5 *Habes illic tenentes doctrinam Balaam.*
6 *Dabo tibi calculum candidum.*
7 *Esto vigilans, & confirma cetera.*
8 *Qui vicerit, faciam illum columnam.*
9 *Utinam frigidus esses, aut calidus.*
10 *Dicis quod dives sum, & locupletatus.*
11 *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum.*
12 *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas.*
13 *Ego quos amo, arguo & castigo.*
14 *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum.*
15 *Et in medio sedis, & in circuitu quatuor animalia.*
16 *Et in circuitu, & intus plena sunt oculis.*
17 *Et requiem non habebant die ac nocte.*
18 *Mittebant coronas suas ante thronum Dei.*
19 *Et vidi librum scriptum intus & foris.*
20 *Nemo poterat aperire librum.*
21 *Ecce vicit leo de tribu Juda.*
22 *Et vidi, & ecce in medio.*
23 *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem.*
24 *Vidi sub altare Dei animas interfectorum.*
25 *Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ.*
26 *Et dictum est illis, ut quiescerent tempus adhuc modicum.*
27 *Factus est sol ut saccus cilicinus.*
28 *Palmæ in manibus eorum.*
29 *Factum est silentium in cælo quasi media hora.*
30 *Potestas equorum in ore, & in caudis eorum.*
31 *Et habebat in manu sua librum apertum.*
32 *Et juravit per viventem in secula: quia tempus non erit amplius.*
33 *Accipe librum, & devora illum.*
34 *Et accepi librum, & devoravi illum.*
35 *Et cum devorassem librum, amaricatus est venter meus.*
36 *Oportet iterum prophetare Gentibus.*
37 *Atrium quod est foris templum, ejice foras.*
38 *Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus.*
39 *Cauda draconis trahebat tertiam partem stellarum.*
40 *Et draco stetit ante mulierem.*
41 *Factum est prælium cum Michaele Archangelo.*
42 *Projectus est accusator fratrum vestrorum.*
43 *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos.*
44 *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra.*
45 *Et cantabant canticum novum.*
46 *Et habebat in manu sua falcem acutam.*
47 *Quartus Angelus effudit phialam suam in solem.*
48 *Ecce venio sicut fur.*
49 *Beatus qui vigilat, &c.*
50 *Beatus qui custodit vestimenta sua.*
51 *Et videant turpitudinem ejus.*
52 *Quantum glorificavit se, tantum date illi tormentum.*
53 *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.*
54 *Exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum.*
55 *Habebat in vestimento & in femore scriptum, &c.*
56 *Angelus ligavit draconem per mille annos.*
57 *Beatus qui habet partem in resurrectione prima.*
58 *Et regnabunt cum eo mille annis.*
59 *Post mille annos solvetur draco de carcere.*
60 *Et diabolus missus est in stagnum ignis.*
61 *Libri aperti sunt, & liber vitæ apertus est.*
62 *Et vidi cælum novum, & terram novam.*
63 *Et erat structura muri ejus ex lapide.*
64 *Mensus est muros mensura hominis, quæ est Angeli.*
65 *Vide ne feceris, conservus tuus sum.*
66 *Ne signaveris verba prophetiæ hujus libri.*
67 *Qui nocet, noceat adhuc.*
68 *Qui audit, dicat: Veni.*
69 *Ego sum stella splendida et matutina.*

EXPOSITIO

SUPER APOCALYPSIM B. JOHANNIS APOSTOLI.

CAPUT PRIMUM.

Apoc. 1. 11. *Johannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia.*

De septenarium numerum universalis Ecclesia designatur. In expos. 2 Job. lib. 23. num. 6. 4. Reg. 4.

SEPTENARIO numero solet universitas designari. Unde Johannes in hac Apocalypsi septem Ecclesiis scribit. Sed per eas quid aliud quam universalem Ecclesiam intelligi voluit? Quæ nimirum universalis Ecclesia, ut plena septiformis gratiæ spiritu signaretur, Elisæus super puerum mortuum septies oscitasse describitur. Super extinctum quippe populum Dominus veniens, quasi septies oscitat: quoniam ei dona spiritus septiformis gratiæ misericorditer aspirat. Septem igitur Ecclesiis scribit Apostolus Johannes, ut unam Catholicam septiformis gratiæ plenam spiritu designaret. Et de Domino novimus dixisse Salomonem: *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Qui ut id de septem Ecclesiis dixisse innotesceret, secutus etiam sacramenta ipsa diligenter inseruit, dicens: *Immolavit victimas, & miscuit vinum, & proposuit mensam.* Per septem quip- Proverb. 9. 1.

Non pe

pe columnas, omnes Ecclesias non inconvenienter accipimus, quæ unam Catholicam faciunt toto terrarum orbe diffusam.

CAPUT II.

Apoc. 1. v. 11. &c. *Ego Johannes fui in insula, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, & testimonium Jesu Christi. Fui in spiritu in Dominica die, & audivi post me vocem magnam tamquam tubæ dicentis: Quod vides, scribe in libro, & mitte septem Ecclesiis quæ sunt in Asia, Epheso, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, et Laodiceæ. Et conversus sum ut viderem vocem quæ loquebatur mecum. Et conversus, vidi septem candelabra aurea, et in medio septem candelabrorum, similem filio hominis vestitum podere, et præcinctum ad mamillas zona aurea.*

De restringenda a cogitatione luxuria, amore caritatis. In exposit. B. Job, lib. 21. num. 5. Matt. 5. 27. MALUM luxuriæ, aut cogitatione perpetratur, aut opere. Per Moysen vero luxuria perpetrata, per auctorem vero munditiæ luxuria damnatur cogitata; sicut ipse dicit: *Scriptum est: Non adulterabis. Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Redemtor quippe noster veniens, & Legis præcepta transcendens ut ab electis suis non solum luxuriam carnis, sed etiam cordis aboleret, jussit non tantum lumbos carnis succingi, id est luxuriam ab effectu refrenari, sed etiam lumbos mentis præcepit succingi, id est hanc etiam a cogitatione restringi. Hinc est quod Angelus qui Johannem in Pathmos insula relegatum alloquitur, aurea zona super mamillas cinctus esse perhibetur. Solet enim nomine auri plerumque caritas intimari. Quia ergo testamenti munditia etiam cordis luxuriam refrenat, Angelus, qui in eo apparuit, pectore cinctus venit. Quem bene aurea zona restringit: quia quisquis supernæ patriæ civis est, non jam timore supplicii, sed amore caritatis immunditiam deserit. Vel Ibid. lib. 24. num. 26. ideo ad mamillas zona aurea cinctus Johanni Angelus apparuit, quia supernorum civium pectora, dum pœnali jam nequaquam timori subjecta sunt, & a se vicissim nulla scissione solvuntur, sola caritate constringuntur. Zonam quippe auream circa mamillas habere, est cunctos mutabilium cogitationum motus per solius jam amoris vincula restringere.

CAPUT III.

Apoc. 2. 4. *Et Angelo Pergami Ecclesiæ scribe.*

Per Angelos prædicatores designantur. In exposit. B. Job, lib. 14 num. 14. SÆPE Scriptura sacra prædicatores Ecclesiæ pro eo gloriam patriæ cælestis annuntient, Angelorum nomine solet designare: Hinc est quod Johannes septem Ecclesiis scribens, Angelis Ecclesiarum loquitur, id est prædicatoribus Isa. 33. 7. populorum. Hinc Propheta ait: *Angeli pacis amare flebunt.*

CAPUT IV.

Scio ubi habitas, ubi sedes est satanæ. Apoc. 2. 13.

De remuneratione bonorum operum, & ultione malorum. In exposit. B. Job, lib. 21. num. 10. Ibid. v. 19. SIC Dominus Deus vias omnium examinatione subtili considerat, ut in unoquoque nostrum, nec ea quæ remunerat bona, prætereat, nec mala quæ videlicet displicent, sine increpatione derelinquat. Hinc est quod Angelum Pergami Ecclesiæ in quibusdam Dominus laudat, & in quibusdam redarguit, dicens: *Scio ubi habitas, ubi sedes est satanæ: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.* Et paulo post: *Sed habeo adversum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam.* Hinc Angelo Thyatiræ dicitur: *Novi opera tua, & caritatem, & fidem, & ministerium, & sapientia in tuam, & opera tua novissima plena prioribus; sed habeo adversum te pauca: quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit Propheten, docere & seducere servos meos, & fornicari, & manducare idolothytum.* Ecce bona memorat, nec tamen resecanda mala sine pœnitentia relaxat: quia scilicet sic singulorum vias considerat, sic gressus enumerans pensat; ut examine subtili perpendat, vel quantum ad bona quisque proficiat; vel quantum ad mala devians, suis profectibus contradicat. Incrementum quippe meritorum, quod bonæ vitæ studiis augetur, plerumque mali admixtione retrahitur; & bonum quod animus operando construit, hoc alia perpetrando pervertit.

CAPUT V.

Habes illic tenentes doctrinam Balaam. Apoc. 2. 14.

Membra Antichristi esse comprobantur, qui cum male vivendo præveniunt. In exposit. B. Job, lib. 29. num. 15. CAIN, & Judas, & Simon, & alii multi longe ab Antichristi temporibus extiterunt, & tamen se ei perverse vivendo conjunxerunt. Sic iniquum corpus suo capiti, sic membris membra junguntur, cum & in cognitione se nesciunt, & tamen prava sibi actione copulantur. Neque enim Pergamus Balaam libros aut verba cognoverat, & tamen ejus nequitiam sequens, supernæ vocem increpationis audiebat: *Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere & fornicari.* Thyatiræ quoque Ecclesiam ab Jezabel notitia, & tempora & loca dividebant: sed quia eam par vitæ reatus adstrinxerat, inesse ei Jezabel dicitur, atque perversi operibus insistere, Angelo attestante, qui ait: *Habeo* Vers. 20. *adversum te aliqua, quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit Propheten, docere & seducere servos meos, & fornicari, & manducare de idolothytis.* Ecce quia reperiri poterant qui Jezabel vitam actione reproba videlicet secuti sunt, Jezabel illic inventa memoratur: quia pravum corpus conjuncti mores unum faciunt, etiamsi hoc loca vel tempora scindunt. Unde fit ut in perversis suis imitatoribus & iniquus quisque maneat, qui jam præterit, & in suis operationibus ipse iniquorum auctor jam appareat, qui necdum venit. Hinc Johannes ait: *Nunc Antichristi multi facti sunt,* quia iniqui omnes jam membra ejus sunt, quæ scilicet perverse 1. Johan. 2. 18. edita, caput suum male vivendo prævenerunt.

CAPUT VI.

Dabo tibi calculum candidum. Apoc. 2. 17.

De cogni- VIDERE perfecte coæternam Dei sapientiam, hoc

ne Dei. In exposit. B. Job, lib. 19. num. 4.

hoc est quod habere. Unde ad Johannem de munere vincentis dicitur: *Dabo tibi calculum candidum, & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* In hac enim vita scire aliquid, vel videre possumus, etiam quod non accipimus. Nomen vero novum in calculo scriptum, est in æterno præmio notitiam Dei humanis mentibus insitatam, quam scire non potest nisi qui acceperit, habere.

CAPUT VII.

Apoc. 3. 2.

Esto vigilans, & confirma cetera.

Anima humana semper ad ima relabitur, nisi studiose ad summa nitatur. Regul. Past. part. 3. c. 34.

QUI inchoata bona minime consummant, cauta circumspectione debent considerare; quia dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerant cœpta convellunt. Si enim quod videtur gerendum sollicita intentione non crescit, etiam quod fuerat bene gestum, decrescit. Hinc Sardis Ecclesiæ Ab Angelo dicitur: *Esto vigilans, & confirma cetera quæ moritura erant: non enim inveni opera tua plena coram Deo meo.* Quia ergo plena coram Deo ejus opera inventa non fuerant, moritura reliqua, quæ etiam erant gesta, prædicebat. Si enim quod mortuum in nobis est, ad vitam non accenditur, hoc etiam extinguitur quod quasi adhuc vivum tenetur. In hoc quippe mundo humana anima quasi more navis contra fluminis ictum conscendentis, uno in loco nequaquam stare permittitur, quoniam ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. Si ergo inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non sublevat, ipsa operandi remissio contra hoc quod operatum est, pugnat. Hinc est quod per Salomonem dicitur: *Qui mollis & dissolutus in opere suo fuerit, frater est sua opera dissipantis.* Quia videlicet qui cœpta bona districte non exequitur, dissolutione negligentiæ, manum destruentis imitatur.

Prov. 18. 9.

CAPUT VIII.

Apoc. 3. 12.

Qui vicerit, faciam illum columnam.

Boni Rectores columnæ Ecclesiæ vocantur. In exposit. B. Job. lib. 17. num. 42.

SUMMI prædicatores Ecclesiæ, super quos in cœlestibus crescens universa spiritualis fabricæ structura surgit, columnæ vocantur, sicut Apocalypsis Johannis testatur, dicens: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Quisquis enim in Dei opere recta intentione firmatur, columna in structura fabricæ spiritualis erigitur, ut in hoc templo, quod est Ecclesia, positus, & utilitati sit & decori. De hujusmodi columnis loquitur Apostolus, dicens: *Petrus, & Jacobus, & Johannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi.*

Galat. 2. 9.

CAPUT IX.

Apoc. 3. 15.

Utinam frigidus esses, aut calidus.

Quam noxius sit tepor in eis, qui conversi sunt ad Deum. Regul. Past. part. 3. c. 34.

QUI bona incipiunt, nec ea perficiunt, debent perpendere quod tolerabilius potius esset semitam rectam illam non arripere, quam post arreptam, post tergum redire. Nisi enim retro respicerent, erga cœptum studium nullo torpore languerent. Audiant ergo quod scriptum est; *Utinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Calidus quippe est, qui bona studia & arripit, & consummat; frigidus vero est, qui consummanda nec inchoat: & sicut a frigore per teporem transitur ad calorem, ita a calore per teporem reditur ad frigus. Quisquis igitur, amisso infidelitatis frigore, sed nequaquam tepore superato exardescit, ut ferveat, proculdubio calore desperato, dum noxio in tepore demoratur, agit ut frigescat. Sed sicut ante teporem frigus est sub spe, ita post frigus tepor in desperatione. Qui enim adhuc est in peccatis, fiduciam non amittit conversionis. Qui vero post conversionem tepuit, spem quæ potuit esse de peccatore subtraxit. Calidus ergo quisque, aut frigidus esse quæritur: ne tepidus evomatur: ut videlicet aut necdum conversus adhuc de se spem conversionis præbeat, aut jam conversus in virtutibus inardescat; ne evomatur tepidus, qui a calore quem proposuit, torpore ad noxium frigus redit.

CAPUT X.

Dicis, quod dives sum.

Apoc. 3. 17.

Pauperes sunt, qui virtutibus carent. In exposit. B. Job, lib. 34. num. 6.

EGESTAS reproborum proprie dicitur: qui dum vitiis replentur, virtutum divitiis vacuantur. Quibus sæpe contingit ut per elationis dementiam sublevati, dum ruinæ suæ damna non considerant, esse se etiam a bonis actionibus inopes non agnoscant. Unde voce Angeli prædicatori Laodiceæ dicitur: *Dicis, quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser, & pauper, & cæcus, et nudus.* Quasi divitem se asserit, qui se per arrogantiam extollit; sed pauper, cæcus, & nudus arguitur. Pauper utique, quia virtutum divitias non habet. Cæcus, quia nec paupertatem quam patitur, videt. Nudus, quia primam stolam perdidit; sed pejus, quia se nec perdidisse cognoscit.

CAPUT XI.

Suadeo tibi emere a me aurum ignitum.

Apoc. 3. 18.

Quod per obedientiam acquiritur sapientia. In exposit. B. Job, lib. 4. num. 61. Prov. 21. 20.

PER aurum sapientia intelligitur, de qua per Salomonem dicitur: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis.* Aurum nempe sapientiam vidit, quam thesaurum vocavit. Quæ recte auri appellatione signatur, quia sicut auro temporalia, ita sapientia bona æterna mercantur. Quia igitur aliquando per aurum sapientia intelligitur, prædicatori Laodiceæ ab Angelo dicitur: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum.* Aurum quippe emimus, cum accepturi sapientiam prius obedientiam præbemus; ad quem videlicet contractum nos quidam Sapiens excitat, dicens: *Concupisti sapientiam, serva mandata, et Dominus præbebit illam tibi.*

Eccli. 1. 33.

CAPUT XII.

Collyrio inunge oculos tuos, ut videas.

Apoc. 3. 18.

Per bona opera cæcitas cordis sanatur. Regul. Pastor. part. 3. cap. 12.

LIPPUS est, cujus ingenium ad cognitionem veritatis emicat, sed tamen hoc vitæ carnalis operatio prava obscurat: sensum natura exacuit, sed conversationis pravitas confundit. Cui bene per Angelum dicitur: *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas.* Collyrio quippe ut videamus, oculos inungimus, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem intellectus nostri aciem medicamine bonæ operationis adjuvamus.

CAPUT XIII.

Apoc. 3. 19. *Ego quos amo, arguo & castigo.*

De flagello divinæ percussionis. In exposit. B. Job, lib. 18. num. 35. Hebr. 12. 6.

OMNIS divina percussio, aut purgatio in nobis est vitæ præsentis; aut initium pœnæ sequentis. De his qui ex flagello proficiunt, Dominus ipse voce Angeli ad Johannem ait; *Ego quos amo, redarguo & castigo*, sicut alibi dicitur: *Quem diligit Deus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit*. E contra de flagello damnationis per Jeremiam Dominus dicit, dum incorrigibiliter delinquentes populos videt, quos non jam sub disciplina filios, sed sub districta percussione hostes intuetur: *Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli*. Hos enim damnant flagella, & non liberant: his flagella ab hac vita inchoant, & in æterna percussione perdurant. Unde per Moysen Dominus dicit: *Ignis exarsit ab ira mea, & ardebit usque ad inferos deorsum*. Quantum ad præsentem etenim percussionem spectat, recte dicitur: *ignis exarsit ab ira mea*: quantum ad æternam damnationem, apte mox subditur: *Et ardebit usque ad inferos deorsum*; licet a quibusdam dici soleat illud, quod juxta septuaginta interpretes, in Naum Propheta scriptum est: *Non vindicabit Deus bis in idipsum*. Qui tamen hoc quod per Jeremiam Prophetam de iniquis dicitur, non attendunt: *Et duplici contritione contere eos*, & id quod alibi scriptum est: *Jesus populum de terra Ægypti salvans; secundo eos qui non crediderunt perdidit*. Quibus tamen si consensum præbemus, quamlibet culpam bis feriri non posse, hoc ex peccato percussis, & in peccato suo morientibus debet æstimari: quoniam eorum percussio hic cœpta, illic perficitur; ut incorrectis unum flagellum sit quod temporaliter incipit: sed in æternis suppliciis consummatur; quatenus eis qui omnino corrigi renuunt, jam præsentium flagellorum percussio, sequentium sit initium tormentorum. Unde hoc semper electi prævident, ut ante ad justitiam redeant, quam sese ira Judici inextinguibiliter accendat: ne ultimo flagello deprehensi, simul eis finiatur vita cum culpa. Flagellum namque tunc diluet culpam, cum mutaverit vitam: nam cujus mores non mutat, non expiat actiones.

Jerem. 30. 14. Deut. 32. 22. Num. 1. 9. Jerem. 17. 18. Judæ 5.

CAPUT XIV.

Apoc. 3. 21. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum.*

De sessione Sanctorum cum Christo judicantium. In exposit. B. Job, lib. 26. num. 53.

SANCTI viri qui nunc juste & irreprehensibiliter vivunt, in futuro judicandi potentiam nanciscuntur. Hinc Laodicensi Ecclesiæ Dominus dicit: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus*. Vincens Dominus in throno cum Patre se sedisse asserit; quia post passionis certamina, post resurrectionis palmam, clarius se omnibus, quod potestatis Patris esset æqualis indicavit, eique se non disparem, calcato mortis aculeo innotuit. Unde & Mariæ needum se credenti, se Patris similem dicit: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*. Nobis in throno filii sedere, est ejusdem filii potestate judicare. Quia enim judicii principatum ex ejus virtute percipimus, velut in ejus throno residemus. Nec abhorret a vero; quod alibi super duodecim thronos sessuros testatur esse discipulos: hic autem in throno suo perhibet esse sessuros. Per thronos quippe duodecim, universale judicium: per thronum vero filii, singulare culmen judiciariæ potestatis ostenditur. Hoc ergo duodecim thronis, quod uno throno filii designatur: quia videlicet universale judicium ex nostri Mediatoris interventione percipitur.

Johan. 20. 17.

CAPUT XV

Et ecce sedes posita erat in cælo: & supra sedem sedens. Et in medio sedis, & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante & retro. Apoc. 4. 2. & seq.

De significationibus quatuor animalium. In exposit. B. Job, lib. 31. num. 94. Ibid. v. 7.

EZECHIEL Propheta, dum sub animalium specie quatuor Evangelistas se vidisse describeret, in eis sibi hominis, leonis, bovis, & aquilæ faciem apparuisse testatur. Cui nimirum propheticæ sententiæ ipse Johannes quoque in hac revelatione sua non dissonat, dicens: *Animal primum simile leoni, secundum animal simile vitulo, tertium animal habens faciem hominis, quartum animal simile aquilæ volanti*. Hæc quatuor animalia singula ad unumquemque Evangelistam recte conveniunt, dum alius humanæ nativitatis ordinem: alius, per mundi sacrificii mactationem, quasi vituli mortem: alius potestatis fortitudinem, quasi leonis clamorem insinuat: alius nativitatem verbi intuens, quasi solem ortum aquila aspectat. In Scriptura sacra aliquando vocabulo aquilæ, vel subtilis Sanctorum intelligentia, & sublimis eorum contemplatio figuratur: vel incarnatus Dominus ima celeriter transvolans, & mox summa repetens designatur: per quartum igitur animal, id est aquilam, quæ cunctam avium visum acie superat, itaut solis radius fixos in se ejus oculos nulla lucis suæ coruscatione reverberans, claudat, Johannes significatur, qui volando, terram deseruit: quia per subtilem intelligentiam, interna mysteria Verbi videndo penetravit. Possunt præterea hæc quatuor animalia ipsum suum caput, cujus sunt membra, signare. Ipse namque & homo est, quia naturam nostram veraciter suscepit; & vitulus, quia pro nobis patienter occubuit; & leo, quia per divinitatis fortitudinem susceptæ mortis vinculum rupit; & ad extremum aquila, quoniam ad cælum, de quo venerat, rediit. Homo igitur nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, aquila ad cælos ascendendo vocatus est. Possunt etiam Sancti per hæc animalia designari: quoniam alius cuncta rationabiliter agendo fit homo: alius in passionibus fortis, adversa mundi non timendo fit leo: alius per abstinentiam, semetipsum vivam hostiam offerendo fit vitulus: alius se in alta rapiendo contemplationis volatu fit aquila.

CAPUT XVI.

Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas, & in circuitu, & intus plena sunt oculis. Apoc. 4. 8.

De circumspectione Sanctorum. In exposit. B. Job, lib. 19. num. 20.

OMNES Sancti foris se, intusque circumspiciunt, & vel reprehendendos se exterius, vel iniquos se interius videri invisibiliter timent. Hinc est quod animalia, quæ per Johannem videntur, in circuitu & intus plena oculis esse memorantur. Quisquis enim exteriora sua honeste disponit, sed interiora negligit, in circuitu oculos habet, sed intus non habet. Sancti vero omnes, quia & exteriora sua circumspiciunt, ut bona de se exempla-

pla fratribus præbeant, & interiora sua vigilanter attendunt, quia sese irreprobabiles interni Judicis obtutibus parant : & in circuitu oculos, & intus habere perhibentur. A

CAPUT XVII.

Apoc 4.8.

Et requiem non habebant die ac nocte dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui est, & venturus est.

De sancta Trinitate in una deitate. Lib. 2. in Ezech. homil 4. n. 7.

CONSIDERANDUM est quod una fuit fides veterum ac novorum Patrum, & omnipotentem Deum Trinitatem esse crediderunt. Ecce Johannes in revelatione sua dicit quatuor animalia in cælo clamantia : *Sanctus,* B *Sanctus, Sanctus, Dominus omnipotens.* Ut enim personarum Trinitas monstraretur, tertio Sanctus dicitur. Sed ut una esse substantia Trinitatis appareat, non Domini Dei, sed Dominus esse perhibetur. Quod David quoque similiter sentiens, ait : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Qui cum tertio dixisset Deus, ut unum hunc esse ostenderet, subdidit : *Et metuant eum omnes fines terræ.* Paulus quoque loquitur, dicens : *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Ex ipso, videlicet ex Patre. Per ipsum, per Filium. In ipso autem, in Spiritu sancto. Quem ergo ipsum tertio dixisset, manifestans adjunxit: *Ipsi gloria in secula seculorum. Amen.* Qui enim non C dixit ipsis, sed ipsi, dicendo ter ipsum, distinxit personas : & subjungendo, *ipsi gloria*, non divisit substantiam.

Psal 66.8.

Rom. 11.36.

CAPUT XVIII.

Apoc. 4. v. 9. & 10.

Et cum darent illa quatuor animalia gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum, viventi in secula seculorum : procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viventem in secula seculorum, & mittebant coronas suas ante thronum Dei.

Quod attribuendum sit gratiæ Dei quidquid boni agimus. In exposit. B. Job, lib. 22. num. 20.

SANCTI viri quidquid in se boni inspiciunt, D immortalis gratiæ donum esse cognoscunt, eique de accepto munere debitores fiunt, qui & præveniendo dedit eis bonum velle, quod noluerant, & subsequendo concessit bonum posse quod volunt. Unde bene per Johannem dicitur : *Adoraverunt viventem in secula seculorum, mittentes coronas suas ante thronum Dei.* Coronas namque suas ante thronum Dei mittere, est certaminum suorum victorias, non sibi tribuere, sed auctori : ut ad illum referant gloriam laudis, a quo se sciunt vires accepisse certaminis. Auctoris enim sui gratiam negare convincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur. Et Deum negat, cujus despecta gratia, sibi vires boni operis arrogat. Omne autem peccatum quod ex infirmitate est, spem nequaquam perdit : quoniam a superno Judice veniam requirit. Præsumtio vero virtutis propriæ tanto gravius est in desperatione, quanto longius ab humilitate. Cumque vires sibi tribuit operis, ad adjutorium non recurrit auctoris; fitque ut ac gravius peccator pereat, quo & ipsum hoc, quia peccator est, ignorat. E

CAPUT XIX.

Apoc. 5.1.

Et vidi in dextera sedentis super thronum, librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem.

Qualiter sacræ Scripturæ fortes satiat, & parvulos nutrit. Lib. 1. in Ezech. hom. 9. n. 30. & 31.

PER librum qui est in dextera sedentis super thronum, Scripturæ sacræ paginæ signantur : quæ profunditate sententiarum sic clauduntur, ut non facile sensu omnium penetrentur. Qui liber sacri eloquii intus scriptus est per allegoriam, foris per historiam : intus per spiritualem intellectum, foris vero per sensum litteræ simplicem, adhuc infirmantibus congruentem. Intus, quoniam invisibilia promittit : foris, quia visibilia præceptorum suorum rectitudine disponit. Intus, quia cælestia pollicetur : foris autem, quia terrena & contemtibilia, qualiter sint vel in usu habenda vel ex desiderio fugienda, præcipit. Alia namque de secretis cælestibus loquitur, alia vero in exterioribus actionibus jubet. Et ea quidem quæ foris præcipit, patent : sed illa quæ de internis narrat, plane deprehendi nequeunt. Ea enim quæ de natura divinitatis, vel de æternis gaudiis narrat, nobis adhuc nescientibus, solis Angelis in secreto sunt cognita. De quibus tamen occultis jam partem per spiritualem intelligentiam sentimus, jam sancti Spiritus pignus accepimus : quoniam hæc & plene necdum cognovimus, & tamen medullitus amamus, & in multis spiritualibus sensibus quos jam cognovimus, veritatis pabulo pascimur. Dicat ergo : *qui erat scriptus intus & foris* : quoniam in sacro eloquio dictis occultioribus, atque sublimioribus fortes satiantur, & præceptis apertioribus nos parvuli nutrimur.

CAPUT XX.

Apoc. 5.2.

Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magna : Quis est dignus aperire librum, & solvere signacula ejus? Et nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multum : quia nemo dignus inventus est aperire librum.

Solus Redemtor potuit aperire mysteria sacræ Scripturæ. Dialog. lib. 4. c. 42.

HUNC librum signatum septem sigillis, postmodum per leonem de tribu Juda dicit Johannes aperiri. In quo videlicet libro quid aliud quam sacra Scriptura signatur? Quam solus Redemtor noster aperuit, qui homo factus moriendo, resurgendo, ascendendo, cuncta mysteria quæ in ea fuerant clausa, patefecit. Et nullus in cælo, quia neque Angelus : nullus in terra, quia neque homo vivens in corpore : nullus subtus terram dignus inventus est : quia neque animæ corpore exutæ aperire nobis præter Dominum sacri eloquii secreta potuerunt. Præterea cum ad solvendum librum, nullus subtus terram inventus esse dignus dicitur : quid obstet non video, ut sub terra infernus esse credatur.

CAPUT XXI.

Apoc 5.5. *Et unus de senioribus dixit mihi: Ne fleveris. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, & solvere septem signacula ejus.*

De apertione libri. Lib. 2. in Ezech. ho. 4. num. 39.

SACRÆ Scripturæ profunditas est quasi puteus, quam nobis ad irrigationem mentis præbuit omnipotens Deus. Et ut ad intelligentiam Scripturarum perveniremus, facta est nobis via, humilitas passionis Unigeniti; per quam nobis apertum est hoc quod prius latenter Scripturæ sacræ fluenta loquebantur. Nisi enim unigenitus Dei filius incarnatus, tentatus, apprehensus, colaphis cæsus, sputis illitus, crucifixus, ac mortuus fuisset, nobis hujus putei, id est sacræ Scripturæ, profunditas non pateret. Quid ergo fidelibus humilitas passionis ejus via facta est, nisi clavis apertionis, per quam mysteriorum Dei puteum invenimus, ut aquam scientiæ de profundo biberemus? Incarnationem quippe, passionem, mortem, resurrectionem & ascensionem illius, sacri eloquii paginæ loquuntur. Quæ quia facta cognovimus, jam nunc intelligimus audita. Hæc autem prius legi poterant, sed quia nondum evenerant, intelligi non valebant. Unde & per Johannem dicitur: *Vicit leo de tribu Juda aperire librum, & solvere signacula ejus.* Ipse enim librum aperuit, & signacula ejus solvit, qui nascendo, moriendo, resurgendo, & ad cælos ascendendo Scripturæ sacræ nobis arcana patefecit.

CAPUT XXII.

Apoc 5.6. *Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tamquam occisum; & venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum. Et cum aperuisset librum, quatuor animalia & vigintiquatuor seniores ceciderunt coram agno, & cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es, Domine, accipere librum, & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo nostro in sanguine tuo.*

Cur per agnum, aut leonem vel serpentem Dominus figuretur: In exposit. B. Job, lib. 30. num. 66. Psal 21.7. Habac. 2.2.

NEMO judicet indignum incarnatum Dominum posse per agnum figurari, cum nem constet omnibus, quia per significationem quamdam in Scriptura sacra, & vermis & scarabeus ponitur: sic enim scriptum est: *Ego autem sum vermis, & non homo.* Vel sicut apud septuaginta Interpretes per Prophetam dicitur: *Scarabeus de ligno clamavit.* Cum ergo nominatis rebus tam abjectis & vilibus figuratur, quid de illo contumeliose dicitur, de quo constat quod proprie nil dicatur? Vocatur itaque agnus, sed propter innocentiam: vocatur leo, sed propter potentiam: aliquando etiam serpenti comparatur, sed propter mortem vel sapientiam; atque de eo per hæc omnia dici figuraliter potest, quia de his omnibus credi aliquid essentialiter non potest. Si enim unum horum quodlibet essentialiter existeret, alterum jam dici non posset. Nam si agnus proprie diceretur, leo jam vocari non posset: si leo proprie diceretur, serpente signari non posset. Sed hæc in illo omnia dicimus tanto latius in figura, quanto longius ab essentia.

CAPUT XXIII.

Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum, & erat numerus eorum millia millium, voce magna dicentium: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Apoc. 5. 11.

De qualitate divinæ & Angelicæ locutionis ad invicem. In exposit. B. Job, lib. 2. n. 8. & 10.

ALITER loquitur Deus ad Angelos, & aliter Angeli ad Deum. Deus Angelis loquitur, cum vis voluntas ejus intima videndo manifestatur. Angeli autem loquuntur Domino, cum per hoc quod super semetipsos respiciunt, in motum admirationis surgunt, loquuntur ad Deum, sicut per Johannem dicitur: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam.* Vox namque Angelorum, est in laude Conditoris ipsa admiratio intimæ contemplationis: virtutis divinæ miracula obstupuisse, dixisse est; quoniam excitatus cum reverentia motus cordis, magnus est ad aures incircumscripti spiritus clamor vocis. Quæ vox se quasi per distincta verba explicat, dum sese per innumeros modos admirationis format.

CAPUT XXIV.

Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Domini, & propter testimonium quod habebant, & clamabant voce magna, dicentes: Usquequo Domine, sanctus, & verus non judicas, & vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Apoc. 6. 9.

Quomodo Deus ad animas Sanctorum, vel Sanctorum animæ ad Deum loquuntur. In exposit. B. Job, lib. 2. num. 11. Psal. 9. 17.

ALITER Deus ad animas Sanctorum, aliter animæ Sanctorum loquuntur ad Deum. Quid est enim animas vindictæ petitionem dicere, nisi diem extremi judicii & resurrectionem extinctorum corporum desiderare? Magnus quippe clamor earum magnum est desiderium. Tanto enim quisque minus clamat, quanto minus desiderat: & tanto majorem vocem in aures incircumscripti spiritus exprimit, quanto se in ejus desiderium plenius fundit. Animarum igitur verba, ipsa sunt desideria. Nam si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret: *Desiderium cordis eorum audivit auris tua*: sed cum aliter moveri soleat mens, quæ petit, aliter quæ petitur; & Sanctorum animæ in interni secreti sinu Deo inhæreant, ut inhærendo requiescant, quomodo dicuntur petere, quas ab interna voluntate constat nullatenus discrepare? Quomodo dicuntur vindictam desiderare, quas & voluntatem Dei certum est, & ea quæ futura sunt, non ignorare? Sed in ipso positæ, ab ipso aliquid petere dicuntur: non quod quidquam desiderent, quod ab ejus quem cernunt, voluntate discordat; sed quo Deo mente ardentius inhærent, eo etiam de ipso accipiunt, ut ab ipso petant, quod eum facere velle noverunt. De ipso ergo bibunt, quod ab ipso sitiunt; & modo nobis adhuc incomprehensibili in hoc quod petendo esuriunt, præsciendo satiantur. Discordarent igitur a voluntate Conditoris, si quæ vident eum velle, non peterent, eique minus inhæ-

hærerent, si volentem dare, desiderio pigriori pulsarent.

CAPUT XXV.

Apoc. 6. 11.

Et datæ sunt illis stolæ albæ.

Sancti post resurrectionem, corporis & animæ gaudio perfruentur. In exposit. B. Job. lib. 2. n. 11. & lib. 35. num. 25.

JOHANNES qui in revelatione sua ante resurrectionem corporum, clamantes Sanctorum animas vidit, eas accepisse stolas singulas aspexit: ante resurrectionem quippe Sancti stolas singulas accepisse dicuntur, qui sola adhuc animarum & mentis beatitudine perfruuntur. In fine vero mundi binas accepturi sunt quia eum mentis beatitudine, etiam carnis gloriam possidebunt; & cum animarum perfecto gaudio, etiam corporum incorruptione vestientur. Unde bene per Prophetam dicitur: *In terra sua duplicia possidebunt*. Sancti quippe in terra viventium duplicia possident; quia nimirum beatitudine mentis simul & corporis gaudent, & non solum animarum gaudium, sed etiam beatitudinem habebunt corporum.

Isa. 61. 7.

CAPUT XXVI.

Apoc. 6. 11.

Et dictum est illis, ut requiescerent tempus adhuc modicum mere, donec impleretur numerus conservorum, & fratrum eorum.

De vi divinæ locutionis ad anima Sanctorum. In exposit. B Job lib. 2. num. 11.

DESIDERANTIBUS animabus, requiescite adhuc modicum dicere, est inter ardorem desiderii ex ipsa præsentia solatium consolationis aspirare: ut & animarum vox sit, hoc quod amantes desiderant, & respondentis Dei sermo sit, hoc quod eas retributionis certitudine inter desideria confirmat. Respondere ergo ejus, est ut collectionem fratrum expectare debeant, eorum mentibus libenter expectandi moras infundere: & cum carnis resurrectionem appetunt, etiam ex colligendorum augmento fratrum gratulentur.

CAPUT XXVII.

Apoc. 6. 12.

Et cum aperuisset sigillum sextum, ecce terræ motus factus est magnus; & sol factus est niger tamquam saccus cilicinus.

Per solem prædicationis claritas designatur. In exposit. B. Job, lib. 9. num. 8.

ALIQUANDO in sacro eloquio solis nomine, prædicatoris claritas designatur. In extremo quippe tempore, sol quasi saccus cilicinus ostenditur, quia fulgens vita prædicantium ante reproborum oculos aspera & despecta monstratur.

CAPUT XXVIII.

Apoc. 7. 9.

Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & linguis, & populis, stantes ante thronum, & in conspectu agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.

De victoria martirum. Lib. 2. in Ezech. hom. 3. n. 23.

QUID per palmas, nisi præmia victoriæ designantur? Ipsæ quippe dari vincentibus solent. Illos itaque qui in certamine martyrii antiquum hostem vicerant, & victores in patria gaudebant, palmas in manibus habere, est victorias in operatione tenuisse. Cujus operationis palma ibi retribuetur, ubi jam sine certamine gaudetur.

CAPUT XXIX.

Apoc. 8. 1.

Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cælo quasi media hora.

De secreta cordis humani quiete. In exposit. B. Job, lib. 30. n. 52. & 53. & lib. 3. in Ezec. h. homil. 3. num. 14.

NIHIL prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis. Qui enim corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanæ terrenorum desideriorum cogitatione se inserit, non est in solitudine. Si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis; & tamen nullos curarum secularium tumultus in corde patiatur, non est in urbe. Itaque bene conversantibus primum solitudo mentis tribuitur, ut exurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant, ut ebullientes ab infimis curas cordis per superni gratiam restringant amoris; omnesque motus importune se offerentium levium cogitationum, quasi quasdam circumvolantes muscas, ab oculis mentis abigant manu gravitatis; & quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant; ubi cum illo, exteriore cessante strepitu, per interna desideria silenter loquantur. De hoc secreto cordis dictum est: *Factum est silentium in cælo, quasi media hora*. Cælum quippe est anima justi, sicut per Prophetam Dominus dicit: *Cælum mihi sedes est*. Et: *Cæli enarrant gloriam Dei*. Anima itaque justi, dum ad æterna sublimia per sublevationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, & intra se Deo quoddam silentium facit. Cum ergo quies contemplativæ vitæ agitur in mente, silentium fit in cælo: quia terrenorum actuum strepitus quiescit a cogitatione, ut ad secretum intimum aurem animus apponat. Sed quia hoc silentium contemplationis, & hæc quies mentis in hac vita non potest esse perfecta, nequaquam hora integra factum in cælo silentium dicitur, sed quasi media, ut nec media plene sentiatur; dum præmittitur *quasi*: quia mox ut se animus sublevare cœperit, & quietis intimæ lumine perfundi, redeunte motu cogitationum, stupidus de semetipso confunditur, & confusus cæcatur. Nolenti quippe animo cogitationum tumultuosi se strepitus ingerunt; & jam sublimibus intendentem, rursum ad respicienda terrena cordis oculum violenter trahunt. Unde scriptum est: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam; & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Bene ergo factum hoc silentium non integra, sed media hora describitur; quoniam hic contemplatio nequaquam perficitur, quamvis ardenter inchoetur.

Isa. 66. 1. *Psal. 18. 1.* *Sap. 9. 15.*

CAPUT XXX.

Apoc. 9. 18. 19.

Et vidi equos in visione, & capita eorum erant tamquam capita leonum; & tertia pars hominum occisa est igne, & sulphure & fumo, quæ procedebant de ore ipsorum. Potestas enim equorum in ore ipsorum est, & in caudis eorum.

De potestate & prædicatione Antichristi. In exposit. B. Job, lib. 33. num. 46. 47.

ANTICHRISTUS veniens ipsas etiam summas hujus seculi potestates obtinebit; qui duplici sæviens errore, conabitur ad se corda hominum, & missis prædicatoribus trahere, & commotis potestatibus inclinare. Prædicatio quidem ministrorum ejus facile despici ab auditoribus poterit; sed hanc

hanc ante humana judicia adjunctus potestatum A secularium error exaltat. Nam quos illi appetent loquendo seducere, multi potentium studebunt, sæviendo & affligendo terrere. Quale itaque illud persecutionis tempus apparebit, quando ad pervertendam fidelium pietatem, alii verbis sæviunt, alii gladiis? Quis enim etiam infirmus Antichisti prædicatores non despiceret, si non eos per circuitum potestatum secularium terror muniret? Sed duplici contra eos calliditate agetur, quia quod eis ab aliis verbis blandientibus dicetur, hoc ab aliis ferientibus imperabitur. Quæ utrorumque actio, id est potentium atque loquentium, in Apocalypsi Johannis brevi est sententia comprehensa, qua dicitur: *Potestas equorum in ore ipsorum, & in cau-* B *dis erat*. Equi nomine prædicator in sacra Scriptura aliquando intelligitur. In ore itaque doctorum scientia, in cauda vero secularium potentia figuratur. Per caudam quippe, quæ retro est, hujus seculi postponenda temporalitas designatur; de qua Paulus Apostolus dicit: *Unum autem quæ retro sunt, oblitus; ad ea quæ ante sunt, extentus*: retro est enim omne quod transit; ante vero est omne quod veniens permanet. Istis igitur equis, id est nequissimis prædicatoribus ubique carnali impulsu currentibus, in ore & in cauda potestas est: quia ipsi quidem perversa suadendo prædicant, sed temporalibus potestatibus fulti, per ea se, quæ retro sunt, exaltant. Et quoniam ipsi apparere despicabiles pos- C sunt, ab iniquis auditoribus suis, per eos sibi reverentiam exigunt, quorum patrociniis fulciuntur. Multis quippe terroribus agetur ut in perversis eorum prædicationibus, etsi non veritatis sententia, certe temporalis potentia timeatur.

Philip. 3. 13.

CAPUT VXXI.

Apoc. 10. 1. *Et vidi alium Angelum descendentem de cælo amictum nube, & iris in capite ejus: et habebat in manu sua librum apertum.*

De apertione libri. Dialog. lib. 4. cap. 42.

ISTE liber qui hic apertus videri legitur, paulo superius signatis sigillis septem videtur, D de quo etiam beato Johanni dicitur: *Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum*. In quo videlicet libro, quid aliud quam sacra Scriptura signatur? Quam solus Redemtor noster aperuit, qui homo factus, moriendo, resurgendo, ascendendo, cuncta mysteria, quæ in ea fuerant clausa, patefecit.

CAPUT XXXII.

Apoc. 10. 6. *Et levavit Angelus manum suam in cælum: et juravit per viventem in secula seculorum: quia tempus non erit amplius.*

De transitu temporis, & despectu impiorum. In exposit. B Job, lib. 4. num. 5. Psal. 80. 16.

TEMPUS nostræ mutabilitatis ita quandoque transiturum est, ut penitus non sit, Angelo in sacro eloquio attestante, qui ait: *Per viventem in secula, quia tempus jam non erit*. Nam etsi Propheta dicit: *Erit tempus eorum in æternum*: quia per momenta tempus deficit, nomine temporis eorum defectum vocavit: ostendens, quod sine fine omnimodo defectu deficiunt hi, qui a visionis intimæ consolatione separantur.

CAPUT XXXIII.

Apoc. 10. 9. *Et abii ad Angelum, dicens ut daret mihi librum.*

Quod Scriptura sacra cibus fit in obscuris sententiis, & potus in apertis. Lib. 1. in Ezech. hom. 10. n. 3.

ET dixit mihi: *Accipe librum, et devora illum*. Scriptura sacra, cibus & potus est, unde etiam per Prophetam alium Dominus minatur: *Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbi Domini*. Qui ergo subtracto suo eloquio, fame ac siti nos dicit atteri: quia ejus verba, & cibus noster & potus sint, demonstrat. Sed notandum est quod aliquando cibus, aliquando sunt potus. In rebus enim obscurioribus, quæ nequeunt intelligi nisi exponantur, Scriptura sacra cibus est: quia quidquid exponitur, ut intelligatur, quasi manditur ut glutiatur. In rebus autem apertioribus potus est: potum enim non mandendo glutimus. Apertiora ergo mandata bibimus: quia etiam non exposita intelligere valemus. Pro eo autem quod Johannes obscura multa & perplexa auditurus est, nequaquam ei de sacro libro dicitur: *Bibe*, sed *devora & comede*. Ac si diceretur; Petracta & intellige, id est prius mande, & tunc degluti. Amos 8 11.

CAPUT XXXIV.

Apoc. 10.10. *Et accepi librum de manu Angeli, et devoravi illum; et erat in ore meo dulce tamquam mel.*

De studio & meditatione custodiæ verbi Dei. Lib. 1. in Ezech. hom. 10. n. 11.

LIBRUM devoramus, cum verba vitæ cum aviditate sumimus. In quo devorationis verbo, quid aliud quam torpor pigritiæ nostræ reprehenditur, verba Domini atque mysteria, & per nosmetipsos non requirimus, & dicta ab aliis audimus inviti? Librum ergo devoramus & comedimus, dum verbum Dei legimus: multi autem legunt, & ab ipsa lectione jejuni sunt; multi vocem prædicationis audiunt, sed post vocem vacui & jejuni recedunt; quia etsi mente intellectum sacri eloquii percipiunt, obliviscendo, & non servando quæ audierint, hæc in cordis visceribus non reponunt. Legunt & autem, & jejuni a lectione non sunt, qui intelligunt & reservant ea, in quibus laborant. Sæpe enim quosdam vidimus tota se mente ad sacræ lectionis studium contulisse, atque inter verba Dominica recognoscentes in quantis deliquerint, semetipsos in lacrymis mactare, mœrore continuo afficere, in nullis hujus mundi prosperitatibus delectari; itaut eis vita præsens oneri, & lux ipsa fastidium fieret; vix ad colloquendum communia admittere, atque a rigore disciplinæ animum difficile relaxare, pro amore Conditoris, luctu solummodo & silentio gaudere. Hi sanctum librum devorant, & comedunt, & jejuni non sunt; quia præcepta vitæ, quæ sensus capere potuit, memoria non amisit; sed hæc colle- E ctus in Deo animus legendo, & recolendo servavit. Et fit plerumque ut tales quique ex dono gratiæ cælestis, etiam verbum doctrinæ percipiant, atque de veritatis pabulo quod ipsi dulciter nutriti secus ruminant, proximos suaviter pascant. De quorum profecto ore, prædicatio tanto audientibus dulcis est, quanto eorum actio contraria suis prædicationibus non est; quia de propria vita sumunt, quod per linguam proximo conferunt. Unde recte dicitur: *Et devoravi illum: & erat in ore meo dulce tamquam mel.* num. 12.

mel. Liber qui comeditur & devoratur, dulcis in ore sicut mel factus est: quia ipsi sciunt de omnipotente Domino suaviter loqui, qui didicerint hunc in cordis sui secreto veraciter amare. In ejus quippe ore Scriptura sacra dulcis est, cujus vitæ viscera mandatis illius replentur: quoniam ei suavis est ad loquendum, cui intarius impressa fuerit ad vivendum. Nam sermo Dei dulcedinem non habet, quem vita reproba intra conscientiam remordet. Unde necesse est ut qui verbum Dei loquitur, prius studeat scire qualiter vivat: ut post ex vita colligat, quæ & qualiter dicat. Ad prædicandum namque plus conscientia sancti amoris ædificat, quam exercitatio sermonis: quoniam amando cælestia intra semetipsum prædicator legit quomodo persuadeat, ut despi- B ci debeant terrena. Qui enim vitam suam interius pensat, & exemplo suo foris admonendo alios ædificat, quasi in corde linguæ calamum tingit, in eo quod manu verbi proximis exterius scribit. Inde admirabilis Prædicator, cum multa discipulis exhortando dixit, quia nullam intra semetipsum de conscientia contrarietatem pertulit, secutus adjunxit: *Si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me: hæc agite: & Deus pacis erit vobiscum.*

Phil. 4. 8. 9.

CAPUT XXXV.

Apoc. 10. 10.

Et cum devorassem librum, amaricatus est venter meus.

Quid in nobis agat memoria, & meditatio verbi Dei. Lib. 1. in Ezech. hom. Jerem. 4. 19. Johan. 7. 38.

IN sacro eloquio nonnumquam venter pro mente poni consuevit. Unde Jeremias dicit: *Ventrem meum doleo*. Ventrem quippe doluit, qui mentis afflictionem sensit. Hinc etiam Veritas ait: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Quia enim de mente fidelium sanctæ prædicationes defluunt, quasi de ventre credentium aquæ vivæ flumina decurrunt. Sed quærendum est, cum superius de libro, quem acceperat, scriptum sit: *Et erat in ore meo dulce tamquam mel*, qua ratione postmodum dicitur: *Et cum devorassem librum, amaricatus est venter meus?* Mirum quippe est valde, si dulcedo simul con- D veniant & amaritudo. Sed sciendum est, quia cui sermo Dei in ore cordis dulcis esse cœperit, hujus proculdubio contra semetipsum anima amarescit. Quo enim ille subtiliter discit qualiter se reprehendere debeat, eo se durius per amaritudinem pœnitentiæ castigat: quia tanto magis sibi displicet, quanto amplius in sacro libro de omnipotente Deo videt quod amet.

CAPUT XXXVI.

Apoc. 10. 11.

Et dixit mihi Angelus: Oportet te iterum prophetare populis, et gentibus, et linguis, et Regibus multis.

Qua de causa divina eloquia discere debeamus. Lib. 1. in Ezech. hom. 10. n. 3.

IN verbis sacri eloquii, iste debebit studii nostri ordo servari: ut hæc ideo cognoscamus, quatenus de iniquitate nostra compuncti, cognoscentes mala quæ fecimus, vitemus, ne alia faciamus. Et cum jam ex magno usu lacrymarum de peccatorum remissione cœperit esse fiducia, per verba Dei, quæ intelligimus, ad vitam quoque & alios trahamus. Ad hoc enim intelligenda sunt, ut & nobis prosint, & intentione spirituali aliis conferantur. Unde bene postquam Angelus

A dixit beato Johanni: *Accipe librum, et devora illum*; paulo post subdidit: *Oportet te prophetare populis, et gentibus, et linguis, et Regibus multis*. Ac si ei de sacro cibo diceretur: Comede & pasce, satiare & eructa, accipe & sparge, confortare & * robora.

* al. labora.

CAPUT XXXVII.

Et datus est mihi calamus similis virgæ, dicens: Surge, et metire templum Dei et altare, et adorantes in eo: atrium autem, quod foris templum est, ejice foras: et ne metiaris illud, quoniam datum est Gentibus.

Apoc 11. 1. 2.

De abjectione reproborum, & vocatione electorum. Lib. 2. in Ezech. hom. 1 n. 14. & 11. & in cap. 1 B. Job, lib 18 num. 15. & 6.

IN carne Dominus ad Ecclesiam veniens, mensuras eidem Ecclesiæ posuit, & fines ejusdem Ecclesiæ occulti judicii subtilitate distinxit: intra quos alii vocati retinentur, alii ne accedant, arcentur. Sacra Scriptura calamus mensuræ est: quia in sacro Dei eloquio, quod nobis circumscriptum est occulta esse dispensationes ejus agnoscimus. Nam per incomprehensibile ejus judicium in collectione hominum alios a suis iniquitatibus educit, alios in sua iniquitate derelinquit: alter intra mensuram electorum mittitur, & alter foris relinquitur, ut nullo modo ad electorum numerum pertinere mereatur. Sancto quippe Evangelio teste didicimus quod cuidam dicenti: *Magister, sequar te, quocumque ie-* C *ris*, ejusdem Magistri voce responsum est: *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*. Alii dicenti: *Domine, permitte me primum ire et sepelire patrem meum*; ejusdem Magistri voce responsum est: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem sequere me, et annuntia regnum Dei*. Ecce alius secuturum se promittit, & repellitur: alius relaxandum se postulat, & retinetur. Ille non suscipitur, iste nec ad horæ momentum ab obsequio relaxatur. Prædicatores quoque scientia, gente, spiritu, in alias partes mundi vocabantur, ut irent; ab aliis partibus arcebantur, ne accederent. Paulus namque Apostolus cum Macedoniæ prædicare negligeret, per visum apparuit illi vir Macedo, qui diceret: *Transiens in Macedoniam, adjuva nos*. At contra sicut scriptum est: *Tentabant Apostoli ire per Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Jesu*. Dum ergo prædicatores sancti, & vocantur ad Macedoniam, ubi fortasse pergere non cogitabant, & ab Asia prohibentur, ubi pergere desiderabant, iste occultarum mensurarum calamus illic ductus est, hinc reductus. Illic tenditur ut Macedonia intra sanctæ Ecclesiæ spatia colligatur; hinc attrahitur, ut extra fines fidei Asia relinquatur. Erant quippe tunc in ea qui colligendi non erant, quibus juxta meritum suum perditis, jam nunc Asia intra mensuras Ecclesiæ Deo largiente suscepta est. Intra has ergo mensuras sunt E omnes electi, extra has omnes reprobi; etiamsi intra fidei limitem esse videantur. Unde bene sancto Johanni dicitur: *Atrium quod foris templum est, foras ejice, & ne metiaris illud*. Quid enim atrium aliud quam latitudinem significat vitæ præsentis? Et recte foris templum sunt, qui designantur per atrium, atque ideo metiendi non sunt; quoniam *angusta est porta, quæ ducit ad vitam*; & latitudo vitæ pravorum non admittitur ad mensuras & regulas electorum.

Matth 8. 19. Ibidem. 21. Act. 16. 9. Matth. 7. 14.

CAPUT XXXVIII.

Apoc. 11. 19. & 12. 1. *Et apertum est templum Domini in cælo & visa est arca testamenti ejus in templo ejus: & signum magnum apparuit in cælo: & mulier amicta sole & luna sub pedibus ejus.*

Quod per solem divina claritas, per lunam vero figuretur temporalitatis mutabilitas. IN Scriptura sacra, cum sol figurate ponitur, aliquando Dominus per eum designatur: sicut sapientiæ libro perhibetur, quod omnes impii in extremi judicii cognita sua damnatione dicturi sunt: *Erravimus a via veritatis, & lumen justitiæ non luxit nobis: & sol non ortus est nobis.* In exposit. B. Job, lib. 34. num. 25. Sap. 5. 6. Ac si aperte dicant: Interni nobis luminis radius non refulsit. Unde & Johannes ait: *Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus.* In sole enim illustratio veritatis: in luna vero quæ menstruis suppletionibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur. Sancta autem Ecclesia, quia superni luminis splendore protegitur, quasi sole vestitur: quia vero cuncta temporalia despicit, lunam sub pedibus premit.

CAPUT XXXIX.

Apoc. 12. 3. 4. *Et visum est aliud signum in cælo: & ecce draco magnus, rufus, habens capita septem, & cornua decem, et in capitibus suis septem diademata: et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli, et misit eas in terram.*

Stellarum nomine illi designantur, quos diabolus de cælesti conversatione ad terrena detrahit. In exposit. B. Job, lib. 4. num. 27. HOC de Antichristo sub draconis specie dicitur. Cælum enim est Ecclesia, quæ in hac nocte præsentis vitæ, dum innumeras in se Sanctorum virtutes continet, radiantibus desuper sideribus fulget. In Scriptura sacra quippe stellarum nomine aliquando Sanctorum justitia, quæ in hujus vitæ tenebris lucet, aliquando vero hypocritarum fictio demonstratur, qui bona quæ faciunt, ad percipiendum laudes hominibus ostendunt. Si enim recte viventes stellæ non essent, nequaquam Paulus discipulis diceret: *In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Rursum si inter eos qui recte videntur agere, quidam de actione sua retributionem favoris humani non quærerent, nequaquam stellas Johannes ruere a cælestibus videret, dicens: *Misit draco caudam, et traxit tertiam partem stellarum, et misit eas in terram.* Phil. 2. 15. In exposit. B. Job, lib. 4. num. 27. Illa quippe satanæ extremitas, per audaciam assumti hominis erecta quosdam, quos velut electos Dei in Ecclesia invenit, obtinendo, reprobos ostendit: & extrema persuasione Antichristi quidam, qui videntur lucere, rapientur. Lib. 32. in Job num. 25. Stellas namque in terram trahere, est eos qui videntur studio vitæ cælestis inhærere, ex amore terreno iniquitate aperti erroris involvere. Stellas de cælo in terram cadere, est relicta nonnullos spe cælestium, illo duce ad ambitum gloriæ secularis inhiare.

CAPUT XL.

Apoc. 12. 4. *Et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura: ut cum peperisset, filium ejus devoraret.*

Scriptura sacra aliquando futurum pro præterito, & præteritum pro futuro ponit. SCRIPTURA sacra ita nonnumquam tempus præteritum futurumque permiscet, ut aliquando futuro pro præterito, aliquando vero utatur præterito pro futuro. Futuro namque pro præterito utitur, cum Johanni mulier paritura masculum, qui regat gentes in virga ferrea, demonstratur. In exposit. B. Job, lib. 34. num. 12. Quod quia incarnato Domino veniente jam tunc factum fuerat, res gesta nuntiabatur. Rursum præterito utitur pro futuro, sicut per Psalmistam Dominus loquitur, dicens: *Foderunt manus meas et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.* Psal. 21. 18. Quibus videlicet verbis species Dominicæ passionis, quasi jam transacta describitur, sed tamen adhuc longe post futura nuntiatur.

CAPUT XLI.

Apoc. 12. 7. *Et factum est prælium magnum in cælo, Michael et Angeli ejus præliabantur cum dracone. Et draco pugnabat et Angeli ejus, et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cælo. Et projectus est draco ille magnus.*

De privatis Angelorum nominibus. Homil. 34. in Evang. n. 8. & 9. SERPES antiquus qui vocatur diabolus & satanas, qui seducit universum orbem, projectus est in terram, & Angeli ejus cum illo missi sunt. Cælestis patriæ spiritus, idcirco privatis nominibus censentur, ut signetur per vocabula, etiam in operatione quid valeant. Et cum ad nos aliquid ministraturi veniunt, apud nos etiam nomen a ministeriis trahunt. Michael namque, quis ut Deus; Raphael vero dicitur medicina Dei. Et quoties miræ virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur: ut ex ipso actu & nomine detur intelligi, quia nullus potest facere quod facere prævalet Deus. Unde & ille hostis antiquus qui esse Deo per superbiam similis concupivit, dicens: *In cælum ascendam, super astra cæli exaltabo solium meum: similis ero Altissimo:* Isa. 14. 13. dum in fine mundi in sua virtute relinquetur, extremo judicio perimendus, cum Michaele Archangelo præliaturus esse perhibetur: ut qui se ad Dei similitudinem superbius extulerat, per Michaelem peremtus discat, quia ad Dei similitudinem nullus per superbiam exurgat. Raphael quoque interpretatur, ut diximus, medicina Dei: quia videlicet dum Tobiæ oculos, quasi per officium curationis tetigit, cæcitatis ejus tenebras tersit. Qui ergo ad curandum mittitur, dignus videlicet fuit ut Dei medicina vocaretur.

CAPUT XLII.

Apoc. 12. 10. *Et audivi vocem magnam dicentem: Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Domini nostri, et potestas Christi ejus; quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Domini die ac nocte.*

Qualiter diabolus accuset eos. In exposit. B. Job, lib. 2. num. 15. ASTUTUS adversarius cum sanctum quemlibet virum inter prospera bene egisse considerat, reprobare apud Judicem per adversa festinat. Scriptura vero sacra sæpe diem pro prosperis, noctem autem pro adversis ponere consuevit. In die ergo, & in nocte accusare non desinit: quia modo nos in prosperis, modo in adversis accusabiles ostendere contendit. In die accusat, cum prosperis male nos uti insinuat: in nocte accusat, cum in adversis nos non habere patientiam demonstrat.

CA-

CAPUT XLIII.

Apoc. 12. 12. *Væ terræ & mari, quia ascendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.*

ANTIQUUS hostis extrema mundi atrocius tentaturus aggreditur: quia tanto fit ferventior ad sævitiam, quanto se viciniorem sentit ad pœnam. Considerat quippe quod juxta sit ut licentiam amittat nequissimæ libertatis: quoniam a tentandi licentia abstractus, æternis incendiis religabitur. Et quantum brevitate temporis angustatur, tantum multiplicitate crudelitatis expanditur: habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet, sicut de illo, voce angelica Johanni dicitur. Tunc ergo in magnæ iræ fervorem se dilatat, ne qui in beatitudine stare non potuit, in damnationis suæ foveam cum paucis ruat. Tunc quidquid nequiter valuerit, callidius exquirit: tunc superbiæ cervicem altius erigit; & per damnatum illum quem gestat hominem, omne quod temporaliter prævalet, nequiter ostendit.

Diabolus circa finem mundi crudelior apparebit. In exposit. B. Job. lib. 34. num. 1.

CAPUT XLIV.

Apoc. 13. 11. *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, et habebat cornua duo similia agni, et loquebatur sicut draco: et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus, et fecit signa magna, ut etiam faceret ignem de cælo descendere in terram in conspectu hominum.*

PRÆDICATORES Antichristi, sanctitatis sibi speciem arrogabunt, sed tamen opera iniquitatis exercebunt: clari erunt per justitiæ simulationem, sed obscuri per nequitiæ perpetrationem. Horum igitur simulationis malitiam Johannes brevi descriptione comprehendit. Priorem quippe bestiam, id est Antichristum, superiori jam descriptione narraverat: post quem etiam hæc alia bestia ascendisse dicitur, quia post eum multitudo prædicatorum illius ex terrena potestate gloriatur. De terra quippe ascendere, est de terrena gloria superbire. Quæ habet duo cornua agni similia: quia per hypocrisim sanctitatis, eam quam in se veraciter Dominus habuit, sibi singularem inesse & sapientiam mentietur & vitam. Sed quia sub agni specie auditoribus reprobis serpentinum virus infunditur, recte illic subditur: *Et loquebatur ut draco.* Ista ergo bestia, id est prædicantium multitudo, si aperte ut draco loqueretur, agno similis non appareret, sed assumsit agni speciem, ut draconis exerceat operationem. Illo tempore complebitur quod Veritatis ore per Evangelium dicitur: *Surgent Pseudochristi, et Pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia: itaut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Electi namque dum eorum signa conspicient, dum contemnentes vitam tanta ministrorum Antichristi miracula perhorrescent, quoddam dubietatis nubilum in corde patientur: quia dum se per prodigia illorum malitia elevat, in istis aliquatenus visus certior caligat. Ex prædicatorum igitur Antichristi signis & prodigiis mendacibus ad momentum dubietas in bonis mentibus generabitur: & in electorum cordibus conspectis terribilibus signis, obscura cogitatio conglobabitur. Tunc unaquæque electorum anima

De simulatione Antichristi, & Prædicatorum ejus. In exposit. B. Job. lib. 33. num. 59. 61. & 62.

Marc. 13. 22.

A cogitationum suarum impetus quasi spumas undarum in olla ferventium sustinebit: quas & ignis zeli commovebit, & ipsa temporalis oppressio more ollæ intrinsecus clausas tenebit. Unde cum Johannes hujus bestiæ signa narraret, adjunxit: *Itaut ignem faceret de cælo descendere.* Ignem quippe de cælo descendere, est de cælestibus electorum animis sancti zeli flammas emanare.

CAPUT XLV.

Vidi supra Sion Agnum stantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia. Et cantabant quasi canticum novum, & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia. Apoc. 14. 1.

B HOC de virginibus peccatum carnis ignorantibus per Johannem dicitur. Singulariter quippe canticum agni cantare, est cum eo in perpetuum præ cunctis fidelibus etiam de carnis incorruptione gaudere. Quod tamen electi ceteri canticum audire possunt, licet dicere nequeant: quia per caritatem quidem in illorum celsitudine læti sunt, quamvis ad eorum præmia non assurgant. De hac incorruptione & carnis integritate per semetipsam Veritas dicit: *Non omnes capiunt verbum hoc;* quod eo innotuit summum esse, quo denegavit omnium: & dum prædicit quia difficile capitur, audientibus innuit, captum cum qua cautela teneatur.

De singulari virginum mundi. & incorruptione. Reg. ul Pastor. part. 3. cap. 28.

Matth. 19. 11.

C

CAPUT XLVI.

Vidi nubem candidam, & supra nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam. Apoc. 14. 14.

POTESTAS divini judicii, quia intra se omnia incidendo complectitur, falcis appellatione signatur. In falce enim quidquid inciditur, quaquaversum flectatur, intus cadit. Et quia potestas superni judicii nullatenus evitatur, D intra ipsam quippe sumus, quolibet fugere conemur: recte cum venturus Judex ostenditur, falcem tenere perhibetur, quia cum potenter ad omnia obviat, incidenter circumdat.

De judicio Dei. In exposit. B. Job. lib. 11. num. 21.

CAPUT XLVII.

Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem; & datum est illi æstu afficere homines et igne. Apoc. 16. 8.

SOLIS nomine sapientium intellectus exprimitur: phialam videlicet in sole effundere, est persecutionis supplicia viris sapientiæ splendore fulgentibus irrogare. Et datum est illi ut affi- E ceret homines æstu & igne: quia dum sapientes viri cruciatibus victi, mala agendi errore tanguntur, illorum exemplo persuasi, infirmi quique temporalibus desideriis inardescunt. Ruinæ namque fortium, augmenta præstant perditionibus infirmorum. Quia sole acumen sapientium designatur, per comparationem quoque a Salomone dicitur: *Sapiens ut sol permanet, stultus ut luna mutatur.* Eccles. 27. 12.

De significatione solis, & ruina fortium. In exposit. B. Job. lib. 34. num. 25.

CAPUT XLVIII.

Apoc. 16. 8.

Et ecce venio sicut fur.

Terminus vitæ cur nobis incognitus sit, & qualiter incautos decipiat. Homil. 13. in Evang. n. 5. & 6. Luc. 12. 39.

AD excutiendum mentis nostræ desidiam, & ut animus ad suam suscitetur custodiam, per similitudinem in Evangelio Dominus loquitur, dicens: *Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam.* Ex qua præmissa similitudine etiam exhortatio subinfertur, cum dicitur: *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Nesciente autem patrefamilias, fur domum perfodit; quia dum a sui custodia spiritus dormit, improvisa mors veniens nostræ carnis habitaculum irrumpit; & eum quem Dominus domus invenerit dormientem, necat; quia cum ventura damna spiritus minime prævidet, hunc mors ad supplicium nescientem rapit. Furi autem resisteret, si vigilaret; quia adventum Judicis, qui occulte animam rapit, præcavens, ei pœnitendo occurreret, ne impœnitens periret. Horam vero ultimam Dominus noster idcirco nobis voluit esset incognitam, ut semper possit esse suspecta; ut dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. Quia ergo & venturæ mortis tempus ignoramus, & post mortem operari non possumus, superest ut ante mortem tempora indulta rapiamus. Sic enim, sic mors ipsa cum venerit, vincitur, si priusquam veniat, semper timeatur.

CAPUT XLIX.

Apoc. 16. 15.

Beatus qui vigilat.

De sollicita vitæ nostræ custodia. Homil. 13. in Evang. n. 3.

VIGILAT qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet. Vigilat qui servat operando quod credit. Vigilat qui a se torporis & negligentiæ tenebras repellit. Hinc enim Paulus dicit: *Evigilate justi, et nolite peccare.* Hinc rursus ait: *Hora est jam nos de somno surgere.*

1. Cor. 15. 34. Rom. 13. 11.

CAPUT L.

Apoc. 16. 15.

Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.

In expos. B. Job lib. 12. n. 9. & lib. 16. num. 63.

SICUT corpus cooperiunt vestimenta: sic animam bona protegunt opera. Vestem innocentiæ primus homo bene conditus accepit, male persuasus a serpente perdidit. Et quia concessa prius in paradiso veste innocentiæ nudamur, contra hanc nuditatem dicitur: *Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.* Vestimenta quippe custodimus, cum innocentiæ præcepta servamus in mente: ut cum nos judicii culpa nudat, ad amissam redeuntes innocentiam pœnitentia operiat.

CAPUT LI.

Apoc. 16. 13.

Et videant turpitudinem ejus.

In expos. B. Job. lib. 1. num. 18.

TURPITUDO nostra tunc cernitur, cum vita reprehensibilis ante justorum oculos in judicio nequaquam subsequentis boni operis tegmine velatur. Apud Deum nostrum nostra nos opera quasi vestimenta tegunt.

CAPUT LII.

Quantum glorificavit se Babylon, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum. Apoc. 18. 7.

De ordine suppliciii. In expos. B. Job. lib. 9. num. 98

NEQUAQUAM omnipotens Deus qui mala bene punit, inordinata esse ullo modo, vel tormenta permittit: quoniam ipsa quoque supplicia, quæ ex lance justitiæ prodeunt, inferri sine ordine nequaquam possunt. Quomodo namque in suppliciis ordo non erit, dum damnatum quemque juxta modum criminis, & retributio sequetur ultionis? sicut supra dictum in damnatione Babylonis. Si igitur juxta modum culpæ pœna distinguitur, constat nimirum quod in suppliciis ordo servatur.

CAPUT LIII.

Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt. Apoc. 19. 9.

De refectione æterni convivii. Homil. 14. in Evangel. n. 6 & homil. 36.

PER hanc cœnam nuptiarum agni, æternum & ultimum convivium designatur, ad quod quisquis semel intraverit, amplius non exibit. Idcirco autem hoc ultimum convivium Dei non prandium, sed cœna vocatur: quia post prandium cœna, post cœnam vero nullum convivium restat. Et quia æternum Dei convivium nobis in extremo præparabitur, rectum fuit ut hoc non prandium, sed cœna vocaretur. Idcirco ergo Johannes non ad prandium, sed ad cœnam vocatos narrat: quia nimirum in fine diei convivium cœna est. Qui ergo finito præsentis vitæ tempore ad refectionem supernæ contemplationis veniunt, non ad agni prandium, sed ad cœnam vocantur. Illo ergo ultimo convivio de præsentia veritatis epulabuntur, qui nunc perfectionis studio terrena transcendunt, quos mundi hujus amor non ligat: quibus etsi utcumque per tentamenta obstrepit, cœpta tamen eorum desideria non retundit. Illos tunc interna refectio reparabit; quia nunc pleni septiformi gratia in amore Spiritus anhelant. Hujus ergo, fratres, Spiritus repleri præsentia desideremus: quia si hoc Spiritu pleni fuerimus, ad illud convivium pervenire valebimus. Quisquis namque ille est, quem nunc Spiritus sanctus non reparat, profecto ab illa æterni convivii refectione jejunat.

CAPUT LIV.

Et vidi cælum: & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis & verax. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomen ejus Verbum Dei. Et exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis. Apoc. 19. v. 11. & seqq.

De exercitu sanctorum martyrum. In expos. B. Job, lib. 13. num. 27.

MULTITUDINEM Sanctorum quæ in hoc martyrii bello sudaverat, exercitum recte vocat. Qui idcirco in equis albis sedere referuntur, quia nimirum eorum corpora & luce justitiæ, & castimoniæ candore claruerunt. Equus quippe est unicuique animæ corpus suum; quod videlicet novit ab illicitis continentiæ freno restringere, & rursum caritatis impulsu in exercitatione boni operis relaxare.

CA-

CAPUT LV.

Apoc. 19. 16.

Et habebat in vestimento suo & in femore scriptum : Rex regum , & Dominus dominantium.

Christus per incarnationem suam mundo innotuit. Lib. 2. in Ezech. hom. 5. n. 9.

VESTIMENTUM Domini Jesu Christi est corpus quod sumsit ex Virgine: nec tamen aliud ejus vestimentum est, atque aliud ipse. Nam nostrum quoque vestimentum caro dicitur, sed tamen ipsi nos nostra sumus caro, qua vestimur. Hoc autem vestimentum illius, longe ante Isaias aspiciens per crucem passionis sanguine cruentatum, dixit : *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua quasi calcantium in torculari ?* (*Isa. 63. 2.*) Per femur vero propagatio carnis est. Quia ergo per propagationem generis humani, sicut generationum ordines Matthæo vel Luca narrantibus describuntur, in hoc mundo venit ex Virgine : & per incarnationis suæ mysterium, quia Rex esset & Dominus, cunctis ubique Gentibus indicavit; in mundo innotuit, ibi de se electionis scientiam infixit.

CAPUT LVI.

Apoc. 20. 1.

Vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, & ligavit eum per annos mille, & misit in abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni : & post hæc oportet illum solvi modico tempore.

De damnatione diaboli. In exposit. B. Job, lib. 4. n. 16.

ANTIQUUS hostis, & draco & serpens vocatur. Draco dicitur : quia nos ad nocendi malitiam inflammat, & malitiose nobis nocere appetit. Serpens dicitur, quia semper insidias molliter infundit: abyssum vero corda hominum vocat, quæ & per lapsum fluida, & per duplicitatis caliginem sunt tenebrosa. (*Lib. 33. num. 32.*) Antiquus itaque serpens catena ligatus in abyssum mittitur : quia religatus a bonorum cordibus apud reproborum mentes reclusus, eis atrocius dominatur, & potentia divinæ dispensationis adstringitur, ne, inquantum nocere valet, effrenetur; ut quamvis per eos occulte sæviat, ad violentas tamen rapinas superbiæ non erumpat. Ille igitur apostata Angelus, qui ita conditus fuerat, ut Angelorum ceteris legionibus eminerct, ita superbiendo succubuit, ut nunc stantium Angelorum dominationi substratus sit; quatenus vel nunc ad utilitatem nostram eis ministrantibus religatus lateat, vel post ad probationem nostram eis relaxantibus totis se suis contra nos viribus solutus exerceat. Electi itaque Angelorum spiritus superbum apostatam nunc in abyssi puteo clausum comprimunt, qui humiles hunc sequi noluerunt; ipsisque administrantibus disponitur, ut ad intentionem aperti certaminis destruendus funditus quandoque revocetur.

CAPUT LVII.

Apoc. 20. 6.

Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima.

De morte & resurrectione animæ. In exposit. B. Job, lib. 9. num. 3.

MORS peccatum est, quod ab interiore vita animam occidit. Ille itaque post in carne feliciter resurgit, qui in hac vita positus, a mentis suæ morte surrexit.

CAPUT LVIII.

Apoc. 20. 6.

Et in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum eo mille annis.

De significatione millenarii numeri. In exposit. B. Job, lib. 9. num. 3. Psal. 104. 8.

IN Scriptura sacra millenarius numerus pro universitate solet intelligi. Hinc etenim Psalmista ait : *Verbi quod mandavit in mille generationes* : cum profecto constet quod ab ipso mundi exordio, usque ad Redemtoris adventum, per Evangelistam non amplius quam septuaginta & septem propagines numerentur. Quid igitur in millenario numero, nisi ad proferendum novam sobolem perfecta universitas præscitæ generationis exprimitur? Hinc ergo per Johannem dicitur : *Et regnabunt cum eo mille annis*; quia videlicet regnum sanctæ Ecclesiæ, universitatis perfectione solidatur.

CAPUT LIX.

Apoc. 20. 7.

Et postquam consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo; & exibit, et seducet gentes.

De aperta diaboli malitia in tempore Antichristi. In exposit. B. Job, lib. 18. num. 67. Lib. 19. n. 15.

MILLENARIO numero non quantitatem temporis, sed universalitatem, qua regnat Ecclesia, designavit; & ipso numero universum pro perfectione sua hoc quantumlibet sit sanctæ Ecclesiæ tempus expressit. Quo peracto, draco de puteo abyssi educetur : quia diabolica malitia, quæ in iniquorum subdolis occultatur cordibus, tunc revelabitur; & quod modo præ timore tegitur, tunc contra Ecclesiam publice de iniquorum ore omne serpentinum virus aperietur. Nunc enim abscondit se sub blandiente lingua sæviens conscientia; & malitia calliditatis quasi quadam se tegit abysso simulationis. In fine vero mundi antiquus hostis vas proprium, illum perditum hominem, ingredietur, qui specialiter Antichristus nuncupatur; qui mensuras hominum transcendens, modo honoris secularis culmine, modo signis & prodigiis fictæ sanctitatis, in tumore potentiæ elevari permittetur. Spiritus enim in illo ceit, qui in sublimibus conditus, potentiam naturæ suæ non perdidit vel dejectus. Cujus virtus idcirco nunc minime ostenditur, quia dispensatione divinæ fortitudinis a bonorum cordibus religatur; & ab electis Angelorum spiritibus nunc in abyssi puteo, id est in reproborum mentibus, reclusus premitur. (*Lib. 18. n. 67.*) Tempore vero Antichristi de abyssi puteo, id est de iniquorum cordibus nunc occulte sævientibus eductus procedet; & tunc accepta potestate, contra Ecclesiam in vim apertæ persecutionis erumpet. (*Lib. 12. n. 23.*) Per semetipsam Veritas dicit : *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.* (*Matt. 24. 21.*) Tunc enim antiquus hostis suis viribus traditus, pauco quidem in tempore, sed in multa contra nos relaxabitur virtute,

sicut supra scriptum est: *Post hæc oportet illum solvi modico tempore*. A Quem quamvis sævitia ad crudelitatem dilatet, superna tamen misericordia brevitate dierum angustabit, sicut ipsa Veritas ait: *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro*. Quia enim & superbos nos & infirmos Dominus conspicit, dies quos singulariter malos intulit, misericorditer breviatos dicit: profecto ut & superbiam terreat de temporis adversitate, & infirmitatem refoveat de brevitate. Superba itaque Antichristi celsitudo super reprobas mentes hominum fastu gloriæ secularis erigetur, itaut homo peccator, & tamen homo despiciens æstimari, Deum se super homines mentiatur. Unde Paulus Apostolus dicit: *Itaut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus*. B Sed hæc ejus superbia districti Judicis erit adventu ferienda, sicut scriptum est: *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui*. De hoc quoque perdito homine per Danielem dicitur: *Contra principem principum consurget, et sine manu conteretur*: quia non Angelorum bello, non Sanctorum certamine, sed per adventum Judicis, solo oris spiritu æterna morte ferietur. Johannes quoque in hac revelatione sua subsequitur, dicens: *Et descendit ignis a Deo de cælo, et devoravit eos*. Antichristum videlicet, & ejus ministros, & prædicatores.

In exposit. B. Job, lib. 32. num. 17. *2 Thess. 2. 4.* *2. Thess. 2. 8.* *Dan. 8. 25.* *Apoc. 20. 9.*

CAPUT LX.

Apoc. 20. 9 & 10.

C *Et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris: ubi et bestia et Pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum. Amen.*

Diabolus a parte videbitur ab electis in die Judicii. In exposit. B. Job, lib. 33. num. 37.

ÆTERNO quippe Judice terribiliter apparente, adstantibus legionibus Angelorum, assistente cuncto ministerio cælestium potestatum, atque electis omnibus ad hoc spectaculum deductis, ista bellua crudelis & fortis, in medium captiva deducetur, & cum suo corpore, id est cum reprobis omnibus, æternis gehennæ incendiis mancipabitur, cum dicetur: *Discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus*. D O quale erit illud spectaculum, quando hæc immanissima bellua electorum oculis ostendetur: quæ hoc belli tempore nimis illos terrere potuerat, si videretur: sed occulto ac miro Dei consilio agitur, ut & nunc per ejus gratiam oppugnantibus non visa vincatur, & tunc ab electis victoribus jam captiva videatur. Tunc autem justi divino adjutorio, quantum debitores sunt, plenius recognoscunt: quando tam fortem bestiam viderint, quam nunc infirmi vicerunt; & in hostis sui immanitate conspiciunt, quantum debeant gratiæ defensoris sui. Redeunt enim de hoc prælio tunc milites nostri, virtutum trophæa referentes; & receptis corporibus, cum jam in illo judicio regni cælestis introitum sortiuntur, prius immanissimas vires hujus antiqui serpentis aspiciunt, E ne vile æstiment quod evaserunt. Visa vero mors ejus tunc gaudium exhibet, cujus tolerata vita nunc justis quotidie in cruciatibus bellum movet.

Matth. 25. 41.

CAPUT LXI.

Et vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum; a cujus conspectu fugit terra & cælum. Et vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu troni: & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vita: & judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.

Apoc. 20. 12.

JUSTORUM debet vitam conspicere, qui vult suam subtiliter deprehendere. Viva lectio est vita bonorum. Unde non immerito iidem justi in sacro eloquio libri nominantur, sicut a B Johanne dicitur: *Libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vita*. Liber namque vitæ, est ipsa visio Judicis advenientis, in quo quasi scriptum est omne mandatum: quia quisquis eum viderit, mox teste conscientia, quidquid non fecit, intelligit. Libri etiam aperti referuntur, quia justorum tunc vita conspicitur, in quibus mandata cælestia opere sic expressa cernuntur. Et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris: quoniam in ostensa vita justorum, quasi in expansione librorum legunt bonum quod agere ipsi noluerunt, atque damnantur ex eorum comparatione qui fecerunt. Ne ergo unusquisque tunc videns eos, quod non fecit, defleat; nunc in eis quod imitetur, attendat. C Illorum videlicet species, quasi quædam forma nobis imitanda proponitur. Qui enim plenissime intelligere appetit qualis est, tales nimirum debet conspicere, qualis non est; ut ex bonorum forma metiatur, quantum ipse deserto bono deformis est. Ex his quippe, quibus plenissime bona adsunt, perpendit recte, quæ sibi minus sunt; & illorum pulchritudine conspicit fœditatem suam, quam in seipso perpeti potest, & sentire non potest.

Vita justorum quasi liber & speculum est animarum. In exposit. B. Job, lib. 24. num. 16.

CAPUT LXII.

Et vidi cælum novum, & terram novam: primum enim cælum & prima terra abiit.

Apoc. 21. 1.

D QUÆRI potest, cum per Salomonem dicitur: *Generatio præterit, & generatio advenit, terra vero in æternum stat*, cur beatus Johannes cælum & terram abiisse asserit? Quod tamen facile discutimus, si terra & cælum qualiter transeant, vel qualiter maneant, distinguamus. Utraque namque hæc per eam quam nunc habent, imaginem transeunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistunt. Hinc namque per Paulum dicitur: *Præterit enim figura hujus mundi*. Hinc per semetipsam Veritas dicit: *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*. Hinc ad Johannem angelica voce dicitur: *Erit cælum novum, & terra nova*. Quæ quidem non alia E condenda sunt, sed hæc ipsa renovantur. Cælum igitur & terra transit, & erit: quoniam ab ea quam nunc habet, specie per ignem tergitur, & tamen in sua semper natura servatur. Unde per Psalmistam dicitur: *Mutabis ea & mutabuntur*. Quam quidem ultimam commutationem suam ipsis nobis nunc vicissitudinibus nuntiant, quibus nostris usibus indesinenter alternant. Nam terra a sua specie hyemali ariditate deficit, humore vernali viridescit. Cælum quotidie cali-

De renovatione cæli & terræ qualiter fieri debeat. In exposit. B. Job, lib. 27. num. 11. Eccles. 1. 4. *1 Cor. 7. 31. Matth. 24. 35.* *Psal. 101. 27.*

caligine noctis obducitur, & diurna claritate renovatur. Hinc ergo fidelis quisque colligat, & interire hæc, & tamen per innovationem refici, quæ constat nunc assidue, velut ex defectu reparari.

CAPUT LXIII.

Apoc. 21. 10. 11. 12.

Et venit unus de septem Angelis, & sustulit me in spiritu in montem magnum & altum, & ostendit mihi civitatem sanctam Ecclesiam descendentem de cælo a Deo, habentem claritatem Dei: & habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim, & erat structura ejus muri ex lapide jaspide, ipsa vero civitas aurum mundum, simile vitro mundo.

De summa caritate atque scientia sanctorum in æterna beatitudine habenda. In exposit. B. Job. lib. 18. num. 77. & lib. 34. num. 26.

APPELLATIONE auri in sacro eloquio, aliquando splendor supernæ civitatis accipitur. Aurum namque ex quo civitas illa constat, simile vitro dicitur, ut per aurum clara, & per vitrum perspicua designetur. Auri quippe metallum novimus potiori metallis omnibus claritate fulgere: vitri vero natura est ut extrinsecus visum pura intrinsecus perspicuitate perluceat. In alio metallo quidquid intrinsecus continetur, absconditur: in vitro vero quilibet liquor qualis continetur interius, talis exterius demonstratur: &, ut ita dixerim, omnis liquor in vitreo vasculo clausus patet. Quid igitur aliud in auro vel vitro accipimus, nisi illam supernam patriam, illam beatorum civium societatem, quorum corda sibi invicem & claritate fulgent, & puritate translucent? Quia enim omnes Sancti in æterna beatitudine summa claritate fulgebunt, instructa auro dicitur. Et quoniam ipsa eorum claritas sibi vicissim in alternis cordibus patet, & cum uniuscujusque vultus attenditur, simul & conscientia penetratur, hoc ipsum aurum simile vitro mundo esse memoratur. Ibi quippe uniuscujusque mentem alterius oculis, membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus, patebit corporalibus oculis ipsa etiam harmonia corporis. Sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc non potest esse conspicabilis sibi. Nunc autem corda nostra quamdiu in hac vita sumus, quia ab altero in alterum videri non possunt, non intra vitrea, sed intra lutea vascula concluduntur. Cui scilicet luto per passionem mentis inhærere Propheta formidabat, cum diceret:

Psal. 68. 15.

Eripe me de luto, ut non inhæream. Quod nimirum habitaculum corporum Paulus domum terrestrem nominat, dicens:

2. Cor. 5. 1.

Scimus quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis. In hac itaque terrestri domo ac corruptibili carne, quousque vivimus, ipsum, ut ita dicam, corruptionis nostræ parietem mentis oculo nullatenus penetramus: & vicissim cogitationes nostras, & occulta in alterutrum videre non possumus. Unde rursum per eumdem Paulum dicitur:

1. Cor. 2. 11. 1. Cor. 4. 5.

Quis scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Et rursum: *Nolite ante tempus judicare, donec veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Illa itaque civitas, in qua omnes Sancti tanta claritate fulgent, tanta perspicuitate translucent, quæ sua vicissim singulis corda manifestat, ex auro dicitur similis vitro mundo, ut designetur auro clara, vitro perspicua.

CAPUT LXIV.

Apoc. 21. 16. & 17.

Longitudo, et latitudo, et altitudo civitatis æqualia sunt. Et mensus est Angelus muros ejus mensura hominis quæ est Angeli.

Humilitas hominum, naturæ quandoque adæquabitur Angelorum. Lib. 2. in Ezech. hom. 2. n. 11.

CIVITAS sancta Jerusalem quam inhabitat Deus, ex angelica simul & humana natura perficitur: per hoc quod angelica creatura sursum est, & humana adhuc deorsum, potest per latitudinem & altitudinem civitatis hæc utraque creatura signari: quoniam ista adhuc in imis degit, illa vero in sublimibus permanet. Sed latitudo & altitudo æqualia sunt, quoniam humilitas hominum ad æqualitatem quandoque perducitur Angelorum. Unde scriptum est:

Matt. 22. 30.

Non nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in cælo. Unde etiam per Johannem dicitur: *Mensura hominis quæ est Angeli.* Quia usque ad illam altitudinem gloriæ homo perducitur, in qua se solidatos Angeli lætantur. Latitudo ergo civitatis tanta est, quanta altitudo: quoniam electi quique, qui modo laborant in imis, quandoque non erunt inæquales illis spiritibus beatissimis.

CAPUT LXV.

Apoc. 22. 8.

Et ego Johannes qui audivi, & vidi hæc, postquam audissem & vidissem cecidi ad pedes Angeli qui mihi hæc ostendebat, ut adorarem, & dixit mihi: Vide ne feceris, conservus tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum qui servant verba libri hujus.

Quare Angeli post incarnationem Domini ab hominibus noluerint adorari. In exposit. B. Job lib. 27. num. 29.

ANTE incarnationem Domini in Testamento veteri adorasse homo Angelum legitur, nec tamen adorasse prohibetur: sed post Mediatoris adventum, cum se Johannes adorando Angelo prostravisset, prohibetur. Quid est hoc quod prius æquanimiter concedebant adorari, post ab homine adorari Angeli recusant? nisi quod prius hominem carnalibus corruptionibus deditum, nec ab eisdem carnalibus corruptionibus redemtum, quo abjectiorem noverant, justius contemnebant: postmodum vero humanam naturam eo jam substratam habere non poterant, quo hanc in auctore suo etiam super semetipsos ductam videbant. Neque enim debebat jam in membris subjecta despici, quæ in ipso membrorum capite meruit prælata venerari.

CAPUT LXVI.

Apoc. 22. 10.

Et dicit mihi: Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus; tempus enim prope est.

De revelatione mysteriorum sacræ Scripturæ, & de Enoch, & Helia. In exposit B. Job, lib. 9. num. 15. Dan. 12. 4. Apoc. 10. 4.

URGENTE mundi fine, superna scientia proficit, & largius cum tempore excrescit. Hinc namque per Danielem dicitur: *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia.* Hinc Johanni in priori parte revelationis Angelus dicit: *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua.* Cui tamen in ejusdem revelationis termino præcepit, dicens: *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus.* Pars quippe revelationis anterior signari præcipitur, terminus prohibetur: quia quidquid in sanctæ Ecclesiæ initiis latuit, quotidie finis ostendit. Signare autem dici-

tur, quasi signaculo claudere. Unde per beatum A Job dicitur de Domino: *Qui stellas claudit quasi sub signaculo*. Sicut cælorum vel nubium nomine, cælestis vita prædicantium signatur, qui super arentem terram humani pectoris sanctæ prædicationis imbres fundunt, de quibus per Psalmistam dicitur: *Cæli enarrant gloriam Dei*; sic stellarum claritate etiam ipsi prædicatores figurantur: quia dum recta peccatoribus prædicant, tenebras nostræ noctis illustrant. Unde & subtractis prædicatoribus per Prophetam dicitur: *Prohibitæ sunt stellæ pluviarum*. Si autem prædicationis sermo pluvia non esset, Moyses minime dixisset: *Expectetur sicut pluvia eloquium meum*. Et nequaquam per Isaiam Veritas diceret: *Mandabo nubibus, ne pluant super eam imbrem*. Dominus ergo sub signa- B culo stellas claudit: quia dum prædicatores suos per silentium intra semetipsos retinet, cæcis iniquorum sensibus cæleste lumen abscondit. Pensandum vero est, quia idcirco aliquid sub sigillo claudimus, ut hoc cum tempus congruit, ad medium proferamus. Hinc est quod duo illi eximii prædicatores Enoch & Helias, dilata morte, subtracti sunt, ut ad prædicationis usum in fine revocentur. De quibus per Johannem dicitur: *Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ adstantes*. Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum; quorum unum in Evangelio per semeti- C psum Veritas pollicetur, dicens: *Helias venturus est, & restituet omnia*. Nam etsi ad cælum raptus Helias esse perhibetur, mortem tamen distulit, non evasit. Veniet autem restituturus omnia: quoniam ad hoc nimirum huic mundo restituetur, ut & munera prædicationis impleat, & carnis debitum solvat; sicut de ambobus, id est Enoch & Helia, Johannes subdit, dicens: *Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet adversus illos bellum, & vincet illos, & occidet illos*. Enoch igitur & Helias quasi sub signaculo stellæ clausæ sunt, quæ & nunc occultantur, ne appareant: & post ut prodesse valeant, apparebunt.

Job. 9. 9.
Psal. 18. 1.
Jerem. 3. 3.
Deut. 32. 2.
Isai. 5. 6.
Apoc. 11. 3.
Ibidem.
Ibid. lib. 20. num. 66.
Matt. 17. 11.

CAPUT LXVII. D

Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc. Apoc. 22. 11.

CUM omnipotens Deus ad pœnitentiam tempus indulget, & humana malitia ad usum suæ iniquitatis intorquet, nimirum justo judicio augeri culpa permittitur; ut ad feriendum altius quandoque cumuletur. Hinc de quibusdam Paulus Apostolus dicit: *Ut impleant peccata sua semper*. Hinc David ait: *Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum: et non intrent in justitiam tuam*. Quia sicut scriptum est: *Dominus patiens redditor est*. Sæpe diu tolerat, quos in perpetuum damnat: ut & justorum mundius vita purgetur, & ut considerantibus insinuet, ad quod eos judicium servat. Nonnumquam vero concite percutit, & eorum interitu innocentium corda confirmans, innocentium pusillanimitati consolando concurrit, & etiam ostendit, quoniam multa mala non deserit. Si enim nunc omnes mala agentes percuteret, extremum jam judicium quibus exhiberet? Si autem nullum omnino percuteret, quis res Deum humanas curare crederet?

De his qui de tumulo in peccatis calent. In exposit. B. Job, lib. 25. num. 22.
1. Thess. 2. 16
Psal. 68. 28.
Eccli. 5. 4.
In exposit. B. Job, lib. 5. num. 35.

CAPUT LXVIII.

Et Sponsus et sponsa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Apoc. 22. 17.

OMNES qui cum prædicare digne valeant, præ nimia tamen & immoderata humilitate formidantes refugiunt, divinas contra se sententias terribiliter audiant, quatenus ab eorum cordibus timorem timor expellat. Audiant quod talentum qui erogare noluit, cum sententia damnationis amisit. Audiant quod Paulus eo se a proximorum sanguine mundum credidit, quo feriendis eorum vitiis non pepercit, dicens: *Contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium, non enim subterfugi, quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei*. Audiant quod Isaias, qui a verbi Dei ministerio tacuit, illustratus superno lumine, magna voce pœnitentiæ seipsum reprehendit, dicens: *Væ mihi, quia tacui*. Audiant quod David hoc Deo pro munere obtulit, quod prædicationis gratiam quam acceperat, non abscondit, dicens: *Ecce labia mea non prohibebo, Domine, tu cognovisti: justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi*. Audiant quod Sponsi colloquio ad sponsam dicitur: *Quæ habitas in hortis: amici auscultant te: fac me audire vocem tuam*. Ecclesia quippe in hortis habitat, quæ ad viriditatem intimam exculta plantaria virtutum servat: cujus vocem amicos auscultare, est electos quosque verbum prædicationis illius desiderare. Quam videlicet vocem Sponsus audire desiderat: quoniam ad prædicationem ejus, per electorum suorum animas anhelat. Voce quippe Angeli Johannes admonetur, dicens: *Qui audit, dicat: Veni*. Cui enim jam vox Dei vocantis efficitur in corde, necesse est ut proximo per prædicationis officium erumpat in voce: & idcirco alium vocet, quoniam ipse jam vocatus est. Nimirum enim cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando alios, quo ipse rapitur, debet trahere; ne clausas fores etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat.

De his qui præ nimia humilitate refugiunt prædicare. Regul. Pastor. part. 1. cap. 25.
Matt. 25.
Act. 20. 26.
Isa. 5. 6.
Psal. 39. 10. 11.
Cant. 8. 13.

CAPUT LXIX.

Ego Jesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis: Ego sum radix & genus David, stella splendida & matutina. Apoc. 22 17.

CONDITOR & Redemtor noster postquam omnia creavit, ut nos de captivitate redimeret, inter nos de stirpe David incarnatus apparuit, suaque passione a perpetua morte liberavit. Qui flagellatus, palmis cæsus, corona spinea coronatus, sputis illitus, crucifixus, mortuus, & sepultus, tertia die surrexit, & resurrectionem quam in se factam ostendit, quia capitis sui glo- E riam sequuntur membra, nobis futuram promisit. Qui natus ex Virgine velut lucifer inter tenebras nostræ noctis apparuit, quoniam obscuritate fugata, peccati nobis æternum mane nuntiavit. Luciferum vero se innotuit, quia diluculo de morte surrexit, & fulgore sui luminis, mortalitatis nostræ tetram caliginem pressit. Bene ergo per Johannem dicitur: *Stella splendida & matutina*. Vivus quippe apparens post mortem, matutina nobis stella factus est: quia dum in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequatur,

De incarnatione, passione, ac resurrectione, atque Redemtoris ascensione, novissimaque omnium resurrectione. In exposit. B. Job, lib. 29. num. 75.

indicavit. Primus enim nobis æternæ patriæ gloriam in sua resurrectione monstravit. (*Lib. 2 in Ezech. hom. 8 n. 5. Rom. 6. 9.*) *Qui surgens a mortuis jam non moritur: & mors illi ultra non dominabitur*: nobisque exemplum dicit, ut ea fieri in die ultimo de nostra carne credamus, quæ facta de carne in die resurrectionis cognovimus.

(*num. 6.*) Sed quia sermo nobis de carnis resurrectione se intulit, triste nimis & lugubre est valde, quod quosdam in Ecclesia stare, & de carnis resurrectione cognoscimus dubitare. Hanc autem antiqui Patres venturam esse certissime crediderunt, etiam cum nullum adhuc ejusdem resurrectionis exemplum tenerent. Quia igitur damnatione digni sunt, qui & exemplum jam Dominicæ resurrectionis acceperunt, & tamen adhuc de resurrectione diffidunt: pignus tenent, fidem non habent: Ecclesiam replent, sed quia de resurrectione sua dubitant, mente vacua stant: (*Job. 19. 25.*) de hac per beatum Job dicitur: *Scio quod Redemtor meus vivit, & in novissimo die de terra resurrecturus sum: & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt.* Hinc Psalmista dicit: (*Psal. 103, 29*) *Aufer spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur.* Moxque de carnis resurrectione subjungit: *Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Hinc per Ezechielem Prophetam dicitur: (*Ezech. 37. 4.*) *Ossa arida, audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis: & dabo super vos nervos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vos cutem, & dabo vobis spiritum, & vivetis.* Hinc est quod Propheta alius per resurrectionem Domini genus humanum vidit in finem suscitari, atque ait: (*Osee 6. 3.*) *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos; & vivemus in conspectu ejus.* Hinc est quod cum de semetipso Dominus loqueretur, adjunxit: (*Johan. 5. 28.*) *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, & procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* (*1. Thess. 4. 14*) Hinc Paulus ait: *Si enim credimus quod Jesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.* (*1. Cor. 15. 20*) Qui rursus ait: *Primitiæ dormientium Christus.* Si enim nos a mortis somno non surgimus, quomodo resurrectionem Dominicam primitias habemus?

(*num. 7.*) Ecclesiæ veteres & novi Patres, uno sibi spiritu de carnis resurrectione concordant: ecce ipsa per se Veritas prius voce docuit quod de resurrectione carnis postmodum opere demonstravit: & tamen adhuc quorumdam infirmitas fidem non habet, etiam in domo fidei stans, sed mirari solent qualiter caro revivíscere possit ex pulvere. Mirentur igitur amplitudinem, & molem terræ, abyssos aquarum, omnia quæ in mundo sunt, ipsos quoque Angelos creatos ex nihilo. Minus est valde aliquid ex aliquo facere, quam omnia ex nihilo fecisse: ipsa nobis elementa, ipsæ rerum species resurrectionis imaginem prædicant. Sol enim quotidie nostris oculis moritur, quotidie resurgit; stellæ quoque matutinis horis nobis occidunt, vespere resurgunt: arbusta temporibus æstivis plena foliis & frugibus videmus, quæ hyemali tempore munda floribus ac fructibus, & quasi arida remanent: sed vernali sole redeunte, cum humor a radice surrexit, suo iterum decore vestiuntur. Cur ergo de hominibus diffi- A ditur, quod in lignis fieri videtur? sed sæpe pulverem putrescentis carnis aspiciunt & dicunt: Unde ossa & medullæ: unde caro & capilli poterunt hic reparari? Hæc itaque requirentes, parva semina ingentium arborum videant, atque si possunt dicant: ubi latet in eis tanta moles roboris, tanta diversitas ramorum, tanta multitudo & viriditas foliorum, tanta species florum, tanta ubertas saporum, atque odor fructuum? Numquidnam semina arborum odorem vel saporem habent, quem ipsæ post arbores in suis fructibus proferunt? Si ergo ex semine arboris, quod videri non potest, produci potest, cur de pulvere carnis humanæ diffiditur, quia ex eo reparari forma valeat, quæ non vi- B detur?

Sæpe autem objicere inanem quæstiunculam solent, (*num. 8.*) quia dicunt: carnem hominis lupus comedit, lupum leo devoravit, leo moriens ad pulverem redit. Cum pulvis ille suscitabitur, quomodo caro hominis a lupi & leonis carne dividetur? Quibus quid respondere debemus, nisi ut prius cogitent, qualiter in hunc mundum venerint, & tunc invenient qualiter resurgant? Certe tu homo qui loqueris, aliquando in matris utero spuma sanguinis fuisti. Ibi quippe ex patris semine, & matris sanguine parvus ac liquidus globus eras. Dic, rogo, si nosti qualiter ille humor seminis in ossibus duruit, qualiter in medullis liquidus remansit; qualiter in nervis so- C lidatus est, qualiter in capillis atque unguibus distinctus est: ut ita capilli mollioris carnibus, & ungues essent teneriores ossibus, carnibus duriores. Si igitur tot & tanta ex uno semine, & per speciem distincta sunt, & tamen in forma remanent conjuncta, quid mirum si possit omnipotens Deus in illa resurrectione mortuorum, carnem hominis distinguere a carne bestiarum, ut unus idemque pulvis, & non resurgat inquantum pulvis lupi & leonis, & tamen resurgat inquantum pulvis est hominis? Vide itaque, homo, qualiter ad vitam venisti, nequando dubites ad vitam qualiter redeas. Cur autem ratione vis comprehendere quomodo redeas, qui ignoras quomodo venisti? Da potentiæ Conditoris tui quod compre- D hendere non vales de temetipso. Certe enim, quia tu ex terra factus es, terra vero ex nihilo, tu es creatus ex nihilo. Ne ergo de carnis tuæ resurrectione desperes, perpende prudenter, quia minus est Deo reparare quod erat, quam fecisse quod non erat. Si non potes resurrectionis effectum ratione comprehendere, perpende quam multa sunt, quæ non intelligis qualiter sint, & tamen esse non dubitas. Dic ergo, si nosti, gyros cœli, terræ cardines, aquarum abyssus ubi finiuntur, ubi suspensi sunt? Scimus autem quia quod ex nihilo factum est, pendet in nihilo: sed si est aliquid quod dicitur nihilum, jam nihilum non est. Si autem nihil est, nihilum nusquam mundi moles dependet, nec est ubi sit quod creatum est, ut sit. E Quomodo ergo nusquam est quod novimus, quia est? Sed hæc fortasse ad te multa sunt, ad temetipsum homo revertere. Certe ex spiritu es creatus & limo: uno invisibili, altero visibili; uno sensibili, altero insensibili. Quomodo ergo permisceri potuit in te spiritus & limus, atque ex diverso fieri res non diversa, itaut in tanta convenientia misceretur spiritus & limus; ut cum caro atteritur, spiritus marceat: & cum spiritus affligitur, caro contabescat? Sed forsitan necdum prævales discutere temetipsum. Perpende ergo si va- (*Eccl. 14.*) les,

Num. 20. les, quomodo rubrum mare virga divisum est, A
quomodo petræ durititia percussione virgæ undas emanavit:
Num. 17. quomodo virga Aaron sicca floruit: quomodo ex ejus genere veniens virgo concepit; quomodo & in partu virgo permansit:
Johan. 20. quomodo quatriduanus mortuus jussione suscitatus, ligatus manibus & pedibus de sepulcro exiit, quem postmodum solvi Dominus per discipulos jussit: quomodo idem Redemtor noster in carne atque ossibus resurgens, clausis ostiis ad discipulos intravit.

num. 10. Ecce hæc investigare non vales, & tamen credis. Cur ergo de resurrectionis gloria, disputando & discutiendo dubitas, qui tam multa mysteria sine discussione credidisti? Qui tamen, si resurrectionem carnis non credis, omnia sine B
causa credidisti: quia & in hoc Angelorum spectaculo videris quidem velociter currere, sed postquam cursum peregeris, ne bravium accipias adversaris. Unda per Paulum dicitur: *Sic*
1. Cor. 9. 24. *currite, ut comprehendatis*. Qui rursus ait: *Si in*
1. Cor. 15. 19. *hac vita tantum in Cristo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*. Divinæ autem virtutis mysteria, quæ comprehendi non possunt, non intellectu sunt discutienda, sed fide veneranda. Sciendum itaque nobis est, quia quidquid ratione hominis comprehendi potest, mirum esse jam non potest; sed sola est ratio in miraculis, potentia facientis. Ecce dum de resurrectione carnis loquimur, in ea tractanda paululum immorati sumus. Considerare autem

libet, qui nos sumus, qui ista tractamus: certe ex Gentibus venimus, certe patres nostri li- Lib. 11 in lignorum ac lapidum cultores fuerunt. Unde igi- 4. n. 19.
tur hoc nobis, ut tam profunda mysteria Scripturarum memoremus? Agamus gratias uni, qui cuncta quæ de eo in sacro aloquio scripta sunt, opere implevit, ut quæ intelligi audita non poterant, visa panderentur. Ibi quippe incarnatio, ibi passio, ibi mors, ibi resurrectio, ibi continetur illius ascensio. Sed quis nostrum hæc audita crederet, nisi facta cognovisset? Si- Apoc. 5.
gnatum ergo librum sicut in hac Johannis Apocalypsi legitur, quem aperire & legere nullus poterat, leo de tribu Juda aperuit: quoniam omnia ejus nobis mysteria in sua passione, ac resurrectione patefecit. Et per hoc quod infirmitatis nostræ mala pertulit, suæ nobis potentiæ & claritatis bona monstravit. Caro enim
factus est, ut nos spirisales faceret: benigne in- num. 20.
clinatus est, ut elevaret: exiit, ut introduceret: visibilis apparuit, ut invisibilia monstraret: flagella pertulit, ut sanaret: opprobria & irrisiones sustinuit, ut nos ab opprobrio æterno liberaret: mortuus est, ut vivificaret. Agamue ergo gratias vivificanti & mortuo, & ideo amplius vivificanti, quia mortuo, qui per hoc quod infirmans mala nostra sustinuit, nos quis creatura illius sumus, ad fortitudinis suæ gloriam perduxit, in qua vivit, & regnat cum Patre, in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

F I N I S.



